CORNELII A LAPIDE

COMMENTARIA
IN
SCRIPTURAM SACRAM

16

BS1145
L3
v. 16
1891

85404
007692

1080014756



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

COMMENTARIA

IN

# SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

223.
2.

# COMMENTARIA

IN

# SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,

SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

AUGUSTINUS CRAMPON,

DIOECESIS AMBIAN. PRESBYTER.

EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT

TOMUS DECIMUS SEXTUS

IN SS. LUCAM ET JOANNEM

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCI

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Téllez
CAPILLA ALFONSINA
UANL
85404

BS1195
C3
V.16

CAPILLA ALFONSINA

FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# COMMENTARIUS
IN
# EVANGELIUM S. LUCÆ.

## ARGUMENTUM.

SANCTUM
## JESU CHRISTI EVANGELIUM
SECUNDUM LUCAM

Hoc est sancta Historia Evangelica de dictis et factis Jesu a Luca descripta. Arabicus : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Dei unius, Evangelium Patris excellentis, Lucæ Evangelistæ. Apertio Evangelii gloriosi.* Syrus : *In nomine Domini Deique nostri Jeschua Meschicho, sigillamus Evangelium sacrosanctum nuntium Lucæ Evangelistæ, quod locutus est et annuntiavit Ionice* (Græce) *in Alexandria Magna* (1). Ex hac diversitate liquet, quod hic titulus, sive hæc inscriptio, huic Evangelio præfixa sit, non a Luca, sed ab Ecclesia, quæ ita pariter inscripsit aliud Evangelium secundum Matthæum, aliud secundum Joannem, aliud secundum Marcum ; imo quoad fidem frustra addita fuisset ab ipso Luca, nisi Ecclesia illam illius genuinam esse, non supposititiam declarasset et tradidisset, quod nota pro traditionibus contra hæreticos. Cur enim Evangelium Lucæ inscriptum habendum sit verum ipsius Lucæ, Evangelium autem Matthiæ et Thomæ inscriptum non sit habendum ipsius Matthiæ et Thomæ; rursum cur Evangelium Lucæ potius sit canonicum, quam Apellis aut Basilidis Evangelium, alia ratio reddi non potest, quam probatio, declaratio et traditio Ecclesiæ : non enim hoc ideo, quod in sacris litteris scriptum sit, sed quia ab Ecclesia ita traditum est, credimus : v. g. non credimus hoc esse Evangelium Lucæ esseque canonicum, quia id ipsum scripsit Lucas, sed quia id tradit et docet Ecclesia; licet enim isti Evangelio, uti et aliis, sua constet auctoritas, tamen illa nobis non liquet nisi ex declaratione Ecclesiæ. Idem a pari dicendum est de sensu Scripturæ. Sensus enim Scripturæ genuinus non est is qui mihi aut tibi videtur esse talis (sic enim incertus et dubius esset; alium enim sensum affert Calvinus, alium Lutherus, alium alii), sed is quem docet et tradit Ecclesia, cujus sicut est tradere quæ sit vera S. Scriptura, ita est et tradere quis illius germanus sit sensus. S. Scriptura enim non in cortice litterarum aut verborum, sed in genuino eorum sensu consistit. Ita Tridentinum, *sess.* IV, et passim Patres, ac nominatim Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.*, cap. V. Vide dicta *Matth.* I, 1.

Nota *primo* : Matthæus primus in Judæa Hebræis scripsit Evangelium Hebraice; secundus Marcus in Italia Romanis Græce et Latine; tertius Lucas Græcis in Græcia Græce; quartus Joannes Græce; sed Lucas elegantius, utpote Græce apprime peritus. Audi S. Hieronymum, epist. 103 *ad Paulinum* : « Matthæus, Marcus, Lucas et Joannes, quadriga Domini et verum Cherubim, quod interpretatur scientiæ multitudo, per totum corpus oculati sunt, scintillæ emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos et in sublime tendentes, terga pennata et ubique volitantia. Tenent se mutuo sibique perplexi sunt, et quasi rota in rota volvuntur, et pergunt quocumque eos flatus Sancti Spiritus perduxerit. »

Porro, inter quatuor Cherubinorum facies, sive effigies, tertia bovis tribuitur Lucæ; tum quia ipse incipit a sacerdotio Zachariæ, cujus præcipua victima erat bos; tum quia ipse bovis labores in

(1) Clarius et rectius J. Leusden et C. Schaaf vertunt : *Evangelium sanctum prædicationis Lucæ Evangelistæ, qui locutus est et prædicavit Græce in Alexandria Magna.*

007692

Evangelio subiit, ac crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro Christi nominis honore portavit, uti de eo canit Ecclesia. Vide dicta *Apoc.* IV, 7, et *Ezech.* I, 10.

Nota *secundo*, Lucam scripsisse Evangelium contra quosdam oscitantes, imperitos, forte etiam falsos Evangelistas, qui in Syria vel Græcia Evangelium imperfecte, forte etiam mendaciter conscripserant, ut ipse Lucas initio Proœmii sui insinuat. Ita Origenes, S. Ambrosius, Theophylactus hic, et S. Epiphanius, *Hæres.* 51, qui tamen cum addit Lucam scripsisse contra Cerinthum et Merinthum, non videtur dicere verum: nam hi duo, æque ac Basilides, posteriores et juniores fuere Luca, ut satis colligitur ex Eusebio, lib. III *Hist.*, cap. XXXII. Verisimilius Theophylactus et Beda censent Lucam scripsisse suum Evangelium contra apocrypha aliorum Evangelia, qualia fuere quæ nomine Thomæ, Matthiæ et Apostolorum duodecim circumferebantur.

Nota *tertio*, Lucam non fuisse e septuaginta duobus Christi discipulis, uti ex Origene opinantur Euthymius et S. Gregorius, præfat. *in Job*, cap. I; nec enim Lucas vidit Christum in carne, sed quæ a Paulo et Apostolis audivit de Christo conscripsit, ut ipse ait cap. I, vers. 2. Unde passim Patres Lucam vocant discipulum Apostolorum; ac nominatim Pauli comes assiduus fuit Lucas. Ita S. Hieronymus, in cap. LXV *Isaiæ*, et præfat. *in Matth.*, ubi sic ait: « Tertius (Evangelista) Lucas medicus, natione Syrus, Antiochensis, cujus laus in Evangelio, qui est ipse discipulus apostoli Pauli, in Achaiæ Bœotiæque partibus volumen condidit, quædam altius repetens, et ut ipse in Proœmio confitetur, audita magis quam visa describens. » Idem tradit Irenæus, lib. I, XX, et Theodoretus, præfat. in *Vitas SS. Patrum*; Baronius et alii. Imo Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.*, cap. V, Evangelium hoc non tam Lucæ quam Pauli esse censet, quod ex Pauli ore illud scripserit Lucas, sicut Marcus ex ore Petri; sic enim ait: « Licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cujus interpres Marcus. Nam et Lucæ Digestum (Evangelium) Paulo ascribere solent: cœpit magistrorum videri, quæ discipuli promulgarint (1). »

Medicus animarum.

Porro, S. Hieronymus docet Lucam in Evangeliis et Actis agere medicum animarum, sicut prius egerat corporum; sic enim ait, epist. 103 *ad Paulinum*: « Si noverimus scriptorem eorum esse Lucam medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius animæ languentis esse medicinam. » Idem, in epist. *ad Philem.*: « Lucas medicus Evangelium et Actus Apostolorum. Ecclesiis derelinquens, quomodo Apostoli de piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt; ita de medico corporum, in medicum est versus animarum. Cujus liber quotiescumque legitur in ecclesiis, toties ejus medicina non cessat. »

Nota *quarto*: Baronius censet Lucam scripsisse in comitatu Pauli, anno Christi 58, ex eo quod S. Hieronymus dicat Lucam scripsisse in Achaia et Bœotia, ubi illo anno erat Paulus. Alii tamen citius a Luca scriptum Evangelium autumant, idque omnino dicendum est, si assentiamur S. Hieronymo, lib. *De Script. Eccles.*, *in Luca*; Tertulliano, lib. IV *Contra Marcion.*, cap. V; Primasio, Anselmo et aliis *in* II *Corinth.* VIII, vers. 18, Paulum ibidem per fratrem « cujus laus est in Evangelio, » intelligere Lucam, quod et diserte asserit S. Ignatius, S. Lucæ convivis et quasi coætaneus, qui sic scribit ad Ephesios: « Ut testatur Lucas, cujus laus est in Evangelio. » Nam epist. II *ad Cor.* a Paulo scripta est anno Christi 58; quare, si tum laus Lucæ erat in Evangelio, necessum est dicere illud jam ante fuisse evulgatum. Quocirca Euthymius et Theophylactus, Proœmio *in Lucam*, aiunt Lucam scripsisse 15 annis post Ascensionem Christi, puta anno Christi 49. Sed tunc Lucas nondum adhæserat Paulo; ei enim adhæsit Troade, anno Christi 51, uti ex *Actis Apostolorum*, cap. XVI, 10, recte colligit Baronius. Videtur ergo Lucas scripsisse Evangelium post annum Christi 51, sed aliquot annis ante annum Christi 58, illo enim jam vulgatum erat et celebre, ut ait Paulus (2).

Nota *quinto*: Lucas, postquam adhæsit S. Paulo, aliquot annis abfuit ab eo, alio amandatus (uti ostendi *Actor.* XVI, 10) usque dum Paulus perambulando varias regiones rediit in Græciam navigaturus in Syriam, indeque Romam, *Actor.* XX, 3; tunc enim Paulus inter alios socios hujus itineris, qui illo versu nominantur, assumpsit et Lucam, uti ibi significat Lucas, vers. 5 et 15; inde ergo Lucas assiduus fuit comes S. Pauli, usque ad prima vincula quæ Paulus Romæ subiit anno Neronis secundo: quare ibi Lucas finit Acta Apostolorum, præsertim Pauli. Inde, teste S. Epiphanio, Lucas discedens a Paulo adhuc vincto profectus in Dalmatiam, Galliam, Italiam, Macedoniam, ubique prædicavit Evangelium, ac tandem apud Pataras, urbem Achaiæ, anno ætatis 84 illustri martyrio coronatus in cœlos abiit, anno Christi 61, Neronis 5, S. Petri Romæ sedentis anno 17, uti ex S. Nazianzeno, Paulino, Gaudentio, Glyca, Nicephoro et aliis docet Baronius, anno Christi jam dicto.

(1) Non tam a Paulo, qui haudquaquam cum Christo fuerat conversatus, quam ab Apostolis *qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis*, Lucas res Christi gestas accepit; quos inter Petrus primo loco habendus est. Hujus rei multa extant vestigia: primum est quod Lucas solus retulit plura Petri vel dicta vel facta, quæ neque a Matthæo neque a Marco accepta, a nullo alio, aut certe a nemine melius, quam a Petro doceri potuerat; secundum, quod plura reticuit quæ relata a Matthæo Marcus quoque reticuerat, quorum scilicet mentio honori fuisset Petro: « Hæc autem res, ait Patritius, quæ Eusebio argumento fuit, quo nobis probaret Marcum Petro auctore scripsisse Evangelium, proinde et nobis esse potest, cur quid simile de Luca sentiamus. » Deinde priora Matthæi et Marci Evangelia Lucas noverat, utroque usus est atque ex utroque multa exscripsit, ut comparanti hujus atque illorum evangelium facile patebit. Denique, quæ Lucas unus narrat de Christo puero, ab ipsa hujus matre audisse credendus omnino est: qua de re consentiunt nonnulli etiam de schola Rationalistarum, v. g. Rosenmullerus, *Schol. in Luc.* II, 52.

(2) Re fuse et docte disputata, Patritius sic concludit: « Igitur haud vereor, ne errore ducar, si pronuntiem Evangelium a Luca exaratum fuisse inter medium annum XLVIII atque extremum LI; » scilicet intra quinquennium ex quo Lucas Philippis relictus a Paulo fuit, donec una cum ipso Hierosolymam inde iter fecit. Nam neque in Actis legimus Lucam unquam fuisse in Achaia et Bœotia: ergo non potuit, ut vult Hieronymus, in his regionibus suum Evangelium scribere; et Paulo adhæsit paucis mensibus post Concilium Hierosolymitanum, anno ær. vulg. XLVII habitum. Vid. Patritium, *De Evangeliis*, lib. I, cap. III, *Quæst.* II.



Denique quis, qualis, quantus fuerit Lucas, fuse declaravi Proœmio in *Acta Apostolorum*, in eorum Argumento, ubi dixi Lucam eumdem videri cum Lucio, quem Paulus suum cognatum vocat, *Rom.* XVI, vers. 21. Idem tamen diversus videtur a Lucio Cyrenensi, de quo *Actor.* XIII. Nam Lucas fuit Antiochensis, non Cyrenensis. Rursus *Martyrologium Romanum*, die 22 aprilis, ait Lucium hunc fuisse e primis Christi discipulis, quod Lucæ non convenit.

Cur scripsit?

Nota *sexto*: Causa cur post Matthæum et Marcum Lucas scripserit evangelium fuit duplex: Prior, ut confutaret pseudo-evangelistas in Syria et Græcia jam suborientes, ut dixi not. 2. Posterior, quod ipse destinarit prosequi et scribere dicta et facta Christi ab aliis Evangelistis prætermissa, ac præsertim ejus infantiam et pueritiam, ejusque præcursoris Joannis Baptistæ annuntiationem, conceptionem, nativitatem, præsepe, fascias, pastores, circumcisionem, præsentationem in templo, inventionem inter doctores; S. Magdalenæ, Zachæi et unius e duobus in cruce latronibus conversionem, apparitionem Christi factam duobus discipulis in Emmaus, parabolas Pharisæi et Publicani, Samaritani, ovis errantis, drachmæ perditæ, filii prodigi, Lazari, et divitis epulonis et similium, quæ Christi misericordiam et pietatem in peccatores et miseros commendant (1). Vide S. Irenæum, lib. III, cap. XIV, singula recensentem. Ad hæc Lucas plenius quam cæteri enarrat passionem, resurrectionem et ascensionem Christi.

Denique B. Petrus Damianus, serm. *De S. Matth.*: « Lucas, ait, proprium modum et ordinem tenet, dum sacerdotalem Domini stirpem describit, atque personam, et sic per totam styli sui seriem in hac intentione perdurat, ut diversa circa templum et sacerdotes usque ad finem Evangelii non omittat, etc. Mediator quippe Dei et hominum secundum humanam naturam, unus idemque rex esse voluit et sacerdos, ut per vires nos regalis apicis regeret, et per sacerdotis officium expiaret. Hæ siquidem duæ personæ in figura Christi specialiter sunt a Patribus commendatæ; cui principaliter ac singulari prærogativa dedit Deus sedem David patris ejus, ut regni ejus non esset finis, et ut Sacerdos esset secundum ordinem Melchisedech. »

Lucas Christi misericordiam commendat: Cur?

Rursus S. Anselmus, in cap. IV *ad Colos.*, duas habet rationes, cur Lucas plus quam alii de Christi misericordia loquatur. Una est: « Lucas, ait, primo fuit medicus corporum, deinde conversus ad Christum factus est medicus animarum. Inde est quod plus quam alii Evangelistæ loquatur de misericordiis Redemptoris, per quas languores peccatorum ab animabus pelluntur. » Secundam rationem his verbis declarat: « Et sacerdotis personam in Christo describit, intervenientis pro peccatis totius mundi. »

Demum viginti quinque privilegia S. Lucæ concessa, recenset noster Joannes de la Haye, in *Apparatu Evang.*, cap. LXVIII, ubi inter alia ex S. Hieronymo, Beda et Adone tradit S. Lucam peccatum mortale nunquam commisisse, et tamen austeram in mortificatione continua egisse vitam; item S. Lucam perpetuo virginitatem conservasse, ideoque B. Virgini fuisse dilectum præ cæteris.

Commentati sunt in Lucam peculiariter S. Ambrosius et Titus Bostrensis. Tertullianus etiam toto libro *Contra Marcionem*, qui Evangelium Lucæ, sed adulteratum, suum esse dictitabat, multa ex eo pertractat et explicat. Scripsit quoque fuse et exacte in prima duodecim Lucæ capita Cardinalis Toletus.

(1) Lucas Evangelium edidit ad eum finem, ut Christi historiam plenius atque ordine, hujusque præcepta vivendi, eas *Gentes*, pro eo ac opus habebant, doceret, quæ recens in Christianos nomen dederant. Idem igitur consilium prosequitur quod Paulus, I *Corinth.* III et XIV; non tam ea, videlicet, *quæ credere*; hæc enim illis viva voce tradebantur, quam quæ *agere oportet*, exponit, monetque ad bene vivendum ea affert plerumque, quæ sunt in amore virtutum, raro, quæ in pœnæ formidine. Vid. Patritium, op. cit., ibid., *Quæst.* V.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# CAPUT PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

**Primo.** *Lucas hic describit conceptum Joannis Baptistæ, nuntiante archangelo Gabriele; deinde Christi ex Spiritu Sancto, vers. 26. Secundo, B. Mariæ visitationem et salutationem Elisabethæ, per quam Joannes in utero matris gaudio exiliit, Elisabeth prophetavit, B. Maria cecinit :* Magnificat. *Tertio, vers. 57, nativitatem S. Joannis, in qua Zacharias pater mutus loquelam recepit, ac cecinit :* Benedictus Dominus Deus Israel, *etc., in quo multa et magna de Christo et Joanne prophetavit.*

1. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum, 2. sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis; 3. visum est et mihi assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, 4. ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. 5. Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia; et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. 6. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela; 7. et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis. 8. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur, in ordine vicis suæ, ante Deum, 9. secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini : 10. et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. 11. Apparuit autem illi angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. 12. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. 13. Ait autem ad illum angelus : Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua; et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium et vocabis nomen ejus Joannem. 14. Et erit gaudium tibi, et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt : 15. erit enim magnus coram Domino; et vinum et siceram non bibet, et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ; 16. et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum; 17. et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. 18. Et dixit Zacharias ad angelum : Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. 19. Et respondens angelus dixit ei : Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum; et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare. 20. Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. 21. Et erat plebs expectans Zachariam; et mirabantur quod tardaret ipse in templo. 22. Egressus autem non poterat loqui ad illos, et cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus. 23. Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam. 24. Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens : 25. Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. 26. In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, 27. ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. 28. Et ingressus angelus ad eam, dixit : Ave, gratia plena : Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus. 29. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. 30. Et ait angelus ei : Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum : 31. ecce concipies



in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. 32. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum, 33. et regni ejus non erit finis. 34. Dixit autem Maria ad angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 35. Et respondens angelus, dixit ei : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. 36. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua; et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis; 37. quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. 38. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus. 39. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda; 40. et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. 41. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth; 42. et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. 43. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? 44. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. 45. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino. 46. Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum, 47. et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, 48. quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. 49. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. 50. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. 51. Fecit potentiam in brachio suo; dispersit superbos mente cordis sui. 52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. 53. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. 54. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. 55. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula. 56. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam. 57. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium. 58. Et audierunt vicini et cognati ejus quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. 59. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. 60. Et respondens mater ejus, dixit : Nequaquam, sed vocabitur Joannes. 61. Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. 62. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. 63. Et postulans pugillarem scripsit, dicens : Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. 64. Apertum est illico os ejus et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. 65. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. 66. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes : Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. 67. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu Sancto; et prophetavit, dicens : 68. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ; 69. et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, 70. sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus; 71. salutem ex inimicis nostris et de manu omnium qui oderunt nos; 72. ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti : 73. jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, 74. ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi 75. in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. 76. Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, 77. ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum : 78. per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto; 79. illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. 80. Puer

autem crescebat et confortabatur spiritu; et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.

1. QUONIAM QUIDEM MULTI CONATI SUNT ORDINARE NARRATIONEM, QUÆ IN NOBIS (Christianis) COMPLETÆ SUNT, RERUM (1) — de Christo, Christique Ecclesia, et Christianorum origine ac progressu. « Multi : » Maldonatus censet hic denotari Matthæum et Marcum Evangelistas. Verum hi sunt pauci, non multi tantumque duo. Quare Lucas videtur hic sugillare Evangelia apocrypha, quæ nomine Matthiæ, Thomæ et aliorum Apostolorum, item Nicodemi, Nazaræorum, Ægyptiorum, Hebræorum circumferebantur, uti dixi in Prœmio (2).

COMPLETÆ SUNT. — Græce πεπληροφορημένων, quæ vox duo significat : *primo*, « impletæ, vel completæ sunt; » *secundo*, « certo compertæ sunt, » uti vertit S. Ambrosius, Theophylactus, Euthymius et recentiores hic. Unde Syrus vertit, *in quibus nos contenti acquievimus*; Vatablus, *de certo compertis*. Audi S. Ambrosium : « Fundatus in petra, et qui omnem fidei sumpserit plenitudinem firmamentumque conscientiæ, recte dicit : *Quæ in nobis sunt rerum*.

2. SICUT TRADIDERUNT NOBIS, QUI AB INITIO IPSI VIDERUNT, ET MINISTRI FUERUNT SERMONIS (3).—Græce eleganter et nervose : αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου, id est *qui fuerunt oculares et spectatores ministri verbi*, vel sermonis : quod *primo*, de Christo accipias; ipse enim est Verbum Patris æterni, *q. d.* Sicut tradiderunt nobis Apostoli, qui Christum ipsum viderunt illique ministrarunt. *Secundo*, de communi sermone et prædicatione; *q. d.* Sicut tradiderunt qui viderunt gesta Christi, et ab eo missi ministrarunt ipsi in sermone et prædicatione Evangelii, atque, ut ait Titus, « qui doctrinæ quam Salvator proseminaverat, subservierunt. » Hoc est quod ait Joannes, *epist.* 1, cap. I, vers. 1 : « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, quod, inquam, vidimus et audivimus, annuntiamus vobis. » Priorem sensum affert S. Hieronymus, præfatione *in Matth.*; posteriorem cæteri, qui et priore planior ac simplicior est, etsi eidem uterque tandem redeat.

3. VISUM EST ET MIHI ASSECUTO (Græce παρηκολουθηκότι, id est assectato et studiose investiganti, ideoque assecuto. Aliter Syrus, *qui fuerim impense proximus illis*) OMNIA A PRINCIPIO DILIGENTER, EX ORDINE (Græce καθεξῆς, id est *primo*, « deinceps; » *secundo*, « distincte ex ordine, » scilicet ut primo describam Christi conceptum, deinde nativitatem, mox vitam, demum mortem et resurrectionem) TIBI SCRIBERE, OPTIME (Syrus, *victoriosissime*) THEOPHILE. — Theophilus hic, ad quem Lucas scripsit Evangelium, deinde Acta Apostolorum, fuit vir nobilis et primarius Antiochiæ, qui a S. Petro ad Christum conversus, domum suam in Ecclesiam consecrari voluit, in qua S. Petrus conventus Christianorum agens; primariam suam cathedram posuit, uti narrat S. Clemens Romanus, lib. X *Recog.*, cap. ult. Ita conjectat Baronius, scilicet Lucam Antiochenum medicum et pictorem, ad Theophilum, quasi civem et familiarem suum hæc scripsisse. Addit Theophylactus Theophilum hunc Lucæ fuisse discipulum, vel catechumenum; S. Petrus enim, cum solus non sufficeret turbæ ad Christi fidem confluenti, multorum opera utebatur ad eam catechizandam et erudiendum fideles. Vide dicta *Actor.* I, 1 (4).

(1) Breve illud prœmium omnino ἄγνωστον is solum negabit, qui exemplaria græca neque nocturna manu unquam versavit, neque diurna. Locutionibus quibus constat, similes ac geminas reperiri in operibus clarissimorum inter græcos scriptores, exemplis pluribus demonstravit Raphelius, *Annotat. in sacr. Scripturam*, ad h. l.

(2) « Conati sunt. » Mera namque conamina seu *tentamina* absque successu ea fuere; atque vocem ἐπεχείρησαν ita intelligere tum totum hoc prœmium, tum etymon vocis ipsius suadent. Etenim si illi quod sibi proposuerant, perfecissent, eorum propositum, nullum in causa esset cur Lucas ad scribendum animum appelleret, cum adegisset potius id consilii ex animo removere. Quoad vocis ipsius sensum atque etymon vide Patritium, op. cit., lib. III, dissert. I.

Neque Patritius, ibid., autumat tentamina illa esse Evangelia apocrypha, triplici ratione : prima est quia hæc ἀπόκρυφα ad fallendum conficta sunt, aut saltem mendaciis et fabellis scatentia; illa vero quorum meminit Lucas, veritatis edicendæ gratia *tentata fuerant*, et sicut *tradiderunt* Apostoli. Deinde vix credibile est fabellas illas inter Christianos prodiisse, cum adhuc ii viverent, quorum nomina præscripta ostentabant. Denique illarum fabellarum artifices a Luca non sine laude quadam commemorari, quis credat ?

(3) Hæc referri oportet non ad totum id quod narratur in vers. superiore, ut male innuit Griesbachii interpunctio; sed ad verbum *ordinare*, Græce ἀνατάξασθαι, ut sensus sit, eos scriptores conatos esse narrationem *denuo digerere* eo ordine, quo res contigisse Apostoli et Christi discipuli docuerant.

(4) Theophilus fuisse videtur Gentilis, seu Ethnicus, ut eum vocat Origenes; Italus vero, aut cui Roma atque Italia notæ essent, ait L. Hug, *Einleitung in d. Schrift. des N. T.* II Th. § 35, nam Lucas qui in Actis, eidem Theophilo dedicatis, de locis Palestinæ, deque iis quæ Paulus in Italiam navigans peragrabat, ita loquitur ut qui Theophilo ignota esse autumet, cix ad Siciliam narratione pertingit, jam omnem præterit locorum designationem, sed omnia lectori nota esse ponit, etiam minima, ut sunt Forum Appii, Tres Tabernæ. Aliud hujus rei argumentum deprompsit Cellerier, opere cui titulus : *Essai d'une introduct. crit. au N. T.*, ex iis quæ in fine Actuum leguntur. Lucas enim qui res gestas Pauli, et quos socios habuerit, tam accurate enarraverat, atque ea potissimum quorum fuerat oculatus testis, duobus vers. quidquid a Paulo Romæ gestum est toto biennio quo illic mansit, summatim indicat, ita ut neminis meminerit eorum qui cum Paulo morabantur, etsi Lucas Pauli socius et comes fuerit toto illo tempore : cujus rei nullam potiorem rationem excogites, ait Patritius, nisi Theophilum ea omnia probe tenuisse



PORRO, Theophilus vocatur « Optimus, » id est Optimas, Græce, κράτιστε, id est præstantissimus, excellentissimus, quod erat epithetum præsidum et magistratuum, ut Festi, Felicis, etc. Vide dicta *Actor.* XXIII, 26. Theophilus ergo hic videtur fuisse senator vel præses Antiochiæ. Sic Trajanus Imperator gaudebat titulo « optimi » præ cæteris, licet magis honorificis elogiis.

4. UT COGNOSCAS EORUM VERBORUM, DE QUIBUS ERUDITUS ES, VERITATEM. — Græce ἀσφάλειαν, id est certitudinem, securitatem, firmitatem, soliditatem; *q. d.* Ut cognoscas ea quæ de Christo edoctus es, esse certissima, firmissima et solidissima.

5. FUIT IN DIEBUS HERODIS, REGIS JUDÆÆ, SACERDOS QUIDAM, NOMINE ZACHARIAS, DE VICE ABIA; ET UXOR EJUS DE FILIABUS AARON, ET NOMEN EJUS ELISABETH. — Præmittit Lucas nomen Herodis, tum ut designet tempus quo natus est Joannes æque ac Christus : sic enim in Fastis nomine Consulum et Imperatorum res gestæ et natales virorum illustrium consignantur; tum ut indicet jam defecisse sceptrum a Juda, ac translatum esse ad Herodem alienigenam, ideoque instare tempus adventus Messiæ, sive Christi Judæis promissi, juxta oraculum Jacob, *Genes.* XLIX, 10.

Fuit hic Herodes ejus nominis primus, cæterorum pater et avus, cognomento Magnus, gente Idumæus, patria Ascalonita, indole tyrannus, sævitia infanticida. Occupavit ipse favore Cæsaris et Romanorum regnum Judææ, sed Christus ipsum ejusque posteros hoc regno dejecit, omnemque ejus progeniem licet numerosissimam intra centum annos, teste Josepho, lib. XVIII, cap. VII, totam, paucis exceptis, abolevit, ac sibi omni jure debitum Israelis regnum, sed spirituale et sanctum vindicavit.

Hinc apposite vocatus est Herodes. *Herodes* enim syriace idem est quod *draco ignitus*; græce vero idem quod *heros Plutonis*, vel principis inferni : ἥρως enim est *heros*, ᾍδης est *Pluto* vel *infernus*. Hebraice denique *Herodes* idem est quod *pelliceus* vel *gloriosus*, ait S. Isidorus, lib. VII *Etymol.*, X. Herodes enim idem est, ait Pagninus in *Nomin. Hebr.*, quod pellis gloriæ, aut pellibus glorians, vel mons gloriæ sive arrogantiæ; עור *hor* enim est pellis, הר *har*, mons, הוד *hod*, gloria. Rursum Herodes, ait Pagninus, idem est quod conceptus triturationis; הרה *hara* enim est concipere, דוש *dus*, triturare; quia Herodes trituravit et occidit infantes conceptos et natos in Bethlehem : quocirca et ipse cum tota sua progenie intra centum annos trituratus, et ex orbe excussus est.

SACERDOS — legalis et Aaronicus.

ZACHARIAS. — Fuit hic sacerdos pariter et propheta, ac plenus Spiritu Sancto, ut patebit vers. 64 et 67. Unde et Sanctis adscriptus legitur in *Martyrologio Romano* ad diem 5 novembris, ubi Baronius secutus Origenem, Nyssenum, Cyrillum et Petrum Alexandrinum, censet hunc Zachariam esse martyrem, occisum ab Herode inter templum et altare, ideoque esse illum de quo agit Christus *Matth.* XXIII, 35. Caput ejus Romæ in basilica Lateranensi servatur et ostenditur, ex quo per dies aliquot olim sanguinem manasse tradunt. Ibi illud vidi et veneratus sum. Porro, *Zacharias* hebraice idem est quod *memoriale Domini*, quia canit memoriale testamenti sui sancti, ait Isidorus, lib. VII *Etymol.*, cap. VIII.

DE VICE ABIA. — Syrus, *ex ministerio domus Abiæ*; Arabicus, *de ministerio familiæ Abia*; *q. d.* De classe illa sacerdotum, cujus tempore Davidis princeps erat Abia. David enim videns posteros Aaron sacerdotes excrescere in ingentem multitudinem, ita ut omnes simul sacrificare et ministrare in templo non possent, eos distribuit in 24 familias sive classes, ita ut ordinate quælibet classis per hebdomadam unam successive deserviret templo. Ne autem lis esset inter eos de ordine, quæ esset prima, quæ secunda, quæ tertia, etc., litem hanc sorte diremit; jecerunt enim hæ familiæ sortem, et cui sors prima exiit primum obtinuit locum, cui secunda secundum, et ita deinceps. In hac autem sortitione octavus locus et octava classis obtigit Abiæ et posteris ejus, qualis erat Zacharias. Hæc omnia patent I *Paral.* XXIV, 1, et IV *Reg.* XI, 6, 7, 9. Unde Josephus, lib. VII *Antiq.*, cap. XI, sic ait de Davide : « Sacerdotum viginti quatuor cognationes invenit, instituitque ut quæque cognatio ministraret Deo per dies octo, a sabbato usque ad sabbatum, » ad evitandam confusionem, æmulationem, lites et jurgia sacerdotum.

ET UXOR EJUS DE FILIABUS AARON. — Poterant sacerdotes ex alia tribu ducere uxorem, quia nullam habebant hæreditatem in terra Israel (uti habebant cæteræ tribus) quæ per conjugium uxoris (si illa, deficiente prole mascula, esset hæres sui patris) nubentis viro alterius tribus ad illam tribum transiret, itaque hæreditatum et tribuum fieret confusio, quod lege erat vetitum. Zacharias tamen religiosior duxit uxorem suæ tribus sacerdotalis, puta de filiabus, non tantum Levi, sed et Aaron, quæ scilicet esset filia non Levitæ, sed sacerdotis : omnes enim posteri Aaron fuere sacerdotes; cæteri vero posteri Levi (qui fuit abavus Aaronis) fuere Levitæ. Causam dat Euthymius : « Demonstravit, ait, quod præcursor a sacerdotali descendit tribu, non secundum patrem tantum, sed etiam secundum matrem, et utrimque sacerdotalis erat. » Quare infert S. Ambrosius : « Non solum a parentibus, sed etiam a majoribus S. Joannis nobilitas propagatur; non sæculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis. » Vocata est Elisabeth, ab

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

uxore primi pontificis Aaron, quæ fuit soror Nahason, principis in tribu Juda; hæc enim dicta fuit Elisabeth, *Exodi* VI, 23. Porro, hæc Elisabeth fuit sancta, imo prophetissa et plena Spiritu Sancto, ut patebit vers. 41. Unde ejus memoria recolitur in *Martyrologio Romano* die 5 novembris; hinc ejus nomen cum sanctitate assumpserunt S. Elisabeth, filia Andreæ regis Hungarorum, cognomento mater pauperum, ejusque neptis S. Elisabeth, regina Portugalliæ, mater omnium deinceps regum Hispaniæ, æque ac Lusitaniæ.

Etymon Zachariæ et Elisabeth. ET NOMEN EJUS ELISABETH. — Zacharias hebraice idem est quod *recordatus est Deus*, vel *memoria Dei*; Elisabeth idem est quod *Dei juramentum* vel *sceptrum et dominium*, vel *quies*, vel *saturitas*; *q. d.* Deus memor juramenti sui hos conjugio inter se copulavit, ut sceptrum domus David erigeret, et quietem, ac copiam et saturitatem suis largiretur, « ut sine timore de manu inimicorum suorum liberati, servirent illi in sanctitate et justitia coram ipso, » *Luc.* I, 69. Ita S. Isidorus, lib. VII *Etymol.*, cap. X : « Elisabeth, ait, interpretatur Dei mei saturitas, vel Domini mei juramentum. »

6. ERANT AUTEM JUSTI AMBO ANTE DEUM. — Multi apparent justi coram hominibus, sed pauci ante Deum; quia homines faciem intuentur, Deus vero cor et conscientiam. Ita S. Ambrosius et Titus. Vere dicebat S. Franciscus : « Tantus est quisque quantus est apud Deum, et non amplius. » Dei enim judicium est verissimum et certissimum, hominum vero sæpe fallit et fallitur (1).

INCEDENTES IN OMNIBUS MANDATIS, ET JUSTIFICATIONIBUS DOMINI SINE QUERELA. — Id est observantes omnia Dei « mandata, » hoc est præcepta decalogi moralia, et « justificationes, » id est præcepta cæremonialia, scilicet sacrificia, lustrationes cæterosque sacros ritus lege Dei præscriptos.

Triplicia legis Mosaicæ præcepta. Nota : Deus Hebræis per Mosem triplicia dedit præcepta. *Primo* Hebraice vocantur מצות *mitsvoth*, id est præcepta moralia, quæ continentur duabus decalogi tabulis, continentque jura naturæ, quæ Deo, et quæ proximis præstare debemus.

*Secundo* vocantur משפטים *mispatim*, id est judicia, aut judicialia, quæ spectant justitiam et politiam humanam, ac maxime concernunt principes ut justitiam administrent, quales apud Christianos sunt leges civiles.

*Tertio*, vocantur חקים *chuckim*, id est statuta, decreta, sancita a Deo, puta cæremonialia, scilicet sacrificia et sacri ritus ad Deum rite colendum : hæc hic et alibi vocantur « justificationes, » ait Euthymius et alii; idque *primo*, quia qui illa observant et implent, faciunt quod maxime æquum et justum est, scilicet Deo exhibere latriam, et cultum illi omni jure debitum et proprium. Sic enim religio est maxima et transcendens justitia. *Secundo*, quia per hæc horumque observationem olim in lege veteri justificabantur legaliter : qui enim illa implebant, a Synagoga censebantur justi verique Israelitæ et fideles; idque non tantum ab hominibus, sed et a Deo, si ex vero pietatis et amoris Dei affectu illa obirent : « Factores enim legis justificantur, » *Rom.* II, 13. « Scito, ait Theophylactus, quod mandatum justificatio nominari potest, utpote justum faciens hominem. »

SINE QUERELA. — Græce ἄμεμπτοι, id est inculpabiles, irreprehensibiles; Syrus, *inculpate*; Arabicus, *sine macula*. Nota hic fideles posse, imo debere observare omnia Dei mandata; quare illa servatu esse possibilia, non impossibilia, uti blasphemat Calvinus, qui hic mire se torquet, ac tantum non dicit Lucam Evangelistam mentiri.

Porro, « sine querela, » id est sine crimine et peccato mortali. Venialia enim omnia justus in hac vita evitare nequit. Ita S. Augustinus, *epist.* 95, et tract. 42 *in Joannem*, post medium.

7. ET NON ERAT ILLIS FILIUS, EO QUOD ESSET ELISABETH STERILIS (natura et complexione sua), ET AMBO PROCESSISSENT IN DIEBUS SUIS, — puta essent grandævi et senes, quando homines deficiente calore desinunt generare. Dicit hoc, ut ostendat Joannem ex iis non naturaliter, sed per Dei donum et miraculum fuisse prognatum, æque ac fuere alii Sancti eximii, ut Isaac, Joseph, Samuel. Audi S. Augustinum, serm. 3 *De S. Joanne Baptista* : « Erat quidem S. Elisabeth sterilis corpore, sed fœcunda virtutibus : partus ejus non ablatus, sed dilatus, donec pertransiret tempus carnis, passio corporis, conjugii necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, et totum quod humanam confundit, gravat, onerat conscientiam. Mundabatur enim longo tempore sacrificii domus, sanctitatis hospitium metatum metatoris Christi, angeli domicilium, aula Spiritus Sancti, Dei templum. » Et paucis interjectis : « Denique ubi tota corporis sedata est querela, et in toto facti sunt sine querela, vox sterilitatis fugit, reviviscit senectus, fides concipit, parit castitas, nascitur major homine, par angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum Patris, Filii nuntius, signifer superni regis, peccatorum venia, Judæorum correctio, vocatio gentium, et ut proprie dicam, legis et gratiæ fibula, quæ diploidem summi sacerdotis sancto patri jungebat in corpore. »

8. FACTUM EST AUTEM CUM SACERDOTIO FUNGERETUR IN ORDINE VICIS SUÆ (quæ erat octava, et a primo ejus parente dicebatur Abia, uti jam dixi. Unde Arabicus vertit, *in diebus ordinis ministerii sui*) ANTE DEUM.

(1) Formula *ante Deum*, Græce ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, id est *judice Deo*, adjectivis juncta, indicat aliquem esse vere talem, qualis esse dicitur. Quæ ratio loquendi Hebraica est. Vid. *Gen.* VII, 1, ubi dicit Dominus ad Noe : « Te enim vidi justum coram me, » id est, te vere justum cognovi.



9. SECUNDUM CONSUETUDINEM SACERDOTII, SORTE EXIIT, UT INCENSUM PONERET (ut thymiama Deo adoleret et offerret in altari thymiamatis, quod quotidie bis, scilicet mane et vespere ex lege Deo adolendum erat), INGRESSUS IN TEMPLUM DOMINI.

SORTE, — id est vice sua, ait Beda, quæ suæ familiæ, scilicet Abiæ, primitus sorte obtigerat, ut scilicet ordine esset octava; tunc enim suæ vices eum ad ministrandum in templo vocabant. Verum, vers. 8, hujus vicis facta est mentio; quare sors de qua vers. 9, alia est a vice, eamque magis particulatim limitat et determinat; *q. d.* Cum Zacharias ordine vicis suæ ut sacerdos ministraret in templo, inter varia sacerdotum officia, sorte, id est sortitione, ei obtigit officium adolendi incensum. Sacerdotes enim vicis sive classis Abia, quia erant multi, hinc sortiebantur quid quisque

Quatuor munia sacerdotum. in templo ageret, et quod munus obiret. Quatuor enim præcipua erant sacerdotum munia, ut patet *Exodi* XXX : primum erat sacrificare victimasque mactare et immolare; secundum, accendere lucernas in candelabro septicipiti; tertium, die sabbati ponere novos panes duodecim in mensa panum propositionis subductis veteribus; quartum, adolere incensum in altare thymiamatis. Hoc quartum ergo hic per sortitionem obtigit Zachariæ, tria cætera vero aliis sacerdotibus ejusdem classis Abia. Aliis enim per sortem erat sacrificandum, aliis accendendæ lucernæ, aliis panes propositionis conficiendi et proponendi in mensa Dei. Zachariæ vero sorte obtigit suffumigare thymiama, sive illud per suffitum Deo offerre. Id clare patet ex Græco ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι, id est *sortitus*, sive *sorte consecutus adolere incensum*; Syrus, *obvenit ei ut componeret suaves odores*; Arabicus, *cum eo temporis suum esset ponere incensum*, puta thymiama, quod ex quatuor rebus odoriferis, scilicet stacte, onycha, galbano et thure commixtum et compositum erat, *Exod.* XXX, 34. Vide ibi dicta.

Opinantur nonnulli, ut S. Ambrosius, Beda, Theophylactus et S. Augustinus, tract. 49 *in Joannem*, Zachariam fuisse summum pontificem, ducti

An Zacharias fuerit summus pontifex? hac ratione quod ipse adoleverit incensum in altari thymiamatis; hoc enim ipsi censent fuisse in Sancto sanctorum, quod nulli ingredi licebat nisi summo pontifici. Verum altare hoc non fuisse in Sancto sanctorum, sed in Sancto quod quotidie communes sacerdotes ingrediebantur, ostendi *Exodi* XI, 24. Idipsum confirmat hic τὸ « sorte exiit. » Summus pontifex enim erat extra, imo supra omnem sortem, ac quandocumque volebat, ministrabat in templo. Adde hoc tempore non Zachariam, sed Joazarum fuisse pontificem, ut docet Josephus, lib. XVII *Antiquit.*, cap. VIII. Quare Zacharias non fuit pontifex (hoc enim non tacuisset hic Lucas), sed communis sacerdos, uti docent Lyranus, Toletus, Maldonatus, Baronius, Salmeron, Abulensis, Jansenius, Carthusianus, Cajetanus ac Suarez, III *part.*, tom. II, disp. XXIII, sect. 1.

Moraliter : hic disce angelos apparere dum versamur in locis rebusque sacris, ac Deum vel per se, vel per angelos animæ loqui, cum versamur in oratione, sacrificio, similive Dei cultu, uti hic angelus apparuit Zachariæ adolenti thymiama, eique lætissimum de nascituro Joanne et Christo nuntium attulit. Angeli astant sacrificanti.

10. ET OMNIS MULTITUDO POPULI ERAT ORANS FORIS HORA INCENSI, — scilicet in atrio extra Sanctum sive templum, hoc enim solis sacerdotibus ingredi licebat. Ante Sanctum ergo erat atrium duplex : prius interius sacerdotum continens altare holocaustorum, in quo victimæ sub dio cremabantur; posterius exterius laicorum, qui ex suo hoc atrio eminus spectabant sacrificia a sacerdotibus immolata in altari holocaustorum; thymiama vero et altare thymiamatis, quod erat in Sancto undique obtecto, videre non poterant. Vers. 10. Atrium in templo duplex.

HORA INCENSI. — Græce, *thymiamatis*, cum scilicet sacerdos thymiama in altari subjecto igne cremabat et suffumigabat in honorem cultumque Dei. Omnium enim gentium ritu thura Deo adolentur.

11. APPARUIT AUTEM ILLI ANGELUS (Gabriel, ut patet, vers. 19) DOMINI, STANS A DEXTRIS ALTARIS INCENSI. — « A dextris, » *primo*, « quia prospera et bona nuntiaturus advenerat, » ait Euthymius; *secundo*, « quia divinæ insigne misericordiæ deferebat, » ait S. Ambrosius; « Dominus enim a dextris est mihi, ne commovear. »

Disce hic angelos altaribus, sacerdotibus et sacrificiis assistere, eisque cooperari, ut iis Deum colant, honorent et adorent; qua de re in Vitis Sanctorum plura extant exempla, quorum nonnulla recensui, *Exodi* XXIX, 38; *Lev.* IX, vers. ult.; *Num.* IV, in fine capitis.

12. ET ZACHARIAS TURBATUS EST, VIDENS : — Tum ob novam et insolitam visionem, tum ob decorem et majestatem angeli apparentis; apparuit enim specie augusta et cœlesti quam infirmitas humana vix oculis intueri poterat : « quia homo earum virium non est, ait Titus, ut ejusmodi peregrinum inusitatumque visum citra commotionem ferre valeat. » « Perturbamur, inquit S. Ambrosius, et a nostro alienamur affectu, quando præstringimur alicujus superioris potestatis occursu. »

Sic Daniel, cap. X, 8, apparente sibi eodem Gabriele Archangelo, ait : « Et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, nec habui quidquam virium. » Hinc indicium boni angeli est, si primo terreat, deinde exhilaret : mali vero, si initio exhilaret, deinde mœstum efficiat. Unde S. Antonius, teste S. Athanasio in ejus Vita : « Si post timorem, inquit, succedit gaudium, a Domino est visio; securitas enim animæ, præsentis majestatis indicium est : si vero incussa formido permansit, hostis est qui videtur. » Bonus angelus apparens initio terret, deinde exhilarat : contra malus.

13. AIT AUTEM AD ILLUM ANGELUS : NE TIMEAS, Vers. 13.

Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, — qua Deum precatus es non pro habenda prole, de ea enim usque adeo desperabat, ait S. Augustinus, ut nec angelo promittenti crederet, vers. 20 ; sed qua ut sacerdos orasti pro peccatis populi et adventu Messiæ, nam de ejus adventu Zacharias inferius, vers. 69, cum jam natus esset Joannes, gratias agit, cum Dei instinctu cognosceret Joannem fore paranymphum Messiæ, id est præcursorem Christi, uti mox hic illi promittit angelus. Sensus ergo est : Exaudita est, o Zacharia, deprecatio tua, qua quasi sacerdos precatus es pro salute populi et ejus Salvatore Messia, is enim propediem nascetur. Insuper Deus, qui merita supplicum excedit et vota, dabit tibi filium, qui ejus sit propheta et præcursor. Ita Beda, Euthymius, Theophylactus hic, et S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. I ; et S. Chrysostomus, hom. *De Nativitate S. Joannis*, tom. II.

*Secundo*, tamen non male nonnulli censent hanc Zachariæ deprecationem fuisse pro habenda prole, si intelligas illam a Zacharia non hoc tempore, sed olim cum junior spem prolis haberet, fuisse fusam : nam omnia sequentia prolem hanc explicant.

Et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem. — Cur « Joannem? » Respondeo *primo* : Quia « Joannes, » ait Maldonatus, Hebr. idem est quod *gratiosus*, vel ut Pagninus, *Domini donum* vel *misericordia*. Isidorus, lib. VII *Ethym.*, cap. VIII : « Joannes, inquit, interpretatur *Domini gratia*, eo quod sit limes prophetiæ, prænuntius gratiæ, sive initium baptismatis, per quod gratia ministratur. » Recte, sed non præcise : sic enim potius vocandus fuisset Hanania quam Joannes ; חנינה *hanina* enim, sive *chanina*, significat gratiam. Proprie ergo et præcise « Joannes, » Hebr. *Jehochanan*, et crasi *Johanan* (unde Syrus vertit, *Jouchanan*) idem est quod *Deus misertus est*. *Jehova* enim, et crasi *Jo*, nomen proprium est Dei : חנן *chanan* vero vel *hanan* (unde patet Joannes scribendum fore per aspirationem *h*, non Joannes) idem est quod *misertus est*, *gratiam exhibuit*, idque fecit Deus primo et proxime, cum uti præcessit, exaudivit Zachariæ deprecationem, quæ Hebr. dicitur תחנה *techinna*, ab eadem radice *chanan*.

*Joannis etymon.*

*Secundo*, eo quod jam Deus misertus esset populi destinando Messiæ præcursorem, scilicet Joannem, et propediem mittendo ipsum Messiam; per Christum enim, non per Mosem et legem, gratia et veritas facta est, *Joan.* I, 17. Sic filius Annæ dictus est « Samuel, » id est *postulatus*, et impetratus matris lacrymis a Deo ad salutem totius populi, I *Regum* I, 20.

*Tertio*, Deus etiam Joannis misertus est, implendo eum sua gratia copiosa et multiplici, ait Beda, Jansenius et Maldonatus, qua eum effecit Israelis doctorem, prophetam, virginem, anachoretam, martyrem, ac Christi indicem et præcursorem. Fuit ergo Joannes quasi filius charitum, filius, inquam, gratiarum, in quo scilicet expoliendo, ornando et condecorando omnes charites, omnes gratiæ Dei, conspirasse videantur.

Nota hic trium nominum triplex mysterium : nam « Elisabeth, » id est juramentum Dei promittentis, et « Zacharias, » id est memoria Dei, memoris sui promissi pariunt nobis Joannem, id est Dei misericordiam et gratiam.

14. Et erit gaudium tibi, et exultatio, — ob filium Joannem, tanto miraculo ad tanta natum, *q. d.* Iste filius erit tibi multisque aliis causa summi gaudii et exultationis. Causam subdit :

15. Erit enim magnus coram Domino, — cujus solius, utpote optimi et maximi, est æstimare et judicare quid magnum sit, quid mediocre, quid parvum. Ipse ergo solus vere et absolute magnus, novit illa quæ vere sunt magna. Multi, ait Theophylactus, magni dicuntur, sed coram hominibus, qui parvi parva magni æstimant; at Joannes magnus fuit coram Domino, qui magnus magna ponderat.

Erit magnus. — *Primo*, sanctificatione in utero matris; *secundo*, profundissima humilitate; *tertio*, castitate eximia; *quarto*, pœnitentia exemplari; *quinto*, zelo Seraphico; *sexto*, vita tota, quæ non tam humana fuit quam angelica, adeo ut Joannes a Judæis et Scribis putaretur esse Messias; *septimo*, prophetia sublimi; *octavo* vita eremitica; *nono*, officio prædicatoris et præcursoris Christi; *decimo*, martyrio nobilissimo. Vide 28 privilegia Joanni concessa, quæ hic enumerat noster Barradius. In omnibus hisce dotibus Joannes fuit magnus, quia eas habuit non in communi et quali quali, sed magno, singulari et eminenti gradu. Unde illi merito accinit Ecclesia :

O nimis felix, meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris,
Præpotens martyr, nemorumque cultor,
Maxime vatum.

Et vinum et siceram non bibet. — Sicera significat omne id quod inebriare potest, uti vertit S. Hieronymus, *Lev.* X, 9 et alibi : שכר *sachar* enim est inebriari; שכור *siccor*, ebrius; שכר *sechar*, id quod inebriat, sicera. Vino et sicera abstinere proprium erat Nazaræorum, qualis ex hoc loco per omnem vitam videtur fuisse Joannes, *q. d.* Joannes per omnem vitam erit Nazaræus et consecratus Deo. Vide *Num.* VI. Joannes, ait S. Ambrosius, delicias hominum corporisque lasciviam magna animi virtute depressit.

Et Spiritu Sancto (Syrus, *Spiritu sanctitatis*) replebitur adhuc ex utero matris suæ. — Quando, ut ait Glossa, intrante Virgine, exultavit in utero genitricis, et præcursoris officium quoad potuit, implevit, ut patebit vers. 41 et 42. Fuit ergo Joannes, prius Spiritu Dei renatus, quam ex matre natus.

Ex utero. — Arabicus, *in utero*, *q. d.* Joannes



incipiet esse sanctus ab ipso matris utero, talisque durabit semper ad finem vitæ suæ.

Quæres, an Joannes vere et realiter in utero a peccato originali sit purgatus et justificatus? Negat S. Augustinus, epist. 57 *ad Dardanum*, et S. Hieronymus, in cap. I *Jeremiæ* : aiunt enim ipsi Joannem æque ac Jeremiam dici in utero sanctificatos, non reipsa, sed secundum Dei prædestinationem duntaxat ; quia scilicet ad sanctitatem futuram a Deo erant destinati, ut idem hic dicatur de Joanne, quod Apostolus de se ait, *Galat.* cap. I : « Qui me segregavit ab utero matris meæ, » etc. Ratio S. Augustini est, quia renasci præsupponit nasci ; atqui Joannes in utero existens necdum erat natus : ergo non potuit tum renasci reipsa, sed tantum secundum Dei prædestinationem.

Verum contraria est communis sententia Patrum, SS. Athanasii, Cypriani, Cyrilli, Ambrosii, Gregorii, Bernardi, quos citat et sequitur Toletus, Barradius, Jansenius, Franciscus Lucas et alii passim. Probatur : *Primo*, quia id clarissime hic promittit Joanni angelus, dicens : « Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ, » *q. d.* Ab utero erit sanctus, imo plenus Spiritu Sancto. *Secundo*, quia Joannes ad salutationem B. Virginis in utero credidit in Christum, eum adoravit, dilexit et præ gaudio exiliit, ut dicam vers. 44. Tunc enim quando visitatus et salutatus est a B. Virgine, sexto mense a conceptione sua, hæc mira sanctificatio ei contigit. Idem privilegium S. Athanasius, S. Bernardus et alii tribuunt Jeremiæ, ut patet *Jeremiæ* I, 5. Vide ibi dicta. Ad rationem S. Augustini, respondeo hominem, ut per gratiam renasci possit, censeri natum quando conceptus in utero, a Deo animam et vitam accepit : tum enim uti nascitur cum peccato originali, ita et per gratiam ab eo expiari et renasci potest; imo et baptizari, ut patet, si infans in utero matris existens baptizetur, sive mortua et discissa matre, sive ea vivente, v. g. si infans manum vel pedem foras emittat, qui aqua ablui possit, ut habet praxis Ecclesiæ.

16. Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, — scilicet ad Messiam, sive Christum. Unde contra Arianos patet Christum esse Deum. Hinc Beda : Patet, inquit, Christum Deum esse Israel, in ejus enim fide Joannes baptizat (1).

17. Et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ. — Non dicit in anima Eliæ, ait Origenes, sed in spiritu et virtute, quia, ut ait S. Ambrosius, nunquam sine virtute spiritus, nec sine spiritu virtus; omnis enim vis et virtus est a Spiritu Sancto, juxta illud : « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, » *Luc.* I, 35. « Præcedet ante illum, » scilicet Dominum Deum, puta Christum Dei Filium. Joannes enim præcessit Christum : *primo*, nascendo; sex mensibus enim ante Christum uti conceptus, sic et natus est; *secundo*, baptizando, quia prius baptizavit quam Christus, imo Christum baptizaturum prior ipse baptizavit; *tertio* et maxime, prædicando pœnitentiam, ut viam sterneret Christo; *quarto*, digito demonstrando Jesum, ipsumque esse Messiam et Agnum Dei, qui tolleret peccata mundi, asserendo; *quinto*, moriendo per martyrium ante Christum; *sexto*, descendendo ad patres in limbum, eisque Christum propediem affore eosque liberaturum annuntiando. In hisce enim omnibus Joannem præeuntem secutus est Christus.

*Joannes præcessit Christum sextupliciter.*

In spiritu et virtute. — Id est in spiritu virtutis, id est roboris et efficacitatis. Græce enim est δυνάμει, non ἀρετῇ. Est hendiadys, *q. d.* Sicut Elias excelluit et in fine mundi excellet spiritu robusto et efficaci ad certandum contra Antichristum, ut Judæos cæterosque ab eo convertat ad Christum; sic prorsus excellet eodem spiritu potenti Joannes, ut per suam prædicationem et vitæ sanctissimæ exemplum Judæos duros moveat ad pœnitentiam, itaque eos ad Christi baptismum et gratiam præparet.

Nota : Spiritus virtutis Joannis fuit similis Eliæ. *Primo*, in vitæ austeritate; Joannes enim locustis vescebatur, et pilis camelorum quasi cilicio ac zona pellicea vestiebatur, æque ac Elias. *Secundo*, uterque degebat in solitudine eratque eremita. *Tertio*, in paupertate et mundi contemptu. *Quarto*, et aptius, in zelo, libertate et ardore prædicandi, quo uterque multos Israelitas ad pœnitentiam, et Deum Christumque convertit, et Elias rursum in fine mundi convertet, juxta illud *Eccli.* XLVIII, 1 : « Surrexit Elias quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. » Simili enim modo de Joanne ait Christus : « Ille erat lucerna ardens et lucens, » *Joan.* V, 35. Ecce hic est spiritus virtutis Eliæ. *Quinto*, in fortitudine et passione. Sicut enim Elias fortissime certavit contra sacerdotes Baal eorumque fautores Achab et Jezabel reges, III *Regum*, cap. XVIII et XIX, et rursum in fine mundi certabit contra Antichristum ejusque asseclas, ac multa ab eis passus est et patietur, atque tandem occidetur, eritque martyr. Sic pariter Joannes certavit contra Herodem et Herodiadem, ab eisque capite truncatus martyrii lauream obtinuit.

*Joannes similis Eliæ. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.*

Spiritus ergo virtutis duo significat, scilicet potestatem et efficacitatem bene operandi, ideoque adversa quævis fortiter perferendi, quæ utra-

(1) Validius et omnino inconcussum fiet argumentum de divinitate Christi, versiculo 16 cum sequenti collato. Etenim vox *illum*, vers. 17, orationis serie atque contextu id flagitante, Deum simul et Christum necessario significat : Deum *primo*, vox ista significat, respondet enim illis *Dominum Deum ipsorum*, quæ proxime eam præcedunt; Christum *secundo*, per eam significari liquido intelligimus : quis enim alius sit, quem Joannes præcursurus dicatur. Errat ergo Rosenmullerus, qui, ut istius argumenti vim effugiat, verbum προελεύσεται idem valere ait ac *ministrabit*, cujus significationis neque sacri, neque profani scriptores exemplum ullum suppeditant.

que similis fuit in Joanne et Elia. Magis autem comparatur hic Joannes Eliæ venturo quam præterito, quia scilicet sicut Elias magno spiritu et efficacitate præibit secundum Christi adventum, ut infideles debellet et convertat ad fidem; sic pariter Joannes eodem spiritu et efficacitate præibit primum Christi adventum, « ut convertat corda patrum ad filios, et incredulos ad prudentiam justorum, » uti explicans hic subjicit Gabriel, et Christus *Matth.* XI, 14; idque solerter advertunt et annotant hic S. Ambrosius, Beda, Theophylactus, Titus et S. Gregorius, homil. 7 in *Evangel.*, qui sic explicat τὸ « in spiritu et virtute Eliæ, » *q. d.* « Sicut ille præco venturus est judicis, ita et iste præcursor factus est redemptoris. » Audi S. Ambrosium : « In spiritu et virtute Eliæ; quia scilicet Elias et virtutem magnam habuit et gratiam, ut ad fidem animos populorum a perfidia retorqueret; virtutem abstinentiæ atque patientiæ, et spiritum prophetandi. In deserto Elias, in deserto Joannes. Ille corvis pascebatur; hic dumis, et calcata omni voluptatis illecebra, parcimoniam prætulit luxumque contempsit. Ille Achab regis gratiam non quæsivit; hic sprevit Herodis. Ille Jordanem divisit; hic ad lavacrum salutare convertit. Hic cum Domino versatur in terra; ille cum Domino apparet in gloria. Hic prioris; ille sequentis Dominici præcursor adventus. Ille post triennium pluvia terram rigavit; et hic post triennium arescentem nostri corporis humum fidei imbre perfudit, » etc.

Denique apte ad hunc spiritum virtutis, id est fortitudinis, Joanni deferendum missus est angelus Gabriel, qui Hebraice idem significat quod « fortitudo Dei, » ut scilicet ipse suam, quam ex Deo hausit fortitudinem, hoc oraculo Joanni aspiret.

Ut convertat corda patrum in filios; — ut scilicet Abraham, Isaac, Jacob cæterique Patriarchæ bene afficiantur posteris suis Judæis, viventibus tempore Joannis et Christi. Fecit id Joannes, eos verbo et exemplo incitando, ut fidem et pietatem patrum suorum imitentur : sic enim patres agnoverunt filios suos, legitimos sui imitatores Deique veri cultores, dum « in id quæ senserunt patres, consentient et filii, » ait S. Augustinus, S. Hieronymus et Beda. Vide dicta *Malach.* IV, 6. Ex Malachia enim hæc verba petita sunt, qui ad litteram loquitur de Elia, typice de Joanne, ubi de utroque fuse hæc verba explicui; quare ea hic non repetam.

Et incredulos (Græce ἀπειθεῖς, id est ut Syrus, *inobedientes*, scilicet legi et præceptis majorum ac Christi puta Judæos convertet Joannes) ad prudentiam (Syrus et Arabicus, *scientiam*) justorum, — id est ad fidem, sapientiam et intelligentiam, ait Euthymius, quam justi habuerunt et habent in Christo, quæ consistit in hoc, ut timeamus et amemus Deum et cœlestia, non caduca, juxta Christi doctrinam et vitam. Ita Maldonatus. *Secundo*, proprie Toletus, *q. d.* Faciet Joannes, ut Judæi increduli diligenter considerent signa adventus Messiæ patribus a Deo data, ac ex iis cognoscant credantque Christum jam venisse, ipsumque esse hunc Jesum, quem Joannes Judæis ut talem digito ostendit. Hoc enim prudentiæ est opus et actus; nam hæc erat vox et prædicatio Joannis : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum, » *Matth.* III, 2. Hæc est scientia sanctorum, *Sapient.* cap. X; vers. 10. Vide dicta *Malach.* IV, 6.

Parare (ut sic sua prædicatione et vitæ exemplo paret) Domino plebem perfectam. — Legit interpres κατηρτισμένον, id est perfectam; jam legunt κατεσκευασμένον, id est bene et perfecte præparatam et instructam, scilicet ad suscipiendam fidem et doctrinam Christi, ac perfectionem gratiæ, justitiæ et vitæ Christianæ, a Christo e cœlo allatam et prædicatam. Unde Theophylactus vertit, *capacem*; alii, *dispositam* ad fidem Christi; Arabicus, *parabit Domino plebem justam*.

18. Et dixit Zacharias ad angelum : Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. — *q. d.* Ede signum vel miraculum, quo mihi probes tam magna quæ promittis, reipsa eventura. Tanta enim polliceris, ut nudis tuis verbis credere nequeam. Hæsitat Zacharias et diffidit promissis angeli, partim ob rerum ab eo promissarum magnitudinem earumque desiderium; quia eas adeo magnas, ut naturæ vires longe superarent, ipse non comparabat cum omnipotentia Dei, solo humano spiritu rem metiens; partim quia non omnino certo credebat esse angelum bonum, qui hæc promittebat, esto sufficientia sibi signa ipsi dedisset angelus, ut patet ex sequent. Videtur tamen hæc hæsitatio ejus et diffidentia ex animi indeliberatione et inconsideratione processisse, ideoque veniale duntaxat fuisse peccatum, ob quod punitus est et privatus facultate loquendi. Secus fecit Abraham, qui angelo promittenti sibi ex Sara sterili filium Isaac, illico credidit; quia « confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcumque promisit, potens est et facere, » *Rom.* cap. IV, vers. 17.

*Zachariæ hæsitatio fuit tantum venialis.*

19. Et respondens angelus, dixit ei : Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum; et missus sum (a Deo) loqui ad te, et hæc tibi evangelizare, — hæc bona nuntia tibi afferre. Evangelium enim Græce idem est quod bonum nuntium. Unde Pagninus vertit, *et bona annuntiem tibi hæc*.

Qui asto, — id est astare soleo, velut Deo ad omnem ejus nutum ministraturus, sicut famuli astant regi. Græce παρεστηκώς, id est *qui astiti*, scilicet in cœlo; jam enim ibi ei non asto, sed inde ad te in terram missus sum : licet in terra angeli quoque astent Deo ejusque faciem videant; Deus enim est ubique, *Matth.* XVIII, 10. Hinc colligas eosdem esse angelos Deo ministrantes et assistentes, licet id negent S. Dionysius Areopagita et S. Gregorius; Gabriel enim hic simul astat et ministrat Deo, mittiturque ad Zachariam.

*Gabriel ex quo ordine?*

Porro, τὸ « asto » significat Gabrielem proxime astare Deo, esseque unum e septem primariis angelis, qui sunt principes aulæ cœlestis, sicut est et Michael, ac Raphael, qui, *Tobiæ* cap. XII, vers. 15, ait : « Ego sum Raphael angelus, unus ex septem, qui astamus ante Deum. » De his septem angelis multa dixi *Apocal.* I, 4. Quare licet aliqui, ut Toletus hic, censeant Gabrielem esse ex ordine penultimo qui est Archangelorum, eo quod alibi vocetur Archangelus; verius tamen videtur eum esse primo ex ordine, qui est Seraphim, adeoque esse unum e primis aulæ cœlestis principibus, ideoque a multis vocari Archangelum, id est angelum primarium et principem; imo non desunt qui censeant eum inter Seraphinos esse omnium primum. Ita censet Marcus Viguerius Cardinalis, in *Decachordo Christiano*, chorda 1, cap. II, idque probat octo rationibus, vel potius congruentiis quas recensui *Daniel.* cap. IX, vers. 21, quæ omnes ad hanc unam reducuntur : Ad opus summum, inquit, decebat mitti summum angelum; atqui summum Dei opus est Incarnatio Verbi : ergo Gabriel hic, vers. 26, ad illud nuntiandum missus, est summus angelus. Sed hæc ratio non concludit, ut ibi ostendi. Nam communis Theologorum sententia est, Michaelem esse supremum angelorum omnium et antagonistam Luciferi, *Apocal.* XII, 7.

*Gabrielis etymon.*

Porro « Gabriel, » ait S. Hieronymus, *Nomin. Hebr.*, in *Luca*, Hebraice idem est quod *confortavit me Deus*, aut *fortitudo Dei*, vel *virtus mea Deus*. Apte ergo ipse missus est, ut, nuntiando conceptionem Joannis, afflaret ei spiritum virtutis, id est fortitudinis Eliæ. Idem nuntiavit conceptionem et incarnationem Verbi æterni, vers. 26, quia hoc opus fuit summæ virtutis, potentiæ et fortitudinis Dei.

20. Et ecce eris tacens, et non poteris loqui, usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. — Theophylactus, Titus et S. Ambrosius vertunt : « Et ecce eris surdus, » et sic clare distinguitur ab eo quod sequitur : « et non poteris loqui; » alioqui enim erit tautologia. Licet enim Græcum σιωπῶν, proprie tacentem et mutum significet, tamen et surdus eadem voce intelligi potest; sunt enim hæc duo naturaliter inter se connexa, ut qui muti nascuntur, sint et surdi, ac vice versa : quocirca Græci surdum æque ac mutum vocant κωφόν, Hebraice, חרש *chares*; Syri, *hares* : Zacharias ergo hic effectus est surdus æque ac mutus. Unde, vers. 22, vocatur κωφός. Hinc et vers. 62 Zachariæ quasi surdo non loquuntur, sed nutibus et signis innuunt cognati et vicini, ut scribat quo nomine velit vocari filium recens sibi natum. Ipse ergo quia inobediens fuerat, punitur surditate; quia contradictor verbis angeli, mulctatur facultate loquendi, et taciturnitate plectitur. « Incredulitas, ait S. Ambrosius, Zachariæ affatum eripuerat et auditum. » « Merito autem hæc duo passus est, inquit Theophylactus, quod et non audiret, et non loqueretur; quia enim non obedierat, condemnatur ut surdus sit, et quia contradixerat, ut sileat. »

Usque in diem quo hæc fiant, — quo nascatur tibi Joannes; *q. d.* ait Titus : « Quia vocem edidisti plane incredulam, propterea voce tantisper orbaberis, donec re jam expleta, et tuam in credendo tarditatem, et Dei rursus agnoscas potentiam. » Petierat Zacharias, diffidens promissis angeli, vers. 18, ab angelo sibi dari signum Joannis nascituri; angelus ergo ipsi obsecundans dat signum, quod simul sit pœna, et castiget ejus incredulitatem et contradictionem, scilicet percutiens eum surditate et taciturnitate.

21. Et erat plebs expectans Zachariam, — ut ex Sancto, ubi adoleverat incensum, eo peracto rediret ad se in atrium quod erat ante Sanctum.

Et mirabantur, quod tardaret ipse in templo. — « Tardaret, » partim colloquens cum angelo, partim secum ruminans magnifica ejus dicta et promissa.

22. Egressus autem non poterat loqui ad illos (quia erat mutus), et cognoverunt quod visionem vidisset in templo (ex eo quod viderent eum mutum, stupentem et attonitum); et (id est *quia*) ipse erat innuens illis (gestibus et signis, quod esset mutus, ac visionem vidisset), et permansit mutus. — Græce κωφός, Syriace *hares*, id est surdus æque ac mutus, uti dixi vers. 20.

23. Et factum est ut impleti sunt dies officii (Græce λειτουργίας, id est liturgiæ, hoc est ministerii sacri in templo) ejus, abiit in domum suam, — quæ sita erat in montanis Judææ, ut patet vers. 39, ubi erat uxor sua Elisabeth. Vers. 23.

24. Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus. — « Congressus est cum uxore, ait Euthymius, propter promissum fœtum, silentii flagello edoctus, ut angelicis verbis crederet. » Porro, concepit Elisabeth Joannem sub diem 24 septembris, quo die multæ Christianorum Ecclesiæ celebrant conceptionem S. Joannis. Unde eamdem hoc die in *Martyrologio* consignat Usuardus et Molanus : nam nono post mense natus est Joannes die 24 junii, ac sexto post mense missus est Gabriel ad annuntiandum B. Virgini conceptionem Christi, quæ facta est die 25 martii, ut patet vers. 26 et 36; nam a die 24 septembris usque ad diem 25 martii sunt sex menses : quare incensum hoc oblatum a Zacharia, ejusque visio et promissio angelica de Joanne nascituro, paulo ante in festo Scenopegiæ, sive Tabernaculorum, contigisse videtur. Hoc enim festum celebrabatur die 15 mensis Tisri, durabatque per octo dies, ut patet *Levit.*, cap. XXIII, vers. 34, et *Numer.* XXIX, 12. Tisri autem respondebat nostro partim septembri, partim octobri. Apposite, scilicet ut significaretur Joannem nasciturum, qui futurus præco Christi, et per eum reserandi cœli, causa foret communis lætitiæ toti orbi : ipse enim Vers. 24.

*Joannes conceptus 24 septembris.*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

docturus erat homines, ipsos esse peregrinos in terra, in aque degere quasi in temporario tabernaculo, et a Deo conscriptos esse cives cœli, ubi domum æternam et felicissimam obtinebunt. Hæc enim omnia significabat lætissimum Tabernaculorum festum, quo cum ramis palmarum gaudentes Hebræi saltabant et tripudiabant, eo quod ex deserto, ubi per 40 annos in tabernaculis vixerant, a Deo inducti essent in terram promissam Chanaan, in eaque bonis terræ locupletati forent, uti dixi *Levit.*, cap. XXIII, 24. Hinc sequitur Joannem conceptum sub æquinoctium autumnale, natum vero sub solstitium æstivum, post quod decrescunt dies; Christum ex adverso conceptum sub æquinoctium vernum, natum vero sub solstitium hybernum, post quod dies accrescunt; quia, ut aiebat Joannes : « Illum oportet crescere, me autem minui, » uti solerter advertit S. Augustinus, tract. 14 *in Joannem*.

ET OCCULTAVIT SE MENSIBUS QUINQUE, DICENS. — Occultatio hæc signum erat pudoris et verecundiæ : « Partus enim sui erubescebat ætatem, » ait S. Ambrosius, quod scilicet sterilis et anus rei uxoriæ et conjugio vacasset, donec mense sexto, ut sequitur, B. Virginem cognatam suam stante virginitate (quod longe magis erat novum, rarum et mirum) concepisse audivit et vidit; tunc enim in publicum prodiens pudorem deposuit : prius ergo per menses quinque pudoris causa publico abstinuit licet in secreto cordis et cubiculi sui gauderet sibique congratularetur de divino hoc S. Joannis conceptu. Sic Sara sterilis, accepto nuntio nascituri ex se Isaac, *Genes.* XVIII, 12 : « Risit occulte, dicens : Postquam consenui, et dominus meus (Abraham maritus) vetulus est, voluptati operam dabo ? » Nam, ut ait S. Ambrosius : « Senes ab ipsa concluduntur ætate, et justo intemperantiæ pudore revocantur facere opera nuptiarum. » Unde illud :

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

25. QUIA SIC FECIT MIHI DOMINUS IN DIEBUS, QUIBUS RESPEXIT AUFERRE OPPROBRIUM (sterilitatis, quod illo ævo apud Judæos ingens erat probrum, et quasi signum maledictionis Dei) MEUM INTER HOMINES. — « Sic, » scilicet adeo magnifice, stupende et miraculose egit mecum Deus, ut me anum et sterilem tanta prole fœcundaret. Admiratur enim Elisabeth Dei in se beneficentiam, eique toto cordis sinu gratias agit, æque ac fecit B. Virgo mater Christi effecta, concinens, vers. 47 : « Magnificat anima mea Dominum. »

26. IN MENSE AUTEM SEXTO MISSUS EST ANGELUS GABRIEL A DEO IN CIVITATEM GALILÆÆ, CUI NOMEN NAZARETH. — « In mense sexto, » scilicet a conceptione Joannis Baptistæ, postquam mater ejus Elisabeth occultavit se mensibus quinque, ut dixi vers. præced. Sex mensibus ergo junior fuit Christus Joanne Baptista; hic enim, utpote præcursor Christi, illo debebat esse prior et senior. Mensis hic sextus non inchoans, sed finiens, aut potius finitus accipi debet. Nam a die 24 septembris qua conceptus est Joannes, usque ad diem 25 martii qua, misso angelo ad B. Virginem conceptus est Christus, intercedunt sex menses integri. « In mense sexto » ergo, hoc est in fine mensis sexti, vel finito mense sexto.

Annuntiatio igitur hæc Gabrielis, et consequenter Incarnatio Verbi contigit die 25 martii, quo pariter die Christus, post 34 vitæ annos completos, pro salute hominum crucifixus et mortuus est, uti dixi *Matth.* XXVII, 37. Eodem die multi censent mundum a Deo primitus fuisse conditum et creatum, *Genes.* I, ut eodem die creatus sit a Deo, quo postea recreatus et restauratus fuit a Christo in incarnatione et cruce. Unde ab hoc die et hoc mense annos Christi inchoant et numerant Angli, Veneti, Pisani pluresque aliæ nationes (et nuper Franci), teste Covarruvia, libro I *Variar. resol.*, cap. XII, n. 2; et Henriquez, lib. VIII *De Eucharistia*, cap. XI, § 10, littera I; et Joanne Lucido, tract. *De Passione Christi*. Conceptio enim est quasi prima hominis nativitas, juxta illud : « Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est, » *Matthæi* I, 21 (1).

*Christus incarnatus 25 martii eodem die crucifixus est, quo etiam mundus creatus.*

ANGELUS GABRIEL. — Notat S. Hieronymus, in cap. VIII *Danielis*, tres angelos in S. Scriptura nominari ac celebrari, scilicet Michaelem, Raphaelem et Gabrielem, e quibus Michaelem ait præesse precibus et oblationibus fidelium, atque ideirco dicitur Michael, id est, quis ut Deus ? *q. d.* Solius Dei est exaudire preces pœnitentium, eorumque peccatis propitiari, eosque justificare et salvare. *Secundo*, Raphaelem præesse sanitati corporum, ideoque Tobiæ cæco visum restituisse : hinc dicitur Raphael id est medicus, vel medicina Dei. *Tertio*, Gabriel, id est fortis, aut fortitudo Dei; præest præliis ac bellis fidelium, ut patet *Daniel.*, cap. XII, vers. 13 et seq. Unde ipse hic mittitur nuntiaturus Christum, qui bellum acerrimum erat gesturus contra Luciferum cæterosque dæmones et homines impios. Rursum Gabriel dicitur quasi גבר אל *geber el*, id est *vir Deus*, *q. d.* Deus incarnabitur eritque homo puer, quantum ad naturam ac ætatis et corporis progressum, idem tamen erit vir, quia a primo conceptionis instanti anima ejus erit plena omni scientia, gratia, fortitudine, juxta illud *Jerem.* XXXI, 22 : « Femina circumdabit virum. » Porro Toletus, ex SS. Dionysio, Basilio, Gregorio et Damasceno, censet Michaelem esse ex Principatibus, qui a S. Dionysio ponitur primus ordo tertiæ hierarchiæ Angelorum; Gabrielem vero esse ex ordine Archangelorum. Verum verius est Michaelem esse primum inter Seraphinos, Gabrielem vero ei esse proximum et vicinum, uti dixi vers. 19. « Ad hoc quippe ministerium, ait S. Gregorius, hom. 34 *in Evang.*, summum (unum e summis) angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat. »

*Angelorum munia.*

(1) Divini Verbi ἐνσωμάτωσιν, seu incarnationem, factam esse circa diem VIII *kal. april.* anni U. C. DCCXLVII, consequitur ex iis quæ docte disputant tum P. Patritius, op. cit., dissert. XX et XXI; tum Sepp, opere col translato in vers. gall. : *La vie de N.-S. J.-C.*, tom. I, cap. IV.



NAZARETH. — Unde Christus ab ea quasi a patria, in qua conceptus fuit (nam in Bethlehem natus est), cognominatus est Nazarenus, *Matthæi* II, 23. In Nazareth ergo habitabat B. Virgo cum Josepho sponso suo. Porro, domus vel cubiculum ejus, in quo angelo nuntiante Christum concepit, a S. Jacobo aliisque Apostolis consecrata fuit in Ecclesiam, uti refert L. Dexter in *Chronico*, anno Christi 42, et alii. Ibidem post trecentos annos S. Helena elegans templum exædificavit, teste Nicephoro, lib. VIII, cap. XXX. Eamdem visitavit S. Paula, S. Ludovicus cæterique peregrinantes. Vide Tursellinum, in *Histor. Lauret.*, cap. I et seq. Eadem post mille annos e Galilæa et Nazareth ab angelis translata est in Dalmatiam, inde in Italiam, puta Lauretum, ubi etiamnum consistit, et totius orbis concursu pie visitur, adeo ut ipse Erasmus (quem Novantes ut antesignanum sequuntur), in orat. *ad Virginem*, ita Lauretanam Virginem salutet : « Salve, inclyta regum progenies, sacerdotum decus, patriarcharum gloria, cœlitum triumphus, inferorum formido, Christianorum spes et solatium; divinitati proxima es, ne illic nobis desses. Certa est fiducia tua, pronus tuis advolvor pedibus, serva animulam hanc, quæ se tibi quanta est, nuncupat. »

*Cubiculum Deiparæ Lauretum translatum.*

27. AD VIRGINEM DESPONSATAM VIRO, CUI NOMEN ERAT JOSEPH, DE DOMO (id est tribu et familia) DAVID (cui promissus erat Christus quasi filius), ET NOMEN VIRGINIS MARIA. — « Desponsata, » non per solam desponsationem, sed et per verum matrimonium jam contractum, licet usu non consummatum. Vide dicta *Matthæi* I, 18. « Missus est, ait S. Gregorius Thaumaturgus, serm. 3 *De Annuntiat.*, Gabriel, ut dignum purissimo sponso thalamum pararet. Missus est Gabriel, ut inter creaturam et creatorem sponsalia contraheret. Missus est Gabriel ad animatum regis palatium. Missus est Gabriel ad virginem desponsatam quidem Joseph, sed Jesu Filio Dei servatam. Missus est lychnus, qui solem justitiæ indicaret. »

AD VIRGINEM. — Præclare S. Bernardus, serm. 4 *De Assumpt.* : « Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis regali solio, in quo Mariam filius ejus sublimavit. » Et, *serm.* 4 : « Quæ vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti sacrarium fieri, et habitaculum Filii Dei? » Hoc est quod canit Ecclesia :

Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei :
Intacta nesciens virum,
Verbo concepit filium.

MARIA. — Nota : « Maria, » vel, ut Hebr. dicitur, *Miriam*, Græce Μαριάμ, Hebr. idem est, *q. d. mar iam*, id est myrrha, vel amaritudo maris. Hebræi enim tradunt sororem Mosis dictam esse Mariam, eo quod cum ipsa nasceretur, cœpit amara Pharaonis tyrannis mergendi infantes Hebræorum, *Exodi* I. Verum id meliore omine et nutu divino mutatum est in aliam significationem : nam transito mari Rubro, et merso Pharaone, dicta est Maria, quasi *Mara iam*, id est magistra vel domina maris; sicut enim Moses virorum, ita Maria feminarum dux fuit in transitu maris Rubri : unde et eis carmen epinicium præcinuit, *Exodi* XV. Porro, hæc Maria typus fuit, ait S. Ambrosius, *Exhort. ad Virgines*, B. Virginis, quæ dicta est Maria, id est magistra et domina maris hujus sæculi, ut per illud nos salvos ducat in terram promissam, id est in cœlum. Unde R. Haccados apud Galatinum, lib. VII, XIII, Messiæ matrem Dominam nuncupandam prædixit; et Mariam idem esse quod *Dominam* docet Philo, S. Hieronymus, Epiphanius et alii, imo Liturgiæ veterum. Christiani omnes omni lingua B. Virginem, quasi proprio nomine Dominam nostram vocant et compellant. Unde S. Isidorus, lib. VII *Etymol.*, cap. X : « Maria, ait, interpretatur *illuminatrix*, aut *stella maris*; genuit enim lumen mundi. Sermone autem Syro Maria *Domina* nuncupatur : pulchre, quia Dominum genuit. » S. Hieronymus vero, in *Nomin. Hebr.*, *in Exodo* : « Maria, ait, idem est quod *illuminatrix mea*, vel *illuminans eos*, aut *smyrna maris*, vel *stella maris*. » Sic et S. Gregorius Thaumaturgus, serm. *De Annunt.* : « Maria, ait, interpretatur *illuminatio*. » Plura de nomine Mariæ dixi, *Exodi* cap. XV, 20, ac in *Proverb.* et *Canticis*.

Hac de causa Maria fuit plena gratia, ideoque mare gratiarum : quare sicut « omnia flumina intrant in mare, » *Eccles.* I, 7, sic omnes omnino gratiæ quas habuerunt Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, confluxere in Mariam, ait S. Bonaventura in *Specul.*, cap. II. Denique quam nomen Mariæ angelis sit delectabile et dæmonibus terribile, docet S. Brigitta, lib. I *Revel.*, cap. IX.

Addit Pagninus, in *Nomin. Hebr.* : « Maria, inquit, interpretari potest pluvia temporanea (hæc enim Hebraice vocatur *more*) maris, » juxta illud : « Pluviam voluntariam segregabis hæreditati tuæ, » *Psal.* LXVII, vers. 10. Hinc et de Christo præcinuit Psaltes : « Descendet sicut pluvia in vellus, » *Psal.* LXXI, 6. Hoc secreto suo illapsu innuit hic Gabriel.

ET INGRESSUS AD EAM ANGELUS, DIXIT. — « Ingressus, » id est illapsus in clausum Virginis pro adventu Messiæ et salute hominum secreto orantis cubiculum, per fenestram vel per ostium. Angeli enim, cum sint purissimi spiritus, sua subtilitate et efficacitate omnes parietes et omnia corpora penetrant et pervadunt. Ita S. Bernardus, serm. 3 super *Missus est*. Licet Andreas,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

Episcopus Hierosolymitanus, serm. *De Annunt.*, putet angelum clam ostium aperuisse, et modeste Virginem compellasse ac salutasse.

Ave. — Id est salve, gaude, lætare. Verisimile est angelum usum fuisse communi Hebræorum salutatione שלום לך *scalom lach*, id est *pax tibi*, ut habet Syrus, Æthiopicus et Persicus; illa enim Hebræi uti solent cum timorem auferre volunt, et lætum se afferre nuntium significant. Nisi malis cum nostro Serario, in cap. II *Ruth*, *Quæst.* X, « Ave, » vel, ut S. Augustinus, *epist.* 43, scribit *have* esse Hebraice חוה *chavee*, vel *have*, id est *vive*, scilicet sana æque ac sancta, læta et hilaris, felix et beata in Dei gratia et gloria summa, ad quam ipse te elegit, ut alludat ad nomen Evæ, quæ Hebraice dicitur חוה *chauva*, id est vitalis et vivificans, sive mater omnium viventium, *Gen.* III, 20, *q. d.* Eva non fuit *chauva*, id est mater vitæ, sed mortis, quia omnes suos filios per peccatum morti addixit: tu vero, o Maria, vere es Eva sive *chauva*, quia mater vitæ, gratiæ et gloriæ. Hinc apposite Latinum *Ave*, est inversum *Eva*, quia Maria Evæ maledictiones, *Gen.* III, in benedictiones convertit. Unde ei accinit Ecclesia:

> Sumens illud Ave
> Gabrielis ore,
> Funda nos in pace,
> Mutans Evæ nomen.

« Ave, ait S. Gregorius Thaumaturgus, serm. 2 et 3 *De Annunt.*, animatum Dei templum, quia summum toti mundo gaudium paries: eris virginum gloriatio, et matrum jubilatio. » Hinc rursum olim matutina salutatio erat « Ave, » id est vive hodie sanus et lætus; vespertina vero « Vale. » Unde Martialis, *Epigr.* 56, lib. I:

> Et matutinum portat ineptus Ave.

Et lib. IV, *Epigr.* 79:

> Cui non mane feras irrequietus Ave.

Causam dat Andreas Cretensis, orat. *De Annuntiat.*: « Decuit, ait, lætis ut præconiis Gabriel reginam salutaret, quæ et lætitiæ organum et immensi gaudii est genitrix. »

Gratia plena. — Græce κεχαριτωμένη, quod frigide Tigurina et Novantes vertunt, *gratiosa*; Beza, *gratis dilecta*: putat enim ipse justos non habere inhærentem et intrinsecam justitiam, sed tantum extrinsecam, quæ consistat in hoc, quod Deus eos, licet in se sint peccatores, ex sua tamen benevolentia habeat reputetque justos, quæ est hæresis.

Verum κεχαριτωμένη respondet Hebræo נחנה *nechena*, vel מחנה *muchana*, quod proprie idem est quod gratificata, gratia repleta, gratiosa facta; χαριτόω enim idem est quod *gratiosum facio*, gratum, charum reddo, gratia impleo. Deus enim nil gratum judicat, nisi quod in se revera gratum est; quare cum quem justum sibique gratum facit, eum revera justitia et gratia inhærente donat et condecorat: quare κεχαριτωμένη, idem est quod gratia plena, uti vertit Noster, Syrus, Arabicus, Ægyptius, Æthiopicus, Persicus; item S. Ambrosius, Beda, S. Augustinus, *Enchir.* cap. XXXVI; S. Hieronymus, epist. *ad Principiam*; S. Bernardus et alii passim. Significat ergo hæc vox duo: *Primo*, B. Virginem fuisse a Deo gratia donatam, idque plene et per excellentiam super alios justos et sanctos; nam hoc epithetum appropriatur hic soli B. Virgini, ut scilicet per gratiam hanc eminentem aptaretur, dignaque efficeretur, ut mox fieret mater Dei. *Secundo*, per gratiam hanc mire placuisse Deo, ejusque angelis omnibus, ac in eorum oculis plane amabilem, speciosam et gratiosam fuisse, adeo ut eam Christus præ cæteris omnibus in matrem suam eligeret. Ita passim Patres; quod alibi dicit Scriptura: « Invenit gratiam in oculis Domini. »

Dices: Christus fuit plenior gratia quam B. Virgo. Alii quoque Sancti dicuntur pleni fuisse Spiritu Sancto, ut S. Stephanus. B. Virgo quo sensu gratia plena fuerit?

Respondeo eos plenos gratia dici, sed diversimode: nam, ut recte ait Maldonatus, aqua plenus est fons, plenus fluvius, pleni rivuli, etsi plus et purius in fonte, quam in fluvio; in fluvio, quam in rivulis est. Plenus Christus gratia tanquam fons, in quo et scaturit et stagnat gratia, et in omnes homines sicut ex capite in membra derivatur. Plena Christi mater, tanquam fonti proximus fluvius, qui etsi, minus quam fons aquæ habet, pleno tamen fluit alveo. Plenus Stephanus, sed tanquam rivulus.

Eleganter et pie solideque D. Petrus Chrysologus, *serm.* 143 in hæc verba: « Hæc, inquit, est gratia, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit angelus, accepit Virgo, salutem sæculis reddituta. » Idem, *serm.* 146: « Una, inquit, puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat, et impleat illud propheticum: *Ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.* »

Audi S. Augustinum, serm. 18 *De Sanctis*: « Impleta est (Maria) gratia, et Eva vacuata est culpa. Maledictio Evæ in benedictionem mutatur Mariæ. » Vide Toletum hic, annotat. 67, ubi ostendit B. Virginem plenam fuisse omni gratia, tum gratum faciente, tum gratis data, idque tam in corpore quam in anima. Carebat enim fomite concupiscentiæ: quare caro ejus plane subdita erat rationi et spiritui, uti erat in Adamo in paradiso per justitiam originalem. Quocirca addit in ea naturam conspirasse cum gratia, illique per omnia esse cooperatam. Rursum B. Virgin



in singulis et in universis virtutibus eminuisse: sic enim decebat ornari et præparari eam, quæ erat futura mater Dei. Vide etiam quæ de ea dixi passim in *Canticis*, præsertim cap. IV, vers. 7, ad illa: « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. » Et *Eccli.*, cap. XXIV, vers. 5 et 16, in fine.

Quocirca S. Athanasius (vel quisquis est Auctor; videtur enim S. Athanasio fuisse posterior, uti solerter advertit Baronius et Bellarminus, *De Scriptor. ecclesiast.*), hom. *De Deipara*: « Ita, ait, Spiritus Sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem principatus divini adsunt, imbuens eam in gratia, ut in omnibus gratiosa esset, atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratiis abundaret. » Accedit Hieronymus, serm. *De Assump. B. Virginis*: « Bene, inquit, plena, quia cæteris per partes præstatur; Mariæ vero se tota infundit plenitudo gratiæ. » Et paulo inferius: « In Mariam totius gratiæ plenitudo quæ in Christo est, venit, quamvis aliter, quia etiamsi in sanctis Patribus et Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena. »

Porro, ita B. Virgo plena fuit gratia, ut ei cooperando strenue et assidue ea augeri pleniorque fieri mereretur: licet enim esset plena quoad præsentem capacitatem, ut haberet tantum gratiæ, quantum capere poterat; tamen huic gratiæ assidue et strenue per actus ferventes cooperans, novum sibi parabat meritum, ac proinde novam capacitatem et dispositionem ad novam gratiam consequendam, idque assidue, ut dixi. Vide Franciscum Suarez, III *part.*, disp. XVIII, sect. 4, ubi ostendit gratiam B. Virginis in primo conceptionis ejus instanti fuisse majorem gratia quam habuit supremus angelus, qui uno actu vel duobus omnia sua merita consummavit; eoque plus meruit quam mille et mille homines mereantur per totam vitam: quare B. Virgo primo hoc instanti amans laudansque Deum intensissime superavit amorem, et consequenter meritum supremi angeli. Secundo operationis et amoris sui instanti, gratiæ augmento quod primo instanti merita erat et reipsa acceperat, gradus amoris et consequenter meriti duplicavit. Tertio vero instanti, eosdem duplicando, meritum cum gratia quadruplicavit. Quarto instanti, pari quadruplicationis duplicatione et progressu, idem octuplicavit, et ita consequenter per singula amoris et operationis instantia gratiam acceptam continue duplicando usque ad annum ætatis 72, quo mortua est, adeo gradus gratiæ et meriti adauxit, ut in iis omnes omnino homines et angelos simul sumptos superarit. Quare illa unica gratior est Deo, quam cæteri omnes. Deus ergo plus amat solam B. Virginem, quam totam Ecclesiam, id est quam omnes homines et angelos simul sumptos. Hæc Suarez. Vide S. Brigidæ *Revelationes*, lib. I, cap. X, ubi B. Virgo ei narrat suos in virtute et amore Dei progressus, ac annuntiationem per angelum sibi factam, asseritque se in eadem ineffabili lætitia fuisse perfusam, eaque continua; sed semper lætitiam habuisse dolore permixtam. Audi eamdem, lib. IV *Revel.*, cap. CVIII: « Tres Sancti sunt, qui mihi præ cæteris placuerunt, scilicet Maria mater mea, Joannes Baptista, et Maria Magdalena. Mater igitur mea, quando et postquam nata fuit, sic erat pulchra, quod nulla erat in ea macula; quod bene cognoscentes dæmones sic ægre tulerunt per similitudinem loquendo, quasi quod quædam vox dæmonum tunc sonuisset de inferno dicens: Una virgo tam virtuose et mirabiliter procedit, quod omnes superat in terra et in cœlo, et perveniet usque ad sedem Dei. »

Denique vide novem plenitudines gratiæ B. Virgini proprias, quas recenset Rutilius Benzonius, lib II super *Magnificat*, cap. XXVI, dubio 7.

Dominus tecum. — Subaudi *est*, potius quam *sit*. Dat causam cur gratia sit plena: quia scilicet Dominus cum ea est eique assistit et præsto est singulari modo, ut in ea singulare Incarnationis Verbi opus operetur. Unde S. Augustinus, serm. 18 *De Sanctis*: « Tecum Dominus, est, in mente, tecum in auxilio, tecum in ventre. » Et S. Bernardus, serm. 3 super *Missus est*: « Quid mirum, inquit, si gratia plena erat, cum qua Dominus erat? sed potius hoc mirandum quomodo qui angelum miserat ad Virginem, ab angelo inventus est esse cum Virgine. Itane velocior angelo fuit Deus, ut festinantem nuntium celerior ipse præveniret ad terras? Nec mirum. Nam cum esset Rex in accubitu suo, nardus Virginis dedit odorem suum, et ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromatum, et invenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus qui circumstabant: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris? » Et inferius docet Deum esse in omnibus creaturis per efficaciam: in rationalibus per cognitionem, in bonis per amorem, ideoque cum iis esse per voluntatis concordiam; per hanc enim ipsi Deum sibi jungunt. Subdit deinde: « Sed cum ita sit cum omnibus Sanctis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac si de sua Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret: qui, etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, et totus Virginis esset, nec duo filii, sed unus utriusque Filius. » Deinde docet cum B. Virgine fuisse Dominum, id est totam S. Trinitatem. Unde ait: « Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis, sed et Dominus Spiritus Sanctus, de quo concipis, et Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum facit et tuum. Filius tecum, qui ad condendum

in te mirabile sacramentum, miro modo et sibi reserat genitale secretum, et tibi servat virginale signaculum. Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum. »

Denique S. Brigida, lib. I *Revel.*, cap. VIII, audivit B. Virginem sibi dicentem : « Omnis laus Filii laus mea est; et qui inhonorat eum, inhonorat me, quia sic ferventer dilexi eum, et ipse me, quod quasi unum cor ambo fuimus. » Quocirca ipsam quasi reginam dominari in cœlo, mundo, purgatorio et inferno, docet eadem S. Brigida in *Sermone Angelico*, cap. XX. Eadem, lib. III, cap. XXIX, alloquens B. Virginem : « Tu, inquit, assimilaris templo Salomonis, in quo verus Salomon spatiabatur, et sedit qui fecit inter Deum et homines pacem. Benedicta igitur sis, B. Virgo, in qua Deus magnus factus est puer parvus, antiquissimus Dominus factus est pusillus filius, sempiternus Deus et Creator invisibilis factus est visibilis creatura. » Respondet B. Virgo : « Cur me comparas Salomoni ejusque templo, cum sim mater illius qui non habet principium, nec finem? Nam Filius Dei qui est filius meus, est sacerdos et Rex regum. Denique in templo meo induit se vestibus sacerdotalibus spiritualiter, in quibus obtulit sacrificium pro mundo.

Simili modo Deus ait, *Josue* I, 5 : « Sicut fui cum Mose, ita ero tecum. » Et angelus ad Gedeonem : « Dominus tecum, virorum fortissime, » *Judic.* VI, 12. Rursum Deus ad Jeremiam, cap. I, 8 : « Ego, inquit, tecum sum. » Et ad Paulum : « Ego sum tecum, » *Actor.* XVIII, 10; sed tanto excellentius fuit cum B. Virgine, quanto sublimius, potentius et divinius in ea mysterium operatus est.

Porro S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XXX, art. 4, τὸ « Dominus tecum, » exponit per conceptionem et incarnationem Verbi, intellige mox faciendam, non autem jam factam, uti ostendam vers. 38. Simili modo quo S. Thomas, loquuntur S. Petrus Alexandrinus [illegible] Concilio Chalcedonensi, action. I; S. Augustinus, *serm.* 2; B. Petrus Damianus, serm. I *De Nativ. Virg.*; S. Hieronymus, epist. 140 *ad Principiam*; sed hi pariter exponendi sunt per futurum, non per præsens, vel præteritum.

Benedicta tu in mulieribus. — Idem dictum fuit Jahel, quæ occidit Sisaram, *Judic.* V, 24; et Judith., XVI, 11. Sed longe excellentius idipsum hic dicitur B. Virgini, quæ Jahelem, Judith cæterasque virgines et matronas mille benedictionibus, donis et gratiis superavit; *q. d.* Tu, o Maria, sola omnium mulierum es benedicta singulariter, quia uti virgo es, sic eris et mater; ac sicut sine libidine concipies, sic et sine dolore paries unigenitum Dei Filium, cum cæteræ mulieres posteræ Evæ cum libidine concipiant, et cum dolore pariant misellos infantes, aut certe steriles sint.

Audi S. Augustinum, serm. 18 *De Sanctis* : « Benedicta tu in mulieribus, quæ vitam et viris et mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percussit, ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur. » Reipsa ergo hic angelus B. Virginem salutat laudatque iisdem elogiis quibus Joachim pontifex cum toto populo salutavit Judith redeuntem a cæde Holofernis, cap. XV, 10 : « Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, etc., ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum. » Audi et B. Petrum Chrysologum, *serm.* 143 in hæc verba : « Vere benedicta, quæ fuit major cœlo, fortior terra, orbe latior. Nam Deum quem mundus non capit, sola cepit. Portavit eum qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutrivit omnium viventium nutritorem. Fuit olim Patriarcharum benedictio in pinguedine terræ. Ecce terra nostra dedit fructum suum. » Et Andreas Hierosolymitanus in hæc eadem verba : « Vere, inquit, benedicta tu, quam Ezechiel verum solis ortum proclamavit. Sola vere benedicta es, quam montem magnum vir ille desiderabilis Daniel vidit, ac montem obumbrantem Habacuc ille admirabilis; montem præterea Dei, montem pinguem, montem quem Deo inhabitare placuit. Benedicta tu, quam Zacharias vir divinissimus, aureum candelabrum septem vidit lychnis ornatum, nimirum illis septem Spiritus Sancti donis clarum ac lucidum. Vere benedicta tu, vividi nostri ligni paradisus, quæ ipsum horti Eden colonum, Christum, inquam, Dominum infra te habes, figuris adumbratum, qui ineffabili quadam potentia fluminis instar vivi parvum uterum tuum egressus quatuor velut initiis per Evangelium suum orbis faciem irrigavit. »

In mulieribus. — Ut significet B. Virgini inesse quidquid est optimum in triplici mulierum statu. Hæ enim virgines sunt, viduæ, aut matrimonio conjunctæ. In virginitate integritas laudatur, sterilitas non item. In viduis libertas animi commendatur, non solitudo, cum scriptum sit *Eccle.* IV : « Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se, » etc. In conjugio prolis educatio in bonis censetur, virginitatis jactura non item. Sola B. Virgo præ cunctis mulieribus virginitatem habuit sine sterilitate; animi libertatem sine defectu consortii, cum vere fuerit Joseph desponsata; et quod his majus est, absque violatione virginei pudoris, prolis fœcunditatem. Itaque e triplici statu feminarum, quidquid boni est, adscivit; quidquid mali, repulit. Unde merito angelus præ cunctis mulieribus eam prædicat benedictam.

29. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. — Græce [illegible], id est cum vidisset; et ita legunt



S. Ambrosius (qui et pro « in sermone ejus, » legit, *in introitu ejus*), Theophylactus, Euthymius; unde colligitur B. Virginem turbatam esse, *primo*, ex insolita specie, fulgore et majestate angeli; *secundo*, ex insolita ejus salutatione, unde « cogitabat qualis esset ista salutatio. » Audi S. Ambrosium, lib. I *Offic.*, cap. VIII : « Ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis. » Similiter S. Hieronymus, epist. 7, quæ est *ad Lætam* : « Imitetur, ait, Mariam, quam Gabriel solam in cubiculo suo reperit, et ideo forsitan timore perterrita est, quia virum quem non solebat, aspexit. »

Licet enim B. Virgo assueta esset visionibus et colloquiis angelorum, nunquam tamen viderat angelum cum tanta majestate, nec audierat tam magnifice se salutantem. Porro, S. Brigida in *Sermone Angelico*, cap. XVI, insinuat eam expavisse, quod metueret ne tam gloriose salutans non angelus esset, sed diabolus volens sibi illudere. Porro S. Bernardus, serm. 3 super *Missus est* : « Turbata est, ait, sed non perturbata : quod turbata est, verecundiæ fuit; quod non perturbata, fortitudinis; quod tacuit et cogitavit, prudentiæ. »

Turbata est. — Id est, timuit et sacro quodam horrore perfusa est, cum quadam corporis commotione, quæ solet magnum animi timorem et horrorem comitari. Porro, hæc timoris turbatio non passio fuit, sed propassio, scilicet voluntarie a B. Virgine permissa et assumpta. Nullæ enim passiones in B. Virgine dominari, imo nec insurgere poterant, aut ejus rationem et libertatem prævenire. Pollebat enim justitia originali magis quam Adam. Ita Toletus. Simili modo Christus, instante passione, orans in horto cœpit pavere et tædere, scilicet libere, non invite, vel coacte.

Qualis. — In se; id est quam magnifica, augusta, superans omnium hominum vires et merita ac proinde et sua. Ipsa enim, utpote humillima, longe diversa, imo contraria de se opinabatur. Cogitabat enim intra se : Ego mihi videor indigna omni gratia, quomodo ergo angelus me vocat « gratia plenam? » ego paupercula cum pauperibus virginibus dego et conversor, quomodo ergo angelus mihi insonat : « Dominus tecum? » Ego æstimo me feminarum omnium minimam et vilissimam, quomodo ergo angelus mihi ait : « Benedicta tu inter mulieres? »

Rursum « qualis, » scilicet in suo fine, *q. d.* Cogitabat B. Virgo quo fine, et quorsum tam honorifice salutaretur ab angelo. Tam magnifica enim angelica salutatio dirigebatur ad magnificum Incarnationis in ipsa peragendæ mysterium, ne scilicet ipsa, æstimans se illo indignam, esse excusaret et abnueret, sed sciens Deum se sufficientibus ad illud gratiis donisque adornasse, in illud consentiret et annueret, itaque, illa annuente, Verbum ex ejus purissimis sanguinibus carnem sibi assumeret. Cum ergo ipsa nesciret hunc finem, cogitabat et mirabatur cur tam splendide salutaretur ab angelo. Nil tamen respondit, quia, ut ait S. Ambrosius, lib. I *Offic.*, « præ verecundia non resalutavit, nec ullum responsum retulit, » quia pudor et stupor mentem absorbebant linguamque ligabant, et quia prudenter cogitabat quid esset responsura.

Audi S. Ambrosium : « Disce virginem a verecundia, quia pavebat; nam sequitur : Quæ cum audisset, etc. Trepidare virginum est, et ad omnes ingressus viri pavere, omnes viri affatus vereri. Disce, virgo, verborum vitare lasciviam. Maria etiam salutationem angeli verebatur. » Et Græcum Scholiasten, in *Catena* S. Thomæ : « Cum assueta foret his visionibus, inquit, Evangelista non visioni, sed relatibus turbationem attribuit, dicens : Turbata est in sermonibus ejus. Attende autem Virginis et pudicam et prudentem et animam simul et vocem. Audita lætitia dictum examinavit, et neque manifeste obstitit per incredulitatem, nec statim paret ex levitate, Evæ levitatem evitans simul et duritiam Zachariæ : » « Malens nimirum, ait S. Bernardus, hom. 4 super *Missus est*, humiliter non respondere, quam temere loqui quod nesciret. »

30. Et ait angelus ei : Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. — Pavorem indeque nascentem pudorem Virginis abstergit angelus per gratiam, id est favorem et benevolentiam quam ait eam invenisse in oculis Dei præ omnibus mulieribus : *primo*, quod eam ab æterno Deus præ cæteris omnibus, sine merito, ex gratuita dilectione elegerit in matrem suam, ex qua carnem assumeret; *secundo*, quod in tempore mox ut concepta et nata fuit, illam omni virtute et gratia ita exornarit, ut in conspectu ejus plane grata dignaque appareat, quæ ab eo ametur et super omnes evehatur; *q. d.* Noli, o Maria, mirari, pavere et stupere tam insolitos honoris titulos, quibus te salutavi, quia, licet in oculis tuis parva et humilis, te ex teipsa illos non mereri agnoscas; Deus tamen qui humiles exaltat, iisdem gratis te ornavit et exaltavit. S. Brigida, in *Serm. Angelico*, cap. V, scribit, Deo, cum crearet magnum hunc mundum, astitisse minorem mundum, scilicet B. Virginem, « a quo major gloria Deo, et angelis major lætitia, atque omni homini ejus bonitate frui volenti major utilitas, quam de hoc majori mundo provenire debebat. » Et ibidem, cap. XII, asserit B. Virginem quasi sponsam [illegible] placuisse Deo Patri per angelicam virginitatem; Filio, per profundissimam humilitatem qua eum ad [illegible] viscera attraxit; Spiritui Sancto, per [illegible] mam obedientiam, ob quam ab eo omnium gratiarum donis repleta fuit.

« Invenisti » (Arabicus, [illegible]) [illegible] Deum gratiam ob virtutes in eximio [illegible] a Deo infusas, easque omnes [illegible] sertim tres. Prima est profu[illegible]

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

litas. Unde S. Bernardus, hom. 3 super *Missus est*: « O si scires, ait, quantum tua humilitas Altissimo placeat, quanta te apud ipsum sublimitas maneat, angelico te indignam nec alloquio judicares, nec obsequio. » Hinc disce quanta fuerit humilitas Virginis, quæ ab Altissimo adeo meruit exaltari.

Secunda fuit angelica virginitas : hæc enim Deum, qui purissimus est spiritus, et virgo increatus, velut rhinocerotem in sinum suum rapuit. Unde Venantius Fortunatus de ea sic canit :

> Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis,
> Quæ meruit Dominum progenerare suum.

Et Basilius, hom. *De humana Christi generatione* : « Virginitas, ait, ut apta proximaque sanctitati electa est. » Audi S. Bernardum, serm. *in Nativitate B. Mariæ* : « Ne timeas, Maria, ne mireris angelum venientem, et major angelo venit. Ne mireris angelum Domini; et Dominus angeli secum. Postremo quidni videas angelum, cum jam angelice vivas? Quidni visitet angelus vitæ sociam? Quidni salutet civem Sanctorum et domesticam Dei? Angelica plane vita virginitas, et qui non nubent neque nubentur, erunt sicut angeli Dei. »

Tertia fuit ardentissima charitas, qua B. Virgo sollicita pro redemptione hominum et adventu Messiæ, assiduas et ferventes pro utroque preces fundebat, ac utrumque ideo impetravit, adeoque ipsa mater Messiæ fieri meruit, non ex condigno, sed ex congruo. Ita S. Bernardus, hom. 3 super *Missus est*. « Invenisti, ait, quod quærebas. Invenisti quod nemo ante te potuit invenire. Invenisti gratiam apud Deum; quam gratiam? Dei et hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. » Sic Scholastici passim docent B. Virginem meruisse maternitatem Dei. Vide Suarez et Vasquez, III *part.*, *Quæst.* II, disp. II, num. 2 et seq.; qui docent B. Virginem de congruo, non de condigno meruisse ut fieret mater Dei, non tamen meruisse ipsam Verbi incarnationem; hæc enim omne meritum antecedit, ejusque est causa, principium et origo.

31. ECCE CONCIPIES IN UTERO (Arabicus, *recipies gravidationem*) ET PARIES FILIUM, ET VOCABIS NOMEN EJUS JESUM. — Syrus, *ecce enim*. Probat enim angelus Mariam invenisse gratiam apud Deum ex eo quod conceptura et paritura sit Jesum, id est Deum et hominem. Alludit, imo citat oraculum Isaiæ, VII, 14; *q. d.* Tu es illa hominum felicissima, de qua, ante 700 annos, Isaias stupens et exultans vaticinatus est : « Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » Vide ibi dicta et *Matth.* I, 23, ubi et de nomine Jesu, id est Salvatoris, multa dixi.

Hinc refellitur *primo*, Manichæus, dicens Christum non veram assumpsisse ex Virgine carnem, sed phantasticam; filius enim qui concipitur in utero et paritur, verus est, non phantasticus. *Secundo*, Valentinus, docens Christum e cœlo attulisse carnem, ac per B. Virginem transisse duntaxat, sicut aqua transit per canalem. *Tertio*, Nestorius, asserens B. Virginem non esse matrem Dei, eo quod non sit mater divinitatis; cui recte respondet S. Cyrillus, illam esse vere matrem Dei, etsi ejus divinitatem non genuerit, sed humanitatem duntaxat, quia genuit hunc hominem, scilicet Jesum, qui vere est Deus, sicut pater vere dicitur pater filii sui, esto non generet ejus animam, sed tantum carnem; quia generat hunc hominem, qui anima æque ac carne constat.

32. HIC ERIT MAGNUS, ET FILIUS ALTISSIMI VOCABITUR. — « Magnus » tum qua Deus, tum qua homo, quia « qui magnus Deus erat, magnus homo futurus est, magnus doctor, magnus Propheta, imo Messias, mundi salvator, etc., qui Filius Altissimi merebitur appellari, plane magnus, qui tam magnus quam altissimus, quia et ipse Altissimus, » ait S. Bernardus, serm 3 super *Missus est*. Joannes Baptista fuit magnus homo duntaxat; at Jesus fuit magnus Deus et homo : nam, ut ait S. Gregorius, « neque carnis assumptio Deitatis derogat celsitudini, imo potius humanitatis humilitas sublimatur. Unde sequitur : Et Filius Altissimi vocabitur, » id est revera erit per unionem hypostaticam, ut jure Filius Dei vocari possit et debeat. Est metonymia, qua res dicitur talis vocanda, quia talis erit (1).

Addit S. Bernardus, *hom.* 3 jam citata : « Erit enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conspectu regum; adeo ut adorent eum omnes reges, et omnes gentes serviant ei. »

33. ET DABIT ILLI DOMINUS DEUS SEDEM DAVID PATRIS EJUS.

ET REGNABIT IN DOMO JACOB IN ÆTERNUM, ET REGNI EJUS NON ERIT FINIS. — Alludit, imo citat Isaiam, cap. VI, vers. 6 et 7, *q. d.* In filio ex te nascituro, o Maria, puta in Jesu, adimplebitur Isaiæ cæterorumque Prophetarum prophetia, de regno Davidis patris ejus illi in perpetuum consignando. Isaias enim sic de eo prophetavit : « Factus est principatus super humerum ejus, etc., multiplicabitur ejus imperium, et pacis (regni ejus pacifici) non erit finis : super solium David, et super regnum ejus sedebit. » Vide ibi dicta.

ET REGNABIT IN DOMO JACOB. — Id est in Ecclesia, ait Beda, Titus et alii passim, sive in populo fideli, qui olim nascente Christo erat populus Israel, seu filii et posteri Jacob, puta Ecclesia.

(1) Verbum *vocari* hic idem valet ac *esse*, et plura profecto in Scripturis reperias vaticinia quibus vel populus, vel urbs, vel homo aliquis prædicitur certo quodam nomine vocandus esse, quo tamen nomine quum minime vocatus fuerit, manifestum est prophetas nil aliud voluisse nisi prænuntiare aliquem talem futurum, qualem nominis significatio prodebat. Ita Grotius, et Kuinoel, qui sic ait : « καλεῖσθαι sæpius poni solere pro εἶναι, translatitium est. »



Hoc regnum in Davide temporale fuit, sed in Christo spirituale et æternum; nam eo Christus in fidelibus et sanctis regnat hic per gratiam, et in cœlo regnabit per gloriam, ait S. Bernardus, serm. 4 super *Missus est*. Porro, hoc regnum Deus Christo dedit quasi in actu primo in ipsa Christi incarnatione, in actu secundo vero hoc regnum cœpit Christo prædicante, deinde promotum fuit per prædicationem Apostolorum; perfectum vero extitit post Christi resurrectionem et ascensionem; consummatum omnino et gloriosum erit post judicium generale in cœlo. Vide quæ de hoc Christi regno dixi *Matth.* XXVII, 11.

Tropologice : S. Bernardus, hom. 4 super *Missus est* : « Veni, ait, Domine Jesu, aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu, qui debeas, in ea. Venit enim avaritia, et vindicat in me sibi sedem, jactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse rex, luxuria dicit : Ego regnabo; ambitio, detractio, invidia et iracundia certant in meipso, cujus potissimum esse videar, etc. Et dico : Non habeo regem nisi Dominum Jesum. Veni ergo, Domine, disperge illos in virtute tua; regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob. »

34. DIXIT AUTEM MARIA AD ANGELUM : QUOMODO FIET ISTUD, QUONIAM VIRUM NON COGNOSCO? — « Quomodo? » Virgo ergo non dubitat de veritate prophetiæ et promissi angelici, uti blasphemat Calvinus, qui eam incredulam fingit; sed de modo sollicita, ne hic filii conceptus et partus fieret cum aliqua virginitatis et voti sui de ea emissi jactura. Ita S. Ambrosius, Theophylactus, Beda, S. Bernardus et passim alii hic; S. Augustinus, *De S. Virginit.*, cap. IV.

Disce hic quantum virginitatis studium et amor fuerit in B. Virgine, quia ipsa castitatem prætulit angelico nuntio, ait Nyssenus, ac virgo esse maluit quam mater Dei præcise, ait S. Anselmus. Virginitas enim in se est virtus Deo gratissima, maternitas præcise non est. Ita S. Gregorius Nyssenus, orat. *De Nativitate Christi* : « Audi, inquit, pudicam Virginis vocem. Angelus partum nuntiat : at illa virginitati inhæret, et integritatem angelicæ demonstrationi (Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum) anteponendam judicat. » Et post nonnulla : « Verum quia carnem Deo consecratam, tanquam sanctum aliquod oblatum munus oportebat intactam integramque præstare, idcirco licet, inquit, angelus sis, licet e cœlo venias, licet id quod ostenditur naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. Quomodo sine viro mater ero? Joseph enim sponsum novi; sed virum non cognosco. » Dixi præcise : nam alioqui maternitas Dei est dignitas incomprehensibilis (sicut et Deus ipse est incomprehensibilis) et abyssus gratiarum omnium. Ob hanc enim B. Virgo dotata fuit plusquam angelica virginitate, humilitate, charitate cæterisque virtutibus, uti scilicet digna foret quæ fieret Dei mater. Ita S. Augustinus, S. Thomas et passim Theologi superius citati.

Quocirca Beda, hom. *De Annunt. Virginis*, ait : « Divino munere collatum est, ut prima inter feminas Deo virginitatis munus offerret. » Et Albertus Magnus, super *Missus est*, cap. LXXXII : « B. Virgo, ait, est mater omnium in virginitate, quæ prima sine præcepto, consilio vel exemplo, virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit. » Ergo B. Virgo virginitatis votique de ea facti studiosissima hoc proponit et quasi opponit angelo. Certabat enim in ea desiderium concipiendi Filii Dei cum timore amittendi virginitatem, ideoque obtinuit utrumque, ait Toletus, qui c. *Ann.* X. 96 sex affert causas cur B. Virgo semper, etiam post partum, virgo permanserit. Sensus ergo est, *q. d.* Ego plane credo promissis tuis, o Gabriel, quæ mihi annuntias ex ore Dei. Certo ego credo quod concipiam et pariam Jesum Filium Dei, sed dubito de modo. « Virum non cognosco; » quia feci votum virginitatis. Dubito ergo an salvo voto, an soluto id fiet; si Deus velit in voto hoc dispensare velitque me operi conjugali operam dare, etsi mihi hoc durum sit, volenti tamen Deo obediam; verum si Deus meum desiderium requirat, candide profiteor me summe optare servare meam virginitatem ipsi voto oblatam; hanc enim mentem ipse mihi inspiravit, ipse, inquam, qui est purissimus spiritus, ideoque primus virgo, ut ait Nazianzenus in Carm. *De Virg.*, et hoc erit honorificum Jesu filio meo, si ex virgine nascatur. Scio enim Isaiam prædixisse : « Ecce virgo concipiet et pariet » Emmanuelem; ac forte Deus vult me esse hanc virginem. Si ita est, fiat, fiat. Unde ipsa mox audiens a Gabriele se concepturam, non ex viro sed ex Spiritu Sancto, illico magno cordis jubilo applausit, aitque : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » Et hoc audire volebat Deus, scilicet ut ipsa per professionem virginitatis mereretur fieri mater Dei.

QUONIAM VIRUM NON COGNOSCO. — *q. d.* Josephum virum habeo, sed non cognosco, id est cognoscere non soleo, cognoscere nequeo, ob votum virginitatis, quod Deo nuncupavi. Sic abstemii dicunt, vinum non bibo, id est bibere nequeo, vinum abhorreo. Non enim justa excusationis vel hæsitationis in Virgine causa alia hic afferri aut fingi potest, quam moralis impotentia ex voto, quod B. Virginem emisisse ante annuntiationem Angelicam docent S. Augustinus, Nyssenus, Beda, Bernardus, Anselmus, Rupertus, quos citat noster Canisius, lib. II *Marialis*, cap. XIV. Unde Nyssenus : « Josephum, ait, sponsum quidem novi, virum autem non cognosco. » Quod profecto, ait S. Augustinus, non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset; sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant desponsata est

viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro quod illa jam voverat. » Hucusque Augustinus. Nam, ut ait Nyssenus, « Deo dicatam et consecratam carnem, velut sanctum quoddam donarium, intactam conservari oportebat. »

Ex citatis S. Augustini verbis liquet B. Virginem non tantum ante annuntiationem angeli, sed ante desponsationem quoque, puta antequam ipsa desponderetur Josepho, emisisse votum virginitatis. Hoc enim decebat illam quæ futura erat mater Dei. Ipsa ergo Josepho votum suum declaravit, ac Josephus in voti observationem consensit, eamque promisit antequam ei nuberet. Unde B. Virgo jam certa de custodia virginitatis votique sui, Josepho nupsit. Essentia enim matrimonii consistit in potestate mutua corporum viri et uxoris, non autem in ejus usu, ut vult Calvinus. Vide dicta *Matth.* I, 18. Porro Rupertus, *Cantic.* III, censet B. Virginem primam omnium virginitatis votum Deo vovisse. Sic et Abulensis in *Exod.*, cap. XXXV, in fine cap. : « Viros aliquos, inquit, ut Eliam, Jeremiam, Eliseum et Essenos virginitatem coluisse concedimus, etc., primam autem virginitatis votum fecisse Deiparam certissime novimus. Ipsa ergo admirandæ virginitatis vexillum extulit, ut reliquarum omnium virginum exemplar illustrissimum, mater, princeps atque dux appellctur. »

Vers. 35. XXXV. ET RESPONDENS ANGELUS DIXIT EI : SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE, ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TIBI : IDEOQUE ET QUOD NASCETUR EX TE SANCTUM, VOCABITUR FILIUS DEI.

SPIRITUS SANCTUS. — Nota *primo*, incarnatio terminata est ad solam Verbi, sive Filii Dei, personam ; hic enim solus incarnatus est, et homo factus, non Pater, non Spiritus Sanctus. Hanc tamen incarnationem efficienter operata est tota S. Trinitas, non solus Filius ; quia opera ad extra toti Trinitati sunt communia, ut aiunt Theologi. Audi Concilium Toletanum XVI : « Cum Spiritum Sanctum superventurum in ea dicit, et virtutem Altissimi, qui est Dei Patris Filius, obumbraturam eam præmonuit, ejusdem Filii carni totam Trinitatem cooperatricem esse monstravit. » Appropriatur tamen hoc opus incarnationis Spiritui Sancto : *primo*, quia hoc opus fuit sanctissimum ; *secundo*, quia opera nostræ redemptionis et summæ bonitatis Dei appropriantur Spiritui Sancto, eo quod ipse procedat ut amor notionalis Patris et Filii, sicut sapientia appropriatur Filio quasi Verbo, omnipotentia Patri quasi principio et fonti. Ita S. Augustinus, cap. XL *Enchir.* Porro, Spiritus Sanctus fuit opifex humanitatis Christi, quia eam efformavit, organizavit, disposuit et animavit ; at ejus pater dici nequit, quia ex sua substantia nihil ei contulit aut communicavit, uti docet S. Augustinus, *Enchir.* cap. XXVIII.

Cur opus incarnationis Spiritui S. tribuatur?

Porro, virginem Dei virtute posse concipere et parere demonstrat S. Cyrillus, *Catechesi* 12, ac primo Gentiles his rationibus revincit : « Qui, inquit, dicitis projectos lapides in homines mutari, quomodo virginem parere posse negatis? Qui ex Jovis cerebro natam filiam fabulamini, quomodo ex utero virginali nasci aliquem impossibile dicitis esse? Qui de femore vestri Jovis prognatum falso esse dicitis Bacchum, cur nostram veritatem rejicitis? » Judæos vero his rationibus constringit : « Sterilis erat Sara, et deficientibus jam muliebribus præter naturam peperit ; aut utrumque nega, aut utrumque concede. Idem enim Deus utrumque operatus est. » Addit : « Deus qui virgam aridam Mosis in vivum animal, puta in serpentem, convertit, cur non possit ex viva virgine vivum hominem producere? Deus ex viro, scilicet Adamo virgine, formavit virginem feminam, scilicet Evam, cur pariter non possit ex femina virgine formare virum virginem? Eva ex solo viro genita est. « Reddidit igitur Maria gratiæ hujus mutuum officium, et non ex viro, sed ex ipsa sola, impollute ex Spiritu Sancto, virtuteque Dei peperit. » Denique Deus Adamum vivum ex sicco pulvere formavit ; cur non possit ex viva virgine virum efformare? plus enim est virgo quam pulvis.

Virgo virtute divina parere potest.

SUPERVENIET (Arabicus, *descendet*) IN TE. — ad hoc, ut Christi conceptio et Christus ipse sanctus sit, non tantum ex vi unionis hypostaticæ cum Verbo ; sed etiam ex vi talis et tam divinæ conceptionis, quod scilicet conceptus sit non ex homine vel angelo, sed ex Spiritu Sancto. Quare Christus ex vi hujus conceptionis non erat filius Adæ, ut ex eo peccatum originale contraheret, et nasceretur peccator, uti nos omnes nascimur, sed erat purissimus et sanctissimus.

Sex alias causas cur Christus conceptus sit ex Spiritu Sancto, affert Toletus, *Annot.* 93, inter quas præcipua est Origenis et Maximi, hom. 3 *De Nativit.*, quod scilicet deceret Deum novo modo concipi, nimirum ex virgine inoperante Spiritu Sancto. Cum enim Christus, qui concipiebatur, Deus esset et homo, conveniens erat ut utrumque in conceptione innotesceret : conceptio enim ipsa hominem esse declarabat ; non enim conciperetur nisi homo esset : ac conceptionis modus ostendit esse etiam Deum ; concipi enim de virgine sine viro, indicabat qui concipiebatur plus esse quam hominem.

Hinc Tertullianus, lib. *De Carne Christi*, ait decuisse prorsus ut Dei Filius novæ nativitatis dedicator nova de Virgine nasceretur. Sophronius vero, serm. *De Assumpt.*, asserit Christum sponsum virginum idcirco matrem virginem elegisse, ut ipsa omnibus esset exemplum castitatis, in qua velut in speculo refulget forma virtutis.

Mystice : S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* 12 : Dominus, ait, de virgine nasci voluit, ut significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura.



Aliam causam dat Lactantius, scilicet ut Christus, qui in cœlo est ἀμήτωρ, id est carens matre, in terra sit ἀπάτωρ, id est carens patre. Sed prima causa est præcipua, ut scilicet Christus sine peccato originali purus sanctusque nasceretur, utpote filius Virginis, non Adæ, quam dat S. Augustinus, lib. I *De Nuptiis et Concup.*, cap. XII. Unde docte colligit S. Anselmus, lib. *De Concep. Virgin.*, cap. XI, quod si quis homo ex sola femina, sine opera viri per miraculum nasceretur, non contraheret peccatum originale, ex eo quod non sit filius Adæ, nec ab eo per vim seminalem procedat. Denique S. Bernardus, serm. 2 super *Missus est* : « Deum, inquit, hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de virgine nasceretur. Talis congruebat virgini partus, ut non pareret nisi Deum. »

Quocirca Proclus, patriarcha Constantinopolitanus, S. Cyrillo coævus, in hom. *De Nativitate Christi* : « Maria, inquit, est spiritalis Adami paradisus, Maria unitarum inter se naturarum officina, Maria salutaris reconciliationis panegyris, Maria thalamus, in quo Verbum humanam carnem sibi desponsavit, Maria animatus naturæ rubus, quem divini partus ignis non combussit. » Et post nonnulla : « Maria ancilla et mater, Virgo et cœlum. Hæc sola pons est per quem Deus ad hominem descendit. Hæc admiranda illius œconomiæ tela, ex qua et in qua ineffabili quodam modo, admirabilis illius unionis tunica confecta, cujus quidem textor exstitit Spiritus Sanctus ; netrix, virtus ex alto obumbrans ; lana, vetusta pilosaque Adami pellis ; trama, impolluta Virginis caro ; radius textoris, immensa gestantis gratia ; artifex, verbum per auditum illapsum. »

ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TIBI. — « Virtus, » id est fortitudo, robur et omnipotentia Dei, ad opus incarnationis Verbi tam difficile et arduum perficiendum, quod nulla potentia, aut vi naturæ vel Angeli potentissimi effici potest. Rursum non incongrue Euthymius et Maldonatus : « Virtus Altissimi, » inquiunt, est Spiritus Sanctus, qui potenter opera sancta Dei perficit, ut angelus explicet id quod dixit, « Spiritus Sanctus superveniet in te, » per hoc quod subdit : « Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. » Sic inferius, cap. XXIV, vers. 49, Christus ait Apostolis : « Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto, » id est Spiritu Sancto. Hoc est quod canit Ecclesia : « Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ virginis matris Mariæ corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparasti. »

Obumbrabit Spiritus Sanctus. Primo.

OBUMBRABIT. — Græce ἐπισκιάσει. Obumbrationis hujus metaphoram varie et apposite explicant Patres. *Primo*, S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.*, cap. II : « Obumbrabit, » id est umbram efficiet, vel producet in te ; q. d. Verbum Dei in te assumet corpus, quod erit quasi umbra deitatis ; quia eam quasi umbra velabit et celabit. Unde idem, lib. XVIII *Moral.*, cap. XII : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi, » hoc est, inquit, incorporeum lumen divinitatis corpus in te humanitatis accipiet. Addit Origenes, hom. 3 *in Josue*, corpus Christi vocari umbram, quia in passione instar umbræ humiliatum, offuscatum et obscuratum fuit.

Secunda. *Secundo*, S. Ambrosius, serm. 5 *in Psalm.* CXVIII, per umbram accipit vitam præsentem et mortalem, quam Christo dedit Spiritus ; hæc enim est quasi umbra veræ vitæ et æternitatis.

*Tertio*, idem S. Ambrosius, lib. *De iis qui initiantur myster.*, cap. III ; Beda ; S. Gregorius, lib. III *Moral.*, cap. III ; et S. Augustinus, epist. 87 *ad Dardanum*, et lib. 50 Hom., *hom.* 44, τὸ « obumbrabit » sic explicant, *q. d.* Gratia Spiritus Sancti velut umbra refrigerans carnalis concupiscentiæ calorem, te, o Virgo, in conceptione Christi proteget, ut sine concupiscentia ex purissima charitate concipias Christum.

Quarta. *Quarto*, S. Augustinus, lib. *Quæst. veteris et novi Testamenti*, cap. LI : « Virtus Altissimi obumbrabit, » id est, inquit, attemperabit se tibi, uti umbra aptat se corpori ; nam totam ejus vim et efficacitatem infirmitas tua humana capere non posset.

Quinta. *Quinto*, S. Hilarius, lib. II *De Trinit.* : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi, » hoc est, inquit, proteget et roborabit te, ut activitatem Spiritus Sancti in tanto opere, et Filio Dei concipiendo sustinere valeas.

Sexta. *Sexto*, Theophylactus, Græcum ἐπισκιάσει, id est obumbrare, accipit pro ἐσχατογραφεῖν, id est *extrema picturæ lineamenta ducere*, *q. d.* Virtus Dei in te, o Virgo, corporis Christi lineamenta describet et perficiet, sicut facit pictor in homine quem depingit. Pictores enim ab umbra, quasi naturali corporis effigie, didicerunt idipsum pingere. Sicut ergo ex umbra velut pictura agnoscitur corpus, sic ex humanitate Christi velut umbra agnoscimus ejus divinitatem, ait Nyssenus, orat. *De Christi nativitate*.

*Septimo*, Jansenius et Toletus, *q. d.* Virtus Altissimi te amplexabitur, et sua virtute fœcundam efficiet, sicut vir feminam obumbrat et fœcundat in opere generationis. Verum hoc nimis crassum et castis auribus parum pudicum videtur.

*Octavo*, simplicius et castius : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi, » id est obvelabit te, hoc est, arcane arcanum maximum in te operabitur ; erit enim tale et tantum, ut nullus homo vel angelus id ipsum penetrare et comprehendere possit : solet enim in veteri Testamento potentia Dei invisibilis et incomprehensibilis, in umbra sive nube et nebula se repræsentare, vel potius tegere et velare ; hanc enim umbram spiritualem Spiritus Sancti angelus caste opponit complexui carnali mariti ; *q. d.* Virtus Dei velut umbra occultissime et castissime in te operabitur id quod solet carnaliter facere maritus, scilicet faciet te fœcun-

dam gravidamque et matrem Dei; nimirum *primo*, formabit in te perfectissimam humanitatem Christi; *secundo*, eamdem personæ Verbi modo quodam ineffabili uniet.

Simili tropo Virgilius, lib. I *Æneid.*, de Ænea ejusque sociis a matre dea, puta Venere, per umbram protectis et deductis sic canit :

> At Venus obscuro gradientes aere sepsit,
> Et multo nebulæ circum dea fudit amictu,
> Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset.

Hinc rursum apposite ἐπισκιάσει, id est obumbrare, accipi posset cum Maldonato quasi respondens Hebr. ענן *anan*, id est obnubilare, hoc est impluere; nubes enim gignit pluviam : hinc per umbram et nubem significatur pluvia; *q. d.* Sicut nubes per pluviam quam effundit, terram obumbrans fœcundat; ita virtus Altissimi te, o Virgo, obumbrando fœcundam efficiet. Videtur enim alludere ad illud de Christo, *Psalm.* LXXI, 6 : « Descendet sicut pluvia in vellus. » Simili schemate Poetæ fingunt Jovem conversum in aureum imbrem, illapsum Danaæ, ex ea genuisse Perseum.

Audi S. Bernardum, serm. 4 super *Missus est* : « Obumbrabit tibi, quia res nimirum in sacramento erat, et quod sola per se Trinitas in sola, et cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. » Et mox : « Ac si Angelus respondeat ad Virginem : Quid a me requiris quod in te mox experieris? Sciens scies, et feliciter scies, sed illo doctore quo et auctore. Ego autem missus sum nuntiare virginalem conceptum. » Sic et Eusebius, lib. XIV *De Demonstrat.*, cap. VIII : « Obumbrasti, ait, ut principes hujus sæculi ipsa de Spiritu Sancto et sancta Virgine conceptio lateret. »

IDEOQUE ET QUOD NASCETUR EX TE SANCTUM, VOCABITUR (id est revera erit, ut jure vocari possit et debeat) FILIUS DEI. — *q. d.* Quia Spiritus Sanctus superveniet in te facietque te concipere filium : hinc filius, qui ex te nascetur, id est ex te formabitur, concipietur, et post novem menses prodibit in lucem, ex ipsa sua conceptione erit sanctus, imo Sanctus Sanctorum, quia vocabitur, et revera per unionem hypostaticam cum Verbo erit Filius Dei naturalis et unigenitus, talisque a Deo, angelis et hominibus vocabitur : nam si « sanctum, » referendum est ad « nascetur, » *q. d.* Jesus filius tuus ex ipsa nativitate, id est ex ipsa conceptione sua ejusque vi erit sanctus et Filius Dei; qui enim de Spiritu Sancto concipitur, sanctissimus sit oportet, ideoque Filius Dei. Ita Beda, Jansenius et alii hic, ac S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.*, cap. XXVII.

Paulo aliter Maldonatus : Jesus, ait, vocabitur Filius Dei, quia non a viro uti cæteri homines, sed a Deo virtute Spiritus Sancti generabitur, ideoque erit sanctus et Filius Dei. Sic Adam vocatur filius Dei, quia non ab homine, sed a Deo creatus est, *Lucæ* III, 38.

NASCETUR. — Græce γεννώμενον, in p[illegible], id est *quod nascitur*, id est quod mox n[illegible], ut jam nasci videatur. Porro γεννώμενον, proprie vertas *quod gignitur*, vel generatur, id est mox gignetur. Agitur enim hic potius de conceptione quam nativitate Christi. Simile est *Matth.* I, 20.

SANCTUM. — Id est sanctus. Unde Arabicus vertit, *quoniam ex te natus sanctus est*; Syrus, *propterea is qui ex te nascitur sanctus ipse* (id est erit) *et Filius Dei vocabitur.* Dicit tamen « sanctum, » non « sanctus, » tum ut significet filium hunc non futurum merum hominem et masculum, sed super hominem futurum quoque Deum. Ita S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.*, cap. XXVII; S. Leo, serm. 4 *De Nativit.*; S. Augustinus, lib. XIII *De Trinit.*, cap. XVIII; tum ut indicet Jesum fore sanctum sanctitate omnino perfecta et connaturali, ob unionem hypostaticam, ait Suarez, III *part.*, disput. XVIII, sect. 1, hoc est fore Sanctum Sanctorum, id est sanctissimum, imo ipsam sanctitatem per excellentiam, *q. d.* Jesus qui ex te nascetur, erit sanctissimus, imo ipsa sanctitas.

Porro, humanitas Christi sanctissima pariter est, non tantum per gratiam habitualem eximiam illi infusam, sed et per ipsam deitatem illi hypostatice unitam, uti docent Suarez, Vasquez et alii, III *part.*, *Quæst.* VII et LVI.

Audi S. Bernardum, serm. 4 super *Missus est* : « Ut quid, inquit, ita simpliciter sanctum et absque additamento? Credo quia non habuit quid proprie digneve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne, cum sua anima, unico Patri erat uniendum; si diceret Sancta caro, vel Sanctus homo, vel Sanctus infans, quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite sanctum, quia quidquid illud est quod Virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, et per Spiritus sanctificationem, et per Verbi assumptionem. »

FILIUS DEI, — per naturam, qui et fideles sanctosque omnes facturus est filios Dei per gratiam. Unde S. Bernardus, serm. 1 *in Vigilia Nativit.* : « Quare, inquit, Filius Dei factus est homo, nisi ut homines faceret filios Dei? » Sic et S. Anselmus, tract. *Cur Deus homo*.

36. ET ECCE ELISABETH COGNATA TUA, ET IPSA CONCEPIT FILIUM (Joannem) IN SENECTUTE SUA; ET HIC MENSIS SEXTUS EST ILLI (ex quo concepit, seu est prægnans) QUÆ VOCATUR (antea vocabatur et revera erat) STERILIS. — Confirmat angelus miraculum nascituri Jesu ex Virgine et Spiritu Sancto, simili miraculo Joannis concepti in Elisabetha sterili; simul tacite B. Virginem admonet, ut Joannem et Elisabetham visitet, eosque salutando repleat Spiritu Sancto. « Et audiens, ait S. Bernardus, *serm.* 4, cognatam vetulam et gravidam, cogitet juvencula de obsequio, sicque illa properante ad visitandum, parvulo Prophetæ locus



et occasio detur, quo minori adhuc Domino (Jesu) sui officii valeat exhibere primitias. »

Meminit mensis sexti, ut indicet conceptionem Elisabethæ esse certam et firmam; fœtus enim sexto mense a conceptu suo est communiter vitalis, vegetus et firmus, nec ei timendum de abortu. Sensus est, *q. d.* Quæsivisti, o Virgo, modum quo manens virgo concipies filium. Respondi modum hunc fore supernaturalem, scilicet fore hoc opus et miraculum Spiritus Sancti; hic enim eo modo, quo in Elisabetha per miraculum vi sua divina formavit Joannem, sic idem eadem vi faciet in te concipi Jesum, idque ut « dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur, » ait S. Bernardus, serm. 4 super *Missus est*; gavisa enim est B. Virgo de miraculoso conceptu Elisabethæ, æque ac de suo (1).

QUIA NON ERIT IMPOSSIBILE (Syrus, *difficile*) APUD DEUM OMNE VERBUM. — Est hebraismus *non omne verbum*, id est nullum verbum, hoc est nulla res, quantumvis gravis, difficilis et homini incredibilis; vel, ut alii, « nullum verbum, » id est nullum promissum, *q. d.* Deus potest facere omnia quæ promisit, quia omnipotens est; ac proinde ille reipsa præstabit, quia fidelis est. Dicit « verbum, » quia Deo tam facile est facere, quam nobis loqui verbum, et quia solo verbo dixit et facta sunt omnia. « Siquidem apud Deum, ait S. Bernardus, *serm.* 4, nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est; nec factum a verbo, quia virtus est; nec modus a facto, quia sapientia est. » Deus ergo, ait S. Augustinus, lib. V *De Civit.*, cap. X, et lib. XXVI *Contra Faustum*, cap. V, omnia potest, præter ea quæ posse non potentiæ, sed impotentiæ est, quæque si posset, non esset omnipotens, qualia sunt mori, fallere, errare, peccare.

Stetit tacuitque hic angelus, avide expectans responsum et consensum Virginis. Unde S. Bernardus, serm. 4 super *Missus est*, ait consensum hunc expectare Adamum, Abrahamum, Davidem, omnesque Patriarchas et Prophetas, sollicitos de adventu Messiæ et salute hominum. Additque : « Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat. Nec immerito, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant et superi. Ipse quoque omnium rex et Dominus, quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat et responsionis assensum : in qua nimirum proposuit salvare mundum. »

38. DIXIT AUTEM MARIA : ECCE ANCILLA DOMINI, FIAT MIHI SECUNDUM VERBUM TUUM. — Æthiopicus et Persicus, *sit mihi juxta verbum tuum*. Nota humilitatem, obedientiam, modestiam, charitatem, resignationem Virginis : nam ab angelo salutata Mater Dei, ejus se ancillam, non matrem nuncupat; ejusque voluntati se totam resignat, ut in ea, et cum ea, et per eam faciat quidquid ipsi libuerit. « Ancilla per naturam, mater per gratiam, » ait B. Petrus Damianus, serm. 3 *De Nativit. Virg.* « Tabula sum pictoria, ait Theophylactus, pingat pictor quod voluerit, faciatque Deus quod voluerit. »

Hinc S. Guilielmus, dux Aquitaniæ, conversus a S. Bernardo, factusque eremita et Eremitarum parens, ex hoc B. Virginis dicto colligebat, quod quanto quis altius contemplando in Deum attollitur, eique fit vicinior et familiarior, tanto magis suam parvitatem perspicit et despicit. Et hoc ex inductione Sanctorum probabat : « Unde Abraham, inquiens, post divinæ familiaritatis fastigium se pulverem fatebatur. Moyses post rubi miraculum impeditioris linguæ se protestabatur. Isaias post concentus Seraphici auditum tripudium pollutum se labiis asserebat. Job etiam post auditum divinum, in favilla et cinere sese reprehendit. Ad extremum Virgo Maria post electionis in matrem Dei privilegium, se ancillam humilem profitebatur. » Denique S. Bernardus, serm. in illud *Apoc.* XII, *Signum magnum* : « Merito, ait, facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. »

FIAT. — Hæc vox tum consentientis et assensum angelo ad Verbi conceptionem præbentis est : ita Beda et Maldonatus et S. Irenæus, lib. III, cap. XXXIII, et Damascenus, lib. III, cap. II; tum optantis, desiderantis, orantis et obsecrantis ut Messias incarnetur, itaque homines redimat et salvet. Hoc enim ardentissime desiderabat et obsecrabat B. Virgo. Ita S. Ambrosius, Euthymius, Beda. « Fiat, ait ex S. Augustino Bernardus, serm. 4 super *Missus est*, desiderii est signum, non dubitationis indicium. »

SECUNDUM VERBUM TUUM. — Ut concipiam et pariam Verbum Dei Patris in carne humana, puta Jesum Altissimi Filium. Audi S. Bernardum, serm. 4 super *Missus est* : « Fiat mihi de Verbo, secundum verbum tuum : Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea, secundum verbum tuum : fiat, obsecro, mihi verbum, non prolatum, quod transeat, sed conceptum, ut maneat, carne videlicet indutum, non aere. Fiat mihi non tantum audibile auribus, sed visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. » Et mox : « Fiat, non imaginatorie somniatum, sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter invisceratum. »

Nota hic prudentiam et castitatem B. Virginis; non enim simpliciter dicit : Fiam mater Dei, sed : « Fiat mihi secundum verbum tuum; » scilicet

(1) « Vocatur Elisabetha, ait Kuinoel, Mariæ συγγενὴς, *cognata*, et hæc omnino esse poterat, quanquam Maria orta ex tribu Judæ, Elisabetha vero ex Aaronis familia oriunda et sacerdoti nupta erat. Poterant enim e diversis tribubus connubia jungi; neque repugnat locus *Num.* XXXVI, [illegible], ut ibi dicetur. »

quo mihi promisisti, me sine copula viri ex Spiritu Sancto concepturam, ac proinde mansuram virginem, *q. d.* Fiam mater Dei, sed hac lege ut maneam virgo. Plane enim suæ virginitati, quam unice adamabat, cautum volebat.

Quando Verbum incarnatum? Responsio Primi.

Quæres, quo temporis puncto præcise Filius Dei sit incarnatus in B. Virgine? *Primo*, Elias Cretensis, orat. *De Annuntiat.*, censet eum incarnatum antequam angelus veniret ad B. Virginem; illum enim annuntiasse ipsi incarnationem non futuram, sed jam factam, et in ea non sentiente peractam. Probat id ex verbis angeli, dicens: « Hoc enim quod ait, *Dominus tecum*, ipsum adesse regem clare significat. »

*Secundo*, Nicephorus, lib. I, cap. VIII, ait Christum incarnatum cum angelus eam salutavit dixitque: « Ave, gratia plena. » Nam « simul cum ea voce, ait ipse, Verbum Dei descendit, et naturam nostram subiit. » Favere videtur S. Hieronymus, epist. 140 *ad Principiam*: « S. Maria, inquit, quia conceperat eum in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur. » Sic et S. Gregorius Thaumaturgus, hom. *De Annuntiat.*

Tertia.

*Tertio*, alii sentire videntur Christum incarnatum cum angelus dixit: « Dominus tecum. » Hoc enim sic explicat S. Augustinus, serm. 2 *De Annunt.*: « Tecum Dominus in corde, tecum in ventre (per incarnationem), tecum in auxilio. » Et S. Petrus Alexandrinus, episcopus et martyr, lib. *De Deitate*, qui citatur in Concilio Ephesino, cap. VII: « Dominus tecum, ait, id est Dei verbum nunc tecum est. » Nam illa Gabrielis salutatio, Deum verum in utero Virginis natum, carnem factum significat. Idem asserit S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XXX, art. 4; et B. Petrus Damianus, serm. 1 et 3 *De Nativit. Virginis*: « Dominus tecum: Audisne, inquit, in hoc verbo incarnationem Dei, redemptionem hominum, renovationem mundi? »

Verum hæc vera esse nequeunt. *Primo*, quia angelus post hæc verba, « Ave, gratia plena, Dominus tecum, » etc., subdit: « Ecce concipies in utero et paries filium, » in futuro. Ergo necdum eum conceperat. Rursum B. Virgo tandem angelo assensum præbens, ait: « Fiat mihi secundum verbum tuum. » Ergo necdum id factum erat.

Dico ergo Verbum incarnatum mox ut B. Virgo angelo illud nuntianti assensum præbuit; ad hoc enim ille mittebatur, non enim decebat Christum concipi, invita vel nesciente virgine matre, sed sciente et consentiente; mox ergo ut illa dixit: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, » atque hæc verba fluit, Spiritus Sanctus ex purissimis Virginis sanguinibus corpus Christi formavit, et eodem instanti illud perfecte organizavit, animavit, et Verbo sive personæ Filii Dei hypostatice univit; sicut, mox ut sacerdos consecrans dixit: « Hoc est corpus meum, » vi horum verborum panis transsubstantiatur in corpus Christi. Id rursum patet ex eo quod angelus, habito Virginis consensu, quasi peracta legatione sua, ab ea discessit; legationis enim ejus potissima pars et finis erat incarnatio Verbi, præsertim quia opus hoc erat Spiritus Sancti perfectissimum et divinissimum. Unde non sensim, sed simul in eodem instanti a Spiritu Sancto: *primo*, formatum est corpus Christi; *secundo*, perfecte organizatum; *tertio*, animatum; *quarto*, omni gratia et gloria in anima repletum; *quinto*, hypostatice assumptum a persona Verbi; *sexto*, Christus incarnatus immensas egit gratias Deo pro tot in humanitatem suam collatis beneficiis et donis, eique pro salute hominum se obtulit in victimam ad mortem et crucem, juxta illud: « Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, » *Hebr.* X, 7. S. Ambrosius, Jansenius, Maldonatus et alii hic, ac S. Gregorius, lib. IX *Registri, epist.* 61; S. Basilius, hom. 27 *De humana Christi generatione*; Venerabilis Beda, serm. 3 *De B. Virgine*; S. Athanasius, orat. *De Deipara*; Rupertus, lib. VI *in Cant.*; Damascenus, lib. III *De Fide*, cap. II, et alii passim. Vide D. Thomam et Scholasticos, III *part.*, *Quæst.* XXXIII, art. 3. Confirmatur ex eo quod paulo post quam dixit B. Virgo: « Fiat mihi secundum verbum tuum, » ipsa salutans Elisabeth, ab ea resalutata, vocata fuit mater Domini, id est Christi Dei. Virgo ergo dicens: « Fiat mihi, » etc., facta tunc est quasi conjux Dei, et caro nostra facta est quasi conjux Verbi. Nam, ut ait S. Gregorius Thaumaturgus, serm. 1 *De Annunt.*, sic ipsa Verbum suscepit, et pretiosam margaritam produxit, puta Christum. Sicut enim margarita ex duabus naturis, scilicet ex fulgure et aqua conflatur; sic Christus ex deitate et humanitate: hæc Gregorius. « Hoc est quod natura miratur, reveretur angelus, veretur homo, stupescit cœlum, extremiscit terra, exhorret infernus, » ait B. Petrus Damianus, serm. *De Annunt.* Nam, ut ait S. Bernardus, serm. 1 *in Vigilia Nativit.*: « Angelus nuntiat, virtus obumbrat, supervenit Spiritus. Virgo credit, fide concipit; virgo parturit (hominem Deum), virgo permanet. »

Ad auctores contrariæ sententiæ respondetur: *Primo*, Andream Cretensem videri fuisse in adversa sententia, sed illum esse solum; nam cæteri ei contradicunt.

*Secundo*, Nicephorum per « Ave, Maria gratia plena, » quasi per initium, intelligere totam salutationem et annuntiationem angelicam, in cujus fine Verbum caro factum; ex quo scilicet B. Virgo consentiens dixit: « Fiat mihi secundum verbum tuum. » Sic et S. Gregorius Thaumaturgus. S. Hieronymus vero videtur uti enallage temporis, ut dicat « conceperat, » pro « mox conceptura erat. »

*Tertio*, S. Augustinus, S. Thomas et Damianus dicentes: « Dominus tecum » est, scilicet per incarnationem, intelligendi sunt non quod jam ita foret, sed quod mox ita futurum esset.



Porro, B. Virgo in hac conceptione Filii, eximium accepit gratiæ augmentum et perfectam sanctificationem: nec de hoc sine temeritate dubitari potest, ait Suarez, III *part.*, disp. XVIII, sect. 4. Unde Beda, hom. *De Visitat.*: « Quis, inquit, dicere, quis æstimare sufficiat, quæ tunc gratia spiritum Dei genitricis replevit, cum tanta in matre præcursoris lux doni cœlestis emicuit? » Causam dat S. Bernardus, tom. I, conclus. 61, art. 1, cap. XII: « Quod Deus, inquit, generet Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conveniret, ut per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia sibi æquale; sed quod femina conciperet et pareret Deum, est et fuit miraculum; oportuit enim, ut sic dicam, feminam elevari ad quamdam æqualitatem divinam, per quamdam quasi infinitatem perfectionum et gratiarum, quam æqualitatem creatura nunquam experta est. Unde, ut credo, ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus Sancti, quæ in B. Virginem descenderunt in hora divinæ conceptionis, intellectus humanus vel angelicus nunquam potuerunt attingere. »

Quot et quanta meruit Virgo in consensu.

Subdit aliam deinde causam, quod scilicet esse matrem Dei sit dignitas quædam infinita, quæ sibi proportionatam gratiam requirit. « Ex his, inquit, colligi potest Virginem beatam in conceptionis Filii Dei consensu plus meruisse, quam omnes creaturas, tam angelos quam homines, in cunctis actibus, motibus, ac cogitationibus suis; nempe omnes qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundum varios status et gradus gloriam sempiternam: hæc autem Virgo in illo admirando consensu, meruit totalem fomitis extinctionem, dominium et primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritus, cunctarum scientiarum, interpretationes sermonum, spiritus prophetiæ, discretiones spirituum, operationes virtutum. Meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem Filii Dei; meruit quod sit stella maris, porta cœli, et super omnia, quod regina misericordiæ nuncupetur, ac talis nominis consequatur effectum. Unde merito, *Proverb.* cap. ultimo, de ipsa B. Virgine Salomon ait: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* »

An vidit Dei essentiam?

Imo S. Antoninus, IV *part.*, tit. XV, cap. XVII, § 1, suspicatur B. Virginem in conceptione Filii Dei vidisse Dei essentiam, utpote quam in se recipiebat, uti S. Augustinus, S. Thomas et alii dicunt eamdem vidisse S. Paulum in raptu. Et certe si Paulus eam vidit, multo magis eam vidit B. Virgo. Idem opinantur Rupertus, *Cant.* IV, ad illa: « Oculi tui columbarum; » Dionysius Carthusianus, in I dist. XVI, *Quæst.* II; Gerson, alphabeto XV, tit. VIII, et S. Bernardus, serm. *de B. Virgine*, tom. II, et hodie multi magnique Theologi idem sentiunt.

Denique Damascenus, *De Dormit. Deiparæ*, et Anselmus, *De Excellentia Virginis*, cap. III et IV, et seq., tradunt B. Virginem in conceptione Verbi accepisse claram revelationem suæ prædestinationis et exaltationis futuræ super omnes angelorum choros.

Quamdiu Gabriel Archang. manserit cum B. Virgine?

ET DISCESSIT AB ILLA ANGELUS, — peracto jam suæ legationis officio, scilicet impetrato Virginis assensu, ideoque incarnatione Verbi in ea jam peracta. Porro, B. Virgo revelavit nonnullis angelum Gabrielem non statim discessisse, sed secum mansisse per novem horas, obstupefactum Verbi in Virgine incarnatione, ac Verbum incarnatum adorasse, illique omne obsequium obtulisse et reipsa exhibuisse. Nam tradunt monumenta Congregationis S. Gregorii in Alga in Lusitania, eos qui ejus auctores fuere, a B. Virgine Maria accepisse Gabrielem, cum incarnationem nuntiaret, integras novem horas apud eamdem fuisse, ac si ob incredibilem Virginis modestiam et majestatem humana majorem, et ob divini Verbi carne induti præsentiam, in admirationem raptus discedere nequiret. Quod indicavit sacer scriptor his verbis: « Et discessit angelus ab ea. » Videtur enim velle indicare eum rerum novitate et magnitudine obstupefactum sic hæsisse, ut avelli nequiret, donec tandem re exigente quodammodo, tamen invitus a loco discessit. Verum hæc uti pie dicuntur, ita certam non habent fidem.

Denique creditur Gabriel flexis genibus salutasse Virginem, atque hoc situ toto legationis suæ tempore permansisse, tum ut Virginem Deiparam veneraretur, tum ut Verbum in ea incarnatum adoraret. Quocirca ejus exemplo S. Margarita, Hungariæ regis filia, et sancta Maria Oigniacensis, quoties Salutationem Angelicam recitabant, toties ante imaginem Virginis Deiparæ genua flectebant.

39. EXURGENS AUTEM MARIA IN DIEBUS ILLIS, ABIIT IN MONTANA CUM FESTINATIONE, IN CIVITATEM JUDA. — « In diebus illis. » Non ergo eodem die, ut insinuat Theophylactus, Beda et S. Ambrosius, quo salutata ab angelo Filium Dei concepit et corporavit, abiit, sed post duos vel tres dies; hos enim insumpsit contemplando, gratias agendo, orando et dissuaviando cum Filio Dei in se jam incarnato. Ita Franciscus Lucas, Barradius et alii.

ABIIT. — Cur? Respondeo: *Primo*, ut Verbum in se conceptum aliis annuntiaret ejusque gratiam eis aspiraret. Volebat enim Christus in ea incarnatus illico inchoare officium Salvatoris, ad quod a Patre missus erat. Unde S. Ambrosius: « Abiit, inquit, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo (ut exploraret an revera Elisabeth concepisset, uti ei nuntiarat angelus), sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio. »

*Secundo*, ut Joannem a peccato originali expiaret, eumque cum Elisabetha matre spiritu

Sancto impleret, sicque Christi honor omniumque devotio cresceret. Ita Origenes hic, *hom.* 7 : « Jesus, ait, qui in utero Virginis erat, Joannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat. »

*Tertio,* ut Elisabethæ cognatæ suæ de concepto per miraculum Joanne congratularetur eique gravidæ et seni serviret, ideoque mansit cum ea toto reliquo tempore quo gravida fuit, puta mensibus tribus, usque dum pareret Joannem. Ita Beda et alii.

*Quarto,* ut daret omnibus futuris sæculis insigne humilitatis et charitatis exemplum, qua ipsa jam mater Dei et regina mundi effecta, dignatur visitare Elisabetham, quæ ipsi potius ancillare et servire debebat : ut et nos similiter ejus exemplo viles, pauperes aliosque nobis inferiores libenter visitare, salutare eisque servire et opitulari in animum inducamus.

Quocirca exemplo et titulo Visitationis B. Virginis, multæ Congregationes ad visitandos pauperes, hospites, infirmos, incarceratos, etc., institutæ sunt, ac nuper hoc titulo Congregationem Religiosarum insignium per totam Galliam, quæ ægris serviant, instituit D. Franciscus Salesius, episcopus Genevensis, vir magnæ pietatis et zeli.

An S. Joseph B. Virginem ad Elisabeth cuntem comitatus fuerit?

Opinatur Jansenius et alii cum B. Virgine ivisse Josephum, utpote ejus sponsum et maritum. Verius alii id negant, quia, si Joseph ivisset cum ea, audisset utique illam ab Elisabetha salutari matrem Dei, ac proinde post reditum videns eam intumescere in utero gravidam, non voluisset eam dimittere : quod tamen facere voluit, ut patet *Matth.* I, 19. Joseph ergo domi cura rei familiaris detentus, B. Virgini sponsæ suæ eunti in montana associavit ancillam, vel matronam quampiam gravem, quæ ei fidelis esset itineris comes, adjutrix, testis actionum omnium.

In montana, — vel Hebron, ut volunt Baronius, Toletus et alii; vel Judææ, ut volunt Geographi Terræ sanctæ; de quo mox plura.

Tropologice : anima Deo plena, uti erat anima B. Virginis, in montana conscendit, id est ad ardua virtutum enititur. Ita S. Ambrosius : « Quo jam Deo plena, ait, nisi ad superiora cum festinatione conscenderet ? » Et Beda : Concepto mente Dei Verbo, ait, ascendendum ad virtutum cacumina, amoris gressu, et civitas Judæ, id est confessionis et laudis, penetranda; et in perfectione fidei, spei et charitatis quasi tribus mensibus commorandum. Hinc Loth fugienti incendium Sodomæ dicitur : « In monte salvum te fac, » *Gen.* XIX, 17. Et Habacuc, III, 19 : « Deus Dominus, ait, fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum; et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem. » Vide ibi dicta.

Festinat virgo : Cur? Primo.

Cum festinatione. — Syrus, *sedulo,* vel diligenter; Græce μετὰ σπουδῆς, id est cum studio, diligentia, sedulitate, festinatione, agilitate. Agilem enim facit actio, strenuum motus, fortem animus, robustum corpus, ait Cornelius Fronto. Causam primam festinationis dat S. Ambrosius : « Festinavit virgo, inquit, ne extra domum diu in publico moraretur, etc. Discite, virgines, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festinat in publico. » Secundam causam idem Ambrosius addit, quia plena erat gaudio et Spiritu Sancto : « Nescit, inquit, tarda molimina Spiritus Sancti gratia. » Gaudium enim et devotio, ac charitas, stimulabant B. Virginem ad festinandum.

Tertiam dat Origenes, quia Christus in utero Virginis Joannem a peccato purgare et sanctificare festinabat. « Mariam ergo, ait S. Ambrosius, quæ antea sola in intimis penetralibus versabatur, non a publico virginitatis pudor, non a studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit. »

In civitatem Juda. — Id est in Jerusalem, aiunt Albertus Magnus et S. Bonaventura; sed Jerusalem, cum de ea agitur, alibi passim, solet nominari. Adde : Jerusalem erat in tribu Benjamin, non Juda. Melius ergo Toletus et Baronius accipiunt Hebron; hæc enim erat in tribu Juda, sita in monte, eratque prima ex civitatibus iis quæ in tribu Juda assignatæ erant sacerdotibus ad habitandum, *Josue* XXI, 9 et seq., sicut aliæ eisdem assignatæ erant in tribu Simeon et Benjamin. Porro, Hebron a Jerusalem distat octo horis. Denique Brochardus, Bredembachius, Adrichomius, etc., in *Descriptione Terræ Sanctæ,* civitatem hanc aiunt fuisse Emmaus, ubi incipiunt montana Judææ, quæ a Jerusalem distat hora cum media; de quo mox plura. Juxta Hebron ergo sunt montana Hebron; juxta Emmaus montana Judææ, ut patet ex tabulis geographicis.

Verisimile est B. Virginem prius ivisse Hierosolymam, utpote instante festo Paschæ, ibique in templo Deo gratias egisse, eique se suumque Jesum jam conceptum obtulisse. Ita Clictovæus, Franciscus Lucas, Barradius et alii, præsertim quia ex Nazareth in montana, per Jerusalem directum erat iter (1). Fuit ergo hoc Virginis iter facile quatridui : nam a Nazareth in Jerusalem est iter tridui, puta iter 26 horarum; quarto deinde die B. Virgo e Jerusalem ivit domum Zachariæ; de quo jam plura.

Vers. 40. Domus Zachariæ in Emmaus.

40. Et intravit in domum Zachariæ. — Domum hanc ex Brochardo, Bredembachio et Nicephoro ita describit Adrichomius in *Descript. Terræ Sanctæ,* part. 55, num. 243 : « Domus Zachariæ sacerdotis uno milliario distabat ab Emmaus, juxta montana. Domus illa adhuc habitabatur in pago tempore Saligniaci, quam reverenter salutare consueverant peregrinantes; ibique natus est Joannes Baptista, circumcisus et in spelunca absconditus, ne cum pueris Bethleemiticis ab Herode occideretur. Juxta hanc fons est B. Virginis, ex quo illa ipsa aquam haurire consueverat, cum maneret apud Elisabeth, qui inde fluit ad mare magnum. In superiore ejusdem domus loco quondam fuit ecclesia, hodie penitus destructa : fuerat autem fundata eo loco quo Zacharias repletus Spiritu Sancto prophetavit : Benedictus Dominus Deus Israel, » etc.

(1) Quibusdam recentioribus verisimilius, nec immerito, est nomen *Judam* proprium esse ejus urbis in quam ivit Maria, ipsamque urbem esse Jutam (δ et τ, litteris ὁμοφώνοις, permutatis), unam urbium sacerdotalium in montibus tribus Judæ positam, de qua *Josue* XV, 55; XXI, 16. Locutio ea ipsissima est qua urbium nomina semper enuntiantur a Luca, πόλις Ναζαρέτ, πόλις Ἰόππη.



Et salutavit Elisabeth, — dicendo : « Pax tecum, » quia hæc erat Hebræis usitata salutatio. Unde Syrus vertit, *precata est pacem,* sive salutem. Fecit hoc B. Virgo instinctu Dei, qui per angelum ei suggesserat conceptionem Elisabethæ, ad hoc, ut tacite eam submoneret gratum fore Deo, si illam visitaret et salutaret. Intendebat enim Deus per Elisabetham, utpote matronam grandævam, prudentem et sanctam orbi pandere conceptionem B. Virginis, arcanam Verbi incarnationem in ea factam, quasi thesaurum latentem in visceribus Virginis, omnibus illo indigentibus patefacere. Hoc enim fecit Elisabeth, cum dixit : « Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? »

Elisabeth, — non Zachariam, tum quia mutus erat et surdus, tum quia non decebat virum a Virgine salutari, nec pudor virgineus id permittebat. Porro, Beata Virgo « prior salutavit, ait S. Ambrosius; decet enim ut, quanto castior virgo, tanto humilior sit, noverit deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis, » etc. Vide S. Chrysostomum, hom. 18 *in Matth.,* sub finem, ubi docet ridiculos esse et superbos, qui nolunt prius salutare, nec nisi salutati resalutant : sapientes vero et humiles esse eos qui prius salutant; idque *primo,* quia virtutis et humilitatis officium anticipant alterique præripiunt; *secundo,* quia superbiam domant tam suam, quam alienam; *tertio,* quia simultates, lites et odia tollunt et dissipant.

Vers. 41.

41. Et factum est ut audivit salutationem (Syrus, *pacem*) Mariæ Elisabeth, exultavit infans (Joannes) in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth. — Nota, cum S. Ambrosio, salutationem et vocem Mariæ prior audivit Elisabeth, sed vim, spiritum et efficaciam salutationis prior sensit Joannes, utpote matre sua dignior et nobilior; ad hunc enim velut futurum Christi præcursorem, maxime dirigebatur hæc salutatio Virginis, imo Christi : nam, ut solerter advertit Origenes, Christus in ventre matris latens hanc ei salutationem suggessit. Et Theophylactus : « Vox Virginis, ait, vox erat incarnati in illa Dei. » Et Euthymius : « Christus, inquit, locutus est per os matris suæ; Joannes autem audivit per aures matris suæ, et agnito supernaturaliter Domino, sua exultatione illum prædicavit. » Porro, Joannes exultans in utero matris, fecit eam pariter exultare. Nam ex exultatione Joannis, suggerente Spiritu Sancto, agnovit Elisabetha B. Virginem concepisse Christum, ideoque illam ut matrem Dei resalutavit et veneratà est.

Pro « exultavit » Græce est ἐσκίρτησε, quod proprie non significat lætari, sed salire, exilire, subsilire præ luxu, uti subsultant agni et vituli bene pasti.

Saltus Joannis an rationalis?

Quæritur ergo hic, an hæc Joannis infantis exultatio fuerit motus naturalis, an animalis, an rationalis; sive an Joannes exilierit cum sensu usuque rationis et proprie dicta lætitia, an vero motu corporis duntaxat, quomodo asina Balaam locuta est, non intelligens id quod loquebatur, *Num.* XXII, ac in utero Rebeccæ movebantur et collidebantur Jacob et Esau, non intelligentes quid hoc sibi vellet, *Gen.* XXV, 22. Calvinus censet naturalem duntaxat fuisse hunc motum et saltum Joannis. Naturale enim est, inquit, ut dum mater præ gaudio gestit, infans quoque in utero moveatur et quasi exiliat.

Verum contrarium sentiunt omnes Patres et Doctores orthodoxi. Unde S. Augustinus, epist. 57 *ad Dardanum,* et Eucherius, Quæst. III *in Lucam,* ac Jansenius hic opinantur supernaturalem fuisse hunc saltum Joannis, sed sine usu rationis. Alii vero omnes passim saltui Joannis addunt usum rationis. Ita Origenes, S. Ambrosius, Theophylactus, Euthymius hic ac S. Chrysostomus, Maximus, S. Bernardus, Chrysologus, serm. *De Nativit. S. Joannis.* Unde S. Ambrosius : « Habebat, inquit, intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum. » Origenes : « Sancta erat anima beati Joannis, et adhuc in matris utero clausa, venturaque in mundum, quasi per experientiæ sensum sciebat, quæ Israel ignorabat. Unde exilivit, et non simpliciter exilivit, sed in gaudio; senserat enim venisse Dominum suum, ut sanctificaret servum suum, antequam de matris utero procederet. » Et paulo ante : « Tunc primum præcursorem suum Prophetam fecit Jesus. » Similiter Euthymius : « Infans qui in utero ferebatur Virginis, prophetica statim gratia donavit infantem qui in utero gestabatur sterilis. » Postremo Theophylactus : « Præcursorem, ait, in utero gratia prosecutus est, et Prophetam fecit. » Insuper S. Irenæus, lib. III, cap. XVIII : « Cognovit, ait, Dominum in utero, et salutavit exultans. » S. Leo, serm. *De Epiph.* : « Nondum natus, inquit, Joannes prophetica exultatione commotus est, quasi etiam intra matris viscera clamaret : Ecce Agnus Dei. » S. Gregorius, lib. III *Moral.,* cap. V : « Intra matris uterum, inquit, spiritu prophetiæ repletus est. » Sic et S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* 5; et Cyrillus Alexandrinus, lib. *De Fide ad Reginas,* cap. de Evang. secundum Lucam; S. Ambrosius

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

quoque, serm. 63, et S. Chrysostomus, hom. 2 in *Joannem*, tom. III, asserunt Joannem in utero prophetasse, quia scilicet suo saltu et gaudio indicavit Christum jam conceptum in utero Virginis, et quia matrem Elisabetham ad idem prophetandum excitavit. Denique id docet Ecclesia, cum in festo S. Joannis de eo canit :

> Ventris abstruso recubans cubili,
> Senseras Regem thalamo manentem :
> Hinc parens nati meritis uterque
> Abdita pandit.

Merita enim præsupponunt usum rationis, libertatis et virtutis. Hi omnes igitur asserunt hunc saltum Joannis non tantum fuisse supernaturalem, sed et usu rationis pollentem, ac ex vero animi gaudio procedentem. Idque patet ex vers. 44, ubi ait Elisabeth : « Exultavit in gaudio infans, in utero meo; » Syrus, *in gaudio magno*; Arabicus, *motus est infans cum exultatione in utero meo*.

*Secundo*, idem patet ex eo quod Joannes hoc suum gaudium communicavit et afflavit matri suæ, cum ei simile gaudium cum prophetia indidit, ut patet ex sequent.

*Tertio*, quia simili modo, vers. 47, exultavit B. Virgo canens *Magnificat*, utique pollens usu rationis et rationali gaudio; ergo et Joannes, qui primus erat finis et scopus visitationis B. Virginis et horum omnium mirabilium.

Rationis usu in matris utero donatus Joannes Baptista.

Acceleratus ergo fuit Joanni semestri in utero matris usus rationis, ut, Deo revelante, Christum in utero Virginis incarnatum agnosceret, adoraret, diligeret, eique corporis gestu et saltu reverentiam exhiberet, eodemque Virginem salutantem resalutaret. *Secundo*, Joannes tum accepit donum prophetiæ de Christo, uti Patres jam citati docent : imo S. Ambrosius et Theophylactus opinantur Joannem compellatum a Zacharia patre, intellexisse illud ejusdem de se oraculum : « Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. » *Tertio*, Joannes eodem instanti purgatus est a peccato originali. *Quarto*, accepit gratiam non qualem qualem, sed eximiam, quæ præcursorem Christi mox futurum decebat, gratiam, inquam, cum omnibus virtutibus infusis. Hoc enim prædixit Angelus, vers. 15, dicens : « Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. » In Joanne ergo verum est illud S. Chrysostomi, *homil.* 30 : « Saltatio indicium est perfectæ sanitatis, » adde et sanctitatis.

Hinc aliqui putant Joannem caruisse fomite concupiscentiæ, nec unquam peccasse venialiter; sed hoc privilegium B. Virgini proprium videtur, qua Joannes fuit inferior. Habuit ergo ipse fomitem concupiscentiæ, et peccavit venialiter, scilicet per subreptionem; sed deliberate forte nunquam. Ita Barradius. Est enim regula S. Augustini et Theologorum : Qui habet vel habuit peccatum originale, habet et concupiscentiæ fomitem, peccatque subinde venialiter; atqui Joannes habuit peccatum originale : ergo, etc.

Quæres, an hic usus rationis continuo duravit et perseveravit in Joanne? Negant nonnulli recentiores, sed asserit S. Ambrosius et Origenes hic, *hom.* 3. Ratio eorum est hæc : Si Joannes ad præsentiam Christi et B. Virginis usum rationis accepit, ergo quamdiu duravit eorum præsentia, tamdiu duravit in Joanne usus rationis; atqui eorum præsentia duravit per tres menses, scilicet usque ad nativitatem Joannis : ergo eo usque duravit in eo usus rationis. Porro, non est verisimile Joannem extra uterum fuisse privatum dono, quod habuit in utero : ergo usum hunc rationis habuit deinceps continuo et semper. Ita Toletus et Suarez, III *part, Quæst.* XXVII, disp. IV, sect. 7, qui idem longe potiori ratione de B. Virgine asserendum docet.

Quam efficax Sanctorum præsentia.

Moraliter : disce hic quam utilis et efficax sit salutatio et precatio Sanctorum, et præsertim B. Virginis, utpote quæ unico salutationis verbo tam Joannem quam Elisabetham Spiritu Sancto replevit, omnibusque ejus donis cumulavit. « Sanctorum non tantum verba, sed et ipsi aspectus spiritual. gratia pleni sunt, » ait S. Chrysostomus, hom. 3 *ad Popul.* Idem in II *ad Timoth.*, cap. I, vers. 1 : « Sufficit, ait, sola Pauli salutatio gratia implere eum qui ita salutatur. » Sancti enim, ac super omnes B. Virgo, pleni sunt spiritu igneo charitatis : quare eum ore, oculis, vultu expirant et adstantibus inspirant, perinde ac qui plenus musto, illius calorem et efficaciam vicinis inhalat, uti fecere Apostoli in Pentecoste, *Act.* II. Quare qui alios spirituales efficere satagit, ipse prius spiritu divino se repleat : sic loquendo eumdem audientibus inhalabit et afflabit, ex abundantia enim cordis os loquitur, et stomachus illud quo plenus est, eructat. Adde, quod Deus talibus, ut instrumentis sibi unitis et congruis, utatur; ipse enim purissimus et efficacissimus est spiritus : quare per viros spirituales et zelosos, quasi sibi similes, spiritualia et magna potenter operatur.

Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth. — « Spiritu Sancto, » scilicet gratia Spiritus Sancti, tum gratum faciente, tum gratis data : nam quæ prius erat justa et sancta, ut patet vers. 6, jam facta est longe justior et sanctior, ac insuper accepit donum prophetiæ, ex Spiritu Sancto cœpit prophetare, id est revelare arcanam Verbi incarnationem factam in Virgine, eique futura prædicere.

Porro Joannes, ut dixi, prius fuit repletus Spiritu, deinde eodem replevit et matrem; tum quia saltu suo excitavit eam ad indagandum mysterium incarnationis latens in Virgine, tum quia sua sanctitate, meritis et precibus meruit, ut et mater repleretur Spiritu Sancto, quo ipse plenus erat. Ita S. Ambrosius : « Vocem, inquit, prior Elisabet audivit, sed Joannes prior gratiam sensit. Exultavit infans, repleta est mater : non prius mater repleta quam filius; sed cum filius esset repletus Spiritu Sancto, replevit et matrem. » Sic quoque Origenes, Euthymius et Theophylactus.



Vers. 42. 42. Et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. — « Exclamavit, » tum ex vehementia spiritus et ardoris sibi a Spiritu Sancto aspirati, tum ex novitate et admiratione mysteriorum sibi a Spiritu Sancto revelatorum, puta incarnationis Verbi, conceptionis B. Virginis, saltus et sanctificationis Joannis in utero suo, etc. Hæc enim admirans, nec continere se valens, quasi parturiens divina, in ingentem erupit clamorem.

Benedicta tu inter mulieres. — Id est præ omnibus mulieribus, *q. d.* Tu omnium mulierum es fortunatissima et benedictissima, quia electa in Dei matrem, « quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. » Eadem fecit salutatio angeli, vers. 28.

Et benedictus fructus ventris tui. — Tò « et » est causale, idemque valet quod « quia, » *q. d.* Quia benedictus est fructus ventris tui, id est Filius Dei, quem repente concepisti, et carne tua vestisti, idcirco tu quoque es benedicta. Fons enim omnium benedictionum et gratiarum B. Virgini collatarum a Deo, est maternitas Dei, quod scilicet ipsa Deum conceperit et in se incarnarit; Deus enim matrem suam omni gratia adornavit ad hoc, ut dignum se fieret habitaculum, imo ut digna esset quæ fieret mater Dei. Cui enim magis quam matri benedicat filius, et filius talis, qui simul sit Deus et homo? Elisabeth ergo, inspirante Spiritu, hic cognovit jam B. Virginem concepisse, et in ea incarnatum esse Filium Dei, quod nullo alio indicio vel signo scire poterat. « Benedictus, » non tantum inter mulieres ut tu, sed absolute præ angelis, hominibus et creaturis omnibus, utpote omnium creator et Dominus. Porro, cæteri Evæ filii omnes sunt maledicti, quia ex ea et Adamo contrahunt peccatum originale; solus Christus est benedictus, quia non est filius naturalis Adæ, sed supernaturaliter in Virgine conceptus est ex Spiritu Sancto.

Fructus ventris tui. — Alludit ad illud Dei oraculum et promissum factum Davidi : « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, » *Psal.* CXXXI, 11, *q. d.* Benedictus sit filius Davidis, puta Messias Davidi quasi filius promissus, qui est fructus ventris tui, utpote in ventre tuo ex purissimis tuis sanguinibus formatus et incarnatus. Audi S. Bernardum, serm. 3 *De Annunt.* : « Singulariter quidem fructus ventris tui est, sed ad omnium quidem mentes te mediante pervenit. Sic nimirum, sic olim ros totus in vellere, totus in area, sed in nulla parte areæ totus, sicut in vellere fuit. In te sola rex ille dives et prædives exinanitus, excelsus humiliatus, immensus abbreviatus, et ab angelis minoratus est; verus denique Deus et Dei Filius incarnatus, sed quo fructu? nempe ut omnes ejus paupertate locupletemur, ejus humilitate sublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus incarnatione adhærentes Deo, incipiamus unus esse spiritus cum eo. »

43. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? — Verba sunt summæ humilitatis et reverentiæ, quibus « non hoc sui meriti, sed muneris fatetur esse divini, » ait S. Ambrosius et ex eo Beda. Matrem imitatus Joannes filius, Christo venienti ad se ut baptizaretur : « Ego, inquit, a te debeo baptizari, et tu venis ad me? » Cui Christus : « Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam, » *Matth.* III, 14. Vers. 43.

Domini, — id est Dei, qui absolute vocatur Dominus, quia Rex regum et Dominus dominantium. Hinc ergo *primo*, liquet jam Christi humanitatem in Christo fuisse animatam et unitam Verbo, sive Dei Filio, uti dixi vers. 38. *Secundo*, B. Virginem recte vocari Θεοτόκον, id est Deiparam, non tantum Χριστοτόκον, id est Christiparam, uti volebat Nestorius, sicut contra eum definivit Concilium Ephesinum et tota Ecclesia. *Tertio*, in Christo esse duas naturas, scilicet humanam; hanc enim solam ei dare potuit virgo mater; et divinam, quam ei solus communicavit Pater; sed unicam personam, scilicet non humanam, sed divinam, puta hypostasin Verbi. Si enim in Christo essent duæ personæ sicut sunt duæ naturæ, non recte diceretur Deus ex virgine natus, passus, crucifixus, sed alius, scilicet homo, sive persona hominis. Jam autem id recte dicitur, quia una est persona in Christo, utramque naturam divinam et humanam sustentans; quæ proinde facit, ut attributa unius naturæ tribuantur alteri in concreto, ut scilicet hic homo, puta Jesus, recte dicatur esse Deus, æternus, omnipotens, ac vicissim Deus in eo dicatur esse homo, passibilis, mortalis, imo passus et mortuus; quia scilicet eadem est persona, quæ ob duas naturas quas habet, simul est Deus et homo, ac proinde tam Dei quam hominis actiones et attributa in se suscipit. Actiones enim sunt suppositorum, sive personarum; atque hanc unicam in Christo personam significat tam vox hic homo, sive Jesus, quam vox Deus, vel Dei Filius : quare quod de uno vere dicitur, etiam de altero vere dicitur.

B. Virgo vere dicitur Deipara.

44. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. — Græce ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει, id est *exiliit in exultatione*; licet enim ἀγαλλίασις significet gesticulationem, significat tamen gaudium quoque et exultationem, qua gestiendo et exiliendo ostenditur. Unde Syrus vertit, *in (præ) gaudio magno*. Vide dicta vers. 41, et dicenda vers. 47. Vers. 44.

Symbolice : Joannes exiliens in utero, fuit quasi præsultor sui martyrii; suo enim saltu adumbravit saltum filiæ Herodiadis, quæ cum idcirco placuisset Herodi, petiit ab eo caput

Joannis et impetravit : sed saltus hic Joanni fuit summo honori, gaudio et decori, filiæ vero summo dolori et dedecori. Unde Poeta de eo canit :

Jam video, puer : ah! saltum meditaris acerbum,
Quo caput excuteret sæva puella tuum.
Usque adeo tibi dulce mori est, ut luminis expers
Argumenta tam ludere cædis ames?

*Vers. 45.* 45. ET BEATA QUÆ CREDIDISTI, QUONIAM PERFICIENTUR EA QUÆ DICTA SUNT TIBI A DOMINO, — per angelum, vers. 31, scilicet : « Paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur : et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus. » Cognovit ergo Elisabeth per Spiritum Sanctum, B. Virginem credidisse angelo nuntianti Christi conceptionem et nativitatem. « Beata, » tum per rem, quia Christum jam utero gestas ; tum per spem, quia eum paries, qui te omnesque tecum credentes beatos in cœlo efficiet. Beata ergo es apud Deum et homines. Beata es, et eris per omnem sæculorum æternitatem. Beata, inquam, antonomastice, id est omnium angelorum et hominum beatissima et felicissima. Tacite perstringit Elisabeth Zachariæ mariti sui incredulitatem de nascituro Joanne, vers. 20, eique opponit fidem Virginis. Unde Beda : « Vere beata, ait, quæ sacerdote præstantior ; cum enim sacerdos negasset, Virgo correxit errorem (1). »

TIBI. — Legit Interpres in Græco αὐτῇ, vel αὑτῇ aspirate, jam minus recte legunt αὐτῇ cum spiritu leni, id est *illi* in tertia persona : nam « credidisti » est secundæ personæ ; ergo subjungendum est « tibi, » potius quam « illi, » ne subito sine causa secunda persona mutetur in tertiam.

Fateor Græcum ἡ πιστεύσασα verti posse in tertia persona : *Beata quæ credidit, quia perficientur ea quæ dicta sunt illi*, ut vertit Syrus, Vatablus et alii ; tamen quia præcedentia omnia diriguntur ad B. Virginem in secunda persona per modum salutationis et colloquii, hinc potius, suavius et efficacius hic quoque in secunda persona vertendum est « credidisti, » uti et vertit Arabicus.

*Vers. 46.* 46. ET AIT MARIA : MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINUM (2). — Sic quoque Syrus, Arabicus, Ægyptius, Persicus et Æthiopicus. Apposite ad laudes suas ab Elisabeth celebratas respondet B. Virgo, retorquendo illas ad suum fontem, puta ad Deum. Audi S. Bernardum, serm. in illud *Apoc.* XII : « Signum magnum apparuit in cœlo : » sic enim ait : « Magna quidem præconia, sed et devota humilitas, nil sibi passa retinere in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur. Tu, inquit, magnificas matrem Domini, sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio, sed exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, et ipse quoque tanquam amicus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicis, quæ credidisset, sed credulitatis et beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem et exiguam respexit Deus. »

Pergit deinde S. Bernardus ostendere B. Virginem, licet esset humillima, in fide tamen promissionis sibi ab Angelo factæ summe fuisse magnanimam, ut ad tantum mysterium non dubitaret se electam, sed veram Dei et hominis genitricem crederet mox futuram. Facit enim hoc in electis gratia Dei, « ut eos nec humilitas faciat pusillanimes, nec magnanimitas arrogantes. »

*Magnificat.* MAGNIFICAT. — Aliter magnificat hominem Deus, aliter homo Deum : Deus magnificat hominem, quia eum magnum facit, dum magnis opibus, honoribus, gratiis et donis eum cumulat, et præ cæteris extollit. Homo vero sic nequit magnificare Deum, quia nil parvi vel magni ei addere potest. Magnificare ergo Deum dicitur, cum ejus magnitudinem, id est majestatem, magnificentiam, omnipotentiam, sanctitatem, sapientiam, beneficentiam, etc., laudat et prædicat. Sensus ergo est, *q. d.* Tu, o Elisabeth, magnificas me, dum me magnifico titulo matris Dei exornas, et magnalia Dei mihi collata celebras ; at ego magnifico et celebro Deum, qui me magnam fecit, dum tam magnum mihi dedit filium, scilicet Deum ipsum ; ac tam magnum Incarnationis Verbi mysterium in me operari dignatus est. Unde Beda sic paraphrastice explicat : « Tanto me Dominus, tamque inaudito munere sublimavit, quod non ullo officio linguæ explicari, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat comprehendi ; et ideo totas animæ meæ vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplanda magnitudine ejus, cui non est finis, quidquid vivo, sentio, discerno, gratulanter impendo. »

(1) Quæri potest an verba *quoniam perficientur*, etc., significent rem quam Maria credidisse dicitur, an potius causam cur *beata* habeatur. Hoc suadere videtur ἀναλογία aliarum sententiarum, quæ in evangeliis leguntur. Attamen, si ita foret, videretur Elisabetha veluti Mariæ prædixisse id de quo nondum, multoque minus Christi mater, dubitasset ; namque ob rem primam interpretationem præstat amplecti.

(2) Recte de hoc carmine hæc scripsit Rosenmullerus, *Schol. in Luc.* I, 46 : « Qui nunc sequitur hymnus Mariæ, simillimus est hymno Hannæ, I *Sam.* II, verbis et ordine. Similis est etiam psalmis Davidicis, sive materiam spectes, sive formam. Materiam enim quod attinet, exprimit Maria sensum lætitiæ, quod a sua humilitate evecta esset ad magnam dignitatem, et addit omnipotentem Deum hoc fecisse ; deinde vero commemoratur in cogitanda Dei omnipotentia, et tandem hoc beneficium ad omnem nationem Judaicam pertinere dicit. Sic Davides in psalmis sæpe lætatur de liberatione ex malis et periculis, et addit se hoc Deo debere ; commoratur deinde in cogitanda Dei misericordia, omniscientia et omnipotentia, et tandem Deum Sioni quoque opem ferre dicit. Quod autem ad formam attinet, quævis periodus, ut in psalmis, duabus plerumque membris constat, in quibus res rebus, verbis verba quasi dimensa et paria respondent. »



Hoc incarnationis Verbi opus omnium operum Dei fuit maximum ; fuit enim opus *primo*, summæ potentiæ, unire Deum homini, cœlum terræ, spiritum carni, hæc enim sunt duo extrema in infinitum a se distantia ; *secundo*, summæ bonitatis, qua Deus se totum omniaque sua bona homini communicavit ; *tertio*, summæ sapientiæ, qua hanc unionem fecit in persona divina, ut utrique naturæ, humanæ scilicet et divinæ, sua servaretur integritas. Vide D. Thomam, III *part.*, *Quæst.* I, art. 4. Quocirca, *Psalm.* VIII, canit Psaltes : « Elevata est magnificentia tua super cœlos. » Ubi Euthymius ait : « Magnificentiam hoc in loco Dei humanationem appellat, quæ est magna et omnem exsuperans intellectum ; elevata enim est et transcendit illas etiam potestates, quæ super cœlos sunt, eo quod etiam ab eis comprehendi non potest. Unde maximæ eis est admirationi : neque enim homines tantum, sed ipsi etiam ad hoc stupent mysterium. »

*Magnificat canticorum omnium præstantissimum.* Hic ergo incipit Canticum B. Virginis, omnium sacræ Scripturæ canticorum, scilicet Mosis, Deboræ, Annæ, Ezechiæ, trium puerorum, etc., præstantissimum, utpote divino Spiritu et exultatione plenissimum, ut a Verbo in utero Virginis jam concepto et exultante compositum dictatumque videatur, quod proinde Ecclesia quotidie in officio Vesperarum usurpat, et solemni ritu decantat, ut eodem Deum summe celebret et glorificet, eique pro Verbo Incarnato cæterisque donis maximas agat gratias ; utque affectus devotionis, pietatis, amoris, exultationis, quos in eo dictando cœlitus hausit B. Virgo, hauriat et imbibat.

*Tres ejus partes.* Porro, tres cantici hujus sunt partes : Prima, ab hoc vers. 46 usque ad vers. 50, virgo laudat Deum ex beneficiis propriis, sibique uni a Deo præstitis, præsertim conceptionis Verbi. Secunda, a vers. 50 usque ad 54, laudat Deum ob beneficia communia toti populo ante Christi adventum præstita, maxime autem alludit ad victorias contra Pharaonem et Chananæos Israeli collatas. Tertia, a vers. 54 usque ad finem cantici, redit ad beneficium hoc maximum incarnationis Verbi patribus promissum sibique exhibitum (1).

Tropologice, Origenes : Deus, ait, magnificatur, quando ejus imago grandis efficitur ; cum scilicet anima ad Dei imaginem facta, magnis humilitatis, charitatis, patientiæ cæterarumque virtutum operibus, incrementis et meritis augetur. Glossa vero : Deus, ait, magnificatur in nobis, dum Christo per justitiam conformamur. Nam, ut ait hic S. Ambrosius, « imago Dei Christus est, et ideo si quid justum religiosumque fecerit anima, illam imaginem Dei ad cujus similitudinem creata est, magnificat. Et ideo dum magnificat eam, magnitudinis ejus quadam participatione sublimior fit, ut illam imaginem splendido bonorum colore factorum, etiam quadam æmulatione virtutis in se videatur exprimere. » Theophylactus animam Deum magnificare dicit, cum homo heroica atque cœlestia opera exequitur. « Magnificat, inquit, Deum, qui digne juxta Deum ambulans, vocatus Christianus, non attenuans nomen et dignitatem Christi, faciendo quod non oportet, sed magnificans operando magna cœlestiaque opera. » S. Basilius, in *Psal.* XXIX, 1, ad illa : *Exaltabo te, Domine* : « Qui, inquit, ad beatitudinem cum scientia properat, Deum exaltat ; qui ingreditur huic oppositam, quantum hic Deum in se humiliat ! » Idem in *Psal.* XXXIII, ad illa : *Magnificate Dominum mecum* : « Magnificat, ait, Dominum is, qui magno mentis proposito, celsoque animo et erecto pro pietate tentationes tolerat ; deinde vero is etiam, qui nec mediocri intellectu et sublimiore animi speculatione, rerum conditarum multimodam magnitudinem considerat, ut ex earum magnitudine juxta ac pulchritudine tantarum rerum opificem contempletur. » S. Augustinus, serm. 2 *De Assumpt.* : « Quæcumque, inquit, anima sancta Verbum concipere potest credendo, parere prædicando, magnificare amando, ut dicat : *Magnificat anima mea Dominum.* »

ANIMA MEA. — *q. d.* Non solum lingua mea, nec sola manus mea, sed ipsa anima mea, tota quanta est, magnificat Deum, hoc est, ego ex intimis animæ meæ penetralibus, sinibus et sensibus, totis mentis meæ facultatibus laudo et glorifico Deum ; omnes animæ meæ vires in ejus laudem expromo et exhaurio ut intellectus meus non nisi ipsum consideret ; voluntas nullum nisi ipsum amet et celebret ; memoria nil nisi ipsum cogitet ; os meum nil nisi ipsum loquatur et prædicet ; manus mea non nisi ea quæ ad cultum ejus spectant, operetur ; pedes mei non nisi ad ea quæ ad gloriam ejus spectant, progrediantur et procedant.

Symbolice, Toletus : Recte, inquit, B. Virgo ait : « anima mea, » *primo*, quia ipsa sola habebat animam suam in potestate sua, ejusque erat hera et domina, quia illam possidebat per patientiam,

(1) « Canit Virgo quomodo Deus per ipsam illud tandem præstiterit, quod Israelitarum patribus promiserat, divinam videlicet Incarnationem ; atque hoc est proprium carminis argumentum. Sublimi prorsus exordio utitur divina poetria, quod ducit a celebrandis Dei laudibus, lætitiaque aperienda qua ipsa exultat, vers. 46 et 47. Continuo hujus utriusque rei rationem affert, indicans generalibus quibusdam verbis, miraque cum modestia ac verecundia, insigne munus sibi a Deo collatum, vers. 48 et 49, quod in bonum omnibus ætatibus esset eventurum, vers. 50. Tum ipsum Dei opus quod canere adgressa est, enuntiat, *potentiam* κατ' ἐξοχὴν id vocans, vers. 51, seque ipsam, per quam hoc opus perficeretur, a Deo electam esse narrans, non quidem apertis verbis, sed obliqua quadam periphrasi, quod Deus homines deprimat elatos, humiles vero extollat, vers. 51-53. Concludit tandem affirmans Deum, quæ Israeli fuerat pollicitus, jam implevisse, vers. 54 et 55. » Ita Patritius, op. cit., lib. … dissert. XI.

et affectuum passionumque omnium dominium; at nos non possidemus animam nostram, quia possidemur ab ira, superbia, concupiscentia, similive passione. *Secundo*, quia ipsa totam animam tradiderat filio : quæ autem filii erant, ipsius quoque erant. Unde anima ejus filio tradita, in ejus potestatem integra revertebatur, perfecteque dicit « anima mea; » tota enim ipsius erat, quæ tota a filio quantum ad omnes ejus partes possidebatur. *Tertio*, propter affectum dilectionis : quo enim Deum aliquis magis diligit, eo magis diligit animam suam. Cum igitur B. Virgo Deum maxime super omnes homines dilexerit, nullumque peccatum commiserit, suam profecto animam maxime diligebat. Quod autem diligimus, præ dilectione nostrum appellamus : quæ igitur animam suam sic dilexit, eam vere suam vocavit.

Dominum. — *q. d.* Tu, o Elisabeth, magnificas me ut matrem Domini, quod Dominus, id est Deus, sit filius meus; ego vero Dominum ipsum magnifico, id est, *primo*, Deum Patrem, qui me dignatus est evehere ad suæ generationis consortium, ut ejusdem filii sim mater, cujus ipse est Pater; quem enim ipse genuit Deum, ego eumdem generavi hominem. *Secundo*, magnifico Deum Filium, quia ipse ex meo sanguine carnem assumere meusque filius fieri dignatus est. *Tertio*, magnifico Spiritum Sanctum, qui me sua sanctitate replere, ac tantum incarnationis Verbi opus in me sola operari elegit.

47. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. — « Exultavit, » scilicet ab initio conceptionis et incarnationis Verbi in me, et continuo exultat. Græce est ἠγαλλίασε, id est vehementer lætatus est, gestiit, exultavit, jubilavit : ἀγαλλιάω enim, ait Eustathius, dicitur quasi ἀγάζω, id est admiror vehementer. B. Virgo ergo admirans spiritu, Dei in se incarnati divinam potestatem, sanctitatem, justitiam, benignitatem, beneficentiam, exultat, et præ gaudio gestit et jubilat. Hinc Euthymius in illud *Psal.* IX, *Lætabor et exultabo in te* : « Exultatio, ait, major quædam est lætitiæ intensio, quæ præ nimio gaudio subsilire valde, atque elevari cor facit. »

Audi Albertum Magnum : « Exultatio, inquit, est quædam exaltatio in jubilo, cum cordis gaudium saltat in corporis jucunditatem, et tunc patet exultare spiritum esse jucundari spiritum etiam in tripudio corporis, juxta illud *Zachar.* IX : Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. » Addit Albertus : « In utero Deiparæ echo quædam divina efficitur, repercussioque soni, ac vocis Christi existentis in utero, in os Mariæ, quæ deinde ad eumdem Christum reflectitur, dum dicitur : *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* »

Accedit Cajetanus : Exultatio, ait, est exundans lætitia, quæ scilicet in signa externa gesticulationis, cantus, jubilationis, etc., modeste tamen et graviter erumpit.

Alludit ad illud *Isaiæ*, cap. LXI, 10 : « Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo; » et magis ad illud Annæ, I *Reg.* II : « Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo. » Sicut enim exultavit Anna sterilis, Dei ope et miraculo concipiens Samuelem; sic exultavit B. Virgo ex Spiritu Sancto concipiens Emmanuelem : hujus enim typus fuit Samuel. Sicut enim *Emmanuel* hebr. idem est quod עמנו אל *immanu el*, id est nobiscum Deus; sic Samuel idem est quod שאול מאל *saul meel*, id est *postulatus* et datus *a Deo*; vel, ut R. Abraham et Pagninus, *Samuel* idem est quod שמו אל *scemo el*, id est *illic Deus*, scilicet in utero, non tam Annæ, quam B. Virginis. Samuel enim fuit sanctissimus propheta, princeps et salvator Israelis, uti Christus est omnium fidelium. Quocirca canticum hoc B. Virginis plane respondet cantico Annæ, I *Regum*, cap. II. Eadem enim est utriusque materia, idem exultans spiritus humilitatis, gratitudinis et devotionis in Deum, juxta illa Psaltis : « Anima mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo, » *Ps.* XXXIV, 9.

Porro, S. Augustinus scribens super *Magnificat*, Virginem duo hic facere docet : *primo*, Dei bonitatem et misericordiam prædicare, sicut in præced. vers. ejus potentiam et majestatem; *secundo*, suavitatem et dulcedinem quam ipsa in conceptione sui filii hauserat, foras effundere; atque in hac re dicit Deiparam imitatam fuisse angelos, qui hæc duo in cœlis præstant, nimirum Dei majestatem incomprehensibilem meditantur, et ejus ineffabili bonitate atque dulcedine perfruuntur; et sic admirantur, ut diligant et exultent. Ejus verba sunt hæc : « Vidisti majestatem, gustasti suavitatem, ideo quod intus hauseras, foras propinasti, et in justitia ejus exultasti; quia exultavit spiritus meus : anima magnificat, spiritus exultat. « Et iterum : » In Deo salutari meo; Deus potentiam, salutaris misericordiam notat. Duo quippe sunt quæ angelorum et hominum beatorum spiritus in illo fonte boni æterna contemplatione hauriant, incomprehensibilis scilicet majestas Dei et ineffabilis bonitas; quorum alterum castum timorem gerit, alterum dilectionem parit : pro majestate venerantur Deum, et pro bonitate amant, ne vel dilectio sine reverentia dissoluta sit, vel reverentia sine dilectione pœnalis. Admirantes enim diligunt, et diligentes admirantur, ut inextinguibiliter per admirationem ardeat dilectio, et suaviter in dilectione ferveat admiratio. »

Denique sicut summum beneficium hic conceptionis Verbi B. Virgini fuit collatum, ita summa ipsius de eo fuit exultatio, ut præ gaudio spiritus ejus e corpore exilire, et in Deum transilire videretur, ac forte reipsa exiliisset, ni Deus illum in corpore sua vi conservasset. Sic enim ipsa post aliquot annos moriens, non morbo, sed amore, gaudio et desiderio videndi filium suum, eoque



fruendi mortua est, uti sentiunt Suarez, Canisius a Castro aliique graves Theologi.

**Quorumdam mors ex nimia lætitia.**

Narrat Livius duas feminas Romanas præ gaudio expirasse, cum filios, quos in clade ad Thrasymenum lacum accepta occidisse putarant, ex inopinato sospites et quasi redivivos viderunt. Polycratam quoque, cum omnes ejus virtutibus applauderent, lætitia exanimatam scribit Plutarchus. Chilos, filium in Olympico certamine victorem et coronatum amplexans, exultantem animam efflavit. Idem fecere Sophocles et Dionysius, Siciliæ tyrannus, uterque accepto tragicæ victoriæ nuntio, uti referunt Plinius, Valerius Maximus, Volaterrus et alii. Diagoras Rhodius cum duos (vel, ut Gellius, tres) filios athletas eodem die vincere et victores coronari vidisset, populusque gratulabundus flores in eum certatim jaceret, in manibus filiorum præ exultatione halitum cum vita ultimum emisit, teste Cicerone in *Quæst. Tuscul.*, et Gellio in *Noctibus Atticis*. Philistion Nicæus, poeta comicus, Socrati coævus, nimio risu vitam finiit. Unde illud : « Risu emori. » Quanto potius B. Virgo longe majori gaudio perfusa et quasi ebria exultantem, imo exilientem spiritum efflasset, ni Deus sua potenti manu eum in corpore continuisset : ita enim exultavit, ut spiritus ejus totus raperetur et absorberetur in Deum in se incarnatum, in eumque quasi transformaretur. Porro, hæc exultatio non fuit transiens, sed instar habitus perduravit in Virgine per totam vitam, ait Albertus; præsertim quia ipsa assidue versabatur et dissuaviabatur cum suo Jesu. Adjicit Albertus, propter hanc continuam possessionem exultationis in Deum, Deiparam fuisse mundo et huic mortali vitæ funditus supra omnes viatores mortuam, ita ut vita ejus cum Christo in Deo abscondita semper fuerit, et curiæ angelicæ præsens intra sanctuarium Dei habitaverit, atque adeo, et excellentiori quidem modo quam Paulus et quam ulla alia creatura, potuerit dicere : « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus, » *Gal.* VI.

Spiritus meus. — Id est anima mea, ait Euthymius, Titus et Franciscus Lucas; quasi idem sit « exultavit Spiritus meus in Deo, » quod « Magnificat anima mea Dominum. » Melius Toletus, Benzonius et alii « spiritum » plus esse censent quam « animam : » quare ipsi per « animam » intelligunt intellectum; per « spiritum » vero voluntatem, *q. d.* Totis tam intellectus quam voluntatis meæ viribus magnifico Deum, in eoque exulto. Simplicius per « animam » accipias inferiorem partem animæ, quæ naturalia respicit; per « spiritum, » superiorem, quæ spiritalia et divina spectat. Anima enim naturam animæ notat; spiritus vero mentem gratia imbutam, et impulsum menti a Spiritu Sancto inditum. Anima ergo naturalis est et naturalia considerat; spiritus vero supernaturalis et cœlestia. Igitur spiritus *primo*, significat mentem; *secundo*, vehementem mentis impulsum et fervorem ad gaudium et jubilum; *tertio*, hunc impulsum aspiratum esse a Spiritu Sancto. Porro spiritus, utpote superior, trahit secum animam et corpus, ut et ipsa exultent, juxta illud : « Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum, » *Psal.* LXXXIV. Cor enim suum gaudium in carnem totumque corpus diffundit; sed primitus spiritus, sive mens suum gaudium animæ communicat, anima cordi, cor corpori.

In Deo salutari meo. — Græce σωτῆρί μου, id est *salvatore meo*. Porro, σωτήρ respondet Hebr. ישוע *Jescua*, id est Jesus, id est salvator, ipsaque salus formalis et causalis. Unde hic vertas, « in Deo Jesu meo. » Alludit enim ad *Habac.* III, 18 : « Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. » Vide ibi dicta. Syrus vertit, *in Deo vivificatore meo*, qui scilicet mihi omnibusque fidelibus vitam, id est libertatem, gratiam et gloriam contulit, vel conferet : hæc est enim salus nostra quam Christus nobis attulit.

« Meo » proprie, *primo*, quia Jesus meus est filius; *secundo*, quia idem meus est salvator, tum quia me præ cæteris ab omni peccato præservavit omnique gratia cumulavit; tum quia fecit me salutis omnium hominum mediatricem, ut ego omnium salvandorum salutis quasi causa sim et mater.

Hac de causa S. Cyrillus, *hom.* 6, habita in Concilio Ephesino in ipso Deiparæ templo, ipsam nuncupat « mundi gaudium. » S. Fulgentius, serm. *De Laudibus Mariæ* : « Ex partu, ait, Salvatoris facta est Maria fenestra cœli, quia per ipsam Deus verum fudit sæculis lumen. Facta est Maria scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlos. Facta est Maria restauratio feminarum, quæ per ipsam a ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ. »

Vide S. Ephrem, orat. *ad Virginem*, ubi inter cætera augusta et plurima, hæc elogia ei dat : « Regina omnium, spes Patrum, gloria Prophetarum, Apostolorum præconium, honor Martyrum, lætitia Patriarcharum, cœtus omnium Sanctorum, Virginum corona. » Et inferius : « Ave, Dei splendidissimum vas. Ave, stella fulgentissima, ex qua Christus prodiit. Ave, canticum Cherubim, et hymnus Angelorum. Ave, pax, gaudium et salus mundi. Ave, generis humani lætitia. Ave, Patrum præconium, et Prophetarum decus. Ave, Martyrum pulchritudo, et corona Sanctorum. Ave, piorum gloria. Ave, præstantissimum orbis terræ miraculum. Ave, paradise deliciarum et immortalitatis. Ave, lignum vitæ, gaudium et voluptas. Ave, vallum fidelium, et mundi salus. Ave progenitoris Adæ resurrectio. Ave, omnium parens. Ave, fons gratiæ et consolationis. Ave, refugium peccatorum et hospitium. Ave, propitiatorium laborantium. » An non ergo meritissimo exultet B. Virgo in Deo Jesu suo?

Denique B. Joannes Damascenus manum, qua apologiam pro cultu SS. imaginum scripserat, sibi fraude Leonis Isaurici, Imperatoris Iconoclastæ, amputatam, ac per B. Virginem miraculose restitutam advertens, cecinit : « Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, et in matre ejus, quia fecit mihi magna qui potens est, » uti ex Joanne patriarcha Hierosolymitano narrat noster Canisius, lib. V *De Deipara*, cap. xix, et alii.

48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. — Dat causam cur exultet in Deo Jesu suo, quia scilicet ipse respexit, id est benignis oculis aspexit, approbavit, amavit, amplexus est humilitatem Virginis, in eaque sibi complacuit. Unde Theophylactus : « Respexit, ait, in me humilem, non ego ad illum respexi : ille me prosecutus est misericordia, ego illum non quæsivi. » Et S. Augustinus, super *Magnificat* : « Hæc, ait, est gratia exultationis suæ, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ac si dicat : Quia de ejus gratia exulto, ideo ab ipso est quod exulto ; et quia ejus dona propter ipsum diligo, ideo in ipso exulto. »

Respexit. — Audi S. Augustinum hic : « Respicere per gratiam, est prius abjectos et derelictos visitare, ca[illegible] bona, placatus per misericordiam, subtracta restituit. Rursum per respectum gratiæ ad eum se convertit. Bene ergo Maria solam in humilitatem Dominum respexisse testatur, quia divinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperavit. » S. Bernardus, serm. 57 *in Cantica* : « Deus, inquit, respicit terram, et facit eam tremere ; e regione respicit Mariam, et infudit gratiam. Respexit, ait, humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes ; non sunt hæc verba plorantis aut trepidantis, sed gaudentis. » Hinc ait illi : « Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni, » *Cant.* ii et seq.

Humilitas prima est vilitas.

Humilitatem — Græce ταπείνωσιν, id est *vilitatem, exiguitatem, abjectionem* ; hanc enim opponit magnitudini Dei : « Excelsus enim Dominus humilia respicit, et alta a longe cognoscit, » *Psalm.* cxvii. *q. d.* Magnifico Deum [illegible] in ipso exulto, quia ipse, cum sit maximus summusque omnium Dominus, me feminarum, imo creaturarum omnium minimam, id est vilissimam, pauperrimam et abjectissimam, oculis benignitatis suæ respicere, et in matrem eligere dignatus est. « Humilitas » ergo hic proprie vilitatem significat, non virtutem humilitatis superbiæ oppositam ; hæc enim dicitur ταπεινοφροσύνη : sola enim inter virtutes humilitas seipsam ignorat, et qui se humilem esse jactat, superbus est, non humilis. Ita Theophylactus, Euthymius, Toletus, Franciscus Lucas, Cajetanus, Maldonatus et alii. Sic Lia ait, *Genes.* xxvi, 32 : « Vidit Dominus humilitatem, » id est abjectionem « meam, » qua ego a marito Jacob præ Rachele neglecta et quasi despecta fui. Et Mardochæus ad Esther, cap. xv, 2 : « Memorare dierum humilitatis tuæ, » qua olim plebeia et pauper fuisti, non regina, uti jam es. Sic Judith, vi, 15, orat Deum : « Respice ad nostram humilitatem, » id est afflictionem et abjectionem. Sic Christus « reformabit corpus humilitatis nostræ, » id est corpus nostrum vilissimum et miserrimum, per gloriam resurrectionis, *Philip.* iii, 21. Hinc ταπεινὸς dicitur quasi ἐδαφινὸς, ab ἔδαφος, id est *pavimentum*, sicut humilis ab humo ; aut, ut Eustathius, ταπεινὸς per metathesin quasi πατεινὸς, id est *conculcatus, depressus*, a πατέομαι, id est *pessumdor, calcor, proteror*. Hinc τάπης est *tapes*, sive *stragulum*, quod calcatur et proteritur.

*Secundo*, tamen per « humilitatem » accipi potest virtus ipsa humilitatis ; propter hanc enim B. Virginem Deus respexit, et in matrem elegit. Humilis enim agnoscit in se suas virtutes ut dona Dei, quare inter eas videt quoque suam humilitatem, sed illam non suis viribus, verum Dei gratiæ acceptam refert ; hinc ταπείνωσις a Septuaginta subinde sumitur pro ταπεινοφροσύνη, ut notat S. Hieronymus, epist. 151 *ad Algasiam*, Quæst. X. Ita Origenes, S. Augustinus, Beda, Albertus, et fuse Barradius hic, ac S. Bernardus, hom. 1 super *Missus est* ; S. Ildephonsus, serm. 2 *De Assumpt.* ; Rupertus, lib. I *in Cantic.* ; Ansbertus, lib. II *in Apoc.* ; Emissenus, *in Evangel. feriæ* VI *in Adventu* ; Ribera, *in Sophon.*, cap. ii, n. 4.

Sicut ergo B. Virgo hic agnoscit se electam in Dei matrem, quod longe majus erat ; ita pariter agnoscit se per humilitatem, virginitatem cæterasque virtutes sibi a Deo inditas, ad tantam dignitatem fuisse dispositam et congrue ornatam. Humilis enim suam vilitatem, miseriam, paupertatem, imo suum nihilum agnoscit, ac totum quod est et habet, adscribit Deo, cujus est, dicitque cum Psalte : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, » *Psal.* cxiii ; et cum Paulo : « Qui gloriatur, in Domino glorietur, » II *Corinth.* xi.

Audi S. Augustinum, serm. 2 *De Assumpt.* : « O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit et hominum animas liberavit ! Facta est Mariæ humilitas scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras ! Quid enim est dicere, respexit, nisi approbavit ? Multi enim videntur in conspectu hominum humiles esse, sed eorum humilitas a Domino non respicitur. Si enim veraciter humiles essent, deinde ab hominibus non se laudare vellent ; non in hoc mundo, sed in Deo spiritus eorum exultaret. » Nam, ut ait S. Basilius in *Constit. Monast.*, cap. xvii : « Humilitas est tutissimus virtutum omnium thesaurus, radix et fundamentum. » Et S. Chrysostomus, hom. 2 *in Psal.* l : « Sacrificium maximum est humilitas ; qui enim peccando se Deo subducit, idem se per humilitatem subjicit, cum convertitur ad pœnitentiam. » Denique S. Bernardus : « Est humilitas, ait, quam nobis veritas parit, et non habet calorem ; et est humilitas quam charitas format et inflammat. Hæc in affectu, illa in cognitione consistit : priore cognoscimus, quam nihil sumus, et hanc discimus a nobis ipsis et ab infirmitate propria ; posteriore calcamus gloriam mundi, et hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum, etc., quique quæsitus ad regnum fugit, quæsitus ad opprobria, etc., ad crucem, non fugit, sed sponte se obtulit. » Utramque in heroico et eminenti gradu habuit B. Virgo.



Ecce enim ex hoc beatam me dicent (Arabicus, *dabunt mihi beatitudinem*) omnes generationes. — Probat B. Virgo Deum respexisse suam humilitatem, carnem in ea assumendo ex effectu, quia scilicet ob hanc Verbi in ea incarnationem, omnes omnium sæculorum generationes eam, ut matrem Dei admirabuntur, venerabuntur et beatam prædicabunt, *q. d.*, ait hic S. Augustinus : « Tu, o Elisabeth, de me dicis : Beata quæ credidisti ; sed ego dico : Ex hoc nunc (quo concepi Dei Filium) beatam me dicent omnes generationes. » Et nonnullis interjectis : « Maria, inquit ; quæ apud Dominum humilis erat, et apud homines propter Deum abjecta, in utroque se esse respectam testatur ; quia et ejus humilitas apud Deum acceptabilis fuit, et ejus humiliatio apud homines in gloriam commutata. Quare sequitur : Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. »

Alludit ad verba Liæ, quæ cum ejus ancilla Zelpha peperisset filium, vocavit eum *Aser*, id est *Beatus*, dicens : « Hoc pro beatitudine mea : beatam me dicent omnes mulieres. » Hoc est quod Christo acclamavit mulier illa sapiens : « Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti, » *Luc.* xi.

Ecce quid notet ?

Ecce. — Hoc adverbium *primo*, est nota admirationis, *q. d.* Ecce rem novam, miram et omnibus sæculis inauditam, ut femina una sit benedicta et beata, imo beatissima præ omnibus angelis et hominibus, cum hucusque omnes feminæ in Eva a Deo fuerint maledictæ, et tribus pœnis, scilicet servitutis, doloris et laboris addictæ et afflictæ, *Genes.* iii.

*Secundo*, est nota inchoationis et principii, *q. d.* Ecce ex nunc incipiam beatificari, et deinceps continuo beata prædicabor ab omnibus sæculis.

*Tertio*, est nota indicii et monitionis, *q. d.* Ecce advertite, o mortales miseri, qui cupitis esse beati, discite a me beatitudinem sitam esse in humilitate, obedientia, gratia et favore Dei, quam per me impetrabitis. Ego enim sum prima beata, per quam Deus cæteros omnes beare destinat. Ad me ergo recurrite meamque opem implorate, ut beati evadatis.

B. Virgo beata septupliciter.

Beatam — multis nominibus et titulis, quos recenset Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, in tract. iv, notula 1, super *Magnificat* : « Dignare, inquit, nos laudare te, Virgo sancta, o ter quaterque beata. Beata primo, quæ credidisti, clamat Elisabeth. Beata secundo, quia gratia plena secundum Gabrielis salutationem. Beata tertio, et benedicta, quia benedictus fructus ventris tui. Beata quarto, quia fecit tibi magna qui potens est. Beata quinto, quia mater Domini. Beata sexto, quia fœcundata cum virginitatis [illegible]ore. Beata septimo, quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem. » Inter hos omnes titulos præcipuus et fons cæterorum est, quod B. Virgo a Deo electa et facta sit mater Verbi incarnati.

Omnes generationes, — omnes ætates, omnia sæcula, omnes fideles futuri. Audi Hugonem Cardinalem : « Omnes generationes, inquit, id est omnes gentes, scilicet Judæorum et Gentilium, virorum et mulierum, divitum et pauperum, angelorum et hominum, quia omnes per ipsam salutare beneficium acceperunt, homines reconciliationem, angeli reparationem. Christus enim Dei Filius operatus est salutem in medio terræ, id est in utero Mariæ, quæ quadam mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illum enim respiciunt, ut Bernardus inquit, et qui habitant in cœlo, et qui habitant in inferno, id est in purgatorio, et qui habitant in mundo : primi, ut resarciantur ; secundi, ut eripiantur ; tertii, ut reconcilientur. » Causam deinde assignans subjicit : « Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, o beata Virgo, quia omnibus generationibus vitam, gratiam et gloriam genuisti : mortuis vitam, peccatoribus gratiam, miseris gloriam ; ideo dicitur, *Judith*, xv, 10 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter* : primum est vox angelorum, quorum ruina per ipsam reparata est ; secundum est vox hominum, quorum tristitia per eam lætificata est ; tertium est vox mulierum, quarum infamia per ipsam deleta est ; quartum est vox mortuorum, quorum captivitas per eam reducta est. » Sic et Albertus Magnus hic.

Prophetat hic virgo se ab omnibus sæculis beatam prædicandam, celebrandam et invocandam. Prophetiæ hujus veritas ex eventu clara est. Videmus enim B. Virginem ab omnibus nationibus et sæculis tot sacellis, templis, festis, congregationibus, Religionibus, votis, supplicationibus, litaniis, etc., coli et celebrari, quod cæteri Sancti simul juncti non obtinent ; imo soli B. Virgini tribui cultum hyperduliæ, sicut Deo cultum latriæ ; cæteris vero Sanctis cultum duliæ. Te ergo, o Deipara Virgo, beatam prædicabunt omnes generationes. Tuam sanctitatem, tuam virginitatem, tuam humilitatem, tuam maternitatem celebrarunt, celebrant et celebrabunt omnes omnium temporum Christiani : vivat tuum decus, tua laus, tua gloria, quamdiu vivent angeli ; quamdiu vivent homines, quamdiu vivet Christus, quamdiu Deus erit Deus, in omnia sæculorum sæcula.

49. Quia fecit mihi magna (Græce μεγαλεῖα, id Vers. 49.

est magnalia) QUI POTENS EST. — Syrus, *quia egit apud me magnifica ille qui potens est.* Incarnatio enim Verbi majus est opus quam creatio totius mundi. Quocirca B. Virgo, utpote mater Dei, major est omnibus angelis, omnibus hominibus omnibusque creaturis simul sumptis.

Audi S. Augustinum hic : « Magnum fuit, ut virgo sine virili semine filium conciperet. Magnum fuit, ut Dei Patris Verbum carne sua indutum utero gestaret. Magnum fuit, dum se ancillam confessa esset, ut mater fieret sui plasmatoris. » Idem, serm. 25 *De Sanctis,* qui est secundus *De Assumptione Mariæ,* ait : « Quæ tibi magna fecit, Domina, quæ gloriosa, Virgo, ut dici beata merearis ? Puto, imo veraciter credo, ut creatura ederes Creatorem, famula Dominum generares. » « Admirabilia, ait Titus, per me operatus est potens ille : nam cum virgo sim, præpotenti illi voluntate naturæ fines supergressa concepi, nulliusque viri commercio usa, digna effecta sum, quæ non cujusvis promiscue, sed unigeniti Filii Dei mater fierem. »

Duodecim magnalia Virginis.

Audi et Hugonem Cardinalem duodecim magnalia Virginis enarrantem : « Primum, inquit, fuit in utero matris sanctificatio ; secundum, angeli salutatio ; tertium, gratiæ plenitudo ; quartum, filii conceptio ; quintum, fœcunda virginitas ; sextum, virginalis fœcunditas ; septimum, honorata humilitas ; octavum, obedientiæ promptitudo ; nonum, fidei devotio ; decimum est prudens verecundia ; undecimum, verecunda prudentia ; duodecimum, dominium cœli. » Vide D. Thomam, 1 *par., Quæst.* XXV, art. 6, ubi docet Deum meliora opera posse facere quam fecerit, exceptis tribus, scilicet incarnatione Verbi, maternitate Dei, et beatitudine hominis, quæ in Dei visione consistit ; his enim nil melius, nec majus Deus facere potest, quia Deo ipso nil potest esse majus vel melius.

Denique vide septem privilegia magna, imo maxima a Deo data B. Virgini ; quæ recenset S. Bonaventura in *Speculo,* cap. VI et seq. Hac de causa B. Virgo a S. Cyrillo, hom. *contra Nestor.,* vocatur « Forma Dei (utique formosissima), margarita orbis terrarum. » A Damasceno, orat. 1 *De Nativit. Virgin.,* « Animatum Dei simulacrum. » A S. Bernardo, serm. 2 *De Pentecost.,* « Negotium sæculorum, ad quod respiciunt et qui in cœlo habitant, et qui in inferno, et nati natorum, et qui nascentur ab illis. » A S. Ignatio, epist. 1 *ad Joan. Apost.,* « Cœleste prodigium, et sacratissimum spectaculum. » A S. Petro Chrysologo, *serm.* 146, « Collegium sanctitatis, » in quo Deus omnes gratias in alios Sanctos dispertitas, quasi corrivatas colligit. Ab Hesychio, episcopo Hierosolymitano, hom. 2 *De S. Maria,* « Universum Trinitatis complementum ; quia et Spiritus Sanctus adveniebat atque hospitabatur, et Pater adumbrabat, et Filius utero gestatus inhabitabat. »

QUI POTENS EST. — Græce ὁ δυνατός. Est hoc unum e decem nominibus Dei : sic enim Septuaginta vertere solent Hebr. גבור *ghibbor,* id est potens, validus, gigas ; unde « Gabriel, » id est fortitudo Dei ; ac Noster Hebr. שדי *saddai* vertere solet, *omnipotens* : de quo nomine multa dixi, *Genes.* XVII, 1, ubi inter alia ostendi, quod *saddai* idem sit quod *mammeus,* vel *sufficiens* et abundans bonis omnibus, ut ea instar mammæ largiter in omnes effundat ; hoc enim Deus nusquam magis fecit, quam in incarnatione Verbi.

Hoc addit B. Virgo, ait Titus, *primo,* « ne quis tanto huic mysterio fidem detrahat ; quæ enim dicit, huc spectant : Nemo, si virgo concepi, miretur ; nam qui id operatus est, omnipotens Deus est. » In hoc ergo mysterio « tota ratio facti, ut ait S. Augustinus, *epist.* 3, est potentia facientis, qui facit mirabilia magna solus, » *Psal.* CXXXV, 4, et ut ait Job, V, 9, « qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia absque numero. » *Secundo,* ut ostendat Virgo in se completum esse quod promiserat angelus, vers. 35 : « Virtus (Græce δύναμις, unde δυνατὸς) Altissimi obumbrabit tibi. »

Alludit ad *Isaiæ* VII, 14 : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, » id est nobiscum fortis, scilicet Deus ; et cap. IX, 6 : « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, etc. Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis : » Hebr. אל גבור *el ghibbor,* id est validus, fortis ut gigas. Unde ejus ortum annuntiavit Gabriel, quod nomen potentiam et fortitudinem Dei significat.

ET SANCTUM NOMEN EJUS. — Ostendit Virgo in se adimpletum esse illud promissum angeli, vers. 35 : « Spiritus Sanctus superveniet in te ; » ideoque dicit : « Et sanctum nomen ejus, » scilicet Spiritus Sanctus, *q. d.* Quia virtus Altissimi mihi obumbravit, et Spiritus Sanctus supervenit in me, beatam me dicent omnes generationes : illa enim duo me bearunt et beatam effecerunt.

Jam quoad sensum *primo,* Toletus et Franciscus Lucas censent virginem hic duo magna a Deo sibi facta celebrare, scilicet : *primo,* incarnationem Verbi, per quam facta est mater Dei, ideoque Domina et Regina omnium angelorum et hominum, et propter hoc dicere : « Quia fecit mihi magna qui potens est ; » hoc enim fuit opus summæ Dei potentiæ ; *secundo,* suam ad hanc incarnationem in se peragendam dispositionem et sanctificationem, et propter hoc dicere : « Et sanctum nomen ejus. » Ut enim fuit opus potentiæ Deum fieri hominem ex virgine, ita opus sanctitatis fuit virginem præparare, ab omni sorde et labe præservare, corpore et anima sanctificare, atque omnino talem reddere, quæ idonea esset ad concipiendum in suo utero Dei Verbum sanctum et immaculatum. Cum ergo Virgo ab utroque hoc sciret se prædicandam esse beatam inter Christianos, utrumque Deo adscri-



bit, volens omnia in Deum referri, qui nominatissimam suam, tum potentiam, tum sanctitatem, pietatem, bonitatem ac misericordiam ita in eam exeruerit, ut non tam ipsa, quam ipse ab omnibus sæculis laudari ac prædicari mereatur. Nam B. Virgo a Spiritu Sancto ita sanctificata est, ut nullum omnino peccatum contraxerit, utque in gratia et sanctitate longe omnes angelos etiam Seraphinos superarit.

*Secundo,* planius et plenius utrumque Virginis elogium referas ad utrumque, scilicet tam ad incarnationem Verbi, quam ad suam ad hoc præparationem et sanctificationem : utraque enim fuit opus eximiæ, tam potentiæ quam sanctitatis Dei, quia utraque peracta est ex supervenienti in Virginem Spiritu Sancto, ad sanctificandum tam Christum quam B. Virginem, juxta illud angeli oraculum : « Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei, » vers. 31. Christus enim fuit Sanctus Sanctorum, id est fons sanctitatis totum mundum sanctificans.

Sensus ergo est : « Et sanctum nomen ejus, » *q. d.* Nomen Dei est « sanctus, » hoc est, Deus ipse suo nomine significatus, est « sanctus, » hebr. קדש *cados,* id est omnem habens puritatem, sanctimoniam, virtutem, perfectionem, ideoque ipse omnibus modis est venerandus, adorandus et celebrandus ; ἅγιος enim, id est sanctus, dicitur ab ἅζω, id est, *colo, veneror.* Unde ἅγιος dicitur is qui ob virtutem et sanctitatem omnibus est reverendus. Sanctus ergo est Deus tum in omnibus operibus suis, tum maxime in sanctissimo hoc incarnationis Verbi mysterio, quo Christum, B. Virginem et fideles omnes sanctificavit.

Nota : Copula « et » hic notat tum causam, tum effectum : causam, *q. d.* « Et, » id est « quia, » Deus est sanctus, imo ipsa increata et immensa sanctitas, idcirco fecit in me hæc magnalia sanctissima incarnationis Verbi, ut ex me virgine, inoperante Spiritu Sancto, nasceretur sanctum, id est Sanctus Sanctorum, uti prædixit et promisit angelus : ad eum enim alludit Virgo illique applaudit ; idque fecit ob finem sanctissimum, ut scilicet per Christum sanctum peccata aboleret, et peccatores sanctificaret, itaque eos ad salutem æternam deduceret. Alludit ad illud *Daniel.* IX, 24 : « Ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, etc., et ungatur Sanctus Sanctorum. » Effectum, *q. d.* Ex hoc magno Dei opere, scilicet ex miro hoc incarnationis Verbi in me mysterio, hic sequetur effectus, ut fideles omnes summe sanctificent et glorificent Deum tanti sacramenti opificem. Ita S. Augustinus, Jansenius et a [illegible] Magis proprie tamen et primario τὸ *et* videtur notare causam, secundario vero et consecutive effectum.

Denique Deus incarnatus dicitur sanctus, quia assumpsit carnem et sanguinem immolandum Deo, tum in vita, tum in cruce et morte pro salute hominum. Nam, ut ait S. Isidorus, lib. XV ; Origenes, cap. XIV : « Nihil sanctum apud veteres dicebatur, nisi quod hostiæ sanguine esset consecratum aut conspersum. Item sanctum quod extat sanguine sancitum : sancire autem est confirmare. » Vide Apostolum, *Hebr.* IX, 12 et seq. S. Augustinus vero, lib. II *De Serm. Domini in monte,* cap. XXXI : « Sanctum, inquit, est quod violare atque corrumpere nefas est, cujus utique sceleris conatus et voluntas tenetur rea, quamvis illud sanctum, natura inviolabilis atque incorruptibile maneat. » S. Bernardus autem, serm. 3 *in Vigilia Nativit.,* sanctitatem in clementia et mansuetudine collocat, juxta illud de Mose : « In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, » *Eccli.* XLV. Unde subjungit : « Sane ut perfecta sit sanctificatio, etiam mansuetudinem et gratiam socialis vitæ a Sancto Sanctorum discamus oportet, sicut ipse ait : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Quid enim hujusmodi hominem discere prohibet deliciis affluentem, qui suavis et mitis, et multæ misericordiæ, omnibus omnia factus est, et universos perfundit oleo quodam mansuetudinis et lenitatis, quo sic infusus est, sic perfusus etiam et superfusus, ut stillare videatur undique ? »

Hinc aliqui recentiores τὸ « et sanctum nomen ejus, » referunt ad vers. seq. « Et misericordia ejus, » etc., quasi hæc sit Dei sanctitas. Verum ad litteram referendum est ad id quod præcessit, ut dixi. Porro, divinæ sanctitatis ideam nobis imitandam graphice depingit S. Bernardus in Humberto monacho, serm. *De obitu ejus* : « Erat, ait, humilis corde, dulcis sermone, strenuus opere, fervens charitate, in commisso fidelis, in consilio circumspectus et prudens. Compositus erat super omnes homines, quos viderim in diebus istis, unus et idem perseverans omni tempore et omni hora. Plane in semitis Domini Jesu posuit vestigia, nec retraxit pedem, donec cursum itineris consummaret. Ille fuit pauper, pauper etiam iste fuit. Vixit ille in laboribus, et hic in laboribus multis. Crucifixus est ille, et iste multis et magnis crucibus affixus, stigmata Jesu tulit in corpore suo, adimplens ea quæ deerant passionum Christi etiam in carne sua ; resurrexit ille, iste resurgit ; ille ascendit in cœlum, iste creditur ascensurus. »

Hinc Euthymius, in *Psalm.* XI : « Ille, ait, proprie ὅσιος dicitur, qui pietatem et religionem colit, quæ ad Deum pertinet ; ἅγιος vero ille, qui per semitam virtutum divinitatis efficitur particeps. » Porro, « sanctus » Hebraice dicitur קדש *cados,* id est ab omni vitio, labe, imo et vulgi consuetudine semotus et separatus, qualis imprimis est Deus, cujus sanctitas et majestas adeo semota est, alta et eminens, ut omnes deos, angelos et homines in infinitum transcendat. Unde S. Dionysius, *De Divin. Nom.,* cap. XII : « Cum sanctitas, ait, sit ab omni labe immunis, et omnino perfecta et

immaculata munditia; hinc Deus a munditiæ et virtutum omnium, quibus plenissimus est, exuberantia Sanctus Sanctorum nuncupatur. » Verba S. Dionysii, quia fusa sunt, in pauca contraxi. Et Beda : « Sanctum, inquit, nomen ejus vocatur, quia singularis culmine potentiæ transcendit omnem creaturam, atque ab universis quæ fecit, longe segregatur. Quod Græca locutione melius intelligitur, in qua ipsum verbum quod dicitur ἅγιος quasi extra terram esse significat : cujus etiam nos imitatione, pro modulo nostro segregari præcipimur ab omnibus qui non sunt sancti, nec Deo dedicati, dicente Domino : Sancti estote, quia et ego sanctus sum; quicumque enim se Deo consecraverit, merito extra terram et extra mundum videbitur. Potest enim et ipse dicere : Super terram ambulantes, conversationem in cœlis habemus. »

Symbolice : Deus suum nomen שדי *saddai*, id est *mammeus*, *liberalis*, revelavit Abrahæ, *Genes.* XVII, 1; Mosi vero nomen suum proprium יהוה *Jehova* (quem Varro, ait S. Augustinus, lib. I *De Consensu Evang.*, cap. XXII, ex similitudine nominis, censuit esse *Jovem*, deum Romanorum; sed falso), id est « ens, » sive « qui est, et omnibus dat esse, » *Exod.* VI, 3; B. Virgini vero hoc loco revelat nomen suum « sanctus, » quia sanctitatem suam in eam effudit per Sanctum Sanctorum, id est Christum, qui in omnes fideles suam sanctitatem velut sol diffusurus erat.

*Sanctum nomen Dei.*

Hinc nonnulli per « sanctum » Dei nomen accipiunt nomen Jesu; hoc enim sanctius et venerabilius est nomine « Jehova, » uti ostendi *Numer.* XIII, 17. Christiani ergo a Christo vocati ad plenam sanctitatem, sancti esse debent; unde a Paulo passim vocantur sancti, imo sanctiores omnibus fidelibus, qui fuerunt sub Mose, Abraham, Noe, Adam, etc. Christianismus enim nil aliud est, nisi vita Christi, sive professio sanctitatis Christi. Christianus ergo ita vivat, uti decet discipulum Christi, ut vita ejus viva sanctitatis Christi sit imago; ut quisquis eum videt et audit, in eo Christum sibi videre et audire videatur.

50. ET MISERICORDIA EJUS A PROGENIE IN PROGENIES (Syrus, *ætates*; Arabicus, *in generationem generationum*) TIMENTIBUS EUM. — « Misericordia, » Græce ἔλεος, quæ vox respondet Hebraice חסד *chesed*, id est pietas, bonitas, beneficentia, liberalitas, *q. d.* Deus uti summe potens est et sanctus, sicut jam dixi, ita pariter summe misericors est, idque continuo et semper in omnes, qui quavis ætate eum amant, ideoque timent eum offendere; quapropter mandatis ejus studiose obtemperant uti ego semper eum amavi, timui, eique per omnia obedire sategi. Hæc est enim secunda hujus cantici pars, qua B. Virgo a propriis sibi beneficiis a Deo collatis, transit ad communia toti Israeli, id est omnibus fidelibus præstita, ut dixi vers. 46.

51. FECIT POTENTIAM (Syrus, *victoriam*; Arabicus, *virtutem*) IN BRACHIO SUO : DISPERSIT (Syrus, *dissipavit*) SUPERBOS MENTE CORDIS SUI. — Laudavit Virgo Dei clementiam et misericordiam in pios se timentes, nunc ex adverso laudat ejusdem severitatem et justitiam in impios ipsum contemnentes.

IN BRACHIO SUO. — Anthropopathôs Dei robur et potentia significatur per manum, digitum, dextram; sed maxime per brachium; virorum enim vires resident, seseque exerunt in brachiis et lacertis. Sensus ergo est, *q. d.* Deus potenti sua fortitudine ceu brachio suo, multa potenter operatus est ab omni ævo, uti cum Pharaonem per Mosen; Chananæos per Josue et Judices; Philistinos, Ammonitas, Moabitas, Idumæos per Davidem contrivit, vicit, subjugavit : multo magis jam idem Deus in me potenter incarnari facit Christum, per quem potenter debellabit Luciferum, infernum, mortem, peccatum omnesque impios. Unde Beda et Theophylactus mystice per « brachium » hic intelligunt Filium Dei in Virgine incarnatum. Hic enim est Dei virtus, I *Cor.* I, 24. Alludit ad *Isaiæ* LIII, 1 : « Brachium Domini cui revelatum est? » Vide ibi dicta.

*Brachium Filius Dei.*

DISPERSIT SUPERBOS MENTE CORDIS SUI. — Uti dispersit, disjecit et evertit Pharaonem, Nabuchodonosor, Arphaxat, Salmanasar, Baltassar, Antiochum, etc.

Nota : τὸ « sui » nonnulli ad cor Dei referunt, *q. d.* Deus suo corde, id est voluntate et decreto dispersit superbos. Ita S. Augustinus hic : « Et hoc, inquit, mente cordis sui; id est in profundo consilio suo dispersit eos. Profundum consilium fuit, ut pro me Deus fieret homo, et innocens pateretur, ut redimeretur nocens; et hoc his erat consilium, nec poterat illud diabolus prævidere, sed captus homo Leviathan. » Hanc expositionem sequitur Carthusianus : « Mente, inquit, id est intentione et libito cordis, id est intellectus sui, quo cuncta discernit, judicat et disponit. » Verum ex Græco liquet τὸ « sui » referendum esse non ad cor Dei, sed ad cor superborum. Græce enim est αὐτῶν, id est *ipsorum*, uti vertit Syrus et Arabicus. Unde Euthymius : Deus, inquit, dispersit eos, qui corde suo erant superbi.

Alii significantius τὸ « sui » referunt ad dispersit, *q. d.* Deus superbos dispersit mente, id est per mentem, aut, ut Græce est, διανοίᾳ, id est per cogitationem cordis ipsorum, quia scilicet superba eorum consilia et machinationes in ipsorummet exitum retorquet, ut eos dispergat, juxta illud *Job*, V : « Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, » uti fecit Pharaoni insequenti Hebræos per mare Rubrum, illum in eodem mari cum omnibus suis submergendo; et fratribus Josephi, qui eum vendiderunt ut perderent, sed Deus per hoc Josephum sublimavit fratresque ipsum adorare coegit.

*Lepidum de tyranno superbo exemplum.*

Lepidum est quod S. Antoninus, *part.* II, tit. III, cap. II, narrat de quodam tyranno, qui radi de libris imperavit ex Mariæ cantico : « Dispersit superbos mente cordis sui : deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles; » quod se de sua sede posse deponi negaret. Cum semel post balneum, inquit, vestes illius angelus ipsum referens induisset, ac domum cum aulicis venisset, ille vero laceras vilesque sumere coactus, illuc reversus in aulicos diras et minas jactaret, pro stolido habitus ad angelum deductus est, qui verus princeps habebatur; a quo, postquam eum aulici effuse risissent, in penetrale admissus, deque modestia monitus, proprias vestes induit, ac deinceps in honore tanquam legitimus herus habitus est. Aliud exemplum huic simile de clerico ridente sententiam Christi : « Qui se humiliat, exaltabitur, » ex beato Petro Damiano recensui, *Matth.* XXIII, 12.

SUPERBOS. — Nonnulli nomen « superbus » derivant a Græco ὑπέρβιος, id est *superviolentus*, id est valde violentus, quia qui sunt superbi, sunt et violenti, ac in alios contumeliosi et injurii, uti fuere Imperatores et tyranni jam citati, sed horum vim majori vi consilii sui dispersit Deus. Alii « superbio » derivant a *super* et *eo* : superbus enim vult alios supergredi. Sic *mens* dicitur quasi *eminens*; est enim altior animi pars, qua superbi alta sua consilia destruunt. Albertus vero hic notat *mentem* a metiendo dici; quoniam ea quæ corde revolvimus et tractamus, mente mensurantur. Superborum vero mens est eorum mensura, quatenus fastum et altitudinem quam corde tractant, ad effectum perducant : a mente autem cordis disperguntur, quando inique conceptum et tractatum perficere non possunt, juxta illud *Isai.* VIII, 10 : « Inite consilium, et dissipabitur : loquimini verbum, et non fiet. »

52. DEPOSUIT (Syrus, *deturbavit*) POTENTES DE SEDE, ET EXALTAVIT HUMILES. — Uti deposuit de solio regali superbum Saulem, subrogando ei humilem Davidem; sic superbo Aman subrogavit humilem Mardochæum et Vasthi Estherem. Sic Josue, XII, 7, percussit triginta unum reges Chananæos, eorumque regna sibi et Israeli subdidit. Idem fecit, facit et faciet Deus omni sæculo. Quare hæc præterita « fecit, dispersit, deposuit, exaltavit, » etc., amplissime accipienda sunt, ut quodlibet tempus significent, tam futurum quam præsens et præteritum more Hebæorum. « Deposuit, » ergo deponit et deponet.

POTENTES. — Græce δυνάστας, id est dynastas, principes; nam a δύναμις, id est potentia, dicti sunt dynastæ, id est potentes.

Alludit Virgo ad Davidem qui, *Psalm.* CXII, 6, ita de Deo canit : « Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem; ut sedeat cum principibus, cum principibus populi sui. » Et ad Annam quæ, I *Reg.* II, 7, ita jubilat : « Dominus pauperem facit, et ditat; humiliat, et sublevat : suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. »



*Maxime sub tempus nativitatis Christi deposuit Deus potentes de sede.*

Porro, tum alias sæpe, tum sub tempus nativitatis Christi Deus deposuit potentes de sede, toto pene orbe, quem sublato Julio Cæsare, Pompeio, Lepido, Antonio cæterisque regibus, principibus et tyrannis, uni subjecit Augusto Cæsari, qui typus fuit Christi, æque ac fuerat Cyrus, *Isai.* XLV, 1. Unde, nato Christo, nomen Domini sibi oblatum recusavit. Ita ex Philone et aliis Baronius initio *Annalium*. Tunc quoque Deus deposuit de sede Hyrcanum et Aristobulum de principatu Judææ inter se contendentes; in quibus desiit stirps et successio Assamonæorum, puta Judæ, Jonathæ et Simonis Machabæorum. Herodes quoque infanticida regno et vita privatus est, ac paulo post tota ejus progenies regia interiit, æque ac Augusti Cæsaris, scilicet ut significaretur Christum jam esse natum illique regnum omne deberi et præparari, uti prædixit Daniel, cap. VII, vers. 13.

53. ESURIENTES (πεινῶντας, id est famelicos) IMPLEVIT (Syrus, *saturavit*) BONIS, ET DIVITES DIMISIT INANES. — Sic esurientes Hebræos (qui erant ad tricies centena hominum millia) manna de cœlo pluente aluit in deserto per quadraginta annos. Sic eosdem induxit in terram promissam lacte et melle manantem, expulsis Chananæis et fame tabescentibus. Sic Eliam esurientem Deus pavit per angelum, Danielem in lacu leonum per Habacuc, Paulum primum eremitam per corvum. Sic et B. Virginem esurientem et sitientem justitiam pavit Verbo incarnato, ac eodem fideles omnes pascit in Eucharistia magisque pascet in cœlo. Hoc enim hic intendit significare Spiritus Sanctus, et hoc ad præsens incarnationis negotium pertinet.

Alludit ad illud Annæ, I *Reg.* II, 5 : « Impleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt. » Et ad illud Davidis : « Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, » *Psal.* XXXIII, 11. Per « esurientes » ergo intelliguntur pauperes; his enim opponit divites.

*Vers. 54. Suscipere in Scriptura, quid?*

54. SUSCEPIT ISRAEL PUERUM SUUM, RECORDATUS MISERICORDIÆ SUÆ. — « Suscipere » in Scriptura, præsertim Psalmis, est amplissimæ significationis. Significat enim assumere, manum porrigere, adjuvare, amplecti, erigere, defendere, promovere, etc. Sensus ergo est, *q. d.* Deus populum Israeliticum, quem quasi puerum, id est filium vel servum suum tenere diligebat, jam quasi collapsum manu apprehendit, erexit, adjuvit, restituit, et omni benevolentiæ et beneficentiæ genere prosecutus est. Fecit id Deus olim sæpius per Mosem, Josue, Samuelem, Davidem, Ezechiam, Josiam, Esdram, Zorobabel, Machabæos, etc., sed nunc maxime id fecit mittendo Israeli Messiam ipsi promissum; hic enim in utero meo, ex me, quæ sum Israelita, carnem suscepit. Tunc enim plane collapsa erat respublica et Ecclesia Israelis, id est populi Judaici,

cum et sceptrum ab eis ablatum esset, et translatum ad Herodem et Romanos, atque pontifices et sacerdotes suis lucris commodisque intenti, populi salutem negligerent : quare populus tunc graviter afflictus, variis tum animæ, tum corporis miseriis laborabat. Deus ergo misit opportune tunc Christum, ut ex eis omnibus suum Israelem, id est omnes fideles, tam ex Judæis quam ex Gentibus ad se conversos eriperet. Unde S. Augustinus : « Suscepit, inquit, Israel, non quem invenit Israel, sed ut faceret Israel, suscepit : sicut medicus ægrotum, ut sanaret infirmum, et redimeret captivum; ut justificaret impium, et salvaret justum. » Israel enim Hebraice idem est quod *vir videns Deum*, aut potius *dominans Deo*, *Genes.* XXXII, 28. Est enim hæc tertia pars hujus cantici, qua B. Virgo a communibus beneficiis olim Israeli a Deo præstitis, redit ad proprium hoc et peculiare Messiæ jam in se incarnati, quod omnium fuit maximum et præstantissimum.

RECORDATUS MISERICORDIÆ SUÆ. — Causa enim cur Deus miserit Christum, fuit communis Israelis et totius generis humani, morti et gehennæ ob peccata addicti, miseria, cujus miserens Deus misit Christum, ut ab illa nos eriperet, et Deo cœloque restitueret. Unde S. Leo, serm. 1 *De Jejunio decimi mensis* : « Causa, ait, reparationis nostræ non est, nisi misericordia Dei. »

Hujus Deus dicitur quasi postliminio « recordatus, » quia post quatuor annorum millia, quibus homines in sua miseria relinquens, misericordiæ suæ patribus promissæ videbatur oblitus, nunc ejus quasi recordatus, illam per Christum reipsa exhibuit. Hæc enim misericordia non est alia, quam salus per Christum allata.

55. SICUT LOCUTUS EST AD PATRES NOSTROS, ABRAHAM, ET SEMINI EJUS IN SÆCULA. — Τὸ « sicut » et cætera usque ad « Abraham » parenthesi intercipienda sunt, ut patet ex Græco, et ex eo quod subdit : « semini; » alioqui enim dicendum fuisset « ad semen, » sicut dixerat « ad patres. »

Significat ergo Virgo misericordiam hanc, id est salutem allatam per Christum, a Deo ab olim fuisse promissam patribus, ut Adæ, *Genes.* III, 15; Abrahæ, *Genes.* XXII, 18; Davidi, II *Reg.* VII, 12, et cæteris, *q. d.* Hæc Christi incarnatio non est res fortuita, sed ab æterno a Deo ad salutem Israelis totiusque mundi, magno consilio provisa et decreta, ac in tempore ab origine mundi Patriarchis omnibus promissa : quare ipsi eamdem avidissime desiderarunt, et ardentissimis suspiriis a Deo postularunt, sed non obtinuerunt, quia Deus huic tempori et ætati tantum donum reservare et exhibere decrevit.

ABRAHAM, ET SEMINI EJUS IN SÆCULA. — « Abraham » est dativi casus, ut patet ex Græco, et ex τῷ « semini. » Hæc verba enim referenda sunt, non ad « patres nostros, » utpote parenthesi intercepta, sed ad τὸ « recordatus misericordiæ suæ, » quod præcessit, *q. d.* Deus incarnando Christum, recordatus est misericordiæ suæ, olim ab eo Abrahæ et semini, id est posteris ejus Israelitis, promissæ. Christus enim proprie Israelitis fuit promissus; ab eis tamen, utpote Christum repellentibus, illam derivavit Deus ad Gentes, quæ avide Christum susceperunt. Abrahæ meminit, tum quia hic fuit primus Patriarcha Israelis; tum quia hic fide excelluit, ideoque a Deo nuncupatus est Pater credentium, ac promissionem de Christo ex semine ejus nascituro, per quem omnes gentes benedicendæ, id est salvandæ forent, accepit, *Genes.* XXII, 18.

Quocirca hoc semen, id est filii et posteri Abrahæ, intelligendi sunt non carnales, puta Judæi secundum carnem ex Abraham prognati, sed spiritales, puta fideles tam ex Gentibus, quam ex Judæis in Christum credentes : hi enim fidem Abrahæ quasi patris credentium imitantur, uti dixi vers. 32, ac diserte docet Apostolus, *Rom.* cap. IX, vers. 8.

IN SÆCULA. — Hæc vox referri potest tum ad τὸ « semini, » *q. d.* Semini Abrahæ duraturo « in sæcula, » id est in perpetuum; tum ad τὸ « misericordiæ, » vers. 54, *q. d.* Recordatus est Deus misericordiæ suæ, id est salutis dandæ per Christum, eamque voluit durare non centum vel mille annos, sed in sæcula sæculorum, id est in æternum. Eodem redit uterque sensus. Ita Jansenius, Maldonatus, Franciscus Lucas et alii.

56. MANSIT AUTEM MARIA CUM ILLA QUASI MENSIBUS TRIBUS, ET REVERSA EST IN DOMUM SUAM. — « Mansit, » serviens Elisabethæ cognatæ suæ jam partui vicinæ, eamque suis sanctis obsequiis et alloquiis recreans, et magis sanctificans, æque ac Joannem ventre ejus contentum. Ita S. Ambrosius : « Non sola, inquit, familiaritatis est causa, quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad salutationem Mariæ exultaret infans in utero, et impleretur Spiritu Sancto mater infantis : quantum putamus, usu tanti temporis S. Mariæ addidisse præsentiam ! » Sic et Origenes hic, *homil.* 9, docet per hos tres menses, tam Joannem quam Elisabetham, ex præsentia Virginis mire in sanctitate profecisse : « Exercebatur ergo, inquit, et quasi in athletico sancta matre (ut mater Joannis esset quasi agon et locus certaminis athletici) per tres menses ungebatur Joannes, et præparabatur in matris utero, ut mirabiliter natus mirabilius nutriretur : » non enim hic lactationis, aut nutricum et gerularum ejus ulla fit mentio, sed tantum dicitur : « Et erat in deserto usque ad diem ostensionis suæ ad Israel. » Hæc Origenes.

QUASI MENSIBUS TRIBUS, — id est usque ad nativitatem Joannis. Venit enim sexto mense a concepto Joanne, ut patet vers. 26. Joannes autem natus est tertio post mense, puta mense nono a conceptione sua.

An B. Virgo adfuerit nativitati S. Joannis? Negant nonnulli.

Quæritur hic, an B. Virgo manserit usque ad partum et nativitatem Joannis, illique interfuerit? Negant Theophylactus, Euthymius, Jansenius.



Probant *primo*, quia B. Virgo venit mense sexto, et mansit quasi mensibus tribus; ergo discessit ante nonum mensem finitum, ac proinde ante partum Elisabethæ, *secundo*, quia post discessum Virginis narrat Lucas partum Elisabethæ, atque in eo nullam Virginis facit mentionem; *tertio* et maxime, quia castissimam Virginem partui interesse non decebat; *quarto*, quia conveniebat ut turbam in partu affluxuram effugeret.

Contrarium tamen æque est probabile, imo probabilius, idque plures sentiunt, scilicet Origenes, S. Ambrosius, Beda, Maldonatus, Toletus, Franciscus Lucas. Probatur *primo*, quia incivile fuisset usque ad partum manere, et immediate ante partum discedere; *secundo*, quia in partu maxime Virginis præsentia, ope et consolatione egebat Elisabetha; *tertio*, quia Virgo ad hoc mansit per tres menses, ut Joannem orbis miraculum et Christi sui præcursorem cerneret, amplecteretur et benediceret, ac vicissim ut Joannes jam natus matrem Domini, et in ea Christum Dominum cerneret, salutaret et veneraretur. Unde Beda : « Tamdiu, ait, mansit Maria, donec Elisabeth partus tempore completo, præcursoris Domini sui, propter quem maxime venerat, nativitatem videret. »

Ad *primum* respondeo, τὸ « quasi » significare hic non diminutionem, sed augmentum, *q. d.* Mansit circiter per tres menses, et paulo amplius. Adde potuisse nasci Joannem in fine trium mensium; multæ enim proles nascuntur nono mense necdum expleto.

Ad *secundum*, Lucas prius voluit pertexere totam historiam visitationis B. Virginis, deinde nativitatem Joannis ex ordine recensere, ne unam rem cum alia confunderet.

Ad *tertium*, B. Virgo ipsa hora partus se subduxit in cubiculum, orans pro felici partu : partus autem curam permisit obstetricibus, ad quas illa pertinebat; hoc enim, vel simile, decorum eam servasse par est credere.

Ad *quartum*, turba affluentium parva fuit, et si magna fuisset, majorem fecisset Virgo fructum, pluribus annuntiando præcursorem Christi jam esse natum, aliisque suis piis sermonibus.

ET REVERSA EST IN DOMUM SUAM, — in Nazareth. Domus hæc Virginis ab angelis translata Lauretum, religiose ibidem visitur et colitur, uti dixi.

57. ELISABETH AUTEM IMPLETUM EST TEMPUS PARIENDI, ET PEPERIT FILIUM. — Visitationi B. Virginis subjungit Lucas partum Elisabethæ, velut effectum causæ. B. Virgo enim suis meritis et precibus impetravit felicem ejus partum, ac Joannis tum nativitatem, tum sanctitatem; ad hoc enim venerat ex Nazareth, et manserat cum ea per tres menses.

Symbolice : Origenes hic, *hom.* 9 : « In Scriptura, ait, nusquam dicitur in ortu peccatoris, completum est tempus ut pareret; sed ubicumque justus nascitur, ibi complentur dies. Ortus justi plenitudinem habet, peccatoris nativitas vacuitatem et inanitatem. »

ET PEPERIT FILIUM, — Joannem Baptistam die 24 junii : tunc enim quotannis Ecclesia ejus unius natalem communi omnium gaudio celebrat, pariter et Christi. In cæteris enim Sanctis celebrat diem non natalem, sed fatalem, quo ex misera vita ad beatam migrarunt.

58. ET AUDIERUNT VICINI ET COGNATI EJUS, QUIA MAGNIFICAVIT DOMINUS MISERICORDIAM SUAM CUM ILLA, ET CONGRATULABANTUR EI. — Græce συνέχαιρον, id est *congaudebant ei*. Ita impletum illud angeli promissum vers. 14 : « Et multi in nativitate ejus gaudebunt. » « Misericordiam, » qua liberavit eam Deus opprobrio sterilitatis, et talem ei dedit prolem. Nimirum, ut ait S. Ambrosius, « habet Sanctorum editio lætitiam plurimorum, quia commune est bonum; justitia enim communis est virtus. » Justi enim suo exemplo omnibus prosunt, multi etiam sua prædicatione, uti profuit S. Joannes. Zachariæ hic non fit mentio, quia ipse erat surdus et mutus.

59. ET FACTUM EST IN DIE OCTAVO, VENERUNT CIRCUMCIDERE PUERUM, ET VOCABANT EUM NOMINE PATRIS SUI ZACHARIAM. — « Venerunt, » scilicet sacerdotes et cognati, quorum erat circumcidere vel cohonestare circumcisionem.

CIRCUMCIDERE. — Adverte hic Judæos non semper in synagoga fuisse circumcisos. Nam Joannem domi fuisse circumcisum colligitur ex vers. seq., ubi significatur mater circumcisioni interfuisse, quæ, quia puerpera, domo egredi non poterat, juxta legem *Levit.* XII, 4.

Porro, per circumcisionem infans purgabatur a peccato originali, et aggregabatur Ecclesiæ, sive populo fideli. Unde tunc nomen alicujus fidelis præsertim patris, avi, vel cognati ei imponebatur, uti nunc fit in baptismo; quia tunc infans nomen dabat Deo et populo Dei, puta Synagogæ, sive Ecclesiæ. Vide de circumcisione dicta *Genes.* cap. XVII, vers. 10.

60. ET RESPONDENS MATER EJUS, DIXIT : NEQUAQUAM, SED VOCABITUR JOANNES. — Arabicus, *vocate eum Joannem*. Nota Elisabeth non tam a Zacharia, utpote surdo et muto, quam a Spiritu Sancto quo, salutante eam Virgine, repleta mysterium incarnationis Verbi in Virgine, aliaque maxima cognoverat, cognovisse quoque filii sui nomen, illi a Deo per angelum vers. 13 inditum, ac Zachariæ revelatum, cæteraque omnia quæ Zachariæ in templo thurificanti contigerant. Ita S. Ambrosius, Origenes, Beda, Euthymius et Theophylactus. Nam, ut ait S. Ambrosius : « Neque ignorare poterat Domini præcursorem, quæ prophetaverat Christum, » vocando B. Virginem matrem Domini, id est Dei.

61. ET DIXERUNT AD ILLAM : QUIA (τὸ « quia » respondet Hebr. כִּי *ki*, et per pleonasmum redundat) NEMO EST IN COGNATIONE TUA, QUI VOCETUR

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

HOC NOMINE. — Solebant enim Judæi, uti etiamnum Christiani, infantibus nomina patrum, vel cognatorum illustrium imponere, tum ut eorum heroica facta imitarentur, tum ut illorum memoria et gloria in aliis et posteris maneret superstes. Hic est m[illegible] terræ, sed Joannes erat civis cœli, non terræ, un[illegible]e cœleste e cœlo nomen accepit. « Adverte hoc nomen non esse generis, sed vatis, » ait S. Ambrosius et Beda.

62. INNUEBANT AUTEM PATRI EJUS, QUEM (Syrus, *quomodo*) VELLET VOCARI EUM? — Arabicus, *quem vis vocari eum?* ne forte mater errasset in nomine infantis assignando, consulunt patrem, ad quem, uti infans, sic et infantis nomen spectabat. « Innuebant; quia incredulitas affatum ei eripuit et auditum, nutu interrogatur, » ait S. Ambrosius.

63. ET POSTULANS PUGILLAREM SCRIPSIT, DICENS, JOANNES EST NOMEN EJUS. — « Pugillarem, » Græce πινακίδιον, id est tabellam, in qua stylo scribitur, quales apud nos sunt ex pergameno aut tegulis (olim vero erant ex cera) quas mercatores circumferunt memoriæ causa, ut scribant ea quorum recordari velint.

DICENS, — non ore, sed manu et litteris, ait S. Ambrosius.

JOANNES EST NOMEN EJUS. — Notat S. Ambrosius dici « est, » non « erit, » *q. d.* Hoc nomen nos ei non imponimus, quia jam a Deo accepit, vers. 13; « habet suum nomen quod agnovimus, non quod elegimus. » Sic et Beda. De nomine Joannis dixi vers. 13. Quibus adde priscis indita fuisse nomina ab eventu vel præsenti, vel futuro. Sic Isaac nomen accepit a risu matris; Jacob a supplantatione fratris sui; Esau, quia natus est pilosus; Cain, quia ipse fuit possessio matris Evæ; Noe, quia ipse consolator mundi, diluvio mergendi, futurus erat; Phares, quia divisit maceriam; Moses, quia ex aquis fuit extractus; Gersam, quia peregrinus; Joseph, quia matri additus, etc. Sic et Joannes dictus a gratia et misericordia, quam accepit in sui non conceptione, sed visitatione B. Virginis.

ET MIRATI SUNT UNIVERSI — tum concordiam patris cum matre, tum nomen Joannis in illa familia insolitum et inauditum; nesciebant enim illud cœlitus fuisse revelatum Zachariæ, vers. 13.

64. APERTUM EST AUTEM ILLICO OS EJUS, ET LINGUA EJUS, ET LOQUEBATUR BENEDICENS (laudans) DEUM. — « Apertum est os, » id est cœpit loqui. Est catachresis. Mutis enim videtur os esse clausum ne loqui possint. Causam dat S. Ambrosius : « Merito, ait, continuo resoluta est lingua ejus; quia quam vinxerat incredulitas, fides solvit. » Videns Joannem sibi reipsa natum, credidit promissis de eo ab angelo sibi factis, de quibus antea dubitaverat. Joannes ergo sicut in ventre matrem replevit Spiritu Sancto, sic et jam natus eumdem patri aspiravit. Unde S. Gregorius Nazianzenus : « Editus, ait, Joannes Zachariæ solvit silentium : absurdum enim erat voce Verbi progressa patrem manere elinguem. »

Porro, « fiebant hæc omnia dispensative, ait Theophylactus, ut Joannes dignus fide testis Christi haberetur. » Et Beda : « Futurus propheta, ait, præmissis commendatur auspiciis. » Cum ore et lingua pariter aures Zachariæ fuisse solutas, ut ex surdo fieret audiens, non est dubium. « Manifestum est, ait Euthymius, quod et auditus pariter solutus est; sicut enim pariter ablatus fuerat, ita quoque pariter solutus est. »

Symbolice : S. Ambrosius, in cap. III *Lucæ*, 4 : « Quia, ait, Joannes vox erat (juxta illud : Ego vox clamantis in deserto, *Joan.* I, 23), idcirco in ejus nativitate pater mutus vocem recuperavit. »

65. ET FACTUS EST TIMOR (Syrus, *pavor*) SUPER OMNES VICINOS EORUM; ET SUPER OMNIA MONTANA (Syrus, *in universo monte*) JUDÆÆ DIVULGABANTUR OMNIA VERBA HÆC. — « Timor, » id est religio, reverentia erga Deum, tam potenter tot mirabilia circa Joannem in matre et patre operantem. Patet ex sequent. Ubi enim Deus suam potentiam ostendit, ibi oritur hominum erga eum ejusque majestatem sacer timor et reverentia. Sic passim hic timor accipitur pro religione et reverentia erga Deum vel homines sanctos, ut patet cap. VII, 16; *Marc.* IV, 40.

66. ET POSUERUNT OMNES QUI AUDIERANT IN CORDE SUO, DICENTES : QUIS PUTAS PUER ISTE ERIT? ETENIM MANUS DOMINI ERAT CUM ILLO. — « Posuerunt in corde, » id est cordi sive menti impresserunt; pressius de his miris et miraculis cogitarunt, studiose ea considerarunt, perpendentes quid ea sibi vellent, quidve futurum circa Joannem portenderent.

QUIS PUTAS PUER ISTE ERIT? — Arabicus, *quid putas futurum esse de hoc puero?* Fecit hoc Deus ut per hæc signa excitaret omnium animos ad considerationem et venerationem Joannis, utpote futuri præcursoris et indicis Christi, ut Joanni auctoritatem conciliaret, itaque testimonium ejus de Christo omni exceptione foret majus; « ut iter præcursori veritatis præcurrentia signa præbeant, » ait Beda. Christus revelavit S. Brigidæ, lib. I *Revel.*, cap. CVIII, tres Sanctos præ cæteris sibi placuisse, scilicet B. Virginem, Mariam Magdalenam et Joannem Baptistam, adeoque in ejus nativitate consternatos dæmones planxisse, cum angeli et pii Israelitæ exultarent.

Manus Dei cum Joanne.

ETENIM MANUS DOMINI ERAT CUM ILLO. — « Manus, » id est potentia, providentia, cura, gratia et favor (horum enim omnium symbolum est manus) mirabilis Dei ostendebat se in puero hoc, scilicet Joanne, ut eum singulariter ad magna produxisse, elegisse et destinasse, ideoque singularem ejus curam gerere, et cum illo esse illique per omnia assistere videretur; idque *primo* ostendebat, annuntiando ejus nativitatem patri Zachariæ per angelum; *secundo*, Zachariæ muti linguam, et surdi aures in nativitate Joannis solvendo in laudes Dei; *tertio*, eum illuminando et impellendo ad prophetandum de puero, *quarto*, dando prolem hanc Elisabethæ sterili et seni per miraculum; *quinto*, dando puero nomen novum et insolitum, scilicet « Joannes, » id est Deus misertus est, vel Deus gratum habet. Quæ omnia partim miracula, velut præludia portendebant Joannem fore magnum virum et Prophetam, Deumque per illum eximia operaturum; atque omnes illa videntes vel audientes ingenti timore, gaudio et spe perfundebant.



Addit S. Ambrosius, Origenes et Euthymius, ipsummet Joannem sensisse in se hanc Dei manum, cum in dies sentiret se per Dei operationem in usu rationis, in sanctis inspirationibus et desideriis, in Christi amore et cultu, in gratia et meritis cum ætate supra naturam crescere et proficere.

67. ET ZACHARIAS PATER EJUS REPLETUS EST SPIRITU SANCTO, ET PROPHETAVIT DICENS. — Zacharias jam habebat Spiritum Sanctum; erat enim justus, ut audivimus vers. 6; hic tamen per ortum Joannis, tantam Spiritus Sancti gratiæ tum gratum facientis et sanctificantis, tum gratis datæ, scilicet prophetiæ, copiam accepit, tantoque Christi jam in Virgine incarnati amore, gaudio et jubilo perfusus est, ut exultans in canticum hoc propheticum prorumperet, fidei, reverentiæ et devotionis plenissimum : quod proinde Ecclesia quotidie in Officio divino ad Laudes solemniter decantat.

68. BENEDICTUS (sit, id est benedicatur, laudetur, celebretur) DOMINUS DEUS ISRAEL, QUIA VISITAVIT ET FECIT REDEMPTIONEM PLEBIS SUÆ (1). — Syrus, *visitavit populum suum, et fecit ei redemptionem*, id est visitando eum redemit. Est hendiadys. Zacharias hoc cantico duo facit : *primo*, laudat Deum ob incarnatum in Virgine Messiam, cujus opus redemptionis mundi, et vim gratiæ decantat; *secundo*, a vers. 76 usque ad finem, laudat Deum compellando Joannem filium suum, ejusque quasi præcursoris Christi officium et munus præcinit.

DEUS ISRAEL. — Græce τοῦ Ἰσραήλ, id est Israelis : licet enim Deus sit omnium hominum, tamen peculiariter est Deus, id est curator, provisor, salvator Israelis, id est populi fidelis, quales olim erant Judæi sive Israelitæ, nunc sunt Christiani.

FECIT REDEMPTIONEM PLEBIS SUÆ. — *q. d.* Deus per Christum jam incarnatum fecit inchoative, id est facere incepit redemptionem et liberationem totius mundi a jugo et servitute dæmonis, peccati, mortis et gehennæ, sub qua ab Adamo per quatuor annorum millia hucusque detentus et oppressus fuit; sed præsertim Israelis, id est populi Judaici, cui primo et proprie promissus erat Messias, sive Christus. Zacharias ergo per spiritum propheticum agnovit Messiæ incarnationem in utero Virginis, ac proinde redemptionem

(1) Canticum Zachariæ præcipuis quibusdam partibus facile est distinguere. Exorsus enim a Dei laudatione, laudationis causam ille affert, fuseque explicat. Ad filium postremo sermone convertitur, ejusque officium prædicit, atque eo pertinere docet, ut notum fiat Israelitis illud quod dixerat initio carminis causam esse cur in Dei laudem erumperet, quodque aliis verbis illustrans carmen absolvit. Secus tamen est syntaxis, quæ carmen legentibus haud leves cre[illegible] difficultates, non quod intricata atque implexa ea sit, sed quia e contrario nimis dissoluta disjunctaque esse videatur, tum [illegible] modos infinitivos crebro usurpatos, tum ob plures, ut grammatici vocant, appositiones, ita ut minime appareat, utrum quædam sententiæ cum prioribus, an cum posterioribus, connectantur. Quo magis perspicua fiat hujus cantici series sententiarum, ejus [illegible] infra damus, ex opere cit. P. Patritii excerptam :

*Dei laus.*

Benedictus Dominus Deus Israel.

*Laudis causa.*

Quia visitavit (plebem suam, hoc est, nos)

Et fecit (id est, faciendo) redemptionem plebis suæ, | Et erexit (id est, erigendo) cornu salutis nobis,

in domo David pueri sui;

*Causæ explicatio.*

Sicut locutus est per os sanctorum,
Qui a seculo sunt, prophetarum ejus,

salutem
ex inimicis nostris et de manu omnium qui oderunt nos,
(scilicet)

facere misericordiam cum patribus nostris (id est, quæ ad patres nostros pertinet, iisque promissa fuit), | et memorari testamenti sui sancti;

Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, ad dandum nobis (id est, quo daret nobis) sine timore (utpote) de manu inimicorum nostrorum liberatos, (nos) servire ipsi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.

*Apostrophe ad filium.*

Et tu, puer,

*Hujus munus.*

Propheta Altissimi vocaberis,

*Muneris modus.*

Præibis enim ante faciem Domini

*Quorsum hoc munus, quidque pertineat ad illud bonum, quod carminis argumentum est.*

Parare vias ipsius ad dandam (id est, quo des) scientiam salutis plebi ipsius in remissionem peccatorum ipsorum,

*Unde hoc bonum.*

Per viscera (id est, quæ [illegible] est per viscera) misericordiæ Dei nostri,

*Modus hujus boni.*

In quibus visitavit nos Oriens ex alto; Illuminare (id est, ad illucescendum) iis qui in tenebris et umbra mortis sedent, ad dirigendos (id est, quo, qua illuminatione dirigat) pedes nostros in viam pacis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

mundi jam esse inchoatam, utpote concepto Redemptore, qui completive post paucos annos per mortem suam in cruce redempturus erat mundum. Unde Euthymius : « Beatus Zacharias, inquit, quod proxime faciendum (adde quod jam inchoatum) cognoverat, prophetico more quasi jam factum narrat. »

Vers. 69. *Cornu salutis est robur Christi salutiferum.* 69. ET EREXIT CORNU SALUTIS NOBIS IN DOMO DAVID PUERI SUI. — Nota : « Cornu » per catachresin in Scriptura significat robur, potentiam, victoriam, gloriam, et consequenter regnum ; omnis enim gloria et robur animalium cornutorum, ait ex Chrysostomo Theophylactus, consistit in cornibus. Hinc S. Cornelius Pontifex et martyr pingitur cum cornu, et ab eo nomen accepit, quia cornea fortitudine restitit Decio imperatori acerrimo persecutori, totamque Ecclesiam Romanam ad resistendum induxit, itaque de eo per martyrium gloriose triumphavit : quare corneum ejus robur mire dilaudat S. Cyprianus, epist. 1 *ad Cornelium*. Vide dicta *Habac.* III, 4, ad illa : « Cornua in manibus ejus, » ubi egi de cornibus Christi, quibus subegit mortem et gehennam. Et *Daniel.* VIII, 4, ad illa : « Hircus habebat cornu insigne. » Et *Deuter.* XXXIII, 17, ad illa : « Cornua rhinocerotis cornua illius ; in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ. »

*S. Cornelius pingitur cum cornu a quo nomen accepit.*

Sensus ergo est, *q. d.* Deus cornu salutis, id est salutiferam potentiam et gloriam regni Israelitici, quæ olim subigendo hostes Chananæos, Philistæos, Moabitas, etc., tempore Josue, Davidis et Salomonis floruerat, jam vero conciderat, rursum per Christum Davidis filium erexit ; cornu, inquam, non temporale, sed spirituale, uti dixi vers. 32. Alludit ad *Ezech.* XXIX, 21 : « In illa die pullulabit cornu domus Israel. » Ita Theophylactus, Beda, Euthymius, Jansenius, Maldonatus et alii. Hinc patet cornu salutis esse ipsum Jesum Christum salvatorem, ejusque potentiam, victoriam et regnum : hic enim salutem robustam devictis dæmonibus cæterisque hostibus attulit Israeli totique mundo, Christus enim e domo, id est e familia et stirpe David prognatus est, juxta illud Annæ : « Dominus dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi, » 1 *Reg.* II, 10 ; et illud Davidis : « Illuc producam cornu David, » *Psalm.* CXXXI, 17. Unde tropologice Beda : Cornu, inquit, excedit carnem, et regno Christi mundus et carnis gaudia superantur, in cujus figuram David et Salomon, cornu olei reges sunt consecrati. Et Origines illud Isaiæ, V, 1 : « Vinea facta est in cornu, » id est, inquit, Ecclesia plantata in Christo.

70. SICUT LOCUTUS EST PER OS SANCTORUM, QUI A SÆCULO SUNT (id est qui olim priscis temporibus fuerunt : est enallage temporis), PROPHETARUM EJUS. — Omnes enim sancti Prophetæ vaticinati sunt de Christo, ejusque robore, victoria et regno. Ita Beda. Exempla sunt *Jerem.* XIX, 20 : « Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos ; » *Isai.* XXX, 10 : « Ecce ego salvabo te de terra longinqua, et semen tuum de terra captivitatis eorum ; » *Ezech.* XIII, 21 : « Et liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultra in manibus vestris ad prædandum. »

71. SALUTEM (Syrus, *quod liberabit nos*) EX INIMICIS NOSTRIS, ET DE MANU OMNIUM QUI ODERUNT NOS, — id est omnium dæmonum et hominum impiorum, ait Glossa, puta Satanæ et ministrorum ejus. « Salutem » refert ad « locutus est, » vers. 70, *q. d.* Sicut Deus locutus est per Prophetas, et promisit salutem, id est liberationem et salvationem Israelis totiusque mundi a captivitate diaboli, peccati, mortis et gehennæ ; ita eamdem nunc præstitit, dando cornu salutis, id est robustum Salvatorem, scilicet Jesum Christum. Nota, Zachariam hic interpretari prophetias veteres de regno et salute Christi, non temporali, ut crasse intelligunt Judæi, sed spiritali, ut patet vers. 73 et seq., ubi ait : « Ut serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris ; » et vers. 77 : « Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum. »

72. AD FACIENDAM MISERICORDIAM CUM PATRIBUS NOSTRIS (1), — qua uti patribus Christum promisit, ita jam promissis stetit, Christumque posteris eorum exhibuit, per quem ipsos etiam patres e limbo liberabit et beabit, ac in cœlum secum deducet. Unde Theophylactus : « Christi gratia, inquit, etiam ad illos qui mortui erant extenditur ; omnes enim per eum resurgent : » implevit etiam patrum spem et desiderium ; nam, ut ait idem Theophylactus, « cum patres vident filios suos talibus frui bonis, gaudent et participes sunt lætitiæ, perinde ac si in se collata essent. »

ET MEMORARI (Græce μνησθῆναι, id est *meminisse, recordari, esse memorem*) TESTAMENTI SUI SANCTI. — Est græcismus, *q. d.* Ut memoraretur, seque memorem ostenderet testamenti, id est pacti cum patribus de Messia nascituro initi. Pactum hoc cum Abraham, Isaac et Jacob a Deo sancitum extat *Genes.* XII, 3, et cap. XX, 4, et cap. XXVIII, 14. Estque hoc : « Benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ. » Benedictionem hanc explicat Jeremias, cap. XXXI, 31, dicens : « Et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, etc. Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum, etc., quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius. »

(1) Haud simili prorsus modo ab interpretibus versiculus 72 cum duobus præcedentibus jungitur. Alii enim quæ sunt in vers. 70 et 71 putant παρένθεσιν esse, secus alii. In primo casu verba *ad faciendam*, *memorari*, quæ in græco modi sunt infinitivi, exprime vel gerundiis, vel participiis, et junges cum vers. 68 et 69, ut sensus sit : Deus visitavit plebem suam, *ut faciat misericordiam, et recordetur* ; vel, quod eodem recidit, *faciens misericordiam, recordatus*. Illam autem parenthesim si rejicias, versiculus 72 erit appositio qua illustretur vox *salutem*, vers. 71, ut sensus sit : *Deus locutus est*, id est promisit, *salutem*, quæ salus in eo est, *ut faciat misericordiam, et recordetur* ; vel, quod magis arridet : *Deus locutus, seu pollicitus est, quod in salutem cedet, facere misericordiam, et memorari.*

Voces *cum Patribus nostris* construendas esse Patritius negat cum verbo *facere*, non enim *Patribus nostris* tantum, sed universo hominum generi hoc beneficium præstitit Deus ; sed sunt appositæ nomini *misericordiam*, omisso de more Hebræorum pronomine relativo ; *q. d. misericordiam quæ Patribus nostris*, id est τῷ *Abraham et semini ejus, promissa a Deo fuerat.*



Vers. 73. 73. JUSJURANDUM QUOD JURAVIT (Arabicus, *promisit*) AD ABRAHAM PATREM NOSTRUM, DATURUM SE NOBIS. — « Jusjurandum » hoc *primo*, referri potest ad τὸ « memorari, » *q. d.* Ut memoraretur jusjurandum, ejusque se memorem indicaret. Græcum enim μνησθῆναι construitur cum accusativo æque ac genitivo, sicut Latinum « memorari. » Ita Euthymius.

*Jusjurandum hic ad quid referatur.*

*Secundo*, « jusjurandum » referri potest ad τὸ « misericordiam, » *q. d.* Misericordia hæc est juramento a Deo promissa, ideoque ipsa est jusjurandum illud magnum a Deo editum, et patribus juratum.

*Tertio*, aptius referri potest ad τὸ « pacti, » *q. d.* Deus misit Christum, ut memor esset sui pacti, quo illud patribus promisit, quod pactum est « jusjurandum » illud ingens, « quod juravit ad Abraham, » etc. Sic enim loquuntur Græci, ut dicant ὅρκον ὃν pro ὅρκος ὅς : ita Maldonatus et Franciscus Lucas. Unde Origenes legit, « juramenti, » in genitivo ; et clarius Syrus, *ut memor esset testamenti sui sancti, et jusjurandi.*

*Quarto*, planissime et facillime « jusjurandum » referas ad τὸ « ad faciendam » vers. 72, ut hic significentur tres causæ ob quas Deus hoc cornu salutis erexerit, id est Christum incarnarit ; scilicet, *primo*, ad « faciendam misericordiam ; » *secundo*, ut memoraretur et recordaretur sui pacti ; *tertio*, ut faceret et impleret suum jusjurandum, quo juravit Abrahæ se semen ejus (spirituale potius quam carnale) multiplicaturum sicut stellas cœli, ac in semine ejus (Christo) benedicturum omnes gentes, *Genes.* XXII, 16 : « Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me ; benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum, etc. et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. » Et Apostolus, *Hebr.* VI, 17 : « Abundantius enim volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad propositam spem. » Ita Theophylactus. Hebræi enim sæpe subticent verba, eaque ex præcedentibus vel sequentibus intelligenda relinquunt. Sic hic ait « jusjurandum, » scilicet ut faceret et impleret ; sunt enim hæc verba Zachariæ exultantis, et gaudio quasi absorpti, qualis non verba, sed res spectat et eructat : unde in verbis solœcismos aliosque defectus sæpe committit (1).

DATURUM SE NOBIS. — Ut daret nobis, liberatis ab hostibus, servire illi sine timore, ut sequitur ; ita enim hæc jungenda esse patet ex Græco et Arabico, qui sic vertit : « Jusjurandum quod promisit ad Abraham patrem nostrum, se daturum nobis salutem sine timore de manibus inimicorum, ut serviamus illi, » etc. Explicat enim jusjurandum Dei, id est benedictionem, quam Deus Abrahæ promisit et juramento confirmavit, docetque eam sitam esse in salute, quam attulit Christus, ut per ejus gratiam liberati ab inimicis nostris, scilicet a peccato, dæmone et inferno, quibus prius quasi mancipia servieramus, nunc Deo in sanctitate serviamus. Unde sequitur :

74. UT SINE TIMORE DE MANU INIMICORUM NOSTRORUM (dæmonum et hominum improborum, item peccatorum, mortis et inferni) LIBERATI SERVIAMUS ILLI — latria, qui est cultus soli Deo debitus ; Græce enim est λατρεύειν.

75. IN SANCTITATE ET JUSTITIA CORAM IPSO OMNIBUS DIEBUS NOSTRIS. — Hoc est jusjurandum, sive hæc est benedictio Dei Abrahæ jurata, scilicet salus et gratia Christi ejusque Evangelii, cujus excellentiam et perfectionem præ Mose et lege veteri, pulchre hisce epithetis describit. Prima enim ejus pars est libertas, quod scilicet liberet nos a servitute peccati et diaboli. Secunda est servitus, id est cultus veri summique Dei. Tertia est amor, non timor servilis ; Judæi enim serviebant Deo timore pœnarum, Christiani vero serviunt amore liberali, quasi filii. Unde Apostolus, *Rom.* VIII, 15 : « Non enim, inquit, accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. » Quarta est interna veraque sanctitas et justitia, non externa sita in lotionibus, sacrificiis cæterisque cæremoniis, qualem habebant Judæi. Quinta, « coram Deo, » ut cogitantes nos in Dei, qui corda singulorum intuetur, oculis versari, studeamus ei purum sanctumque cor exhibere, omniaque opera ex puro sanctoque corde peragere, scientes nos inspectorem habere Deum, qui fundum cordis pervidet, et ex illo opera nostra est dijudicaturus. Sexta, ut hæc faciamus non uno die, mense, vel anno, sed omnibus diebus nostris, scilicet perseverando in his usque ad mortem, et successive usque ad finem mundi. Ita Theophylactus, Beda et alii.

IN SANCTITATE ET JUSTITIA. — « Sanctitas ad Deum respicit, consistitque in sancto Dei cultu ;

(1) Hæc Patritius : « Ast equidem verius esse existimo *jusjurandum* appositionem esse qua superiora illustrentur et confirmentur, ideoque eumdem nominis casum ac in superioribus esse adhibitum, utpote quod his appositum sit, cumque iis ab eodem verbo dependeat. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« justitia » proximum spectat, et consequenter seipsum. Sanctitas ergo tribuit jus suum Deo, justitia hominibus, ut scilicet quisque tribuat cuique id quod ei debet, vel ex justitia, vel ex charitate, ac consequenter sibi ipsi tribuat temperantiam, modestiam, humilitatem, quibus seipsum recte ad normam legis et virtutis componat; hoc enim sibi ipsi præstare debet. « Sanctitate » ergo et « justitia » significatur omne officium virtutis, decalogo præscriptum : sanctitas enim præcepta primæ tabulæ respicit, quæ Deum spectant; justitia secundæ, quæ proximum et seipsum concernunt.

Hæc ergo sunt officia et munia vitæ Evangelicæ, ad quæ Christus nos vocat. Hæc igitur est vocatio fidelium : huc omnes vocamur, scilicet « ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, » *Tit.* II, 12, ut scilicet sanctitatem Dei et Christi imitemur, eamque moribus repræsentemus; ut ejus vita, virtus et sanctitas in nostris actibus quasi in viva sui imagine resplendeat, ac Christus ipse in nobis vivere, agere et loqui videatur, « qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, » *Tit.* II, 14, juxta illud Pauli : « Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus, » *Galat.* II; et illud Petri, *epist.* I, cap. I, 15 : « Secundum eum qui vocavit vos, Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis. » Vide ibi dicta, et Nyssenum, tract. *Quid sibi velit nomen et professio Christiani*, ubi inter alia sic ait : « Christianismus est imitatio divinæ naturæ : Christianismi professio est, ut homo reducatur ad pristinam et antiquam felicitatem; Christianismus est participatio Christi. Cum ergo Christus sit justitia, puritas et veritas, Christianus esse nequit, qui illorum communionem et societatem in se non ostendit. » Unde colligit Christiani actiones similes esse debere actionibus Christi et Dei, id est cœlestes, angelicas, divinas, quales in Evangelio legimus. Quisque ergo Christi vitam et mores inspiciat, in iisque quasi in speculo suos mores intueatur, et videbit an verus sit Christianus, an fictus et pictus duntaxat.

76. ET TU, PUER (Græce παιδίον, id est ut Syrus, *puerule*), PROPHETA ALTISSIMI VOCABERIS. — *q. d.* Tu, o Joannes, licet jam puerulus sis, octo duntaxat dierum, tamen post 29 annos vir factus eris propheta annuntians et indicans Christum. Hæc est altera cantici hujus pars, qua Zacharias pater a Christo transit ad Joannem filium suum recens natum, eumque fore Prophetam et Christi præcursorem vaticinatur, ut hæc nunc audientes et suo tempore Joannem prædicantem audituri, hujus oraculi memores, Joannem ut prophetam et Christi indicem, ac consequenter Christum ipsum ab eo indicatum, ea qua par est devotione et reverentia suscipiant. Addunt S. Ambrosius, Origenes, Theophylactus et Titus hic Joannem infantem, utpote usu rationis a Deo donatum in utero matris, hæc patris se compellantis verba audientem, intellexisse. « Potuit, inquit Ambrosius, vocem patris audire qui Mariæ salutationem ante quam nasceretur audivit. Sciebat profecto alias esse aures Prophetæ quæ spiritu Dei, non corporis ætate reserantur. » Addit Beda : « Nisi forte putandus est Zacharias, propter eos potius qui aderant instruendos, futura filii sui munera quæ dudum per angelum didicerat, mox ut loqui potuit, prædicare voluisse. »

PRÆIBIS ENIM ANTE FACIEM DOMINI (Christi, qui licet sit homo, est tamen quoque Dominus, id est Deus) PARARE VIAS EJUS. — *q. d.* Sicut regibus venturis solent viæ præparari, adæquari et ornari, auferendo ligna, saxa, sordes aliaque impedimenta vel dedecora; ita tu, o Joannes fili mi, præparabis Christo regi viam, auferendo quidquid illi posset esse offendiculo in animis Judæorum, exhortando scilicet eos verbo et exemplo ad pœnitentiam, ac ut Jesum velut verum Messiam a Deo missum excipiant, illique credant et obediant, itaque ab eo salutem et veniam peccatorum Deique gratiam consequantur. Unde explicans, subdit :

77. AD DANDAM SCIENTIAM SALUTIS (Syrus, *vitæ*, id est vivificam) PLEBI EJUS, IN REMISSIONEM PECCATORUM EORUM. — *q. d.* Ut tu, o Joannes, des Judæis scientiam salutis, ut scilicet sciant se salutem debere sperare et flagitare a Christo Salvatore; « in, » id est « ad remissionem peccatorum, » ut scilicet eam assequantur a Christo per ejus fidem et baptismum; in hac enim consistit salus Christi : peccata enim non remittuntur nisi per salutem et gratiam Christi. Unde Beda : « Quasi nomen Jesu, ait, exponere, ac diligentius commendare desiderans, salutis mentionem frequentat. » Et nonnullis interjectis : « Ne temporalem carnalemque promitti salutem putares, in remissionem, inquit, peccatorum eorum. » Vers. 78.

78. PER VISCERA MISERICORDIÆ DEI NOSTRI, IN QUIBUS (id est quibus impellentibus, vel propter quæ) VISITAVIT NOS ORIENS EX ALTO. — Causam tantorum operum, scilicet Messiæ incarnati, ejusque præcursoris Joannis jam nati aperit, assignatque « viscera misericordiæ, » id est visceralem, intimamque, et ex imo cordis sinu fundoque manantem misericordiam Dei nostri, qui summæ miseriæ nostræ misertus, ut illi succurreret, sua viscera, id est Filium suum unigenitum, in ejus incarnatione dedit, et quasi in nos effudit. Anthropopathôs ergo « viscera » significant intimam et summam Dei misericordiam, tum quia in magna commiseratione solent viscera commoveri, tum quia viscera Patris sunt Filius, quem e suis quasi visceribus genitum Deus Pater nobis donavit.



ORIENS EX ALTO. — Quæritur quis sit hic « Oriens, » et cur ita dictus ?

Nota *primo* : Pro « Oriens » Græce est ἀνατολή, id est « ortus, » sicut dicitur ortus solis, vel ortus germinis. « Oriens » ergo hic est nomen substantivum et proprium Christi. Unde Chaldæus, *Zachariæ* cap. III et VI, pro *Oriens*, vertit Messias, id est Christus.

Nota *secundo*, ex S. Hieronymo, *in Zachar.* cap. III et VI, Zachariam hic alludere *primo*, ad illud *Malach.* IV, 2 : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. » Et ad illud *Sap.* V, 6 : « Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis. » Et *Isaiæ* LX, 1 : « Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. » Et *Num.* XXIV, 17 : « Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, » Christus scilicet, qui ut stella et sol nos illuminabit, inflammabit, omnique gratia lætificabit, et viam nobis in cœlum quasi dux et sol præibit. *Secundo* et proprie, Zacharias hic alludit ad *Zachar.* cap. III, 8 : « Ecce ego adducam servum meum Orientem. » Et cap. VI, 12 : « Ecce vir, Oriens nomen ejus. » Et *Isaiæ* cap. IV, 2 : « In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, » ubi Septuaginta vertunt, « in die illa illucescet Deus in concilio cum gloria. » Et *Jerem.* XXIII, 5 : « Suscitabo David (Davidi) germen justum. » Nam, *Zach.* III et VI, Septuaginta pro « Oriens » vertunt ἀνατολή, quod ex iis huc transtulit Lucas : nec enim alibi repetitur.

Nota *tertio* : in *Zacharia*, cap. III et VI, pro « Oriens, » et Græco ἀνατολή, Hebr. est צמח *tsemach*, quod proprie significat germen, ut cum S. Hieronymo docent omnes Hebræi. Unde Septuaginta illud alibi vertunt, βλάστημα, id est *germen* : sed nomen צמח *tsemach*, per metaphoram, quæ apud Hebræos aliquando est longe petita, transfertur ad alia multa. Hebræi enim dicunt germinare justitiam, voluntatem, salutem, lucernam, lucem, pro producere justitiam, voluntatem, salutem, lucernam, lucem; sicut Latini dicunt pullulare non tantum herbas, sed et radios solis, lucem, lætitiam, salutem, etc. Patet hoc ex II *Reg.* XXIII, 5; *Ezech.* XXIX, 21, et alibi sæpe. Item ex Lexicis, atque ex Septuaginta qui, *Isaiæ* IV, 2, pro « erit germen, » sive « germinabit, » vertunt, *illucescet*, uti jam dixi; atque in Zacharia pro צמח *tsemach*, id est *germen*, vertunt, ἀνατολή, id est *ortus*, quod licet in genere de quovis ortu, etiam herbarum, dici possit, teste Suida, tamen proprie dicitur de ortu solis, lunæ et stellarum.

Dico ergo Christum vocari צמח *tsemach*, id est germen, sed germen solare, id est cœleste et divinum. Id patet *primo*, quia hoc proprie significat ἀνατολή; *secundo*, quia sequitur : « Oriens ex alto, » scilicet e Deo et cœlo; et, « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent : » quæ omnia ortum non germinis terreni, sed solis aut stellæ aperte indicant. Ita Theophylactus, Euthymius, Beda hic et Hieronymus, Cyrillus et Theodoretus in cap. III *Zachariæ*, et alii passim.

Ubi nota Christum vocari « germen, » tum cœleste, tum terrestre; utrumque enim aliquo modo significat ἀνατολή et *oriens* : habet enim Christus duas generationes, divinam scilicet, et ita germen est Patris æterni; ac humanam, et ita germen est matris et Davidis. Sic ergo ab Isaia, Zacharia et aliis Christus dicitur « germen. » *Primo*, quia ex radice Jesse, sive Davidis, quæ videbatur exaruisse, nullo jam rege aut duce ex ea prodeunte, iterum germinabit Christus, et pullulabit ut germen ad regnandum, ac ad proferendum fructum omnis gratiæ, salutis et boni : germen, inquam, primitus natum in cœlo, deinde transplantatum in terra; hoc enim significat « Oriens ex alto, » sive prodiens ex cœlo, quasi germinans sol ad illuminandum eos qui in terra in umbra mortis sedent, ut sequitur. *Secundo*, voce germinis et solis germinantis, id est nascentis significatur parvitas et humilitas Christi nascentis, quæ deinde crevit in tantum corpus, ut umbra et luce sua totum orbem complexa sit, juxta parabolam grani sinapis, *Matth.* XIII. *Tertio*, significatur Christus quasi alter Melchisedech, ἀπάτωρ, ut homo, scilicet ut germen ex sola terra, id est virgine matre castissime natus; sed ut Deus, ἀμήτωρ, id est carens matre, scilicet ut radius a sole, id est Patre generatus. Rursum ut sol purissimis suis radiis per vitrum penetrat et prodit, ita Christus uterum matris clausum nascendo penetravit. Resp. Primo.

Ubi nota Christo recte attribui proprietates, tam solis quam germinis, et utrumque significat vox ἀνατολή, sive *oriens*, quæ respondit Hebræo צמח *tsemach*, *q. d.* Germen solare et oriens, aut sol germinans et oriens, sive germen : quod primo, in cœlo cum summa claritate et gloria, deinde ex cœlo in terra germinans, ortum est. Christus enim est arbor vitæ, ex cœlesti paradiso transplantata in terram per incarnationem; inde rursum ascendens in cœlum et paradisum suum, visione sua et fruitione dat Sanctis vitam immortalem cum summa gloria, suisque foliis et fructibus omnis voluptatis Beatos in æternum continue mulcet et satiat, ut dixi *Apoc.* XXII, 2. Hinc S. Hieronymus, in cap. VI *Zachar.*, τὸ « oriens, » ex Hebr. צמח *tsemach*, interpretatur *germen*, per quod Christum intelligit. « Qui idcirco, ait, oriens, id est ἀνατολή, vel ἀναφυή, sive βλάστημα, nuncupatur, id est germen, quia ex se repente succrescet, et ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit. » Et deinde mystice idipsum explicans : « Ipse, ait, qui *Jesus* appellatur, eo quod salvaverit mundum; et *Oriens* dicitur, quia in diebus ejus orta est justitia; et canitur in Psalmo : *Veritas de terra orta est*, eo quod de utero virginali in sæculorum consummatione generatus, dixerit : *Ego sum veritas.* » Et post pauca : « Iste igitur, qui nostris virtutibus coro-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

natus est, orietur et appellabitur Oriens : ad quem locutus est Pater : *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; juxta illud *Isaiæ* XI, 1 : Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. »

At vero alii Patres recte quoque τὸ « Oriens » interpretantur solem ex alto, scilicet cœlo, orientem, per quem intelligunt Christum qui est lux mundi, ideoque in terra natus est, ut per carnem sit quasi sol transparens et illuminans omnem hominem ad eum venientem. Ita Beda, Theophylactus, Euthymius, Titus hic, et S. Gregorius, lib. XX in cap. XVIII *Job*, cujus verba sunt hæc : « Nam quia ab oriente lux surgit, recte Oriens dicitur, cujus justitiæ lumine nostræ injustitiæ nox illustratur. » Beda : « Qui ideo recte Oriens vocatur, quia nobis ortum veræ lucis aperiens, filios noctis et tenebrarum lucis efficit filios, juxta id quod consequenter exponit, illuminare, » etc. Sic et S. Chrysostomus, hom. in illud *Zachariæ* : « Ecce vir, Oriens nomen ejus ; » Eusebius, lib. VII *De Demonstr.*, in nona; S. Athanasius, *tract.* in illud, « omnia mihi tradita sunt ; » Origenes, hom. 13 *in Levit.* Quare perperam priorem *tsemach* significationem secutus Beza, hoc loco vertit, « quibus invisit nos germen ex alto. » Hoc enim plane novum est, et Græcum ἀνατολὴ proprie significat *ortum*, non *germen* ; Syrus quoque vertit *dancho*, quod de ortu solis dicitur ; et Arabicus, *ortus est ab alto.*

Utroque ergo modo τὸ « Oriens » hic accipi debet, ut alludat ad ortum tum germinis, tum solis ; Christus enim est germen solare et cœleste, idem vicissim est sol germinans et nascens ex Virgine in terra, ut dixi.

79. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. — Græcum ἐπιφᾶναι, vel, si alio accentu legas, ἐπίφαναι, est modi tam imperativi quam infinitivi. Unde *primo*, ἐπίφαναι, *illuminare*, id est illucesce, exorere, ut novus quidam mundi sol, tu, o Joannes fili mi (ut ad eum loqui pergat Zacharias pater), ut peccatores in tenebris errorum et peccatorum sedentes per fidem in Christum illumines eosque luci veritatis, justitiæ et salutis restituas, itaque eos a tyrannide dæmonis liberes. Simili schemate ait Dido, IV *Æneid.* :

> Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
> Qui face Dardanios, ferroque sequare colonos.

Hannibalem intelligit, qui Romanos Æneæ posteros multis cladibus afflixit.

*Secundo* et potius, ἐπιφᾶναι, id est *illuminare* in infinitivo, id est ut illuminet (Syrus, *ut luceat*), scilicet Christus oriens ex alto. Unde Arabicus vertit, *ortus est ab alto ad illuminandum* (illucescendum) *sedentibus in tenebris et umbra mortis, q. d.* Visitavit nos Christus quasi sol oriens ex alto, ut lucem veræ doctrinæ, gratiæ, justitiæ et lætitiæ afferret, tum patribus vita functis, tum peccatoribus viventibus, qui utrique sedebant in tenebris et umbra mortis. Nam patres proprie sedebant in tenebroso limbo inferni, quasi in umbra mortis. Mystice autem peccatores sedebant in tenebris, id est in tenebrosis erroribus, ignorantiis, vitiis et peccatis. Porro S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et Titus per « tenebras » intelligunt errores, per « umbram mortis » peccata : melius utraque per utramque accipias ; tenebræ ergo sunt communes errores et crimina, umbra mortis vero sunt gravissimi errores et scelera.

Et in umbra mortis sedent. — Alludit ad *Isaiæ* IX, 2 : « Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. »

Nota *primo* : Proprie umbra mortis sunt tenebræ et locus horridus, sive horror mortis et inferni ; hæc enim mortem et infernum comitantur, sicut umbra suum corpus. Unde hic dicitur Baptistæ Christi præcursori : « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent ; » ut scilicet illumines peccatores sedentes in tenebris peccati, et justos sedentes in tenebroso limbo patrum. Quin et Virgilius, lib. X *Æneid.*, de eodem ita canit :

> Olli dura quies oculos, et ferreus urget
> Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Nota *secundo* : Per hanc umbram mortis, sive per has tenebras, significatur tristissima rerum facies et miseria extrema, tempusque captivitatis, carceris, infirmitatis, mortis et damnationis ; nihil enim tristius est umbrosis mortuorum sepulcris, sicut e contrario lux, quia gratissima est, symbolum est felicitatis. Rursum, « umbra mortis » significat proxima pericula, indeque angores mortis, sicut umbra proxima est corpori. Ita capitur *Psal.* XXII, 4. *Tertio*, significat longam oblivionem. Unde S. Gregorius, IV *Moral.*, cap. XX : « In umbra mortis sedere, ait, est a divini amoris notitia in oblivione latescere. » Deus enim est vita et lux, quia longissime abest ab umbra mortis. *Quarto*, umbra mortis est Dei et salutis ignorantia. Hinc peccatum mortale est umbra mortis, ob analogias quas recensui *Isaiæ* cap. IX, vers. 2.

Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. — Ut scilicet Christus suæ fidei et gratiæ luce dirigat nos in viam justitiæ ; hæc enim est via pacis : justitia enim est via et medium ad consequendam pacem et tranquillitatem animæ ; item pacem cum Deo et hominibus in hac vita, ac pacem beatificam in cœlo, juxta illud *Isaiæ*, XXXII, 17 : « Erit opus justitiæ pax, etc. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. » Pacis enim nomine Hebræi significant omne bonum, ipsamque felicitatem et beatitudinem æternam. Hinc Christus



ab Isaia, cap. IX, 6, vocatur « Princeps pacis, et Pater futuri sæculi ; » subditque : « Et pacis non erit finis. » Nam, ut canit David, *Psal.* LXXI, 7 : « Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna, » id est in æternum.

80. Puer (Syrus, *puerulus*) autem crescebat (Arabicus, *adolescebat*) et confortabatur spiritu. — *q. d.* Joannes, sicut crescebat corpore, sic et spiritu ejusque robore, quia Spiritus Sanctus eum in dies majori sapientia, gratia, fortitudine imbuebat. Hinc colligitur usum rationis quem Joannes accepit in utero, vers. 41, post nativitatem in eo permansisse et crevisse. Ita Theophylactus : « Quanto magis, ait, crescebat puer, tanto magis et efficaciæ spiritus in illo se ostendebant, organo illorum capace existente ; » *q. d.* Quo magis organa corporis puerilis in Joanne crescentia, erant capacia rationis, sapientiæ et spiritus, eo plura illorum ipsi infundebat Spiritus Sanctus. Et Titus : « Juxta ætatis, ait, analogiam et incrementum, gratia et spiritu proficiebat. » Idem dicitur de puero Jesu, cap. II, 52, sed alio modo et sensu.

Et erat (puer) in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel. — Hinc colligitur Joannem a puero concessisse in desertum, ibique continuo mansisse usque ad annum trigesimum, quo cœpit se ostendere populo, illique prædicare pœnitentiam et fidem in Christum.

Baronius, in *Apparatu Annal.*, ex Petro Alexandrino in *Regulis Ecclesiasticis*, canon. 3, quas probavit VI Synodus, et ex Nicephoro, lib. I *Histor.*, cap. XIV, ac Cedreno, in *Compendio histor.*, censet hunc Joannis secessum et fugam in desertum contigisse causa et timore infanticidii Herodis, de quo dixi *Matth.* II, 16, licet enim Joannes finibus Bethlehem (ubi infantes occisi sunt) non contineretur, tamen ad illum ob famam miræ ejus nativitatis, cum in omnium ore esset illud : « Quis putas puer iste erit ? » metum quoque et iram suam extendit Herodes ; metuens enim ne ipse esset rex Judæorum a Magis quæsitus, puta Messias, jussit eum occidi. Quare Joannes, ut cædem Herodis effugeret, bimulus a matre abductus est in desertum, ibique in spelunca delituit. Addit Cedrenus matrem Joannis post 40 dies in eadem spelunca diem obiisse, ac angelum Joannis educandi curam suscepisse. Sic et Nicephorus : « Atque inde, inquit, in solis locis libenter versari solitus, angeloque usus in remotiores sylvarum recessus secessit. » Imo Petrus Alexandrinus addit Zachariam patrem jussum ab Herode occidi inter templum et altare, eo quod Joannem filium neci et infanticidio ejus subduxisset.

Causa ergo secessus Joannis in desertum fuit metus infanticidii Herodis, cui plures et potiores causæ ex parte Dei et Joannis accesserunt. *Prima* fuit, ut in deserto fugeret occasiones peccandi, quas suggerit conversatio cum hominibus. Unde Ecclesia de eo canit :

> Antra deserti teneris sub annis,
> Civium turmas fugiens, petisti,
> Ne levi saltem maculare vitam
> Famine posses.

*Secunda* causa fuit, ut libere Judæorum vitia reprehenderet, neminem reveritus, utpote neminem cognoscens, sed quasi angelus e cœlo lapsus cœlestia prædicans. Nam, ut ait S. Chrysostomus, « Neminem vidit unquam conservorum, nec ab aliquo horum visus fuit. » Et Theophylactus : « Secessit, ait, ut extra multorum malitiam nutriretur, et neminem vereretur arguere. »

*Tertia*, ut prædicator pœnitentiæ futurus, illius prius ipse daret exemplum, rigide vivens in eremo, ut liberius auditores a mundi illecebris, utpote quas ipse sprevisset, sustolleret, ait Beda. Vitæ enim austeritas magnum prædicatori dat auctoritatis pondus.

*Quarta*, ut cum Deo et angelis assidue conversans, angelice viveret, juxta illud : « Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, » *Malach.* IV, 1. Joannes enim in deserto a mundo semotus vacabat jejunio, orationi, contemplationi. « Semper in hymnis, semper in orationibus fuit, ait S. Chrysostomus ; nulli hominum antequam ad baptizandum accederet, Deo autem soli sua semper colloquia offerens. » Et Origenes : « Ut vacaret, ait, orationibus et cum angelis conversaretur, appellaretque Dominum et illum audiret respondentem atque dicentem : Ecce adsum, » etc.

*Quinta*, ut Joannes Christi foret testis et index omni exceptione major. In deserto enim a nullo hominum doceri potuit, sed a solo Deo et angelis ; quare ipse fuit θεοδίδακτος, atque sacras Scripturas, reliquaque quæ prædicavit, a Deo infusa accepit. Unde Euthymius : « Oportebat eum, ait, a teneris, quod aiunt, unguibus ad virtutem exerceri, ut et libere argueret, et Christi, qui a se annuntiaretur, testis fide dignus esset. » Et Titus : « Ut Christo testimonium perhibiturus, necnon hominum nequitiam imperterrite redarguturus, testis doctorque omni exceptione major haberetur. » Joannes ergo in deserto fuit cœlicola, tum quia pro domo et tecto habuit cœlum ; tum quia assidue cœlum contemplans, mente in cœlis versabatur, et cœlitum vitam æmulabatur. Audi Nazianzenum, in *Præceptis ad Virgines*, de Joanne in deserto canentem :

> Mells famem agresti repulit villique locusta
> Zacharia genitore satus, texitque cameli
> Membra pilis, habuitque domum versatile cœlum ;
> Atque in humo dura corpus dabat ipse sopori.

Idem, orat. 20 *in laudem S. Basilii*, Joannem vocat summum Philosophum : Basilius, inquit, « nobiscum hinc in Pontum profugit, ac pietatis gym-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nasia, quæ illic erant, moderatur, atque cum Elia et Joanne summis philosophis solitudinem amplectitur. » Aliam causam solitudinis S. Joannis dat Elias Cretensis, commentans in orat. 1 S. Gregorii Nazianzeni : « Quoniam, ait, Christus et Joannes cognati erant, idcirco ne Joannes propinquitatis causa Christo testimonium præbere videretur, hoc a Spiritus Sancti gratia procuratum est, ut ipse per totum primæ ætatis cursum in solitudine degeret, ne amicitia ductus, aut artificio quodam hoc testimonium edere videretur; verum tanquam a Deo id cognitum habuisset, sic ipsum annuntiaret, eaque de causa aiebat : *Et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, illi mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu Sancto,* » *Joan.* I.

Quocirca idem Nazianzenus, *orat.* 39, sic Joannem compellat : « Tu solitudinis alumne, ac nullius sibi homo, tu nove Elia, plusquam Propheta, ut te qui eum etiam, qui prædicebatur, vidisti; tu inter vetus et novum Testamentum interjecte. »

Symbolice : Nicetas, *in orat.* 38 Nazianzeni : « Joannes, ait, eorum figuram gerit, qui a puero sanctificati sunt, et usque ad extremum proficiendo solidissimum constantissimumque virtutis habitum conservant. Nam cum adhuc in materna alvo esset, Dominum suum agnovit, et cum summa lætitia exiliit. »

Denique idem Nazianzenus S. Joannis exemplo in solitudinem cum S. Basilio secessit, cujus spiritales delicias et fructus ita ipse describit, *orat.* 1 : « Nihil enim mihi tam optandum cuiquam esse videbatur, quam ut occlusis sensibus, atque extra carnem mundumque positus et in seipsum collectus, nec nisi quantum necessitas exigit, [illegible] humanarum rerum attingens, atque [illegible] ipse et cum Deo colloquens, superiorem iis rebus, quæ in aspectum cadunt, vitam agit, divinasque species puras semper, nec terrenis ullis et errantibus formis admixtas in seipso circumfert; denique rerum ac divinarum purum omnino speculum est, in diesque efficitur, ac lucem per lucem assumit, clariorem videlicet per obscuriorem; jamque futuri ævi bonum spe percipit, et cum angelis versatur, ac licet adhuc in terris sit, terram deserit, atque a spiritu sursum collocatur. » Quocirca Patres passim Joannem vocant principem vitæ monasticæ. Ejusdem dux fuit Christus, uti ostendi *Matth.* I, 1.

# CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, describit nativitatem Christi; secundo, vers. 8, Angelum nuntiantem Christi ortum pastoribus, eorumque ad Christum adventum; tertio, vers. 21, Christi circumcisionem; quarto, vers. 22, Christi præsentationem in templo, et Virginis purificationem e partu, ac Simeonis et Annæ encomia et oracula de Christo; quinto, vers. 41, Christi duodennis inventionem in templo.*

1. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur
universus orbis. 2. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino : 3. et ibant
omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. 4. Ascendit autem et Joseph a Galilæa
de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod
esset de domo et familia David, 5. ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. 6. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. 7. Et peperit
filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia
non erat eis locus in diversorio. 8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. 9. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et
claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. 10. Et dixit illis Angelus :
Nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo :
11. quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. 12. Et
hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. 13. Et
subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium :
14. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. 15. Et factum est,
ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus



usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.
16. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in
præsepio. 17. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.
18. Et omnes qui audierunt, mirati sunt, et de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos.
19. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. 20. Et reversi sunt
pastores glorificantes et laudantes Deum, in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos. 21. Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer,
vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. 22. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt
illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, 23. sicut scriptum est in lege Domini : Quia
omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. 24. Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. 25. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et
timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo. 26. Et responsum acceperat a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. 27. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus,
ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo : 28. et ipse accepit eum in ulnas suas,
et benedixit Deum, et dixit : 29. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum
tuum, in pace; 30. quia viderunt oculi mei salutare tuum, 31. quod parasti ante faciem
omnium populorum : 32. lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.
33. Et erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. 34. Et benedixit
illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel; et in signum, cui contradicetur : 35. et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. 36. Et erat Anna
prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis, et vixerat
cum viro suo annis septem a virginitate sua. 37. Et hæc vidua usque ad annos octoginta
quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.
38. Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus
qui expectabant redemptionem Israel. 39. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. 40. Puer autem crescebat, et
confortabatur, plenus sapientia : et gratia Dei erat in illo. 41. Et ibant parentes ejus per
omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ. 42. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi, 43. consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. 44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et
requirebant eum inter cognatos et notos. 45. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. 46. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. 47. Stupebant autem omnes
qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. 48. Et videntes admirati sunt. Et
dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. 49. Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ
Patris mei sunt, oportet me esse? 50. Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est
ad eos. 51. Et descendit cum eis, et venit Nazareth; et erat subditus illis. Et mater ejus
conservabat omnia verba hæc in corde suo. 52. Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et
gratia apud Deum et homines.

1. Factum est autem in diebus illis (quibus natus est Joannes Baptista), exiit (Vatablus, « ut exiret ») edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. — Syrus, *universus popu-*

nasia, quæ illic erant, moderatur, atque cum Elia et Joanne summis philosophis solitudinem amplectitur. » Aliam causam solitudinis S. Joannis dat Elias Cretensis, commentans in *orat.* 1 S. Gregorii Nazianzeni : « Quoniam, ait, Christus et Joannes cognati erant, idcirco ne Joannes propinquitatis causa Christo testimonium præbere videretur, hoc a Spiritus Sancti gratia procuratum est, ut ipse per totum primæ ætatis cursum in solitudine degeret, ne amicitia ductus, aut artificio quodam hoc testimonium edere videretur; verum tanquam a Deo id cognitum habuisset, sic ipsum annuntiaret, eaque de causa aiebat : *Et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, illi mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu Sancto,* » *Joan.* I.

Quocirca idem Nazianzenus, *orat.* 39, sic Joannem compellat : « Tu solitudinis alumne, ac nullius sibi homo, tu nove Elia, plusquam Propheta, ut te qui eum etiam, qui prædicebatur, vidisti; tu inter vetus et novum Testamentum interjecte. »

Symbolice : Nicetas, *in orat.* 38 Nazianzeni : « Joannes, ait, eorum figuram gerit, qui a puero sanctificati sunt, et usque ad extremum proficiendo solidissimum constantissimumque virtutis habitum conservant. Nam cum adhuc in materna alvo esset, Dominum suum agnovit, et cum summa lætitia exiliit. »

Denique idem Nazianzenus S. Joannis exemplo in solitudinem cum S. Basilio secessit, cujus spiritales delicias et fructus ita ipse describit, *orat.* 1 : « Nihil enim mihi tam optandum cuiquam esse videbatur, quam ut occlusis sensibus, atque extra carnem mundumque positus et in seipsum col...tus, nec nisi quantum necessitas exigit, ...in humanarum rerum attingens, atque ...in ipse et cum Deo colloquens, superiorem iis rebus, quæ in aspectum cadunt, vitam agit, divinasque species puras semper, nec terrenis ullis et errantibus formis admixtas in seipso circumfert; deique rerum ac divinarum purum omnino speculum est, in diesque efficitur, ac lucem per lucem assumit, clariorem videlicet per obscuriorem; jamque futuri ævi bonum spe percipit, et cum angelis versatur, ac licet adhuc in terris sit, terram deserit, atque a spiritu sursum collocatur. » Quocirca Patres passim Joannem vocant principem vitæ monasticæ. Ejusdem dux fuit Christus, uti ostendi *Matth.* I, 1.

# CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, describit nativitatem Christi; secundo, vers. 8, Angelum nuntiantem Christi ortum pastoribus, eorumque ad Christum adventum; tertio, vers. 21, Christi circumcisionem; quarto, vers. 22, Christi præsentationem in templo, et Virginis purificationem e partu, ac Simeonis et Annæ encomia et oracula de Christo; quinto, vers. 41, Christi duodennis inventionem in templo.*

**1. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. 2. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino : 3. et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. 4. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, 5. ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. 6. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. 7. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. 8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. 9. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. 10. Et dixit illis Angelus : Nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : 11. quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. 12. Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. 13. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium : 14. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. 15. Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus**



**usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. 16. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in præsepio. 17. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. 18. Et omnes qui audierunt, mirati sunt, et de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. 19. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. 20. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum, in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos. 21. Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. 22. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, 23. sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. 24. Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. 25. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo. 26. Et responsum acceperat a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. 27. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo : 28. et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit : 29. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace; 30. quia viderunt oculi mei salutare tuum, 31. quod parasti ante faciem omnium populorum : 32. lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. 33. Et erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. 34. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel; et in signum, cui contradicetur : 35. et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. 36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. 37. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. 38. Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de ...lo omnibus qui expectabant redemptionem Israel. 39. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. 40. Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientia : et gratia Dei erat in illo. 41. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ. 42. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi, 43. consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. 44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos. 45. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. 46. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. 47. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. 48. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. 49. Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? 50. Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. 51. Et descendit cum eis, et venit Nazareth; et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. 52. Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.**

1. FACTUM EST AUTEM IN DIEBUS ILLIS (quibus natus est Joannes Baptista), EXIIT (Vatablus, « ut exiret ») EDICTUM A CÆSARE AUGUSTO, UT DESCRIBERETUR UNIVERSUS ORBIS. — Syrus, *universus popu-*

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*lus possessionis*, seu *dominii ejus*, scilicet Augusto et Romanis subjectus. Nam, teste Suetonio, Augustus Gothis; Armeniis et Indis non imperabat. Facta est hæc descriptio, tum ut constaret numerus hominum Augusto subjectus, tum ad vectigal colligendum, quod in ærarium Romanum tot bellis exhaustum inferretur; singuli enim capitis sui censum dabant. Verisimile est Judæos dedisse quod alias ex lege in censu dabant, scilicet singulos dimidium siclum, id est duos regales, sive duos julios, *Exod.* xxx, 13; *Matth.* xxii, 19.

Cui Augustus orbem describi edixit?

Cæsare. — Cæsar hic proprio nomine vocatus fuit Octavius, sive Octavianus, Julii Cæsaris ex sorore nepos, qui primus Romæ monarcha, ejus imperium mire auxit et illustravit. Unde Augusti cognomen adeptus est, teste Plinio, lib. III, cap. xx, anno 18 imperii sui (a quo proinde Censorinus annos Augusti enumerat, eosque vocat Augustæos, vel Augustianos) quasi numen aliquod e cœlo delapsum; regnavit enim in summa pace, amplitudine, majestate, felicitate per 57 annos; unde illud : « Augusto felicior, Trajano melior. »

Porro, hæc descriptio ab Augusto facta est, cum plenam haberet in toto orbe pacem, ideoque Janum tertio clausisset; quod factum est anno 40 imperii ipsius, quæ omnia facta sunt dirigente Deo, ut significaret jam Christum nasci, qui pacem toti orbi afferebat. Ita Beda : « Placatissimo, ait, tempore nasci voluit pacis amator : nullum majus pacis indicium, quam totum orbem describi, cujus moderator Augustus, qui maxima duodecim annis circa nativitatem Christi pace regnavit, bellis toto orbe sopitis. » Nam post 12 annos rebellantibus Parthis, Dacis, Atheniensibus, renovata fuere bella.

B. Virgo visa Augusto.

Hac de causa Augusto Cæsari Virgo Deipara, infantem ulnis gestans apparuit in Capitolio, cum jam ante ipse oraculo Apollinis edoctus natum esse puerum Hebræum, qui idolorum oraculis silentium indixisset, eidem in Capitolio aram erexisset hoc titulo : « Ara primogeniti Dei. » Quocirca Constantinus Magnus ibidem templum erexit in memoriam Dei genitricis Mariæ, quod etiamnum extat, et vulgo « Ara cœli » nuncupatur, ubi et locus visionis Augusti ostenditur. Ita ex Suida, Nicephoro et aliis Baronius in *Apparatu Annalium*. Rursum Romæ tempore Augusti, sub quo natus est Christus, e taberna meritoria per totum diem fons olei largissimus e terra profluxit : locus etiamnum Romæ ostenditur in ecclesia S. Mariæ Transtiberina. « Quo signo, ait Orosius, lib. VI, cap. xx, quid evidentius quam in diebus Cæsaris Augusti futura Christi nativitas declarata est? Christus enim Unctus interpretatur, » quia nos unxit ungitque oleo gratiæ et lætitiæ, per totum diem vitæ et mortalitatis nostræ.

Ara cœli.

Quæres, quoto anno imperii Augusti natus est Christus? Respondeo : Variæ sunt hac de re chronologorum et doctorum sententiæ. *Prima* censet Christum natum anno 41 Juliano, qui fuit annus 40 regni Augusti; Herodis 36, Romæ conditæ 749, Olympiadis 193 annus quartus. Anni Juliani incipiunt ab anno quo Julius Cæsar reformavit Calendarium, qui fuit vitæ et regni ejus penultimus; anno enim sequente occisus successorem reliquit Augustum Cæsarem : hinc fit ut anni Juliani semper uno anno antecedant annos Augusti. Ita Chronicon Weingartense, et nonnulli recentiores insignes chronologi. Hæc sententia valde convenit cum historiis sacris et profanis. Tantum illi obstat, quod *Luc.* iii, 1 et 23, de Christo cum baptizaretur anno 15 Tiberii Cæsaris, dicatur : « Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, » cum juxta hanc sententiam fuerit 32 annorum, saltem inchoatorum. Nam Augustus regnavit 57 annos. Ergo Christus nascens anno 40 Augusti cum eo vixit 17 annos. Adde 15 Tiberii, habebis 32. Respondent ipsi Christum dici quasi vel circiter 30, annorum, quia erat 32 : sicut S. Augustinus in Breviariis antiquis dicitur baptizatus anno ætatis 30, cum præcise fuerit 33 annorum, uti habent Breviaria nuper correcta.

Anno quo natus est Christus? Prima opinio.

*Secunda* censet Christum natum anno 42 Juliano, qui fuit 41 Augusti Cæsaris, ab Actiaca victoria 29, regni Herodis 37, Urbis conditæ 750, Olympiadis 194 annus primus. Ita sentit Severus Sulpitius. Favent S. Hieronymus, Irenæus, Tertullianus.

Secunda.

*Tertia* censet Christum natum anno 43 Juliano, qui fuit 42 Augusti, Herodis 38, Urbis conditæ 751, Olympiadis 195 annus secundus Ita Clemens Alexandrinus, Cassiodorus, Zonaras, Marianus Scotus, Baronius, Salianus, Toletus, Genebrardus, Salmeron, Serarius, Scaliger; et sic habet Martyrologium Romanum die 25 decembris. Unde id secutus sum in Chronotaxi, quam præfixi Pentateucho.

Tertia.

*Quarta* censet Christum natum anno 44 Juliano, qui fuit 43 Augusti, Herodis 39, Urbis 752. Ita S. Epiphanius, Eusebius, Orosius, Nicephorus, Hermannus Contractus, Copernicus, Onuphrius, Gerardus Mercator. In eamdem inclinant Franciscus Suarez, Sigonius, Pererius, Ribera, Maldonatus, Mariana.

Quarta.

*Quinta* censet Christum natum anno 45 Juliano, qui fuit 44 Augusti. Ita Joannes Lucidus et Dionysius Exiguus cum suis assectis.

Quinta.

*Sexta* censet Christum natum anno 46 Juliano, qui fuit 45 Augusti, Herodis 41, Urbis 754, etc. Ita Paulus Middelburgensis, episcopus Semproniensis, Petrus de Aliaco, Bellarminus et Beda, ac novissime, sed exactissime, noster Dionysius Petavius in *Rationario Temporum*.

Sexta.

Hæ sententiæ singulæ suas habent conjecturas, suas quoque difficultates. Quare in re tam ancipiti nil certo definiri potest.



Lector ex his eligat quam volet (1). Probabiliores sententiæ sunt, prima, secunda et tertia. Secunda et tertia magis sunt communes et plures habent auctores, eisque favet quod ait Lucas, cap. iii, 23 : « Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, » in baptismo. Nam, juxta secundam sententiam, finiebat tunc annum trigesimum, juxta tertiam vero eumdem inchoabat.

Primæ sententiæ expresse astipulantur prisci Annales apud Epiphanium, et vetus Chronicon apud Eusebium; insuper anonymus chronologus, qui ante 1400 annos scripsit.

Eidem favet *primo* quod illo anno, clauso Jano, summa fuerit in orbe pax, ut dixi.

*Secundo*, quod Herodes anno regni sui 37 et ultimo paulo ante mortem, jussit occidi infantes a bimatu, *Matth.* ii. Ergo Christus tunc erat bimulus, agebatque annum ætatis secundum. Ergo natus erat anno præcedenti, qui fuit Herodis 36, Augusti 40; mortuus est enim Herodes anno Juliano 43, Augusti 42, ut omnes veteres historici testantur, ait Sigonius. Hoc argumentum est validum, et vix ab aliis solvitur, nisi torquendo τὸ « a bimatu. »

*Tertio*, quia Christus natus est anno bissextili, in fine anni, id est in decembri, ut patet, si a nostro bissexto annos retro computes ascendendo usque ad Christum; omnes enim anni centesimi sunt bissexti. Annus autem 40 Augusti fuit bissextus, non 41 aut 42. Nam annus primus Juliani fuit bissextus, ut docent Macrobius, Censorinus et alii. Ergo decimus bissextus fuit Julianus 41, sive Augusti 40. Adde, quod ex Josepho, Dione, Hegesippo et aliis passim liqueat, Herodem universim tantum regnasse annis 37, mortuumque esse anno 43 Juliano ante Pascha. Ergo eodem anno vel aliquo sequenti (ut vult sententia tertia, quarta, quinta et sexta) sub eo nasci non potuit Christus in fine anni, scilicet in decembri.

Denique hic annus est, quo Augustus Caium Cæsarem, ex Julia filia sua et M. Agrippa genero suo (qui Pantheon Romæ ædificavit, orbis miraculum) nepotem, quem principem juventutis crearat, ac in filium adoptarat, et totius imperii hæredem constituerat, agentem annum ætatis decimum sextum, prætexta de more exutum toga virili induit, et cum solemni pompa in forum deduxit. Natus est enim Caius anno ab Urbe condita 734, M. Apuleio et P. Silio consulibus; anno vero 748, agens annum ætatis 15, ab Augusto designatus est consul, quæ omnia ex Dione, lib. LIV et LV, ac ex lapide Ancyrano et aliis docte docet Lipsius, in lib. 1 *Annal. Taciti*, n. 18 et seq. Quare Caius annum ætatis 16, et consequenter annum prætextæ, explebat anno Urbis 749, qui fuit imperii Augusti 40; scilicet eodem anno Deus Pater longe verius Jesum Christum cœli et terræ Dominum in orbem induxit, ut per eum fideles omnes in Christum credentes sibi adoptaret in filios, et regni cœlestis hæredes constitueret. Unde et mox Caius Cæsar ab Augusto missus in Judæam et Orientem, ibidem diem obiit, ut Christo novo regi jam nato locum cederet, et orbis imperium resignaret, quasi ei omni jure debitum et proprium.

Ex hac pariter sententia facile intelligitur, cur Christus ante annum ætatis duodecimum non venerit in Jerusalem ad templum, quia scilicet usque ad illum annum ibidem regnabat Archelaus, Herodis filius, a quo, æque ac ab Herode Christo erat timendum : Archelaus enim regnavit 10 annos, quibus adde duos ultimos Herodis, habebis annos 12, post quos Archelaus ab Augusto regno fuit pulsus in exilium, tumque Christus libere et sine metu adiit Jerusalem et templum.

2. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino. — « Prima, » scilicet generalis, quæ contigit in toto orbe jam pacato sub Augusto et Romanis; nam aliæ in certis provinciis particulares, vel minus universales hac generali fuere priores. Ita Paulus Orosius, Beda, Maldonatus, Jansenius, Toletus, Franciscus Lucas et alii. Rursum « prima, » quia secunda descriptio facta est post 10 annos, scilicet anno 10 Archelai, cum idem Cyrinus missus est in Syriam ad illam peragendam, et ad bona Archelai, jam ab Augusto damnati et in exilium pulsi, in fiscum redigenda, teste Josepho, lib. XVIII *Antiquit.*, cap. i. Porro Tertullianus, lib IV *Contra Marcion.*, cap. vii, xix et xxxvi, ait primam hanc descriptionem factam esse sub Sentio Saturnino, qui scilicet ad eam peragendam proprie legatus et missus erat ab Augusto eo tempore, quo Syriæ Cyrinus in omnibus, et consequenter in censu præsidebat. Aut, ut alii, Cyrinus inchoatum a se censum perficiendum reliquit Saturnino, eo quod ipse ad bellum cum Homonadensibus gerendum avocaretur, de quibus et paulo post publice triumphavit.

Descriptio prima quæ?

Hinc sequitur, descriptionem et censum hunc non fuisse lustralem et quinquennalem, sed novum et universalem, scilicet inter tres Augusti medium et celeberrimum, quem Augustus sine collega fecit, Censorino et Asinio consulibus, ut habet inscriptio lapidis Ancyrani, et Suetonius, in

(1) Vide quæ annotavimus tom. I novi Testamenti, pag. 16. Pariter Dr. Sepp, op. cit., longam doctamque de hac re disputationem sic concludit : Exeunte anno U. C. DCCXLVI incipit pax universa; pace regnante census toto imperio mandatur, Augustusque, ut ait Suidas, *Lexic.*, ad verb. ἀπογραφὴ, xx *viros in omnem subditorum* mittit *regionem per quos descriptiones fecit hominum*, etc.; quos inter Quirinius qui, cum paulo ante Homonadenses, Tauri montis prærupta incolentes, consul debellasset, tota Asia nobilis evaserat, missus fuit cum potestate extraordinaria in Syriam ad hujus Judææque censum habendum, dum Sentius Saturninus ordinaria legati potestate proprætor Syriæ præerat. Paulo post, anno scil. DCCXLVIII, Quintilius Varus Saturnino successit. Ergo Christus, exeunte anno DCCXLVII U. C., natus est.

007692

*Augusto*, cap. XXVII, et Josephus, lib. XVII *Antiq.*, cap. III. Primum enim peregerat ante 20 annos in sexto suo consulatu, cum collega M. Agrippa genero suo, anno imperii sui 17. Tertium vero post 20 circiter annos, ultimo imperii et vitæ suæ anno, instituit cum Tiberio genero suo: hic enim mortuo M. Agrippa, Juliam ejus conjugem, Augusti filiam, uxorem duxerat, ut Livia Tiberii mater nupserat Augusto, qua de causa Tiberius Augusto in imperium successit. Porro, descriptionibus hisce et censibus, utpote tantis et tam variis, quinquennium impendebatur.

CYRINO. — Fuit hic P. Sulpitius Quirinus, sive Cyrinus vel Cyrinius, quem Augustus Cæsar Caio Cæsari, suo ex Julia filia nepoti, in Syriam eunti rectorem dederat, ac Caio ibidem defuncto Syriæ præsidem remanere jussit, uti Velleius Caii comes, ac Suetonius, Florus, Dio et alii testantur.

Hujus descriptionis generalis factæ sub Cyrino historici profani, qui jam extant, vix meminerunt; olim tamen in tabulis publicis fuisse consignatam liquet ex S. Justino, orat. *ad Antoninum Pium*; et ex S. Cyrillo, lib. VI *Contra Julian.*, Orosio, Tertulliano et aliis.

3. ET IBANT OMNES UT PROFITERENTUR (se subditos Augusto et Romanis, eisque nomen suum hac de causa darent) SINGULI IN CIVITATEM SUAM, — quæ familiæ ipsorum erat caput, uti Bethlehem erat caput familiæ Davidis, ex qua natus est Joseph et Christus: quia in Bethlehem natus et educatus fuerat David. Patet ex sequenti. Judæi enim suam gentem et rempublicam in 12 tribus, has deinde in singulas familias quæ suum habebant caput, diviserant, ideoque hanc eorum divisionem apud eos in censu hoc secuti sunt Romani. Nimirum omnia hæc fiebant Deo dirigente, ut ex hac descriptione toti orbi liqueret Christum recens natum in Bethlehem, esse prognatum ex tribu Juda et stirpe Davidis, ipsumque esse Messiam uti Prophetæ prædixerant, etsi hoc non intenderet, imo nesciret Augustus ejusque præses Cyrinus.

UT PROFITERENTUR. — Græcum ἀπογράφεσθαι significat et describi et profiteri. Utrumque enim hic fiebat; singuli enim describebantur, et profitebantur subjectionem ei qui describebat, scilicet Cyrino præsidi, quasi vicario Augusti Cæsaris: Romæ enim singuli describebantur, quasi cives et subditi, de quorum fide in Augustum et senatum non dubitabatur. Alibi vero dicebantur profiteri, scilicet subjectionem Cæsari, quasi exteri et armis Romanorum subacti. Porro Orosius,

Christus fuit civis Romanus.

lib. VI, cap. ult., hac descriptione colligit Christum fuisse civem Romanum, ut quasi tacite innueret Christianos omnes Romano Pontifici et Ecclesiæ subdi debere: « Christus, inquit, dicendus civis Romanus, census professione Romani. »

Symbolice: descriptione hac, qua omnes se Augusti et Romanorum servos profitebantur, significabatur Christum jam natum venisse, ut nos a servitute diaboli liberaret, et universum orbem sibi subderet; suæque fidei et cultui servire, non vi armorum, sed efficacia gratiæ suæ compelleret: qua de causa Augustus tum nomen domini recusavit, teste Orosio et aliis. Rursum S. Gregorius, hom. 8 *in Evang.*: « Quid est, ait, quod nascituro Domino mundus describitur, nisi quod hoc aperte monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate? quod contra de reprobis per Prophetam dicitur: Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur. » Sic et Origenes: « Diligentius intuenti, ait, sacramentum quoddam significare videtur, quod in totius orbis professione describi oportuerit et Christum, ut cum omnibus scriptus sanctificaret omnes, et cum orbe relatus in censum, communionem sui præberet orbi; » « liberans eum, ait Euthymius, a servitute diaboli, qui princeps est mundi. »

Hinc patet Christum descriptum fuisse non statim a nativitate, sed octavo die postquam circumcisus est: in circumcisione enim more communi inditum est illi nomen Jesus, quod astantibus Bethlehemitis, qui erant ex stirpe David, in tabulas publicas, quas Cyrinus ad Augustum transmisit, relatum est, scilicet Jesum, Mariæ filium, natum in Bethlehem, prognatum esse ex David. Ita Justinus, Apol. II *ad Antoninum Pium*; Origenes, Theophylactus et Euthymius.

4. ASCENDIT AUTEM ET JOSEPH A GALILÆA DE CI- Vers. 4
VITATE NAZARETH, IN JUDÆAM, IN CIVITATEM DAVID, QUÆ VOCATUR BETHLEHEM, EO QUOD ESSET DE DOMO ET FAMILIA DAVID.

5. UT PROFITERETUR CUM MARIA DESPONSATA SIBI UXORE PRÆGNANTE.

Hic impleta fuit prophetia Michææ, cap. V, 2, de Christo in Bethlehem nascituro. Vide ibi dicta.

ASCENDIT, — id est, profectus est ex Nazareth, urbe Galilææ, ubi, angelo nuntiante, B. Virgo Christum conceperat. Unde Christus a Judæis dictus est Galilæus et Nazarenus (1).

IN BETHLEHEM, — quæ ultra Jerusalem sita erat, ab eaque distabat itinere duarum horarum: quare a Nazareth in Bethlehem iter erat tridui et amplius, quod B. Virgo prægnans et partui proxima, confecit pede, ut multi pie sentiunt. « Ascendit, ait S. Bernardus, serm. in illud *Apocal.*: *Signum magnum apparuit in cœlo*, in Bethlehem imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans a quo portabatur. » Et paulo post: « Sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit » (2).

(1) Verbum *ascendere*, ἀναβαίνειν in novo Test., non secus ac ejus geminum עלה in vetere, significat ire ad locum sive natura ac situ, sive dignitate eminentiorem, nunquam vero *ire* simpliciter. Josephus dicitur *ascendisse* ex Galilæa in Judæam, tum quia illa regio hac humilior est, tum quia hæc illa nobilior.

(2) « Et familia David. » Si Josephus *de domo*, id est,



Audi S. Gregorium, hom. 8 *in Evang.*: « Qui bene etiam in Bethlehem nascitur. Bethlehem quippe domus panis interpretatur. Ipse namque est qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Locus ergo in quo Dominus nascitur, panis antea vocatus est, quia futurum profecto erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret. Qui non in parentum domo, sed in via nascitur, ut profecto ostenderet, quia per humanitatem suam, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur; » ut doceret nos in terra esse peregrinos, cives vero cœli, ut ab hoc exilio magnis virtutum passibus tendamus in cœlum, ceu patriam et civitatem nostram.

6. FACTUM EST AUTEM CUM ESSET IBI, IMPLETI SUNT DIES UT PARERET, — scilicet novem menses a conceptu. Peperit enim non ex lassitudine itineris, sed naturaliter, peracta naturali conceptionis temporisque ad pariendum usitati periodo. Quare cum Christus conceptus sit die 25 martii, sequitur eum natum esse die 25 decembris; inter utrumque enim intercedunt novem menses.

Christus post solstitium hiemale natus: Cur?

Nota: Christus natus est paulo post solstitium hiemale, cum crescere incipiunt dies; Joannes Baptista vero natus est paulo post solstitium æstivum, cum dies incipiunt decrescere; quia, ut ipse ait: « Illum oportet crescere, me autem minui. » Ita S. Augustinus. Rursum in solstitio hiemali halcyones (aves sunt paulo majores hirundinibus) circa mare Siculum ponunt ova, eaque quatuordecim diebus excludunt, ac per totidem dies pacatum est mare, unde nautæ id observant, captantque id tempus, ut secure navigent, teste Plinio, lib. X, cap. III; et S. Ambrosio, lib. V *Hexam.*, cap. XIII. Quare dies halcyonei vocantur dies placidi, sereni, hilares. Ita Christus, noster halcyon, iisdem diebus natus est quasi rex placidus et pacificus. Unde angeli ei accinuerunt: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus. » Rursum Plinius docet pluviam in solstitio æstivo, et calorem in hiberno portendere uberem frugum messem. Ita pluviam baptismi, lacrymarum et pœnitentiæ adduxit Joannes Baptista; Christus vero calorem gratiæ et charitatis, quibus copiosa fidelium, Doctorum, Martyrum, Virginum omniumque Sanctorum messis prognata surrexit.

7. ET PEPERIT FILIUM SUUM PRIMOGENITUM, ET PANNIS EUM INVOLVIT, ET RECLINAVIT EUM IN PRÆSEPIO, QUIA NON ERAT EIS LOCUS IN DIVERSORIO. — « Peperit » naturaliter uti aliæ matres: fuit ergo ipsa vere et naturaliter mater Christi, et consequenter Dei; Christus enim est Deus. Porro,

B. Virgo magis fuit mater Christi, quam sint aliæ matres suorum.

B. Virgo magis fuit parens Christi, quam sint aliæ matres suorum filiorum: nam ipsa in solidum fuit parens et mater Christi, quia ab ea Christus accepit omnem suam substantiam, quam alii non a sola matre, sed etiam a patre accipiunt; ac consequenter amor inter Christum et matrem longe major fuit, quam sit inter alias matres et filios, adeoque amor qui inter matrem et patrem dividitur, in Virgine unitus et collectus fuit, quia ipsa tam matris quam patris vicem subivit. *Secundo*, sicut ipsa concepit, ita et peperit manens

Peperit Virgo.

virgo, ac consequenter Christus natus est clauso matris utero, eumque nascens penetravit, sicuti radii solis penetrant vitrum. Hinc *tertio*, B. Virgo

Sine dolore et sorde.

uti concepit sine concupiscentia, ita peperit sine dolore, sine lassitudine, sine secundinarum fluxu et illuvie aliisque sordibus partus, sine obstetrice. Ita Patres passim. Fuit ergo Virgo tota alacris et vegeta, atque in filii amorem et contemplationem absorpta; utpote quæ in singula momenta eum nascentem expectaret, videre et amplecti gestiret. Ita Patres et Doctores. Vide Suarez. Audi S. Gregorium, hom. 26 *in Evang.*: « Illud corpus Dominicum intravit ad discipulos januis clausis, quod ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero Virginis. »

Porro, Christum natum esse die Dominica, quæ prima dies fuit mundi, ac consequenter feria sexta, sive die Veneris, fuisse conceptum sicut et passum, ex VI Synodo, Sophronio, Ruperto et aliis docet Suarez, III *part.*, *Quæst.* XXXV, disp. XII; Barradius et alii: licet noster Salianus Christum natum velit feria sexta, conceptum feria quarta. Audi Rupertum, lib. III *De Divin. offic.*, cap. XVI: « Nocte Dominica natus est Christus, consonante mirabilium suorum ordine, ut quo die dixit: Fiat lux, et facta est lux, ejusdem diei nocte oriretur in tenebris lumen rectis corde, » puta sol justitiæ, Christus Dominus.

Hinc sicut sol per clausum penetrat vitrum, sic Christus in lucem prodiit clauso Virginis utero, ait S. Basilius, orat. *in S. Nativitatem Christi*. Hinc et B. Virgo ipsa festi Nativitatis Christi nocte revelavit S. Brigidæ, ut ipsa refert, lib. VI *Revel.*, cap. LXXXVIII, dicens: « Cum nasceretur ex me indicibili exultatione et mirabili festinantia, clauso virginali utero meo prodibat; » atque hujus suæ exultationis sensum tunc B. Virgo reipsa communicavit S. Brigidæ. Et lib. VII *Revel.*, cap. XXII: « Peperi, ait, sicut nunc vidisti flexis genibus, orando sola in stabulo. Peperi enim eum cum tanta exultatione et lætitia animæ, quod non sensi aliquod gravamen quando ipse exibat de corpore meo, nec dolorem aliquem; sed statim involvi eum panniculis mundis, quos diu ante præparaveram. Quæ quando vidit Joseph, miratus est cum magno gaudio et lætitia, ex eo quod sine adjutorio pepereram. » Et ita

de progenie Davidis erat, fuisse eum de ejus *familia* nemo non intelligit. Quorsum igitur Lucas hoc addidit? Pro *familia* Græce est πατριᾶς, quæ vox hic fortasse melius verteretur *patria urbe*. Hanc conjecturam si admittas, Josephus, non ex Davidis progenie tantum, sed eadem cum Davide urbe patria censendus est; et revera ait Lucas: *ibant omnes ut profiterentur singuli in civitatem suam.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Serm. Angelico*, cap. xv : « Ipse Deus suam majestatem inclinavit, de cœlo descendens in uterum Virginis, non in una tantum ipsius corporis parte introiens, sed per totum ipsius corpus Virgineis visceribus se infundens, formando sibi honestissime ex solius Virginis carne et sanguine corpus humanum. Et ideo dilectissima illa mater flammanti rubo, sed læsionis inexperto, quem vidit Moyses, congrue similatur. » Et nonnullis interjectis : « Quemadmodum etiam per totum Virginis corpus, quando idem Dei Filius concipiebatur, cum sua divinitate introivit ; sic et quando nascebatur cum humanitate et deitate, velut ex rosa integra odoris suavitas, ita et ipse per totum ipsius corpus Virginis fusus est, virginali gloria in matre integra permanente. »

Denique omnes virginei partus figuras e veteri Testamento coacervat hic Geometra in *Catena Græcorum*, quam edidit noster Corderius.

*Quarto*, quærunt aliqui quis primus Christum nascentem locus exceperit? Barradius censet fuisse terram sive humum, idque ad hoc, ut Christus nos doceret humilitatem, quæ ab humo dicta est, sicut et homo : sic enim cæteri infantes nascuntur. Unde Salomon : « Et in similiter factam decidi terram, » ait *Sapient.* vii, 3.

Alii censent Christum primo exceptum brachiis et ulnis matris, idque cum summo ejus gaudio et reverentia ; hoc enim talem matrem et talem filium decere videbatur, idque physice erat proclive et obvium, idemque colligunt ex eo quod statim subdit Lucas, et « pannis eum involvit. » Quare ipsa, ait Franciscus Lucas, suis manibus excepit prodeuntem e suo utero, tanquam pomum maturum ex arbore delabens, nervo umbilicari sponte ac sine violentia se dissolvente, quemadmodum solvitur maturi pomi caudex, quo arbori adhæret ; exceptum manibus provoluta in genua adoravit, adoratum suavissime est osculata, ac deinde involvit pannis ac fasciis. Unde et S. Cyprianus, *De Nativit. Christi* : « Ultro, ait, maturus ab arbore fructus delapsus est, nec oportuit vellicari quod sponte prodibat. »

Pientius et sublimius Franciscus Suarez opinatur Christum, mox ut natus est, ab angelis in brachia matris sanctissimæ et amantissimæ fuisse depositum ; idem insinuat Nyssenus et Geometra in *Catena* : hic enim locus erat illi decentissimus, et tam matri quam filio exoptatissimus ; inde ipsa filium reclinavit in præsepio.

Denique S. Brigida, lib. VIII *Revel.*, cap. xlvii, insinuat Christum nascentem, sponte sua venisse in manus virginis matris dulcissimæ, et hoc valde probabiliter et pie credi potest.

Porro, noster P. Ribadeneira, in *Festo Nativitatis* : « Traditur, inquit, B. Virginem mox ut vidit Christum in lucem editum, admirantem Deum humanatum, ac ad carnem infantilem humiliatum, coram eo in terram se prostravisse, atque hisce verbis cum profundissima reverentia ac cordis jubilo eum salutasse : *Exoptatus ades, Deus meus, Dominus meus, et filius meus* ; non dubitans se ab eo, licet infante, intelligi ; sicque eum adorasse, osculando pedes filii quasi Deo, manus quasi Domino, et faciem quasi filio, mox arctissime eum pectori suo admovisse, ulnisque strinxisse. »

*Quinto*, Christus nascens mo:e aliorum infantium, ait S. Bernardus, serm. 4 *De Nativit.*, vagiit et lacrymatus est, tum ut inciperet peccata nostra deflere et lugere, tum ut aliis infantibus se conformaret. Nam, ut ait Salomon, qui fuit typus Christi : « Et ego natus accepi communem aerem, et in similiter factam de:idi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans, etc. ; nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium, » *Sapient.* vii, 3. Vide ibi dicta. Rursum Christus jam natus hasce lacrymas, ac seipsum totamque vitam, mortem et crucem Deo in holocaustum pro salute hominum obtulit, ut docet Apostolus, *Hebr.* x, 7, et cap. v, 7 : « Qui, inquit, in diebus carnis suæ preces supplicationesque, etc., offerens, exauditus est pro sua reverentia. »

*Sexto*, angeli omnes Christum Deum ac Dominum suum, in terram nascentem comitati sunt, sicut aulici omnes comitantur regem peregre proficiscentem, ac natum infantem Deumque immensum ad spithamæ quantitatem quasi coarctatum, obstupuerunt, venerati sunt et adorarunt. Hoc enim significat Apostolus, dicens : « Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei, » *Hebr.* i, 6, uti ibidem explicat S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Ambrosiaster et alii. Quare tunc stabulum et præsepium fuit quasi versum in cœlum empyreum, utpote plenum angelis, adeoque Cherubinis et Seraphinis omnibus, qui relicto cœlo ad stabulum descenderunt, Deum suum hominem factum veneraturi : fuit enim hoc opus incarnationis et nativitatis Verbi angelis prius inopinabile, et quasi incredibile, utpote opus summum propriumque divinæ potentiæ, sapientiæ, justitiæ et clementiæ, superans omnem hominum et angelorum intellectum, uti ostendi *Matth.* i, 20 ; et hic cap. i, 35.

Hoc est quod ait Apostc.Cs, i *Timoth.* iii, 16 : « Et manifeste magnum est pietatis sacramentum (quod est Deus homo, sive Verbum caro factum) quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. » Et David, *Psalm.* xvii : « Inclinavit, ait, cœlos, et descendit, » imo Deus ipse descendit, eumque factum infantem Deipara reclinavit in præsepio. « Factus est Deus homo, ait S. Augustinus, serm. 9 *De Nativit.*, ut homo fieret Deus ; ut panem angelorum manducaret homo, Dominus angelorum factus est homo. » Hoc est « Verbum abbreviatum, quod fecit Dominus, » *Isaiæ*, x, 23 ; *Rom.* ix, 28.



Cur Deus homo : Causa Prima

Morales causæ cur Christus homo fieri nascique voluerit in terra, fuere multæ. *Prima*, ut nos in carne patiens et moriens, a peccatis et gehenna redimeret. Rursum ut nos doceret, exemplo magis quam verbo, viam salutis, daretque perfectum sanctitatis omniumque virtutum exemplar, ac imprimis summæ et profundissimæ humilitatis. Ipse enim, « cum in forma Dei esset, etc., semetipsum exinanivit (id est ex omni inanem et quasi nihilum effecit), formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, » *Philipp.* ii, 6, 7. Nimirum voluit Christus exemplo suo docere quod S. Augustinus docuit verbo : « Fode, inquit, in te fundamentum humilitatis, et sic ad fastigium pervenies charitatis. » Dedit ergo hic ideam summæ humilitatis ; descendit enim quasi e summo majestatis suæ throno in imam abjectionis vallem, exuit quasi paludamentum gloriæ suæ, et induit saccum carnis nostræ.

*Secunda*, quia Christus nobis consanguineus et frater, imo caro et sanguis noster fieri voluit, ut quasi carneus cum carneis, homo cum homine, par cum pari ageret. Unde S. Bernardus, serm. 3 super *Missus est* : « Studeamus effici, inquit, sicut parvulus iste, discamus ab ipso, quia mitis est et humilis corde ; ne magnus Deus sine causa factus sit homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus, communicemus passionibus, et ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris, quoniam ad hoc ipse natus est. »

*Tertia* : Christus carnis nostræ parvitatem, vilitatem, ærumnas, famem, sitim, frigus, æstum, verbera, clavos, crucem suscepit, non propter se, sed propter nos, ut hoc efficacissimo amoris sui stimulo corda hominum algida pungeret et compungeret, eosque ad se redamandum stimularet, imo cogeret ; semper enim quasi occlamat nobis Christus incarnatus : Ego me totum tibi dedi, tu te totum modo redde mihi ; ideo incarnatus sum, ut vivam in te et in carne tua, ut dicas cum Paulo : « Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus. » Audi S. Ambrosium : « Ille igitur parvulus, ille infantulus fuit, ut tu vir possis esse perfectus. Ille involutus pannis, ut tu mortis laqueis sis absolutus. Ille in præsepibus, ut tu in altaribus. Ille in terris, ut tu in cœlis. Ille locum in diversorio non habebat, ut tu plures haberes in cœlestibus mansiones. Qui cum dives esset, propter vos pauper factus est, ut illius inopia vos ditaremini. » Ex quibus apposite pieque concludit : « Meum ergo paupertas illius patrimonium est, et infirmitas Domini mea est virtus. Maluit sibi egere, ut omnibus abundaret. Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illæ delicta laverunt. Plus igitur, Domine Jesu, injuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quam operibus, quod creatus sum. »

*Quarta* : depressit se in terram et carnem, ut nos eveheret in cœlum. « Ideo, ait S. Anselmus, Deus factus est homo, ut homo fieret Deus. Non poteramus Deum, qui est purissimus et increatus spiritus, mente concipere et colere : vestivit ergo Deus se carne nostra ut eum concipere, imo oculis cernere, auribus loquentem audire, et eo perfrui possemus, ait Cyrillus, *Catches.* 12. Atque hæc inter primas fuit incarnationis Christi causa, quam Ecclesia in Præfatione Missæ de Nativitate Christi ita decantat : « Quia per incarnati Verbi mysterium, nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. » Christus enim incarnatus est objectum latriæ, charitatis, gratitudinis omniumque virtutum. Quocirca jugis nostra cogitatio, sermo et conversatio debet esse cum Verbo incarnato, præsertim quia illud quotidie recolimus, imo renovamus in sacrificio Missæ. Ita cum eo semper versati sunt B. Virgo et Joseph. Ita S. Magdalena Christum ubique comitabatur, ac post ejus mortem secessit in eremum, ut jugiter hoc magnum pietatis sacramentum, quod oculis conspexerat, ruminaret et obstupesceret. Ita Apostoli, ita S. Paulus. Hac de causa S. Paula, S. Eustochium, et plurimæ matronæ et principes cum S. Hieronymo migrarunt in Bethlehem, ut ibi jugiter quasi Christum nascentem et reclinatum in præsepio intuerentur. Ita jugiter versabatur cum Verbo incarnato S. Bernardus, qui cum de eo agit, agit autem frequentissime, totus melleus amore liquescit, seque superat, nec tam ut homo, quam ut angelus loquitur. Ita S. Franciscus cum nato Christo dissuaviabatur, ac dulcissime eum compellabat parvulum de Bethlehem, et concionans non aliud ingeminabat quam hoc : « Amemus parvulum de Bethlehem. » Denique tot millia Anachoretarum, Monachorum, Religiosorum, relictis hominibus et sæculi turbis, in solitudines, in monasteria, in claustra se abdiderunt, ut jugiter hoc incarnationis et œconomiæ Christi, ac redemptionis nostræ mysterium meditarentur, admirarentur, laudibus omnique gratiarum actione et vitæ imitatione celebrarent. Postula ergo, o religiose, o sacerdos, o fidelis, a Christo, ut ipse tuam carnem et animam sibi uniat ac regat, sicut univit rexitque suam, quam pro te ad hoc assumpsit.

Primogenitum, — et unigenitum. Primogenitus enim est qui primo gignitur, etiamsi nemo alius post eum gignatur. Talis enim gaudet juribus et privilegiis primogenituræ.

Et pannis eum involvit — vilibus et pauperibus, sed honestis et mundis. Nota τὸ « involvit, » scilicet ipsa Virgo Deipara, utpote alacris et vegeta, per partum non debilitata, nec in lecto decumbens, sed potius roborata et pedibus consistens, parvuloque suo omnia non matris duntaxat, sed et obstetricis ac ancillæ obsequia studiosissime impendens. Audi S. Hieronymum, lib. I *Contra Helvidium*, cap iv : « Nulla ibi obste-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

trix, nulla mulierculatum sedulitas intercessit; ipsa pannis involvit infantem, ipsa et mater et obstetrix fuit. » Similiter Cyprianus, aut quisquis est auctor, lib. *De Cardin. Operib. Christi*, serm. 1 : « Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur; genitrix est et obstetrix, et devotam dilectæ soboli exhibet clientelam, etc. Nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. »

Græce est, *ἐσπαργάνωσεν αὐτόν*, id est *infasciavit eum.* In honorem harum fasciarum Christi, nobilis erecta est basilica, et anniversaria festa dies indicta, ut patet ex S. Germano, patriarcha Constantinopolitano, et Euthymio, orat. *De fasciis Domini*, apud Lipoman., tom. VI, ad diem 31 augusti.

Tropologicam causam dat Nyssenus, *De Nativ. Christi* : « Pannis, inquit, constringitur, qui peccatorum nostrorum vincula (et pelliceas Adæ tunicas, ait S. Bernardus, serm. 28 *in Cantic.*) in se suscepit. » Et S. Augustinus, serm. 3 *De Nativit.* : « O beata infantia, per quam nostri generis vita est reparata! O gratissimi delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium æternosque ploratus evasimus! O felices panni, quibus peccatorum sordes extersimus! O præsepe splendidum, in quo non solum jacuit fœnum animalium, sed cibus inventus est angelorum! »

Porro Æthiopicus, pro « fasciis eum involvit, » vertit, *et ligavit pollices ejus*, quasi hoc esset signum infanti nato proprium, ex quo agnosceretur a pastoribus; nam pannis involvi illi commune erat cum cæteris infantibus. Unde tradunt Æthiopes filium nomine Menelich, quem regina Saba ex Salomone conceperat, et rediens in Æthiopiam ibi pepererat, eumdem remisisse in Jerusalem, eique annulum, quem a Salomone acceperat, in pollicem inseruisse, ut ex hoc signo quasi legitimus filius a Salomone agnosceretur. Hæc illi, penes quos sit fides.

ET RECLINAVIT EUM IN PRÆSEPIO. — Omissis variis variorum opinionibus, quas recensent Barradius, Azor, Baronius, Toletus et alii, nota locum

Christus in spelunca natus.

nativitatis Christi proprie non fuisse stabulum domus rusticanæ, ut S. Cyprianus (vel quisquis est auctor), tract. *De Operibus Cardinal.*, et alii imaginantur; sed fuisse speluncam excisam in rupe ad extremam et orientalem partem urbis Bethlehem, uti docent oculati testes : S. Hieronymus, epist. 18 *ad Marcellam*; Brochardus, Adrichomius et alii, ac Beda, *De Locis sanctis*, cap. VIII. An spelunca hæc sita fuerit in urbe, an foris ad muros urbis, variant auctores. Audi S. Hieronymum : « Ecce in hoc parvo terræ foramine cœlorum conditor natus est, hic involutus pannis, hic visus a pastoribus, hic demonstratus a stella, hic adoratus a Magis. » Addit Beda, e petra hujus speluncæ per miraculum, ob Christum in ea natum, perennem scaturire fontem, illumque usque ad sua tempora perdurare; atque totam speluncam a Christianis marmore incrustatam esse, ac grandi ecclesia desuper ædificata ornatam.

Præsepe in præsepio.

Porro, in hac spelunca fuisse præsepe (1) ligneum, commune et notum omnibus pastoribus, liquet ex hoc quod, ex eo sibi ab angelo indicato, pastores mox locum nativitatis Christi agnoverint, et ad illum se contulerint. Præsepe hoc Romam deinde translatum est, ac in basilica S. Mariæ Majoris conditum, ibidem religiose visitur et colitur.

Ob duas causas.

Denique Christus collocatus fuit in præsepio duabus de causis. Prior, quod in tota spelunca non esset commodior, nec decentior Christo locus quam præsepium, ut in ejus fœno quasi in lecto recumberet tener Christus. Posterior, ut in rigore hiemis (erat enim finis decembris) Christus halitu bovis et asini calesceret. Ad præsepe enim hoc alligatum fuisse bovem et asinum traditio est, hicque est communis fidelium sensus. Et de iis Ecclesia intelligit illud *Habacuc*, III, 2, juxta Septuaginta : « In medio duorum animalium cognosceris; » ac iisdem appropriat illud *Isaiæ* I, 3 : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, » uti explicant ibidem S. Hieronymus, Nazianzenus, Cyrillus, Paulinus, Prudentius et alii apud Baronium.

Tropol.

Tropologicam causam dat Nyssenus, *De Nativitate Christi* : « Præsepe, ait, bestiarum est domus, in qua Verbum nascitur, ut cognoscat bos possessorem, et asinus præsepe Domini sui. Bos autem est Judæus legi subjugatus; asinus vero, animal oneribus ferendis aptum, Gentilis sub gravissimo idololatriæ jugo gemens. Ordinarius autem brutorum animalium cibus est fœnum. Producens enim, inquit Propheta, fœnum jumentis. Animal vero rationale pane vescitur : idcirco ergo in præsepi, ubi pabulum brutorum poni solet, panis vitæ, qui de cœlo descendit, proponitur, ut animalia quoque rationis expertia rationalem cibum participarent. »

Sic et S. Cyrillus in *Catena*. Symbolice : præsepe est altare, in quo Christus in Missa per consecrationem quasi nascitur et immolatur. Unde S. Chrysostomus, in *Catena* : « Quod in præsepio videntes atque tugurio Magi, cum multa veneratione ac timore accesserunt et adorarunt : tu idipsum non in præsepio, sed in altari cernens, majorem istis barbaris exhibe pietatem. »

S. Franciscus in stabulo nascitur.

Exemplo Christi in spelunca nati, multæ matres Sanctorum eos in stabulo pepererunt. Mater S. Francisci, cum ex eo gravida parere non posset, a paupere peregrino monita ut in stabulum se conferret, fore ut statim pareret, dicto obediens, felici partu in stabulo S. Franciscum, paupertatis Christi imitatorem, enixa est. Ita habet ejus Vita apud Ribadeneiram. Hodie quoque nonnullæ piæ matres parituræ ex pia devotione et humilitate stabulum adeunt, ut Christo et B. Virgini se suosque infantes assimilent.

(1) Hæc Patritius : « Italis *præsepium* proprie significat ipsum stabulum septis clausum, per synecdochen vero locum in quo pabulum jumentis apponitur; contra ea græco φάτνη, quod Lucas usurpavit, posterior significatio propria est, prior συνεκδοχικῶς. Quæritur utra in hoc loco præferenda? Communis priorum ætatum opinio, effigies vetustissimæ a priscis Christianis elaboratæ, atque ipsa vox φάτνη usurpata a Luca posteriorem significationem, qua prior nequit dividi, præferre suadent. » Opere cit., diss. XXIII, 4.



Porro S. Epiphanius, orat. *De Deipara* : « Stabulum, inquit, visum est esse cœlum in terra : » ubi enim est Deus, ibi est cœlum, sicut ubi est Pontifex, ibi est Roma. Subdit Epiphanius : « Virgo, ait, in spelunca citra laborem prægnans, cœli et terræ Dominum deposuit in præsepio, hunc etiam ordines angelorum circumstabant Virginem, cum clamore dicentes : *Gloria in altissimis Deo*, etc. » Et Chrysippus : « In præsepio choreæ circumsteterunt angelorum. Regum omnium palatiis ipsique templo, pauperrimum illud stabulum angeli anteponebant, eo in admirationem summam rapti confluebant recensque regem natum adorabant. »

Moraliter : Christiani omnes crebro considerent et intueantur Christum in præsepio, ut advertant quis et quantus ille sit, quid faciat, pro quibus et cur faciat : Christus enim in præsepio, hoc est Deus homo, Verbum infans, est amor æque ac stupor omnium angelorum ac fidelium, quod omnes stupent et stupebunt per omnem æternitatem. Quis enim non attonitus stupeat, si profunde hunc puerum inspiciat, eumque roget : Quis es tu, o parvule Bethlehemitice? eumque audiat respondentem : Disce id ex Isaia, cap. IX, 6 : « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. » Dicat tibi idipsum David Psaltes et Propheta regius, *Psal.* XLVII : « Magnus Dominus et laudabilis nimis » factus est puer parvulus et amabilis nimis. « Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi : ipse reget nos in sæcula. » Dicat Daniel, cap. VII : « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. » Dicat Salomon, regum sapientissimus, *Prov.* VIII, 22 : « Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum et librabat fontes aquarum, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum : et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. » Dicat Siracides, *Eccli.* XXIV, 6 : « Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis, etc. Et dixit mihi : In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. » Dicat Job, XI, 8 : « Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari. » Et cap. IX, 3 : « Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. Qui præcipit soli, et non oritur. Qui extendit cœlos solus, et graditur super fluctus maris; qui facit magna et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus. » Dicat Gentilium Sibylla. Dicat ex ea Virgilius, princeps poetarum et vatum, *Ecloga* IX :

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo
Jam nova progenies cœlo demittitur alto,
Chara Deum soboles, magnum Patris incrementum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Addit hanc auream esse ætatem Christi,

quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

Merito ergo exclamat S. Augustinus, serm. 9 *De Nativit.* : « O miracula! o prodigia! o mysteria! fratres, naturæ jura mutantur, in homine Deus nascitur, virgo sine viro gravidatur, viri nesciam sermo Dei maritat, simul facta est mater et virgo; mater facta, sed incorrupta. O mira et inexquisita compago! O nova et inaudita commixtio! Deus qui est et qui erat creator, fit creatura; qui immensus est, capitur; divites constituens, pauper efficitur, incorporeus carne vestitur, videtur invisibilis, palpatur impalpabilis, comprehenditur incomprehensibilis, quem cœlum et terra benedicit, in præsepio angusto collocatur. »

Quid fecit tantus Deus, in tantilla carne, jacens in præsepio? Audiamus ipsummet in præsepii cathedra non verbo sed facto docentem et prædicantem : Ego, qui tribus digitis appendo molem terræ, qui ex nihilo creavi cœlum et terram, Rex gloriæ, et Dominus majestatis, sub quo columnæ cœli contremiscunt, et curvantur qui portant orbem; tui unius, o homo, amore, ut te peccato et æternis gehennæ incendiis addictum liberarem et in cœlum beandum deducerem, veni « saliens in montibus, transiliens colles; » salii e cœlo in terram, ex sinu Patris in uterum Virginis, ex utero in terram, e terra in crucem, e cruce in infernum; ex inferno resilii in terram, e terra in cœlum, ut te inferno erutum in cœlum deveherem. Per viscera misericordiæ meæ, visitavi te oriens ex alto, ac cœlum terræ, Verbum carni, spiritum luto, Deum homini hypostatice junxi, et arctissime devinxi. Parvulus factus sum, os tuum et caro tua, factus sum homo, ut te Deum efficerem. In præsepio jaceo inter jumenta quasi cibus bovis et asini, quia ut jumentum animaliter vivebas, volutans te in carne et sanguine. Factus eras

« sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Homo enim cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis, » *Psal.* XLVIII. Carnem ergo assumpsi, ut carnem meam comedas, ac carnem non jumenti sed Dei, ut illam jungens carni tuæ, os ori, manum manui, pedem pedi, ventrem ventri, illis instar Elisei, IV *Reg.* IV, 34, inspirem halitum vitæ cœlestis et divinæ.

Quis et quorsum hic halitus? Halitus est altissimæ humilitatis, ditissimæ paupertatis, extaticæ charitatis, sapientissimæ stultitiæ et mundi contemptus, ut doceam te reipsa quod verbo per Salomonem docui : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, præter amare Deum, et illi soli servire. Ego sum via, veritas et vita. » Me ergo ut viam in cœlum, si errare non vis, sequere; mihi ut veritati ausculta, me ut veram vitam complectere. Vanæ sunt opes, vanæ deliciæ, vani honores terreni, quos stulti mortales, et instar puerorum fatui, avidissime sectantur et ambiunt. Veræ opes, veræ deliciæ, veri honores sunt in cœlis, quibus fruuntur Deus, Angeli et Beati : ad illos anhela. Ego Christus, qui sum Rex regum, pauper et omnium indigus nascor; et tu, o Christiane, commoda et divitias ambis? Ego quem cœli non capiunt, corpore et præsepio exili concludor; et te, o Christiane, pudet esse parvulum, humilem, abjici, contemni? Ego, qui sum increata et immensa Sapientia, dura et molesta carni, molesta spiritui elegi; tu voluptatibus utriusque indulges? Ego non in Herodis, non Augusti palatio, sed in spelunca et præsepio nasci volui, elegi humiles habitare casas, et aulæ prætuli caulam; tu aulam et aulica sectaris. « Filii hominum, » filii Enos, miselli, insipientes, oblivione et furore perciti, « ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » discite ex me ubi sit vera sapientia, vera gloria, vera virtus, vera vita : nimirum in profunda humilitate, in ardenti charitate, in contemptu rerum omnium terrenarum et desiderio cœlestium. « Clamat stabulum, ait S. Bernardus, serm. 5 *De Nativit.*, clamat præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni. Clamat stabulum, curando sese homini, qui in latrones inciderat, præparari. Clamat præsepe eidem homini, qui jumentis comparatus fuerat, pabulum ministrari. Clamant lacrymæ, clamant panni ejusdem ipsis cruenta jam vulnera ablui et detergi. »

Clamant omnia austeritatem, pœnitentiam, paupertatem, humilitatem, sed maxime incensam charitatem; quod enim cœpit hic Christus, hoc tota deinceps vita prosecutus perfecit. Hoc est quod ipse ait, *Matth.* VIII, 10 : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. » Nimirum natus in stabulo, vixit in hospitio, mortuus est in patibulo. Ubique non propter se, sed « propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus. »

Denique Christus natus est carne, ut nos renasceremur spiritu, imo ut ipse per spiritum nascatur in nobis. Audi Innocentium III, *serm.* 3 : « Sicut tres in Christo substantias fides Catholica confitetur, divinitatem, carnem, spiritum, ita tres in ipso nativitates Scriptura sacra testatur, divinam ex Patre, carnalem ex matre, spiritualem in mente. Ex Patre nascitur semper, de matre natus est semel, in mente nascitur sæpe. »

Porro, hoc fit per ardentia, efficacia et crebra ad Christum desideria et suspiria. Unde subdit Innocentius : « Christus concipitur per affectum, nascitur per effectum, nutritur per profectum. »

QUIA NON ERAT EIS LOCUS IN DIVERSORIO. — « Eis, » scilicet Mariæ et Joseph; unde Arabicus, *quia non erat eis locus in quo diversarentur.* Perperam ergo aliqui legentes « ei, » scilicet Christo, sic cum Barradio explicant, *q. d.* Christus reclinatus fuit in præsepio, quia non erat ei locus commodior in illo diversorio, id est in stabulo; nam Græca, Latina, Syrus et Arabicus habent *eis*, non *ei*. Causam dat, cur B. Virgo pepererit in spelunca, et Christum non in lecto, sed in præsepio reclinarit, quia scilicet omnia loca in hospitio jam præoccupata erant, affluente turba ditiorum ad communem censum. Verisimile est enim in urbe parva Bethlehem, unum tantum fuisse diversorium (ut hic innuit Lucas : idemque in Germania fieri vidi) ad quod hospites omnes et advenæ diverterent, quod proinde, affluente turba, facile impleretur, ut plures non caperet : sed Christi prævisione et providentia id factum est, ut summæ humilitatis et paupertatis nobis daret exemplum. Porro, Christus ex humilitate se abscondens, manifestatus et glorificatus fuit a Deo, per stellam vocantem Magos, per angelos missos ad pastores, per idola eversa, per circulos solis et parelios, perque alia miracula, quæ recenset Orosius, lib. VI, cap. XX, et fusius Baronius, tom. I *Annal.*

8. ET PASTORES ERANT IN REGIONE EADEM VIGILANTES, ET CUSTODIENTES VIGILIAS NOCTIS SUPER GREGEM SUUM. — « In regione eadem, » puta in agris et campis vicinis Bethlehem. S. Hieronymus, *Epist.* 27; Brochardus, Adrichomius et alii in *Descript. Terræ Sanctæ*, asserunt fuisse locum eumdem in quo Jacob pavit greges suos, *Gen.* XXXVI, 21, qui inde dictus est « Turris Eder, » id est gregis, eo quod pascuis pro gregibus alendis abundet. Hic ergo angeli Christo nato cecinerunt : « Gloria in excelsis Deo. » Qua de causa S. Helena ibidem templum ædificavit in honorem SS. Angelorum, adeoque medio in agro sacellum erectum est in tantæ rei memoriam. Distat a Bethlehem fere mille passibus. Sic et Haymo : Distat, ait, turris gregis a Bethlehem uno milliario, in quo etiam hodie trium pastorum corpora requiescunt.

VIGILANTES. — Græce ἀγραυλοῦντες, id est *in agro stabulantes*, aut *pernoctantes*; ἀγρὸς enim est ager, αὐλὴ, est caula, stabulum, septum, ovile. Theophylactus vero ἀγραυλοῦντες interpretatur *in agro canentes*; nam ἐν ἀγρῷ αὐλεῖν, est in agro canere tibia vel fistula, uti pastores facere solent, tum ut falliant tempus, tum ut se recreent, tum ut oves demulceant et ad strenue pascendum hoc suo cantu incitent.

Ex hac voce, Josephus Scaliger, *De Emendat. Temp.*, contendit probare Christum natum esse in septembri. Quia tunc, inquit, non autem in decembri, cum media est hiems, omniaque rigent gelu aut nive, in agris stabulantur et pascuntur oves. Verum Christum natum esse die 25 decembris, communis est Ecclesiæ et omnium sæculorum traditio. Ad argumentum Scaligeri respondeo : in regionibus calidis, qualis est Palæstina, etiam in hieme greges degere et pasci in agris, et campis compascuis, sive sub dio, sive in mapalibus ad hoc comparatis, qualia in turre Eder ob vicina pascua erecta fuisse non est dubium, ut scilicet oves ad ea tempore congruo statim exirent. Sic in Italia et agro Romano videmus pecudes et pecora tota hieme in campis degere et pasci.

ET CUSTODIENTES VIGILIAS NOCTIS SUPER GREGEM SUUM. — Græce φυλάσσοντες τὰς φυλακάς, id est *custodientes custodias*; scilicet per quatuor noctis vigilias excubantes, ut greges suos custodirent, ne a lupis vel furibus raperentur. Hinc colligitur Christum natum esse nocte, puta post mediam noctem, cum jam inciperet dies 25 decembris, idque mystice (nam alius litteralis ejus loci est sensus) significatur *Sapient.* XVIII, 14 : « Cum quietum, inquit, silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit; » idque ad hoc, ut significaretur quod Christus quasi sol veritatis et justitiæ illucesceret his qui in tenebris et umbra mortis sedebant, ait S. Augustinus, *Quæst.* LIII, inter *Quæst. veteris et novi Testamenti*. Hac de causa Ecclesia in festo Nativitatis Christi post mediam noctem Missas celebrat.

In hujus rei memoriam, eodem loco postea ædificata fuit ecclesia Trium Pastorum (tot enim fuisse pastores, quot et Magos, docet etiam S. Bernardus, serm. 6 *De Nativit. Domini*), divinæ nativitatis consciorum monumenta continens, ait Beda, *De Locis Sanctis*, cap. VIII. Hi enim pastores per angelum vocati ad Christum, eo viso et adorato, per ejus gratiam eximii evasere Sancti. Unde Lucius Dexter in *Chronico*, quod dedicat S. Hieronymo : « Anno, inquit, Urbis Romæ 752, Lentulo et Messala consulibus, uno anno ante Augusti et Sylvani consulatum, Christus nascitur : tribus pastoribus (qui fuerunt sancti) primum ostenditur. » Vide Baronium, anno 1 Christi, et Suarez, III *part.*, *Quæst.* XXXVI, disp. XIV, sect. 2.

Porro congruum rationi erat, ut tres duntaxat pastores Verbum Patris, Spiritus Sancti ope carnem factum primi hominum adorarent, ut ipsi adoratores existerent S. Trinitatis illiusque mysterium suo numero repræsentarent, uti postea fecere tres Magi.

9. ET ECCE ANGELUS DOMINI STETIT JUXTA ILLOS, ET CLARITAS DEI CIRCUMFULSIT ILLOS, ET TIMUERUNT TIMORE MAGNO. — « Angelus, » in corpore assumpto, ut significaret Deum corpus assumpsisse, et per carnem assumptam hominibus conspicuum se reddidisse, ait Titus.

Porro S. Cyprianus (vel quisquis est auctor), *De Nativit. Domini*; Toletus, Franciscus Lucas et alii censent angelum hunc fuisse Gabrielem : hic enim et B. Virgini et Zachariæ apparuit, fuitque totius hujus negotii incarnationis Verbi administer. Innuit idipsum Beda, dicens : « Angelus Mariam, angelus Joseph, angelus pastores instruit; et concipiendum, et conceptum, et natum cœli cives Dominum testantur, ut et mortales sufficienter imbuant, et suum auctori servitium incessanter impendant.

STETIT JUXTA ILLOS. — Græce ἐπέστη αὐτοῖς, quod alii vertunt, *stetit super illos*, quasi angelus e cœlo lapsus; Vatablus, *astitit illis*; Syrus, *venit apud eos.* Pastores hi, quia erant Judæi et fideles, vocantur per angelum (Judæis enim sæpe apparebant angeli); Magi vero, quia Gentiles et astrologi, vocantur per stellam. Vide S. Gregorium, hom. 10 *in Evang.*

Quæres, cur angelus primo pastoribus, non Scribis, non civibus vel opificibus apparuerit? Respondeo : Euthymius quatuor dat causas. *Prima* est, quod omnia hic in Christi præsepio spirent paupertatem et humilitatem, quodque pastores simplices, pauperes et humiles magis placeant Deo quam superbi divites, et increduli Scribæ ac Pharisæi, juxta illud Christi : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, quia sic placitum fuit ante te, » *Matth.* XI, 25. Unde Theophylactus hic : « Doctos, ait, per indoctos vicit, divites per pauperes, per piscatores piscatus est orbem. »

*Secunda*, quia hi pastores veterum Patriarcharum vitam sectabantur, scilicet innocentissimam artium agriculturam, vel potius pastoritiam. Nam Abel, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses fuere pastores ovium, quibus proinde velut innocentibus et sanctis, sæpe Deus per angelos apparuit. Ita S. Ambrosius, *serm.* 9 : « Nec mirum, inquit, si Christi gratiam ante scire meruit innocentia, quam potestas, et prius cognoscere veritatem simplex rusticitas, quam superba dominatio. »

*Tertia*, quia Christus futurus erat pastor populi, juxta illud : « Ego sum pastor bonus, » *Joan.* X. Hinc Christus olim pingebatur ut pastor cinctus ovibus, uti videre est Romæ in Ecclesia SS. Cosmæ et Damiani, aliisque priscis.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Quarta*, ut significaretur pastoribus rationalium ovium, puta hominum et fidelium, primum divina mysteria a Deo revelari, ut ipsi deinde eadem suas oves, id est plebem sibi commissam doceant.

*Quintam* addit auctor *De Mirabilib. Sacræ Scripturæ*, qui extat tom. III S. Augustini, lib. III, cap. II, quia Christus erat agnus pro salute mundi offerendus. Congrue ergo ipse primo pastoribus agnorum apparet.

Tropologice : Christus se revelat et communicat iis qui suis actionibus et cogitationibus quasi pastoribus invigilant, ac consolatur eos qui suam non habent consolationem. Ita S. Bernardus, serm. 5 *De Nativit.* : « Non consolatur, inquit, Christi infantia garrulos ; non consolantur Christi lacrymæ cachinnantes ; non consolantur panni ejus ambulantes in stolis ; non consolantur præsepe et stabulum amantes primas cathedras in synagogis ; sed æquanimiter forte universam hanc consolationem expectantibus in silentio Dominum, lugentibus, pannosis pauperibus cedere videbuntur. Cæterum audiant, quod et ipsi quoque angeli non alios consolantur. »

ET CLARITAS DEI (lux, splendor mirus, non tam humanus quam divinus) CIRCUMFULSIT ILLOS. — Arabicus, *gloria Domini orta est super illos*. Ubique enim in Scriptura Deus gloriam suam manifestavit per cœlestem lucem et fulgorem. « Claritatem Domini, ait Euthymius, intellige divinum lumen. » Titus : « Divina claritate cœlestique gloria circumfusi sunt. » Itaque fulgor hic non fuit sidereus, sed augustior, qui esset index majestatis Domini, cujus angelus erat legatus.

Sol clarior nascente Christo.

Porro S. Ambrosius, *serm.* 10, Nativitatis Christi die solem putat novo quodam fulsisse splendore, et ad ortum festinasse : « Oriente, inquit, Salvatore non solum humani generis salus, sed etiam solis ipsius claritas innovatur, sicut ait Apostolus *ad Ephes.* I : *Ut per ipsum restauraret omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terra sunt.* Si enim sol obscuratur cum Christus patitur, necesse est illum splendidius solito lucere cum nascitur. » Et post nonnulla : « Ex eo denique factum puto, ut nox decresceret, dum sol festinus ob Dominicæ nativitatis obsequium ante lucem mundo protulit, quam nox cursum sui temporis consummaret. Quin potius ipsam noctem fuisse non dico, nec aliquid obscuritatis habuisse, in quo pastores vigilant, et exultant angeli, astra deserviunt. Si sol ad Jesu Nave orationem defixus stetit in die, cur non ad Christi nativitatem festinus promoveret in noctem ? »

Tropologice : S. Gregorius, *hom.* 8 : « Quid, inquit, est, quod vigilantibus pastoribus angelus apparet, eosque Dei claritas circumfulget ? nisi quod illi præ cæteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse sollicite sciunt ; dumque ipsi pie super gregem vigilant, divina super eos gratia largius coruscat. » Idem, lib. VII, *epist.* 32 : « Lux gregis, flamma est pastoris. Decet enim pastorem, decet Dominicum sacerdotem moribus et vita clarescere, quatenus in eo tanquam in speculo vitæ plebs commissa, et eligere quod sequatur, et videre possit quod corrigat. »

ET TIMUERUNT TIMORE MAGNO. — Sacro horrore et reverentia perfusi sunt, tum propter visionis et splendoris novitatem, ait Euthymius, tum ob angeli cœlestis majestatem, quæ homines ita percellit, ut pene exanimentur ; unde olim opinio erat, moriturum eum qui vidisset angelum, juxta illud Manue, patris Samsonis : « Morte moriemur, quia vidimus Deum, » *Jud.* XIII, 22. Hinc disce signum angeli boni esse, primo terrere, deinde consolari ; unde subdit : « Nolite timere, » etc.

10. ET DIXIT ILLIS ANGELUS : NOLITE TIMERE : ECCE ENIM EVANGELIZO VOBIS GAUDIUM (nuntium, quod pariet gaudium) MAGNUM QUOD ERIT OMNI POPULO, — sed in primis vobis, quos primos ad Messiam jam natum visendum adorandumque voco. Evangelium ergo primo ante omnes nuntiatum est pastoribus, idque per angelos. Causam dat S. Bernardus, serm. 5 *De Nativit.*, dicens : « Vigilantibus enim pastoribus, et custodientibus vigilias noctis evangelizatur gaudium novæ lucis, et eis natus dicitur esse Salvator : pauperibus atque laborantibus, non vobis divitibus, qui vestram habetis consolationem et væ divinum. »

11. QUIA NATUS EST VOBIS HODIE (hac nocte) SALVATOR, QUI EST CHRISTUS (Messias tot sæculis expectatus) DOMINUS, IN CIVITATE DAVID : — in Bethlehem, ex semine et stirpe David. Singula verba habent pondus, et novam gaudii materiam suggerunt, ut patet ea ruminanti et penitius expendenti, uti ea minutim et fuse expendit Toletus. Nomen Christi sacerdotium notat et regnum, ait Eusebius in *Catena* ; tam enim sacerdotes quam reges ungebantur, ideoque Christi, id est uncti, et unctione consecrati, dicebantur. De nomine Christi vide dicta *Matth.* I, 1 ; et *Daniel.* IX, 24, in fine.

12. ET HOC VOBIS SIGNUM (quo hunc puerum ab aliis recens natis secernatis et dignoscatis) : INVENIETIS INFANTEM PANNIS INVOLUTUM, ET POSITUM IN PRÆSEPIO. — Cæteri enim infantes tunc nati erant in domo et lecto, Christus vero solus in stabulo et præsepio. Hinc patet præsepe hoc fuisse commune et notum omnibus ; nisi dicas angelum digito ostendisse, aut interna inspiratione, ut vult Toletus, pastoribus indicasse speluncam in qua erat hoc præsepe. Hoc signum dat angelus, ne pastores putent Messiam suum quasi regem Judæorum, requirendum in regia Herodis similive palatio, uti Judæi putant : hic enim primus Christi adventus fuit humilitatis, sicut secundus ad judicium erit majestatis. Signum ergo Verbi incarnati et abbreviati est fasciarum et præsepii humilitas ; hanc enim efficaciter nascendo, vivendo et moriendo in summa abjectione, docere nos voluit Christus. Nam. ut ait S. Bernardus, serm. 1



*De Nativit.* : « Quid magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut videns Deum cœli parvulum factum, ultra opponat homo magnificare se super terram ? intolerabilis impudentiæ est, ut ubi sese exinanivit majestas, vermiculus infletur et intumescat. »

13. ET SUBITO FACTA EST CUM ANGELO MULTITUDO MILITIÆ CŒLESTIS, LAUDANTIUM DEUM ET DICENTIUM. — Quia, ut dixi vers. 7, omnes angeli Christum in terra nascentem comitati et venerati sunt ; hi autem sunt acies et militia, hoc est exercitus cœlestis, quia potentissime pro Deo contra dæmones et impios pugnant ; unde vocatur Deus *sabaoth*, id est exercituum, scilicet cœlestium et angelicorum. Sic Jacob, qui fuit typus Christi, fugiens Esau fratrem suum, vidit copiam angelorum sibi auxiliantium, unde dixit : « Castra Dei sunt hæc, » ideoque locum vocavit *Mahanaim*, id est castra in duali, ob duas acies sive turmas angelorum sibi in tutelam venientium, *Gen.* XXXII. Rursum, si ob creationem mundi laudarunt Deum astra matutina, et jubilarunt omnes filii Dei, id est omnes angeli, ut ait Job, cap. XXXVIII, quanto magis idem fecerunt ob incarnationem et nativitatem Verbi !

14. GLORIA IN ALTISSIMIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBUS BONÆ VOLUNTATIS. — Sic et Syrus, Arabicus, Ægyptius, Æthiopicus, Persicus, excepto τῷ « bonæ voluntatis » de quo mox. Τὸ « in altissimis, » vel, ut passim alii legunt, « in excelsis, » referri potest tum ad *Deo*, *q. d.* Gloria est Deo qui habitat in cœlis altissimis, ibique gloriam suam angelis et Beatis ostendit ; tum potius ad *gloria*, *q. d.* In cœlis altissimis angeli dant gloriam Deo, sicut in terra homines fruuntur pace per Christum jam natum. Rursum hæc verba accipi possunt tum assertive, subaudiendo *est*, tum optative, subaudiendo *sit*. Assertive, *q. d.* Gloria jam in cœlo est Deo, et in terra est pax, quia omnes cœlites in cœlo glorificant Dei misericordiam, sapientiam, fidelitatem, quod Christum a se patribus promissum jam mundo fideliter exhibuerit : hinc in terra est pax, quia Christus natus est, ut ipse quasi rex pacificus, homines qui nascuntur filii iræ, Deo reconciliet. Ita Toletus et Maldonatus. Optative, *q. d.* Gloria sit in altissimis Deo, id est laudetur et glorificetur Deus in cœlo, omnes cœlites benedicant et glorificent Deum, quod dignatus sit Christum mittere in terram, ut in ea incarnatus hominibus pacem, id est reconciliationem, gratiam, salutem omniaque bona afferat. Laudent ergo Deum cœlum et terra, jubilent illi cœlites omnes et terrigenæ, quia natus est Christus, qui est gloria Dei, gaudium angelorum, pax hominum. Ita Jansenius, Barradius et alii. Sunt enim hæ voces angelorum laudantium, partim congratulantium Deo et hominibus, partim optantium gloriam hanc et pacem in nativitate Christi inchoatam, in ejus vita et morte perfici.

Græca hunc hymnum faciunt trimembrem : Sic enim habent : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus bona voluntas*. Sic et Syrus, et Arabicus, qui, pro *bona voluntas*, vertit, *hilaritas*. Sic quoque legunt Patres Græci passim, scilicet S. Athanasius, Basilius, Nyssenus, Epiphanius, Eusebius, Theophylactus, Euthymius, ut videre est in *Catena Græcorum* (1).

Verum melius Latini omnes, et ex Græcis Origenes, S. Chrysostomus et Cyrillus, pro εὐδοκία, id est *bona voluntas*, legunt εὐδοκίας, id est *bonæ voluntatis*, ac consequenter hymnum hunc faciunt bimembrem. Sicut enim gloria datur Deo, quasi personæ quæ glorificatur ; sic et pax datur hominibus bonæ voluntatis, quasi personis, quibus pax Christi competit et congruit ; atque sic melius cohæret nexus totius sententiæ : nam pax in terra alia intelligi nequit, quam hominum bonæ voluntatis. Apposite S. Bernardus, serm. 3 *De Circumcis.* : « Quæ, ait, major Deo gloria, quam tanta dignatio et tanta benignitas ? » Idem, epist. 126 *ad Episc. Aquit.* : « Displicet, ait, mortalibus angelica illa partitio, qua gloria Deo, pax hominibus nuntiatur, et dum gloriam usurpant, turbant pacem. Solus gloriam meretur, qui facit mirabilia solus ; sicut dicit Apostolus : Soli Deo honor et gloria. » Et paulo post : « Quonam ergo modo stabit pax hominum coram Deo, vel cum Deo, si Deo non potest apud homines esse tuta sua gloria ? O stulti filii Adam, qui contemnentes pacem, et gloriam appetentes, et pacem perdunt et gloriam. »

ET IN TERRA PAX — hominum cum Deo, cui nos Christus reconciliavit, imo carnem nostram sibi hypostatice univit ; ac consequenter « pax, » id est tranquillitas mentis et conscientiæ ; ac tertio, « pax » et concordia cum aliis hominibus. Porro, « pax » Hebræis omne bonum, omnem prosperitatem et felicitatem significat. Hinc aliqui : « Pax, » inquiunt, est Christus jam natus ; « ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, » *Ephes.* II, 14 ; nam « Deo placuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt, » *Coloss.* I, 19.

Audi S. Augustinum, orat. *Contra Judæos, Paganos et Arianos*, cap. X : « In utero, inquit, virginali spiritales nuptiæ celebratæ sunt, Deus conjunctus est carni, et caro adhæsit Deo, hinc procedens ut sponsus de thalamo, ad cujus nuptias commota universa exultare visa est creatura. Namque angelorum chorus ex his nuptiis pacem

(1) Inter varias græcorum verborum interpunctiones, sensum obvium optimumque affert hæc : Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, id est : Gloria in altissimis Deo, et in terram pax, in hominibus propensa (Dei) voluntas. — *In terram* quasi adveniat, seu advenit e cœlo pax ; *in hominibus* idem valet ac *inter homines* ; *propensa* (Dei) *voluntas*, vid. simillimam lectionem *Proverb.* XIV, 9.




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

designat hominibus bonæ voluntatis, quia qui erat Dei Filius, factus est hominibus filius. »

Bonæ voluntatis. — Tripliciter id exponi potest. *Primo*, referendo illud ad τὸ « hominibus, » ut eos determinet, *q. d.* Pax sit hominibus, at non omnibus, sed iis qui sunt bonæ voluntatis. Ita S. Ambrosius; hoc est, qui suscipiunt Christum, ait Beda.

*Secundo*, S. Leo, serm. *De Nativit.* : « Pax, ait, sit hominibus, quæ scilicet faciat eos esse bonæ voluntatis, ut nimirum suam voluntatem Dei legi et voluntati per omnia subjiciant et conforment. »

Verum quia Græce est εὐδοκία, quæ vox respondet Hebr. רצון *ratson*, ac in sacra Scriptura fere non hominibus, sed Deo ipsi tribuitur, et significat Dei gratiam, benevolentiam, beneplacitum, amorem et dilectionem erga homines; hinc melius Nyssenus, Theophylactus, Euthymius hunc dant sensum, *q. d.* Pax sit hominibus, hominibus, inquam, quos Deus hac gratia et bona voluntate, id est benevolentia et amore suo gratis sine hominum merito dignatur et prosequitur, ut scilicet det eis salvatorem talem et reconciliatorem, qui pacem inter se et homines, ac inter cœlum et terram, puta inter cœlites et terrigenas, constituet. Sic *Psalm.* v, dicitur : « Scuto bonæ voluntatis (Græce εὐδοκίας) tuæ coronasti nos, » id est scuto quod est bona voluntas, id est benevolentia tua, velut corona cinxisti nos. Sic *Matth.* xvii, dicitur : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; » Græce, εὐδόκησα. Et *Psal.* cxlix : « Beneplacitum est Domino in populo suo. » Sic homines bonæ voluntatis alibi vocantur « filii dilectionis, » id est filii voliti et dilecti a Deo. Vide dicta *Ephes.* i, 9.

Porro Jansenius, τὸ « bonæ voluntatis » refert ad « pax, » *q. d.* Pax sit hominibus, pax, inquam, proveniens non ex eorum meritis, sed ex bona voluntate, id est benevolentia et gratia Dei : sed hoc intricatius et obscurius est. Aliter quoque S. Ambrosius : « Bonæ voluntatis, inquit, ut intelligas pacem Christi non debiti esse, sed meriti. »

Moraliter disce hic, quam Deus humilitate delectetur et humiles exaltet. Christus ecce nocte nascens abscondit se in præsepio, at Deus eum glorificat per angelos. Audi S. Augustinum, lib. II *De Symbolo*, cap. v : « Sic voluit nasci excelsus humilis, ut in ipsa humilitate ostenderet majestatem. » Et serm. 213 *De Temp.* : « In summo, ait, honore summa sit humilitas : honoris laus, est humilitatis virtus. » Et S. Ambrosius : « Ex utero, inquit, Christus funditur, sed coruscat e cœlo; terreno in diversorio jacet, sed cœlesti lumine fulget; nupta peperit, sed virgo concepit; nupta concepit, sed virgo generavit. Quod si ætas carnis ignara operis fuit, profecto Deus erat, qui divinitatis operibus exercebat carnis ætatem. » Et S. Bernardus, serm. 1 *De Circumcis.* : « Christus ab ipso nativitatis exordio divinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui fœcunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur, sed panni ipsi angelicis laudibus honorantur; absconditur in præsepio, sed proditur radiante stella de cœlo : sic et circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis, et nomen quod est super o:ane nomen, gloriam indicat majestatis. »

Hac ergo de causa Christus ubique ita humilitatem cum majestate in seipso combinavit et contemperavit, ut doceret majestatis decus esse humilitatem, uti est gemmula in annulo aureo, ac vicissim humilitatis præmium esse solium majestatis.

15. Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in coelum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

Hoc verbum, — id est hanc rem tam novam et miram, puta Verbum incarnatum, et Messiam natum. Unde Beda, symbolice de Verbo divino hoc exponens, ait : « Verbum quod semper erat videamus, quomodo pro nobis factum est : quod enim videre non poteramus, dum erat Verbum, videamus factum, quia caro est. »

Sic et S. Ambrosius ac Haymo. Est metonymia familiaris S. Scripturæ, qua verbum ponitur pro re significata per verbum, ut cap. i : « Non erit impossibile apud Deum omne verbum, » id est omnis res; II *Reg.* i, 4 : « Quod est verbum (id est res) quod factum est ? »

Quod Dominus (Beda addit, *fecit et*) ostendit nobis. — Græce ἐγνώρισε, id est notum fecit, revelavit, indicavit, imo signum quo Messiam natum inveniemus, suggessit « nobis, » præ Scribis et cæteris omnibus : quare nisi eum nobis natum, et nobis primis revelatum, ab eo per angelum invitati et vocati visamus et adoremus, erimus Deo, angelis et Christo ingrati, ac nobis ipsis inimici; utpote qui tantam Christi gratiam et salutem neglexerimus. Certum est angelum exterius loquentem pastoribus multo magis interius illuminasse mentem eorum, ut cognoscerent Christum esse Deum ac redemptorem mundi; ideoque eos excitasse ut eumdem adirent, colerent, amarent, adorarent. Hac enim de causa pastores re-ipsa præsepe adierunt, ac in eo Christum summa humilitate et reverentia adorarunt. Quare non est dubium eos hic fuisse justificatos; aut si jam justi erant, magnum justitiæ et sanctitatis incrementum accepisse. Ita S. Cyprianus (vel quisquis est auctor), *De Nativit. Christi* : « Pastores illi, inquit, amplius mente quam oculis carnalibus illuminati, ad conspiciendum Emmanuel festinant, et edocti intus invisibili magisterio Spiritus Sancti, quem parvulum vident, confitentur immensum, et piæ ei devotionis affectum præsentant. »

16. Et venerunt festinantes; et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in præsepio. — « Festinantes, » ex desiderio et ardore videndi Christum natum. Unde S. Ambrosius : « Vides, ait, festinare pastores; nemo enim cum desidia Christum requirit. » Et Beda : « Festinant, ait, pastores; neque enim cum desidia Christi est quærenda præsentia, et ideo forte nonnulli quærentes invenire non merentur, quia desidiose Christum quærunt. »

17. Videntes autem cognoverunt de verbo (scilicet verum esse illud, id est veram esse rem, vere scilicet natum esse Christum) quod dictum erat illis de puero hoc — ab angelo.

Cognoverunt. — Græce διεγνώρισαν, id est pernoverunt, clare certoque cognoverunt. *Secundo*, verti potest cum Pagnino, « notificarunt; » Theophylactus, « divulgarunt (1). » Sic et Syrus : unde sequitur :

18. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt; et de eis quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. — Τὸ « et » non est in Græco, Syro et Arabico, sicque planior fluit sensus; Romani tamen legunt *et*, *q. d.* Mirati sunt natum esse Messiam, et cætera quæ de eo dicta erant a pastoribus ad ipsos; scilicet mirati sunt angelum apparuisse, angelos cecinisse « Gloria in excelsis, » Christum jacere in præsepio, etc. Ita Glossa, Franciscus Lucas et alii; licet <yranus τὸ « et » exponat *id est*. Hinc patet pastores multis narrasse ea quæ de Christo nato ab angelo audierant et viderant : quare multos præsepe adiisse Christumque vidisse; sed eos solos in Christum credidisse, quorum Deus corda efficaciter tangebat, cæteros offenses paupertate Christi eum sprevisse. Causam dat S. Ambrosius : « Non vilis, ait, persona pastorum, certe quo vilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientium, sed plebem Dominus requisivit simplicem, quæ phalerare audita et fucare nesciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur. »

19. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. — Scilicet conferens et comparans, non oracula Prophetarum de Christo, ut vult Beda, sed dicta et visa pastorum de angelis concinentibus « Gloria in excelsis Deo, » etc., cum iis quæ ipsa in se experta erat, puta cum annuntiatione Gabrielis, oraculo Elisabethæ et Zachariæ, cæterisque quæ ipsa de Christo nato viderat et in se senserat; idque *primo*, ut videns utrimque miram concordiam, omnia scilicet inter se optime consentire, magis firmaretur in fide, scilicet unigenitum Filium Dei ex se esse natum. Ita S. Ambrosius. *Secundo*, ut jucunda contemplatione harum rerum, inter se adeo consentientium, animum pasceret, et certa spe reliqua exspectaret, Deum scilicet hoc opus ad finem perducturum, et per Christum homines redempturum. *Tertio*, ut ea deinde suo tempore Apostolis, ac præsertim Lucæ hæc scripturo panderet, et ex ordine narraret. Vide hic in Virgine rarum exemplum virgineæ taciturnitatis ac modestiæ, item cœlestis prudentiæ, ac firmissimæ fidei et spei, admirantis præsentia et futura præstolantis. Conferebat enim ea quæ cernebat summæ humilitatis, cum iis quæ noverat summæ majestatis, stabulum cum cœlo, pannos cum illis Prophetæ verbis, *Psalm.* ciii : « Amictus lumine sicut vestimento; » præsepe cum throno Dei, animalia cum Seraphinis.

20. Et reversi sunt (« ad gregem suum, » ait Euthymius; Deus enim vult fideles, licet a se exaltatos, in sua vocatione, officio et arte permanere) pastores, glorificantes, et laudantes Deum, in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos. — Τὸ « dictum » refer ad « audierant, » non ad « viderant; » audita enim sunt dicta, non visa. Hinc patet pastores in fide et Evangelio Christi fuisse constantes, imo gaudio Spiritus Sancti ob visum Christum assidue exultantes et jubilantes.

21. Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur.

Consummati sunt dies octo. — Id est cum advenisset dies octavus a nativitate Christi, quo ipse juxta legem circumcidendus erat. Est hebraismus; Hebræorum enim verba sæpe significant actum inchoatum, non perfectum. « Consummati » ergo hic idem est, quod « cœpti consummari, » ut expletis septem diebus ageretur dies octava, destinata circumcisioni, etsi illa necdum esset expleta et consummata.

Ut circumcideretur puer. — Tacite significat eum circumcisum, non expresse, ut innuat eum libere et sponte, non ex obligatione fuisse circumcisum, tum quia ipse erat Deus auctorque legis, qui lege circumcisionis a se lata non obligabatur; tum quia non communi hominum generatione, qui de peccati traduce propagati in iniquitatibus concipiuntur, ait Beda; sed ex Spiritu Sancto erat conceptus et natus, ideoque carens peccato originali, ob quod abolendum instituta erat circumcisio, imo Sanctus Sanctorum, uti docet S. Augustinus, tract. 30 *in Joannem*; S. Athanasius, S. Gregorius et alii passim. Circumcisio enim erat signum peccati, ejusque quasi stigma et cauterium : nullum autem peccatum, nulla libido erat in Christo. Quare Christus in circumcisione magis et profundius se humiliavit, quam in nativitate; in hac enim accepit formam hominis, in illa vero formam peccatoris.

Voluit tamen sponte circumcidi septem de causis, quas ex S. Cypriano, Augustino, Beda et

(1) Ita et Patritius, qui ait : « Hæ voces in græco magis ad verba vertendæ forent *videntes autem notum fecerunt de verbo*, etc.; scilicet narrarunt pastores Mariæ, Josepho aliisque qui forte illic aderant, ea quæ de Puero dicta ipsis fuerant ab angelo. »



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Christus circumcisus novem de causis. Prima.

alliis recenset S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XXXVII, art. 1. *Primo*, inquit, ut ostenderet veritatem carnis humanæ contra Manichæum, qui dixit eum habuisse corpus phantasticum; et contra Apollinarium, qui dixit corpus Christi esse divinitati consubstantiale; et contra Valentinum, qui dixit Christum de cœlo corpus attulisse.

Secunda. *Secundo*, ut approbaret circumcisionem quam olim Deus instituerat.

Tertia. *Tertio*, ut comprobaret se esse de genere Abrahæ, qui circumcisionis mandatum acceperat in signum fidei, quam de ipso habuerat.

Quarta. *Quarto*, ut Judæis excusationem tolleret, ne eum reciperent, si esset incircumcisus.

Quinta. *Quinto*, ut obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo. Unde et octava die circumcisus est, sicut in lege erat præceptum. *Sexto*, ut quia in similitudinem carnis peccati advenerat, remedium quo caro peccati consueverat mundari, non respueret. *Septimo*, ut legis onus in se sustinens, alios a legis onere liberaret secundum illud *Galat.* IV: « Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. » Hucusque S. Thomas.

Octavam causam addit S. Leo, serm. 2 *De Nativit.*, ut per eam diabolo occultaretur: « Cum, inquit, misericors omnipotensque Salvator ita susceptionis humanæ moderaretur exordia, ut virtutem inseparabilis a suo homine deitatis per velamen nostræ infirmitatis absconderet, illusa est securi hostis astutia, quæ nativitatem pueri in salutem generis humani procreati, non aliter sibi, quam omnium nascentium, putavit obnoxium. »

Nonam dat S. Augustinus, serm. 9 *De Nativit.*, ut carnali circumcisione sublata spiritualem substitueret, quæ consistit in vitiorum et concupiscentiarum mortificatione et resectione: « Christus, ait Augustinus, suscepit circumcisionem, ablaturus circumcisionem ipsam; suscepit umbram, daturus lucem; suscepit figuram, impleturus veritatem. » Denique Christus sua circumcisione inchoavit passionem suam per quam factus est orbis redemptor et salvator. Unde in ea impositum est illi nomen Jesus, quia Christus infirmitates nostras sanavit, non per pharmaca, ut faciunt medici, sed eas in se suscipiendo, et pro iis Deo satisfaciendo, itaque merendo, ut omnes animi corporisque ægritudines, omnes passiones, tentationes, tristitias, afflictiones sanare possit, ac revera sanet vel in hac vita, vel in futura. Laboras ergo timore, scrupulo, ira, acedia, vana gloria, dolore, paupertate, etc.; Jesum invoca, et eum senties consolatorem ac salvatorem.

De institutione, ritu, causa, fine et fructu circumcisionis vide ea quæ dixi *Genes.* XVII, 9 et seq. Porro, Christus circumcisus fuit in ipsa spelunca in qua natus est, a quopiam sacerdote vel Levita, majoremque dolorem sensit quam cæteri infantes, quia ipse utebatur ratione, qua carent cæteri, et delicatioris et vivacioris erat tactus quam alii.

Et vocatum est nomen ejus Jesus. — De hoc divino et mellifluo nomine vide ea quæ dixi *Numer.* XIII, 17, et Barradium ac Vincentium Regium hic, ac S. Bernardum, serm. 15 *in Cant.* Porro, « Jesus » est Salvator in actu perfecto, quia non tantum ipse salvavit homines, sed et Apostolis similibusque vim salvandi alios attribuit. Et hoc innuit nomen « Josue, » vel, ut Hebræi dicunt, *Jehosua*, quod idem est cum nomine Jesu, estque conjugationis *hiphil*, quæ actionem, puta salvationem perfectam, significat. Meminerint ergo fideles se esse filios Jesu, ac proinde eum in salute animarum procurandu imitari debere.

Quod vocatum est ab angelo (Gabriele, annuntiante B. Virgini conceptionem Jesu, cap. I, 31), priusquam in utero conciperetur. — Christus enim conceptus fuit in fine annuntiationis, cum B. Virgo respondit: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » Paulo ante ergo revelatum ei fuit ab angelo nomen Jesu puero indendum. Hac gnome significat Lucas, nomen Jesu jam ante a Deo huic puero fuisse ab æterno decretum et prædestinatum, ut significaret eum fore salvatorem mundi. Jesus enim hebraice idem est quod Græce, σωτήρ, id est salvator.

Nota hic, ut Deus in Christo humile sublimi, humanum divino, venenum antidoto jungat et copulet, ut in eo humanam naturam divinæ majestati copulatam ostendat. Nam voluit Christum circumcidi, itaque speciem peccatoris assumere; sed mox ut eam abstergat, indit ei nomen *Jesus*, id est Salvator, qui peccatis omnibus medeatur. Sic voluit Christum nasci in stabulo ponique in præsepio, quasi pauperem et abjectum; sed mox per stellam tres Reges, et per angelum pastores ad eum adorandum accersivit. Sic voluit eum pati, crucifigi, mori; sed simul tunc solem et lunam obscuravit, petras scidit, terram concussit, ut omnia elementa indignam Creatoris sui necem ostenderent et lugerent. Quo ergo magis Christus se humiliavit, eo magis Deus Pater eum exaltavit. Idem faciet tibi, o Christiane; quare ne verearis humiliari, certo sciens te per hoc sublimandum. Via enim ad gloriam est humiliatio, juxta illud Christi oraculum, imo promissum: « Omnis qui se humiliat, exaltabitur. »

22. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus (Mariæ, non pueri, ut patet ex Græco αὐτῆς, et ex *Levit.* cap. XII, 7 et 8. Male ergo legunt nonnulli αὐτοῦ masculine, id est *illius*, scilicet pueri; aut, ut Origenes, Theophylactus et Euthymius, αὐτῶν, id est illorum, pueri scilicet et Mariæ matris) secundum legem Moysi, tulerunt illum (puerum Jesum) in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.

Nota tres leges disparatas hic convolvi et conjungi. *Prima* est, *Levit.* XII, 2 et seq., ut mulier, si peperisset masculum, maneat immunda per quadraginta dies: inde legaliter, id est ritu victimarum a lege præscripto, purificetur in templo.



*Secunda*, ut mater pro purificatione non prolis, ut vult S. Augustinus, sed sua duntaxat, uti jam dixi, offerat Deo in holocaustum agnum, ac pullum turturis vel columbæ in victimam pro peccato, si dives sit; si sit pauper, offerat par turturum duntaxat, aut duos pullos columbarum, *Levit.* XII, 6 et 7.

*Tertia* lex, ut, si proles sit masculina et primogenita, sistatur et offeratur Deo tanquam ipsi debita et sancta, id est consecrata ob liberationem primogenitorum Hebræorum factam a Deo, quando cæsa sunt primogenita Pharaonis et Ægyptiorum ab angelo tempore Mosis, *Exodi* XIII, 1, ita tamen, ut proles oblata Deo, a parentibus redimi possit quinque siclis, id est quinque florenis Brabanticis, qui faciunt duos aureos Romanos, quorum quisque continet decem julios, sive regales, *Numer.* III, 47. Symbolice hi quinque sicli repræsentabant quinque vulnera Christi, quorum pretio Christus redemit genus humanum.

Impuritas puerperæ duplex.

Dies purgationis. — Nota: In lege veteri puerpera immunda erat, ob immunditiem tum naturalem, tum legalem et moralem, præsertim quia pariebat fœtum, quem imbuebat et concipiebat in peccato originali. Naturalem, quia puerperæ patiuntur fluxum sanguinis et menstruorum, item secundinarum aliarumque sordium, per multos dies. Causa est, quod infans in utero matris involvatur membrana, quæ secundæ a Plinio, vulgo secundinæ vocantur, uti docet Aristoteles, lib. 4 *De Gener. anim.*, cap. IV, et Galenus, lib. *De Formatione fœtus*. Membrana enim hæc triplicem habet usum: *Primo*, tegit, conservat et tuetur semen virile in utero matris ne diffluat, sed coaguletur in corpus infantis, quod deinde eadem membrana continet et fovet.

*Secundo*, membrana hæc plena est venulis plenis sanguine, quo nutrit infantem sibi per umbilicum cohærentem, qui nexus naturaliter sponte sua solvitur in partu, quo primum infans emittitur; deinde membrana, quæ fuerat involucrum et tegmen infantis, sive secundæ ipsæ per partes eadem via ejiciuntur.

*Tertio*, membrana hæc recipit excrementa, quæ puer ex cibo quo alitur in utero matris, naturaliter emittit. Hæc est naturalis impuritas puerperæ, ex qua sequitur legalis: lex vetus enim ob hasce sordes jubebat eam quasi impuram arceri templo, esseque quasi irregularem per quadraginta dies, donec quadragesimo die per ritum a lege præscriptum lustraretur et purificaretur, itaque pura templum ingrederetur.

Quæres, an hæc impuritas fuerit in B. Virgine pariente Christum, ut ab ea juxta legem purificari debuerit die quadragesimo. Affirmat S. Hieronymus, epist. 22 *ad Eustochium*, ubi loquens de Christo: « Novem mensibus, ait, in utero ut nascatur exspectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur, » uti cæteri infantes ex fluxu materni sanguinis cruenti egrediuntur, ideoque abluuntur. Idem asserit Abulensis cap. XII in *Levit.*, *Quæst.* II et seq.; ac Erasmus hic.

Verum cæteri omnes constanter id negant: partus enim Virginis fuit purissimus, quia uti concepit virgo sine viro ex inoperatione Spiritus Sancti, sic et peperit virgo, clauso scilicet utero, ita ut Christus nascens eum non aperuerit, sed penetrarit: quare nullus in hoc partu esse potuit fluxus sanguinis aut secundinarum. Adde: in ea nullus fuit sanguis superfluus, sed tantum is qui necessarius erat ad Christi conceptionem et nutritionem. Quare sanguis quo Christus alitus fuerat in utero, post partum non effluxit, sed ad ubera transiens ibidem in lac conversus, aluit et lactavit Christum jam natum. Unde S. Augustinus, lib. *De Quinque hæresibus*, cap. V: « Stulte, ait, unde sordes in virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem? » S. Epiphanius, lib. III *Contra hæreses*, in fine: « Natus est, ait, per genitales meatus citra pudefactionem impollute, absque inquinamentis. » S. Cyprianus, serm. *De Nativit.*: « Maria, ait, genitrix et obstetrix: nullus dolor, nulla naturæ contumelia. » Additque Christum prodiisse ex Virgine sicut fructus prodit ex arbore, aut sicut radius ex sole, juxta illud *Isaiæ*, cap. XXXV: « Germinans germinabit sicut lilium. » Sophronius, in VI Synodo, act. 11, partum Virginis appellat « incorruptibilem, » quia, inquit, « sine fluxu sanguinis, aut simili passione perfectus est. » Idem docent hic unanimiter Interpretes et Scholastici. Vide Suarez, III *part.*, *Quæst.* XXXV, disp. XIII, sect. 2.

Unde valde probabiliter collegit Toletus hic, B. Virginem nunquam passam fuisse menstrua. Ratio est, quia menstrua sunt pœna peccati et comites concupiscentiæ. Unde in statu innocentiæ nulla fuissent menstrua; B. Virgo autem immunis fuit ab omni peccato et concupiscentia, ergo a menstruis: menstrua enim sunt sanguis fetidus et noxius, adeoque venenatus, uti fuse docet Plinius; Virginis autem sanguis erat purissimus.

De secundinis major est difficultas: An scilicet Christus in utero fuerit inclusus suis secundinis, sive membrana, uti includuntur cæteri infantes. Multi id negant, tum quia membrana hæc primitus fit ad conservandum semen virile: Christus autem conceptus fuit sine semine ex Spiritu Sancto; tum quia Christus in primo conceptionis suæ instanti perfecte fuit formatus, organizatus et animatus, cum cæteri infantes sensim formentur, organizentur et animentur, ideoque membrana sua contineri et foveri debeant; tum quia decentius erat, ut ipse uterus Virginis locum membranæ suppleret, ipsumque Christum proxime tangeret, foveret, et per venas quas habet, sanguine suo aleret; tum denique, quia Christus in utero nulla emisit cibi excrementa, sed tantum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

id sumpsit, quod corpus aleret et augeret : quare non eguit membrana, qua excrementa hæc exciperet. Favet Synodus habita in Trullo, can. 79, dicens : « Absque ullis secundinis ex Virgine partum esse confitentes. » Licet Joverius legat « absque dolore ex Virgine, » etc. Græce enim est ἀλόχευτον : quod si a λοχεύω, id est pario, parturio, fœtum cum dolore et nisu magno enitor, derives, significat *sine dolore, sine nisu pariendi*, qualis est in puerperis et puerperio : hic enim non fuit in B. Virgine. Verum si ἀλόχευτον derives a λόχια, vel λοχεῖα, id est purgamenta, quæ in utero post partum remanent, quales sunt secundæ sive secundinæ, uti ex Dioscoride et Aristotele docet Henricus Stephanus in *Lexico*, tunc ἀλόχευτον idem est quod *sine purgamentis, sine secundinis*. Et sic hanc vocem accipere Concilium, patet ex iis quæ subdit; causam enim subjicit dicens : « Ut qui sine semine constitutus sit, » *q. d.* Partus cæterarum fit ex semine, sed partus Virginis fuit sine semine, ergo et sine secundinis. Secundinæ enim primitus a natura formantur ad servandum semen, ne diffluat. Cum ergo B. Virgo non conceperit ex semine, hinc secundinis non eguit. Addit deinde Concilium : « Quare quoniam aliqui post sanctæ Christi Dei nostri nativitatis diem similam coquere ostenduntur, et eam sibi invicem impertiri, honoris scilicet prætextu secundinarum (Græce λοχεῖον, quæ vox, ut dixi, proprie secundinas quæ post partum emittuntur, significat) impollutæ Virginis matris; statuimus, ut nihil tale deinceps fiat a fidelibus. Neque enim hoc honor est Virginis, etc., ex communibus, et iis quæ in nobis fiunt, inenarrabilem ejus partum definire, metiri et describere. » Alii tamen, qui per λόχια, intelligunt non secundinas, sed alias sordes, nisus et dolores partus, censent Christum in utero suam quoque habuisse membranam, sive secundinas, quia hoc naturale est in omnibus infantibus in utero, ut ea contineantur, muniantur et foveantur : sed ita, ut illam statim post partum Virginis, Deus ex utero ejus clauso per penetrationem dimensionum aut alium modum eduxerit et in aliam rem converterit. Ita Suarez loco citato. Quare in Virgine nulla fuit impuritas, ob quam deberet purificari, ideoque lege purificationis non obligabatur, præsertim quia lex ait : « Mulier si suscepto semine. » B. Virgo autem nullum suscepit semen, sed ex Spiritu Sancto concepit, de quo plura dixi *Levit.* XII, 2. Denique partus Virginis fuit sanctissimus, quia peperit Sanctum Sanctorum.

Voluit tamen B. Virgo humilitatis studio, et ut cæteris puerperis se conformaret, ac ne eas scandalizaret, et videretur esse singularis, atque ut virginitatem suam conceptumque ex Spiritu Sancto celaret, purificari, sicut et Christus iisdem de causis voluit circumcidi, ut dixi vers. 21. Unde S. Bernardus, serm. *De Purific.* : « Nihil, ait, in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum, nimirum cum proles ista fons puritatis sit, et purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato? Vere, o beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione; sed numquid filio tuo opus erat circumcisione? esto inter mulieres tanquam una earum : nam et filius tuus sic est in numero puerorum. »

Tropologice : purificatio animæ est pœnitentia, quam B. Virgo subivit non pro peccatis suis, utpote quæ nulla habebat, sed pro alienis, æque ac Christus. Sacramentum tamen pœnitentiæ non suscepit, quia propria peccata quæ confitenda sunt, non habuit. Vide S. Chrysostomum, Tertullianum, S. Augustinum, S. Ambrosium, lib. *De Pœnitentia*.

Ut sisterent eum (tanquam masculum primogenitum, juxta legem *Exodi*, XIII, 12) Domino. — Syrus, *coram Domino*. Quare B. Virgo Christum manibus tenens, flectens genua, eum summa reverentia et devotione obtulit Deo, dicens : En, Pater æterne, hic est Filius tuus, quem pro salute hominum ex me carnem sumere voluisti : ego tibi eum reddo, et in solidum offero, ut de eo æque ac de me facias quod placuerit, ac per eum redimas mundum. Hæc dicens obtulit sacerdoti, quasi vicario Dei, a quo deinde quinque siclis eumdem redemit, uti præscribebat lex.

23. Sicut scriptum est in lege Domini (*Exod.* XIII, 12) : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. — Id est, Deo quasi res dicata et sancta offeretur et consecrabitur. Nonnulli Patres, uti Tertullianus, *De Carne Christi*, cap. XXIII; Origenes, Ambrosius, Euthymius (qui ait : « Solus Christus nondum apertam matris vulvam supernaturaliter aperuit, id est pertransiit, et clausam naturaliter servavit ») dicunt hanc legem soli Christo convenire : solum enim Christum aperuisse matricem matris; non quod velint B. Virginem proprie matricem in partu aperuisse, ac per consequens virginem non mansisse, uti eos interpretatur impurus Calvinus : sed quod Christus solus uterum clausum penetrarit, ac penetrando quasi aperuerit, id est ita egressus sit, perinde ac si eum aperuisset (est enim in hac phrasi metalepsis), cum aliæ matres tam in conceptione, quam in partu proprie uterum aperiant.

Adaperiens vulvam quid?

Verum omnes cæteri Patres clare dicunt Christum, clauso matris utero, conceptum et natum esse. Quare τὸ « adaperiens vulvam » sic explicant, *q. d.* Omnis masculus, qui naturali more nascendo vulvam matris aperiendo in lucem egreditur, quique principium est generationis maternæ, hic « sanctus Domino vocetur, » id est Domino dicetur et consecretur. Hinc sequitur, quod Christus hac lege non continebatur, tum quia ipse subsistebat in persona Verbi, quæ nullis ligatur legibus; tum quia ipse non aperuit vulvam matris, sed ea clausa exivit. Ita Cyrillus, hom. *De occursu Domini*, et Hormisdas Papa, *epist.* 1, cap. III; Beda et alii.

Minus ergo recte Rupertus, Abulensis, Jansenius et Maldonatus, per τὸ « aperiens vulvam, » non aliud putant significari, quam « primogenitum, » ideoque Christum hisce verbis legis fuisse comprehensum : sed a lege exceptum alio titulo, scilicet quod esset Deus et Dei Filius. Vide dicta *Exod.* XIII, 12, ubi fuse hanc legem et litteraliter et tropologice exposui, atque inter alia dixi, primogenitum cujusque esse cor ejusque amorem, ac primas cogitationes et intentiones : hoc ergo, et hasce a quolibet devote et integre offerendas esse Deo. Denique audi S. Bernardum, serm. *De Purificatione* : « Oblatio ista, fratres, satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus, et illico reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet, quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio, quia redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum : istud quidem jucundius, sed illud plenius. »

24. Et ut darent hostiam (pro purgatione matris, non pueri, ut dixi vers. 22) secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos (unum in holocaustum, alterum pro peccato) pullos columbarum, — eo quod pauperes essent. Nam divites insuper dare debebant agnum in holocaustum. Licet enim tres reges magnam vim auri Christo obtulissent, tamen B. Virgo paupertatis studiosa, ut ostenderet se spernere omnia terrena, ex illis pauca duntaxat quasi libando accepit, quæ brevi consumpsit, ait Abulensis, in cap. II *Matth.*, *Quæst.* XLVII; aut, si plura accepit, ea in pauperes distribuit, ait S. Bonaventura et Dionysius. Denique quia statu et conditione erat pauper, inter pauperes censeri voluit et pauperum munus offerre. Vide dicta tam quoad litteram quam quoad mores, *Levit.* XII, 6.

Ordo purificationis.

Nota : Purificationis B. Virginis (cujus memoriam quotannis celebrat Ecclesia die 2 februarii, idque ad abolenda Lupercalia, quæ eodem die Romæ turpiter celebrabantur, ait Baronius) hic fuit ordo et ritus : *Primo*, puerpera veniebat in atrium immundorum, ibique consistebat : nec enim atrium mundorum ingredi poterat, utpote immunda ante purificationem.

*Secundo*, offerebat turturem, vel pullum columbæ pro peccato; verisimile est eam quoque aspersam fuisse aqua cinerea vitulæ rufæ; illa enim erat quasi aqua lustralis in omni purificatione.

*Tertio*, offerebat infantem Deo eumque redimebat.

*Quarto*, peractis omnibus, in gratiarum actionem offerebat Deo agnum, vel turturem aut pullum columbæ in holocaustum. Hæc duo ultima



fiebant a puerpera (utpote jam purificata) existente in atrio mundorum. Ibi enim offerebat infantem ad ostium tabernaculi, ibique eminus spectabat holocaustum suum, quod offerebatur in atrio sacerdotum. Nam inter atrium sacerdotum et laicorum intererat murus, sive septum altum tres pedes, ita ut laici ex suo atrio spectare possent victimas, et alia quæ fiebant in atrio sacerdotum.

Tropologice : turtures et columbæ, quas puerpera pro peccato, id est immunditia sive irregularitate legali, offerebat, significabant gemitum et compunctionem pœnitentis, quo expiantur peccata, præsertim accedente Sacramento. Porro B. Virgo, sicut nullum omnino habuit peccatum, sic nullo Sacramento ad illud expiandum indiguit; suscepit tamen sacramentum Baptismi, ut profiteretur religionem Christianam, item Confirmationem, Eucharistiam, forte etiam Extremam Unctionem. Ordinis non erat capax, quia femina. Matrimonium iniit cum Joseph, sed illud in lege veteri non erat Sacramentum. Peccata sua nunquam est confessa, nec absolutionem a sacerdote suscepit, quia nulla habuit.

Dices : Poterat B. Virgo metuere ne forte in oratione distractionem aliquam, aut in opere vel cogitatione negligentiam aliquam venialem commisisset; ergo poterat illam confiteri; quia ut ait S. Gregorius : « Bonarum mentium est agnoscere culpam, ubi non est culpa. » Respondeo : Hoc verum est in peccatoribus et statu lapso, non integro et innocentibus, qualis fuit B. Virgo. Quare sicut angeli clare vident omnes suos actus eorumque defectus etiam minimos, ex perspicacitate sui intellectus; ac similiter suos actus vidit Adam in statu innocentiæ (hoc enim pertinet ad integritatem illius status et ad justitiam originalem) : sic pariter suos actus omnes vidit et prævidit B. Virgo, quod scilicet essent purissimi et sanctissimi, sine omni defectu, etiam veniali, ideoque eos quasi peccata confiteri non poterat. Nec tamen idcirco se extollebat, sed magis humiliabat, sciens hoc esse donum Dei, non suum meritum. Quare quod Sylvester in *Rosa aurea*, tit. III, cas. 53, *De Quæst. impertin.*, censet B. Virginem sacramentum pœnitentiæ recepisse, solitamque venialia sub conditione confiteri S. Joanni, plane est rejiciendum : præsertim quia absolutio impendi nequit super materiam incertam, sed ut ejus capax sit pœnitens, debet aliquod peccatum determinate confiteri, ait Vasquez, III *part.*, disp. 119, cap. VII.

25. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo.

Simeon. — Calvinus vult Simeonem fuisse plebeium et obscuræ famæ. Verum eum sanctitate et senio fuisse venerabilem, docent sequentia apud Lucam. Multi censent eum fuisse sacerdotem;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ideoque benedixisse Mariæ et Joseph, vers. 34. Ita Tyrannus, Dionysius, Cajetanus, Franciscus Lucas, Toletus hic, ac S. Athanasius, lib. *De Communi essentia Patris et Filii*; S. Cyrillus Hierosolymitanus, orat. *De Occursu Domini*; S. Epiphanius, tract. *De Patribus veteris Testamenti*; et Canisius, lib. IV *De Deipara*, cap. x; licet eum fuisse laicum, non sacerdotem, opinetur Theophylactus, Euthymius, Jansenius et Barradius, ac benedixisse Mariæ, non ut sacerdotem, sed ut senem.

Et homo iste justus.—Hinc Galatinus, lib. I *De Arcanis fidei*, cap. iii, censet Simeonem hunc fuisse discipulum et filium Hillelis, qui, paulo ante nativitatem Christi, Scribarum et Pharisæorum fuit auctor, teste S. Hieronymo, in cap. viii *Isaiæ*. Sed audi Galatinum : « Simeon, Hillelis filius, quem ob ejus præcipuam sanctitatem Talmudistæ *Saddic*, id est Justum, cognominant, in quo (ut in *Pirke Avoth*, id est in *Capitulis Patrum* dicitur) academiæ magnæ Synagogæ sceptrum defecit, multa de Messia dixit; et tandem cum in ultima senectute a Spiritu Sancto responsum accepisset, non visurum se mortem, nisi Messiam videret, Christum ipsum ulnis suscipiens, quæ de eo a Spiritu Sancto edoctus docuerat, ipso præsente confirmavit; cujus egregia dicta Talmudicis in libris sparsim reperiuntur. » Idem censet Genebrardus, lib. II *Chronologiæ*, qui addit : « In Simeone spiritum Synagogæ magnæ, qui erat prophetico minor, communi major, defecisse, auctores sunt Talmudici in tractatu *Pirke Avoth*. R. Moses Ægyptius non tantum discipulum, sed et Hillelis filium fuisse scribit, Gamalielisque, ad cujus pedes legem Paulus didicit, præceptorem, imo vero et patrem. » Hæc Genebrardus. Verum hæc, uti verisimilia apparent, ita incerta sunt : multi enim fuere « Simeones » sive « Simones » (utrumque enim idem est nomen) justi, uti fuit Simon pontifex, filius Oniæ, cognomento Justus, quem fuse laudat Ecclesiasticus, cap. l, vers. 1. Adde Hillelis posteros et discipulos, puta Scribas et Pharisæos, fuisse summe contrarios Christo (1).

Timoratus. — Græce, εὐλαβὴς, id est religiosus, qui timet et reveretur Deum, cavetque studiose ne eum offendat.

Exspectans consolationem Israel. — Id est exspectans adventum Messiæ sive Christi, qui consolaturus et liberaturus erat Israel, id est populum fidelem a Satana, Herode, Romanis, Scribis et Pharisæis oppressum; quia communis boni avidus, « populi magis gratiam quam suam requirebat, » ait S. Ambrosius. Sciebat enim Simeon ex translato a Juda sceptro ad Herodem, juxta oraculum Jacob, *Gen.* xlix, 10, et ex completis septuaginta, *Daniel.* cap. ix, hebdomadis, aliisque prophetiis, Christi adventum instare, ut Israelitas, id est fideles ab omnibus malis eriperet, puta tam a peccatis, quam a miseriis omnibus, partim in hac vita, partim in futura. Christus ergo est fidelium consolatio, quia extra Christum nulla salutis est spes, sed mera desperatio et desolatio. Hinc Isaias Christi adventum promittens, cap. xl, vers. 1 : « Consolamini, ait, consolamini, popule meus, dicit Deus vester : loquimini ad cor Jerusalem. » Et cap. li, 3 : « Consolabitur Dominus Sion. » Et cap. lxi, 1 : « Spiritus Domini super me, etc., ut consolarer omnes lugentes. » Et Paulus, II *Cor.* i, 5 : « Sicut, ait, abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. » Tempore Christi enim erat afflictissimus tam reipublicæ quam Ecclesiæ Israelis status. Respublica enim eorum suis carens principibus, erat sub jugo Herodis et Romanorum infidelium; Ecclesia vero sub jugo impiorum pontificum, Scribarum et Pharisæorum, qui quales fuerint, quantumque populum oppresserint, et in quantos errores et vitia abduxerint, docet Christus toto cap. xxiii, 5, *Matth.* Ad utriusque ergo liberationem, vel consolationem per Messiam faciendam exspectant Simeon cæterique pii Israelitæ.

Et Spiritus Sanctus erat in eo. — « Spiritus Sanctus, » tum sanctificans, tum prophetiæ, ut patet ex sequent. Ubi nota : In Scriptura dicitur Spiritus Sanctus advenire, vel esse in aliquo, non tantum per gratiam gratum facientem, sed etiam per gratiam gratis datam, v. g. per prophetiam, uti hic dicitur fuisse in Simeone. Sic, cap. i, 35, dicitur Spiritus Sanctus superventurus in B. Virginem, ut concipiat filium, fiatque mater Dei, quæ est gratia gratis data. Et vers. 41, Elisabeth dicitur repleta Spiritu Sancto, cum cœpit prophetare.

In eo. — Græce ἐπ' αὐτὸν, id est *super eum, q. d.* Spiritus Sanctus in eum delapsus ejus animam occupabat, ut homo non tam terrenus quam cœlestis et divinus esse videretur, idque ad hoc, ut ejus testimonium de Christo foret irrefragabile et omni exceptione majus.

Cæcum fuisse Simeonem, et ad Christi contactum visum recuperasse, tradit Celsus, *De Incredulitate Judæorum*, apud Vigilium, qui inter opera Cypriani circumfertur. Verum tantum miraculum et tam huic loco opportunum non siluisset Lucas.

26. Et responsum (oraculum et promissum divinum : hoc enim est Græce χρηματίζειν; unde Arabicus, *Et revelatum ei fuerat*) acceperat a Spiritu Sancto (per internam inspirationem) non visurum (experturum) se mortem, nisi prius videret Christum Domini,— Id est Messiam unctum unctione Spiritus Sancti et gratiæ plenitudine, *Isaiæ* xi, 2. Quare Simeoni hic privilegium eximium et rarum a Deo concessum est, scilicet ut ante mortem videret Christum natum. Qua in re Abrahamum, Isaac, Jacob, Mosem omnesque Patriarchas et Prophetas superavit, « qui, ut ait Apostolus, juxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus (de Christo Christique gratiis et beneficiis), sed a longe eas aspicientes ac salutantes, *Hebr.* xi, 13. Hinc liquet Simeonem singularis fuisse sanctitatis sanctique desiderii et zeli, qua assidue suspirabat orabatque pro adventu Messiæ, ideoque eum videre meruit.

(1) Favet tamen Patritius eorum opinioni, juxta quos Simeon is fuisse creditur qui synedrio præfuit post Hillelem patrem, filiumque habuit Gamalielem, Pauli apostoli præceptorem; nec repugnat temporum ratio. Vid. Patritium, op. cit. dissert. xxvi.



27. Et venit in spiritu (instinctu Spiritus Sancti, motus et incitatus a spiritu Sancto, ait Euthymius et Theophylactus) in templum. — Idem autem spiritus qui eum incitavit, eidem signum dedit, quo Christum inter tot pueros qui offerebantur in templo, agnosceret; aut potius illum eidem ostendit, interius illi suggerens dicensque : Ecce hic est Christus, quem tibi ante mortem videndum promisi. Timothæus, presbyter Hierosolymitanus, orat. *De Simeone*, putat vidisse illum Deiparam divino circumdatam lumine inter feminas reliquas, atque ex hoc indicio Messiæ matrem esse intellexisse. Carthusianus pariter : « Forsitan, inquit, vidit divinum quemdam splendorem in vultu pueri. »

Iter dirigit Deus. Hinc disce Deum Sanctorum mentem et gressum dirigere, ut occurrat eis res bona a Deo eis prædestinata, uti hic Simeoni occurrit Christus. Quare assidue nobis præsertim ingressuris iter, pro hac directione orandum est, ut per eam a malis occursibus præservemur et bonis perfruamur, ac dicendum cum Psalte : « Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me; » et : « Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, » *Ps.* cxviii.

S. Ephrem docetur a meretrice. In vita S. Ephrem legimus eum, cum civitatem ingrederetur, orasse Deum ut aliquid bonæ ædificationis sibi occurreret; et ecce occurrit ei meretrix, quæ cum fixe eum intueretur, ideoque ab eo severe rogaretur cur id faceret inverecunde, responsum ab ea accepit : « Femina virum quasi sui originem (Eva enim formata est ex costa Adæ) intueatur; vir vero terram, ex qua plasmatus est, inspiciat. » Sensit vir Dei se jure tangi, ac compunctus Deo gratias egit, quod a meretrice tam pium salutis monitum accepisset.

Et cum inducerent (in templum) puerum Jesum parentes ejus (Maria et Joseph), ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. — Græce, καὶ ἐν τῷ εἰσαγαγεῖν, id est *et cum induxissent*; pendet enim hæc sententia a vers. seq. Unde Vatablus vertit : « Cum autem inferrent parentes puerum Jesum, etc., ipse quoque accepit eum in ulnas suas. »

Vers. 28. 28. Et ipse accepit eum in ulnas suas (inter brachia sua amplexans, et ad sinum pectusque suum ardentissime et suavissime applicans), et benedixit (laudavit et glorificavit) Deum, et dixit. —

Simeon cygnus. Olor, sive cygnus candidus, jam jam moriturus suavissime canit : ita Simeon canitie sancta candidus, jam moriturus cygneum et suavissimum edit hic canticum. Audi Martialem :

> Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
> Cantator cygnus funeris ipse sui.

Sic sapientum postrema dicta et scripta maxime mellita sunt; scilicet per ætatem maturescente eloquentia. Addit Cicero, *Tuscul.* I : « Cygni, ait, non sine causa Apollini dicati sunt, quod ab eo divinationem habere videantur, qua prævidentes quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur. » Ita prorsus Simeon divinat hic felicitatem sibi post instantem mortem per Christum obventuram.

29. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum (promissum tuum, ait Theophylactus, quo mihi promisisti producere vitam usque dum viderem Christum : jam eum vidi, ergo abeam et moriar) in pace. — « Dimittis, » Græce ἀπολύεις, id est *dissolvis*, ut e corpore hoc velut e carcere et vinculis, quibus alligatus sum, abeam in libertatem, pacem et quietem, qua gaudent patres in limbo, *q. d.* O Domine, jam animus meus omni re, quam videre cupiebat, satiatus est. Vidi enim Christum, quem unice amplecti desiderabam. Nihil amplius in hoc mundo exopto : quare libens lætusque moriar, vel potius dissolvar vinculis corporis, ut ad pacem et quietem in limbum patrum pergam. Sic in pace mori optabat Tobias, cap. iii, 6, et Abraham, *Genes.* xv, 15. « Pax » enim Hebræis non solum tranquillitatem et quietem, sed omne bonum et felicitatem significat.

Quocirca Euthymius per « pacem » hic accipit, *primo*, pacem cogitationum, inter spem et metum de videndo Christo fluctuantium; *secundo*, pacem intrepidi animi, nec mortem expavescentis; *tertio*, gaudii; *quarto*, alii per « pacem » accipiunt spei consecutionem, *q. d.* Hactenus speravi et sollicitus fui ut viderem Christum; jam eo viso pacem consecutus et sollicitudine liberatus, mori exopto. Ita Theophylactus : « Priusquam vidissem Dominum, inquit, non pacata eram mente, exspectans eum, et semper sollicitus quando veniat : nunc autem ipso viso, et pacem consecutus, et sollicitudine liberatus (ut sic dicam) absolvar. » *Quinto*, « pacem, » id est securitatem a mundi periculis, quam præstat mors. Ita S. Cyprianus, tract. *De Mortalit.*, cap. i : « Lætus de morte proxima, jam de vicina accessione securus, inquit, accepit in manus puerum, et benedicens Deum exclamavit, et dixit : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace : quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Probans scilicet atque contestans tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis et securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis et

Pax quintuplex Simeonis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

firma et perpetua securitas. » Hinc videtur quod Simeon voti sui factus sit compos, ac paulo post mortuus : quare pergens ad limbum, primus Adæ, Abrahæ, Moysi, Davidi, Isaiæ, cæterisque patribus ad Christum suspirantibus, lætissimum de eo nato visoque nuntium attulit, itaque mirifico omnes gaudio cumulavit.

Tropologice Origenes : Simeon, ait, optat mori in pace, id est in gratia et amicitia cum Deo, in qua justus moritur.

Symbolice : S. Augustinus, serm. 20 *De Temp.* : Nunc, ait, Domine, dimitte me in pace, quia video pacem, puta Christum, qui pacificabit cœlum cum terra, Deum et angelos cum hominibus, et homines cum seipsis.

Porro, Simeon sui voti a Deo factus est compos : nam paulo post in pace conquievit. Hinc S. Epiphanius, lib. *De Prophetarum vita et interitu*, cap. XXIV, S. Simeonem inter Prophetas reponit, aitque : « Vita functus est Simeon iste quidem pluribus annis obsitus, pene confectus; nec tamen a sacerdotibus postremum honorem consecutus, humatus est. » Cur autem id acciderit, nullam affert causam; sed ea putatur, quod palam Christi adventum annuntians, in se sacerdotum cæterorum invidiam et odium concitarit.

Tropologice : Ecclesia quotidie in Completorio sub vesperam, hunc Simeonis hymnum decantat duabus de causis. Prior est, ut fideles, ac præsertim sacerdotes ecclesiasticos, moneat cogitare de morte, itaque vivere ac si vespere essent morituri. Posterior, ut moneat eosdem induere desiderium Simeonis, scilicet transeundi ex hac vanitate et vitæ hujus ærumnis ad veram beatamque vitam in cœlis, ut quotidie hunc hymnum recitantes postulemus a Deo dimitti, dicamusque cum Paulo : « Cupio dissolvi et esse cum Christo, » *Philip.* I. « Vide justum, ait S. Ambrosius, velut corporeæ carcere molis inclusum, velle dissolvi, ut incipiat esse cum Christo. Sed qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Jerusalem, exspectet Christum Domini, accipiat in manibus Verbum Dei, complectatur operibus velut quibusdam fidei suæ brachiis. Tunc dimittetur, ut non videat mortem, quia viderit vitam. »

Ita S. Maria Ægyptiaca sub mortem, a S. Zozimo Eucharistiam (quam per 40 annos, quibus vixerat in deserto, non susceperat) percipiens, præ devotione lacrymans et jubilans cecinit : « Nunc dimittis, Domine, servam tuam, secundum verbum tuum, in pace, » ac illico animam Creatori reddidit, ut habet ejus Vita. Idem fecit S. Magdalena multique alii. Quare quoties communicamus, cum eis dicamus : « Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei, » imo fauces meæ gustarunt, ac stomachus meus suscepit, salutare tuum.

30. Quia viderunt oculi mei (quia diu desideratum nunc et carnis et cordis oculis contemplor, ait Beda) salutare tuum. — Græce σωτήριον, quod Septuaginta reddere solent pro Hebr. ישועה *iescua*, id est *salus* : salus autem metonymice Salvatorem significat. Per « salutare » ergo intelligit Salvatorem Christum, quem prisci Patres desiderarunt videre, at solus Simeon vidit, contrectavit et amplexus est. Audi eorum desideria : Jacobi : « Salutare tuum (id est Salvatorem Christum, ex Juda et posteris meis nasciturum) exspectabo, Domine, » *Genes.* XLIX, 18. Davidis : « Defecit in salutare tuum anima mea. Oculi mei defecerunt in salutare tuum. Exspectabam salutare tuum, Domine. Concupivi salutare tuum, Domine, » *Psalm.* CXVIII, 81, 123, 166, 174 : « Redde mihi lætitiam salutaris tui, » *Psalm.* L, 14. « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis, » *Psalm.* LXXXIV, 8. Ita S. Basilius in *Psalm.* LXI; S. Augustinus lib. I *Contra advers. Legis et Proph.*, cap. XI; Beda, Theophylactus et alii.

31. Quod parasti ante faciem (ante oculos, in conspectu) omnium populorum. — Ut omnes omnium gentium populi ex Salvatore Christo salutem hauriant, *q. d.* Deus non abscondit Christum in angulo Judææ, sed eum omnibus proposuit, et mox per Apostolos toto orbe deprædicabit, ut quicumque ejus fidem et legem amplecti voluerint, ab eo salventur.

32. Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. — Est appositio, *q. d.* « Salutare tuum, » id est Salvatorem Christum dedisti et parasti hoc fine, ut ipse sit lumen ad revelationem, id est illuminationem gentium, quod scilicet Gentes verum Deum ignorantes ejus cognitione, fide et cultu illuminet; idemque ipse sit gloria, honor et decus Israelis, id est populi Judaici. Arabicus : *Lumen quod apparuit gentibus*; Theophylactus : *Lumen ad illustrationem gentium obtenebratarum*; Euthymius : *Lumen quod gentibus errore cæcis visum restituat; revelationem enim vocat visus restitutionem*. Sic dicitur, *Psal.* CXVIII, 18 : « Revela, » id est illumina, « oculos meos. » Qui enim cæcus est, vel sedet in tenebris, habet quasi velum ante oculos, quod per lumen revelatur et aufertur, ut videre possit. Sic velum idololatriæ, errorum et vitiorum, quod Gentes excæcabat, revelavit et abstulit Christus, docens eas veram veri Dei fidem et cultum, per quem salventur. Ipse ergo est lux mundi, *Joan.* VIII, 12. Alludit ad oraculum Isaiæ, qui ante 700 annos idipsum vaticinatus erat, cap. XLII, 26, dicens : « Dedi te (o Christe) in fœdus populi, in lucem Gentium, ut aperires oculos cæcorum et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris, » etc. Rursum, cap. XLIX, 6 : « Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ, » etc. Denique cap. LX, 3 : « Ambulabunt Gentes in lumine tuo. » Hac de causa in Missa, præsertim in festo Purificationis, candelas benedicimus, accendimus et gestamus : *Primo*, ut profiteamur Christum esse lumen ad



Candelæ accensæ quid significent ? revelationem gentium. *Secundo*, precamur, ut ipse nobis suam lucem gratiæ in hac vita, et lætitiæ et gloriæ in altera vita communicet; qua de causa moribundis hæ candelæ accensæ in manus dantur. Vide Amalarium, Durandum et cæteros, qui de Officiis Ecclesiasticis scripsere.

Et gloriam plebis tuæ Israel. — *q. d.* Christus sicut est lux Gentium cæcarum, sic est et gloria Israelis, id est Judæorum. Vice versa fuit Christus gloria quoque Gentium, et lux Israelis, quia Gentibus magnum decus, Israelitis magnam rerum divinarum cognitionem attulit : tamen Gentibus dicitur potius lucem attulisse, quia hæ erant in tenebris infidelitatis; gloriam vero Israelitis fidelibus. Idque *primo*, quia ex eorum gente, utpote patribus eorum a Deo promissus, carnem assumpsit : hic enim est magnus honor, de quo gloriari possunt Judæi, quod scilicet Christus sit eorum contribulis, consanguineus, adeoque Judæus. *Secundo*, quia Christus in Judæa vixit et mortuus est; vixit autem cum magna doctrinæ, sanctitatis et miraculorum gloria. *Tertio*, quia in Judæa primo Ecclesiam suam fundavit : primi enim credentes fuere Judæi, qui deinde Gentes sibi aggregarunt. *Quarto*, quia in Judæa a morte resurrexit, et gloriose in cœlum ascendit, indeque misit Spiritum Sanctum cum dono omnium linguarum. *Quinto*, quia Apostolos omnes elegit ex Judæis, qui omnes Gentes ad Christum converterunt. *Sexto*, quia Judæos in se credentes magnis virtutibus, donis et gratiis cumulavit, eosque eximios Sanctos, Doctores et Martyres effecit. Alludit, imo citat oraculum Isaiæ, qui prædixit, cap. XLVI, 13, dicens : « Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam. » Et cap. LX, 1 : « Gloria Domini super te orta est. » Et vers. 2 : « Gloria ejus in te videbitur. » Cap. LXII, 2 : « Videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum; » Hebr. et Septuaginta, *gloriam tuam*.

Christus fuit gloria Israelis ob sex causas.

33. Et erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. — « Pater, » scilicet Joseph, qui dicitur pater Christi, non tantum quia ejus nutritius, et quia a vulgo putabatur ejus pater, sed etiam quia ipsi in conjugio et conjuge sua Maria legitime natus erat Christus, atque ob hanc prolem matrimonium hoc Josephi cum B. Virgine conciliatum et ordinatum erat a Deo. Ita S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. I; Beda, Jansenius et alii. Vide dicta *Matth.* I, 16.

Mirantes — Joseph et Maria, quæ licet sciret Christum fore salvatorem Israelis, non tamen sciebat omnia quæ hic Spiritus Sanctus per Simeonem et Annam de eo vaticinabatur, scilicet quod ipse foret lumen illuminans omnes gentes, quod foret in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, quod gladius animam Virginis esset pertransiturus, etc., et etiamsi hæc scivisset, mirabatur tamen eadem a Simeone et Anna per Spiritum Sanctum tanto ardore et spiritu prædicari et celebrari. Denique rerum et mysteriorum quæ videbat et audiebat, magnitudo, ei consideranti admirationem ciebat. Nam, ut ait Anonymus, in *Catena Græcorum* : « Transcendentium rerum notitia quoties in memoriam venerit, toties renovat in mente miraculum. »

34. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel; et in signum cui contradicetur.

Benedixit. — Bene precatus est. Benedictionis sacerdotalis forma præscribitur, *Num.* VI, 24, eratque hæc : « Benedicat tibi Dominus, et custodiat te, » etc.

Eis, — scilicet parentibus, Josepho et Mariæ, uti præcessit, non puero Christo (licet et hoc velit Jansenius), inquit Maldonatus, Franciscus Lucas et alii : puerum enim, utpote Messiam, Salvatorem et Deum suum venerabatur et adorabat, ac ab eo benedici optabat, non vero eum benedicere audebat, vel præsumebat, quia summe, ut par erat, eum reverebatur.

Et dixit ad Mariam matrem ejus, — potius quam ad Joseph, tum quia ipsa sola vera et naturalis erat mater Jesu, Joseph autem ejus erat pater tantum per denominationem; tum quia Joseph videtur mortuus ante annum 30 Christi, quo hæc contigerunt : quare illa in se experta est sensitque sola B. Maria. Illi ergo soli hic Simeon prophetico spiritu prædixit tam prospera, quam adversa, ipsi ê. Christo obventura, ut in prosperis non extollatur, nec in adversis cadat animo, sed contra illa per modestiam, contra hæc per patientiam et fortitudinem pectus suum præmuniat et obarmet.

Ecce positus est hic in ruinam (Græce πτῶσιν, id est *Casum*, ita Arabicus) et in resurrectionem multorum in Israel. — Alludit ad illud *Isai.* VIII, 14 : « Erit vobis (Dominus, puta Christus) in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, et in petram scandali duabus domibus Israel, *hoc est* in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. » Et cap. XXVIII, 16 : « Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, » etc., quem locum citat urgetque contra Judæos Christo incredulos Paulus, *Rom.* IX, 33; et Petrus, I *Petr.* II, 6, et *Actor.* IV, 11; et Christus ipse, *Matth.* XXI, 42, ubi hæc omnia explicui. Christus enim a Deo positus et collocatus est in Ecclesia nova, sive Christiana, quasi fundamentum et lapis angularis, ut illi superædificaret omnes qui in eum crederent, ex eisque domum Ecclesiæ spiritualem exædificarent : quia hoc ipsum olim promiserat Adæ, Abrahæ, Mosi, cæterisque Patriarchis et Prophetis. Fecit hoc Deus directe hac mente et intentione, ut omnes Israelitas, id est Judæos, ad Christi fidem alliceret, itaque in Ecclesiam ejus coaptaret et salvaret; sed prævidebat majorem partem eorum

**ob** vitia sua Christo venienti contradicturos, et **in** eum quasi in lapidem offensionis et scandali **impacturos**, itaque ab eo collidendos et ruituros in exitium, tam præsens, quam futurum et æternum; noluit tamen idcirco mutare prius suum propositum de Christo mittendo et collocando, sed permittere hanc Judæorum contra illum rebellionem et contradictionem, ut propter illam Paulus et Apostoli præcones Evangelii a Judæis rebellantibus Evangelium transferrent ad Gentes, itaque pro paucis Judæis innumeræ gentes in Christum crederent, illique in Ecclesia inædificarentur et salvarentur, uti fuse docet Paulus, *Rom.* XI. Ecce hoc fuit Dei consilium, quo posuit Christum in lapidem angularem Ecclesiæ, qui indirecte esset « in ruinam, » directe « in resurrectionem multorum in Israel. » Per « ruinam » enim significatur exitium Judæorum Christo rebellium; per « resurrectionem, » salus in eum credentium, quia rebelles corruerunt a fide in perfidiam, ab obedientia in rebellionem, a cognitione Dei et S. Scripturæ in cæcitatem et obdurationem, a spe salutis in desperationem et damnationem, a cœlo in gehennam : credentes vero in Christum a peccatis, in quibus jacebant, a Christi gratia erecti, resurrexerunt in novam vitam virtutis et gratiæ, exspectantes spem gloriæ. Ita S. Augustinus, Beda, Theophylactus, Euthymius, Toletus et alii passim, imo ipse Christus, Petrus et Paulus locis jam citatis.

Addit Nyssenus per « ruinam » accipi excidium Judææ et Jerusalem per Titum : hoc enim ei illatum est, quia sprevit Christum eumque crucifixit.

Tropologice, vel potius symbolice Theophylactus : Christus, ait, positus est in ruinam et resurrectionem Israelis, id est animæ pœnitentis, seseque per Christi gratiam sanctificantis, quia facit ut in ea moriatur superbia, crapula, libido, ac resurgat in ea humilitas, abstinentia, castitas.

Anagogice : idem Theophylactus per « ruinam » accipit mortem, *q. d.* Christus erit causa ut multi, id est omnes Israelitæ a morte ad immortalitatem resurgant. Verum hi sensus mystici non ex æquo respondent sensui litterali, in quo alii ruunt in vitia, alii ab eis resurgunt : unde minus appositi et genuini sunt.

Et in signum cui contradicetur. — Græce, εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, id est *in signum contradictionis*, vel *contentionis*, ut vertunt Syrus et Arabicus; Tertullianus, *De Carne Christi*, cap. XXIII, vertit, « in signum contradicibile. »

Signum cui contradicetur, quod? Resp. Primo.

Quæres, quodnam hoc signum? *Primo*, Maldonatus et Franciscus Lucas : Christus, inquiunt, positus est in signum, id est in scopum sagittariorum, in quem Judæi et Scribæ increduli, non tantum lingua verba maledica, sed et manu tela maleficæ conjecerunt. Fuit hic scopus contradictionis, quia de eo feriendo configendoque certarunt, et sibi invicem contradixerunt Scribæ; ut Simeon alludat ad illud *Thren.*, III, 12 : « Posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ. »

*Secundo*, S. Basilius, Beda et Theophylactus intelligunt signum crucis, ut alludat ad *Isai.* XI, 10 : « In die illa radix Jesse, qui stat in signum (Hebraice נס *nes*, id est vexillum, ubi Septuaginta vertunt, σημεῖον, quod hic habet Lucas) populorum; » quia Christus in cruce exaltatus erit vexillifer, sustolletque vexillum crucis, ad quod trahet omnes fideles quasi milites suos, ut dimicent contra Judæos, Mahometanos, Paganos cæterosque impios diaboli milites, qui cruci Christi contradicunt illamque acerrime oppugnant. Ita Toletus. Secundo.

*Tertio* et planissime alludit Simeon ad illud *Isai.* VIII, 18 : « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel. » Vide ibi dicta. « Signum » ergo sive « portentum » vocatur hic mira, nova et a sæculo inaudita Christi ex Virgine generatio, ejusque cœlestis et divina doctrina, vita, mors, resurrectio, miracula, quibus clare significabat et ostendebat se esse Messiam Salvatorem mundi, ac Deum per se exhibuisse mundo redemptionem et salutem a Prophetis promissam. Huic signo Christi non tantum Judæi et Gentes lingua, sed et mali Christiani vita impia contradicunt. Ita Origenes, Jansenius. Favet S. Basilius, in *Isai.* cap. VII, ad illa : « Ecce Virgo concipiet, » dicens : « Signum est demonstratio rei cujuspiam prodigiosæ, demutatæ et a communi consuetudine hominum omnino alienæ. » Talis autem fuit vita Emmanuelis, id est Verbi incarnati, prodigiosa scilicet et portentosa; Græcum enim σημεῖον significat signum, ostentum, prodigium, quod est præter communem hominum consuetudinem. Favet et Tertullianus, lib. *De Carne Christi*, cap. XXIII, qui censet hic alludi ad illud *Isai.* VII : « Propterea dabit Dominus vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium. Agnoscimus ergo signum contradicibile, » inquit, conceptum et partum Virginis Mariæ, de quo academici isti : Peperit, et non peperit; virgo, et non virgo; » quibus contradictoribus ipse respondet : « Peperit, quæ ex sua carne; et non peperit, quæ non ex viri semine. Et virgo quantum a viro, non virgo quantum a partu; » quia peperit, quod non solet esse virginum, sed mulierum corruptarum, licet ipsa per miraculum incorrupta conceperit, et manens virgo pepererit. Tertio.

Symbolice Cajetanus : Christus, ait, fuit signum reconciliationis humani generis cum Deo. Et Dionysius : Christus, ait, fuit signum fœderis inter homines et Deum, de non inducendo amplius in orbem diluvio. Alii « signum » accipiunt quo oves Dei signantur, *q. d.* Christi fide, baptismo et charactere quasi signo signabuntur Christiani, ut illo ab infidelibus distinguantur.



Denique Barradius putat alludi ad serpentem æneum, quem in signum posuit Moses, ut morsi a serpentibus, in eum aspicientes, sanarentur; *Num.* cap. XXI; *q. d.* Christus positus est, sive ponetur in signum, quemadmodum serpens æneus in signum positus est in deserto. Multi illum aspicient viva fide, salutemque recipient ac resurrectionem; plurimi contradicent ac corruent. Signum erit omnibus propositum, quibusdam ruina, aliis resurrectio.

35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius (Arabicus, *lancea*; Græcum enim ῥομφαία et gladium et jaculum, sive lanceam significat), ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. — Quæres, quisnam hic gladius? *Primo*, nonnulli per gladium accipiunt dubitationem in fide. Censent enim B. Virginem, cum videret Christum tam atrocia a Judæis violenter pati et mori in cruce, dubitasse de ejus resurrectione, an ipse esset resurrecturus uti prædixerat : hæc enim dubitatio instar gladii dissecabat animam Virginis, eamque dividebat a Christo Christique fide. Ita Origenes hic, *hom.* 17; Titus et Theophylactus; Amphilochius, hom. *De Occursu Domini*; Auctor *Quæst. novi et veteris Testamenti* apud S. Augustinum, *Quæst.* LXXIII. Verum hic est error : hoc enim sentire indignum est Deipara, estque contra communem Ecclesiæ sensum. Sic enim B. Virgo peccasset incredulitate. Unde nonnulli excusant auctores jam citatos, quod per dubitationem intellexerint admirationem et variarum cogitationum fluctuationem, considerationem et examinationem.

*Secundo*, S. Eucherius Lugdunensis, homil. *in Dominicam post Octavam Nativit.*, per gladium accipit gladium spiritus, qui est verbum Dei, puta spiritum prophetiæ, *q. d.* Gladius spiritus prophetici transibit animam tuam, o Maria, ut tibi revelet secreta sanctæ Scripturæ et occultas hominum cogitationes, uti tibi revelavit in Cana Galilææ cogitationes Christi, cum ministris dixisti : « Quodcumque dixerit vobis facite. » Nisi enim scivisses Christum eis imperaturum ut aquam haurirent, quam ipse in vinum converteret, nunquam idipsum dixisses. Sic Apostolus de eodem spiritu ait, *Hebr.* IV, 12 : « Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. » Unde S. Ambrosius per gladium hic accipit prudentiam Virginis, non ignaram mysterii cœlestis.

Verum hic gladius symbolicus est et mysticus, non litteralis, æque ac ille S. Hilarii in *Ps.* CXVIII, littera *gimel*, qui per gladium accipit terrorem judicii extremi, quod omnes subituri sunt, etiam B. Virgo.

*Tertio*, nonnulli olim, teste Amphilochio loco citato, ex hisce verbis opinati sunt B. Virginem vere per gladium martyrio coronatam obiisse; sed hoc est contra omnem historiarum fidem.

*Quarto* ergo et genuine, « gladius » hic est tormentorum Christo illatorum, aut potius contradictionis, cujus paulo ante meminit; nam contradictio linguarum in Scriptura vocatur « gladius, » ut *Psalm.* LVI, 5 : « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. » Et *Psalm.* LXIII, 4 : « Exacuerunt ut gladium linguas suas. » Et *Psalm.* CIV, 18 : « Ferrum pertransiit animam ejus. »

Duplex ergo hic est gladius : *Primus* linguæ et contradictionis : audiens ergo B. Virgo probra, calumnias et blasphemias a Judæis et Scribis jaci in Christum etiam crucifixum, mire iis cruciabatur, perinde ac si gladius animam ejus transverberasset.

*Secundus* gladius fuit ferri, puta clavorum cæterorumque tormentorum, qui non tantum Christi corpus et animam, sed et Virginis animam pertransiit; Græce διελεύσεται, id est penetrabit. Sicut cum quis uno gladio duos sibi vicinos confodit uno ictu, ita ut primum occidat, secundum penetret et vulneret; ita et hic gladius Judæorum occidit Christum, Virginem autem matrem intime penetravit, vulneravit et cruciavit. Ita S. Augustinus, epist. 59 *ad Paulinum*; Sophronius, hom. *De Assumpt.*; Franciscus Lucas, Jansenius, Toletus, Barradius et alii.

Quantus fuerit gladii hujus cruciatus et dolor, æstimare licet cum Toleto, *primo*, ex filio patiente; puta ex Christo crucifixo, quem summe et plusquam seipsam amabat Deipara, ita ut longe maluisset ipsa pati et crucifigi, quam videre Christum filium suum pati et crucifigi; quare magis doluit de ejus passione et cruce, quam de sua propria doluisset. Mensura enim doloris est amor : quantus enim est dilecti amor, tantus est et amantis, et patienti compatientis dolor. *Secundo*, ex tormentorum Christi atrocitate et generalitate; passus est enim atrocissima in omnibus sensibus et membris : eadem omnia passa est B. Virgo per compassionem. *Tertio*, ex personæ dignitate; quod scilicet Christus qui patiebatur, erat verus Deus Deique Filius, Messias et Salvator mundi; quare indignum, imo horrendum et execrabile erat, illum flagellare et crucifigere. Hanc dignitatem profunde considerabat B. Virgo, ideoque profunde de ejus tormentis cruciabatur. *Quarto*, ex diuturnitate, quia Christus tota vita passus est, usque dum spiritum exhalavit in cruce. *Quinto*, ex solitudine : solus enim Christus patiebatur, derelictus ab Apostolis et amicis omnibus, imo ab angelis et Deo ipso. Unde clamabat : « Deus meus, ut quid dereliquisti me? » Licet enim B. Virgo ei astaret et compateretur, tamen dolor matris novum magnumque dolorem addebat Filio : dolebat enim mirifice, quod mater propter se adeo doleret et cruciaretur, atque hic dolor vicissim a Christo in matrem reflectebatur, ipsa enim dolebat Christum de suo dolore Mensura doloris in Virgine. Primo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dolere et affligi. *Sexto*, ex horrendis calumniis et blasphemiis quas assidue audiebat vibrari in Christum. *Septimo*, ex continua Filii crucifixi præsentia et intuitu. Hinc Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. XV : « Quos in partu, inquit, dolores effugerat, passionis tempore sustinuit, ut præ materno affectu viscera sibi lacerari senserit. »

Quocirca Doctores docent B. Virginem esse martyrem, imo plusquam martyrem, quia gladius aliorum Martyrum corpora, gladius vero Christi et Virginis animam pertransivit : quare sicut Christus patiendo magis cruciatus est quam omnes martyres, sic et B. Virgo Christo compatiendo, adeoque hoc cruciatu et dolore exanimata et mortua fuisset, nisi Deus per singularem concursum eam in vita conservasset. Sicut ergo S. Joannes Evangelista in ferventis olei dolium immissus, est martyr, quia hic cruciatus naturaliter ei mortem attulisset, nisi Deus per miraculum eum in vita conservasset : ita et B. Virgo.

Dices : Judæi non voluerunt cruciare et occidere Virginem, sed Christum duntaxat. Respondeo : cruciando Christum cruciarunt Virginem matrem ; sicut qui cruciat corpus, cruciat et animam : magis enim Virgo affectu conjuncta erat Christo, quam corpus animæ. Adde : Judæi omnes Christi propinquos, ut Apostolos et discipulos ex odio Christi persecuti sunt : ergo et ejus matrem ; unde videntes eam cruci astare et intime cruciari, insultarunt Christo, et consequenter matri ei astanti. Ita S. Hieronymus, serm. *De Assumpt. B. Mariæ*, qui extat tom. IX operum S. Hieronymi : « Beata Dei genitrix, ait, et martyr et virgo fuit, quamvis in pace vitam finierit. Hinc quoque quod vere passa fuerit, testatur Simeon propheta loquens ad eam : Et tuam, inquit, ipsius animam pertransibit gladius. Ex quo constat, quod supra martyrem fuerit. Alii namque Sancti, etsi passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima (quia immortalis est) pati non potuerunt. Beata vero Dei genitrix, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur ; ideo (ut ita fatear) quia spiritualiter et atrocius passa est gladio passionis Christi, plusquam martyr fuit. Unde constat, quia plus omnibus dilexit, propterea et plus doluit, in tantum ut animam ejus totam pertransiret et possideret vis doloris, ad testimonium eximiæ dilectionis : quæ quia mente passa est, plusquam martyr fuit. Nimirum et ejus dilectio amplius fortis quam mors fuit, quia mortem Christi suam fecit. » Verum adverte sermonem hunc nec esse S. Hieronymi, nec Sophronii (ut vult Marius Victorinus), qui vixit tempore S. Hieronymi. Unde ejus meminit S. Hieronymus, lib. *De Script. Eccles.*, tum quia totus hic sermo impugnat Nestorium, qui S. Hieronymo et Sophronio fuit posterior ; tum quia dubitat auctor, an B. Virgo in anima duntaxat, an vero etiam in corpore sit assumpta in cœlum, cum Ecclesia sentiat eam tam in corpore, quam in anima assumptam. Vide Baronium, anno Christi 48, n. 9.

Sic et S. Ildephonsus, serm. 2 *De Assumpt.* : « B. Virgo, ait, plusquam martyr fuit, quia in animo non minus amoris quam mœroris est intus gladio vulnerata. » Additque : « Candidior inter Martyres, quia in anima passa. » Sic et S. Bernardus, serm. in illud *Apocal.* XII, *Signum magnum apparuit* : « Tuam, inquit, animam pertransibit vis doloris, ut plusquam martyrem prædicemus, in qua nimirum corporeæ passionis sensum excesserit compassionis affectus. » S. Bernardinus Senensis, tom. II, *serm.* 61, art. 3, cap. II : « Tantus, ait, fuit dolor Virginis quod, si in omnes creaturas divideretur, omnes subito interirent. » Denique vim hujus gladii et doloris in Virgine, fuse et pathetice enarrat S. Brigitta, in *Serm. angelico*, cap. XVII et XVIII.

Tropologice vel potius symbolice S. Bernardus, serm. 29 *in Cant.*, per gladium sive sagittam, et, ut Arabicus vertit, *lanceam*, accipit charitatem, quia ubi est dolor, ibi est et amor ; sine dolore enim non vivitur in amore, nec sine amore vivitur in dolore. Sic enim ait : « Est etiam sagitta electa amor Christi, quæ Mariæ animam non solum confixit, sed etiam pertransiit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, et esset gratia plena. Aut certe penetravit eam, ut veniret usque ad nos, et de plenitudine illa omnes acciperemus, et fieret mater charitatis, cujus pater est charitas Deus. » Et post nonnulla : « Et illa quidem in tota se grande et suave amoris vulnus accepit : ego vero me felicem putaverim, si summa saltem quasi cuspide hujus gladii pungi interdum me sensero, ut vel modico accepto amoris vulnere, dicat etiam anima mea : Vulnerata charitate ego sum. Quis mihi tribuat in hunc modum non modo vulnerari, sed et expugnari omnino usque ad exterminationem coloris et caloris illius, qui militat adversus animam ? » Quisnam hic gladius mentalis.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. — Hæc sententia est obscura et difficilis. *Primo*, S. Hilarius, qui per « gladium » accipit diem judicii, eam facile expedit, *q. d.* Ideo gladius, id est dies judicii, erit quasi dissecans et aperiens corda hominum, etiam B. Virginis, ut ex iis revelet omnes secretas cogitationes, intentiones et volitiones, easque dijudicet et præmiet vel puniat. Hoc est quod de Christo dicitur, *Apoc.* I, 16 : « Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. » In Christo revelantur cogitationes Pharis.

*Secundo*, Eucherius qui per « gladium » accipit spiritum prophetiæ, sic explicat, ut dicat eum datum fuisse B. Virgini, ad hoc ut secretas hominum cogitationes cognosceret.

*Tertio*, Euthymius, *q. d.* Multi videntes miracula et sapientiam Jesu, cogitabant eum cœlo lapsum, nec esse filium B. Mariæ : at dum in cruce Christi viderunt eam ita dolentem et mœstam, priores cogitationes damnarunt cogitaruntque illam vere esse matrem Jesu, utpote quæ tantopere ejus quasi filii sui tormenta sentiret et lugeret. Verum hæc omnia aliena et violenta sunt.

*Quarto*, S. Augustinus, *epist.* 59, sub finem, sic exponit, *q. d.* « Per Domini passionem, et insidiæ Judæorum, et discipulorum infirmitas patuit. » Christo enim relicto fugerunt. Prius de Judæis appositum est, posterius de discipulis minus congruum : nec enim discipuli ante fugam de ea cogitarant.

*Quinto*, Toletus pressius exponit, *q. d.* Hic gladius, qui tuam, o Virgo, animam transfiget, occasio erit ut cogitationes multorum cordium, quæ prius occultæ erant revelentur, quod revera evenit : nam multo tempore antequam Christus occideretur, illi principes et primi Judæorum in animo habebant eum interficere ; timore tamen plebis nihil in eum tentare ausi sunt.

Gladius ergo, id est tormenta quibus interficietur Christus, et tuam pertransibit animam, et simul perversas Judæorum contra Christum cogitationes, quæ occultæ erant, manifestabit. Verum jam ante passionem Christi sæpius eas manifestarant Judæi et Scribæ, ubique ejus dicta et facta cavillantes, ut patet ex Joanne ; esto, desiderium occidendi eum celarent et dissimularent.

*Sexto* ergo, planissime et plenissime, τὸ « ut » tam finem quam consecutionem et eventum significat, ac non tantum ad τὸ « gladius, » sed ad cætera quæ præcedunt referendum est, nimirum ad τὸ « positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur ; » ut scilicet Scribæ et Pharisæi (ut jam hæretici) qui videbantur justitiæ et veritatis patroni, ac Messiæ avidi, declarent quam alieni sint a vero Messia et justitia, quamque contra eum pravum cor et cogitationes foveant. Hi enim ante Christi adventum eum desiderabant, sperantes eum venturum cum pompa et thesauris instar Salomonis, ut ab eo honoribus et opibus augerentur. At ubi viderunt Christum humilem et pauperem, suæ ambitioni et avaritiæ adversari, illamque publice carpere et taxare, eum spreverunt illique sese opposuerunt, et necem ei occulte machinari cœperunt eamque tandem opere perpetrarunt. Maxime enim Simeon hic significat, Scribas diu ante occulte cogitasse mortem Christo inferre, eamque tandem ei ex insidiis et dolose irrogasse : quæ in morte Christi eruperunt. Tunc ergo revelatum est et patuit, qui in Israele fuerint probi, Christum sincere et constanter amantes ; qui improbi, eum aspernantes, persequentes et occidentes. Ita S. Augustinus, *epist.* 59 ; Beda, Jansenius, Maldonatus, Franciscus Lucas et alii ; imo et Toleti expositio cum hac ex parte coincidit (1).



36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis (erat grandæva et senex, ut non juvenili fervore moveretur, sed senile et maturum testimonium perhiberet Christo), et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. — « Anna » hebr. idem quod *gratia*, qua Anna hæc erat plena. Hinc et hodie nonnullis feminis inditur nomen proprium « Gratia. » Talis fuit Gratia quæ nuper Firandi in Japonia, anno Domini 1624, generose cum quatuor prolibus totaque familia pro fide Christi gloriosam oppetiit mortem, uti fuse narrant Litteræ Annuæ Japoniæ anno jam dicto. Vers. 36.

Prophetissa. — Id est doctrix, ait Franciscus Lucas, quæ scilicet juvenculas doceret Dei legem et pietatem, quia hoc tempore Judæi caruerunt Prophetis, qui futura prædicerent. Verum Annam hanc proprie fuisse prophetissam, quæ occulta et futura prædiceret, patet ex vers. 38, ubi prophetavit de Christo. Licet enim usque ad tempora Christi Judæi caruerint Prophetis, tamen Deus tempore Christi rursum Prophetas excitavit, ut Joannem, Zachariam, Elisabetham, Simeonem, qui prophetarent de Christo. Unde S. Ambrosius : « Non solum ab Angelis, inquit, et a Prophetis, et a pastoribus, et a parentibus, sed etiam a senioribus et justis generatio Domini accepit testimonium ; omnis ætas et uterque sexus, eventorumque miracula fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, utero clausus exultat, vidua confitetur, justus exspectat. »

Porro Origenes : Anna, ait, meruit donum prophetiæ longa castitate et jejuniis. Addit Toletus Annam dono prophetiæ apud Judæos fuisse celebrem, ut passim ab omnibus Anna vocaretur prophetissa ; idque insinuat hic Lucas.

Filia Phanuel. — Phanuel ergo erat pater Annæ, illo ævo notus et celebris. « Phanuel, » hebr. idem est quod *facies Dei* ; hujus filia est « Anna, » id est *gratia*, hæc enim a facie et ore Dei procedit, et fidelibus aspiratur. Hinc locus in quo Jacob vidit Deum facie ad faciem, ab eo vocatus est « Phanuel, » *Genes.* XXXII, 30.

De tribu Aser. — Erat hæc tribus quieta, placida, robusta, dives annona, ut patet *Genes.* XLIX, 20 ; et *Deuter.* XXXIII, 24 et 25. « Aser, » hebr. idem est quod *beatus*. Beata fuit anna. Omnia hæc epitheta novas dotes et laudes addunt Annæ, ut ejus de Christo testimonium majoris sit momenti et ponderis.

Hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. —

(1) *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* παρένθετα sunt ; igitur *ut revelentur*, etc., ad superius de Christo vaticinium pertinent. Particula *ut* hoc loco non est αἰτιατικόν, ac si valeret *ideo ut*, sed in sensum ἐκβατικὸν accipienda est, idemque valet ac *ita ut* ; q. d. actus passioque Christi occasionem præbebit Judæis prodendi qua mente, quove animo essent in Christum, quid de eo cogitarent, quid sentirent, qualem Messiam sibi effingerent atque exspectarent.

id est a pubertate sua, post pubertatem suam, postquam cœpit esse habilis viro et conjugio : nec enim proprie est virgo, quæ non est puber, nubilis et capax corruptionis : unde infantes proprie non sunt virgines. Rursum « a virginitate sua, » id est a tempore nuptiarum quas virgo inierat : nupta enim desinit esse virgo ; nubebant autem paulo post pubertatem anno ætatis 15, quo anno Josepho nupsit B. Virgo.

Tria ergo hac voce significantur. *Primo*, quod Anna semel nupserit, idque in prima pubertate, quæ in feminis est anno ætatis duodecimo ; sed differri solebant nuptiæ, ut magis pubescerent ad annum 15. *Secundo*, quod ante matrimonium honeste et caste vixerit, eratque virgo. *Tertio*, quod moriente post septem annos marito, vidua facta sit juvencula anno ætatis 22, indeque insigni continentia in flore ætatis vidua permanserit ad annos 84 vitæ suæ, vel, ut S. Ambrosius, viduitatis suæ ; censet enim ipse Annam, mortuo marito, mansisse viduam per 84 annos. Quod si verum est, sequitur ipsam hoc tempore, cum Christo occurrit, fuisse annorum centum et sex ; nupsit enim anno 15, nupta fuit per septem annos, vidua facta est anno 22, inde vidua vixit annos 84, juxta S. Ambrosium : junge hos omnes annos, habebis 106. Anna igitur commendatur ab insigni castitate eaque triplici, scilicet virginali, conjugali et viduali. Videtur Deus studio Annæ ad tantum senium prorogasse vitam, ut Christum videret et prædicaret, æque ac fecit Simeoni.

37. Et hæc vidua usque (Interpres legit ἕως, id est *usque* ; jam legunt ὡς, id est *quasi*) ad annos octoginta quatuor (vitæ, vel, ut Ambrosius, viduitatis suæ, uti jam dixi : unde Arabicus vertit, *et vidua facta est quatuor et octoginta annos*), quæ non discedebat de templo. — Non quod in templo habitaret, sed quod illud frequentaret in eoque perdu raret, uti etiamnum faciunt nonnullæ devotæ, ut sit hyperbole. Ita Toletus, Jansenius, Maldonatus. Alii tamen censent eam habitasse in templo : erant enim habitacula feminarum religiosarum juxta templum, nocte et die, ut hic dicitur, Deo servientium (qualia in Ecclesia Christiana postea fuerunt Diaconissarum, et etiamnum sunt Monialium), ut patet Exod. XXXVIII, 8 ; II *Machab.* III, 20 ; I *Reg.* II, 21. Feminarum, inquam, tum virginum, inter quas fuit Virgo præsentata in templo ; tum viduarum, e quibus videtur fuisse hæc Anna, uti pluribus probat noster Canisius, lib. I *Marialis*, cap. XII.

Jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte ; — scilicet Deo, ut habet Arabicus. Græce enim est λατρεύουσα, id est latria colens ; latria enim soli Deo defertur. Unde patet, falso docere hæreticos, jejunium tantum esse mortificationem corporis, non autem cultum Dei, nisi quatenus ad orationem refertur. Lucas enim hic ait Annam æque jejuniis et obsecrationibus serviisse Deo. Ita Origenes. Voces ergo « jejuniis et obsecrationibus » sunt ablativi instrumenti, quibus respondet dativus in Græco, *q. d.* Per jejunia et obsecrationes serviebat Deo « nocte et die. »

Pulchre S. Chrysostomus, hom. 42 *ad Populum*, orationem nocturnam commendat : « Vide, ait, stellarum choream, altum silentium, multam quietem, Dominique tui dispensationem admirare. Anima tunc est purior, levior et subtilior, magis sublimis et agilis. Ipsæ tenebræ multumque silentium ad compunctionem inducere possunt. Si vero cœlum respexeris, sideribus tanquam innumeris quibusdam oculis distinctum, » etc. Et post nonnulla : « Flecte genua, geme, Dominum tuum ora tibi fieri propitium. Plus nocturnis placatur orationibus, cum quietis tempus tu luctuum tempus facis. Regis memento qualia verba dicebat : Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Quantumcumque sis delicatus, non es illo delicatior ; quantumcumque sis dives, non es ditior Davide, qui rursum dicebat : Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ. » Sic Christus diem dabat prædicationi, noctem orationi. « Erat enim pernoctans in oratione Dei, » *Luc.* VI, 12. Sic et Paulus, ut patet *Act.* XVI, 15 ; et II *Timoth.* I, 3. Sic et S. Antonius, S. Hilarion cæterique anachoretæ ; quin et Ecclesia, ut patet in Nocturnis, quæ etiamnum monachi noctu decantant. Vide dicta *Deuter.* VI, 7.

38. Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino. — Græce ἀνθωμολογεῖτο, id est vicissim, quasi ex altero choro et sexu succinebat Simeoni, et « confitebatur Domino, » id est Dominum laudabat, eique gratias agebat, ob datum natumque Christum, quasi alternis responsando confirmans dicta Simeonis.

39. Et loquebatur de illo, — Domino Christo, quem præsentem habebat, *q. d.* Anna non tantum Deum laudabat, sed et aliis concionabatur ac deprædicabat Jesum, asserens eum esse Christum, hortansque omnes ut in eum crederent. Hinc patet Christum esse Dominum, id est Deum.

Omnibus qui exspectabant redemptionem Israel, — faciendam per Messiam, hoc est, qui exspectabant redemptorem Christum, qui Israelem, id est populum fidelem in se credentem redimit a peccato, morte, satana, gehenna omnique malo. Vide dicta vers. 25.

Allegorice : Christus natus tribus tripliciter apparuit. *Primo*, pastoribus indice angelo ; *secundo*, Magis indice et duce stella ; *tertio*, Simeoni et Annæ indice Spiritu Sancto. Simili modo Deus homines quosdam docet per angelos, alios per miracula accedente prædicatione, tertios per illuminationem internam Spiritus Sancti. Rursum pastores viderunt Christum natum, sed Magi adorarunt, Simeon vero et Anna senes eum amplexi sunt. Sic et nos Christum *primo*, agnoscimus ; *secundo*, adoramus ; *tertio*, ubi in virtute non Christus natus tribus tripliciter apparuit.



pueri, sed senes fuerimus, binis amoris brachiis amplectemur. Ita Jansenius.

40. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth. — Statim ergo reversi sunt Nazareth, indeque, metu Herodis infanticidæ, cum puero Jesu fugerunt in Ægyptum. Hoc enim infanticidium paulo post purificationem Virginis contigit circa Pascha, ait Euthymius, Toletus et alii : licet S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. V ; Jansenius et Franciscus Lucas censeant eos ex Jerusalem immediate fugisse in Ægyptum, indeque post novem annos redeuntes, reversos esse in urbem suam Nazareth, ut ait hic Lucas. Vide dicta *Matth.* II, 13. Porro, ante fugam redierunt in Nazareth, tum quia ibi habitabant, ut de domo sua disponerent ; tum ut ex bonis quæ ibi possidebant, viaticum et reliqua necessaria ad iter longum in Ægyptum pararent. Tempus vero ad fugam abunde suppetebat, quia a die secunda februarii, qua facta est purificatio, usque ad Pascha, quo factum dicitur infanticidium, intercedunt circiter duo menses (1).

Puer autem crescebat (corporis magnitudine cum ætate) et confortabatur — membrorum robore et viribus. Græca, Syrus et Arabicus addunt πνεύματι, id est *spiritu* · quod Euthymius et Theophylactus explicant, non quasi Christus internum spiritus robur in dies majus acceperit, cum a primo instanti conceptionis suæ plenus fuerit gratia et Spiritu Sancto, sed quod exterius per sermonem et opera majora magis illud exeruerit et ostenderit. Verum τὸ « spiritu » delent Latina et Latini Patres, ac Interpres : item ex Græcis Origenes et Titus.

Plenus sapientia. — Græce πληρούμενον et impleri, et plenum esse significat, ut sit idem quod πλήρης. Noster ergo recte vertit « plenus ; » quia revera interna sapientia ab origine sua plenus fuit Christus, ita ut ei nihil addi potuerit. Arabicus tamen vertit, *reimplebatur sapientia* ; Syrus, *implebatur sapientia*. Sic et Origenes, Theophylactus, Euthymius et Titus hic, ac S. Ambrosius, lib. *De incarn. Domini sacramento*, cap. VII, quod Theophylactus sic explicat : « Non assumens, ait, sapientiam (quid enim perfectius eo qui ab initio fuit perfectus ?), sed paulatim illam denudans. Si enim quamdiu brevis fuisset statura, ostendisset omnem sapientiam, visus fuisset prodigiosus, et esse phantasma pueri, non verus puer. »

Utraque expositio vera et apposita est, ac proinde utraque hic significatur ; scilicet puerum Jesum et interius plenum fuisse sapientia, et exterius idipsum ostendisse, ut quicumque ejus mores gestusque videret, ac sermones audiret, illico cognosceret eum plenum esse sapientia, quia nihil in eo apparebat puerilis levitatis, petulantiæ, insipientiæ ; sed vultu, ore, habitu spirabat gravitatem, modestiam, prudentiam, sapientiam illi ætati congruentem, quæ scilicet puerum talem decebat.

Et gratia Dei erat in illo. — Græce ἐπ' αὐτό, id est *super illum*, *q. d.* Gratia, id est favor, benevolentia, dilectio, cura Dei Patris in puerum Jesum, utpote Filium suum, illi quasi tota e cœlis incubabat, ut eum suis donis et gratiis ornaret, eumque in omnibus actibus moderaretur et componeret, ut omnes viderent eum a Deo regi, et per omnia dirigi, actionesque ejus non tam esse humanas, quam divinas. Ita Euthymius. Simili modo de Joanne Baptista dixit, cap. I, 66 : « Et manus Domini erat cum illo. »

41. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ. — Jusserat Deus, *Exod.* XXIII, 14, et *Deuteron.* XVI, 16, ut omnes viri ter in anno adirent tabernaculum vel templum, ad Deum ibidem publice adorandum eique offerendas oblationes. B. Virgo, postquam rediit ex Ægypto, licet lege non teneretur, tamen ex devotione junxit se marito, secumque duxit filium ad templum, ut doceret matres filios a teneris ducere ad templum Deumque colere. Ita Beda, Maldonatus, Jansenius, Franciscus Lucas et alii. Nec timuit Archelaum, Herodis infanticidæ filium, tum quia prudenter existimabat in tanto Judæorum omnium concursu posse latere ad paucos dies, donec rediret in Nazareth ; tum quia sciebat se Deo, pro cujus honore periculum hoc subibat, esse cordi et curæ. Ita S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. X ; idque insinuat Lucas, vers. 42 et 43. Nonnulli tamen probabiliter putant Jesum non ascendisse Hierosolymam, nisi anno ætatis duodecimo ; illo enim anno Archelaus actus est in exilium ab Augusto Cæsare : unde nil ab eo Jesus timere poterat, ut dixi vers. 1.

42. Et cum factus esset (puer Jesus) annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi. — Syrus, *sicut consueverant in festo*, scilicet facere in Paschate.

43. Consummatisque diebus (Græce, *postquam perfecissent*, vel *peregissent dies*, scilicet illius festi, sive Paschalis : hoc enim per septem dies celebrabatur, quos omnes Hierosolymæ celebrasse Mariam et Joseph innuit hic Lucas, etsi lege ad tot dies manere non cogerentur), cum redirent (e Jerusalem in Nazareth), remansit puer Jesus in Jerusalem, — ut ibi radiolum aliquem suæ

(1) De factorum serie Christique pueri infantia hæc habet Patritius passim : Paulo post Christum natum, sedem Bethlehemi capere statuit Josephus ob multas gravesque causas, quas reperire est apud Papebrochium, *Propyl. ad acta Sanctor.* maii. p. 26 ; purificatione igitur facta, Nazaretham cum suis remeavit, non ut ibi degeret, sed ut, compositis rebus domesticis, migraret Bethlehemum ; fixo Bethlehemi domicilio, vere proxime insequenti magos ibi excepit, eaque vel proxima nocte, de repente et nemine conscio fugit in Ægyptum : brevius enim e Bethlehemo in Ægyptum iter, longius necnon periculosius e Nazaretha ; tandem ex Ægypto redux, Bethlehemum etiam iturus esset, ni Archelaum timuisset in Judæa regnantem.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sapientiæ et divinitatis spargeret, quasi gestiens jam officium doctoris et Salvatoris, ad quod a Patre missus erat, inchoare : anno enim duodecimo finitur pueritia, et incipit adolescentia ac judicium perfectum. Ita Beda.

Et non cognoverunt parentes ejus. — Quia Jesus a parentibus in Jerusalem devotionis, vel negotiorum causa nonnihil tardantibus, petiit licentiam adeundi cognatos, quasi cum iis præcessurus : qua accepta, eos adiit, sed mox ab iis clam se subduxit adiitque templum, Deo id dirigente, ut parentes, licet alias de Jesu semper solliciti, id non adverterent, sed, ut sequitur, putarent eum esse in comitatu cognatorum.

44. Existimantes autem illum esse in comitatu (cognatorum et vicinorum, qui præcesserant, cum quibus Maria et Joseph paulo post secuturi vespere in eodem hospitio erant pernoctaturi et cœnaturi, ibique Jesum, ut putabant, inventuri) venerunt iter diei (scilicet vespere ad idem commune hospitium); et requirebant eum inter cognatos et notos.

45. Et non invenientes regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. — Quia Jesus a nullo cognatorum visus erat in itinere, hinc collegerunt parentes eum mansisse in Jerusalem : quare ibi eum requisiverunt magna sollicitudine et anxietate. Causam dat Origenes, et ex eo Theophylactus et Titus dicentes : « Sed quare anxie adeo quærebant? num suspicabantur perditum, aut quod aberrasset a via ut puer? » absit. « Neque enim hoc sapientissimæ Mariæ fuerit (sciebat enim Jesum plenum esse sapientia, imo esse Deum); nunquam fieri poterat ut perditum putarent infantem, quem divinum esse cognoverant : verum quærebant eum, ne quo pacto ab iis abiisset, ne forte reliquisset eos, » ne forte vellet manere non cum eis in Nazareth, sed cum aliis in Jerusalem, ut ibidem officium suum docendi, ad quod a Deo missus erat, inchoare festinaret. Addit Origenes : « Quærebant, ait, ne forte recessisset ab eis, ne relinquens eos ad alia transmigrasset, et, quod magis puto, ne revertisset ad cœlos, cum illi placuisset iterum descensurus, etc.; sed dolebat, quia mater erat, et filii mater immenso amore digni, quia ea inscia et nihil tale opinante discesserat. »

*Quid suo quare Jesu amisso mœrebat pia mater?*

S. Antoninus addit metuisse matrem ne Jesus in manus Archelai, Herodis infanticidæ filii, incidisset, qui eum occideret. Euthymius et Franciscus Lucas opinantur matrem timuisse, ne Christus ab itinere aberrasset; non enim sciebat, nec callebat omnes vias, nec diverticula in biviis et triviis : licet enim per scientiam divinam et infusam illa sciret, tamen per scientiam experimentalem, quam hic puer sequebatur, illa ignorabat. Quod an recte dicatur, viderint Theologi.

46. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. — « Post triduum, » non absolutum, sed inchoatum, hoc est tertio die, scilicet ab ejus amissione. Primus enim dies fuit, quo e Jerusalem profecti sunt, et vespere in hospitio eum non invenerunt inter cognatos; secundus, quo ex hospitio redierunt in Jerusalem; tertius, quo quæsiverunt et invenerunt puerum sanctum in sancto templo. Ita S. Ambrosius, Euthymius et alii. Sic dicitur vers. 21 : « Postquam consummati sunt dies octo, » id est octavo die circumcisus est Jesus. Et *Marci* VIII, 31 : « Oportet Filium hominis, etc., post tres dies (id est tertio die) resurgere. »

In templo. — Dei enim incarnati locus et sedes est in templo. Ibi quærendus est, ibi invenietur, non in foro, non in taberna, non in theatro. Christum imitati sunt S. Basilius et S. Gregorius Nazianzenus, qui, teste Ruffino, cum Athenis studerent, duas duntaxat urbis plateas noverant, scilicet unam quæ ducebat ad templum, alteram quæ ad scholam.

*Quis a[illegible] hos Christus [illegible]?*

Totum hoc triduum ergo Jesus egit partim orando, partim audiendo doctores eisque respondendo in templo : cibum a doctoribus aut astantibus, sapientiam ejus mirantibus, invitatus accepit, licet alii minus verisimiliter putent eum ostiatim mendicando victitasse, uti putat S. Bernardus, hom. *infra Octavam Epiphan.*; Bonaventura, Alensis et alii, et favet S. Thomas, II II *part.*, *Quæst.* CLXXXVII, art. 5, qui Christum aliquando mendicasse probat ex illo : « Ego autem mendicus sum et pauper. » *Psal.* XXXIX. Ex adverso Lyranus, Dionysius, Joannes Major hic, et Abulensis in cap. XVII *Matth.*, *Quæst.* CXCIV, censent Christum nunquam mendicasse, eo quod mendicare Judæis esset vetitum, *Deut.* XV : « Mendicus non erit inter vos. » Verum hæc verba non præceptum, sed promissionem opum significant, si legem Dei observent, scilicet eos adeo fore divites, ut nemo eorum mendicet.

Sedentem in medio doctorum. — Est hebraismus, id est inter doctores, sed humiliori loco quasi discipulum, idque ad hoc, ut suis interrogationibus de instante adventu Messiæ, doctores ad eum cogitandum et inquirendum excitaret; utpote translato jam sceptro a Juda ad Herodem alienigenam, ac expletis jam 70 hebdomadibus Danielis cæterisque Prophetarum de Christo oraculis. De Messiæ enim adventu Christum doctores interrogasse, omnino est verisimile, idque ad hoc, ne inopinata doctoribus esset ejus manifestatio, sed ut ex hisce indiciis quasi scintillis postea prædicans et miracula patrans, facilius ab eis velut Messias reciperetur. Ita Euthymius.

*Sapienter interrogare [illegible] sapienter [illegible] respondere.*

Interrogantem eos. — *Primo*, quia puerum decebat interrogare doctores, non autem eos docere, sed tamen Christus interrogando eos docebat, ait Origenes : nam sapienter interrogare tam docti et docentis est, quam sapienter respondere. Sic magistri docti, docte discipulos



interrogando docent. « Ex uno quippe doctrinæ fonte, ait Origenes, manat et interrogare et respondere sapienter, et ejusdem scientiæ est, scire quid interroges, quidve respondeas. »

*Secundo*, ut doceret adolescentes modestiam, ac studium audiendi, interrogandi et discendi, « ne, si nolint esse veritatis discipuli, fiant erroris magistri, » ait Beda.

*Tertio*, ut interrogans doctores, vicissim ab eis interrogaretur, sicque respondendo eos doceret. Unde sequitur :

47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. — Quod scilicet puer duodennis, fabri filius, qui scholas nunquam frequentarat, tam versatus esset in sancta Scriptura, tam sapienter quæreret, tam acute responderet, ut et doctores ipsos superaret, ut dicerent : « Quis putas puer iste erit? » eritne Propheta? eritne Messias, quem doctorem orbis nunc omnes in dies singulos avide expectamus?

48. Et videntes (Græce addunt αὐτὸν, id est *eum*, scilicet Jesum), admirati sunt. — Scilicet parentes Jesum quærentes, ut patet vers. 46, mirati et gavisi sunt, quod eum præter morem viderent et invenirent solum cum doctoribus disputantem, tantam sapientiam depromentem, ac doctores cæterosque astantes super eo stupentes, etc.

Et dixit Mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus (*cum labore*, ut addit Arabicus) te. — Verba hæc matris sunt, non Christum objurgantis, sed mirantis et dolentis, doloremque suum dolenter explicantis. Hoc enim suadet veneratio matris erga talem filium, scilicet hominem Deum; ac proinde verisimile est matrem hæc ei dixisse, non publice in consessu Doctorum, sed secreto sevocando eum, vel consessu jam dimisso. Ita Jansenius, Maldonatus et alii.

Sic, — ut te a nobis subduceres, ac nobis insciis et sollicitis solus in urbe remaneres?

Pater tuus et ego. — Notat S. Augustinus, serm. 63 *De Diversis*, cap. XI, humilitatem Virginis, quæ cum sciret se in solidum esse matrem Christi, ideoque matrem Dei, ita ut Joseph in ejus generatione nullam haberet partem, ipsa tamen demisse Josepho quasi marito se postponit. « Omnia, ait Anonymus in *Catena Græca*, sicut mater et fiducialiter, et humiliter, et affectuose exprimit. »

Tropologice : anima quæ perdidit Jesu gratiam per peccatum mortale, vel solitam familiaritatem per negligentiam venialem, requirat eum, *primo*, cum dolore et lacrymis cordis compuncti, quia, ut ait Nazianzenus, *orat.* 3 : « Proborum (adde, et improborum si pœniteant) virorum lacrymæ sunt peccati diluvium, et mundi piamentum, » quale fuit diluvium Noe.

*Secundo*, requirat eum magna sollicitudine et studio, ut fecit B. Virgo, idque in templo, nimirum vacando orationi, lectioni et meditationi rerum spiritualium. Sic sponsum se subducentem requisivit sponsa et invenit, *Cant.* III, 2 : « Surgam, inquit, et circuibo civitatem per vicos et plateas, quæram quem diligit anima, tenui eum, nec dimittam. » Ita anima, dum Christum invenit, caute retineat ne rursum elabatur.

*Tertio*, requirat eum inter doctores, id est inter viros doctos et pios, qui eam in scientia æque ac pietate instruant. Unde sponsa, *Cant.* cap. I, vers. 17, rogans sponsum : « Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie? » audit : « Egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. » Vide ibi dicta.

49. Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. — S. Ambrosius censet hæc esse verba reprehendentis. Et poterat Christus ut Messias et legislator jure suo reprehendere matrem, si peccasset. Verum nulla in matre fuit peccati culpa : ergo nec in Christo ulla ejus fuit reprehensio; habent tamen verba hæc ejus interrogationem quamdam acriorem, reprehensioni similem, ut per eam parentes doceat, et ad res suas discendum acrius incitet, uti solent parentes filios et magistri discipulos acrioribus verbis ad studium et diligentiam exstimulare.

Hæc ergo verba Christi sunt instruentis, consolantis et se excusantis, suumque factum defendentis, *q. d.* Non opus erat ut me quæreretis, quia cogitare poteratis me negotia salutis mundi, ad quæ a Patre cœlesti missus sum, inchoando tractare. Nec enim cogitare debetis me semper vobiscum mansurum, sed aliquando ad illa vobis relictis abiturum, uti jam abire cœpi. Porro, quod vobis insciis abierim, studio id feci, ut vos doceam in illis me non pendere a vobis, sed a Patre cœlesti, et ex illius voluntate ac consilio, non ex vestro eadem tractare debere. Ego ergo vobis non dedi causam doloris, sed illam vobis partim amor vester erga me, partim ignorantia mysterii jam dicti vobis ministravit, ignorabatis enim me in Patris mei negotiis occupari; esto enim vobis merito in mentem id venire debuisset, tamen tener vester in me amor fecit ne veniret, et cogitationem hanc divertit. Unde Beda : « Non, inquit, quod eum quasi filium quærat, vituperat; sed quod ei potius, cui æternus est Filius, debeat, cogit oculos mentis attollere. »

Ut hoc e radice et fundamento intelligas, nota Christum præter actiones divinas, quas habebat ut Deus Deique Filius, quales sunt creare, conservare et gubernare omnia, ac spirare Spiritum Sanctum, habuisse actiones humanas, easque duplices : priores, quas habebat ut homo, communes aliis hominibus, uti sunt comedere, ambulare, laborare, fabricare, etc.; posteriores, quas habebat ut homo Deus, sive ut redemptor, sibi quasi Christo proprias, quæ proinde a S. Diony-

sio, lib. *De Divin. Nomin.*, Theandricæ, id est *Deivirilæ*, nuncupantur, quia partim Dei, partim hominis sunt opera. Tales erant docere, facere miracula, discipulos convocare, Apostolos creare, etc. In prioribus voluit Christus sponte sua parentibus, a quibus eas cum natura quasi acceperat, obedire, et ab eis sinebat se in illis regi; in posterioribus vero nequaquam, sed soli Deo Patri voluit subjici et obedire, quia hæ, utpote altioris ordinis, a solo Deo erant acceptæ et directæ. Unde Christus parentibus eas petentibus quasi ex materno quodam imperio, respondit, illas non ad parentum, sed ad Dei voluntatem et nutum esse faciendas, ut patet hic, et in conversione aquæ in vinum in nuptiis Canæ Galilææ, *Joan.* cap. II, vers. 4, et aliis similibus, ut patet *Matth.* cap. XII, vers. 48.

Porro, Christus actiones suas theandricas, quas patrabat ut Deus homo, vocat actiones Dei Patris, Patrique eas attribuit non sibi, *primo*, quia propter has a Patre missus erat in mundum; *secundo*, quia Christus a Patre habebat suam divinitatem: hæc autem opera præcipue erant divinitatis; *tertio*, quia eas faciebat ex præcepto Patris; *quarto*, quia in his nemini suberat nisi soli Patri æterno, ut doceret amori matris etiam tenerrimo præponendum esse Dei præceptum, vel consilium, ut, cum Deus aliquem vocat ad Religionem, ad sacerdotium, ad martyrium, ad apostolatum, cui parentes repugnant. Sic in humanis filius, qua filius, subest parentibus quoad paterna jura; qua vero idem magistratum gerit, v. g. rex est aut princeps, parentibus non subest, sed præest, quoad jura regalia: rex enim omnium qui in regno sunt, ac consequenter parentum suorum, est superior et dominus; quare eos jure communi reipublicæ regere, dirigere et corrigere tenetur.

50. ET IPSI NON INTELLEXERUNT VERBUM QUOD LOCUTUS EST AD EOS. — Nonnulli ignorantiam hanc referunt ad auditores, qui stupebant super prudentia et responsis Jesu, vers. 47. Alii ad solum Joseph per synecdochen. Verum plane tam ad B. Virginem quam ad Joseph hæc referenda sunt; licet enim ipsi nossent Jesum suum esse Christum Dei Filium, et Salvatorem mundi, tamen ignorabant qua ratione illud munus obiturus esset, seu quæ illa essent negotia Patris in particulari, in quibus ipse dixerat oportere se versari vers. 49, nimirum an, quando, quomodo docturus, victurus, moriturus, crucifigendus esset pro salute mundi: hæc enim eis a Deo necdum revelata erant; sed ea ipsa progressu temporis, vel per experientiam, vel per revelationem Jesu didicerunt. Quare ex reverentia Jesu, eum hoc loco curiose, quænam essent illa mysteria interrogare non sunt ausi, sed tempus opportunum ea noscendi prudenter exspectarunt.

51. ET DESCENDIT CUM EIS, ET VENIT NAZARETH; ET ERAT SUBDITUS ILLIS. — « Venit Nazareth, » ultro et sponte sua, licet S. Bernardus opinetur eum urgentibus parentibus venisse. Sic enim ait, serm. 19 *in Cant.*: « Cum remansisset in Jerusalem, et dixisset, in his quæ Patris sui erant oportere se esse, non acquiescentibus parentibus ejus, sequi eos in Nazareth non despexit, magister discipulos, Deus homines, Verbum et Sapientia fabrum et feminam. »

SUBDITUS. — Græce, ὑποτασσόμενος; id est *subjectus*, obediens, scilicet quoad humanam naturam, quam a matre hauserat, non quoad divinam, quam a solo Patre æterno acceperat ita plene et perfecte, ut per omnia ei esset æqualis, et in nullo subditus, uti contra Arianos docet S. Augustinus, lib. III *Contra Maximinum*, cap. XVIII. Minus ergo congrue S. Cyrillus, lib. X *Thesauri*, cap. VIII, ex illo I *Corinth.* XV: « Tunc et Filius subjicietur Patri, » concedit Filium, ratione originis, subjici Patri etiam quoad naturam divinam quam a Patre accepit, quia quoad eam facit, inquit, quæ placita sunt Patri: nam et Pater facit, quæ placita sunt Filio, nec tamen idcirco subjectus est Filio. Loquitur ergo Paulus de Filio quoad humanam naturam, secundum quam Christus se plane cum omnibus suis electis subjiciet Deo Patri in die judicii. Unde cæteri Patres constanter asserunt Filium quoad divinam naturam Patri non esse subjectum, sed æqualem.

Nota: Humana natura in Christo, licet in præcise sumpta, subdita esset matri; tamen qu ipsa elevata erat a Deo ad hypostasim Verbi ideoque unum erat cum Deo, puta una persona divina, hinc exempta fuit ab obedientia matris, æque ac a legibus Augusti, Herodis, pontificum cæterorumque principum: erat enim jam matre et illis omnibus longe dignior, melior, sapientior, imo Dominus et Deus omnium. Sicut religiosus vel monachus, si creetur Pontifex, eximitur ab obedientia sui Ordinis, imo totius Ordinis fit Superior. Christus tamen, ut nobis daret summæ humilitatis et obedientiæ exemplum, ultro et sponte sua se subdidit matri, imo et Josepho, iisque per omnia quæ domi agenda, verrenda, fabricanda, etc., erant, obedivit.

Discant, inquit S. Augustinus, serm. 63 *De Diversis*, pueri subdi parentibus, quia Christo mundus subditur, et Christus tamen parentibus subditus fuit. Et S. Bernardus, serm. 1 super *Missus est*, exclamat: « Erat subditus eis. Quis? quibus? Deus hominibus, nec tantum Mariæ, sed et Joseph? utrinque stupor, utrinque miraculum; et quod feminæ Deus obtemperat, humilitas sine exemplo; et quod femina principatur Deo, sublimitas sine socio. » Et mox: « Erubesce, superbe cinis: Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo. »

Voluit ergo Christus prima et continua sua vita



**Obedientia præcipua.** per annos triginta suo facto nos docere, perfectionem virtutis et Religionis maxime sitam esse in obedientia. Nam, ut docet Joannes XXII, Pontifex, Extrav. *Quorumdam, De Verb. signif.*, paupertas magnum bonum est; majus integritas (castitas); sed maximum obedientia, quia prima rebus, secunda carni, tertia menti dominatur et animo. Idem docet S. Augustinus, et ex eo S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XL, art. 1, ubi docet austeritatem tantum esse adjumentum perfectionis.

Audi S. Basilium, in *Constit. monast.*, cap. IV: « In prima ætate (Christus) subditus parentibus, omnem laborem corporalem mansuete et obedienter sustinuit. Cum enim homines illi essent justi quidem ac pii, verum pauperes et rebus necessariis non abundantes, etc., merito laboribus corporis assiduis dediti erant, per hos necessarias res sibi ipsis acquirentes. Jesus autem his subditus, velut ait Scriptura, omnino etiam simul perferendo labores obedientiam declarabat. Itaque discamus filii subjecti esse parentibus. » Origenes, hom. 20 *in Luc.*: « Nam quia majorem Joseph videbat ætate, propterea eum parentis honore coluit, omnibus filiis exemplum tribuens, » ut subjiciantur parentibus. « Quid enim magister virtutis, ait S. Ambrosius, nisi officium pietatis impleret? » Et Beda: « Quid inter nos aliud, quam quod a nobis agi vellet, ageret? »

Multa egit, multa dixit Christus per 30 annos, sed hæc omnia hac gnome conclusit Lucas: « Et erat subditus illis. » Præclarum elogium Religiosi est. Tota vita fuit Superioribus suis obediens et subditus.

**Ratio a priori. Prima.** Ratio a priori est, *prima*, quia qui obedit Superiori, obedit Deo; Superior enim est vicarius Dei, juxta illud Christi: « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit, » *Lucæ* X. Unde S. Basilius, in *Constit. monast.*, cap. XXII: « Antistes, ait, nihil aliud est, quam is qui personam Christi sustinet, et sequester est inter Deum et homines, eorum qui in ipsius officio sunt, salutem sacrificans Deo. » Et S. Benedictus, in *Regula*: « Obedientia, ait, quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. » Et S. Bernardus, *De Præcepto et Dispens.*: « Quem, inquit, pro Deo habemus, tanquam Deum, in his quæ aperte non sunt, contra Deum, audire debemus. » Obediens ergo, dum quid præcipit Superior, putet id Deum sibi præcipere, ac tanquam Deo alacriter obediat.

**Secunda.** *Secunda*, quod obedientia nobilissimas hominis potentias, scilicet voluntatem et judicium, Deo in holocaustum offerat et mactet, dum eas abnegat, et Superiori suo, loco Dei resignat. Unde S. Gregorius, lib. XXXV *Moral.*, cap. X, explicans illud, I *Reg.* XV, *Melior est obedientia quam victimæ*, rationem hanc dat: « Quia, inquit, per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur. »

**Tertia.** *Tertia*, quod obedientia omnia opera quæ ex ea fiunt, faciat aurea, et valde meritoria. Quocirca « S. Franciscus, ait Bonaventura in Vita ejus, cap. VI, Generalis cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret. Tam enim uberem asserebat sanctæ obedientiæ fructum, ut eis qui jugo ipsius colla submitterent, nihil temporis sine lucro transiret. Unde et Fratri, cum quo solitus erat ire, semper obedientiam promittere consueverat, et servare. »

*Quarta*, quod obedientia sit mater virtutum omnium. Unde S. Gregorius loco jam citato: « Sola, inquit, virtus est obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit insertasque custodit. »

*Quinta*, quod Deus per Superiores subditum obedientem certo et secure regat, rectaque dirigat ad portum salutis æternæ. Unde Climacus, *Gradu* 4: « Obedientia, inquit, est perfecta abnegatio propriæ animæ et proprii corporis, mors voluntaria, vita sine sollicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis, vita humilitatis, et quasi si quis dormiendo iter faciat. » Idemque addit: « Vivere in obedientia nihil aliud esse, quam suum onus aliorum humeris imponere, natare super aliorum ulnas, et sustentari in aquis, ne mergamur, sed sine periculo hoc grande pelagus hujus vitæ transeamus, et quidem brevissima navigatione. »

Quocirca Christus maluit vitam perdere, quam obedientiam: « Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Sed audi tantæ obedientiæ præmium: « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, » *Philip.* II, 8. An non ergo « vir obediens loquetur victorias? » *Prov.* XXI, 28. Vide ibi dicta.

Nota *secundo*: Veterum sententia est, Christum Josepho subjectum fuisse in exercenda arte fabrili lignaria, ut dixi *Matth.* XIII, in fine. Congruum enim erat, ut fabrilem cum patre putativo exerceret, qui mundi est cum naturali Patre fabricator. Per fabrum conditum est genus humanum; per fabrum decuit et restitui.

Hæc pauca duntaxat recenset Lucas de adolescentia et juventute Christi usque ad annum ejus trigesimum: quo toto tempore vixit privatus et latuit incognitus, quæ sane stupenda fuit Dei Filii humilitas.

Cætera quæ ex libro apocrypho, qui inscribitur: *Infantia Salvatoris*, aliisque similibus, a nonnullis afferuntur, rejicit Ecclesia. Unde de Valentinianis hæreticis ita scribit S. Irenæus, lib. I, cap. XVII: « Assumunt, ait, in hoc et illam falsationem, quasi Dominus, cum puer esset, et disceret litteras, cum dixisset Magister ejus, quemadmodum in consuetudine est, dic A, respondit A. Rursum cum Magister jussisset dicere eum B, respondisse Dominum: Tu prior dic mihi quod est A, tunc ego dicam tibi quid est B. » Similia quædam circumferuntur in cantionibus natalitiis nonnullis, a

quibus, ut ridiculis et plane indignis Christo commentis, abstinendum est; Christus enim, utpote plenus sapientia, scholas non adiit. Unde Judæi de eo dicebant : « Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit eas? » *Joan.* VII, 15.

Rursum miracula pueri Jesu, quæ vulgo a nonnullis narrantur, refutat S. Chrysostomus, hom. 20 *in Joan.* Primum enim ejus miraculum fuit conversio aquæ in vinum in Cana Galilææ, ut ait Joannes, cap. II. Voluit enim usque ad annum 30 latere et fabrilem exercere. Unde S. Justinus, *Dial. contra Tryphonem* : « Faciebat, ait, aratra, juga, » etc., ideoque sæpe ab eis in Evangelio petit similitudines et metaphoras, ut cum ait : « Tollite jugum meum super vos. » Et : « Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. » Idem censent Lyranus, Jansenius, Maldonatus, Dionysius Carthusianus et Abulensis in cap. XIII *Matth., Quæst.* LXXXI, ac Cajetanus et Franciscus Lucas, in cap. VI *Marci*, 3 : esto Christum fabrilem exercuisse neget Paulus Burgensis, in cap. VI *Marci*, ac noster Barradius hic, et Simon de Cassia, lib. IV, cap. II, qui censent Christum usque ad annum 30 instar Religiosi abstractum vixisse, ac orationi et contemplationi æque ac jejunio vacasse. Si objicias Nazarenos vicinos Jesu, ei docenti objecisse : « Nonne hic est faber? » respondent ex S. Augustino, lib. II *De Cons. Evang.*, cap. XLII : « Eo fabrum credebant quo fabri filium, » ut habet Matthæus, cap. XIII, 55. Verum cum Nazareni quotidie viderent Jesum et opera ejus studiose observarent, videntur ab opere fabrili eum vocasse fabrum; alioqui enim si eum otiosum vidissent, ejus otium et inertiam taxassent, quod paupertati parentum laborando non succurreret, nec patrem suum Joseph fabricantem adjuvaret eique laborando collaboraret. Adde : voluit Christus fabricando dare exemplum vitæ mechanicis, ut fabricando et laborando victum sibi parent; hoc enim honestum est, porro : a societate fabrorum qui scurrilia loquebantur, abstinebat Joseph, multo magis Christus. Sic faber tabernaculorum fuit S. Paulus, etiam cum prædicaret, ut patet *Actor.* XVIII, 3.

ET MATER EJUS CONSERVABAT OMNIA VERBA HÆC IN CORDE SUO, — quasi « ruminanda et diligentius scrutanda, » ait Beda, ut successu temporis per omnia quæ acturus et dicturus erat Christus, plenius intelligeret, simul ut eadem deinde S. Lucæ et aliis Apostolis scribenda, vel posteris tradenda revelaret. Unde Titus : « Nam etsi, inquit, quæ ab illo depromebantur, plene non assequebatur, intelligebat nihilominus divina, humanoque sensu esse sublimiora : neque enim audiebat Jesum tanquam duodecim annorum puerum; sed excipiebat et observabat verba illius, tanquam verba viri modis omnibus perfecti; » sive, ut Euthymius ait : « tanquam verba, non simpliciter pueri, sed etiam Filii Dei. »

52. ET JESUS PROFICIEBAT SAPIENTIA, ET ÆTATE, ET GRATIA APUD DEUM ET HOMINES. — « Ætate, » Græce ἡλικία, quod Syrus, Arabicus et alii vertunt, *statura*, sive *proceritate*, et sic vertit Noster, cap. XII, 25. Utrumque verum, utrumque huic loco appositum.

Quæres, an vere Jesus uti ætate et statura, sic et sapientia et gratia profecerit? Omissis Photino, Nestorio et Theodoro, qui docuere Christum esse purum hominem, ideoque in dies, in gratia et meritis apud Deum profecisse, quibus quasi hæreticis anathema dicit S. Gregorius Nazianzenus, epist. 1 *ad Cledonium*; idem affirmare videntur S. Athanasius, serm. 4 *Contra Arianos*; et S. Cyrillus, lib. X *Thesauri*, cap. VII; videntur enim dicere humanitatem Christi a Verbo sensim majorem hausisse sapientiam, sicut hausit B. Virgo cæterique homines. « Humanitas Christi, ait S. Athanasius, in sapientia profecit transcendens paulatim humanam naturam, deificata nimirum, et organum sapientiæ effecta. » Eadem habet S. Cyrillus, S. Athanasium in doctrina æque ac episcopatu Alexandrino secutus : quænam utriusque fuerit mens, mox explicabo.

Verum contrarium docent cæteri Patres. Erat enim Jesus a primo instanti conceptionis suæ plenus sapientia et gratia, ut dictum est vers. 40, hoc enim debebatur illi humanitati ob unionem hypostaticam cum Verbo. Unde S. Gregorius Nazianzenus, orat. 20 *in laudem S. Basilii* : « Sapientia, ait, apud Deum et homines proficiebat, non ut augmentum aliquod acciperet, cum ab initio gratia sapientiaque absolutus esset, sed quod hæc hominibus ignaris paulatim apparerent. » Nam, ut ait Theophylactus, « emicatio sapientiæ ejus, profectus ipse est : » sicut sol, licet eadem semper luce polleat, tamen crescere in ea dicitur, cum eam sensim magis explicat a mane usque ad meridiem. Unde Beda : « Proficiebat Christus, ait, non per accessum temporis accipiendo quod non habebat, sed pandendo donum gratiæ quod habebat. »

Nota igitur in anima Christi triplicem fuisse scientiam, scilicet *primo* : beatificam, qua Deum videbat et omnia in Deo, itaque beabatur; *secundo*, infusam a Deo; *tertio*, experimentalem, vel usu quotidiano acquisitam. Duæ priores Christo inditæ fuere a primo instanti conceptionis suæ ita perfecte, ut eas augere non posset. Idem dico de Christi habituali gratia et gloria. Ita S. Augustinus, lib. III *De Peccat. mor. et rem.*, cap. XXIX; S. Hieronymus, in illud *Jerem.* XXXI : *Femina circumdabit virum*; S. Athanasius, Cyrillus, Nazianzenus, Beda, Damascenus, Euthymius, Bernardus, S. Thomas, quos citat et sequitur Suarez, III *part., Quæst.* VII, art. 12; et passim Scholastici : hoc enim exigebat unio hypostatica.

Dicitur ergo Christus profecisse cum ætate in sapientia et gratia. *Primo*, in opinione hominum, ac in specie et ostensione externa. Loquitur enim



subinde Scriptura secundum id quod exterius cernitur, et secundum id quod vulgo judicant homines : hic autem ex operibus majoribus quæ edebat Christus, judicabant homines eum crescere in sapientia et gratia, uti crescunt cæteri pueri. Ita Origenes et Theophylactus hic, ac Nazianzenus, S. Athanasius et Cyrillus jam citati, et mox plenius citandi.

*Secundo*, proprie crevit Christus sapientia experimentali; ipso enim usu multa expertus majorem acquisivit experientiam. Hinc « didicit ex iis quæ passus est obedientiam, » *Hebr.* V, 8.

*Tertio*, et proprie, esto Christus non creverit sapientia et gratia habituali, crevit tamen actuali et practica : nam robur spiritus et sapientiam cœlestem in anima latentem in dies magis et magis exerebat etiam existens puer, ita ut in vultu, incessu, sermone, factis semper majores ederet actus modestiæ, maturitatis, prudentiæ, castitatis, suavitatis, pietatis aliarumque virtutum. Posset quoque « gratia » hic accipi pro gratiositate, quod scilicet Christus in dies magis gratiosum se faceret Deo et hominibus. Verum hæc major gratiositas includit incrementum gratiæ : nam sine eo nemo fit magis gratus Deo.

Dices : Christus dicitur crevisse gratia sicut crevit ætate, idque coram Deo : ergo vere in seipso crevit gratia, sicut in se crevit ætate. Respondet S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* VII, art. 12, et ex eo Suarez, Christum vere in se crevisse gratia, non quoad habitum, sed quoad actus et effectus ex habitu productos, nimirum faciendo opera excellentiora, per quæ, licet ipse non fieret sanctior, nec plus aliquid mereretur propter infinitam dignitatem personæ suæ, et quia a principio habuit gratiam consummatam, nihilominus illa opera de se erant sufficientia ad augendam gratiam, quatenus novum meritum continebant.

Id ipsum, non aliud velle S. Athanasium loco jam citato, liquet ex eo quod subdit : « Ut per eum suam energiam exerceret, sapientiaque inde eluceret omnibusque innotesceret. » Et paulo ante : « Ita enim augescente magnitudine corporis, una crescebat in eo divinitatis manifestatio, innotescebatque apud omnes ipsum esse templum Dei Deumque in ejus corpore existere. » Nec aliud velle Cyrillum patet ex iis quæ subdit : « Non ergo ipse, sed humana proficiebat natura. Nam dum in dies in ipso deitas manifestaretur, mirabilior et sapientior videbatur. Proficiebat autem in ipsa natura humana, hoc modo : Assumpsit sapientia Dei, hoc est Filius Dei, nostram naturam, paulatimque tum verbis, tum factis, deificationem assumpti hominis revelans, proficere ipsum revelando faciebat, » ut scilicet suam deitatem revelaret, exercendo in dies majores sapientiæ et gratiæ operationes, quas ei suggerebat ipsa ei assistens divinitas, unde ex ipsis illa ab hominibus agnoscebatur, sicut anima latens in corpore agnoscitur per vitales et animales operationes, quas in dies majores per corpus exercet. Et paulo ante : « Cum igitur audis eum profecisse in sapientia et gratia, noli putare quidquam ipsi additum fuisse, qui nullius unquam rei egere potest; sed quia videntibus atque audientibus eum, sapientiorem gratioremque in dies se præbebat, idcirco dicitur profecisse. Ita detegendo seipsum in dies, non ipse, sed qui mirabantur ipsum atque amabant, proficiebant. »

Opponunt Orientales Cyrillo, cum hæc verba ita interpretatum esse, ut de toto Christo, non de Verbo aut humanitate duntaxat dicantur, cum ipsi de sola humanitate intelligant, ut habet Concilium Ephesinum, *Oppos. anathemati* IV *Concil.* Ipse vero Cyrillus in Responsione ait, ita quidem se sentire, ne Christus in duos dividatur : docet autem Filium Dei, etsi sit Patris Sapientia, dici tamen in sapientia proficere, dum humanitatis proprietates per summam unionem in se convenienter suscepit, *q. d.* Filius Dei dicitur profecisse, quia humanitas, quam assumpsit, profecit.

Huc accedit expositio Toleti : Nomine sapientiæ et gratiæ, inquit, non intelligitur ipse habitus gratiæ et sapientiæ, sed opera ipsa et verba sapientia et gratiosa, quæ ab interna sapientia et gratia procedunt. Sic dicitur *Eccles.* X : « Verba oris sapientis, gratia, » id est gratiosa. « Diffusa est gratia in labiis tuis, *Psal.* XLIV, 3. « Propter gratiam labiorum suorum amicum habebit regem, » *Prov.* XXII, 11. « Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, » *Luc.* IV, 22. « Hæc est religio, visitare pupillos, » *Jacob.* I; hoc est, hæc sunt opera religiosa. Porro, posset Deus per absolutam potentiam gratiam Christo datam, utpote finitam, augere, ac facere ut Christus in ea quoad habitum cresceret et proficeret, ut contra Cajetanum et alios docet Vasquez, III *part., Quæst.* VII, art. 12, disp. 47, cap. III. Sed aliter facere Deo placuit, idque magis dignitati Christi Verbo uniti erat consentaneum.

Ex dictis collige quadruplex præter alia discrimen gratiæ Christi, et nostræ. *Primum* : Christus gratiam habuit quasi naturaliter, tum ex vi unionis hypostaticæ, huic enim connaturalis est gratia; tum ex vi conceptionis suæ de Spiritu Sancto : nobis vero omnis gratia indebita est et gratuita, adventitia et supernaturalis. Christi gratia a nostra quadrupliciter. Primum.

*Secundum* : Gratia in nobis, *primo*, delet peccatum originale, et actualia si quæ sint, sicque quasi *secundo*, facit nos Deo gratos : in Christo vero gratia fuit ante, imo sine omni peccato, per se primo sanctificans Christum; nam ex gratia unionis cum Verbo emanavit gratia habitualis, ut radius a sole, statim et naturaliter. Quocirca nos adoptivi sumus et dicimur Dei Filii : Christus vero est naturalis Dei Filius, ut docet S. Hilarius, lib. XI *De Trinit.*; et Cyrillus, lib. III *in Joannem*, cap. XII. Secundum.

*Tertium* : Gratia nostra est privata et propria cujusque, ac suum tantum hominem, in quo est Tertium.

justificat; at Christi gratia est communis: est enim gratia capitis, qui in omnia membra, id est in omnes fideles, se diffundit eisque se communicat, itaque eos sanctificat. Hinc disce quanta fuerit gratia Christi, utpote quæ instar solis et fontis in omnes fideles derivatur: nam « de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia, » *Joan.* I, 16.

*Quartum:* Gratia in nobis (quin et in B. Virgine) per bona opera crescit, in Christo vero non crevit, quia cum ab unione cum Verbo procederet, quæ ab initio conceptionis ejus plena fuit et perfecta, hinc et eodem instanti hæc gratiæ plenitudo quæ augeri non posset, ipsi data est.

Tropologice: Damascenus, lib. III *De fide*, cap. XXII: Christus, inquit, proficit sapientia et gratia, non in se, sed in suis membris, scilicet Christianis. Sic et Cyrillus jam citatus. Ideo enim profecit ipse majores virtutum actus in dies edendo, ut nos idem facere doceret. Tota enim vita nostra continuus vel est profectus, vel defectus. Cum enim non proficit, tunc deficit; ut ergo non deficiat, semper proficiat oportet, uti fuse docet S. Bernardus, *epist.* 253, ubi inter alia ait: « Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit: Satis est; sed semper esurit sititque justitiam, ita ut si semper viveret, semper, quantum in se est, justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipabit famulatui, » etc.

Apud Deum et homines. — « Primum enim oportet Deo placere, et deinde hominibus, » ait Theophylactus et Beda. Si enim Deo placuerimus, faciet ipse ut et hominibus placeamus, ac nos eis gratos efficiet. Non sufficit placere hominibus, quia hoc sæpe fictum et simulatum est; nec soli Deo, quia hoc privatum et secretum est: sed « Deo et hominibus, » ut gratiam, qua Deo placemus, etiam hominibus ostendamus, itaque eos ad eamdem alliciamus. « Deo enim debemus conscientiam, proximis famam, » ait S. Bernardus. Moralia plura vide apud S. Ambrosium, Barradium, Didacum Stellam et Vincentium Regium hic.

# CAPUT TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, describit prædicationem et baptismum Joannis Baptistæ, quo homines disposuit ad gratiam Christi, illamque eis indicavit. Secundo, vers. 21, narrat Christum a Joanne baptizatum, cum Spiritus Sanctus in eum specie columbæ descendit; et vox Patris audita:* Tu es Filius meus dilectus. *Tertio, vers. 23 genealogiam Jesu a Joseph usque ad Adamum pertexit.*

*Primum et secundum majori ex parte explicui* Matthæi III; *superest ergo tertium.*

1. Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræ, et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, 2. sub principibus sacerdotum Anna et Caipha: factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto. 3. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, 4. sicut scriptum est in Libro sermonum Isaiæ prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus; 5. omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas: 6. et videbit omnis caro salutare Dei. 7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? 8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 9. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. 10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? 11. Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat. 12. Venerunt autem et publicani, ut baptizarentur, et dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? 13. At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis. 14. Interrogabant autem eum et milites, dicentes: Quid faciemus et nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; et contenti estote stipendiis vestris. 15. Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus; 16. respondit Joannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos; veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igni; 17. cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 18. Multa quidem et alia exhortans evangelizabat populo. 19. Herodes autem tetrarcha, cum corriperetur ab illo de Herodiade, uxore fratris sui, et de omnibus malis quæ fecit Herodes, 20. adjecit et hoc super omnia, et inclusit Joannem in carcere. 21. Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est cœlum: 22. et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum; et vox de cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. 23. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, 24. qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, 25. qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, 26. qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, 27. qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, 28. qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, 29. qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, 30. qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim, 31. qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, 32. qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, 33. qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, 34. qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, 35. qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, 36. qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, 37. qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, 38. qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.



1. Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræ, et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha,

2. Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha: factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto.

Ab anno duodecimo Christi transit Lucas ad annum ejus trigesimum, quo more Hebræorum cœpit officium doctoris et redemptoris exercere ac publice prædicare.

Imperii Tiberii. — Tiberius hic, ut patet ex Suetonio in ejus Vita, erat filius Liviæ, quæ postquam peperit Tiberium, nupsit Augusto Cæsari, qui proinde mortuis Caio et Lucio, suis ex Julia filia nepotibus, Tiberium quasi privignum in filium adoptavit, ac imperii hæredem et successorem constituit. Regnavit Augustus a nece Julii Cæsaris annos 57, mortuusque est die 19 augusti, cum successit ei Tiberius: quare ultimus Augusti annus non fuit integer, sed dimidiatus, talis consequenter fuit primus Tiberii, scilicet quinque mensium, puta ab augusto mense usque ad januarium, a quo Romani annum inchoare et numerare solebant. Tiberius hic, ex Actis Pilati, audiens mira de sanctitate et miraculis Christi, voluit eum inter deos referre, sed obstitit ei senatus Romanus, eo quod ipso inconsulto id tentasset, ut dixi *Matth.* XXVII, 24 (1).

(1) Duplex ex hoc loco quæstio venit interpretibus enucleanda: prior scilicet, utrum annus ille imperii Tiberii quintodecimus munus a Joanne Baptista cœptum notet; posterior, quodnam exordium imperii Tiberii eodem anno designetur. Hinc difficultas oritur quod, cum Christus, ut diximus, anno U. C. DCCXLVII natus sit, Augusto autem anno DCCLXVII vita functo successerit Tiberius, si omne illud tempus, additis insuper 15 annis, recte computes, obtinebis annum U. C. DCCLXXXI, quem longe ante annum Joannes Baptista munus suum adgressus esse omnino est putandus. Inde duæ enatæ sunt opiniones: priorem secutus Sanclementius, *de Vulgar. æræ emendat.*, p. 516 et seq., asserit a Luca annum quintumdecimum Tiberii commemorante designari tempus quo, non Joannes munus suum prius suscepit, sed aliud quid accidit, v. g. Christi passio et mors; posteriori Patritius adhærens, duo hæc fuse docteque adstruit, scilicet a

justificat; at Christi gratia est communis: est enim gratia capitis, qui in omnia membra, id est in omnes fideles, se diffundit eisque se communicat, itaque eos sanctificat. Hinc disce quanta fuerit gratia Christi, utpote quæ instar solis et fontis in omnes fideles derivatur: nam « de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia, » *Joan.* I, 16.

*Quartum:* Gratia in nobis (quin et in B. Virgine) per bona opera crescit, in Christo vero non crevit, quia cum ab unione cum Verbo procederet, quæ ab initio conceptionis ejus plena fuit et perfecta, hinc et eodem instanti hæc gratiæ plenitudo quæ augeri non posset, ipsi data est.

Tropologice: Damascenus, lib. III *De fide*, cap. XXII: Christus, inquit, proficit sapientia et gratia, non in se, sed in suis membris, scilicet Christianis. Sic et Cyrillus jam citatus. Ideo enim proficit ipse majores virtutum actus in dies edendo, ut nos idem facere doceret. Tota enim vita nostra continuus vel est profectus, vel defectus. Cum enim non proficit, tunc deficit; ut ergo non deficiat, semper proficiat oportet, uti fuse docet S. Bernardus, *epist.* 253, ubi inter alia ait: « Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit: Satis est; sed semper esurit sititque justitiam, ita ut si semper viveret, semper, quantum in se est, justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipabit famulatui, » etc.

APUD DEUM ET HOMINES. — « Primum enim oportet Deo placere, et deinde hominibus, » ait Theophylactus et Beda. Si enim Deo placuerimus, faciet ipse ut et hominibus placeamus, ac nos eis gratos efficiet. Non sufficit placere hominibus, quia hoc sæpe fictum et simulatum est; nec soli Deo, quia hoc privatum et secretum est: sed « Deo et hominibus, » ut gratiam, qua Deo placemus, etiam hominibus ostendamus, itaque eos ad eamdem alliciamus. « Deo enim debemus conscientiam, proximis famam, » ait S. Bernardus. Moralia plura vide apud S. Ambrosium, Barradium, Didacum Stellam et Vincentium Regium hic.

# CAPUT TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, describit prædicationem et baptismum Joannis Baptistæ, quo homines disposuit ad gratiam Christi, illamque eis indicavit. Secundo, vers. 21, narrat Christum a Joanne baptizatum, cum Spiritus Sanctus in eum specie columbæ descendit; et vox Patris audita:* Tu es Filius meus dilectus. *Tertio, vers. 23 genealogiam Jesu a Joseph usque ad Adamum pertexit.*

*Primum et secundum majori ex parte explicui* Matthæi III; *superest ergo tertium.*

1. Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ, et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, 2. sub principibus sacerdotum Anna et Caipha: factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto. 3. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, 4. sicut scriptum est in Libro sermonum Isaiæ prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus; 5. omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas: 6. et videbit omnis caro salutare Dei. 7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? 8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 9. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. 10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? 11. Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat. 12. Venerunt autem et publicani, ut baptizarentur, et dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? 13. At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis. 14. Interrogabant autem eum et milites, dicentes: Quid faciemus et nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; et contenti estote stipendiis vestris. 15. Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus; 16. respondit Joannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos; veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igni; 17. cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 18. Multa quidem et alia exhortans evangelizabat populo. 19. Herodes autem tetrarcha, cum corriperetur ab illo de Herodiade, uxore fratris sui, et de omnibus malis quæ fecit Herodes, 20. adjecit et hoc super omnia, et inclusit Joannem in carcere. 21. Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est cœlum: 22. et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum; et vox de cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. 23. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, 24. qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, 25. qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, 26. qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, 27. qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, 28. qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, 29. qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, 30. qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim, 31. qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, 32. qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, 33. qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, 34. qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, 35. qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, 36. qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, 37. qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, 38. qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.



1. ANNO AUTEM QUINTODECIMO IMPERII TIBERII CÆSARIS, PROCURANTE PONTIO PILATO JUDÆAM, TETRARCHA AUTEM GALILÆÆ HERODE, PHILIPPO AUTEM FRATRE EJUS TETRARCHA ITURÆÆ, ET TRACHONITIDIS REGIONIS, ET LYSANIA ABILINÆ TETRARCHA,

2. SUB PRINCIPIBUS SACERDOTUM ANNA ET CAIPHA: FACTUM EST VERBUM DOMINI SUPER JOANNEM, ZACHARIÆ FILIUM, IN DESERTO.

Ab anno duodecimo Christi transit Lucas ad annum ejus trigesimum, quo more Hebræorum cœpit officium doctoris et redemptoris exercere ac publice prædicare.

IMPERII TIBERII. — Tiberius hic, ut patet ex Suetonio in ejus Vita, erat filius Liviæ, quæ postquam peperit Tiberium, nupsit Augusto Cæsari, qui proinde mortuis Caio et Lucio, suis ex Julia filia nepotibus, Tiberium quasi privignum in filium adoptavit, ac imperii hæredem et successorem constituit. Regnavit Augustus a nece Julii Cæsaris annos 57, mortuusque est die 19 augusti, cum successit ei Tiberius: quare ultimus Augusti annus non fuit integer, sed dimidiatus, talis consequenter fuit primus Tiberii, scilicet quinque mensium, puta ab augusto mense usque ad januarium, a quo Romani annum inchoare et numerare solebant. Tiberius hic, ex Actis Pilati, audiens mira de sanctitate et miraculis Christi, voluit eum inter deos referre, sed obstitit ei senatus Romanus, eo quod ipso inconsulto id tentasset, ut dixi *Matth.* XXVII, 24 (1).

(1) Duplex ex hoc loco quæstio venit interpretibus enucleanda: prior scilicet, utrum annus ille imperii Tiberii quintodecimus munus a Joanne Baptista cœptum notet; posterior, quodnam exordium imperii Tiberii eodem anno designetur. Hinc difficultas oritur quod, cum Christus, ut diximus, anno U. C. DCCXLVII natus sit, Augusto autem anno DCCLXVII vita functo successerit Tiberius, si omne illud tempus, additis insuper 15 annis, recte computes, obtinebis annum U. C. DCCLXXXI, quem longe ante annum Joannes Baptista munus suum adgressus esse omnino est putandus. Inde duæ enatæ sunt opiniones: priorem secutus Sanclementius, *de Vulgar. æræ emendat.*, p. 516 et seq., asserit a Luca annum quintumdecimum Tiberii commemorante designari tempus quo, non Joannes munus suum prius suscepit, sed aliud quid accidit, v. g. Christi passio et mors; posteriori Patritius adhærens, duo hæc fuse docteque adstruit, scilicet a

PROCURANTE PONTIO PILATO JUDÆAM. — Nota : Archelaus Herodis Magni, puta infanticidæ filius, ob suam tyrannidem ab Augusto Cæsare ejectus fuit e sua Tetrarchia, actusque in exilium anno 10 tetrarchiæ suæ, qui fuit, ut nonnulli exacti Chronologi volunt, annus Augusti 52, vitæ Christi 12. Quare Augustus Judæam (id est duas tribus, Judam scilicet et Benjamin), tunc Archelao ademptam, adjecit ad Syriæ provinciam ejusque præsidem, qui tum erat Quirinus, vel, ut Lucas vocat, Cyrinus, qui administrationem Judææ commisit Coponio, ac per eum confiscavit facultates Archelai; qua de causa præsides Judææ vocati sunt procuratores sive administratores, cum revera essent ejus præsides. Unde Pilatus hic a Luca Græce vocatur ἡγεμών, id est *rector, dux, præses, princeps*; et Arabicus vertit, *in dominio Pilati Pontii super Judæam*.

Porro, Coponio primo Judææ procuratori sive præsidi, ab Augusto suffectus fuit secundus, M. Ambivius; deinde tertius, Annius Rufus, sub quo mortuus est Augustus : cui succedens Tiberius quartum Judææ præsidem creavit Valerium Gratum, deinde quintum Pontium Pilatum, anno imperii sui 13. Porro, Pilatus Judææ præfuit 9 annis, ac secundo ejus anno Christus baptizatus est, quinto vero ab eo crucifixus et mortuus (1). Quocirca vindice Deo Pilatus a Tiberio anno imperii ejus 23, sive ultimo, relegatus fuit in exilium. Pilato successit sextus Marcellus, septimus Cumanus, octavus Claudius Felix, nonus Porcius Festus (coram his duobus S. Paulus vinctus causam dixit, *Actor.* XXIII, 24, et cap. XXIV toto), decimus Albinus, undecimus Florus, cujus anno secundo, qui fuit Neronis imperii 12, Judæi cœperunt rebellare Romanis, ac quinto post anno a Tito expugnata est Jerusalem, et tota Judæa subacta. Hæc omnia fuse narrat Josephus lib. XVIII *Antiq.*, cap. I et seq.

TETRARCHA AUTEM GALILÆÆ HERODE. — Arabicus, *in dominio Herodis principis super quartam Galilææ, et Philippi fratris sui principis super quartam Ituræœ*. Tetrarcha enim est qui quartæ (τετρὰ enim in compositione significat *quatuor*, ἀρχὴ est principatus) parti provinciæ, vel regni alicujus præsidet. Unde a Theodoreto vocatur « quadruplaris. »

*Quatuor Tetrarchæ ab Augusto Palæstinæ præfecti.*

Ut historiam hanc ab ovo intelligas, nota : Herodes infanticida moriens quinto die post infanticidium, anno secundo Christi, tres filios superstites reliquit (nam cæteros vivens occidit, et Antipatrum quidem in ipso infanticidio), scilicet Archelaum, Herodem Antipam et Philippum. His de successione in regnum Herodis patris sui inter se contendentibus, Augustus regnum in quatuor partes sive tetrarchias divisit, quibus totidem tetrarchas, sive principes, vel dynastas, præfecit : nimirum Judæam attribuit Archelao, et eo expulso, Coponio; Galilæam Herodi Antipæ; Philippo Ituræam et Trachonitidem; Lysaniæ extero Abilinam. Tetrarchiæ autem hæ erant magnæ et instar regni, ut docet Plinius, lib. V, 18. Unde Herodes Antipas, esto a Matthæo, cap. XIV, 1, vocetur tetrarcha, a Marco tamen, cap. VI, 14, vocatur rex, uti dixi *Matth.* XIV. Sic et Herodes Agrippa uterque, id est pater et filius, qui Herodis Antipæ erant nepotes, utpote ex fratre ejus Aristobulo prognati, regis nomen obtinuere a C. Caligula et Claudio Imperatore, ut patet *Actor.* XII, 1, et cap. XXV, vers. 23.

*Ituræa qua?*

PHILIPPO AUTEM FRATRE EJUS TETRARCHA ITURÆÆ ET TRACHONITIDIS REGIONIS. — Ituræa, ait Adrichomius, in *Descript. Terræ sanctæ*, pag. 110, num. 60, « a *Iethur* sive *Ithur*, filio Ismaelis, sic appellata, montosa ac nemorosa est « regio, ad radices montis Libani in longum porrecta. Nam a fluvio Jordane sumens initium, juxta eumdem Libanum versus Occidentem ad montes usque Sidoniorum et Tyriorum extenditur, aliquoties etiam saltus Libani nuncupatur. »

*Trachonitis qua?*

Trachon, sive Trachonitis regni instar, ait Plinius, lib. V, cap. XVIII, regio est trans Jordanem inter Palæstinam et Cœlesyriam sita, Arabiæ desertæ contermina ab Oriente, Damasco a Septentrione, quam occupavit dimidia tribus Manasse.

Trachonitis autem regio hæc appellatur, quod saxosa et aspera sit, atque subterraneis meatibus ac cavernis abundet; τραχὼν enim Græcis locum saxosum significat, et *trachones* etiam dicuntur occulti sub terra meatus ac specus. Fontibus et rivis hæc regio penitus caret, ideoque pluviales aquas incolæ per *trachones*, hoc est *meatus subterraneos*, in lacunis tam naturalibus quam artificiose factis diligenter colligunt, ac eorum plerique in *trachonibus*, id est *speluncis* et cuniculis commorantur, et ferarum more delitescunt. Rapto libenter vivunt. Ita ex Josepho, Wilhelmo Tyrio et aliis Adrichomius.

ET LYSANIA, ABILINÆ TETRARCHA. — Beda et Adrichomius censent Lysaniam hunc fuisse quartum Herodis infanticidæ filium, ideoque fratrem Archelai, Herodis Antipæ et Philippi, trium cæterorum tetrarcharum. Verum contrarium docet Josephus illis pene coævus, scilicet Lysaniam hunc fuisse filium Lysaniæ senioris, qui senior filius

Luca hic notari muneris a Joanne suscepti exordium, deinde annum imperii Tiberii a Luca commemoratum quintumdecimum esse ex quo Tiberius in Judæam æque ac in cæteras provincias parem cum Augusto adhuc vivente, ipsoque id Patres rogante, potestatem adeptus fuerat, quod evenit anno U. C. DCCLXXVIII. Vide P. Patritium, op. cit., diss. XXXIX; Sepp, op. cit. t. I, p. 119.

(1) Ne quid de re chronologica minus a veteribus elaborata prætermittamus, pauca hic e Patritio desumpta addere liceat : « Pilatus videtur Judææ procurationem cœpisse verno tempore ann. U. C. DCCLXXVIII, ær. vulg. XXV, ita ut jam præesset cum Joannes docere cœpit : Joannes vero id cœperit aliquot mensibus ante Christi baptismum; porro autem Christus ad baptismum venerit ante postremos dies ejusdem anni, anno primo et tricesimo ætatis nondum expleto. » Op. cit. diss. XV, n. 5.



fuit Ptolemæi Minnæi, in Chalcide juxta montem Libanum imperantis, eique vita functo quasi filius successit in regnum, antequam Herodes infanticida, rex Judææ, a Romanis designatus esset. Ita Josephus, lib. XIV *Antiq.*, cap. XXI. Senior hic occisus est ab Antonio, triumviro et collega Augusti Cæsaris et Lepidi, impulsu Cleopatræ, amasiæ Antonii, quæ regno Lysaniæ inhians, illud avito Ægypti regno adjungere satagebat; occisus, inquam, est 30 annis ante Christi nativitatem, teste Josepho, lib. XV *Antiq.*, cap. IV. Hic ergo senior Lysanias filium reliquit hunc sibi cognominem Lysaniam juniorem, qui Antigonum in regnum Judææ restituere conatus est, et ejicere Hyrcanum, cui favebat Herodes infanticida; qua de causa Herodes a senatu Romano, urgente Antonio et Augusto Cæsare, rex Judææ, excluso tam Antigono quam Hyrcano, creatus est, uti narrat Josephus, lib. I *Belli*, cap. XI, qui et lib. XIX *Antiq.*, cap. IV, asserit a Lysania totam ejus regionem dictam fuisse Lysaniam.

ABILINÆ. — Abila, alias Abyla et Abela, egregia Cœlesyriæ urbs est, ad montem Libanum sita, a qua Abilene, sive Abilina regio nomen accepit, quæ ab Oriente adjacet Damasco, ab Occidente Chalcidi, a Septentrione Libano. Huic ergo a Romanis præfectus fuit Lysanias. Ita ex Josepho Adrichomius.

Porro, tam operose Lucas hic principes, tam sæculares quam ecclesiasticos, puta pontifices Annam et Caipham enumerat : *Primo*, ut distincte et solide tempus et annum, quo prædicare cœpit Joannes, indeque Christus, assignet. *Secundo*, ut significet jam defecisse sceptrum a Juda per Herodem alienigenam, ejusque filios tetrarchas, ac Tiberium et Romanos Judææ imperantes, ac proinde venisse jam Messiam sive Christum, cujus prædicationis exordium ipse hoc capite recenset, juxta oraculum Jacobi, *Genes.* XLIX, 10. *Tertio*, ut innuat Israelem inter tot principes partim infideles, partim impios dissectum, eguisse adventu Messiæ, qui eum redintegraret et salvaret. *Quarto*, quia principes hi in gestis Joannis et Christi, quæ deinceps narrabit Lucas, magnam habuere partem : nam Tiberius, ut dixi, voluit Christum inter deos referre; Pilatus eum crucifixit, sed coactus a Judæis, cum prius eum esse innocentem sæpius esset protestatus; Herodes Antipas Philippo fratri suo uxorem Herodiadem eripuit, ideoque reprehensus a Joanne eum occidit, ac Christum veste alba indutum illusit; Annas et Caiphas Christum usque ad crucem persecuti sunt, æque ac Apostolos post Christi mortem.

*Cur duo sacerdotum principes nominati, cum solus unus præesset?*

SUB PRINCIPIBUS SACERDOTUM ANNA ET CAIPHA. — Sæcularibus principibus adjungit ecclesiasticos, scilicet pontifices. Dices : Unus duntaxat erat summus Judæorum pontifex, ut patet ex Josepho et aliis, quomodo ergo hic duo nominantur? Respondet Eusebius, lib. I *Hist.*, cap. X, Joannem Baptistam cœpisse prædicare sub Anna, et continuasse usque ad pontificatum Caiphæ. Alii respondent Annam et Caipham alternis annis vicissim pontificatum gessisse. Verum hæc omnia refellit Josephus, lib. XVIII, cap. I et V, qui multos ponit pontifices medios inter Annam et Caipham, asseritque Caipham creatum pontificem a Valerio Grato, qui Pilatum proxime antecessit, ac perseverasse toto tempore Pilati usque ad finem imperii Tiberii Cæsaris.

Respondeo igitur unum duntaxat fuisse summum Judæorum pontificem, scilicet Caipham, sed principes, id est primores sacerdotum, fuisse plures, ut patet *Matth.* XXVI, 3, et passim in passione Christi nominantur principes sacerdotum, sive pontifices, qui Christum apud Pilatum accusarunt, damnarunt, illuserunt, etc. Inter hos ergo principes summi fuere Caiphas et Annas : Caiphas, quia pontifex; Annas, quia socer Caiphæ, et quia ipse pontifex fuerat, ac apud Judæos summæ erat auctoritatis. Unde et post se quinque filios pontifices habuit, teste Josepho, lib. XX *Antiq.*, cap. VIII. Hac de causa Christus a Judæis in horto captus, primo ductus est ad Annam, deinde ad Caipham, *Matth.* XXVI (1).

FACTUM EST VERBUM (id est jussio, imperium, mandatum) DOMINI SUPER (id est *ad*) JOANNEM, ZACHARIÆ FILIUM. — *q. d.* Jussit Deus anno 15 Tiberii Joanni Baptistæ, ut prædicaret et baptizaret. Jussit, inquam, per inspirationem internam, forte etiam per vocem externam angeli, hoc ei ex parte Dei ore suo denuntiantis (2).

3. ET VENIT IN OMNEM REGIONEM JORDANIS, PRÆDICANS BAPTISMUM POENITENTIÆ (id est, incitantem ad agendam pœnitentiam) IN REMISSIONEM PECCATORUM, — scilicet percipiendam in baptismo Christi; *q. d.* Joannes prædicabat pœnitentiam, ut per eam se disponerent ad veniam et gratiam accipiendam a Christo. Vide dicta *Matth.* III (3).

(1) Nomen ἀρχιερεῖς, quod Vulgata modo *pontifices* modo *summi sacerdotes*, vel *principes sacerdotum* vertit, generatim designat principes familiarum sacerdotalium. Nam nemo nescit Aaronis progeniem, sicut cæteras tribus, dispertitam fuisse in familias, quarum cuique suus erat *princeps*; in aliis tribubus hi familiarum principes iidem videntur esse qui a Josepho et Evangelistis dicuntur *seniores principesve populi* vel *plebis*. Nomine ἀρχιερεῖς forte etiam insigniebantur tum summi Pontifices munere functi, tum summi Pontificis vicarius, seu *Sagan*. Lucas hic loquitur de summo Pontifice ejusque vicario, Caipha videlicet et Anna.

(2) Non desunt interpretes qui, cum utraque in Scripturis reperiatur formula, scil. *Verbum Domini ad*, et *Verbum Domini super*, non eamdem vim et significationem agnoscunt utrique, sed ampliorem plenioremque alteri quam priori; ita ut Joannes hic in peculiari quodam ac sublimiore munere a Deo constitutus fuerit.

(3) Haud leviter inter se SS. Patres discrepare videntur de hac quæstione, an, quos abluebat Joannes, eorum peccata baptismo ipso expiarentur? At verbis tantum, non rebus stat discrepantia : qui enim hominibus eo baptismo tinctis peccatorum veniam datam dixerunt, ad *opus operantis* spectabant; ad *opus* vero *operatum*, qui negarunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4. SICUT SCRIPTUM EST IN LIBRO SERMONUM ISAIÆ PROPHETÆ : VOX CLAMANTIS IN DESERTO : PARATE VIAM DOMINI, RECTAS FACITE SEMITAS EJUS.

5, 6. OMNIS VALLIS IMPLEBITUR, ET OMNIS MONS ET COLLIS HUMILIABITUR; ET ERUNT PRAVA IN DIRECTA, ET ASPERA IN VIAS PLANAS : ET VIDEBIT OMNIS CARO SALUTARE DEI. — Hæc omnia explicui *Isaiæ* XL, 2. Porro S. Gregorius, homil. 20 *in Evang.*; S. Augustinus, S. Chrysostomus, Beda et alii hæc sic exponunt, *q. d.* Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur, ut ait Christus. Verum hic sensus huic loco non est genuinus, tum quia valles hic non vocantur humiles, sed potius pusillanimes; tum quia est concio Joannis non prædicentis futura, sed adhortantis ad mutationem vitæ et morum, *q. d.* Parate, o Judæi, viam Christo, quasi Messiæ vestro jam ad vos venturo : quare « omnis vallis implebitur, » id est, impleatur; « et omnis mons et collis humiliabitur, » id est humilietur; « et erunt, » id est fiant, vel sint « prava, » id est, viæ obliquæ et anfractuosæ, « in directa, et aspera in vias planas, » hoc est, complanate vias omnes Christo quasi regi jam venturo, uti fieri solet regibus inaugurandis, ut viæ asperæ fiant planæ et æquales, *q. d.* Tollite e mentibus vestris omne quod pravum, distortum, inæquale, altum nimis vel depressum est, v. g. qui superbiæ montem in corde gerit, tumorem hunc deprimat; qui vallem pusillanimitatis et acediæ in se continet, eam impleat, elevet et adæquet per magnanimitatem et fiduciam in Deum; qui asperis est moribus, ad suavitatem et modestiam se componat.

ET VIDEBIT (id est, ita fiet ut) OMNIS CARO (id est omnis homo videat, id est videre possit, oculis tum corporis, tum potius mentis) SALUTARE DEI, — id est salvatorem Christum; videat, inquam, id est in se sentiat et experiatur salutem et vim gratiæ a Christo allatæ.

Audi S. Gregorium, hom. 20 *in Evang.* : « Omnis vallis implebitur; Quia, inquit, donum humiles accipiunt, quod a se corda superbientium repellunt. Prava, directa fiunt, cum malorum corda per injustitiam detorta, ad justitiæ regulam diriguntur; et aspera in vias planas immutantur, cum immites atque iracundæ mentes, per infusionem supernæ gratiæ ad lenitatem mansuetudinis redeunt. »

Cætera a vers. 7 usque ad vers. 10 audivimus, *Matth.* III, 7, ubi ea explicui.

10. ET INTERROGABANT EUM TURBÆ : QUID ERGO FACIEMUS? — ut dignos pœnitentiæ fructus faciamus, itaque excidium a te comminatum evadamus, et salutem æternam consequamur, ne scilicet excidamur et in ignem æternum mittamur, ait Interlinearis. Joannes arguerat Pharisæos et turbas, sed Pharisæi « spreverunt consilium Dei, » cap. VII, 30, ideoque concionem Joannis; turba vero et plebs, ejus vi permota et compuncta, quærit modum pœnitentiæ ad capessenda Joannis jussa, ac promptam paratamque se ei offert. Ita et hodie plebeii facilius capessunt monita concionatorum, quam potentes, ideoque præ illis salvantur.

Vers. 11. 11. RESPONDENS AUTEM DICEBAT ILLIS : QUI HABET DUAS TUNICAS, DET NON HABENTI, ET QUI HABET ESCAS, SIMILITER FACIAT. — Est synecdoche : nam ex una specie magis communi et necessaria, uti est vestire et cibare pauperem, intelligit omne genus eleemosynæ. « Duas, » ita scilicet ut una sufficiat ad corpus vestiendum et calefaciendum, ideoque altera sit superflua, hic illam « det non habenti, » id est nullam habenti, sed nudo et indigenti : nam si utraque sit necessaria habenti, ipse non tenetur alteram erogare pauperi. Ita S. Hieronymus, *Quæst.* [illegible] *ad Hedibiam*, et S. Ambrosius hic, quem audi : « Misericordiæ, inquit, pro possibilitate conditionis humanæ mensura servatur, ut non sibi unusquisque totum eripiat, sed quæ habet cum paupere partiatur. » Additque : « Faciat ergo fructum qui potest, gratiæ; qui debet, pœnitentiæ. Misericordiæ communis est usus, ideo commune præceptum; misericordia plenitudo virtutum est. » Et S. Gregorius : « Idcirco de dividendis tunicis datur præceptum, quia si una dividitur, nemo vestitur; » si vero duæ dividantur, duo vestiuntur. Et S. Basilius : « Docemur, ait, ex omni quod affluit, debere nos erogare ei qui non habet. » Hic ergo est unus e dignis pœnitentiæ fructibus, nimirum actus misericordiæ et eleemosynæ, juxta consilium Danielis, IV, 24, ad Nabuchodonosor : « Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. » Vide ibi dicta. Adde : eleemosyna recte componit vitam ad omnem virtutem. Nam omnis virtus aut est debita, aut indebita et gratuita : debita, est justitia; indebita, misericordia; quare misericordia et pro se et pro justitia satisfacit, tum quia qui dat sua, non rapiet, sed restituet aliena; tum quia qui dat indebita et gratuita, multo magis solvet debita, ad quæ ex justitia aliave virtute obligatur; tum quia misericordia fit ex amore et charitate : charitas autem est plenitudo legis. Nam « qui diligit, legem implevit, » *Rom.* XIII. Quocirca apte Euthymius : « Turbis, inquit, ut mutua benevolentia se complectantur, mutuis operibus se mutuo sublevent, injungit. » Turbæ enim facile capiunt actus misericordiæ et in eos propendunt, cum ad orationem, jejunia operaque pœnitentiæ sint difficiles, et subinde inhabiles.

12. VENERUNT AUTEM ET PUBLICANI UT BAPTIZARENTUR, ET DIXERUNT AD ILLUM : MAGISTER, QUID FACIEMUS? — ut animas nostras salvemus. Hic impletur illud Christi : « Publicani et meretrices præcedunt vos (o Scribæ) in regno Dei, » *Matth.* XXI, 31. Peccatores enim magno spiritu a Joanne correpti compungebantur, culpam agnoscebant et quærebant pœnitentiam; Scribæ vero superbi putantes se esse justos et sapientes, eam aspernabantur.



Vers. 13. 13. AT ILLE DIXIT AD EOS : NIHIL AMPLIUS QUAM QUOD CONSTITUTUM EST VOBIS, FACIATIS, — in exactione vectigalium; Græce enim est πράσσετε, quod et *faciatis* et *exigatis* verti potest, sed hic clarius, *exigatis*, uti interpretantur Syrus et Græci. Ita Jansenius, Maldonatus, Franciscus Lucas et alii. Solent enim publicani ex avaritia augere vectigal, plusque exigere quam a principe constitutum sit, quod est furtum vel rapina : quare illud hic taxat Joannes. « Moderate præcipit, ait S. Augustinus, serm. 3 *De Diversis*, ut et iniquitas locum non habeat, et constitutum habeat vectigal effectum. » « Ita singulis generationibus hominum conveniens Baptista tribuit responsum, ait S. Ambrosius. » Idem faciat concionator, ut in particulari uxoribus, maritis, filiis, ancillis, servis, mercatoribus, agricolis, advocatis, etc., præscribat quid facere debeant, ac propria cuique vitæ præcepta tradat.

Vers. 14. 14. INTERROGABANT AUTEM EUM ET MILITES, DICENTES : QUID FACIEMUS ET NOS? ET AIT ILLIS : NEMINEM CONCUTIATIS, NEQUE CALUMNIAM FACIATIS, ET CONTENTI ESTOTE STIPENDIIS VESTRIS.

MILITES. — Militantes partim sub Herode Antipa contra Aretam, regem Arabum, partim sub præfecto templi, partim sub Pilato, præside Romano; hi audientes Joannem detonantem in vitia eisque gehennam minitantem, conscii sibi rapinarum aliorumque scelerum, quæ milites committere solent, voce Joannis compuncti, æque ac publicani, ab eo poscunt remedium pœnitentiæ, vitæ honestæ et salutis : quibus tria
Tria militum vitia. assignat Joannes tribus militum vitiis opposita, quorum primum est, violentia; secundum, calumnia; tertium, rapina. Violentiam excludit Joannes dicens : « Neminem concutiatis, » id est nemini vim inferatis. Calumniam excludit dicens : « Neque calumniam faciatis, » Græce μηδὲ συκοφαντήσητε, id est ne sitis sycophantæ, ut noxiis impingatis crimen aliquod, accusando eos quod sint fautores hostium, inimici, insidiatores, ut eos expolietis, vel eorum bona invadatis. Vetat ergo « ne ab eis calumniando prædam requirant, quibus militando prodesse debuerant, » ait Beda. Rapinam excludit dicens : « Contenti estote stipendiis vestris. » Simili modo Aurelianus Imperator æqui amantissimus, ait Vopiscus in ejus Vita, scribens ad vicarium suum : « Si vis, inquit, tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat. Uvam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lacrymis provincialium habeat; arma tersa sint, ferramenta samiata, calceamenta fortia. Vestis nova vestem veterem excludat; stipendium in balteo, non in popina habeat; torquem brachialem et annulum apponat; equum saginarium suum defricet, captum animal non vendat, mulum centuriatum comiter curet. Alter alteri quasi servus obsequatur; a medicis gratis curentur. Aruspicibus nihil dent; in hospitiis caste se agant; qui litem fecerit, vapulet. »

Tacite ergo insinuat Joannes, positis hisce tribus conditionibus, licere militare, et bellum esse licitum, uti docet S. Ambrosius, *serm.* 7, et S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXXIV.

Extat insignis libellus Ferrandi, Diaconi Carthaginensis, qui floruit anno Christi 500, ac S. Fulgentio, Ruspensi Episcopo, fuit amicus et familiaris, ad Reginum comitem, in quo militi, imo duci militum, qualis erat Reginus, hæc septem innocentiæ dat præcepta :

« *Prima*, inquit, innocentiæ regula est, quam tenere inter actus debeas militares, ut nihil viribus tuis superbus adsignes, sed omnia quæ sapienter aut fortiter aut feliciter geris, ad laudem referas potentissimi Creatoris. *Secunda* regula est innocentiæ, militaribus actibus occupato, ut quasi in speculo, sic in illo milites videant quid agere debeant, et magis eos imitatio ad bonum provocet, quam potestas. Dux enim sapiens illuc debet ire, quo cupit ducere subditos : ideo enim dicitur dux, quia ducit. Tu ergo esto signifer disciplinæ sanctissimæ, tu erige trophæum virtutis intuendum jugiter cæteris, tu imitandus appare, » præsertim in hisce tribus, quæ hic Baptista sancit, et Ferrandus ibidem fuse explicat et exaggerat. *Tertia* innocentiæ regula est, si præsis, ut prosis : prodesse autem videberis, si tempus et locum tuæ administrationis intelligas, » quæ deinde ipse particulatim declarat. « *Quarta* regula est, ut diligas rempublicam sicut teipsum charitate libera, » uti dilexit Moses, orans pro populo deleri de libro vitæ, *Exod.* XXXII, et David in peste dicens angelo percutienti : « Convertatur manus tua in me, et in domum patris mei. Isti qui oves sunt, quid fecerunt? » II *Reg.* XXIV. « *Quinta* regula est : Deficiat temporibus administrationis tuæ peccantium synagoga, crescat electorum numerus. Gaude ad lucra Christi; dole in dispendiis. *Sexta* regula est : Quidquid dixeris, gesseris, [illegible], ut Deo et hominibus placeas, et fervore charitatis mirabiliter iniquitatis frigus excludas. Noli esse multum justus, neque sapiens plusquam necesse est. » Explicat idipsum : « Esto justus ut corripias inquietos; noli esse multum justus, ut consoleris pusillanimes, ut suscipias infirmos, et patiens sis ad omnes. Considera ergo quibus imperes, et quam dura corda flectere cupias, ut modo minando, modo feriendo, modo veniam largiendo, nullatenus quidem remanere impunita militum peccata dimittas; neque tamen semper excessibus eorum supplicia condigna retribuas, dicens tibi ipsi : Noli esse multum justus. *Septima* regula est : Pietas ad omnia utilis est, gubernationi reipublicæ, securitati, saluti, concordiæ plus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
FLAMMAM VERITATIS ®

prospicitur, quando dux optimus amari elegit, non timeri. Dux amabilis, murus est patriæ. » Et inferius : « Plus esto bonus quam severus; quia hæc est ducis optimi sola perfecta laus, oblivisci semper injurias. »

15. EXISTIMANTE AUTEM POPULO (Græce προσδοκῶντος, id est suspicante, existimante, exspectante, ut vertit Vatablus, sperante, seu spe, desiderio et exspectatione suspenso populo) ET COGITANTIBUS OMNIBUS IN CORDIBUS SUIS DE JOANNE, NE FORTE IPSE ESSET CHRISTUS, — scilicet Messias patribus promissus, et tam avide certoque hoc tempore, quo sceptrum a Juda erat translatum, et 70 hebdomades Danielis Christi prænuntiæ erant impletæ, a Judæis omnibus exspectatus. Unde populo hanc de Joanne famam spargente, tandem ipsi primores Judæorum ad eum legatos miserunt, qui rogarent an ipse esset Christus? *Joan.* I, 19. Adeo sanctus erat Joannes. Ita S. Ambrosius, Beda et alii.

16. RESPONDIT JOANNES, DICENS OMNIBUS : EGO QUIDEM AQUA BAPTIZO VOS, VENIET AUTEM FORTIOR ME, — scilicet Messias. Cætera quæ subdit hic Lucas, explicui *Matth.* III, 11.

Moraliter Origenes : Monentur hic, ait, concionatores, ne patiantur se a populo nimis laudari, vel honorari, sed laudes et honores hos supprimant, et ad Christum referant ne ob superbiam iis a Christo priventur.

23. ET IPSE JESUS ERAT INCIPIENS QUASI ANNORUM TRIGINTA. — Τὸ « incipiens » non referas ad τὸ « annorum triginta, » sic enim redundaret vox « quasi, » sed ad prædicationem publicam Jesu, ad quam missus erat a Patre, *q. d.* Jesus cum in baptismo per columbam et vocem Patris declaratus est Messias, orbis doctor, legislator et salvator, ideoque hoc suum munus et officium exercere, ac publice legem Evangelicam docere et prædicare inciperet, « erat quasi annorum triginta. » Patet ex Græco, qui habet : *Et Jesus erat quasi annorum triginta incipiens*, id est cum inciperet officio fungi et prædicare. Ita Jansenius, Baronius et alii.

*Quo anno Christus cœpit prædicare?* Nota : τὸ « quasi, » id est circiter; non enim definit an Jesus præcise fuerit annorum 30. Nam si Jesum natum dicamus anno Augusti 42, Jesus hoc anno sui baptismi, qui fuit Tiberii Imperatoris decimus quintus, explebat annum ætatis 29, et inchoabat trigesimum. Sin dicamus eum natum anno 41 Augusti, explebat annum trigesimum : sin vero dicamus eum natum anno 40 Augusti, explebat annum 31 et inchoabat 32 per 13 dies. Nam Augustus regnavit 57 annos, sed ultimus ejus annus fuit dimidius duntaxat, quia mortuus est in augusto, tumque successit ei Tiberius : quare primus pariter Tiberii annus non fuit integer, sed dimidius, scilicet a mense augusto usque ad januarium, quo novus annus more Romano, ideoque secundus Tiberii annus numerari incipiebat. Christus vero natus est anno 40 Augusti finiente, puta die 25 decembris. Adde sedecim reliquos Augusti annos, et quindecim Tiberii, habebis annos vitæ Christi 31, ideoque Lucas addit τὸ « quasi, » id est circiter, plus minus. Vide dicta cap. II, vers. 1.

ANNORUM TRIGINTA. — *q. d.* Joannes, et paulo post Christus, cœpit prædicare non præpropere, sed justa ætate. Tradunt enim Hebræi, ante annum trigesimum nemini fuisse licitum publice docere; tum enim virilis et stata est ætas, ac judicium plane maturum et perfectum est, idque satis colligitur ex I *Paralip.* XXIII, 3.

UT PUTABATUR, FILIUS JOSEPH, QUI FUIT (*filius*, ait Arabicus hic et in sequent. omnibus) HELI, QUI FUIT MATHAT (1). — Ex hoc loco Porphyrius et Julianus Apostata Lucam falsitatis arguebant, eo quod Joseph non fuerit filius Heli, sed Jacob, ut ait Matthæus, cap. I; quodque Lucas cæteros Joseph et Heli progenitores plane alios nominet ab iis quos nominat Matthæus. Adde, quod hæc faciunt ad genealogiam Jesu, qui non fuit filius Joseph, sed natus est ex Maria Virgine.

*Conciliatio genealogiæ Christi. Primo.* *Primo*, respondet S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. XIII, Joseph fuisse filium naturalem Jacob, sed adoptivum Heli. Sed id retractat lib. I *Retract.*, cap. VII et merito. Nam hic naturales quæruntur filii, non adoptivi : alioqui enim Jesus Davidis et Abrahæ non esset naturalis filius, sed tantum adoptatus.

*Secundo.* *Secundo*, S. Hilarius, in *Matth.* I, et S. Ambrosius hic respondent, Matthæum enarrare Christi generationem regiam, sive ex regibus; Lucam

(1) Doctissimam de Christi genealogiis dissertationem legere est apud Patritium, op. cit. t. II, p. 82; cujus saltem conclusiones hic exscribendas existimavimus.

I. Ab utroque Evangelista Josephi pater cæterique ex ordine majores recensentur, ut demonstrat tum ipse orationis contextus, tum græca syntaxis; ex duobus autem Josephi patribus alter naturalis est, alter pater ejus haberi nequit nisi lege de vidua et leviro; hic demum legalis pater est Heli, ille naturalis Jacobus.

II. Maria Josephi agnata fuit, eoque agnationis gradu huic propinqua, ut omnes fere Josephi majores Mariæ quoque majores atque adeo Christi ipsius fuerint. Inde apparet veram Christi prosapiam in duobus genealogiis integram ferme contineri : ergo, licet Evangelistæ illas ad Josephum potius quam ad Mariam perduxerint, eas tamen Christi genealogias vere dici, Christique genus ex iisdem nos discere posse.

III. Cur tandem Lucas genealogiam descripserit aliam illa quam descripserat Matthæus, hæ rationes possunt afferri : Fieri potuit ut patres legales notiores vulgo essent quam naturales, eoque magis quia hos, non illos, lex pro patribus agnoscebat. In familia autem Josephi, *cum esset justus*, credere est notiorem fuisse prosapiam legalem, eaque de causa hanc potius, quam naturalem, a Luca transcriptam esse. Matthæus vero, qui Hebræis scribebat, eam prosapiam exhibere maluit quæ demonstrandæ origini, quam Christus habuit a Davide cæterisque regibus, foret opportunior. Neque veri minus simile est Lucam, cui Matthæi Evangelium notum erat, consulto genealogiam aliam ea quam legimus in Matthæo, edidisse, ut alia etiam ratio ac via pateret demonstrandi Christum genus a Davide duxisse.



vero sacerdotalem, sive ex sacerdotibus; sed hoc æque obscurum est, difficile et insufficiens.

*Tertio. Quomodo Joseph potuerit esse filius Jacob et Heli.* *Tertio*, alii respondent Joseph fuisse filium naturalem Jacob, sed legalem Heli : nam ex lege veteri, *Deuter.* XXV, 5, fratri sine liberis mortuo (uti videtur fuisse Heli) frater superstes (uti hic videtur fuisse Jacob) debebat suscitare semen, id est filios, quorum frater mortuus illiberis censebatur esse pater legalis. Nimirum Jesca, ait Euthymius, nupsit Mathat, ex eoque genuit Heli; deinde eadem nupsit Mathan, ex eoque genuit Jacob. Porro, Heli mortuus est sine filiis : quare uxorem ejus juxta legem accepit frater ejus Jacob, ex eaque genuit Joseph, qui proinde fuit filius naturalis Jacob, sed legalis Heli : sic ergo Heli hic vocatur pater legalis Joseph. Ita veteres passim, ut Justinus, Julius Africanus, S. Hieronymus, Eusebius, Nazianzenus, S. Augustinus, lib. II *Retract.*, cap. VII; S. Ambrosius, S. Thomas, Anselmus, Beda, Damascenus, Salmeron, quos fuse citat hic Maldonatus et Suarez, III *part.*, *Quæst.* XXVII, art. 1. Sed hi coguntur asserere quod Heli et Jacob fuerint fratres uterini duntaxat, quia scilicet habuere eamdem matrem, nam patres habuere diversos : pater enim Heli fuit Mathat, ut ait Lucas; pater vero Jacob fuit Mathan, ut ait Matthæus; ac reliqui omnes horum duorum avi et abavi, plane alii et diversi sunt apud Lucam ab iis quos assignat Matthæus. Lex autem jubens fratri defuncto sine liberis suscitari semen, loquitur de fratribus non uterinis, sed germanis ex eodem patre prognatis. Hi enim soli retinebant nomen et hæreditatem patris. Adde Jescam hic impertinenter induci. Esto enim in ea velut matre coeant uterini fratres Jacob et Heli, tamen coire nequeunt in Mathat et Mathan, cæterisque eorum antecessoribus usque ad Davidem. Nihil ergo illi hic faciunt ad propositum, scilicet ad genealogiam B. Mariæ et Christi, ita ut ex illis ostendatur Jesus ex semine Davidis secundum carnem esse prognatus. Si enim Jesus natus est ex Jesca et Mathat, idem non potuit gigni ex Jesca et Mathan : quomodo ergo Jesus ponitur filius tam Mathan quam Mathat?

*Quarto*, alii respondent Lucam, quia Gentibus scribit, genus proprium Jesu texere per virginem matrem, cujus maritus erat Joseph : Joseph ergo, inquiunt, dicitur filius, id est gener Heli; Heli enim idem est cum Joachim, qui fuit pater B. Virginis; Matthæum vero, quia scribit Judæis, eorum more texere genus Christi per Joseph, qui fuit pater putativus Christi.

Verum nec hoc satisfacit : nam sic genealogia quam texit Matthæus, vere non pertinebit ad Christum, cum ipse vere non fuerit filius Joseph, sed solius Virginis; ac consequenter Christus vere non descendit per Salomonem (quod licet concedat vir doctus, tamen contrarium innuit Scriptura, II *Reg.* VII, 12; et *Psalm.* LXXXVIII, 37), ut habet Matthæus, sed per Nathan, uti habet Lucas.

*Quinto genuina. Mathan communis avus Josephi et B. Virginis.* Dico ergo : Valde verisimile est, quod tempore Christi notissimum erat Mathan fuisse communem avum Josephi et B. Virginis; Jacob vero, qui fuit pater Josephi, ac Heli sive Joachim (qui fuit pater B. Virginis) fuisse fratres germanos, ut vult Franciscus Lucas, aut potius Jacob fuisse fratrem S. Annæ, quæ fuit uxor Heli, sive Joachim, ex quibus genita est B. Virgo : quare dum unius genealogia describitur, alterius quoque describitur. Nam B. Virgo per matrem Annam naturaliter descendebat ex Jacob, Mathan et Salomone; per patrem vero Heli sive Joachim, descendebat ex Mathat et Nathan. Matthæus ergo texit genealogiam B. Virginis, ejusque filii Christi per matrem, scilicet S. Annam, quæ fuit soror Jacob et filia Mathan, nupsitque Heli sive Joachim, ex eoque genuit B. Mariam; Lucas vero texit per patrem, puta per Heli, id est Joachim, ut ostendatur Christum tum per patrem, quam per matrem descendere ex semine Davidis.

Hæc sententia probatur *primo*, ex cæterarum refutatione.

*Secundo*, quia non est alius modus aptior conciliandi genealogias Matthæi et Lucæ, nisi hic; quare ad eum nos cogit Matthæus et Lucas : nam alioqui alterutra genealogia, scilicet vel Matthæi, vel Lucæ, nil pertinebit ad B. Virginem et Christum, sed tantum ad Joseph, qui vere non fuit pater Christi. Cum ergo utraque genealogia hæc afferatur a Luca et Matthæo, ut per utramque ostendatur Christum vere et naturaliter ex semine Davidis esse prognatum, uti asserit Scriptura, necessario dicendum est ex utraque non legaliter, sed naturaliter secundum carnem prognatam esse B. Virginem et Christum.

*Tertio*, quia Lucam texere genealogiam Christi per avum ejus Heli, sive Joachim, maritum S. Annæ et patrem B. Virginis, communis est Doctorum sententia, S. Augustini, Dionysii Carthusiani, Cajetani, Jansenii, Palacii, Gagnæi, Galatini, Driedonis, Canisii, Melchioris Cano, Dominici Soto, quos citat et sequitur Suarez, III *part.*, *Quæst.* XXVII, art. 1, disp. 3, sect. 2. Ergo necessario dicendum est genealogiam Matthæi texi per S. Annam, eamque fuisse filiam Mathan : alioqui omnes ejus avi et abavi, quos recenset Matthæus, ad Joseph tantum pertinebunt, non vero ad B. Virginem et Christum.

*Quarto*, huic sententiæ favet, quod, *Numer* XXXVI, 7, feminæ quæ, deficiente prole mascula, parentum suorum sunt hæredes, jubentur nubere non solum in eadem tribu, sed etiam in eadem cognatione et familia proxima, ne scilicet hæreditas illa ad remotos abeat, sed ad proximos, qui vicinissimum ad eam jus habent, transeat. Ergo Maria (quæ unica erat Joachimi et Annæ filia, ideoque eorum hæres) et Joseph fuerunt ejusdem familiæ, scilicet filii, id est nepotes, Mathan avi sui. Cum ergo Matthæus genealogiam Christi texuisset per aviam Annam usque ad Salomonem et Davidem,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lucas eamdem texere voluit per Nathan et Davidem, ut ostenderet duplici titulo Jesum fuisse Davidis filium, et duplici jure in regnum Davidis successisse. Nathan enim a Salomone proximus regno fuerat. Communis enim Patrum et Doctorum, ut S. Ambrosii, lib. III *in Lucam*; S. Hieronymi et Theodoreti, in cap. XXII *Jerem.*; S. Bernardi in illud, *Signum magnum*; Suarez et aliorum, sententia est, B. Virginem et Christum ex regibus, scilicet Salomone et Davide, genus traxisse. Ergo B. Virgo per matrem Annam descendit a Nathan et Salomone, ut habet Matthæus. Nam Lucas non nominat Salomonem, sed pro eo ponit Nathan. Imo idipsum innuit Scriptura, *Psalm.* CXXXI : « De fructu ventris tui (o David) ponam super sedem tuam, » id est Christum filium tuum, o David, tibi in regno tuo substituam. Et *Lucæ* I : « Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui; » domus enim David est stirps regia Davidis.

Igitur Matthæus texit genealogiam Christi per Joseph patrem, Lucas per B. Mariam matrem; utraque coit in Davide, sed ab eo dividitur per duos ejus filios Salomonem et Nathan, in duos ordines utrimque descendentium continue usque ad Joseph et Mariam. Per Salomonem deducit Matthæus, per Nathan Lucas. Heli ergo dicitur pater Joseph; pater, id est socer : Heli enim per apocopen idem est qui Eliachim, sive Joachim, maritus B. Annæ et pater B. Virginis, cujus maritus erat Joseph, ideoque gener Joachim et Annæ. Sic Joachim, rex Juda, vocatur Eliachim, IV *Reg.* XXIII, 34, et II *Paral.* XXXVI, 4; ac Eliachim pontifex vocatur Joachim, *Judith.* IV, . Sicut enim *Jehova* vel Jo in *Joachim* est nomen Dei, sic et *El* est nomen Dei in nomine *Eliachim* : ita Rabbini et Hilarius.

Porro, [illegible] genealogiæ Christi series, quas Lucas texit per Nathan, et Matthæus per Salomonem, coeunt in S. Anna, quæ fuit filia Mathan et soror Jacob, patris Josephi. Anna enim nupsit Heli sive Joachim, qui descendit ex Nathan. Anna autem fuit mater B. Virginis, quæ nupsit Josepho, qui fuit filius Jacob, Mathan, Eleazar, etc., usque ad Salomonem.

Accipe tabulam in qua genealogiæ totius Christi et cognatorum ejus seriem gradumque ad oculum perspicies, ex Patribus et neotericis, ac præsertim ex Christophoro a Castro, cap. I *De Deipara*, probabiliter, sed accurate concinnatam

## TABULA GENEALOGIÆ CHRISTI EX SS. MATTHÆO ET LUCA

DAVID

EX QUO GENITI

*Genealogia Christi ex S. Matthæo.*
Salomon
Roboam
Abia
Josaphat
Joram, *etc.*
Eliud
Eleazar
Mathan
*ex quo geniti*

Nathan
Mathatha
Menna
Melca
Eliakim, *etc.*
Levi
Mathat
*Genealogia Christi ex S. Luca.*

Sobe, *quæ genuit* Elisabetham *uxorem Zachariæ, et matrem* Joannis Baptistæ.

Jacob, *ex quo geniti*

Anna, *quæ nupsit* Heli, *id est* Joachimo, *ex quibus genita*

Cleophas vel Alphæus, *cujus uxor* Maria, *ex quibus geniti*

Joseph, *cujus uxor* Maria *mater* Jesu Christi.

| Salome | Maria | Jacobus Minor | Joses | Judas | Simeon |
|---|---|---|---|---|---|
| Salome *uxor Zebedæi, ex quibus geniti* Jacobus Major, Joannes Evangelista. | Maria *Matth.* XXVIII, *vers.* 1. | Jacobus Minor, *Apostolus, frater Domini, dictus* Alphæi, *primus Episcopus Hierosolymæ*, *Actor.* I, 13; *Marc.* XV, 40; *Galat.* I. | Joses seu Joseph *Matth.* XXVII, *vers.* 56; *Marc.* XV, *vers.* 40. | Judas *Apostolus, cognomento* Thaddæus et Lebbæus, *frater Jacobi Minoris, auctor Epistolæ Canonicæ*, *Actor.* I, 13; *Luc.* VI, 16; *Matth.* X, 3. | Simeon, *sive* Simon, *Marc.* VI, 3, *qui successit Jacobo fratri suo in Episcopatu Hierosolymæ, martyrque occubuit anno 10 Trajani, cum annum ageret* 120. |



Ex hac tabula liquet B. Virginem per matrem S. Annam descendere per Mathan ex Salomone, usque ac descendit Joseph; per patrem vero Heli, sive Joachim, descendere ex Nathan, qui fuit frater Salomonis et filius David. Rursum ex ea liquet S. Annam fuisse sororem Jacob et amitam Joseph, ideoque S. Mariam per matrem Annam, et Josephum per patrem Jacob, eumdem habere avum Mathan, eosdem cæteros proavos usque ad Salomonem et Davidem : quare Matthæum, dum texit genealogiam Josephi per Jacob et Mathan, texere quoque genealogiam Mariæ et Christi, qui per matrem et aviam Annam recta descendit ex Mathan et cæteris usque ad Nathan.

Porro, Mathan quasi patri filios jam dictos assignat Menæum, id est Officium Ecclesiasticum Græcorum, die 8 septembris, ubi ipsi hymnis et laudibus B. Virginis natales, parentes et avos celebrant. Cajetanus et Lyranus hic, item Joannes Annius, in *Commentar. Philonis*; Joannes Lucidus; Petrus Galatinus, *De Arcanis fidei*, et alii; quin et S. Hippolytus, episcopus Portuensis et martyr, apud Nicephorum, lib. II, cap. III, Mathan dat duas filias, scilicet Sobe, matrem S. Elisabethæ, ex qua natus est Joannes Baptista, et Annam, matrem B. Virginis, ex qua natus est Jesus. Cleopham fratrem fuisse S. Joseph, sponsi B. Virginis, diserte docet Hegesippus, qui sub tempore Apostolorum vixit, apud Eusebium, lib. III, cap. X et XVI; Cleophæ vero quasi patri filios jam recensitos attribuunt S. Epiphanius, S. Chrysostomus, Hegesippus, Eusebius, Theodoretus, Beda, Nicephorus et alii quos citat noster Christophorus a Castro in *Histor. B. Virginis*, cap. I. Quare, licet Baronius putet aliam esse Mariam Cleophæ, quæ S. Simeonis Hierosolymorum Episcopi fuit mater, a Maria Jacobi et Joseph, scilicet matre; tamen unam eamdemque fuisse docent auctores jam citati, et S. Hieronymus, *Contra Helvidium*, Isidorus, Beda et Anselmus, quos citat Christophorus a Castro, cap. III, p. 126. Salomen autem fuisse uxorem Zebedæi, ex eoque genuisse Jacobum et Joannem, docent S. Epiphanius, Origenes, Theodoretus, Auctor *Imperfecti*, Theophylactus, Euthymius et alii, quos citat a Castro, *De Deipara*, cap. I. Imo S. Marcus, cap. XV, 40, Salomen vocat illam, quam S. Matthæus, cap. XXVII, 56, nuncupat « matrem filiorum Zebedæi. »

8. Elisabetha consobrina B. Virginis, neptis S. Annæ. Ex dictis liquet S. Elisabetham fuisse consobrinam B. Virginis, ac neptem S. Annæ, ex ejus sorore dicta Sobe, quam Sigebertus et alii vocant Esmeriam; rursum S. Jacobum Minorem et S. Judam Apostolos, ac S. Simeonem, Episcopum Hierosolymitanum, fuisse consobrinos Christi in primo gradu, quia fuerunt filii Cleophæ, fratris Josephi sponsi B. Virginis, quæ fuit mater Christi; Jacobum vero Majorem et Joannem Evangelistam fuisse consobrinos Christi in secundo gradu, quia Salome eorum mater fuit soror S. Jacobi Minoris, S. Judæ et S. Simeonis. Omnium vero amita fuit S. Anna, mater B. Virginis; S. Anna enim fuit soror Jacobi senioris, filii Mathan; hic autem Jacob fuit pater Joseph et Cleophæ, Cleophas autem genuit S. Jacobum, S. Judam, S. Simeonem et Salomen, cujus Salomes filii fuere S. Jacobus Major, et S. Joannes Evangelista; ac proinde S. Anna horum duorum fuit proamita. Jacobus ergo Minor fuit avunculus Jacobi Majoris, illoque senior; hic tamen dictus est Major, non ætate, sed electione et vocatione Christi.

Denique Simeon, frater SS. Jacobi et Judæ, diversus est a Simeone Chananæo Apostolo, licet contrarium aliquando senserit Beda, sed postea idipsum retractavit. Nam ille oriundus fuit ex Nazareth, hic ex Cana Galilææ; ille fuit Episcopus Jerusalem post S. Jacobum fratrem suum, hic Apostolus; ille martyr obiit sub Trajano die 18 februarii, hic longe anterius die 28 octobris, quando Ecclesia eorum festa celebrat.

Jam sorores Jacobi, Joseph, Judæ, Simeonis, ex eodem Cleopha patre et Maria ejus conjuge, quarum meminit Matthæus, XIII, 55, et Marcus, VI, 3, duas fuisse refert Hippolytus apud Nicephorum, lib. II, cap. III. Uni nomen Esther, alteri Tamar. S. Epiphanius vero, *hæresi* 78, et Theophylactus, in cap. XIII *Matth.*, vocant eas Mariam et Salomen, quæ nomina ex Evangelio non obscure colligi possunt, ait a Castro, cap. I *De Deipara*, pag. 49.

Qui fuit Heli. — Τὸ « qui » potest referri ad Joseph, *q. d.* Joseph fuit filius, id est gener Heli, id est Joachim, quia duxit ejus filiam, scilicet B. Mariam Virginem in uxorem, ideoque Lucas non utitur verbo « genuit, » uti Matthæus, sed verbo « fuit; » scilicet vel gener vel filius naturalis, vel etiam opus et plasma, ut cum dicitur de Adam, vers. ult., « qui fuit Dei, » scilicet plasma : Adam enim non fuit Filius Dei, sed plasmatus et formatus a Deo.

Rursum pronomen « qui » ex Græco plane referas ad « Jesus; » *q. d.* Jesus fuit filius, id est nepos, Heli sive Joachim, quia ex eo quasi avo per B. Virginem quasi matrem progenitus est. Cum enim Lucas præmisisset Joseph non esse verum patrem Christi, sed tantum putativum, non erat ratio cur Josephi genealogiam statim subjungeret, sed potius prosapiam B. Virginis et Christi secundum carnem : hanc enim describere intendit Lucas æque ac Matthæus; atque hic est finis et scopus genealogiæ utriusque. Ita S. Augustinus (vel quisquis est Auctor, non enim videtur esse S. Augustini), lib. I *Quæst. veteris et novi Testamenti*, *Quæst.* LVI, et lib. II, *Quæst.* VI.

24. Qui fuit Janne. — Hic est Janneus; secundus Hyrcanus, si Annio ejusque Philoni credimus, postremus Judæorum dux ex prosapia Davidis et stirpe Asamonæorum sive Machabæorum, de quo Josephus, lib. XII, cap. IV et V, et Eusebius in *Chronico*. Christus enim tam a Pontificibus, quales fuere Judas, Jonathas, Simon Machabæi,

quam a regibus descendit, quasi rex et pontifex, uti docet D. Thomas, Bonaventura, ac ex Patribus S. Nazianzenus et Augustinus, quos citat et sequitur Suarez loco citato. Reges enim Juda uxores ducebant filias Pontificum.

27. QUI FUIT ZOROBABEL, QUI FUIT SALATHIEL. — Hi duo, alii et diversi sunt a Zorobabel et Salathiel quos recenset Matthæus, cap. I, atque eos a Davide per Salomonem esse progenitos, cum hi Lucæ a Davide per Nathan descendant, ac proinde omnes avos et abavos habeant diversos ab illis Matthæi. Ita Toletus, Pererius, Franciscus Lucas et alii. Forte hi Lucæ ex Nathan descendentes, ad principatum assumpti, mutuati sunt nomina eorum, qui a Salomonis familia in principatu illustres evaserunt.

31. QUI FUIT NATHAN, QUI FUIT DAVID. — Nonnulli putant Nathan hunc esse prophetam illum qui Davidem de adulterio cum Bethsabee perpetrato reprehendit, II *Reg.* XII, 1. Ita Origenes, Lyranus, Burgensis, Albertus Magnus, quin et S. Augustinus, lib. LXXXVIII, *Quæst.* LXI. Verum idem S. Augustinus merito id retractat, libro I *Retract.*, cap. XXVI, quia hic Nathan natus est ex Davide et Bethsabee, post adulterium, jam legitimo matrimonio copulatis, ut patet II *Regum* V, 14; et I *Paral.* III, 5.

36. QUI FUIT CAINAN. — Hunc Cainan omittunt et expungunt Hebr. et Chaldæus, *Genes.* XI, 12; et I *Paral.* I, 18 et 24. Addunt vero eumdem ibidem Septuaginta, et ex iis Lucas hic. Problema ergo chronologicum est, an Cainan hic Christi genealogiæ et chronologiæ inserendus sit cum Septuaginta et Luca, an vero omittendus cum Mose? In Genesi cum Mose steti pro Mose, et rationes attuli cur omittendus videatur Cainan. Nunc in Luca stabo pro Luca, et rationes cur inserendus sit, afferam. Lector judicet et eligat quod sibi probabilius apparet.

Omittendum esse Cainan censent Berosus, Philo, Josephus, Theophilus Antiochenus, Africanus, Orosius, Procopius, S. Hieronymus, Gregorius Turonensis, Isidorus, Ado, Beda, Abulensis, Eugubinus, Genebrardus, in *Chronol. Genes.* XI, 12, ac Jansenius et Cajetanus hic. Si eis objicias Lucam hic non omittere, sed inserere Cainan, respondent Lucam fecisse id, quia Gentibus scribebat, quibus nota erat duntaxat versio Græca Septuaginta, non vero ipsa Hebræa Mosis, ex Septuaginta inserere Cainan, atque ne a Gentibus falsitatis vel ignorantiæ insimularetur, quod contra fidem Bibliorum Græcorum, quæ sola ipsi notant, omitteret Cainan. Ita respondet S. Hieronymus, in *Quæst. in Genesin*, dans causam cur Lucas, *Act.* VII, dicat ex Septuaginta 75 animas cum Jacob ingressas in Ægyptum, cum Moses (*Genes.* XLVI, 27) tantum assignet 70. « Facilis, inquit Hieronymus, excusatio est; non enim debuit S. Lucas, qui ipsius historiæ scriptor est, in Gentes *Actuum Apostolorum* volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam, quæ jam fuerat Gentibus divulgata : et utique majoris opinionis illo duntaxat tempore septuaginta Interpretum habebatur auctoritas, quam Lucæ, qui ignotus et vilis, et non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter observandum, quod ubicumque sancti Apostoli aut Apostolici viri loquuntur ad populos, iis plerumque testimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in Gentibus divulgata, licet plerique tradant Lucam Evangelistam, ut proselytum, Hebræas litteras ignorasse. » Huc usque S. Hieronymus.

Quocirca, inquiunt auctores isti, in Luca nihil est falsi, nullum mendacium, cum ex Septuaginta interserit Cainan, sive verum, sive fictum et falsum, quia id facit non ex se, sed ex Septuaginta quos more communi sequitur; *q. d.* Ego Lucas recito vobis, o Gentes, genealogiam Christi juxta catalogum generationum, quam texunt Septuaginta qui a vobis toto orbe receptus est, in quo Cainan inseritur, esto juxta Hebraicam veritatem sit omittendus. Hæc enim sententia est vera et irreprehensibilis, etiamsi a Septuaginta erratum vel evariatum esset. Qui enim in chronologia, aliave re affert communem auctorum gravium sententiam, non errat, cum illa probabilis sit, esto a parte rei minus sit vera et falsa. Sic Ecclesia consignans in Martyrologio, die 25 decembris, annum Nativitatis Christi, dicensque Christum natum esse anno a mundi creatione 5199, non errat, quia id facit ex mente Septuaginta qui totidem annos assignant, quos olim totus orbis sequebatur; esto in annis hisce revera juxta veritatem Hebraicam videatur esse error, uti ex S. Augustino ostendi *Genes.* V. Auctoritas enim Septuaginta Interpretum in chronologia facit sententiam probabilem, quam quisque tuto sequi et citare potest ut probabilem, imo illo ævo communem. Loquendum enim ut multi, sapiendum ut pauci. Sæpe enim Scriptura et auctores Canonici loquuntur ex communi aliorum sensu et vulgi opinione, non ex rei veritate. Ne longe abeamus, exemplum est in Luca, qui hic et cap. II Joseph vocat patrem Christi, cum revera non esset pater, sed tantum a vulgo putaretur esse ejus pater. Hæc auctores illi, puta Eugubinus, Cajetanus, Genebrardus, Jansenius, liberius et audacius. Chronologia LXX Interpretum probabilis.

Alii mitius et reverentius errorem hunc (si tamen est error) in inserendo Cainan tribuunt non ipsis Septuaginta, sed eorum descriptoribus, qui per oculorum lapsum, videntes Cainan paulo ante positum in genealogia Adæ ante diluvium, eumdem hic post diluvium repetierunt. Quam enim eorum incuria vitiosi fuerint olim codices Septuaginta, præsertim in genealogiis et nominibus propriis, locuples testis est S. Hieronymus, epist. *ad Domnionem et Rogatianum*.

Ex adversa parte inserendum esse Cainan censent Eusebius, S. Augustinus, Nazianzenus, Sulpitius, Hugo, Dionysius, Lipomanus, Melchior Qui inserendum Cainan censuerint.



Canus, Delrio, Toletus, Barradius et alii moderni passim. Ratio est, quod omnia exemplaria eum hic interserant, Latina, Syra, Persica, Ægyptia, Æthiopica, Arabica, Græca (unico excepto). Romæ consului codices, manuscriptos antiquissimos in bibliotheca Vaticana, in basilica S. Pauli, in Oratorio Cardinalis Baronii, ubi vidi Biblia ante 800 annos manuscripta, Alcuini et Magni, in quibus omnibus hoc loco reperi insertum Cainan. Quare religio mihi est, a sacro S. Lucæ textu adeo constanti et certo recedere : hanc enim reverentiam S. Lucæ et sacris libris debere me existimo, præsertim cum minus incommodi sit dicere Cainan a Mose præteritum ob causas nobis incognitas, quam in Lucam irrepsisse, aut falso poni in sacro S. Lucæ textu, itaque in eo suspectam facere fidem omnium exemplarium. Imo Albertus Magnus, Glossa et Toletus suspicantur Cainan olim fuisse, *Gen.* XI, 12, in textu Hebræo indeque Septuaginta eum in Græcum transtulisse. Alii censent Septuaginta eum addidisse ad mysterium, quod nos latet. Lyranus censet Cainan fuisse filium non naturalem, sed adoptivum Arphaxat. Alii Cainan censent esse eumdem cum Sale. Unde Lipomanus, in *Gen.* XI, Joannes Naucleros et Joannes Lucidus legunt hic : « Qui fuit Sale, qui et Cainan, » sed contra omnium codicum fidem. Quare omnino retinendum hic censeo Cainan, uti et censui *Genes.* XI, 12. An chronologiæ sit intexendus atque addendi anni 30, ut cæteris, an non, variant Chronologorum sententiæ, aliis annos hos 30 addentibus, aliis eos omittentibus. Forte enim alia de causa inseruere eum Septuaginta et ex eis S. Lucas. Est enim hoc, ut dixi, problema chronologiæ. Unde Lucas non ait : « qui genuit, » sed : « qui fuit Cainan, » quod varie explicari potest. ac multo magis Græcum, τοῦ Καϊνάν.

Simili modo Septuaginta alibi multa supplent et addunt, quæ non sunt in Hebræo, et ab eo sæpe evariant. Fuere enim ipsi non tantum interpretes, sed et vates spiritu prophetico pollentes, teste S. Hieronymo et S. Augustino, lib. II *De Consensu Evangel.*, cap. LXVI, et fusius in *Quæstion. super Genes.*, in Quæst. CLXIX.

38. QUI FUIT DEI, — scilicet plasma, non filius, *q. d.* Deus ex terra, quasi figulus formavit et plasmavit primum hominem Adam. Unde Arabicus vertit, *qui fuit a Deo*; cum in cæteris τὸ « qui fuit, » vertat *filius*. Lucas ergo Christi genealogiam usque ad Adam deducit, Matthæus vero usque ad Abraham duntaxat, qui fuit pater credentium et auctor Synagogæ; hinc plures generationes sunt in Luca, quam in Matthæo. Cur hoc addit Lucas? *Primam* causam dant nonnulli, ut integram plenamque Christi genealogiam a Jesu ad primum Adam, ac usque ad Deum Adæ plastem pertexat.

Qui fuit Dei. Prima.

Secunda. *Secundam* dat S. Athanasius, orat. in illud : *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo.* « Lucas, inquit, a Filio Dei exorsus usque ad Adam recurrit, ut ostenderet corpus, quod Jesus assumpsit, ab Adam originem trahere, qui a Deo formatus fuit. »

*Tertiam* dat S. Irenæus, lib. III, cap. XXXIII : Tertia. « Sic, inquit, Christus initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est; propter hoc et Lucas initium generationis a Domino inchoans, in Adam retulit, significans quoniam non illi hunc, sed hic illos in Evangelium vitæ regeneravit. »

*Quartam* dat S. Leo, serm. X *De Nativ. Domini* : Quarta. « Lucas Evangelista ab ipso Domini ortu seriem generis sursum versus retexuit, ut etiam illa sæcula quæ diluvium prævenerunt, huic sacramento doceret esse connexa, omnesque ab initio successionum gradus ad eum, in quo uno erat salus omnium, tetendisse. »

*Quintam* dat Franciscus Lucas, ut significaret Quinta. Lucas per Jesum sursum homines reduci ad Deum, qui per Adam deorsum abducti fuerant a Deo.

Symbolice, Euthymius : Lucas, ait, a Christi Symbol. inchoans humanitate sermonem reducit ad ejus divinitatem, demonstrans Christum quidem ut hominem incepisse, ut Deum vero carere principio.

Aliam causam dat S. Ambrosius : « Jam, inquit, de ipso Adam, qui juxta Apostolum figuram accepit Christi, quid pulchrius potuit convenire, quam ut sacrosancta generatio a Dei Filio inciperet, et usque ad Dei Filium deduceretur; creatusque præcederet in figura, ut natus in veritate sequeretur; ad imaginem Dei factus præiret, propter quem Dei imago descenderet? »

Porro S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. IV, numerat hic 77 generationes, quo significatur, inquit, omnium prorsus remissio et abolitio peccatorum facienda per Jesum salvatorem, juxta illud Christi : « Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies, » *Matth.* XVIII, 22.

Denique vide hic nobile Christi stemma, quod Lucas et Matthæus ab ipso Jesu per tot Reges, Prophetas et Patriarchas ad ipsum Adam protoplastum, imo ad ipsum Deum, per quatuor annorum millia, continua generationum serie producunt. Nemo enim est principum vel regum totius mundi, qui continua serie suam prosapiam ad mille annos pertexere et producere possit. Cur Christus tamdiu distulerit adventum et incarnationem suam, decem morales rationes affert noster Barradius, tom. I, lib. V, cap. XXXI.

Ad extremum genealogia hæc Christi præfigurata fuit per scalam Jacob. Ita Rupertus, in cap. I S. *Matth.* : « Scala Jacob, inquit, generatio ista est; et latera scalæ patres vel principes sunt hujus generationis, Abraham atque David, ad quos promissio facta est. Supremus gradus cui Dominus innixus est, beatus est Joseph : innixus,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

inquam, tanquam tutori pupillus. » Quocirca S. Bernardus, serm. 1 *De Adventu*, hos Patriarchas montibus similes esse dicit, in quibus saliens Christus ad nos venit : « Ecce venit saliens in montibus, transiliens colles ; » montes et colles Patriarchas et Prophetas accipe, et quemadmodum veniret saliens et transiliens, in libro generationis lege : « Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, » etc. Ex his montibus prodiit radix Jesse.

Vanitas generationum. Tropologice : τὸ « qui fuit » significat vanitatem hujus sæculi, scilicet hominum vitam et generationes singulas præterire, et illico ex præsenti verti in præteritum, scilicet ex « est » in « fuit, » juxta illud :

> Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens
> Gloria Teucrorum.

Unde impii queruntur, *Sap.* v : « Nos nati continuo desivimus esse. » Hinc Nazianzenus, in carm. *De hominis externi vilitate*, sic canit :

> Ipsum quod vivo, est veluti rapidissimus amnis,
> Qui sursum exoriens, semper ad ima fluit.

Et nonnullis interjectis : « A tumulo tumulum peto, » id est, ex utero matris nascens, tendo ad mortem et sepulcrum, juxta illud *Job*, I : « Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc ; » « ut omnino nihil sit aliud tempus vitæ hujus quam cursus ad mortem, ait S. Augustinus, lib. XIII *De Civit.*, cap. X; quotidie morimur : quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, et tunc quoque cum crescimus, vita decrescit : hunc quem agimus diem, cum morte dividimus, etc. Ergo cum primum vitam intramus, in mortem statim tendere et a vita egredi incipimus. » Vive ergo æternitati, in qua est perpetuum esse, perpetua stabilitas et constantia rerum omnium.

# CAPUT QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Describitur primo quadragenarium Jesu jejunium, et post illud tentatio trina diaboli. Secundo, vers.* 16, *Jesus in Nazareth ex Isaia demonstrat se esse Messiam. Cumque, vers.* 24, *ostenderet quod nullus Propheta acceptus est in patria sua, Nazareni voluerunt eum lapidare, sed ipse per eos transiens vi divina evasit. Tertio, vers.* 31, *prædicat Capharnai ibique curat dæmoniacum. Quarto, vers* 38, *curat socrum Petri a febribus aliosque infirmos sanat.*

*Primam partem explicui* Matth. IV, 1 *et seqq.; tertiam,* Marci I, 23; *quartam,* Matth. VIII, 14. *Sola ergo secunda superest hic explicanda.*

1. Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane; et agebatur a Spiritu in
desertum 2. diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus
illis; et consummatis illis esuriit. 3. Dixit autem illi diabolus : Si filius Dei es, dic lapidi
huic ut panis fiat. 4. Et respondit ad illum Jesus : Scriptum est : Quia non in solo pane
vivit homo, sed in omni verbo Dei. 5. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, et
ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, 6. et ait illi : Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum : quia mihi tradita sunt; et cui volo, do illa.
7. Tu ergo, si adoraveris coram me, erunt tua omnia. 8. Et respondens Jesus, dixit illi :
Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. 9. Et duxit illum in Jerusalem, et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi : Si Filius Dei es, mitte te hinc
deorsum. 10. Scriptum est enim quod Angelis suis mandavit de te, ut conservent te;
11. et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 12. Et respondens Jesus, ait illi : Dictum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. 13. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus. 14. Et regressus est Jesus
in virtute Spiritus in Galilæam, et fama exiit per universam regionem de illo. 15. Et ipse
docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus. 16. Et venit Nazareth, ubi
erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et
surrexit legere. 17. Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit
locum ubi scriptum erat : 18. Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evan-



gelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, 19. prædicare captivis remissionem,
et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum,
et diem retributionis. 20. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium
in synagoga oculi erant intendentes in eum. 21. Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodie
impleta est hæc scriptura in auribus vestris. 22. Et omnes testimonium illi dabant; et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant : Nonne hic est filius
Joseph? 23. Et ait illis : Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum :
quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. 24. Ait autem : Amen
dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. 25. In veritate dico vobis, multæ
viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra; 26. et ad nullam illarum missus est
Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. 27. Et multi leprosi erant in Israel
sub Elisæo propheta; et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. 28. Et repleti sunt
omnes in synagoga ira, hæc audientes. 29. Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem; et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat
ædificata, ut præcipitarent eum. 30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.
31. Et descendit in Capharnaum, civitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis. 32. Et
stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius. 33. Et in synagoga erat
homo habens dæmonium immundum, et exclamavit voce magna, 34. dicens : Sine, quid
nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. 35. Et
increpavit illum Jesus, dicens : Obmutesce, et exi ab eo. Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit. 36. Et factus est pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem, dicentes : Quod est hoc verbum, quia in potestate
et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt? 37. Et divulgabatur fama de illo in
omnem locum regionis. 38. Surgens autem Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus : et rogaverunt illum pro ea. 39. Et
stans super illam, imperavit febri; et dimisit illam. Et continuo surgens, ministrabat
illis. 40. Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus,
ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. 41. Exibant autem
dæmonia a multis, clamantia et dicentia : Quia tu es Filius Dei : et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. 42. Facta autem die egressus ibat in
desertum locum, et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum : et detinebant
illum ne discederet ab eis. 43. Quibus ille ait : Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei; quia ideo missus sum. 44. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

1. JESUS AUTEM PLENUS SPIRITU SANCTO REGRESSUS EST A JORDANE, — ubi paulo ante a Joanne baptizatus erat, et Spiritum Sanctum visibiliter receperat, cujus plenitudinem jam ante adeptus erat invisibiliter in primo instanti conceptionis suæ.

2. ET TENTABATUR A DIABOLO. — Græce, πειραζόμενος, id est tentationem patiens vel sustinens a diabolo; scilicet per 40 dies sui jejunii, de quo præcessit. Vide dicta *Matth.* IV, 5.

5. IN MOMENTO TEMPORIS. — Cur? Audi S. Ambrosium : « Non tam conspectus celeritas indicatur, quam caduca fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt. Et sæpe honor sæculi abiit, antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula? »

14. ET REGRESSUS EST JESUS IN VIRTUTE SPIRITUS IN GALILÆAM. — Græce ἐν δυνάμει, id est in potentia, robore, vi Spiritus, *q. d.* Jesus a baptismo potenti impulsu Spiritus Sancti reversus est in Galilæam. Spiritus Sanctus enim eum excitabat, valideque impellebat ut robur spiritus, quod ab initio conceptionis acceperat, sed huc usque intra se concluserat et absconderat, jam exereret, ac suum prædicandi officium ingenti ardore et spiritu ordiretur in Galilæa, illudque sanctitate vitæ admirabili ac miraculis stupendis confirmaret. Unde Theophylactus vertit, ἐνθουσιῶν, id est enthusiasmo et divino Spiritus Sancti afflatu actus et impulsus.

16. ET VENIT NAZARETH. — Nota Christum, cum hic, vers. 14, dicitur ivisse in Galilæam, non

inquam, tanquam tutori pupillus. » Quocirca S. Bernardus, serm. 1 *De Adventu*, hos Patriarchas montibus similes esse dicit, in quibus saliens Christus ad nos venit : « Ecce venit saliens in montibus, transiliens colles ; » montes et colles Patriarchas et Prophetas accipe, et quemadmodum veniret saliens et transiliens, in libro generationis vide : «Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, » etc. Ex his montibus prodiit radix Jesse.

Vanitas generationum. Tropologice : τὸ « qui fuit » significat vanitatem hujus sæculi, scilicet hominum vitam et generationes singulas præterire, et illico ex præsenti verti in præteritum, scilicet «ex « est » in « fuit, » juxta illud :

> Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens
> Gloria Teucrorum.

Unde impii queruntur, *Sap.* v : « Nos nati continuo desivimus esse.» Hinc Nazianzenus, in carm. *De hominis externi vilitate*, sic canit :

> Ipsum quod vivo, est veluti rapidissimus amnis,
> Qui sursum exoriens, semper ad ima fluit.

Et nonnullis interjectis : « a tumulo tumulum peto, » id est, ex utero matris nascens, tendo ad mortem et sepulcrum, juxta illud *Job*, I : « Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc ; » « ut omnino nihil sit aliud tempus vitæ hujus quam cursus ad mortem, ait S. Augustinus, lib. XIII *De Civit.*, cap. x; quotidie morimur : quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, et tunc quoque cum crescimus, vita decrescit : hunc quem agimus diem, cum morte dividimus, etc. Ergo cum primum vitam intramus, in mortem statim tendere et a vita egredi incipimus. » Vive ergo æternitati, in qua est perpetuum esse, perpetua stabilitas et constantia rerum omnium.

# CAPUT QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Describitur primo quadragenarium Jesu jejunium, et post illud tentatio trina diaboli. Secundo, vers. 16, Jesus in Nazareth ex Isaia demonstrat se esse Messiam. Cumque, vers. 24, ostenderet quod nullus Propheta acceptus est in patria sua, Nazareni voluerunt eum lapidare, sed ipse per eos transiens vi divina evasit. Tertio, vers. 31, prædicat Capharnai ibique curat dæmoniacum. Quarto, vers 38, curat socrum Petri a febribus aliosque infirmos sanat.*

*Primam partem explicui* Matth. IV, 1 *et seqq.*; *tertiam*, Marci I, 23; *quartam*, Matth. VIII, 14. *Sola ergo secunda superest hic explicanda.*

1. Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane; et agebatur a Spiritu in desertum 2. diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis; et consummatis illis esuriit. 3. Dixit autem illi diabolus : Si filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. 4. Et respondit ad illum Jesus : Scriptum est : Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. 5. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, 6. et ait illi : Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum : quia mihi tradita sunt; et cui volo, do illa. 7. Tu ergo, si adoraveris coram me, erunt tua omnia. 8. Et respondens Jesus, dixit illi : Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. 9. Et duxit illum in Jerusalem, et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi : Si Filius Dei es, mitte te hinc deorsum. 10. Scriptum est enim quod Angelis suis mandavit de te, ut conservent te; 11. et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 12. Et respondens Jesus, ait illi : Dictum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. 13. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus. 14. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam, et fama exiit per universam regionem de illo. 15. Et ipse docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus. 16. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere. 17. Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat : 18. Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, 19. prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. 20. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. 21. Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. 22. Et omnes testimonium illi dabant; et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant : Nonne hic est filius Joseph ? 23. Et ait illis : Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. 24. Ait autem : Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. 25. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra; 26. et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. 27. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo propheta; et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. 28. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. 29. Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem; et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. 30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat. 31. Et descendit in Capharnaum, civitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis. 32. Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius. 33. Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, et exclamavit voce magna, 34. dicens : Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. 35. Et increpavit illum Jesus, dicens : Obmutesce, et exi ab eo. Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit. 36. Et factus est pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem, dicentes : Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt? 37. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. 38. Surgens autem Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus : et rogaverunt illum pro ea. 39. Et stans super illam, imperavit febri; et dimisit illam. Et continuo surgens, ministrabat illis. 40. Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. 41. Exibant autem dæmonia a multis, clamantia et dicentia : Quia tu es Filius Dei : et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. 42. Facta autem die egressus ibat in desertum locum, et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum : et detinebant illum ne discederet ab eis. 43. Quibus ille ait : Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei; quia ideo missus sum. 44. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.



1. Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane, — ubi paulo ante a Joanne baptizatus erat, et Spiritum Sanctum visibiliter receperat, cujus plenitudinem jam ante adeptus erat invisibiliter in primo instanti conceptionis suæ.

2. Et tentabatur a diabolo. — Græce, πειραζόμενος, id est tentationem patiens vel sustinens a diabolo; scilicet per 40 dies sui jejunii, de quo præcessit. Vide dicta *Matth.* IV, 5.

5. In momento temporis. — Cur? Audi S. Ambrosium : « Non tam conspectus celeritas indicatur, quam caduca fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt. Et sæpe honor sæculi abiit, antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula ?

14. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam. — Græce ἐν δυνάμει, id est in potentia, robore, vi Spiritus, *q. d.* Jesus a baptismo potenti impulsu Spiritus Sancti reversus est in Galilæam. Spiritus Sanctus enim eum excitabat, valideque impellebat ut robur spiritus, quod ab initio conceptionis acceperat, sed huc usque intra se concluserat et absconderat, jam exereret, ac suum prædicandi officium ingenti ardore et spiritu ordiretur in Galilæa, illudque sanctitate vitæ admirabili ac miraculis stupendis confirmaret. Unde Theophylactus vertit, ἐνθουσιῶν, id est enthusiasmo et divino Spiritus Sancti afflatu actus et impulsus.

16. Et venit Nazareth. — Nota Christum, cum hic, vers. 14, dicitur ivisse in Galilæam, non

intrasse Nazareth ibidem sitam, ut habet Matthæus, cap. IV, 13, sed Capharnaum, ibique et locis illi vicinis prædicasse, eaque gessisse quæ narrat Matthæus a cap. IV usque ad cap. XIII: quæ omnia hic transilit Lucas; ac deinde multo post venisse Nazareth, ut habet hic Lucas, et Matthæus cap. XIII. 54; nimirum voluit Lucas statim initio præmittere causam cur Christus in Nazareth patria sua noluerit docere, quod scilicet a Nazarenis civibus suis, quasi fabri filius spretus fuerit: quæ causa licet posterius contigerit, Christus tamen eam fore prævidebat, ideoque ab initio declinavit Nazareth, et ivit Capharnaum, ibidemque sedem prædicationis suæ fixit, ut habet Matthæus, IV, 13.

In sabbati S. Scripturam in synagoga legebant Hebræi. ET SURREXIT LEGERE. — Moris erat (et etiamnum est) apud Judæos, ut die sabbati in synagoga quisque legeret libros Hebraicos sanctæ Scripturæ, tum ut ex ea legem Dei disceret, tum ut per eam ad Dei cultum, amorem et obsequium excitaretur. Rabbinis autem et doctoribus, qualis erat Jesus, proprium erat legere publice sanctam Scripturam, eamque interpretari, explicare, docere et concionari. Jesus ergo « surrexit legere, » id est erexit se ut legeret aliquem sanctæ Scripturæ librum, eumque explicans doceret et concionaretur.

Vers. 17. 17. ET TRADITUS EST (a ministro) ILLI LIBER ISAIÆ PROPHETÆ. — Dei consilio et directione, id factum est, ut Jesus ex Isaia ostenderet se esse Messiam ab Isaia depictum.

ET UT REVOLVIT LIBRUM, INVENIT LOCUM UBI SCRIPTUM ERAT. — *Isaiæ* LXI, 1. Syrus et Arabicus, *cum aperuisset librum*. Videtur enim Christus ita aperuisse librum, ut non quærendo et volvendo folia libri (ne res esset Judæis suspecta), sed aperiendo librum illico in hunc locum Isaiæ Dei nutu ductuque incideret.

Melius noster vertit, « ut revolvit librum; » et Vatablus, « cum explicuisset; » alii, « cum expandisset librum, » hoc enim est Græcum ἀναπτύξας: nam Hebræorum libri non erant sicut nostri, per folia divisi et colligati, sed liber unus erat una membrana longa et continua, quæ circa cylindrum ab initio ad finem convolvebatur (uti convolvuntur nostræ mappæ geographicæ), quam revolvere oportebat, itaque explicare et expandere, ut legi posset (1). Unde, vers. 20, dicitur: « Et cum plicuisset librum. » Christus ergo modice revolvendo librum sive membranam Isaiæ, statim incidit in hunc locum de se prophetantem. Hic enim locus est in fine Isaiæ, puta cap. LXI. Sum ergo ut primo obvium arripuit Christus et explicuit.

18. SPIRITUS DOMINI SUPER ME: PROPTER QUOD UNXIT ME (*q. d.* Spiritus Sanctus qui ab exordio in me fuit hic in baptismo, quem jam recenter a Joanne Baptista suscepi, visibiliter in specie columbæ in me descendens, intonante voce Dei Patris: « Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite; » hoc symbolo quasi unctione visibili me publice declaravit, auctoravit et quasi consecravit, orbis, ac præsertim Judæorum, quibus promissus sum, doctorem, prophetam, salvatorem et legislatorem, ideoque), EVANGELIZARE PAUPERIBUS MISIT ME. — Nam divites Scribæ et Pharisæi meam humilitatem et paupertatem aspernantur.

Christus quando et qua ratione unctus? Nota: τὸ « unxit me. » Hebr. enim Messias, et Græcum Χριστός idem est quod unctus. Hæc unctio Christi secreto facta est in Incarnatione. *Primo*, per gratiam unionis hypostaticæ quæ summe eum efficiebat sanctum et divinum, imo Deum; *secundo*, per gratiarum plenitudinem ex unione hac manantem. Alii enim Sancti dicuntur ungi gratia et donis Spiritus Sancti, sed Christus unctus fuit ipso Spiritu Sancto, quasi fonte et plenitudine omnium gratiarum, ut Christus homo fieret fons uberrimus suam gratiam effundens in omnes Apostolos, Martyres, Virgines, Confessores. Ita Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XXVI. Publice vero unctus fuit Christus in baptismo, cum per Spiritum Sanctum declaratus est orbis doctor et redemptor, ut dixi.

Reliqua hujus loci fuse explicui *Isai.* LXI, 1; quare ea hic obiter perstringam.

SANARE CONTRITOS CORDE. — Ut scilicet sanem et consoler eos, qui ob peccata sua et legis Mosaicæ onus, ac rerum divinarum ignorantiam afflicto sunt animo, atque ad Dei cognitionem, veniam, gratiam et salutem anhelant, ideoque Messiam exspectant. Unde Symmachus et Theodotion vertunt, *ad alliganda vulnera peccatorum*, teste S. Hieronymo in cap. LXI *Isaiæ*.

19. PRÆDICARE CAPTIVIS REDEMPTIONEM. — Ut scilicet peccatoribus, qui a peccato et dæmone captivi detinentur, prædicem, annuntiem et afferam liberationem per pœnitentiam et gratiam meam. V

ET CÆCIS VISUM. — Hebr. et Chald., *Isaiæ* LXI, 1, habent, *et vinctis apertionem*, scilicet carceris, id est, ut Symmachus, *et vinctis solutionem*. Verum Septuaginta indeque Lucas hic vertunt, « et cæcis visum; » Græce ἀνάβλεψιν, id est *revidentiam*, ut rursum videant. Hebræi enim vinctos sive clausos vocant cæcos, juxta illud: « Talpæ oculis capti; » ac consequenter « apertionem » vocant illuminationem qua cæcis aperiuntur oculi: alioqui enim hæc particula non distingueretur a præcedenti, quæ habet, « captivis redemptionem. » Sensus ergo est, *q. d.* Christus et cæcis corporaliter visum reddet, et cæcos spiritualiter, id est ignorantes Deum et viam salutis, illuminabit ac Dei cognitionem modumque salvandi animam docebit. Hoc est quod clare Messiam facturum prædixit Isaias, cap. XLII, 7: « Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum. »

Hic locus Isaiæ de Christo intelligendus litteraliter, non de Cyro, ad quem tamen alludit. Hinc patet Isaiam, cap. LXI, 1, ad litteram non loqui de solutione captivitatis Babylonicæ facta per Cyrum, ut vult Toletus, sed de solutione captivitatis peccati et diaboli facta per Christum, quia Cyrus nulli visum restituit, sed Christus multis. Fateor tamen alludi ad Cyrum: nam Cyrus typus fuit Christi. Unde ipsis Hebræis in Babylone « vinctis, » dedit « apertionem et solutionem, » ut habent Hebræa, cum eos e captivitate liberavit et in Judæam remisit.

DIMITTERE CONFRACTOS IN REMISSIONEM, — id est in libertatem et sanitatem. Arabicus, *et mittere vinctos in remissionem*; Pagninus, « ut emittam confractos per remissionem. » Sic et Vatablus. Hæc verba non sunt in Isaia, cap. VI, 1, Hebræo, Græco vel Latino; quare paraphrastice a S. Luca aut ejus interprete addita sunt, adeoque hæc videtur esse altera explicatio ejus quod dixit, « ut sanarem contritos corde; » iidem enim sunt contriti et confracti. Ita Forerius, in cap. LXI

Variæ lectiones hic. *Isaiæ*; et Franciscus Lucas hic. Unde Origenes omittit hic τὸ « ut sanarem contritos corde, » ac pro eo legit: « emittere confractos in libertatem. » Additque: « Quid ita fractum atque collisum fuit ut homo, qui a Jesu dimissus, est sanatus? » Sic et τὸ « ut sanarem contritos corde » omittunt Eusebius, lib. IX *Demonstr.*, cap. X; S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. XLII; Beda et manuscripti nonnulli, quos in notis citat Franciscus Lucas. Ex adverso Theophylactus legit τὸ « ut sanarem contritos corde, » et omittit τὸ « dimittere confractos in remissionem. » Porro S. Hieronymus, in *Comment. Isaiæ*, cap. LXI, citans hunc Lucæ locum, legit utrumque, nimirum « sanare contritos corde, » et « dimittere fractos in libertatem. »

Pro « confractos » græce est τεθραυσμένους, quod Vatablus et alii vertunt, *vulneratos*. « Confractos » ergo vocat eos, qui carcere et servitute diaboli ac peccati obstricti, vulnerati, conquassati et quasi obtriti erant, quos Christus missos et liberos fecit suæque integritati restituit; idque fecit tum spiritualiter, tum corporaliter, cum nimirum infirmos et dæmoniacos a variis morbis et dæmonibus curavit et liberavit. Ita Maldonatus, Jansenius, Toletus, Barradius, Franciscus

*Dimittere et dimissio in Scriptura quid?* Lucas et alii. « Dimittere » ergo hic et alibi est liberare et sanare, ac dimissio vel remissio est libertas et sanitas: sicut enim quis e vinculis dimittitur liber, sic ex morbis et vulneribus dimittitur sanus. Hinc Hebr. רפא *rapha* significat remittere, mollire, lenire, sanare: qui enim morbum remittit et mitigat, hic eum curat et sanat: unde מרפא *marpe* est lenitas, curatio, medicina, sanitas: hinc et *Raphael* idem est quod medicus Dei. Hac de causa dimittere vel remittere in Scriptura subinde idem est quod curare et sanare, ut *Lucæ* cap. XIII, 12: « Mulier, dimissa es ab infirmitate; » *Psal.* XXXVIII, 14: « Remitte mihi ut refrigerer, » et alibi.

PRÆDICARE ANNUM DOMINI ACCEPTUM, — id est gratum, placentem et jucundum; Hebr. שנת רצון *scenat ratson*; Septuaginta ἐνιαυτὸν δεκτόν, id est, ut S. Hieronymus, « annum placabilem, » vel, ut alii proprie vertunt, « annum beneplaciti, » puta benevolentiæ et liberalitatis divinæ, qualis erat annus jubilæi, ad quem hic alludit. Annus enim jubilæi typus erat et figura anni hujus Evangelici, quem attulit Christus. Totum ergo tempus prædicationis Christi et deinceps, puta totum tempus legis novæ, sive Christianismi, Christo obedientibus et ejus liberalitatem acceptantibus est annus jubilæi, id est annus gratiæ, misericordiæ, pacis, remissionis, liberalitatis, salutis, in quo post longam Dei in nos iram restituimur in ejus gratiam, acceptationem, benevolentiam, hæreditatem, gloriam omniaque bona pristina quæ habuimus in paradiso in statu innocentiæ. Hoc est quod ait Paulus: « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, » II *Cor.* VI, 2. Annus jubilæi.

ET DIEM RETRIBUTIONIS. — יום נקם *jom nacam*, id est diem ultionis, *q. d.* Annus jubilæi, id est tempus Christianismi, sive legis gratiæ, hostibus Christi erit dies, id est tempus ultionis, quo scilicet Deus ulciscetur genus humanum de suis inimicis et tyrannis, puta dæmonibus eum opprimentibus, quia Christus homines a dæmonibus liberabit illosque sua tyrannide depellet et dejiciet, juxta illud *Isaiæ*, cap. XXXV, 4: « Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis. Deus ipse veniet et salvabit vos. » Unde Christus, *Joan.* XII, 31: « Nunc, ait, judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Et Paulus, *Coloss.* I, 15: « Exspolians, ait, principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. »

20. ET CUM PLICUISSET (in cylindrum convolvisset, ut dixi vers. 17) LIBRUM, REDDIDIT MINISTRO, ET SEDIT. ET OMNIUM IN SYNAGOGA OCULI ERANT INTENDENTES IN EUM, — « ut audirent quomodo interpretaretur ea quæ legerat, » ait Euthymius. Jam enim ex ejus dictis et factis Capharnai fama ipsius ubique percrebuerat, et multi opinarentur eum esse Messiam; et hoc maxime a Christo audire cupiebant. Sciebant enim locum Isaiæ ab eo lectum, esse oraculum de Messia: hinc ei illum explicanti arrectis auribus auscultabant.

21. CŒPIT AUTEM DICERE AD ILLOS: QUIA (quod) HODIE IMPLETA EST HÆC SCRIPTURA (quæ sonuit, ait Euthymius et Syrus) IN AURIBUS VESTRIS. — *q. d.* Hodie vobis audientibus impleta est hæc Isaiæ prophetia, dum me auditis vobis cæterisque Galilæis pauperibus evangelizantem annum plenæ remissionis, et paratum facere (imo in Capharnao jam fecisse) omnia quæ hic prædixit Isaias: ego enim sum Messias de quo ibidem prophetat Isaias, quem vos ex oraculo Jacobi et Danielis velut jam instantem avide exspectatis. Esto enim clare Jesus non exprimat se esse Messiam, tamen tacite idipsum significat.

(1) Rectius, membrana illa illigabatur duobus baculis teretibus, qui capulos habebant, quos manu tenens qui legebat, convolvere poterat atque evolvere librum, prout opus erat.

22. ET OMNES TESTIMONIUM ILLI DABANT, ET MIRABANTUR IN VERBIS GRATIÆ, QUÆ PROCEDEBANT DE ORE EJUS, ET DICEBANT : NONNE HIC EST FILIUS JOSEPH? — « Verba gratiæ, » *primo*, vocat verba gratiosa, venusta, suavia, jucunda; *secundo*, verba gratia et spiritu plena; *tertio*, efficacia ad movendum et persuadendum; *quarto*, plena sapientia et eloquentia, ita ut auditores convincerent. Loquebatur enim Christus lingua plusquam humana, imo angelica quasi angelus, aut potius divina quasi homo Deus, juxta illud : « Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ, » *Matth.* VII, 29; vide ibi dicta. Cætera fusius narrat Matthæus, cap. XIII, 55, ubi ea explicui.

TESTIMONIUM ILLI DABANT, — quod bene pulchreque et gratiose diceret, non autem quod ipse esset Messias. Unde eum vocant « filium Joseph : » nam paulo post, cum ab eo taxarentur, eum spreverunt et præcipitare voluerunt, ut sequitur. Sic hodie multi laudant concionatorem, quamdiu dicit eis placentia et eleganfia : at cum eorum vitia insectatur, ipsum vituperant et persequuntur. Hic est vulgi variabilis, et se suasque cupiditates amantis, mos et consuetudo.

Beda tamen hoc testimonium accipit de Messia, quod scilicet testarentur ipsum esse Messiam, de quo Isaias ista cecinerat. Unde subjicit Beda : « Magna cæcitas, cum quem verbis et factis Christum esse cognoscunt, ob solam generis notitiam contemnunt, quia apud se nutritum, et per ætatum tempora profecisse viderant. »

23. ET AIT (*Jesus*, ut addit Syrus) ILLIS : UTIQUE DICETIS MIHI HANC SIMILITUDINEM (Græce παραβολὴν, id est parabolam, hoc est proverbium sive adagium vulgo jactatum) : MEDICE, CURA TEIPSUM, — id est, cura tuos et patriam tuam, quæ tibi chara esse debet ut tu tibi ipsi : cura tuos cives Nazarenos, uti curasti, vel diceris curasse exteros Capharnaitas. Sic enim mox explicat Christus, qui spiritu divino videbat Nazarenorum occultas cogitationes; scilicet illos hoc mente volvere, quod ipse hic enuntiat. Unde occultæ eorum cogitationi et objectioni præveniendo occurrit, et respondet. Porro « protritum, ait Titus, usitatumque apud Judæos erat, ut medicos in morbum prolapsos, facto hoc urbanoque dicto exciperent : Medice, cura teipsum. » Sic enim habet communis hominum sensus, cui favet ipsa ratio, ut qui seipsum curare nequit vel negligit, alios pariter curare nequeat vel negligat. Esto a parte rei experientia non raro ostendat, medicos qui alios curant, sæpe non posse curare seipsos, sed aliis medicis se curandos committere, quia appetitus sæpe excæcat rationem, et morbus scientiam obnubilat. Unde melius et sincerius judicamus de aliorum morbis, quam de nostris. Amor proprius enim sæpe judicium pervertit. Unde monet Salomon, dicitque : « Ne innitaris prudentiæ tuæ, » *Prov.* XIII, 5.

Tropologice, hoc adagium : « Medice, cura teipsum, » S. Antonius sic exponebat, *q. d.* Qui vult aliorum vitia curare, prius curet sua : qui enim alios volunt juvare, antequam sanent seipsos, in sua vitia relabuntur. Sed audi ipsummet S. Antonium, in *Vitis SS. Patrum*, lib. VII, cap. III : « Patres antiqui egressi sunt in desertum, et ipsi sani effecti facti sunt medici, et reversi alios sanaverunt : ex nobis autem si quem egredi contigerit in desertum, antequam ipsi sanemur, curam aliis adhibemus, et revertitur ad nos infirmitas nostra, et fiunt ultima nostra pejora prioribus, propter quod dicitur nobis : O medice, prius tibi curam impende. » Sane experientia docet eos qui aliquod vitium in seipsis sanant, idem facile in aliis sanare. Huic proverbio simile est illud Plutarchi, libr. *De dignoscendo adulatore ab amico* : « Aliis medetur, ipse ulceribus scatens, » quod facitur in eos, qui aliis sapiunt, non sibi; aliis oculati sunt et cauti, non sibi; alios consolari et animare norunt, cum ipsi sua mala iniquo ferant animo. Nam, ut idem Plutarchus ad Apollonium scribit : « *Ægroto animo medicus est oratio* » suavis et blanda, non vita, non virtus. Facile ergo est afflictos alios solari, difficile seipsum.

QUANTA AUDIVIMUS FACTA IN CAPHARNAUM, FAC ET HIC IN PATRIA TUA. — Hinc patet hæc contigisse in Nazareth, postquam Jesus prædicasset et miracula multa patrasset in urbe Capharnao, ut dixi vers. 16, et advertit S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evangel.*, cap. XLII, *q. d.* ait Glossa : « Non credimus quod incerta fama vulgavit, cum apud nos nihil tale feceris, quibus convenientius talia impendenda erant beneficia. » Habes enim hic in Nazareth patria tua quæ te concepit, nutrivit et in virum provexit, fratres, sorores, cognatos, vicinos, alios pauperes, alios ægros, alios aliter affectos : cur ergo tuis hisce per miraculum non succurris, quibus te cognatio, amor patriæ ipsaque naturæ charitas magis obstringit?

24. AIT AUTEM : AMEN (id est vere, vel in veritate) DICO VOBIS, QUIA (quod) NEMO PROPHETA ACCEPTUS EST IN PATRIA SUA, — ob causas quas recensui *Matth.* XIII, 57, *q. d.* Vos, o Nazareni, me quasi civem vestrum et filium fabri spernitis : hinc indigni estis, quibus ego beneficia mea conferam. Ideo, ait Interlinearis, non operor inter vos, quia increduli estis, non quia patriam oderim. Addit S. Cyrillus, quia civis semper suis civibus præsto est, hinc debita reverentia privatur a notis. Tertio S. Chrysostomus : Christus, ait, apud suos Nazarenos abstinuerat a miraculis, ne eos provocaret ad invidiam; nam, ut ait S. Ambrosius, aspernator est Deus invidorum : quia, ut ait Glossa, prope naturale est cives civibus invidere, nec virtutem considerant, sed fragilem recordantur infantiam.

Vere Chrysologus, *serm.* 48, in fine : « Inter suos posse, ait, morsus est, adustio est; inter cives eminere proximos, proximorum urit gloriam : propinquo propinqui si honorem debeant, computant servitutem. » Festivus hac de re extat psittaci apologus. Psittacus ex Oriente in Occidentem delatus, ubi hujusmodi aves nasci non consueverunt, admiratur sese in majori pretio et honore haberi, quam in natali consuevisset loco; nam caveam eburneam argenteis contextam virgis incolebat, suavissimisque alebatur cibis, quod cæteris avibus Occidentalibus, quæ neque in forma neque exprimendis humanis vocibus erant inferiores, non contingebat. Tunc turtur in eadem cavea conclusus : Hoc, inquit, nulla est admiratione dignum, nulli enim in patria meritus honor exhiberi solet.

Fideli orbis est patria. Gnome. Tropologice : docet hic Christus fideles, præsertim viros Religiosos et Apostolicos, affectum nimium erga patriam et parentes moderari vel exuere debere, ut toti orbi prosint, juxta illud :

> Omne solum forti patria est, ceu piscibus æquor.

Hinc Socrates a suis Atheniensibus damnatus ad mortem, dicebat se esse *Cosmopolitem*, id est *civem mundi*. Et Comicus : Homines optimi, ait, quærendi velut equi extra patriam. Communis omnium patria est Roma. Sic Herculi omnis terra fuit patria, ait Plutarchus, tract. *De Exilio*.

Homines optimi quærendi extra patriam velut equi.

Præclare S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 18 : « Una, inquit, magnis et excelsis viris patria est, nempe Jerusalem illa quæ mente percipitur, non eæ quas hic angustis finibus circumscriptas esse, atque ab aliis aliisque hominibus subinde incoli videmus. » Idem, *orat.* 25 : « Terrenæ, inquit, hæ patriæ, atque hæc generum discrimina, brevis hujus et caducæ vitæ nostræ, scenæ ac ludi sunt. Quam enim quisque terram, sive per tyrannidem, sive per calamitatem, ante occupaverit, ea patria dicitur, cujus omnes æque hospites et advenæ sumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus. » Talis erat S. Basilius, de quo ita scribit in ejus Vita S. Gregorius Nyssenus : « Ab exilii metu liber erat Basilius Magnus, quod unam patriam hominum censeret esse paradisum, atque omnem terram quasi commune naturæ exilium spectaret. »

Talis quoque fuit Paulus Orosius, familiaris S. Augustino, qui, lib. V *Contra Paganos*, ita de se scribit : « Inter Romanos Romanus, inter Christianos Christianus, inter homines homo, legibus imploro rempublicam, religione conscientiam, communione naturam. Utor temporarie omni terra quasi patria, quia quæ vera est, et illa quam amo patriam, in terra penitus non est. Nihil perdidi ubi nihil amavi; totumque habeo, quando quem diligo, mecum est : maxime quia et apud omnes idem est, qui me non modo notum omnibus, verum et proximum facit; neque egentem deserit, quia ipsius est terra et plenitudo ejus, ex qua omnibus omnia jussit esse communia. »



25. IN VERITATE DICO VOBIS, MULTÆ VIDUÆ ERANT IN DIEBUS ELIÆ IN ISRAEL, QUANDO CLAUSUM EST COELUM ANNIS TRIBUS ET MENSIBUS SEX, CUM FACTA ESSET FAMES MAGNA IN OMNI TERRA :

26. ET AD NULLAM ILLARUM MISSUS EST ELIAS, NISI IN SAREPTA SIDONIÆ, AD MULIEREM VIDUAM.

QUANDO CLAUSUM EST COELUM, — id est, quando cœlum non pluit super terram; pluvia enim cœlum, id est aerem, quasi clausum aperit, et suis guttis dividit.

ANNIS TRIBUS ET MENSIBUS SEX. — Id non extat in Scriptura veteri, sed Jesus id scivit, qua Deus, ac idipsum revelavit S. Jacobo, cap. V *Epist.*, vers. 17; nam quod III *Reg.* XVIII, 1, dicitur : « Factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio, dicens : Vade et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ; » annus ille tertius accipiendus est non ab exordio siccitatis, sed a commoratione Eliæ in Sarepta.

IN OMNI TERRA — Israel eique vicina regione, uti erat Sidon et Sarepta, in qua erat hæc vidua.

Sensus est, *q. d.* Sicut Elias tempore famis nulli Israelitæ procuravit panem et victum, sed soli viduæ Sareptanæ, quæ erat Sidonia, id est Gentilis et alienigena, eo quod ipsa magni fecerit Eliam, ejusque prophetiæ, quod Deus fami ipsius provideret, crediderit, ideoque parum olei et farinæ quod habebat, in cibum Eliæ dederit, præponens illum sibi suorumque filiorum necessitati; quæ insignis fuit viduæ fides, æque ac charitas, ob quam meruit præponi Israelitis. Sic et ego Capharnaitas præfero vobis, o Nazareni cives mei, quia illi me ut doctorem e cœlis missum audiunt, honorant, obsequuntur; vos autem me ut civem vestrum et fabrum aspernamini : illis ergo panem spiritualem cœlestis doctrinæ et miraculorum impertior, vos autem in fame spirituali, id est in egestate doctrinæ salutiferæ relinquo. Elias enim erat typus et præcursor Christi, vidua Sareptana erat typus et primitiæ Gentilium, quos Christus prætulit Judæis civibus suis. Nam, ut ait Beda, « Sidon » Hebraice idem est quod *venatio inutilis*; « Sarepta, » *incendium* vel *angustia*, panis scilicet, puta gentilitas negotiis sæculi serviens et carnalium cupiditatum incendium panisque spiritualis angustias patiens. Elias est propheticus sermo, qui receptus pascit corda credentium.

Tropologice, S. Basilius in *Catena* : Vidua est anima viduata virtute et notitia divina, quam Elias, id est verbum divinum mente receptum, nutrit virtutum panibus.

27. ET MULTI LEPROSI ERANT IN ISRAEL SUB ELISÆO PROPHETA : ET NEMO EORUM MUNDATUS EST NISI NAAMAN SYRUS, — ideoque alienigena et Gentilis, non Judæus. Idem probat alio Elisæi exemplo et typo, *q. d.* Sicut Elisæus magistrum suum Eliam secutus non prophetavit suis Judæis, sed exteris, ideoque non leprosos qui erant in Judæa, sed Naaman Syrum et Gentilem a lepra mundavit, ita Vers. 27.

Pungit Christus Judæos exemplo Naaman Syri.

que ob hujus fidem et illorum incredulitatem. Naaman enim ex Syria longo itinere magnoque sumptu venit in Judæam ad Elisæum, credens quod ab eo a lepra curaretur, cumque honoravit, ac magna ei munera obtulit, atque in omnibus ei ut Prophetæ cœlesti obedivit, ut cum humiliter ei non per se, sed per internuntium jubenti, ut septies lavaretur in Jordane, paruit, ideoque ea lepra mundatus est : quæ omnia utique non fecissent Elisæo leprosi qui erant in Israel. Sic et ego Christus prædico et miracula patro apud exteros Capharnaitas, ob eorum erga me fidem, reverentiam et benevolentiam : vos vero, o Nazareni, ob infidelitatem, irreverentiam meique contemptum, desero. Elisæus enim, æque ac Elias, erat typus et præcursor Christi; Naaman Gentilis typus erat Gentilium, ad quos Christus, relictis Judæis, per Apostolos translaturus erat suam fidem, Ecclesiam et gratiam. Ita Beda, Titus, Theophylactus, Euthymius, Jansenius, Toletus et alii.

28. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. — Tum quia sciebant se his duobus exemplis viduæ et Naaman pungi quasi incredulos, et contumelia affici quasi indignos miraculis Jesu; tum quia indignabantur Jesum, qui erat civis et æqualis ipsorum, ipsis se anteferre et conferre cum Elia et Elisæo, imo ex Isaiæ oraculo facere se Messiam; tum quod Christus tacite significaret se sua dona a Judæis ad Gentes translaturum. Ita S. Thomas, Toletus, Franciscus Lucas et alii.

29. Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. — « Duxerunt, » imo vi traxerunt invitum, ut illis videbatur, sed revera Christus sponte se trahi ducique sinebat. « Ad supercilium, » ad culmen, ad verticem, « montis, super quem civitas illorum (Nazareth)
Urbes in medio montium commodius ædificantur, quam in summo, vel in imo. erat ædificata. » Solent enim civitates monti adjacentes, non in imo, nec in summo, sed in medio montis (uti Florentiam videmus in medio Apennini) ædificari; tum quia in imo aer est crassus et terreus, in summo nimis acer et subtilis, sed in medio aer est temperatus et medius, nec nimis crassus, nec nimis subtilis; tum quia in summo grassantur venti, fulmina et procellæ, juxta illud :

> Perflant altissima venti,

et illud :

> feriuntque summos
> Fulmina montes.

Ut præcipitarent eum — ex summo in imum, itaque eum occiderent, tanquam qui patriam suam infamasset, ac magna injuria et dedecore affecisset; ideoque eum extra civitatem quasi illa indignum, in culmen montis duxerunt, ut velut impium in patriam, ex eo in saxa præcipitatum colliderent, et toto corpore conquassarent. Ingens fuit hæc injuria et violentia Nazarenorum in Christum civem suum, itaque reipsa confirmarunt id quod Christus eis dixerat, ait Euthymius, scilicet Prophetam non esse in honore in patria sua, sed in ea dehonorari, imo occidi, ideoque Nazarenos prædicatione et miraculis Christi esse indignos.

Addit S. Bonaventura, Toletus et alii duxisse eos Jesum extra civitatem in verticem montis, ut eum quasi blasphemum, quod se Messiam fecisset, occiderent. Esto enim blasphemus ex lege lapidandus erat; tamen voluerunt Christum præcipitare in saxa et lapides, quia hoc perinde est ac si eum lapidassent. Perinde enim est, sive saxa in hominem, sive hominem in saxa jacias et præcipites, imo hoc illo sævius et terribilius est. Sic S. Stephanum quasi blasphemum extra Hierosolymam ejecerunt et lapidarunt. Sic pariter S. Jacobum, primum Hierosolymorum Episcopum, quod Jesum doceret esse Messiam, quasi blasphemum e pinnaculo templi præcipitarunt.

Porro, S. Ambrosius ostendit eos deteriores fuisse diabolo; hic enim Christo in pinna templi a se constituto, tantum dixit : « Mitte te deorsum : » hi vero eum vi deorsum præcipitare sategerunt. Audi S. Ambrosium : « Est pejor magistro discipulorum hæreditas : ille verbo Dominum tentat, hi facto; iste dicit, Mitte te deorsum, illi adoriuntur ut mittant. »

30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat. — Vers. 30. Quomodo Christus e manibus eorum evaserit? Maldonatus censet Christum hic sese fecisse invisibilem; S. Ambrosius et Beda putant Christum mutasse voluntatem Nazarenorum, ut vellent eum dimittere. Melius alii censent Christum eorum phantasiam vel oculos divertisse, vel eos stupefecisse, ac continuisse pedes et manus eorum, ut quasi stupidi Christum videntes eum apprehendere non possent, vel non auderent. Quare Christus hic ostendit suam divinitatem, seque esse Deum. Unde S. Ambrosius : « Ecce, ait, per medium illorum, mutata subito vel obstupefacta furentium mente, descendit. » Causam subdit : « Etenim quando vult capitur, quando vult elabitur, quando vult occiditur : quia nondum venerat hora ejus, » *Joan.* vii, 30. Debebat enim adhuc prædicare, et tandem ex Patris decreto crucifigi Hierosolymæ, non vero præcipitari in Nazareth. Ita Beda, S. Chrysostomus, Euthymius et alii.

Tradit Brocardus, in *Descriptione Terræ sanctæ*, Christum elapsum e manibus Judæorum, subito in latere montis opposito apparuisse, ideoque locum illum vocari « saltum Domini. » Addit Lyranus saxum cui institit Christus, cessisse, et instar ceræ vestigia Christi impressa in se suscepisse, sicut Christus ascendens in cœlum e monte Oliveti, in eodem vestigia pedum suorum impressa reliquit. Audi et Adrichomium, in *Descript. Terræ*



Saltus Domini. *sanctæ*, ad vocem « saltus Domini : » Tradunt Christum fugisse in montem altum, qui inde Saltus Domini dicitur, et subito ad tactum vestis ipsius saxum subterfugisse ac instar ceræ liquatum et resolutum quemdam effecisse sinum, quo corpus Dominicum muniretur et reciperetur, tantæ utique capacitatis, quantæ ipsum corpus Domini extitit quantitatis. In quo hodieque universa lineamenta et rugæ vestis, quæ a tergo Domini erant, pedumque ejus vestigia veluti manu sculptoris expressa servantur. Verum hæc certam non habent fidem.

32. Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius. — Græce ἐν ἐξουσίᾳ, id est in libertate, auctoritate, potentia, vi et efficacia, docebat enim « quasi potestatem habens, » *Matth.* xiii, 52. Vide ibi dicta.

33. Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum. — Hanc historiam audivimus *Marci* i, 23, ubi eam explicui. Vers. 33.

38. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. — Hujus curationem audivimus *Matth.* viii, 14. Vide ibi dicta. Vers. 38.

# CAPUT QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Jesus ad sui sequelam vocat Petrum, Jacobum et Joannem per ingentem piscium capturam. Secundo, vers. 12, sanat leprosum. Tertio, vers. 18, curat paralyticum. Quarto, vers. 27, e telonio ad se vocat Matthæum publicanum, ac murmurantibus Scribis respondet se venisse ad vocandum, non justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Quinto, vers. 33, iisdem interrogantibus dat causam, cur discipuli Joannis crebro jejunent, sui non.*

*Primam partem explicui* Matth. iv, 18; *secundam*, Matth. viii, 2; *tertiam*, Matth. ix, 2; *quartam*, Matth. ix, 14. *Quare paucis additis hoc caput expediam.*

1. Factum est autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. 2. Et vidit duas naves stantes secus stagnum : piscatores autem descenderant, et lavabant retia. 3. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas. 4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. 5. Et respondens Simon, dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. 6. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. 7. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. 8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. 9. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant; 10. similiter autem Jacobum et Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus : Noli timere; ex hoc jam homines eris capiens. 11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum. 12. Et factum est, cum esset in una civitatum, et ecce vir plenus lepra, et videns Jesum, et procidens in faciem, rogavit eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare. 13. Et extendens manum tetigit eum, dicens : Volo, mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. 14. Et ipse præcepit illi ut nemini diceret, sed : Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. 15. Perambulabat autem magis sermo de illo; et conveniebant turbæ multæ ut audirent, et curarentur ab infirmitatibus suis. 16. Ipse autem secedebat in desertum, et orabat. 17. Et factum est in una dierum, et ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, et Judææ, et Jerusalem; et virtus Domini erat ad sanandum eos. 18. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus; et quærebant eum inferre, et ponere ante eum. 19. Et non invenientes qua parte

illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, et per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum. 20. Quorum fidem ut vidit, dixit : Homo, remittuntur tibi peccata tua. 21. Et cœperunt cogitare Scribæ, et Pharisæi, dicentes : Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? 22. Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos : Quid cogitatis in cordibus vestris? 23. Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata; an dicere : Surge, et ambula? 24. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) : Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. 25. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo jacebat, et abiit in domum suam, magnificans Deum. 26. Et stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes : Quia vidimus mirabilia hodie. 27. Et post hæc exiit, et vidit publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium, et ait illi : Sequere me. 28. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. 29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua; et erat turba multa publicanorum, et aliorum, qui cum illis erant discumbentes. 30. Et murmurabant Pharisæi et Scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis? 31. Et respondens Jesus, dixit ad illos : Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. 32. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. 33. At illi dixerunt ad eum : Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, et obsecrationes faciunt, similiter et Pharisæorum; tui autem edunt et bibunt? 34. Quibus ipse ait : Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare? 35. Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus. 36. Dicebat autem et similitudinem ad illos : Quia nemo commissuram a novo vestimento immittit in vestimentum vetus; alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura a novo. 37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt. 38. Sed vinum novum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur. 39. Et nemo bibens vetus, statim vult novum, dicit enim : Vetus melius est.

6. CONCLUSERUNT PISCIUM MULTITUDINEM COPIOSAM, — quia dixerat Petrus : « In verbo tuo laxabo rete. » Ecce hic est fructus, hæc merces obedientiæ. Fecit hoc Jesus, *primo*, ut dando eis alimoniam, pararet eos ad vocationem et sui sequelam, *q. d.* Destino vos a piscatione evocare ad mei sequelam, atque ne vos excusetis dicendo, quod piscatione victum comparare debeatis, ecce ego vobis ultro ingentem piscium copiam suggero, ut discatis in me fidem, quod ego sine piscatione victui vestro et cæteris vitæ necessariis ultro providebo, idque facilius et copiosius, quam vos vestra piscandi industria et labore vobis providere possitis. *Secundo,* ut ex piscatione copiosa piscium discerent, se copiosam piscationem hominum mox facturos, cum ad eam vocandi essent a Christo.

7. ET ANNUERUNT SOCIIS, — quia præ admiratione, lætitia et stupore tantæ capturæ clamare aut loqui non poterant.

10. NOLI TIMERE — (*q. d.* Noli stupore, timore et sacro horrore ob miraculum hoc capturæ piscium corripi. Causam subdit, promittendo majorem et altiorem piscationem, dicens) : EX HOC JAM HOMINES ERIS CAPIENS. — Græce ζωγρῶν, a ζωγρέω, quod *primo,* a ζῶον et ἀγρέω vel ἀγρεύω, id est *animal venor,* vertas cum Nostro, *capiens,* venans, piscans : unde Arabicus vertit, *ex nunc eris piscator, qui piscaberis homines, q. d.* Tu, o Petre, deinceps capies homines, non ut feras retibus et vulneribus, sed ut pisces, qui illæsi capiuntur reti : simili modo tu capies et piscaberis homines, non armis, sed virtute et efficacia spiritus.

*Secundo,* ζωγρέω, derives a ζῶν, id est vivens, vivum, et ἐγείρω vel ἀγείρω, id est vivum excito, ad vitam revoco, vivifico. Unde S. Ambrosius, lib. V *Hexam.,* cap. VI, vertit, « eris vivificans homines; » Syrus, « posthac piscaturus es homines ad vitam, » *q. d.* Piscatores piscantur pisces reti, eosque ex aqua extrahunt ad mortem, ut scilicet eos jugulent, coquant et comedant : tu vero, o Petre, homines piscaberis, non ad mortem, sed ad vitam, imo peccato mortuos suscitabis ad vitam gratiæ, ita scilicet ut quasi pisces a te capti moriantur peccato, concupiscentiæ et vitæ priori, sed vivant vitæ, vita gratiæ et divina, ac Deo per gratiam et charitatem quasi incorporentur, sicut pisces comesti ab hominibus iisdem incorporantur, ac in iis vivunt vita nobiliori, quia anima humana informantur. Ita Origenes, hom. 16 *in Jerem.,* et S. Justinus in *Quæst. Gentil.,* Quæst. XL.



Allegorice : Petri navis est Ecclesia, cujus patronus et quasi princeps est Petrus ejusque successores Romani Pontifices. Pontifex ergo est primus et summus piscator, cui a Christo dicitur : « Eris homines capiens. » Pontifici ergo incumbit per se et suos legatos, ac sacerdotes et Religiosos a se missos convertere infideles, Saracenos, hæreticos, etc., uti primi Pontifices SS. Clemens, Linus, Cletus, Cornelius, Fabianus, Urbanus, etc., Romanos converterunt, ac viros Apostolicos in Hispaniam, Africam, Indiam, etc., miserunt, qui indigenas ad Christum converterunt. Ita S. Gregorius misit S. Augustinum in Angliam, qui eam convertit.

Notat S. Ambrosius alios pisces, puta homines, hamo trahi, ut martyres; alios reti, ut fideles communes. Additque : Apostolica instrumenta, retia sunt, non enim captos perimunt, sed reservant, et fluctuantes de infimis ad superna traducunt. Retia enim dicuntur quasi retinentia id quod ceperunt, ait Glossa.

32. NON VENI VOCARE JUSTOS, SED PECCATORES AD POENITENTIAM, — et per pœnitentiam ad gratiam et gloriam. Unde acute S. Ambrosius : « Si gratia est ex pœnitentia, inquit, qui fastidit pœnitentiam, abdicat gratiam. »

# CAPUT SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus contra Pharisæos defendit discipulos, qui in sabbato famentes vellebant spicas. Secundo, vers. 8, sabbato curat habentem manum aridam. Tertio, vers. 13, eligit creatque duodecim apostolos. Quarto, vers. 20, proponit beatitudines Evangelicas. Quinto, vers. 30, usque ad finem pergit concionari de dilectione inimicorum, de misericordia, de non judicando, de studio bonorum operum.*

*Primam partem explicui* Matth. XII, 1; *secundam, ibidem vers.* 10; *tertiam,* Matth. X, 1; *quartam,* Matth. V, 1; *quintam,* Matth. V, 44, *et* VII, 3, *et* X, 24, *cæterisque locis in Bibliis hoc capite ad marginem annotatis.*

1. Factum est autem in sabbato secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, et manducabant confricantes manibus. 2. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis : Quid facitis quod non licet in sabbatis? 3. Et respondens Jesus ad eos, dixit : Nec hoc legistis quod fecit David, cum esurisset ipse, et qui cum illo erant? 4. quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis sumpsit, et manducavit, et dedit his qui cum ipso erant : quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus? 5. Et dicebat illis : Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbati. 6. Factum est autem et in alio sabbato, ut intraret in synagogam, et doceret. Et erat ibi homo, et manus ejus dextra erat arida. 7. Observabant autem Scribæ et Pharisæi, si in sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum. 8. Ipse vero sciebat cogitationes eorum; et ait homini, qui habebat manum aridam : Surge, et sta in medium. Et surgens stetit. 9. Ait autem ad illos Jesus : Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an male; animam salvam facere, an perdere? 10. Et circumspectis omnibus dixit homini : Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus ejus. 11. Ipsi autem repleti sunt insipientia, et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jesu. 12. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. 13. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos; et elegit duodecim ex ipsis (quos et Apostolos nominavit) : 14. Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem ejus, Jacobum, et Joannem, Philippum, et Bartholomæum, 15. Matthæum, et Thomam, Jacobum Alphæi, et Simonem, qui vocatur Zelotes, 16. et Judam Jacobi, et Judam Iscariotem, qui fuit proditor. 17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis, 18. qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. 19. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

20. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat : Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. 21. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. 22. Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter Filium hominis. 23. Gaudete in illa die et exultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlo : secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum. 24. Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. 25. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. 26. Væ cum benedixerint vobis homines, secundum hæc enim faciebant pseudo-prophetis patres eorum. 27. Sed vobis dico, qui auditis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. 28. Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos. 29. Et qui te percutit in maxillam, præbe et alteram. Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. 30. Omni autem petenti te, tribue; et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. 31. Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. 32. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam et peccatores diligentes se diligunt. 33. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt. 34. Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. 35. Verumtamen diligite inimicos vestros; benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes; et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. 36. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est. 37. Nolite judicare, et non judicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittemini. 38. Date, et dabitur vobis; mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. 39. Dicebat autem illis et similitudinem : Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? 40. Non est discipulus super magistrum; perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. 41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? 42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo; et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui. 43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos; neque arbor mala, faciens fructum bonum. 44. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam. 45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro profert malum; ex abundantia enim cordis os loquitur. 46. Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? 47. Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos : ostendam vobis cui similis sit. 48. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram; inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere, fundata enim erat super petram. 49. Qui autem audit, et non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento, in quam illisus est fluvius, et continuo cecidit, et facta est ruina domus illius magna.

Vers. 1. Sabbatum secundo primum, quod?

1. Factum est autem in sabbato secundo primo. — Arabicus, *in sabbato secundo*; Syrus sabbati non meminit. Quæres, quodnam hoc sabbatum? S. Hieronymus hanc quæstionem proposuit S. Gregorio Nazianzeno magistro suo. Ille eamdem in ipsum ludendo retorsit, cum, ut scribit S. Hieronymus ad Nepotianum, diceret : « Docebo te super hac re in Ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante, cogeris invitus scire quod nescis, aut certe si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis. »

Prima sententia.

*Primo*, S. Epiphanius, *hæresi* 51, Vatablus et alii, opinantur « sabbatum secundo primum » fuisse octavam diem azymorum, sive ultimum diem Paschæ. Pascha enim per octo dies celebrabatur, quibus pane azymo duntaxat vesci licebat : octavus autem dies erat cæteris septem solemnior, eodemque ritu celebrandus quo ipsum Paschæ festum Primus ergo dies Paschæ dicebatur « sabbatum primo primum, » id est festum summum et solemnissimum : octavus vero dies dicebatur « sabbatum secundo primum, » quia post primum diem Paschæ, solemnitate erat secundum; omnis enim dies festus ab Hebræis vocabatur sabbatum.

*Secundo*, Isidorus Pelusiota, lib. III, *epist.* 110, et ex eo Titus Bostrenus et Euthymius hic, per « sabbatum secundo primum » accipiunt primum diem azymorum, qui erat dies secundus Paschæ: Pascha enim incipiebat decima quarta die primi mensis Nisan ad vesperam, et decima quinta erat prima azymorum : secundum ergo sabbatum est primus dies azymorum, quia hic secundus est post primum Paschæ : idem quoque primus est, quia est primus dies festi azymorum.

Tertia.

*Tertio*, Maldonatus censet « sabbatum secundo primum » esse Pentecosten : Pascha enim esse sabbatum primo primum, id est festum primum et summum; Pentecosten vero huic proximum, ideoque post primum Paschæ ordine secundum.

[illegible] fuit sabbatum proprie dictum.

Verum, dico sabbatum hic non quodvis festum, sed sabbatum proprie dictum, sive diem septimum hebdomadæ significare. Nam illo tantum die quasi sacratissimo, Judæis lege vetitum erat spicas vellere et cibum parare, *Exodi* xxxv, 3, quod cæteris festis licebat, ut patet *Exodi* xii, 16. *Secundo*, idipsum liquet ex eo quod Matthæus, Marcus et Lucas constanter hoc festum vocant sabbatum.

At quod et quale?

Sed quodnam fuit hoc sabbatum, et cur dictum « secundo primum? »

Prima sententia.

*Primo*, Theophylactus censet fuisse sabbatum, quod præcedebat alius dies festus, v. g. si in Parasceve, sive feria sexta, fuisset festum Paschæ, Neomeniæ, Pentecostes, etc.; sabbatum proxime sequens dicebatur « secundo primum, » quasi secundum a festo præcedente, et post illud primum. Alii vice versa, « sabbatum secundo primum » intelligunt illud, post quod proxime sequebatur aliud festum : hujus enim respectu sabbatum erat primum, ac ejus quasi secundi respectu vocabatur secundo primum, quasi primum ante secundum quod proxime sequebatur.

*Secundo*, Josephus Scaliger, lib. VI *De Emend. temp.*, cap. vi, asserit hoc fuisse sabbatum primum post festum Paschæ, dicique secundo primum, quia primum erat post diem secundum azymorum, a quo numerabantur septem hebdomades usque ad Pentecosten; ita ut prima hebdomas et primum sabbatum vocaretur secundo prima, vel primum, secunda hebdomas cum suo sabbato vocaretur secundo secunda, tertia hebdomas secundo tertia, quarta secundo quarta, et ita deinceps usque ad septimam (1).

Huc accedit Gabriel Vasquez, tract. *De Eucharistia*, dip. 173, cap. ii, num. 10, qui opinatur « sabbatum secundo primum » fuisse sabbatum proxime sequens diem secundum azymorum. Additque τὸ « secundo primo » esse duas dictiones uti duas efficiunt Biblia Romæ correcta, non unum compositum, ac proinde in Græco pariter scribendum esse disjunctim δευτέρῳ, πρώτῳ, non conjunctim δευτεροπρώτῳ : quia, inquit, τὸ δευτέρῳ non est additamentum diminuens, *q. d.* Secundarie primum, sed augens dignitatem hujus sabbati : sabbatum ergo hoc censet dici secundum primum, ratione ordinis et numeri, sed respectu diversorum; secundum enim erat respectu primæ diei azymorum, quæ primum erat sabbatum, id est festum; primum vero erat, qua sabbatum sive dies septima, quæ primo sequebatur festum secundæ diei azymorum. Huic sententiæ obstat, quod initio ostendi, nec secundam diem azymorum, nec aliud festum hic vocari sabbatum, sed solum diem septimam hebdomadæ.

*Tertio*, verisimilius S. Chrysostomus, hom. 40 *in Matth.*, Jansenius, Toletus, Franciscus Lucas et Emmanuel Sa arbitrantur « sabbatum secundo primum » idem esse quod sabbatum duplex, sive sabbatum bis primum et bis solemne, ac tale dici sabbatum in quod aliud festum, v. g. Pentecostes, vel Neomeniæ, aut aliud simile incidebat : tunc enim sabbatum hoc videbatur duplex esse festum, sive bis festum. Verum sic brevius, clarius et aptius dixisset Lucas : Et erat sabbatum duplex; sive bis festum : sicut Ecclesia festa magis solemnia vocat *duplicia*, quia in eis duplicantur antiphonæ, illæ enim integræ tam ante quam post singulos psalmos recitantur. Rursum « sabbatum secundo primum » dicit ordinem ad sabbatum primo primum : ergo cum illo non potest esse unum et idem, ut vult Jansenius, sed ab eo debet esse diversum, illoque dignitate minus et inferius; secundum enim dicit ordinem et sequelam ad primum.

Objicit Jansenius : Matthæus in cap. xii, 1, in Græco, et Marcus, cap. ii, 23, in Latino, hoc sabbatum vocat « sabbata » in plurali, ergo plura in eo concurrebant festa. Respondeo : Vocant sabbata, id est sabbatum in singulari. Causam dedi *Matth.* xxviii, 1.

Quarta sententia.

*Quarto* ergo, verisimillimum est « sabbatum secundo primum » vocari sabbatum quod incidebat in festum Pentecostes, aut infra hebdomadem Pentecostes, dicique « secundo primum, »

(1) Scaligeri sententiam sequitur Kuinoel in h. l., et certam habebis, animum si attendas circumstantiis rei a Luca narratæ. Nam ex lege, *Levit.* xxiii, 15, die Paschatis secundo manipulus novi frumenti Domino offerebatur, tumque falx in segetem immitti, atque plena messis institui poterat. Ergo haudquaquam verisimile est rem a Luca narratam hic, post Pentecosten, ut vult interpres Noster, contigisse.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

id est secundo loco primum, vel primum post sabbatum, quod incidebat infra hebdomadem Paschæ: hoc enim erat primo primum, sive absolute primum omnium sabbatorum totius anni. Unde de eo ait Joannes, cap. XIX, 31: « Erat enim magnus dies ille sabbati, » id est nobilissimum et solemnissimum hoc Paschæ sabbatum. Sicut enim festum Paschæ erat cæterorum festorum primum et celeberrimum; sic et sabbatum in festa Paschæ incidens, cæterorum sabbatorum erat primum et celeberrimum. Porro proximum a Paschate, sive secundum festum erat Pentecoste: unde et sabbatum proximum post Pentecosten, secundum inter sabbata locum obtinebat. Sabbatum ergo Paschæ erat primo primum, sabbatum vero Pentecostes erat huic proximum, sed dignitate inferius, ideoque dicebatur secundo primum, id est secundum a sabbato paschali, ac post illud cæterorum primum.

Probatur hæc sententia *primo*, quia ea quæ hic narrantur de Christi discipulis sabbato hoc spicas vellentibus, contigerunt circa Pentecosten, ut patet ex eo quod tunc segetes sint maturæ in Judæa, utpote regione calida. Unde Judæi jubebantur tunc primos panes novæ frugis Deo offerre, *Levit*. XXIII, 16 et 17.

*Secundo*, quia sabbatum hoc, ut ostendi initio, erat sabbatum proprie dictum, ac proinde secundum dici debet respectu alicujus sabbati primi etiam proprie dicti, non autem respectu Paschæ aut alterius festi. Ergo cum sabbatum Paschæ fuerit omnium primum, ut probavi, consequens est, ut sabbatum Pentecostes dicatur et sit secundum, sive secundo primum, id est secundo loco et gradu primarium et principale, idque exigunt Biblia Romæ correcta, quæ τὸ *secundo* commate dividunt a τῷ *primo*. Sic enim habent: « Factum est autem in sabbato secundo, primo cum transiret per sata; » et Arabicus, *in sabbato secundo*.

*Tertio*, quia ex dictis liquet nullam cæterarum opinionum esse veri similem. Denique cognata et vicina festa sunt Pascha et Pentecoste, ut unum primum, alterum a primo secundum esse videatur. Unde Itali Pentecosten vocant Pascha Spiritus Sancti. Similí modo consequenter cognata et vicina erant duo sabbata, Paschæ et Pentecostes. Hinc et Ecclesia omnes Dominicas quæ in locum sabbatorum successere, ordine suo numerat a Pentecoste usque ad Adventum, ac primam Dominicam post Pentecosten nuncupat illam quæ incidit in octavam Pentecostes, secundam quæ proxime sequitur, tertiam quæ tertio loco, etc.

[Itali Pentecosten vocant Pascha Spiritus Sancti.]

Dices: Tota hebdomada Pentecostes non erat festa, uti erat hebdomas Paschæ; ergo sabbatum in illam incidens non erat dignius cæteris. Respondeo: Hebdomas Pentecostes non erat festa ex præscripto legis, sed tamen ex religione et devotione Hebræorum, ad imitationem Paschæ, celebrior erat cæteris hebdomadibus. Unde magna celebritate diem octavam Pentecostes celebrabant die 13 tertii mensis Sivan, sive maii (Pentecosten enim celebrabant sexta die ejusdem mensis), sicut octavam Paschæ celebrabant die 22 primi mensis Nisan, sive martii, hæc enim est octava a die 14 qua celebrabant Pascha: quæ omnia patent ex *Calendario Hebræorum*, quod edidit Genebrardus, et *Commentario* quod in Psalmos præfixit.

Allegorice S. Ambrosius hic: Sabbatum secundo primum, inquit, est tempus Evangelii, hoc enim tempore est secundum, quia sequitur sabbatum legale, dignitate vero est primum. [Allego.]

Symbolice idem, in *Psalm*. XLVII, sub initium: Sabbatum secundo primum, inquit, est sabbatum Judæorum; hoc enim dignitate est secundum a nostro Paschate, quia post resurrectionem Christi prælatus est illi dies Dominicus: dicitur et primum, quia ante Christum erat primum et solemnissimum. [Symbol.]

Tropologice Beda: Christus, inquit, sabbatis maxime curat et docet, non solum propter insinuandum spirituale sabbatum, quo mens a vitiis et operibus corporalibus abstinens uni vacat Deo; sed etiam propter celebriorem populi conventum, ubi jam die Dominico ad confluentem populum habetur concio. Accessit et alia ratio, quam dedi in Matthæo, scilicet ut Christus Judæos et Scribas doceret verum sabbati cultum, nec ei repugnare ægrorum curationem et miracula, quæ ipse in sabbato patrabat, ut censebant Scribæ, qui proinde eum ut legis violatorem persecuti sunt usque ad necem et crucem, idque permittere decreverat Deus, ut sic decretum suum de redimendis per Christi crucem hominibus adimpleret. [T]

5. Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbati, — ob causas quas dedi *Matthæi* cap. XII. Hic exemplar Græcum Parisiense, quod citat Franciscus Lucas in notis, hæc addit: « Eodem die, cum quemdam conspexisset operantem sabbato, dixi ei: Homo, si quidem nosti quid agas, beatus es; sin autem non nosti, execrabilis es et transgressor legis. » Verum hæc Ecclesia non agnoscit. [V]

11. Ipsi autem repleti sunt insipientia. — *q. d.* Nil Christo respondere potuerunt Judæi more insipientis, qui non habet quod dicat et loquatur. Græce pro *insipientia* est ἀνοίας, id est *amentia*, *q. d.* In rabiem et furorem acti sunt, quod rationibus Christi tam evidentibus confunderentur. Syrus vertit, *repleti sunt invidia*: hæc enim eos excæcabat, ne veritatem de modo colendi sabbatum agnoscerent, ac eos in necem Christi incitabat. Unde subdit Lucas: « Et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jesu, » ut eum e medio tollerent. Est metalepsis: ponitur enim effectus pro causa, scilicet « insipientia » pro invidia, a qua causatur et nascitur. [Vers.]

12. Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei, — orans Deum, colloquens cum Deo. Propria orationis hujus nocturnæ causa



fuit, ut Christus per eam Patrem rogaret, ut postero mane e discipulis duodecim Apostolos designaret, eosque deligeret, qui tanto gradu digni forent, atque ut eis orando gratiam et spiritum ingentem ad Apostolatu hoc rite perfungendum multosque convertendum impetraret, utque nos idem facere doceret. Quocirca Ecclesia, Christi exemplo, in Quatuor Temporibus dum ordinat Sacerdotes, Diaconos, Episcopos, etc., orationem et jejunium fidelibus omnibus indicit, ut digni eligantur, utque electis gratia ad tantum munus idonea impetretur. A Clero enim totus pendet populus. Episcopus si bonus et zelosus est, omnes fideles sui Episcopatus ædificat et sanctificat: sin vitiosus sit vel deses, omnes scandalizat et perdit. Sic et Parochus totam parochiam, si bonus est, bonam efficit; si malus, malam.

Tropologice: docet hic Christus noctu orare, *primo*, quia nox ob quietem, silentium et solitudinem mentem colligit, ut in Deum facile elevetur eique uniatur; *secundo*, ad arcendum nocturnas illusiones, tentationes, terrores, quos dæmon excitare solet; *tertio*, ut noctu orando hauriamus a Deo spiritum et gratias, quas per diem in proximos effundamus. Hac de causa Christus noctu orabat, per diem concionabatur. Idem fecit S. Paulus, *Act*. XVI, 15; I *Timoth*. V, 5; S. Antonius, S. Simeon Stylites, S. Dominicus, S. Franciscus et alii. Hinc David toties nocturnam orationem commendat, ut *Psalm*. CXXXIII, 1: « In noctibus extollite manus vestras in sancta. » *Psal*. CXVIII, 62: « Media nocte surgebam ad confitendum tibi. » *Psal*. LXXVI, 7: « Meditatus sum nocte cum corde meo. » *Psal*. XLI, 4: « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus? » Plura de hac re dixi superius, et *Deuter*. VI, 7, ad illa: « Dormiens atque consurgens. »

20. Beati pauperes spiritu. — « Humilitas enim spiritus divitiæ virtutum sunt, » ait S. Ambrosius. Porro Matthæus, cap. V, octo beatitudines Evangelicas recenset, quas Lucas hic per compendium ad quatuor redigit. Vide ibi dicta.

Hinc recte concludit S. Ambrosius, lib. II *Offic.*, cap. IV: « Itaque, inquit, paupertatem, famem, dolorem, quæ putantur esse mala, non solum impedimento non esse ad beatam vitam, sed etiam adjumento evidentissime pronuntiatum est a Christo, » qui est prima veritas, ideoque falli aut fallere nequit.

Porro, S. Ambrosius hic causam dat cur Lucas quatuor tantum assignet beatitudines: Quia contentus fuit, inquit, quatuor virtutes amplecti cardinales, scilicet justitiam, quæ alienas opes non appetens sancta gaudet paupertate; temperantiam, quæ esurire et sitire mavult, quam saturari et commessari; prudentiam, quæ hic lugere et flere appetit, ut in cœlo ridere et exultare mereatur; fortitudinem, quæ pro Christo et virtute omnia probra et maledicta, et adversa quælibet generose sustinet et superat. Aut potius censet temperantiam notari in prima beatitudine, cum ait: « Beati pauperes; » justitiam in secunda, cum ait: « Beati qui nunc esuritis, » scilicet justitiam, ut addit Matthæus cap. V; prudentiam in tertia, cum ait: « Beati qui nunc fletis: » « habes, ait Ambrosius, prudentiam cujus est flere occidua, et ea quæ æterna sunt quærere; » fortitudinem in quarta, cum ait: « Beati eritis cum vos oderint homines. » « Habes, ait, fortitudinem, sed eam quæ non odium mereatur ex crimine, sed persecutionem patiatur ex fide. Sic enim ad passionis pervenitur coronam, si gratiam hominum negligas, divinam sequaris. »

24. Væ vobis divitibus, quia (ita legendum cum Romanis, non *qui*; Græce enim est ὅτι, quod dat causam cur divitibus sit væ) habetis consolationem vestram. — Christus hic quatuor recensitis jam beatitudinibus sive felicitatibus, per antithesin totidem opponit miserias et infelicitates; scilicet *primo*, studio paupertatis ejusque præmio, scilicet regno cœlorum, opponit studium divitiarum et avaritiam ejusque pœnam, scilicet væ æternæ damnationis, desolationis et gehennæ. *Secundo*, abstinentiæ et esuriei ejusque præmio, scilicet saturitati cœlesti, opponit gulam ejusque congruam pœnam; scilicet væ æternæ famis et penuriæ. *Tertio*, pio luctui ejusque præmio, scilicet gaudio perenni, opponit modicum præsentis vitæ gaudium et risum ejusque pœnam, scilicet luctum et planctum æternum. *Quarto*, persecutioni ejusque præmio, scilicet amplæ mercedi in cœlis, opponit plausum hominum ejusque pœnam, scilicet perennem Dei offensam, iram et vindictam. « Væ » enim in Scriptura sæpe notat Dei iram et damnationem ad gehennam æternam, ut notat S. Gregorius, hom. 9 *in Ezechiel*. Porro, τὸ « væ » est interjectio Christi partim deplorantis æternam divitum miseriam, ut vult S. Chrysostomus, hom. 44 *ad Popul.*; partim eam prædicentis, ut vult Titus; partim eam comminantis et decernentis, ut vult Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem*.

[Væ in Scriptura quid significet?]

Divitibus. — Sicut per pauperes, vers 20, intellexit pauperes spiritu, id est, amore, affectu et studio, qui scilicet amant paupertatem, ut magis placeant Deo; sic per « divites » hic intelligit avaros et cupidos, qui student congerere opes per fas et nefas, ac in iis suam felicitatem quasi ultimum finem collocant: hoc enim est peccatum mortale, quod ad rapinas, usuras, injustos contractus aliaque peccata impellit, ideoque ei Christus hic « væ » gehennæ intentat. Nam alioqui divites, qui ex hæreditate vel honesto labore et lucro abundant opibus, si illis non afficiantur, sed eas in pauperes operaque pia expendant, sunt pauperes spiritu, uti fuere Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses, David, etc.; « nec census igitur, sed affectus in crimine est, » ait S. Ambrosius hic. Hoc est quod ait Apostolus,

I *Timoth.* VI, 9 : « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem ; radix enim omnium malorum est cupiditas : » Græce φιλαργυρία, id est cupido argenti. Vide ibi dicta.

QUIA HABETIS CONSOLATIONEM VESTRAM. — Quia divitiis vestris quasi summo bono fruimini, in iisque magis quam in Deo confiditis, quiescitis, gaudetis, superbitis, atque iis ad gulam, luxuriam aliaque scelera abutimini : hac de causa Deus divitias præsentes vobis indulget, ut consolationem et felicitatem vestram habeatis in hac vita ; sed in altera careatis felicitate cœlesti et æterna : « Nam qui consolationem vitæ præsentis habuerunt, remunerationem perpetuam perdiderunt, » ait S. Ambrosius ; Christus enim hic æterna lege sanxit, ut qui in hac vita sua habent commoda, in futura sua habeant incommoda ; et vice versa. Unde S. Hieronymus, *epist.* 34, Julianum nobilem et opulentum hominem, quem ad sæculi contemptum vitæque religiosæ amorem inducere nititur, hoc potissimum argumento aggreditur : « Difficile, inquit, imo impossibile est,

Difficile est præsentibus frui bonis et futuris.

ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis, et hic ventrem et ibi mentem expleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, ut cœlo et terra appareat gloriosus. » Hinc Abraham diviti epuloni nullam aliam damnationis et tormentorum in igne gehennæ causam objicit, quam hanc : « Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris, » *Lucæ* XVI. Hinc et Christus S. Catharinæ Senensi

S. Catharina Senensis spineam coronam elegit.

duas obtulit coronas, unam gemmeam, alteram spineam, sed ea lege, ut, si gemmeam eligeret in hac vita, spineam acciperet in altera, et vice versa. Quocirca illa spineam de manu Christi accepit, eamque adeo valide capiti suo infixit, ut per plures dies acres spinarum puncturas et dolores sentiret.

Vers. 25. 25. VÆ VOBIS, QUI SATURATI ESTIS : QUIA ESURIETIS — in gehenna ; *q. d.* Væ vobis qui gulæ et crapulæ indulgetis, qui deliciis vos exsaturatis, qui ventrem vinis sapidis saburratis, imo mergitis et obruitis, quia famebitis in æternum : esto enim impii in inferno graviores ignis subituri sint pœnas, tamen gulosi hanc quoque famem et sitim ignium ardore sensuri sunt, quasi proprium gulæ suæ supplicium et tormentum. Unde dives Epulo optabat a Lazaro sibi dari guttam aquæ, qua refrigeraret linguam igne æstuantem, eo quod illam cibis vinisque delicatis saturasset. Ita Euthymius. Causam dat S. Basilius in *Regulis fusius disput.*, cap. XIX : Quia voluptatibus servire, inquit, nihil aliud est quam ventrem suum Deum efficere. Et S. Gregorius, lib. V *in lib. Regum*, cap. I : « Ex uno, ait, gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur. Et cum idem gulæ vitium reciditur, alia nobis multa subjugamus. Unum quidem gulæ vitium est, sed aculei libidinis innumeri sunt, qui præcedentem illum quasi regem sequuntur, qui læta quidem suggerunt, sed ad æterni fletus lamenta perducunt. » Et S. Bernardus, *epist.* 152 : « Mens, inquit, assueta deliciis, nec exculta disciplinæ sarculo, multas contrahit sordes. » Idem, serm. 48 *in Cant.* : « Vita, ait, in deliciis agens, et mors est, et umbra mortis : quantum enim umbra prope est corpori cujus est umbra ; tantum pro certo vita illa inferno appropinquat. »

Ex adverso S. Leo, serm. 2 *De jejunio decimi mensis* : « De abstinentia, inquit, prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia, ac per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur. »

Hac de causa Christus S. Catharinæ Senensi hoc dogma dedit : « Amara ut dulcia amplectare, dulcia ut amara refuge. » Vide multa deliciarum damna, quæ ex Salomone recensui *Eccles.* II, 1.

VÆ VOBIS QUI RIDETIS NUNC, QUIA LUGEBITIS ET FLEBITIS, — tum in hac vita, tum magis in gehenna. S. Basilius, in *Regulis brevior.*, respons. 31, videtur in fidelibus damnare omnem risum, eo quod hæc vita sit pœnitentiæ et luctus, futura vero gaudii et risus. Unde et Christus sæpius legitur flevisse, at risisse nunquam, ut advertit S. Augustinus, serm. 35 *De Sanctis*.

Verum Sapiens, *Eccli.* cap. XXI, vers. 23, moderatum risum Sanctis permittit : « Fatuus, ait, in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite ridebit. » Vide ibi dicta, et *Eccles.* cap. II, 2, ad illa : « risum reputavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deciperis ? » ubi ostendi nimium risum et cachinnos vetari, non moderatum ; hic enim signum est animi tranquilli, læti, innocentis, benevoli. « Væ ergo vobis qui ridetis, » id est qui in comessationibus, ebrietatibus, luxuriis cæterisque vetitis hujus mundi voluptatibus ridetis, id est exultatis, et vos in ineptam sceleratamque lætitiam effunditis, quia in inferno lugebitis et plorabitis in æternum.

26. VÆ CUM BENEDIXERINT VOBIS HOMINES : SECUNDUM HÆC ENIM FACIEBANT PSEUDOPROPHETIS PATRES EORUM. — *q. d.* Væ cum vobis plausibilia et carni grata prædicantibus applauserint homines, quorum longe major pars sensu et concupiscentia ducitur, estque animalis et carnalis, ideoque veram doctrinam, et doctorem carnis et concupiscentiæ vitia taxantem et resecantem odit et persequitur, illa autem excusantem et palpantem amat, laudat et benedicit ; qui proinde maledicitur a Deo vitiorum osore et vindice, quia sic applaudebant pseudoprophetis plausibilia et erronea docentibus patres eorum ; quare sicut utrique ad inferna descenderunt, sic et ego idem « væ » damnationis vobis eadem facientibus intento. Opponitur enim hoc « væ » quartæ beati-



tudini verorum Prophetarum, id est prædicatorum qui persecutionem patiuntur propter Christum, scilicet propter fidem, pietatem et veritatem, quam prædicant, vers. 22. Hoc est quod ait Paulus, *Galat.* I : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. » Vide ibi dicta. Qui enim errores et ea quæ carni sunt suavia, docet, causa est ut populus carnaliter vivat multaque scelera committat : quorum proinde omnium ipse, utpote causa et incentor, pœnas maximas et plurimas luet in inferno. Rursum prædicator, qui ex concione sibi plausum quærit, non conversionem populi, atque hanc vanam gloriam suæ concioni velut fructum et mercedem præstituit et captat, hic damnabitur, tum quia prædicationis officio ad laudem, non Dei, sed suam abusus est ; tum quia vanam gloriam sibi finem ultimum et bonum summum præfixit ; tum quia salutem tot animarum sibi creditam, ut eas viam virtutis et salutis doceret, impedivit et evertit. Tales pseudoprophetæ, id est falsi prædicatores, erant illi quos sæpe redarguit Jeremias (aliique Prophetæ), ut cap. VII, dicens : « Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia. »

Vers. 27. 27. SED VOBIS DICO, QUI AUDITIS : DILIGITE INIMICOS VESTROS. — Τὸ « sed » significat antithesin, scilicet Christum ab impiis et miseris voluptatum sectatoribus, quibus quater « væ » intentavit, sermonem ad suos auditores, verbi Dei et pietatis studiosos convertere, *q. d.* Ego « væ » hucusque impiis intentavi, sed vobis piis mei studiosis auditoribus, nunc pia salutis præcepta edo, ac imprimis, ut diligatis inimicos. Præcepta hæc Christi exposui *Matth.* V, vers 44 et seqq.

Vers. 30. 30. OMNI PETENTI TE TRIBUE. — *q. d.* Non tantum indigenti pane, sed egenti auxilio, doctrina vel consilio tuo, illud ipsi libens impende : sic enim exercebis actum misericordiæ et eleemosynæ, vel corporalis, vel spiritualis. Vide dicta *Matth.* V, 42. Quibus adde, Lucam addere Matthæo τὸ « omni, » quod explicans S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in monte*, cap. XL : « Omni petenti, inquit, non omnia petenti, ut id des quod dare honeste et juste potes. Quid si enim pecuniam petat, qua innocentem conetur opprimere ? quid si postremo stuprum petat ? sed ne multa persequar, quæ sunt innumerabilia, id profecto dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat, quantum sciri aut credi ab homine potest : et cujus te negaveris quod petit, indicanda est ipsa justitia, ut non eum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamvis non semper id quod petit, dabis, sed aliquando melius aliquid dabis, cum petentem injuste correxeris. »

ET QUI AUFERT QUÆ TUA SUNT, NE REPETAS, — sive in judicio, ut explicat S. Augustinus, sive extra illud. Est hoc præceptum, si is qui abstulit valde eo indigeat, alias consilium. Huc facit illud *Isaiæ*, LVIII, 3 : « Omnes debitores repetitis ; » et parabola illa servi, qui a conservo reposcens debitum eumque suffocans, ab hero damnatus est ad carcerem, donec omne debitum jam ante sibi dimissum redderet, *Matth.* XVIII. Hoc fecit S. Spiridion, qui furibus oves, quas ei furati erant, condonavit. Idem fecere anachoretæ plures, ut ex Vitis Patrum patet.

34. ET SI MUTUUM DEDERITIS HIS, A QUIBUS SPERATIS RECIPERE (simile beneficium), QUÆ GRATIA EST VOBIS ? — *q. d.* Hoc non tam gratia est, quam mercatura, et beneficii cum beneficio commutatio. Unde Interlinearis : « Ex hoc solo, ait, quod speratis recipere, non pro Deo datis. » Spes ergo mutui beneficii aufert ipsi beneficentiæ gratiam Dei.

35. ET MUTUUM DATE, NIHIL INDE SPERANTES — *ab hominibus*, ut addit Syrus, ut Deus vobis aliunde retribuat ; « nihil, » id est nullum pretium, nullum fœnus, nullam usuram, item nullam recompensationem. Vult ergo nos gratis dare mutuum, non tantum ut pro mutuo usuram non accipiamus, quod est præcepti ; sed insuper ita, ut non intendamus simile beneficium ab eo cui mutuum damus, nobis præstari, quod est consilii, v. g. cogitando : Ego Petro mutuum dabo, ut ille vicissim in tali re officium suum mihi præstet. Hoc enim animi est minus liberalis, sed quærentis et avari. Christus vero hic nos instruit ad plenam sinceramque liberalitatem, qua ex mutuo nihil lucri exspectamus, sed tantum ut ipsum mutuum suo tempore nobis restituatur. Aliqui ne hanc quidem restitutionem exspectandam putant. Verum de eo non agit hic Christus : nam hoc est donare, non mutuare ; nec mutuum, sed donum. Ita Toletus, Lessius, Valentia et cæteri, qui de usura et mutuo scripsere.

Porro, ex mutuo sperare lucrum vel commodum, est contra etymon et naturam mutui. « Mutuum » enim dicitur, quod « mutuo sint animo » qui officii dant causa, ait Varro, lib. V *De Lingua Latina* ; aut potius, ut Nonius Marcellus, « mutuum » dicitur quasi « meum tuum. » « Mutuum, ait, vocatur quod sub amico affectu fiat meum tuum, usu temporis necessarii. » Unde S. Gregorius Nyssenus, orat. *Contra Usurarios* : « In eo, ait, qui dat mutuo sub conditione usuræ, cauponarius quæstus condemnatus est. » Nam « mutuum in amicitia est, cum per voluntas accipitur et redditur, » ait Cicero, lib. V, epist. 2 *ad Metellum*.

Denique vir cordatus egenti dabit mutuum, etiamsi putet illud iri perditum, nec unquam sibi restituendum. Multi enim sunt pauperes, qui mutuum restituere non possunt, alii ingrati qui nolunt. Unde Comicus :

Si amico, *ait*, des mutuum, illud dum repetes,
Vel illud quod credideris perdas, vel illum amicum amittes.

Idem alibi :

Mutuo talento, *ait*, mihi inimicum emi, amicum perdidi.

Quocirca qui dat mutuum, illud datum æstimet,

datum, inquam, amore Dei, et a Deo magno cum fœnore sibi restituendum, juxta illud : « Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis, » *Prov.* XIX, 17. Vide ibi dicta. Unde S. Chrysostomus : « Pauper recipit, ait, sed Deus obligat se. » Et S. Basilius, conc. 4 *De Eleemosyna* : « Cum enim, inquit, pauperi propter Dominum aliquid es daturus, illud idem et donum est et mutuum : donum quidem, propter nullam præmii expectationem; mutuum vero, propter splendidam Domini munificentiam, ejus vice rependentis, qui cum pauca in pauperis persona acceperit, maxima eorum nomine reponit. »

Quocirca christiane Ecclesiasticus, XXIX, 13 : « Perde, ait, pecuniam propter fratrem et amicum tuum, » ubi per plures versus multa de mutuo dixi variosque ad facile mutuandum stimulos suggessi. Vidi in quadam urbe primaria communem abusum mutui, quo illud recipientes accipiebant, non ut mutuum, sed ut donatum, quare de eo restituendo non cogitabant; imo si mutuum repeteretur, indignabantur. Verum hoc abusu id consecuti sunt, ut nemo ibidem alteri ulterius mutuum dare velit, cogitantes tantumdem esse mutuatum, quantum est donatum vel perditum.

38. DATE, ET DABITUR VOBIS. — Multi sunt liberales in promittendo, pauci in dando. Unde Antigonus, rex Macedonum, teste Plutarcho in *Æmilio*, a vulgo vocabatur *Doson*, eo quod semper in ore haberet : δώσω, id est *dabo*, sed reipsa daret nihil. Idcirco Christus ait : « date, » in præsenti, non : « dabitis, » in futuro. Antigonus semper promittebat, nihil dabat.

ET DABITUR VOBIS. — Hæc est enim vicaria merces dantis, quam Deus quasi talionem ei assignat, suscitando scilicet multos qui ipsi vicem rependant, ac multa danti plura donent, uti contigit S. Joanni Eleemosynario. Lege Leontium in ejus Vita. Fertur monasterium quoddam largis eleemosynis quas dabat evasisse locuples, ii deinde negatis ad pauperiem redactum. Cumque hac de re procurator quereretur apud peregrinum quemdam ibidem hospitem, ab eo audivit : *Date* et *Dabitur* sunt sorores. Vos ejecistis priorem cui nomen *Date*, mox ejectam sororem secuta est ejus comes individua, cui nomen *Dabitur*. Si ergo vultis ut illa redeat, revocate priorem, ac largas, ut prius, date eleemosynas. Lepidum exemplum de Date et Dabitur sororum. Vide dicta vers. 27; *Matth.* v. 42, et alibi. Eleemosyna ergo non depauperat, sed ditat, uti eleganter probat S. Chrysostomus, homilia cui titulus : *Quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima.* Nam, ut ait sancitque Christus : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, » *Matth.* cap. V, vers. 7, ubi plura hac de re dixi.

# CAPUT SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus sanat servum Centurionis moribundum. Secundo, vers. 11, filium viduæ in Naim a morte suscitat. Tertio, vers. 19, discipulis Joannis Baptistæ rogantibus :* Tu, quis es? *non verbis, sed factis et miraculis respondet, se esse Messiam sive Christum. Quarto, vers. 24, laudat Joannem quasi suum et Dei angelum. Quinto, vers. 36, Magdalenæ pœnitenti peccata remittit.*

*Primam partem explicui,* Matth. VIII, 5; *tertiam et quartam,* Matth. XI, *versibus ad marginem annotatis. Superest ergo secunda et quinta hic explicanda.*

1. Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum. 2. Cen-
turionis autem cujusdam servus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. 3. Et
cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et salva-
ret servum ejus. 4. At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei :
Quia dignus est ut hoc illi præstes. 5. Diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse
ædificavit nobis. 6. Jesus autem ibat cum illis. Et cum jam non longe esset a domo, misit
ad eum Centurio amicos, dicens : Domine, noli vexari : Non enim sum dignus ut sub tec-
tum meum intres. 7. Propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad
te; sed dic verbo, et sanabitur puer meus. 8. Nam et ego homo sum sub potestate consti-
tutus, habens sub me milites; et dico huic : Vade, et vadit; et alii : Veni, et venit; et servo
meo : Fac hoc, et facit. 9. Quo audito, Jesus miratus est, et conversus sequentibus se tur-
bis, dixit : Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni. 10. Et reversi, qui missi
fuerant, domum, invenerunt servum qui languerat, sanum. 11. Et factum est : deinceps



ibat in civitatem, quæ vocatur Naim; et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa.
12. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus
matris suæ; et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa. 13. Quam cum vidisset
Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi : Noli flere. 14. Et accessit, et tetigit
loculum (hi autem, qui portabant, steterunt). Et ait : Adolescens, tibi dico, surge. 15. Et
resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. 16. Accepit autem
omnes timor; et magnificabant Deum, dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis,
et quia Deus visitavit plebem suam. 17. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo,
et in omnem circa regionem. 18. Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his.
19. Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, et misit ad Jesum, dicens : Tu es qui
venturus es, an alium exspectamus? 20. Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt :
Joannes Baptista misit nos ad te dicens : Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?
21. (In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et
cæcis multis donavit visum). 22. Et respondens, dixit illis : Euntes renuntiate Joanni quæ
audistis et vidistis : Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt,
mortui resurgunt, pauperes evangelizantur; 23. et beatus est quicumque non fuerit scan-
dalizatus in me. 24. Et cum discessissent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad tur-
bas : Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? 25. Sed quid existis
videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt et deli-
ciis, in domibus regum sunt. 26. Sed quid existis videre? prophetam? Utique dico vobis,
et plusquam prophetam. 27. Hic est de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum ante
faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. 28. Dico enim vobis : Major inter natos
mulierum propheta Joanne Baptista nemo est; qui autem minor est in regno Dei, major
est illo. 29. Et omnis populus audiens, et publicani, justificaverunt Deum, baptizati bap-
tismo Joannis. 30. Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos,
non baptizati ab eo. 31. Ait autem Dominus : Cui ergo similes dicam homines generationis
hujus? et cui similes sunt? 32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad
invicem, et dicentibus : Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis; lamentavimus, et non
plorastis. 33. Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum,
et dicitis : Dæmonium habet. 34. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicitis :
Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum. 35. Et justi-
ficata est sapientia ab omnibus filiis suis. 36. Rogabat autem illum quidam de Pharisæis,
ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. 37. Et ecce mulier, quæ
erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabas-
trum unguenti; 38. et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et
capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. 39. Videns
autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens : Hic si esset propheta, sciret
utique, quæ et qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. 40. Et respondens
Jesus, dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait : Magister, dic. 41. Duo
debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinqua-
ginta. 42. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus dili-
git? 43. Respondens Simon dixit : Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei : Recte
judicasti. 44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Intravi in
domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lacrymis rigavit pedes meos,
et capillis suis tersit. 45. Osculum mihi non dedisti; hæc autem ex quo intravit, non ces-
savit osculari pedes meos. 46. Oleo caput meum non unxisti; hæc autem unguento unxit
pedes meos. 47. Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

datum, inquam, amore Dei, et a Deo magno cum fœnore sibi restituendum, juxta illud : « Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis, » *Prov.* XIX, 17. Vide ibi dicta. Unde S. Chrysostomus : « Pauper recipit, ait, sed Deus obligat se. » Et S. Basilius, conc. 4 *De Eleemosyna* : « Cum enim, inquit, pauperi propter Dominum aliquid es daturus, illud idem et donum est et mutuum : donum quidem, propter nullam præmii expectationem; mutuum vero, propter splendidam Domini munificentiam, ejus vice rependentis, qui cum pauca in pauperis persona acceperit, maxima eorum nomine reponit. »

Quocirca christiane Ecclesiasticus, XXIX, 13 : « Perde, ait, pecuniam propter fratrem et amicum tuum, » ubi per plures versus multa de mutuo dixi variosque ad facile mutuandum stimulos suggessi. Vidi in quadam urbe primaria communem abusum mutui, quo illud recipientes accipiebant, non ut mutuum, sed ut donatum, quare de eo restituendo non cogitabant; imo si mutuum repeteretur, indignabantur. Verum hoc abusu id consecuti sunt, ut nemo ibidem alteri ulterius mutuum dare velit, cogitantes tantumdem esse mutuatum, quantum est donatum vel perditum.

38. DATE, ET DABITUR VOBIS. — Multi sunt liberales in promittendo, pauci in dando. Unde Antigonus, rex Macedonum, teste Plutarcho in *Æmilio*, a vulgo vocabatur *Doson*, eo quod semper in ore haberet : Δώσω, id est *dabo*, sed reipsa daret nihil. Idcirco Christus ait : « date, » in præsenti, non : « dabitis, » in futuro. Antigonus [illegible] nihil dabat.

ET DABITUR VOBIS. — Hæc est enim vicaria merces dantis, quam Deus quasi talionem ei assignat, suscitando scilicet multos qui ipsi vicem rependant, ac multa danti plura donent, uti contigit S. Joanni Eleemosynario. Lege Leontium in ejus Vita. Fertur monasterium quoddam largis eleemosynis quas dabat evasisse locuples, iis deinde negatis ad pauperiem redactum. Cumque hac de re procurator quereretur apud peregrinum quemdam ibidem hospitem, ab eo audivit : *Date* et *Dabitur* sunt sorores. Vos ejecistis priorem cui nomen *Date*, mox ejectam sororem secuta est ejus comes individua, cui nomen *Dabitur*. Si ergo vultis ut illa redeat, revocate priorem, ac largas, ut prius, date eleemosynas. Vide dicta vers. 27; *Matth.* V. 42, et alibi. Eleemosyna ergo non depauperat, sed ditat, uti eleganter probat S. Chrysostomus, homilia cui titulus : *Quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima.* Nam, ut ait sancitque Christus : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, » *Matth.* cap. V, vers. 7, ubi plura has de re dixi. Lepida exempla Date et Dabitur sororum.

# CAPUT SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus sanat servum Centurionis moribundum. Secundo, vers. 11, filium viduæ in Naim a morte suscitat. Tertio, vers. 19, discipulis Joannis Baptistæ rogantibus :* Tu, quis es? *non verbis, sed factis et miraculis respondet, se esse Messiam sive Christum. Quarto, vers. 24, laudat Joannem quasi suum et Dei angelum. Quinto, vers. 36, Magdalenæ pænitenti peccata remittit.*

*Primam partem explicui,* Matth. VIII, 3; *tertiam et quartam,* Matth. XI, *versibus ad marginem annotatis. Superest ergo secunda et quinta hic explicanda.*

1. Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum. 2. Centurionis autem cujusdam servus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. 3. Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus. 4. At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei : Quia dignus est ut hoc illi præstes. 5. Diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis. 6. Jesus autem ibat cum illis. Et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens : Domine, noli vexari : Non enim sum dignus ut sub tectum meum intres. 7. Propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te; sed dic verbo, et sanabitur puer meus. 8. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic : Vade, et vadit; et alii : Veni, et venit; et servo meo : Fac hoc, et facit. 9. Quo audito, Jesus miratus est, et conversus sequentibus se turbis, dixit : Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni. 10. Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt servum qui languerat, sanum. 11. Et factum est : deinceps



ibat in civitatem, quæ vocatur Naim; et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa. 12. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ; et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa. 13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi : Noli flere. 14. Et accessit, et tetigit loculum (hi autem, qui portabant, steterunt). Et ait : Adolescens, tibi dico, surge. 15. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. 16. Accepit autem omnes timor; et magnificabant Deum, dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam. 17. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, et in omnem circa regionem. 18. Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his. 19. Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, et misit ad Jesum, dicens : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? 20. Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt : Joannes Baptista misit nos ad te dicens : Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? 21. (In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et cæcis multis donavit visum). 22. Et respondens, dixit illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur; 23. et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me. 24. Et cum discessissent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas : Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? 25. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt et deliciis, in domibus regum sunt. 26. Sed quid existis videre? prophetam? Utique dico vobis, et plusquam prophetam. 27. Hic est de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. 28. Dico enim vobis : Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est; qui autem minor est in regno Dei, major est illo. 29. Et omnis populus audiens, et publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. 30. Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo. 31. Ait autem Dominus : Cui ergo similes dicam homines generationis hujus? et cui similes sunt? 32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus : Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis; lamentavimus, et non plorastis. 33. Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis : Dæmonium habet. 34. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicitis : Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum. 35. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis. 36. Rogabat autem illum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. 37. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti; 38. et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. 39. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens : Hic si esset propheta, sciret utique, quæ et qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. 40. Et respondens Jesus, dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait : Magister, dic. 41. Duo debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. 42. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? 43. Respondens Simon dixit : Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei : Recte judicasti. 44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit. 45. Osculum mihi non dedisti; hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. 46. Oleo caput meum non unxisti; hæc autem unguento unxit pedes meos. 47. Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. 48. Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi peccata. 49. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se : Quis est hic, qui etiam peccata dimittit ? 50. Dixit autem ad mulierem : Fides tua te salvam fecit : vade in pace.

1. CUM AUTEM IMPLESSET (supple loqui; Syrus, *cum absolvisset*; alii, *cum complesset*) OMNIA VERBA SUA.

2. ERAT MORITURUS. — Erat moribundus, agebat animam, agonizabat. Syrus, *proximus erat ad moriendum.*

3. MISIT AD EUM SENIORES JUDÆORUM, ROGANS EUM, UT VENIRET, ET SALVARET SERVUM EJUS. — Judæorum petitionem Lucas tribuit Centurioni, quia illam ipsi ejus nomine instituebant; alioqui Centurio non petebat ut Christus ad se veniret, sed tantum ut ei dicerent : « Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur, » ut habet Matthæus. Ita Franciscus Lucas. Sciebant enim Judæi Centurionem hoc desiderare, sed ex humilitate non audere petere : petunt ergo nomine ejus, quod ipsum sciebant in corde desiderare, sed non audere postulare. Adde, « ut veniret, » id est, applicaret se, semotis aliis occupationibus, ad puerum sanandum : hoc enim est Hebraice בא *ba*, id est *venit*. Sic Deus venit ad Abimelech, *Genes.* XX; ad Balaam, *Numer.* XXII; ad Hebræos, *Deuter.* XXXIII, cum eis apparuit et legem dedit. Sic de Joanne Baptista dicitur : « Venit Joannes non manducans, neque bibens; » « venit, » id est ostendit se, exhibuit, apparuit, extitit : non ergo facienda est vis in verbo « veniret, » sed in « sanaret; » hæc enim erat summa petitionis, ut sanaret sive veniendo, sive manendo.

6. NOLI VEXARI. — Ne te vexes, id est, affligas et fatiges, ut molestiam tanti itineris ad servum meum visendum et curandum suscipias, sed hic manens et quiescens, solo verbo et jussu tuo servum meum absentem cura. Syrus, *ne labores, ne fatigeris.*

11. ET FACTUM EST : DEINCEPS (Græce, ἐν τῷ ἑξῆς, id est in sequenti, scilicet ἡμέρᾳ, id est die, hoc est postridie : ita Syrus) IBAT JESUS IN CIVITATEM, QUÆ VOCATUR NAIM. — Civitas erat Galilææ, duobus milliaribus distans a monte Tabor, ait S. Hieronymus in *Locis Hebr.*, quam torrens Cison alluit, dicta a pulchritudine. « Naim » enim Hebraice idem est quod pulchra, decora, jucunda, delectabilis. Unde Noemi socrus Ruth, mortuis filiis lugens, ait : « Ne me vocetis Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens, » *Ruth.* I, 20. Idem dicere poterat vidua hæc in Naim, amissum deflens filium unicum. Et *Psalm.* CXXXII : « Ecce quam bonum et quam jucundum (Hebraice *naim*) habitare fratres in unum ! » Ex adverso quam triste et funestum morte separari filium a matre, fratrem a fratre !

Nominat « Naim, » tum ad plenitudinem historiæ et miraculi, ut quo loco contigerit, sciatur; tum quia Christus « circuibat omnes civitates et castella, prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem et omnem infirmitatem, » ut ait Matthæus, cap. IX, vers. 35 : tum ad ostendendam acerbitatem funeris et luctus materni. Acerbior enim accidebat mors filio, æque ac matri in Naim civitate amœna et speciosa, quam in pago vel villa rusticana : sicut acerbius est mori juveni in florenti ætate, quam seni in effœta senecta; valenti, quam ægro; diviti, quam pauperi; felici, quam misero; in maio vernante, quam in decembri horrido, juxta illud *Eccli.* XLI, 1 : « O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum ! O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus, defecto ætate, et cui de omnibus cura est ! »

12. CUM AUTEM APPROPINQUARET PORTÆ CIVITA- Vers. 12.
TIS, ECCE DEFUNCTUS EFFEREBATUR FILIUS UNICUS MATRIS SUÆ : ET HÆC VIDUA ERAT, ET TURBA CIVITATIS MULTA CUM ILLA. — « Ecce, » *q. d.* Ecce tibi casu et fortuito, si causas secundas et humanas spectes, occurrit Christo funus; sed Christo hic occursus erat prævisus, provisus et destinatus, ut mortuum suscitaret. Voluit Christus ut hominibus hic occursus videretur fortuitus, ne, si ipse eum captasset, miraculum ejus et beneficium videretur a Christo captatum et obtrusum, ideoque minus gratum minusque æstimatum. Nam, ut vulgo dicitur, « merx ultronea putet. »

DEFUNCTUS EFFEREBATUR — extra urbem. Hinc Sepulcra Judæorum extra urbem.
colligere Judæos sepulcra sua habuisse non in urbe, sed extra urbem. Idque tum ob nitorem, tum ob sanitatem, ne cadavera suo fetore et putredine aerem inficerent. Sic etiam Joseph ab Arimathia sepulcrum habebat extra Jerusalem in monte Calvariæ, in quo Christum sepeliit. Unde Adrichomius, in *Descript. Jerusalem*, n. 204, collocat in valle Josaphat (in qua fiet universale judicium et communis resurrectio) sepulcra omnium civium Hierosolymæ, ac commune cœmeterium. Excipe reges : his enim David sepulcrum extruxit in Sion, III *Reg.* II, 11.

Sic et Romani Gentiles suos sepeliebant extra urbem in Campo Martio, teste Livio, imo lege XII tabularum intra urbem mortuos sepeliri vetitum erat. Quam legem antiquatam revocavit Theodoricus, rex Italiæ : extat illa apud Cassiodorum, cap. III. Christiani quoque urgente persecutione, extra Romam in cryptis a se effossis



defunctos suos humabant, uti etiamnum est vi-
Sepulcra in urbe, cur? Primo. dere in cœmeterio S. Priscillæ, S. Sebastiani, S. Laurentii, etc.; postea vero, data pace Ecclesiæ, cœmeteria in urbe juxta templa fuere constituta et consecrata; idque *primo*, ut mortis memoriam quasi sanctæ vitæ stimulum, fidelibus jugiter objicerent. Sic Spartani suos in urbe sepeliebant ex instituto Lycurgi, qui hac ratione juventutem ad mortem honorandam, non autem timendam volebat assuefacere, teste Plutarcho in *Laconicis*.

Secundo. *Secundo*, certis precibus et ritibus cœmeteria consecrabant contra illusiones dæmonum, qui in sepulcris habitare et corpora mortuorum assumere solent, ut patebit *Lucæ* VIII, 27.

Tertio. *Tertio*, idipsum faciebant hoc fine, ut fideles ingressuri in templum pro ibidem sepultis orarent, ut ipsi e Purgatorio liberati in cœlum euntes, cum Sanctis ad gloriam resurgere in die judicii mererentur. Item ut sacrificii Missæ quod in templo fit, participes forent, ac Sanctorum qui in templo quiescunt, vel coluntur, meritis et precibus adjuvarentur : qua de causa Constantinus Magnus Constantinopoli in porticu SS. Apostolorum sepeliri voluit, Theodosius vero Romæ in templo S. Petri.

Denique heroum sepulcra erant in urbe, quasi templa, in quibus colerentur. Audi Prudentium, lib. I *Contra Symmachum* :

> Et tot templa Deum Romæ, quot in urbe sepulcra
> Heroum numerare licet : quos fabula Manes
> Nobilitat, noster populus veneratur, adorat.

Sic et Christiani altaria et templa erigebant super Martyrum sepulcra, ut patet Romæ in basilica S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, S. Cæciliæ, S. Agnetis, S. Balbinæ, S. Bibianæ, etc., cujus rei causam et originem assignavi *Apoc.* VI, 9, ad illa : « Vidi sub altari animas interfectorum. »

UNICUS. — Græce μονογενής, id est *unigenitus*, quod plus est quam *unicus*; scilicet quod mater eum solum genuerit, nec plures habuerit filios, sic ut totus amor maternus in eo collectus fixusque videretur. Eum enim mater amabat ut unigenitum, ut spem posteritatis, ut baculum senectutis, ut lumen oculorum suorum. Quocirca luctus matris super unigenito defuncto est summus et acerbissimus, juxta illud *Zachar.* XII, 10 : « Et plangent eum planctu super unigenitum. » Et illud *Jerem.* VI, 26 : « Filia populi mei, accingere cilicio, et conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum. »

ET TURBA CIVITATIS MULTA CUM ILLA. — Videtur ergo vidua hæc fuisse matrona civitatis primaria, « cui gravitatis meritum exequiarum turba conciliat, » ait S. Ambrosius. Adde, in porta esse solere turbam magnam hominum intrantium et exeuntium, præsertim quia olim in portis erat forum rerum venalium, æque ac tribunal, in quo lites et causæ per judices decidebantur. Dei nutu id factum est, « ut viso tanto miraculo multi testes, multi fierent Dei laudatores, » ait Beda.

QUAM CUM VIDISSET DOMINUS, MISERICORDIA MOTUS SUPER EAM, DIXIT : NOLI FLERE, — sed incipe gaudere, quia jam filium tuum resuscitabo, *q. d.* ait Beda : « Desiste quasi mortuum flere, quem mox vivum resurgere videbis. » Et S. Ambrosius : « Flere enim prohibet eum, cui resurrectio debebatur. »

14. ET ACCESSIT, ET TETIGIT LOCULUM (HI AUTEM Vers. 14.
QUI PORTABANT, STETERUNT), ET AIT : ADOLESCENS, TIBI DICO, SURGE. — « Surge. » Elias, Elisæus et alii suscitarunt mortuos orando Deum, ut animam in corpus reduceret; at Christus id facit, Christus mortuos suscitat imperando.
non orando, sed imperando, quasi Dominus vitæ et mortis, ideoque Deus. Unde Cyrillus : « Tangit, ait, ut ostendat efficax esse suum corpus ad humanam salutem. Sicut enim ferrum igni adjunctum facit opus ignis, et paleas ignit, sic caro Verbo unita vivificat » (1).

15. ET RESEDIT QUI ERAT MORTUUS, ET CŒPIT Vers. 15.
LOQUI, ET DEDIT ILLUM MATRI SUÆ. — « Resedit, » id est erexit se, ut sederet, ideoque revixit : « Nam sedere et loqui vera exsuscitationis argumenta sunt, ait Titus : corpus enim exanime neque sedere, neque loqui potest. »

DEDIT ILLUM MATRI SUÆ. — *q. d.* Dextera sua eum in pedes erexit, ac e loculo sive feretro descendentem duxit ad matrem, illumque ei redivivum assignavit, dicens : En filium tuum, o mater, accipe eum ac reduc domum, ut eo fruaris illeque tibi quasi filius matri obsequatur et serviat.

16. ACCEPIT AUTEM OMNES TIMOR; ET MAGNIFI- Vers. 16.
CABANT DEUM, DICENTES : QUIA PROPHETA MAGNUS SURREXIT IN NOBIS; ET QUIA DEUS VISITAVIT PLEBEM SUAM.

17. ET EXIIT HIC SERMO IN UNIVERSAM JUDÆAM Vers. 17.
DE EO, ET IN OMNEM CIRCA REGIONEM.

TIMOR, — id est reverentia, ac sacer quidam horror, mixtus admiratione et gaudio.

MAGNIFICABANT (Græce ἐδόξαζον, id est glorificabant) DEUM.

PROPHETA MAGNUS, — Messias, hujus enim adventum tunc omnes avide exspectabant.

Allegorice : vidua est Ecclesia; hæc filios, id Allegoria viduæ lugentis unigeniti mortem.
est Christianos per peccatum mortale Dei gratia, quæ est vita et quasi anima animæ, privatos et mortuos luget, eisque suis lacrymis veniam et vitam gratiæ impetrat. Unde Christus *primo*, sistit funus, id est cupiditates quæ adolescentibus dominantur, cohibet et refrænat, ut eas amplius peccator non sequatur. *Secundo*, tangit loculum, id est lignum crucis, illaque ipsum a morte excitat. Crucis enim Christi merito, peccatoribus inspiratur a Deo pœnitentia et gratia. Hinc *tertio*,

(1) *Loculus*, græc. σορός, german. *eine Bahre*, arca erat retecta et aperta, seu lectulus quo mortui efferebantur. Arcis classis utebantur tantum Ægyptii, non Judæi, ait Wetstenius ad h. l.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

mortuus surgit et loquitur, id est incipit bene operari Deumque laudare, ideoque omnes intuentes tantam tamque divinam mutationem capit admiratio, et ipsi unanimi voce Deum glorificant. Ita S. Ambrosius, Euthymius, Theophylactus, Beda hic; et S. Augustinus, serm. 44 *De Verbis Domini*. Vivum exemplum est in S. Monica, quæ vidua filium Augustinum hæresi et luxuria mortuum assidue lugens, cum suis precibus et lacrymis ad vitam sanctam revocavit, imo primarium Ecclesiæ doctorem effecit, uti ipse refert in libris *Confession.* Rursum magis particulatim vidua est Ecclesia, filius est populus Gentium, ligno vetito concupiscentiæ, quæ mortem invexit, cuique assuevit, quasi loculo inclusus, et ad inferni velut sepulcrum delatus; contactus loculi est crucis patibulum, quo Christus eum resuscitavit.

Tropologice : in vidua hac exprimitur, quid quotidie facere debeat anima Pastoris, Rectoris, Confessoris, cum aliquem adolescentium suorum debilium in lethale peccatum contigerit incidere, et deduci ad sepulcrum æternæ desperationis; scilicet, debet prosequi hoc funus cum suis civibus, lacrymis, gemitu, lamentis; sic fiet ut Dominus eam consoletur, et *primo*, tangens loculum, stare faciat funeris bajulos, id est finem imponat cupiditatibus; *secundo*, eum ad vitam suscitabit; *tertio*, eum eriget ad virtutum opera, ut loquatur confiteaturque peccata sua, et Dei gratiam deprædicet. Sic demum redditur matri, unde majus sequitur gaudium, quam fuerat prior luctus; sequitur admiratio et prædicatio divinæ bonitatis in multis.

Rursum, vidua est anima, filia est mens mortua : hæc ergo anima si funus suum defleverit, maxime si aliorum lacrymas adjunxerit, Christus eam suscitabit. Loculus est male secura conscientia; qui sepeliendum portant, sunt immunda desideria vel blandimenta sociorum, quæ Domino tangente stant, id est coercentur, ait Beda. Insuper Theophylactus : Vidua, inquit, est anima amittens virum, id est divinum sermonem; filius est intellectus; loculus est corpus.

*In trium mortuorum a Christo suscitatorum.*

Denique Christus legitur tres mortuos suscitasse; scilicet *primo*, filiam Archisynagogi in domo, id est peccatorem, qui peccatum suum continet in mente et cogitatione; *secundo*, adolescentem hunc viduæ in porta, id est peccatorem, qui peccatum suum opere patefecit, et aliis affricat; *tertio*, Lazarum in monumento, id est peccatorem, qui peccatum opere consummavit, illudque iterando ejus habitum contraxit, ut in eo quasi in monumento jaceat sine spe salutis et resurrectionis. Primum suscitat Christus seorsim et secreto orando, secundum imperando, tertium voce magna clamando : « Lazare, veni foras, » quia facile curatur mentale duntaxat peccatum, difficilius vocale, difficillime reale sæpius iteratum, in quo quis jacet quasi dormiens, imo quasi mortuus et sepultus. Unde Christus illi in corde alta et potanti voce inclamet oportet, ut resipiscat. Ita Glossa.

29. Et publicani justificaverunt Deum, — id est, justum, rectum, benignum, providum confessi et professi sunt Deum, quod eis Joannem Baptistam miserit, ac per illius prædicationem et baptismum illorum saluti tam benigne providerit, ut eos ad pœnitentiam, veniam et gratiam perduceret. Sic accipitur τὸ « justificare » infra vers. 35, et I *Tim.* III, 16. Cætera exposui *Matth.* XI, 20.

Nota hæc verba videri potius Lucæ quam Christi (1). Nam paulo post sequitur : « Ait autem Dominus. » Ita Jansenius et alii, licet Maldonatus censeat esse verba Christi.

30. Pharisæi autem, etc., consilium Dei spreverunt in semetipsos, — id est in semetipsis, hoc est, intra se, in corde suo, quia publice illud carpere non audebant. Aut « in, » id est contra « semetipsos, » id est in suam perniciem et damnationem. Ita Beda.

36. Rogabat autem illum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit.

37. Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti.

Et ecce (rem miram, et mirum pœnitentiæ exemplum) mulier, — nomine Maria Magdalena, uti eam vocat Lucas, cap. seq., vers. 2. Quæritur hic, an eadem sit mulier quæ hic, et quæ *Matth.* XXVI, 7, et *Joan.* XII, 3, Christum unxit; sive an una fuerit Magdalena, an duæ, an tres? S. Chrysostomus, hom. 81 *in Matth.*, opinatur fuisse duas; Origenes, Theophylactus et Euthymius, in cap. XXVI *Matth.*, opinantur fuisse tres; scilicet primam hic; secundam, quæ biduo ante passionem Christum unxit, *Matth.* XXVI, 7; tertiam, quæ sex diebus ante Pascha et passionem super Christi caput alabastrum nardi effudit, *Joan.* XII. Hos secuti Judocus Clictoveus et Jacobus Faber, libellos scripsere de tribus Magdalenis; sed eorum errorem docte refellit Joannes Roffensis, libro de hac re edito.

*An una Magdalena, an plures.*

Dico ergo unam eamdemque fuisse mulierem, scilicet Mariam Magdalenam, sororem Marthæ et Lazari, quæ Christum non tribus, sed duabus vicibus unxit, uti narrant Lucas, Joannes et Matthæus.

*Resp. fuit una.*

Probatur *primo*, quia hic est communis fidelium et Ecclesiæ sensus, nam ipsa in Ecclesiastico

*Prob. Prima.*

(1) Quidquid sit de quæstione utrum vers. 29 et 30 παρένθετα sint, et Lucæ, non Christi, verba censenda, ea quibus Vulgatus Interpres vers. sequentem exorditur, scil. *Ait autem Dominus*, εἶπε δὲ ὁ Κύριος, cum a plurimis optimæ notæ græcis codd. absunt, Griesbachius, Matthæius et A. Hahnius rejecerunt, nec immerito, addita enim fuisse videntur a grammaticis, qui ipsi quoque versiculos 29 et 30 pro annotamento Evangelistæ haberent.



Officio omnia uni Magdalenæ tribuit, quæ hic narrat Lucas.

*Secundo*, quia Joannes, cap. XI, 12, de ea ait : « Maria (soror Marthæ et Lazari, ut dixi vers. 1) autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis : » ubi plane alludit ad hanc Lucæ unctionem, ac unam duntaxat mulierem Christum ungentem significat. Si enim plures fuissent, non satis ex unctione eam designasset, dicens : « Maria autem erat quæ unxit Dominum, etc. » Sensus enim est, *q. d.* Cum Mariam nomino, illam intelligo celebrem, quæ pœnitens unxit pedes Jesu, *Luc.* VII, quam proinde omnes sciunt non aliam esse quam Magdalenam.

*Tertio*, de eadem agens Joannes, XII, 2 : « Fecerunt, ait, ei (Jesu) cœnam ibi, et Martha ministrabat : Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis. » Ubi plane significat eamdem esse Magdalenam, scilicet sororem Marthæ et Lazari, quæ unxit Christum hic, et rursum sex diebus ante Pascha in Bethania. Jam unctio cujus meminit Matthæus, XXVI, 6, est eadem cum illa quam describit Joannes, XII, 1 et seqq., ut patet conferenti Matthæum cum Joanne. Utraque enim contigit in Bethania in domo Simonis Leprosi; utraque facta est per effusionem alabastri super caput Jesu. Ergo una eademque fuit Magdalena, quæ non ter, ut vult Origenes, sed bis duntaxat unxit Jesum, scilicet hic, et sex diebus ante mortem, *Joan.* XII, 2, et *Matth.* XXVI, 7.

*Quarto*, idem liquet ex historia Ecclesiastica et traditione Massiliensium et Provincialium, apud quos hæc constans est fama et traditio. Item ex monumenti S. Magdalenæ inscriptione, quod ei S. Maximum, unum e 70 Christi discipulis, erexisse ferunt, in quo omnia jam dicta uni eidemque Magdalenæ huic tribuuntur.

*Quinto*, hæc est sententia S. Augustini, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. LXXIX; S. Cypriani, tract. *De Duplici martyrio*; S. Gregorii, hom. 33 *in Evang.*; Toleti, Jansenii, Francisci Lucæ et passim cæterorum Interpretum.

Dices : Magdalena hæc secuta est Jesum a Galilæa, ut patet *Matth.* XXVII, 55 : ergo videtur fuisse Galilæa, ergo diversa a Maria, sorore Marthæ, hæc enim videtur fuisse Judæa, quia habitabat in Bethania, quæ erat vicina Hierosolymæ. Respondeo, illam fuisse Judæam ratione prosapiæ, sed videri habitasse in Galilæa, puta in castello *Magdalum* dicto, forte quod ejus loci domino nupserat, aut quod in divisione hæreditatis paternæ hoc ei castellum sorte obtigerat; atque a Magdalo hoc dicta videtur « Magdalena. » Ita Jansenius, Adrichomius, Franciscus Lucas et alii.

Quæ erat in civitate. — Aliqui putant fuisse Jerusalem. Verum Jerusalem erat in Judæa : hæc autem omnia Christi acta, non in Judæa, sed in Galilæa, ubi Christus prædicabat, contigisse videntur, uti liquet ex Chronotaxi quam Evangeliis præfixi.

Quare verisimilius Toletus, Franciscus Lucas et alii opinantur civitatem hanc fuisse Naim, in qua paulo ante Christus, vers. 12, filium viduæ a morte suscitarat. Alii putant civitatem hanc fuisse Magdalum, in qua habitabat Magdalena. Favet Adrichomius in voce « Magdalum. »

Peccatrix. — Nonnulli recentiores, ut Magdalenam honestent, censent eam non fuisse impudicam, sed vanam, comptam et pomposam, quæ proinde esset scandalum et illecebra luxuriæ, ideoque vocari peccatricem. Verum hi quantum consulunt honori Magdalenæ, tantum detrahunt gratiæ Christi ac pœnitentiæ Magdalenæ, quæ illam ex peccatrice adeo sanctam effecit. « Peccatrix » enim dicitur antonomastice, quod et ipsa graviter peccare soleret, et alios ad secum peccandum allicere. Peccatrix ergo idem est quod meretrix, non publice omnibus plebeiis exposita, sed quæ plures privatos nobiles haberet amasios et asseclas. Unde meretricem eam vocat S. Augustinus, serm. 58 *De Temp.*; S. Hieronymus, in cap. XXVI *Matth.*; Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 142; S. Ambrosius, Gregorius, Beda, ac S. Chrysostomus, hom. 62 *ad Popul.*, ubi propter eam a Christo dictum esse ait illud : « Meretrices et publicani præcedent vos in regno Dei. » Hinc Ecclesia de ea cecinit :

Quæ tot commisit crimina,
Ab ipsa fauce tartari,
Redit ad vitæ limina.

Post fluxæ carnis scandala
Fit ex lebete phiala,
Ex vase contumeliæ
In vas translata gloriæ.

Nimirum permisit eam Christus volutari in sordibus luxuriæ, ut in ea depuranda vim gratiæ suæ ostenderet, dum ex meretrice facit angelicam; sicut quo major est morbus, eo major virtus medici eum curantis ostenditur; nec hoc quidquam de honore Magdalenæ decerpit, sed potius addit : quo majora enim magisque assidua fuere crimina, eo major ejus pœnitentia magisque heroicus ejus animus, qui ex iis illico se exfricavit, declaratur. Voluit enim Deus Magdalenam statuere peccatoribus omnibus vivum pœnitentiæ exemplar, ne quis ob enormitatem scelerum de venia desperet, sed magis in immensa Dei misericordia confidat, et veniam speret, memor S. Pauli dicentis : « Fidelis sermo, et omni acceptione dignus : quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam, » I *Timoth.* I, 15.

Vere S. Gregorius : « Plerumque, ait, gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate

torpens innocentia. » Hinc magnum quidem Dei beneficium est innocentia, qua quem præservat a peccato, sed major Dei gratia est pœnitentia et remissio peccatorum, eoque major, quo peccata majora sunt, quia hæc remissio datur magis indigno, ideoque major ei fit gratia, uti docet S. Thomas. Quocirca peccatores, dum serio pœnitent, heroica patrant, quibus innocentes justos superant, et in humilitate, austeritate et sanctitate transcendunt, uti videre est in S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia pœnitente, S. Paulo, S. Matthæo, S. Mose, qui ex latrone pœnitens factus est speculum monachorum, etc. Acres enim ad omnem virtutem stimulos pœnitenti adhibet prioris vitæ turpitudo, peccatorum fœditas, offensæ vindicta, amor Dei tam sibi indulgentis.

*Margarita pœnitentiæ symbolum.* Hinc pœnitentiæ symbolum est margarita. Sicut enim sol suis radiis ostream (quæ aqueus et felidus est humor, latens in concha) in pretiosam margaritam convertit; sic Christus illustratione gratiæ Magdalenam peccatricem convertendo ad pœnitentiam, effecit margaritam.

Ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi. — Non decebat Magdalenam luxuria infamem in domo sua, vel Christi, vel alicujus incogniti hæc agere, sed in domo Pharisæi sibi noti, ut omnis mali suspicio ab hominibus, qui in materia luxuriæ suspicacissimi sunt, tolleretur, utque honestati et decoro per omnia consuleretur. Porro, hæc agere non erubuit in domo Pharisæi sibi amici : nam, ut ait S. Gregorius, *hom.* 33 : « Quia semetipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credidit quod erubesceretur foris. » Et S. Augustinus, homil. 58 *De Temp.* : « Meretrix, ait, illa quæ pedes Domini lacrymis lavit et capillis suis extersit, ubi cœlestem medicum venisse cognovit, ultro se ingessit in domum ubi rogata non fuerat, et quæ prius frontosa erat ad perditionem, postea frontosior facta est ad salutem, et ideo audire meruit, quod ei omnia fuerint peccata dimissa. » Idem, *hom.* 23 inter 50 : « Vidisti, ait, mulierem famosam, malæ utique famæ, quæ erat peccatrix, non invitatam irruisse convivio, ubi suus medicus recumbebat, et quæsisse pia impudentia sanitatem, irruens quasi importuna convivio, opportuna beneficio. Noverat enim quanto morbo laboraret, et illum ad sanandum esse idoneum, ad quem venerat, sciebat. » Atque hac de causa Christus invitatus ad convivium Pharisæi venit, ut ibi convivium spirituale pœnitentiæ Magdalenæ convivis exhiberet. Unde Chrysostomus, *serm.* 93 : « Accubuit, ait, Christus, non pocula saporata melle, floribus odorata sumpturus, sed pœnitentis lacrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus. Deus delinquentium lacrymas esurit, sitit lacrymas peccatorum. » Nam, ut ait S. Bernardus, « lacrymæ pœnitentium, vinum sunt angelorum, » quod scilicet omnes angelorum sensus oblectat. Subdit enim S. Bernardus, serm. 30 *in Cant.* : « quod in illis (lacrymis) vitæ odor, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suavitas conscientiæ. » Lacrymæ ergo angelis sunt vinum *Cos*, id est coloratum, odoratum, sapidum.

[illegible]

Attulit alabastrum (vasculum alabastrinum, pyxidem ex lapide alabastrite) unguenti. — Quale hoc fuerit, dixi *Matth.* xxvi, 7.

Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. — « Stans retro secus pedes ejus. » Veteres enim in toris, id est in lectulis mensalibus jacendo, et cubito caput fulciendo, mensæ accumbebant, ita ut caput versus mensam, pedes vero versus exteriorem partem porrigerent, ut aliis in eodem lectulo discumbentibus commodus foret locus. Potuit ergo pedes Christi exterius tangere, lavare et tergere Magdalena. Porro, non videtur torus hic fuisse tam altus, ut ipsa stans (ut vult Toletus) attingeret pedes Christi, præsertim quia ipsa fuit alta et procera, ut patet ex capite ejus ingenti quod Massiliæ ostenditur, et ex pede ejus prægrandi, qui Romæ in templo S. Celsi juxta Pontem asservatur, ubi eumdem conspexi. « Stans » ergo, hic duntaxat præsentiam significat in quolibet situ, *q. d.* « Stans, » id est præsens, et genibus innixa, ad pedes Christi. Hic enim est situs pœnitentis. « Accessit, ait S. Augustinus, *hom.* 23 inter 50, non ad caput Domini, sed ad pedes. Et quæ diu male ambulaverat, vestigia recta quærebat. Prius fudit lacrymas cordis, et lavit Domini pedes obsequio confessionis. Capillis suis tersit, osculabatur, unxit, tacita loquebatur, non sermonem promebat, sed devotionem ostendebat. »

Hic ergo in Magdalena impletum est illud *Cant.* i : « Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. » Et illud vers. 12 : « Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. » Et illud *Cant.* ii, 2 : « Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea. » Vide ibi dicta.

*Magdalenæ verecundia.* Nota hic verecundiam Magdalenæ, quæ est decus adolescentiæ et pœnitentiæ. Accessit enim ad Christum, non ante (utpote æstimans se, ob crimina fœda, ejus aspectu divino et purissimo indignam), sed retro; non ad caput, sed ad pedes. « Verecundia enim, ut ait S. Bernardus, serm. 86 *in Cant.*, est gemma morum, virga disciplinæ, soror continentiæ, lampas pudicæ mentis, expunctrix malorum, et propagatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, et famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus et insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem forte invexerit pudor, quantum gratiæ et decoris suffuso afferre vultui solet! »

Nota *secundo* : S. Magdalena, ait S. Chrysostomus, hom. 11 in *Matthæum*, prima fuit de qua legimus, quod veniæ et gratiæ causa iverit ad Christum. Alii enim sanitatis causa eum adierunt. Fuit igitur ipsa quasi cerva sagittata a Christo telo amoris : unde cucurrit ad eum quasi saucia. Ostendit ei Christus in mente turpitudinem suam et statum miserabilem : unde ipsa confusa et dolore transfixa se ferre non potuit nec ad momentum, sed illico cucurrit ad Christum, ut a tam misero statu se liberaret. Hinc irruit importuna convivio, alioqui potuisset per horam exspectare Christum redeuntem a convivio in aliquo loco civitatis secreto et a turba remoto. Peccatum enim mortale vel unicum adeo fœdum et horrendum est, ut asserat S. Anselmus, lib. *De Similit.*, cap. cxc : « Si hinc peccati pudorem, et illinc cernerem inferni horrorem, et necessario uni illorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quam peccatum in me immitterem. » Additque : « Mallem purus a peccato gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere.



[illegible]

Nota *tertio* : Videtur Magdalena audiisse hanc vocem Joannis Baptistæ de Christo : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, » *Joan.* i. Aut illud Christi : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, » *Matth.* xi. Rursum ipsa a septem dæmonibus per Christum liberata, uti audiemus cap. viii, 2, ex divino Spiritus Sancti instinctu et impulsu sibi persuadebat se pariter a septem, id est omnibus peccatis per Christum liberandam. Quare pœnitens, totaque compuncta adiit Christum, quasi Prophetam sanctissimum et divinum, qui a Deo haberet potestatem remittendi peccata, certo confidens se ab eo peccatorum veniam impetraturam : nam Christus per gratiam traxit intus, quam per misericordiam suscepit foris, ait S. Gregorius.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. — Nota hic ingentem lacrymarum in Magdalena pœnitente copiam, quæ tanta fuit, ut pedes Christi ex itinere pulverulentos (incedebat enim Christus nudis superne pedibus, inferne tantum sandaliis sive soleis calceatus, uti ostendi *Matth.* x, 10) ablueret et purificaret. De quarum vi et efficacia vide inter alios S. Chrysostomum, serm. *De Pœnitentia*, tom. V. Audi et S. Ambrosium hic : « Ideo non lavit pedes suos Christus, ut eos lacrymis nos lavemus. Bonæ lacrymæ, quæ non solum nostrum possunt lavare delictum, sed etiam Verbi cœlestis rigare vestigium, ut gressus in nobis ejus exuberent. Bonæ lacrymæ, in quibus non solum redemptio peccatorum, sed etiam refectio est justorum. Justi enim vox est : Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. » Et S. Gregorius, *hom.* 33 : « Cogitanti mihi, ait, de Mariæ pœnitentia, flere magis libet quam aliquid dicere. Cujus enim vel saxeum pectus, illæ hujus peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Consideravit namque quid fecit, et noluit moderari quid faceret. Super convivantes ingressa est, non jussa venit, inter epulantes lacrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere et inter epulas non erubescit. »

Et capillis capitis sui tergebat. — Non deerant Magdalenæ lintea ad tergendum, sed pœnitentiæ studio capillos, quos olim compserat et fucarat ad alliciendum amasios, nunc dedicat pietati et Christo. Unde S. Cyprianus, tract. *De Ablutione pedum* : « Usa est, ait, capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro baptismo : cor contritum erupit in lacrymas, fide lavit, charitas unxit : caput pro suppedaneo stravit, crinibus circumfusis pedes sacros involvit et tersit : nihil sibi de se retinens, totam se tibi devovit. Et tu affectum potius quam factum attendens, ungebas ungentem, abluebas lavantem, tergebas intrinsecus pœnitentem. » Causam dat S. Euthymius, dicens : « Instrumenta peccati facit instrumenta virtutis. » *Arma peccati sint arma virtutis.* Et particularius S. Gregorius, *hom.* 33 : « Quod, inquit, sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat; sed hos jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat; sed jam capillis lacrymas tergebat. Ore superba dixerat; sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa. » Audi et S. Chrysostomum, hom. 6 in *Matth.* : « Sic et ista in Evangelio meretrix, virgines quoque ipsas honestate superavit, et incredibilis in Christum amoris igne succensa, et a maximis sordibus peccatorum largissimo lacrymarum fonte purgata. Quia enim perfecte incaluerat pœnitendo, bacchari (ut ita dixerim) cœpit desiderio exagitata Christi. Siquidem continuo et crines resolvit, et sanctos pedes uberibus diluens lacrymis, ac propriis extergens capillis, pretioso rigavit unguento. Et hæc quidem extrinsecus cuncta faciebat : ea vero quæ in secreto mentis agitabat, multo his erant ignitiora, multoque majora, quæ tantummodo Deus ipse cernebat. »

Et osculabatur pedes ejus — lotos tersosque. Oscula impudica amasiorum convertit in oscula casta et supplicia pedum Christi, hoc gestu petens peccatorum veniam et reconciliationem; hujus enim symbolum est osculum, æque ac amoris et charitatis, ait S. Ambrosius.

Mystice : « Pedes duo Christi, ait B. Petrus Damianus, serm. *De Magdalena*, sunt misericordia et judicium, quorum alterum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. » Publice, in publico convivio, coram omnibus convivis hos actus pœnitentiæ edebat Magdalena, ut publico scandalo quod sua luxu-

ris dederat, publica pœnitentia satisfaceret illudque aboleret.

Et unguento ungebat. — Veteres olim in conviviis utebantur unguentis, hoc est, aquis vel liquoribus odoriferis, tum ad lautitiam, tum ad fragrantiam, uti ostendi *Eccli.* ix, 10; fieri autem id solebat per mulieres, ut patet I *Reg.* viii, 13. Eo audentior in convivium irruit Magdalena, idipsum factura in domo Simonis amici sui, ut incensum suum erga Christum monstraret amorem, ait Titus. Nam, ut inquit S. Paulinus, epist. 4 *ad Severum*, pag. 92, de S. Magdalena : « Non unguentum in illa Dominus, sed charitatem dilexit, qua pudenter impudens, et pie improba, sine opprobrii et repulsæ metu extraneam sibi domum Pharisæi, non invitata, illa vi petulans penetravit, qua rapitur regnum cœlorum, et tantum verbi cœlestis esuriens, non ad opes illius, sed ad pedes Christi cucurrit, seque in illis abluit et cibavit, atque ipsos sibi pedes sacrarium (ut ita dixerim) et altare constituit. In quibus libavit fletu, litavit unguento, sacrificavit affectu. Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus. Quem illa immolans Deo, non solum remissionem delictorum, sed et gloriam prædicandi cum Evangelio nominis meruit. » Et inferius : « illum diligens se dilexit. » Et concludens, p. 105 : « Ergo, ait, illum amemus, quem amare debitum est; illum osculemur, quem osculari castitas est; illi copulemur, cui nupsisse virginitas est; illi subjiciamur, sub quo jacere supra mundum stare est; propter illum dejiciamur, cui cadere resurrectio est; illi commoriamur, in quo vita est, in quo et mortui vivimus : qui vicissim nobis hoc esse dignatur, quidquid illi fuerimus servuli sui, » etc.

Mystice : B. Damianus, serm. *De S. Magdalena*, ait hoc unguentum fieri e peccatis nostris : « Ipsa, ait, in mortariolo pœnitentiæ macerationis pistillo contusa, et respersa discretionis oleo, doloris igne supposito et in aheno disciplinæ concocta, unguentum exhibet pretiosum et acceptum pedibus Salvatoris. » Et subdit hoc unguentum esse quadruplex : *primo*, devotionis; *secundo*, virtutum inter se commistarum; *tertio*, pietatis; *quarto*, misericordiæ.

Heroicæ virtutes Magdalenæ. Fides. — Nota hic in Magdalena eximium et heroicum pœnitentiæ cæterarumque virtutum speculum. *Primo*, eximiam fidem, qua credidit Christum habere potestatem dimittendi peccata, etsi id pertinaciter negarent Scribæ et Pharisæi, nec ulli Prophetarum huc usque potestas hæc a Deo fuisset concessa : imo si fidem habemus S. Augustino, *homil.* 33 inter 50, Christum plusquam hominem esse credidit, scilicet hominem Deum; credebat enim hominem merum non posse dimittere peccata per se et auctoritative, ut faciebat Christus, sed hoc esse solius Dei : quare Christum esse Deum. Hanc fidem concepit partim ex miraculis Christi, et communi fama quod ipse esset Messias, partim et potissime ex illuminatione et instinctu Dei. Ita Euthymius et Franciscus Lucas hic, ac S. Augustinus, loco jam citato : « Illa, ait, quæ sibi peccata a Christo remitti credidit, Christum non hominem tantum, sed et Deum credidit. » Unde addit Augustinus : « Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda; accessit ægra, ut rediret sana; accessit confessa, ut rediret professa. »

*Secundo*, admirandam religionem et devotionem, qua pedes Christi amplexa eos lacrymis rigare, tergere, osculari non cessavit, donec audiret a Christo : « Remittuntur tuï peccata tua, vade in pace. » — Devotio.

*Tertio*, insignem sapientiam, qua non voce, sed corde et intimis desideriis ac suspiriis, veniam criminum flagitabat a Christo. — Sapientia.

*Quarto*, magnitudinem pœnitentiæ, qua quasi effrons et impudens publico irruit convivio, humi se abjecit, rivos lacrymarum profudit, capillis olim crispantibus sordes Christi tersit, osculis lambere et unguento ungere perstitit, ac deinde omnem vitam suam omnesque annos usque ad mortem Christo et pœnitentiæ dicavit, ac triginta annos in deserto austeram in jugibus lacrymis, jejuniis et orationibus egit vitam. Lege eam apud Surium die 22 julii : unde de ea canit Petrarcha : — Pœnitentia.

> Namque famem, frigus, durum quoque saxa cubile,
> Dulcia fecit amor, spesque alto pectore fixa.

Præmium angelicum subdit :

> Hic hominum non visa oculis, stipata catervis
> Angelicis, septenque die subvecta per horas,
> Cœlestes audire choros alterna canentes
> Carmina corporeo de carcere digna fuisti.

Denique Christus revelavit S. Brigidæ, lib. I *Revel.*, cap. cviii, tres sanctos sibi præ cæteris placuisse, scilicet B. Virginem, Joannem Baptistam et Mariam Magdalenam, de qua sic loquitur : « Quando Maria Magdalena conversa est, dixerunt dæmones : Quomodo reducemus eam? pinguem enim prædam perdidimus : ipsa quippe in tantum se aquis lacrymarum lavat, quod non audemus aspectum nostrum in eam infigere : sic tegit se bonis operibus, quod nihil accedit ad eam de macula : sic fervens et calida est in Dei servitio et sanctitate, quod non audemus ei appropinquare. » — Tres sancti præ cæteris Christo placuere : B. Virgo, Joannes Baptista et Magdalena.

Tropologice : S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. xxii : « Misit oleum, inquit, in pedes ejus, misericordiam et ipsa in pauperes conferendo. Isti sunt pedes Christi; in his innocentius ambulat Christus. »

39. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se, dicens : Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ et qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est, — ac proinde non decet, ut ipsa immunda tangat Prophetam mun- V



Male murmurat Pharisæus. — dum, quare Jesus non videtur esse Propheta, utpote qui sinat se tangi a tam immunda et infami meretrice : erat enim hic Pharisæus, ait S. Augustinus, *serm.* 23 inter 50, ex illo genere hominum superborum, de quibus Isaias, cap. lii, dixit : « Recede longe a me, noli me tangere, quoniam mundus sum. » Hic fuit paralogismus Simonis erroneus et falsus. Nam decebat immundos tangere Christum, ut ab eo mundarentur. Ad hoc enim venerat in mundum, ut esset medicus tangens et sanans omnes morbos tam animi, quam corporis. « Offendiculum passus hæc dicebat, ait Euthymius, ignorans quod, cum Deus esset, propter peccatores homo factus erat. » Rursum Magdalena jam non erat immunda, sed mundata et sanctificata per contritionem, uti docet in sequentibus Christus. Deceptus est Simon judicans ex præteritis, non ex præsenti, quæ et qualis nunc esset Magdalena. Erat enim eadem, sed altera : altera, sed ipsa, ait Chrysologus, *serm.* 74 et 75. Quare mundior et sanctior erat humilis et pœnitens Magdalena, impuro et superbo Pharisæo, qui similia et forte graviora quam Magdalena commiserat, aut ob superbiam facile committere poterat, ut docet S. Augustinus loco jam citato. Quare in multis hic Pharisæus deliquit. Octo ejus errores et delicta recenset Toletus hic, annotat. 66.

Hinc tropologice colligit S. Gregorius, *hom.* 33, dicens : « Unde necesse est, ut, cum peccatores quosque conspicimus, nosmetipsos prius in illorum calamitate defleamus, quia fortasse in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus, si lapsi non sumus : etsi censura magisterii debet semper virtute disciplinæ vitia persequi, oportet tamen ut sollicite discernamus, quia districtionem debemus vitiis, compassionem naturæ. Si enim feriendus est peccator, nutriendus est proximus. »

Vers. 40. 40. Et respondens Jesus (qui acie mentis et spiritus sui divini prævidebat arcanas cordis cogitationes et murmura Pharisæi), dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait : Magister, dic. « Simon. » Multi putant hunc Simonem alium esse a Simone Leproso, qui invitavit Christum sex diebus ante passionem in Bethania, ubi et Magdalena Christum iterum unxit, *Joan.* xii, 2; *Matth.* xxvi, 6, quia hic Simon habitabat in Galilæa, ille vero Leprosus in Judæa, puta in Bethania. Ita censet S. Augustinus, lib. II *De Consens. Evang.*, cap. lxxix; Theophylactus, Beda et alii. Alii unum et eumdem Simonem esse volunt, idque conjicitur ex eodem nomine Simonis, ex eadem familiaritate cum Jesu et Magdalena, ex simili invitatione et unctione. Videtur enim hic Simon a Christo conversus, cum eo migrante e Galilæa in Judæam, *Matthæi* xix, 1, eodem pariter migrasse, ac domum delegisse in Bethania, juxta notam sibi Magdalenam, ut cum ea Christi præsentia et doctrina frueretur. — Quis hic Simon Pharisæus.

Habeo tibi aliquid dicere. — Ecce quam prudenter et leniter Simonem corrigit Christus, suavibus hisce verbis, sed prægnantibus, prius captans Simonis benevolentiam ejusque attentionem excitans : « Nam et ipsum sanare cupiebat, ne gratis apud eum comederet, » ait S. Augustinus loco citato; ac revera eum sanasse videtur, ut tacite innuit hic Lucas. Unde Simon modeste et placide respondit Christo : « Magister, dic, » *q. d.* Ego tua quasi magistri mei dicta, ut discipulus grate et libenter excipiam.

41. Duo debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. — « Debitores, qui, ut ait S. Ambrosius, fœneratori cœlesti (Deo) erant obnoxii, cui non materialem pecuniam debemus, sed meritorum examina, æra virtutum : » debita ergo sunt peccata, quibus injuriam irrogamus Deo gravissimam, pro qua ei satisfacere debemus, sed non valemus, ideoque gehennæ et ignis æterni rei sumus. « Fœneratori, » id est « creditori, » ut vertit Syrus : Græcum enim δανειστῇ respondet Hebr. נשה *nosche*, ac significat eum qui dat mutuum sive gratis, sive ad usuram. Quare melius per « fœneratorem » hic accipias « mutuatorem, » sive « creditorem; » sic enim hæc vox accipitur *Deuter.* xv, 6, et xxviii, 12; *Eccli.* xxix, 1 et 2.

Unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. — Denarius est julius, sive regalis Hispanicus, ita dictus, quod 10 contineat parvos asses, hoc est decem baiocos Romanos, sive decem dimidios stuferos Belgicos : quare denarius valebat quinque stuferos. Ergo 50 denarii faciunt quinque aureos Romanos, 500 vero denarii faciunt 50 aureos Romanos. In hac parabola Christus per duos debitores denotat Simonem suum hospitem, et Magdalenam, idque facit eleganter et paradigmatice civilitatis causa, ne, si Simonem statim nominasset, eum offenderet et percelleret. Id patet ex sequentibus, ubi per tres antitheses Magdalenam cum Simone comparat, illamque Simoni anteponit et absolvit. Magdalena ergo debebat 500 denarios, quia magnam peccatricem se æstimabat, ac multo plus Deo ob sua peccata debere æstimabat, quam deberet Simon, ideoque plus dilexit ac majora dilectionis signa ostendit, ut remissionem majorum criminum ab eo mereretur accipere. Simon debebat denarios 50, id est parum et venialiter duntaxat se peccasse, parumque Deo debere æstimabat, quia putabat se justum, ideoque parva vel nulla contritione se egere credebat. — Denarius quid?

Verum, ut recte notat S. Augustinus loco citato, hac de causa æque vel magis se Deo (qui illum ne majora scelera committeret, conservabat) debitorem confiteri debebat. Audi S. Augustinum : « Adulter non fuisti (o Simon, uti fuit Magdalena) in illa vita tua præterita plena ignorantiis. Hoc tibi dicit Deus tuus : Regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres. Suasor

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

defuit; et ut suasor deesset, ego feci. Locus et tempus defuit; et ut hæc deessent, ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus cui debes et quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est, et dimissum vidisti: mihi debes et tu quod non admisisti. Nullum est enim peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector, a quo factus est homo. »

Vers. 42. 42. NON HABENTIBUS ILLIS, UNDE REDDERENT, DONAVIT (debitum condonavit) UTRISQUE. QUIS ERGO EUM (fœneratorem, id est creditorem, puta Deum: huic enim quasi creditori peccator est debitor) PLUS DILIGIT? — id est, plus diligere judicabitur, vel plus diligere solet, pluribus officiis eum demereri satagit. Similis hebraismus est alibi frequens, ut *Amos* v, 18: « Ideo prudens in tempore illo tacebit, » id est tacebat, aut tacere eum oportuit. Sensus est, *q. d.* Sicut is qui cum plura deberet suo creditori, plurium ab eo accepit remissionem, passim a prudentibus judicabitur ideo majorem hanc remissionem a creditore accepisse, quod magis eum dilexerit, ac plura ei officia et signa benevolentiæ exhibuerit, ob quæ plura vicissim illi remisit et condonavit creditor. Sic enim debitores, qui multa debent creditoribus, majora eis officia et obsequia deferre solent, ut tantorum debitorum remissionem, vel diminutionem, vel temporis ad solvendum præstituti prorogationem ab eo emereantur, et quasi emendicent. Simili ergo modo tu, o Simon, prudenter judicare debes Magdalenam magis dilexisse me Prophetam et Messiam Dei Filium, quam tu dilexeris: majora enim, ut vidisti, dilectionis, omnisque officii et obsequii signa mihi exhibuit, quam tu exhibueris: quare iisdem me provocavit, ut plura et majora ipsi quam tibi peccata condonem. Major enim dilectio debitoris est causa majoris condonationis creditoris; illam enim provocat et elicit. Unde congrue ad parabolam propositam infero et dico: « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. » Quare Magdalena jam amplius non est peccatrix, nec indigna contactu pedum meorum, ut tu æstimas, o Simon, sed sanctior te est digniorque meo attactu. Hunc sensum exigit acoluthia et apodosis, sive redditio et applicatio æqua parabolæ, scilicet ut significetur dilectionem majorem esse causam majoris remissionis majorum debitorum, id est delictorum. Ita S. Augustinus, *hom.* 23 inter 50. Ergo τὸ « diligit » significat præsens et præteritum, *q. d.* Plus me dilexit et diligit, ideoque plus ei remitto. Unde Arabicus vertit, *quis ergo horum duorum debitorum plus amator est illius?* Ita Maldonatus, qui diserte ait præsens hic ex vulgari phrasi poni pro præterito; scilicet « diligit » pro « dilexit, » imo Christum sic interpretatur vers. 47, dicens: « Quoniam dilexit multum. » *Secundo* tamen, si τὸ « diligit, » vel, ut Græce est, ἀγαπήσει, id est, « diliget, » malis simpliciter accipere pro futuro, *q. d.* Quis eorum deinceps creditorum plus diliget? dico esse argumentum inversum, adductum ab effectu ad causam naturaliter connexam, *q. d.* Sicut ille debitor multum dilexit creditorem, eo quod hic multa ei debita jam ante remiserit; remissio enim plurium majorem in debitore exigit gratitudinem et dilectionem erga creditorem; debitor enim cui multa dimisit creditor, ex gratitudine cogitur magis redamare creditorem, quam ille cui iste pauca dimisit: sic e converso, ego, o Simon, Magdalenæ multa delicta quasi debita dimitto, quia ipsa multum me dilexit; *q. d.* Remissio debiti, et vicissim dilectio debitoris erga creditorem debitum remittentem, inter se connexa sunt; et sicut remissio creditoris parit dilectionem debitoris; ita vicissim dilectio debitoris parit remissionem creditoris. Provocat enim amor creditoris in remittendo amorem debitoris in obsequendo, et vice versa amor debitoris provocat amorem et remissionem creditoris; atque utrumque cernere est in Magdalena diligente, et Christo delicta ei remittente. Ita Lyranus, Franciscus Lucas et alii. Alioqui enim ex parabola hac debitorum plane e converso inferendum fuisset, hoc modo: Sicut creditor plura dimittens debitori efficit, ut ille deinceps ipsum plus diligat; sic ego Christus majora dimittens Magdalenæ, efficio, ut ipsa deinceps magis me dilectura sit. Verum voluit Christus convertere parabolam modo jam dicto, ut ostenderet Magdalenæ non tantum remissa esse peccata, sed et modum ac viam quo remissa sunt, nimirum per dilectionem, ut illam imitemur, ac per ferventem dilectionem emereamur a Deo peccatorum indulgentiam.

Simili modo Christus convertit parabolam Samaritani, cap. x, vers. 36. Rogatus enim quis esset proximus, ostendit Samaritanum qui vulnerati misertus est, dicens: « Quis horum trium tibi videtur proximus? » Cum directe ad parabolam dicere debuisset: Vulneratus ille est proximus, cui præstanda est misericordia, sed maluit nominare Samaritanum, ut in eo miserente ostenderet, quam misericordiam proximis exhibere debeamus. Ex uno enim intelligitur alterum; scilicet ex proximo miserente intelligitur proximus miseri: proximus enim est relativum; proximus enim proximi est proximus. Sensus ergo est, *q. d.* Samaritanus se vere gessit ut proximum vulnerati: Samaritanum ergo imitare, ut proximi tui miseri miserearis, sic vere te illius proximum ostendes. Unde concludens parabolam, subjicit Christus: « Vade, et tu fac similiter. » Simili modo hic concludit: « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit. »

Aliter hæc explicat S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. XXII, Christum scilicet prius remisisse peccata Magdalenæ, ipsam deinde Christo gratam amplius eum dilexisse, ideoque Christum prævidentem hanc ejus gratitudinem et dilectionem, primitus peccata ejus remisisse. Aliter quoque S. Gregorius, lib. V, *epist.* 22, et ex eo Toletus, *q. d.* Debitor cui plus debiti a creditore dimittitur, debet et solet gratus esse creditori, eumque magis diligere. Cum ergo tu, o Simon, videris in Magdalena majora dilectionis mei signa in lavando, tergendo, osculando et ungendo meos pedes, inde debes colligere me multa ei peccata remisisse. Ex effectu enim colligitur causa; scilicet, ex dilectione remissio debitorum. Vide ergo quam temere judicaveris hanc mulierem esse peccatricem, et tactu meo indignam, cum ex mira ejus gratitudine et dilectione debuisses inferre multa, id est omnia, ei a me peccata esse remissa. Verum hic sensus torquet illud vers. 47: « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. » Vox enim « quoniam » significat dilectionem fuisse causam remissionis peccatorum, non effectum: de quo plura vers. 47.

Vers. 43. 43. RESPONDENS SIMON DIXIT: ÆSTIMO QUIA (quod) IS CUI PLUS DONAVIT (id est plus debiti condonavit, scilicet diligat suum creditorem eo modo, quo jam explicatum est. Hoc responsum extorquet Christus ex ore Simonis, ut illo ipsum irretiat et capiat. Unde sequitur). AT ILLE DIXIT EI: RECTE JUDICASTI. — Laudat Christus responsum Simonis, ut eo facilius ipse admittat sequentem inde Christi reprehensionem et correctionem.

Vers. 44. 44. ET CONVERSUS AD MULIEREM, DIXIT SIMONI: VIDES HANC MULIEREM? — « Conversus. » Magdalena enim erat a tergo Christi, nec audebat ex criminum confusione coram facie ejus comparere. Unde Christus ad eam ita pœnitentem faciem suam convertit, eamque benignis gratiæ oculis respexit, ac Simoni hospiti suo prætulit.

VIDES HANC MULIEREM? — jam non peccatricem ut tu, o Simon, æstimas, sed pœnitentem justificatam et sanctam.

INTRAVI IN DOMUM TUAM, AQUAM PEDIBUS MEIS NON DEDISTI: HÆC AUTEM LACRYMIS RIGAVIT PEDES MEOS, ET CAPILLIS SUIS TERSIT. — Solebant hospitibus et convivis ante mensam lavari pedes, quia olim nudis pedibus incedebant: lavabant eos ergo, ut sordes simul et fatigationem abstergerent, ne iis lectulos mensales in quibus discubituri erant, sordidarent. Sic Abraham lavit pedes angelis, quos peregrinos existimabat, *Genes.* XVIII, 14; et Loth, *Genes.* XIX, 2; et alii, *Judic.* XIX. Unde et Paulus viduam Diaconissam eligendam censet, quæ « pedes Sanctorum lavit, » I *Tim.* v, 10. Christus autem hic et foris veniebat, et erat conviva; quare Simon ei pedes lavari curare debebat. Taxat ergo Christus ejus incuriam parvumque amorem, ut dilectionem Magdalenæ illi præferat, utpote quæ non aqua, sed lacrymis pedes Christi abluit; nec linteo, sed capillis suis tersit, eosque sordidare non est verita. Nam, ut

Lavabant antiqui pedes ante epulum?

ait Titus: « Aqua facili negotio parari potest, sed tanta lacrymarum profusio, paratu minime facilis est. »

45. OSCULUM MIHI NON DEDISTI: HÆC AUTEM, EX QUO INTRAVIT, NON CESSAVIT OSCULARI PEDES MEOS. — Idque « cum omni timore et reverentia, » ait Titus. Solebant hospites et convivas osculo excipere, in signum amoris et benevolentiæ, ut eos sibi gratos esse significarent. Unde id etiamnum faciunt Belgæ aliæque gentes. At Simon, parum erga Christum civilis, osculum omisit. Sensus est, *q. d.* Tuum erat, o Simon, me hospitem osculo faciei de more excipere: tuam ergo rusticitatem supplevit et superavit civilis amansque Magdalena, quæ non faciem, sed pedes meos osculata est, idque non semel, nec uno osculo, sed crebris et continuatis ab initio ingressus ejus in domum huc usque. Vers. 45.

46. OLEO CAPUT MEUM NON UNXISTI: HÆC AUTEM UNGUENTO UNXIT PEDES MEOS. — Solebant liquoribus odoratis perfundere manus et capita convivarum, ac quo illi erant hero chariores et majori in pretio, eo pretiosiores illis adhibebat liquores. Sensus ergo est, *q. d.* Tu, o Simon, ne vili quidem, communique oleo faciem meam unxisti: at Magdalena unguento pretioso unxit pedes meos. Vide ergo quam te in officio et charitate superet: « Non enim unguentum Dominus, ait Ambrosius, sed charitatem dilexit, fidem suscepit, humilitatem probavit. » Unde concludit Christus:

47. PROPTER QUOD DICO TIBI: REMITTUNTUR EI PECCATA MULTA, QUONIAM DILEXIT MULTUM. — Græce est ἀφέωνται, id est *remissa sunt*, in præterito; sic et Syrus et Arabicus. Quæritur: Quando Magdalenæ fuerint remissa peccata? Franciscus Lucas, *primo*, censet remissa esse vers. seq., cum paulo post Christus ei dixit: « Remittuntur tibi peccata. » Quod ergo hic dicit « remittuntur, » sic explicat, *q. d.* Jam jam remittenda sunt. *Secundo*, alii censent hoc versu præsenti remissa fuisse illi peccata, illud enim significat τὸ « remittuntur; » quia decebat ut nemo nisi Christus eam absolveret, ac sententiam absolutionis viva voce coram Simone in eam proferret. *Tertio*, verisimilius videtur paulo ante remissa illi fuisse peccata, cum scilicet perfectum de peccatis dolorem concepit, ex cujus vi deinde hæc signa lotionis, tersionis, osculationis et unctionis pedum Christi edidit; hoc enim significat Græcum ἀφέωνται, id est *remissa sunt*, in præterito. Ratio est, quia Magdalena quæ a Deo facta est exemplar pœnitentiæ, eo per validam gratiam illuminante ipsam et impellente, perfectum concepit dolorem ex amore Dei super omnia manantem. Deus enim mentem ejus illuminabat, ut clare videret peccatorum suorum gravitatem, quamque per illam Dei majestatem et bonitatem offendisset, ac voluntatem impellebat, ut Deum super omnia diligeret, ideoque peccata omnia summe detestaretur, ut Deum

Quando eam Magdalenæ remissa fuere peccata.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

placaret sibique reconciliaret. Hic Dei amor, et de peccatis dolor eam excitavit ad edenda publica hæc pœnitentiæ signa, sine ullo rubore et verecundia in publico Simonis convivio. Itaque antequam Christus ei diceret : « Remittuntur ei peccata ; » jam vi contritionis perfectæ et charitate formatæ remissa erant ei peccata. Noster tamen Interpres vertit, « remittuntur, » in præsenti, eodem sensu quo sacerdos in Sacramento pœnitentiæ, peccatorem pœnitentem etiam perfecte contritum, ideoque jam justificatum, a peccatis absolvit dicitque : « Ego te absolvo. » Quia scilicet, quantum est ex parte sua, eum absolvit, esto vi contritionis jam sit absolutus : absolutio enim hæc tam efficax est, ut, si quod inveniret in confitente peccatum, illud plane tolleret et absolveret. Adde, idem peccatum posse sæpius condonari, maxime si pœnitens ex humilitate et dolore illud sæpius confiteatur, ac clavibus Ecclesiæ subjiciat et remissionem flagitet. Unde Christus hic tertio Magdalenæ peccata remittit. Quare non tantum omnem culpam, sed et omnem pœnam culpæ debitam ei remisit, illique plenam omnium indulgentiam ac quasi primum jubileum indulsit. Hoc est quod ait angelus cuidam Episcopo in Vitis Patrum, lib. VI, n. 16 : « Pœnitentia et confessio pœnitentes in divinum numerum referunt. » Et Barlaam ad Josaphat apud Damascenum, in *Hist.* cap. XI : « Lacrymæ pœnitentis nomen baptismi obtinent. » Et Palladius, in *Lausiaca*, cap. CXL, narrat virginem quamdam lapsam « magis placuisse Deo in pœnitentia, quam in virginitate. » Vide S. Hieronymum *De Pœnitentia Fabiolæ*, et Climacum, gradu 5 *De Pœnitentia.*

*Quis sensus formæ absolutionis cum absolvitur pœnitens jam justificatus per contritionem.*

QUONIAM D[illegible]LEXIT MULTUM. — Toletus et nonnulli alii censent τὸ « quoniam, » significare causam non remissionis peccatorum, sed probationis, quod illi jam remissa sint, *q. d.* Inde, o Simon, advertas et cognoscas Magdalenæ jam remissa esse peccata, quia ipsa hæc summæ dilectionis et gratitudinis signa mihi ostendit, ut scilicet ipsa se mihi gratam exhiberet, quod jam ante peccata ei condonarim. Verum hæc explicatio torquet τὸ « quoniam, » tum quia Magdalena, licet pœnitens et contrita, nesciebat tamen sibi remissa esse peccata, donec a Christo audivit : « Remittuntur ei peccata : » quare hæc signa dilectionis non potuit edere ex gratitudine, ut scilicet se gratam Christo, qui illa remiserat, exhiberet, quia, ut dixi, adhuc nesciebat Christum illa remisisse; tum quia Christus non dicit : Cognosce, o Simon, remissa esse Magdalenæ peccata ex hoc quod ipsa me diligat, id est tanta dilectionis signa ostendat; sed vice versa ait : « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, » id est, remittuntur ei peccata hac de causa, quod ipsa me summe diligat, ideoque summe de peccatis, quibus me offendit, doleat. Hoc enim plane verba significant.

Dico ergo τὸ « quoniam » significare causam remissionis peccatorum, *q. d.* Hac de causa Magdalenæ multa, id est omnia, peccata remissa sunt, quia ipsa summe Deum dilexit, et ex summa hac Dei dilectione summe de peccatis suis doluit illaque plene detestata est. « Charitas enim est mors criminum, vita virtutum, » ait S. Augustinus, tract. *De Laudibus charitatis.* Unde recte Theologi fere omnes cum S. Augustino, *hom.* 23 inter 50, ex hoc loco docent actum contritionis perfectæ, qui includit dilectionem Dei super omnia, natura quidem præcedere remissionem peccatorum et justificationem; sed eodem instanti temporis tanquam ultimam ad illam dispositionem, eamdem adducere : sicut calor ut octo, in ligno quasi ultima dispositio, inducit in lignum formam ignis. Ita Concilium Tridentinum, sess. XIV, cap. IV, distinguens attritionem quæ ex metu gehennæ et pœnarum concipitur, a contritione quæ charitate perficitur, docet hanc cum Sacramento in voto peccatorem Deo reconciliare, illam vero neutiquam, juxta illud : « Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies, » *Psalm.* L. Hinc S. Gregorius, *hom.* 33, ita exponit : « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, » quasi dicat : « Incendit plane peccati rubiginem, quia ardet valide per amoris ignem. Tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. » Vide Suarez, III *part.*, *Quæst.* LXXXV, art. 1, disp. 4, sect. 7. Vere S. Bernardus, *epist.* 107 : « Libenter, ait, Dei amor nostrum, quem prævenit, subsequitur. Nam quomodo redamare pigeat, quos amavit necdum amantes? »

*Contritio perfecta num modo justificationem adducat?*

CUI AUTEM MINUS DIMITTITUR, MINUS DILIGIT. — Hæc pars ad Simonem spectat, cui, utpote non pœnitenti de peccatis nec diligenti Deum, nihil remissum est. Unde Arabicus vertit, *cui autem dimittitur parum, diligitur parum, q. d.* Sicut Magdalenæ multum diligenti me Deum, multa, id est omnia peccata a me dimissa sunt; ita tibi, o Simon, parum vel nihil ex vera charitate me Deum diligenti, parum vel nihil a me remissum est. Modestiæ et civilitatis causa dicit « parum, » vel « minus, » cum absolute dicere potuisset « nihil. » Porro, minus diligenti minus remittitur, intellige secundum rationem et ordinem remissionis a Deo statutum, qui habet, ut unum peccatum mortale etiam minimum sine aliis remitti nequeat, sed quandocumque unum remittitur, cætera omnia remittantur quoad culpam, sed secundum gradus dilectionis plus pœnæ minusve, magis vel minus diligenti remittatur. *Secundo*, qui nullo modo, vel amore tantum naturali diligit Deum, minus diligit Deum, quam qui eumdem amat ex charitate vera et supernaturali; ac proinde huic multa, id est omnia; illi minus, quia nihil dimittitur : puta Magdalenæ omnia, Simoni nihil; quia Simon non cogitabat de peccatis suis, nec de iis conterebatur, nec prandium hoc ordinabat ad remissionem a Christo impetrandam; Magdalena vero et vehementissime conterebatur, omnesque hos suos pœnitentiæ actus ad impetrandam veniam destinabat. Voluit enim Christus hoc paradigma et hanc parabolam duorum debitorum et creditoris aliquo modo accommodare remissioni peccatorum Magdalenæ et Simonis. Illa autem huic non per omnia similis est, sed in eo tantum quod dixi. Et maxime spectat hic Christus, cur Magdalenæ multa, id est omnia, dimiserit quoad culpam et pœnam, non autem alterum, cur scilicet Simoni minus dimiserit. Quare hoc ut emblema et complementum parabolæ addidit, non autem rei per parabolam significatæ ex æquo adaptari voluit. Adde : dilectio Simonis erat prandium, quod exhibebat Christo, ob quod merebatur, si erat in Dei gratia, ut aliqua peccata venialia sibi remitterentur; sed minor fuit hæc Dei dilectio, major vero fuit Magdalenæ lacrymis lavantis, osculantis et ungentis pedes Christi, ideoque ipsa omnium peccatorum mortalium veniam a Christo impetravit. Addit S. Augustinus id dictum per concessionem ex mente Pharisæi, qui se justum æstimabat, ideoque parum vel nihil Deo debere. « Dictum est hoc, inquit, propter Pharisæum illum, qui vel nulla vel pauca se putabat habere peccata : non enim Dominum invitaret, nisi aliquantulum diligeret. » Et postea : « O Pharisæe, ideo parum diligis, quia parum tibi dimitti suspicaris : non q[illegible] parum dimittitur, sed quia parum putas esse quod dimittatur. »



Addit Toletus, minus dimissum fuisse Simoni, non quod aliquod peccatum ei remissum sit, sed quod ab aliquo peccato committendo fuerit præservatus per Christi gratiam : nam qui Christum invitaverat, non prosequebatur Christum odio, ut cæteri Pharisæi. Unde verisimile est Simonem hunc tandem plene ad Christum fuisse conversum. Fuse et exacte hæc Christi verba expendit Suarez, III *part. De Gratia*, lib. VIII, cap. X.

48. DIXIT AUTEM AD ILLAM : REMITTUNTUR TIBI PECCATA. — Franciscus Lucas putat hic primum Magdalenæ a Christo peccata fuisse condonata. Verum jam ante per contritionem illa ipsi fuisse remissa ostendi vers. præced. Quod ergo ibi Christus Simoni dixit Magdalenæ esse remissa peccata, hoc jam conversus ad Magdalenam ipsi dixit, tum ut eam lacrymantem consoletur et de remissione certiorem reddat; tum ut remissionem jam datam coram Simone et Pharisæis confirmet ac tueatur, ostendatque se habere potestatem auctoritative remittendi peccata, ideoque esse Messiam ac Deum; hic enim solus primarius est auctor remissionis. Ita Euthymius.

49. ET CŒPERUNT QUI SIMUL ACCUMBEBANT, DICERE INTRA SE (in corde et mente cogitare, non enim audebant coram Jesu hanc cogitationem suam prodere, ne ab eo æque ac Simon redarguerentur) : QUIS EST HIC, QUI ETIAM PECCATA DIMITTIT? — *q. d.* Estne hic Messias? estne Deus? hic enim solus per se peccata remittit. Hinc Christus eos in sua admiratione et dubitatione relinquit, ut pergant scrutari ejus doctrinam, vitam et miracula, indeque cognoscant ipsum esse Messiam Dei Filium.

50. DIXIT AUTEM AD MULIEREM : FIDES TUA TE SALVAM FECIT : VADE IN PACE. — Fides non sola, ut volunt Novantes, sed bonis pœnitentiæ operibus (qualia hic circa Christum exercuit Magdalena) ac charitate formata. Nam paulo ante Christus dilectioni ejus remissionem attribuit, dicens : « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. » Fides ergo hic intelligitur non nuda, sed per charitatem et contritionis actus, qui hic præcesserunt, operans.

SALVAM (a peccatis liberam, sanctam ac salvandam) FECIT. — *q. d.* Fides tua charitate formata constituit te in via salutis, ut, si in ea usque ad mortem perseveres, certo ad salutem et gloriam æternam sis perventura. Gratia enim est via ad gloriam.

VADE IN PACE. — *q. d.* Vade secura, tranquilla, læta et felix, quæ hactenus ob conscientiam scelerum fuisti dolens, mœsta, anxia, sollicita, infelix : peccata enim præterita tibi amplius non nocebunt, ait Euthymius, nec conscientiam tuam amplius remordebunt aut lancinabunt. Hic est fructus pœnitentiæ, remissionis peccatorum, conscientiæ a peccatis purgatæ, justæ et sanctæ, scilicet pax, serenitas, hilaritas et gaudium Spiritus Sancti, quod omnia mundi gaudia longe superat et transcendit, juxta illud : « Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum, » *Roman.* V, 1. Et illud : « Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu, » *Philipp.* IV, 7. Et illud : « Secura mens quasi juge convivium, » *Proverb.* XV, 15. Vide illis locis dicta. Præclare S. Bernardus, serm. *De S. Magdalena* : « Est gaudium, ait, continua sibi jucunditate firmissimum, quod perfectus animus de secura sibi conscientia pollicetur. Mens enim ab hujus mundi aspergine pure presseque detersa, et in divinæ contemplationis acumen totum desiderii sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, et exultat anima sua in Deo salutari suo. Talis anima minas aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit, et omnium scandalorum immunis, in pace in idipsum dormiens requiescit. »

*Fructus pœnitentiæ, pax, serenitas, gaudium, etc.*

Porro, Christus Magdalenæ hic perfectam uti salutem, sic pacem dedit, « Dei enim perfecta sunt opera, » *Deuter.* XXXII. Hinc quos Christus sanavit, perfecte sanavit. Ipse ergo, *primo*, e Magdalenæ mente abolevit omnes habitus vitiorum, memoriam præteritarum turpium voluptatum, propensiones ad superbiam, luxuriam et gulam, tentationes carnis plenamque menti pacem reddidit; *secundo*, indidit ei perfectam castitatem, humilitatem, pœnitentiam; *tertio*, plenum contemptum omnium rerum mundanarum et desideriu..

*Gratia a Christo Magdalenæ hic concessa. Trina. Secundo. Tertio.*

cœlestium; *quarto*, ardentissimum Christi amorem, ut se et sua omnia Christi obsequio dicaret. Quocirca ipsa illico Christum assidue obeuntem castella et prædicantem magno labore et alacritate pedibus incedens ubique secuta est; eumque cum Apostolis suis opibus aluit : prædicationi ejus tota intenta, curam familiæ sorori suæ Marthæ resignavit. Unde a Christo audiit : « Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum, » *Luc.* cap. XI. Hinc et cruci Christi constanter astitit, viditque Christum sanguine suo lavantem crimina sua, quæ ipsa jam lacrymis suis laverat. Quocirca magis in ejus amorem exarsit, ideoque in desertum secedens totam se ejus vitæ, passioni, resurrectioni contemplandæ dedit, ac tota in Christum absorpta vitam magis cœlestem egit, quam terrestrem. Sic plena fuit conversio S. Pauli, ut illico virtutes omnes, non tantum Christianas, sed et Apostolicas, idque in gradu heroico, illi Christus infunderet, ut dixi *Actor.* IX. Similem mutationem animi se expertum in baptismo scribit S. Cyprianus, lib. II, epist. 2 *ad Donat.*; et S. Augustinus in conversione sua, lib. IX *Confess.*, cap. I, et lib. VIII, cap. XI.

Quapropter tropologice Origenes, hom. insigni *De Maria Magdalena* : « Sequamur, ait, hujus mulieris affectum, ut perveniamus ad effectum : ploret unusquisque ad Jesum et quærat fideliter Jesum, quia non celavit se quærenti peccatrici. Disce, peccator homo, a peccatrice muliere, cui tamen dimissa sunt peccata sua, disce plorare Dei absentiam et considerare ejus præsentiam. Disce a Maria Jesum amare, et in Jesum sperare, et quærendo Jesum investigare, nulla adversa formidare, nullam extra Jesum consolationem accipere, omnia propter Jesum contemnere. » Vide hic quam potens sit gratia, æque ac amor Christi : quam potens sit amor, docet emblema in quo Cupido pingitur insidere leoni eumque domare et regere. Emblema amoris.

Vidi ego qui durum possit frænare leonem :
Vidi qui solus corda domaret Amor.

« Omnia vincit amor. » Vide dicta *Cant.* VIII, ad illa : « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. »

# CAPUT OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus prædicans per castella proponit parabolam seminis et seminantis. Secundo, vers.* 20 *cuidam nuntianti matrem ejus adesse, respondet suos fratres et matrem esse eos qui verba Dei audiunt et faciunt. Tertio, vers.* 23, *sedat maris tempestatem. Quarto, vers.* 26, *dæmonem cui nomen erat* Legio, *ab homine ejicit, sinitque abire in porcos. Quinto, vers.* 41, *mulierem fluxu sanguinis liberat, et filiam Jairi a morte suscitat.*

*Primam partem explicui* Matth. XIII, 3; *secundam,* Matth. XXII, 46; *tertiam,* Matth. VIII, 23; *quintam,* Matth. IX, 18, *et* Marci V, 25. *Superest ergo hic quarta explicanda.*

1. Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates et castella, prædicans et evangelizans regnum Dei; et duodecim cum illo; 2. et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus malignis et infirmitatibus : Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, 3. et Joanna, uxor Chusæ, procuratoris Herodis, et Susanna et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. 4. Cum autem turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem : 5. Exiit qui seminat, seminare semen suum; et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud. 6. Et aliud cecidit super petram, et natum aruit, quia non habebat humorem. 7. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. 8. Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat. 9. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola. 10. Quibus ipse dixit : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant. 11. Est autem hæc parabola : Semen est verbum Dei. 12. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. 13. Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum; et



hi radices non habent, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. 14. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. 15. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. 16. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit; sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. 17. Non est enim occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cognoscatur, et in palam veniat. 18. Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi; et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. 19. Venerunt autem ad illum mater et fratres ejus, et non poterant adire eum præ turba. 20. Et nuntiatum est illi : Mater tua et fratres tui stant foris, volentes te videre. 21. Qui respondens, dixit ad eos : Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, et faciunt. 22. Factum est autem in una dierum, et ipse ascendit in naviculam, et discipuli ejus, et ait ad illos : Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. 23. Et navigantibus illis obdormivit, et descendit procella venti in stagnum, et complebantur, et periclitabantur. 24. Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes : Præceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum et tempestatem aquæ, et cessavit, et facta est tranquillitas. 25. Dixit autem illis : Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes : Quis putas hic est, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei? 26. Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. 27. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. 28. Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum, et exclamans voce magna, dixit : Quid mihi et tibi est, Jesu Fili Dei altissimi? obsecro te, ne me torqueas. 29. Præcipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, et vinciebatur catenis et compedibus custoditus, et ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta. 30. Interrogavit autem illum Jesus, dicens : Quod tibi nomen est? At ille dixit : Legio, quia intraverant dæmonia multa in eum. 31. Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent. 32. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte; et rogabant eum ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. 33. Exierunt ergo dæmonia ab homine, et intraverunt in porcos; et impetu abiit grex per præceps in stagnum, et suffocatus est. 34. Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem et in villas. 35. Exierunt autem videre quod factum est, et venerunt ad Jesum; et invenerunt hominem sedentem, a quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente ad pedes ejus, et timuerunt. 36. Nuntiaverunt autem illis et qui viderant, quomodo sanus factus esset a legione; 37. et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est. 38. Et rogabat illum vir, a quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus, dicens : 39. Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus. 40. Factum est autem cum rediisset Jesus, excepit illum turba : erant enim omnes exspectantes eum. 41. Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, et ipse princeps synagogæ erat, et cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret in domum ejus, 42. quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, et hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, a turbis comprimebatur. 43. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari : 44. accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus, et confestim stetit fluxus sanguinis ejus. 45. Et ait Jesus : Quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cœlestium; *quarto*, ardentissimum Christi amorem, ut se et sua omnia Christi obsequio dicaret. Quocirca ipsa illico Christum assidue obeuntem castella et prædicantem magno labore et alacritate pedibus incedens ubique secuta est; eumque cum Apostolis suis opibus aluit: prædicationi ejus tota intenta, curam familiæ sorori suæ Marthæ resignavit. Unde a Christo audiit: « Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum, » *Luc.* cap. XI. Hinc et cruci Christi constanter astitit, viditque Christum sanguine suo lavantem crimina sua, quæ ipsa jam lacrymis suis laverat. Quocirca magis in ejus amorem exarsit, ideoque in desertum secedens totam se ejus vitæ, passioni, resurrectioni contemplandæ dedit, ac tota in Christum absorpta vitam magis cœlestem egit, quam terrestrem. Sic plena fuit conversio S. Pauli, ut illico virtutes omnes, non tantum Christianas, sed et Apostolicas, idque in gradu heroico, illi Christus infunderet, ut dixi *Actor.* IX. Similem mutationem animi se expertum in baptismo scribit S. Cyprianus, lib. II, epist. 2 *ad Donat.*; et S. Augustinus in conversione sua, lib. IX *Confess.*, cap. I, et lib. VIII, cap. XI.

Quapropter tropologice Origenes, hom. insigni *De Maria Magdalena*: « Sequamur, ait, hujus mulieris affectum, ut perveniamus ad effectum: ploret unusquisque ad Jesum et quærat fideliter Jesum, quia non celavit se quærenti peccatrici. Disce, peccator homo, a peccatrice muliere, cui tamen dimissa sunt peccata sua, disce plorare Dei absentiam et considerare ejus præsentiam. Disce a Maria Jesum amare, et in Jesum sperare, et quærendo Jesum investigare, nulla adversa formidare, nullam extra Jesum consolationem accipere, omnia propter Jesum contemnere. » Vide hic quam potens sit gratia, æque ac amor Christi: quam potens sit amor, docet emblema in quo Cupido pingitur insidere leoni eumque domare et regere.

Vidi ego qui durum posset frænare leonem:
Vidi qui solus corda domaret Amor.

« Omnia vincit amor. » Vide dicta *Cant.* VIII, ad illa: « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. »

# CAPUT OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus prædicans per castella proponit parabolam seminis et seminantis. Secundo, vers.* 20 *cuidam nuntianti matrem ejus adesse, respondet suos fratres et matrem esse eos qui verba Dei audiunt et faciunt. Tertio, vers.* 23, *sedat maris tempestatem. Quarto, vers.* 26, *dæmonem cui nomen erat* Legio, *ab homine ejicit, sinitque abire in porcos. Quinto, vers.* 41, *mulierem fluxu sanguinis liberat, et filiam Jairi a morte suscitat.*

*Primam partem explicui* Matth. XIII, 3; *secundam,* Matth. XXII, 46; *tertiam,* Matth. VIII, 23; *quintam,* Matth. IX, 18, *et* Marci V, 25. *Superest ergo hic quarta explicanda.*

1. Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates et castella, prædicans et evangelizans regnum Dei; et duodecim cum illo; 2. et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus malignis et infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, 3. et Joanna, uxor Chusæ, procuratoris Herodis, et Susanna et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. 4. Cum autem turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: 5. Exiit qui seminat, seminare semen suum; et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud. 6. Et aliud cecidit super petram, et natum aruit, quia non habebat humorem. 7. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. 8. Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. 9. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola. 10. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant. 11. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. 12. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. 13. Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum; et



hi radices non habent, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. 14. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. 15. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. 16. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit; sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. 17. Non est enim occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cognoscatur, et in palam veniat. 18. Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi; et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. 19. Venerunt autem ad illum mater et fratres ejus, et non poterant adire eum præ turba. 20. Et nuntiatum est illi: Mater tua et fratres tui stant foris, volentes te videre. 21. Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, et faciunt. 22. Factum est autem in una dierum, et ipse ascendit in naviculam, et discipuli ejus, et ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. 23. Et navigantibus illis obdormivit, et descendit procella venti in stagnum, et complebantur, et periclitabantur. 24. Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum et tempestatem aquæ, et cessavit, et facta est tranquillitas. 25. Dixit autem illis: Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes: Quis putas hic est, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei? 26. Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. 27. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. 28. Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum, et exclamans voce magna, dixit: Quid mihi et tibi est, Jesu Fili Dei altissimi? obsecro te, ne me torqueas. 29. Præcipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, et vinciebatur catenis et compedibus custoditus, et ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta. 30. Interrogavit autem illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio, quia intraverant dæmonia multa in eum. 31. Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent. 32. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte; et rogabant eum ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. 33. Exierunt ergo dæmonia ab homine, et intraverunt in porcos; et impetu abiit grex per præceps in stagnum, et suffocatus est. 34. Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem et in villas. 35. Exierunt autem videre quod factum est, et venerunt ad Jesum; et invenerunt hominem sedentem, a quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente ad pedes ejus, et timuerunt. 36. Nuntiaverunt autem illis et qui viderant, quomodo sanus factus esset a legione; 37. et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est. 38. Et rogabat illum vir, a quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus, dicens: 39. Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus. 40. Factum est autem cum rediisset Jesus, excepit illum turba: erant enim omnes exspectantes eum. 41. Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, et ipse princeps synagogæ erat, et cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret in domum ejus, 42. quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, et hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, a turbis comprimebatur. 43. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari: 44. accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus, et confestim stetit fluxus sanguinis ejus. 45. Et ait Jesus: Quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant:

Præceptor, turbæ te comprimunt, et affligunt, et dicis : Quis me tetigit? 46. Et dixit Jesus, Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiisse. 47. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, et procidit ante pedes ejus; et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo, et quemadmodum confestim sanata sit. 48. At ipse dixit ei : Filia, fides tua salvam te fecit : vade in pace. 49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei : Quia mortua est filia tua, noli vexare illum. 50. Jesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellæ : Noli timere, crede tantum, et salva erit. 51. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, et patrem et matrem puellæ. 52. Flebant autem omnes, et plangebant illam. At ille dixit : Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit. 53. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset. 54. Ipse autem tenens manum ejus clamavit, dicens : Puella, surge. 55. Et reversus est spiritus ejus, et surrexit continuo. Et jussit illi dari manducare. 56. Et stupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

Vers. 1. 1. Et duodecim (Apostoli) cum illo. — Scilicet comitabantur Jesum castella obeuntem et prædicantem.

Vers. 2. 2. Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus malignis et infirmitatibus (id est) : Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant. — Mulieres hæ sequebantur Christum, *primo*, gratitudinis ergo, quod ab eo dæmonibus et morbis curatæ essent; *secundo*, securitatis ergo, ne, si a Christo medico suo abirent, rursum a dæmonibus invaderentur; *tertio*, pietatis studio, ut ejus conversatione et prædicatione in sanctitate proficerent.

Maria (Hebraice *Maria* significat amarum mare, scilicet pœnitentiæ, ait Beda), quæ vocatur Magdalene. — A castello Galilææ dicto « Magdalum, » quod situm erat juxta Bethsaidam et Capharnaum, ubi Christus habitabat et docebat, ac dæmoniacos sanabat. Videtur Magdalena Magdali fuisse domina, vel jure hæreditario, vel quod Magdali domino nupsisset; nuptam enim eam fuisse insinuat S. Augustinus, *hom.* 23 inter. 50, ubi eam non tantum meretricem, sed et adulteram vocat. Adultera autem non est, nisi quæ habet maritum, eoque relicto alteri adhæret. Rursum Auctor *Comment. in S. Marcum*, apud S. Hieronymum, cap. XV, 40, Magdalenam vocat viduam; ergo censet eam fuisse conjugatam : sic et Jansenius, Franciscus Lucas et alii. Alioqui Magdalenam prosapia fuisse Judæam, oriundam e Bethania, æque ac Lazarum et Martham, satis significat Joannes, cap. XII, 1. Audi Adrichomium, in *Descriptione Terræ Sanctæ*, p. 141, n. 66 : « Magdalum Mariæ Magdalenæ castrum, ubi et nata ac sanata est, cujus domum etiamnum ibi videri, ait Bredenbachius, situm est in littore maris Galilææ, et ab Aquilone atque Occidente magnam habet planitiem; vocatum autem Magdalum a turribus et munitionibus, quibus magnifice erat munitum. Unde Hieronymus, *epist.* 16, ob Mariæ Magdalenæ sedulitatem ac fidei ardorem, eam « Magdalenen, » hoc est « turritam » recte vocatam asserit. Meminit hujus castri Josephus scribens Agrippam regem copias misisse, quæ id caperent; cæterum eas obsidere illud non fuisse ausas. »

Magdalena ergo Hebraice, *primo*, idem est quod *turrita*, vel turrigera, a radice מגדל *migdal*, id est *turris* : fuit enim ipsa procera et excelso corpore, et magis animo, juxta illud *Cant.* IV, 4 : « Sicut turris David collum tuum. » Vide ibi dicta. *Secundo*, Magdalena idem est quod « magnifica, » ait Origenes, tract. 35 *in Matth.*; aut « magnificata, » ait Pagninus in *Nom. Hebr.* Quia, inquit Origenes, « secuta fuerat Jesum, et ministraverat ei, et spectaverat mysterium passionis ipsius. » Radix enim גדל *gadal* significat *esse magnum et magnificum*; Magdalena enim mire ad culmen gratiæ exaltata est a Christo. *Tertio*, Magdalena, ait Pagninus, idem est quod « vexillo insignita, » aut « vexillum ducens, » vel « elevans, » a radice דגל *deghel*, id est *vexillum* per metathesin, sive transpositionem litterarum ג *ghimel* et ד *daleth*. Magdalena enim erexit vexillum summæ pœnitentiæ, fervoris et dilectionis Christi, æque ac vitæ contemplativæ, juxta illud *Cant.* II, 4 : « Ordinavit in me charitatem; » Hebraice דגלו *diglo*, id est vexillum ejus super me est charitas, id est vexillum charitatis super me erexit; vide dicta ibi. *Quarto*, Magdalena, ait Pagninus, idem est quod « educata, nutrita, » scilicet verbis Christi tam externis quam internis ad omnem virtutem et sanctimoniam. Radix enim גדל *gadal* etiam nutrire et educare significat.

Septem dæmonia quænam. De qua septem dæmonia exierant, — hoc est, septem vitia capitalia Christus expulerat, scilicet superbiam, avaritiam, gulam, luxuriam, iram, invidiam et acediam, ait Beda et Theophylactus hic, ac S. Gregorius, *homil.* 33. Hoc recte, sed mystice. Nam ad litteram hic veri dæmones intelliguntur, hi enim sunt spiritus maligni, ut paulo ante dixi; atque hi proprie dicuntur exire, et, ut Marcus ait, ejici. Ita S. Ambrosius, lib. *De Salomone*, cap. V; Euthymius, Jansenius et alii hic. Videtur ergo Magdalena ob sua scelera a septem dæmonibus fuisse possessa, ac a Christo inter alios dæmoniacos ab iis liberata, de peccatis suis pœnituisse, ac venia ab eo impetrata individuæ ei adhæsisse, non jam a dæmone, sed a Deo possessa, factaque templum Spiritus Sancti. Ita Roffensis, lib. *De una Magdalena*, Jansenius et alii. « Septem, » præcise, vel « septem, » id est multa; septenarius enim est symbolum multitudinis et universitatis, uti sæpius annotavi.



3. Et Joanna, uxor Chusæ, procuratoris (Syrus, ...; Arabicus, *thesaurarii*) Herodis, et Susanna et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. — Erant enim divites et gratæ Christo liberatori suo, eique devotæ ejus prædicationem et fidem promovere ac propagare satagebant. Sic olim Romæ S. Plautilla, S. Flavia Domitilla, S. Lucina, S. Priscilla, S. Pudentiana, S. Praxedes aliæque nobiles et opulentæ matronæ aluerunt S. Petrum, S. Paulum, S. Clementem, S. Pium, S. Caium, S. Marcellum aliosque Romanos Pontifices cum suis Presbyteris et Diaconis.

Susanna, id est lilium. Et Susanna. — Illustris fuit hæc matrona a Christo curata, adeoque Christi discipula et nutricia. Hebraice *Susanna* significat *lilium*; propter odoriferum cœlestis vitæ candorem, ait Interlinearis, et propter aureum internæ dilectionis ardorem, ait Beda.

Vers. 15. 15. Qui in corde bono et optimo, audientes verbum Dei retinent. — Notat hic Concilium Basileense, ut recte audiatur verbum Dei requiri *primo*, locum aptum, cum ait : « In corde bono et optimo; » *secundo*, modum debitum, cum ait : « Audientes verbum retinent; » *tertio*, fructum optimum, cum ait : « Fructum afferunt in patientia. »

Quid est cor bonum et optimum? Item « in corde bono, » per fidem illuminantem; « et optimo, » per gratiam operantem, ut ait Lyranus; vel, ut alii, « bono, » per disciplinæ et virtutis exercitium, « et optimo, » per internæ contemplationis et consolationis solatium; vel, ex Alberto, « bono, » id est mundo a peccato, « et optimo, » id est conformato divinæ voluntati. Vel, ut Bonaventura, « bono, » ut in intellectu sit veritas; « et optimo, » ut in affectu sit rectitudo. Vel, ut S. Augustinus, in *Psalm.* VII, « bono, » per dilectionem proximi et sui ipsius, « et optimo, » per dilectionem Dei super omnia.

Porro, pro « bono et optimo, » Græce est καλῇ καὶ ἀγαθῇ, id est *honesto et bono*, scilicet per excellentiam, hoc est optimo et honestissimo : nam copula *et* continet gradationem et auxesim, *q. d.* Qui verbum Dei retinent in corde honesto et bono, imo honestissimo et optimo, hi fructum referent pro quantitate honestatis et bonitatis, ut, si cor bonum sit, bonum referant fructum; si melius, majorem et meliorem; si optimum, maximum et optimum, scilicet trigesimum, sexagesimum et centesimum, ut habet Matthæus, cap. XIII. Quare non necessario τὸ « bono et optimo » ad diversas personas referendum est, ut vult Toletus, quasi alii sint corde bono, alii optimo; quilibet enim fidelis crescens in virtute, potest et debet primum bono, deinde meliore, ac demum optimo corde verbum Dei excipere, itaque optimum fructum producere, idque innuit τὸ « bono et optimo. » Græca enim *bono et optimo* nectunt, ut dixi; ac Syrus, qui vertit, *in corde humili et bono* : alii, *in corde pulchro et bono*.

In patientia. — Græce ἐν ὑπομονῇ, id est *sustinentia et tolerantia*, scilicet laborum, afflictionum et dolorum in arando, seminando, occando, sarriendo, etc., ac ipsam messem longanimi patientia exspectando.

26. Et navigaverunt (navigando pervenerunt. Ita Syrus. Unde manuscripti codices legunt, « enavigaverunt ») ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. — « Gerasenorum, » Græce est, *Gadarenorum*; Græcus in Matthæo habet *Gergesenorum*. Unde putant nonnulli hunc unum eumdemque esse locum, ita varie appellatum, adeoque trinomium. Verum ex S. Hieronymo, in *Locis Hebr.*, Josepho et aliis ostendit Adrichomius, in *Descriptione Terræ Sanctæ*, « Gadaram » aliam esse a « Gerasa, » vel « Gergesa. » Erant enim hæ duæ urbes distinctæ, sed ab utralibet tota regio dicta est « Gadarenorum, » aut « Gerasenorum » sive « Gergesenorum. » Noster Interpres ubique vertit, « Gerasenorum, » quia hoc nomen erat notius.

27. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmonium jam temporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. — « Vir : » Matthæus ait fuisse duos, sed hic unus erat nobilior et truculentior; possidebatur enim a legione dæmonum. Unde eum solum nominant Lucas et Marcus. Vers. 27.

Sed in monumentis. — Nota *primo*, Judæos sua sepulcra non habuisse in civitate, ne ex eorum contactu contaminarentur et irregularitatem legalem, qua templo arcebantur, contraherent; sed extra civitatem in agris et montibus, uti ante dixi. Erant autem sepulcra eorum alta et lata quasi cameræ, ut multi simul in iis sepeliri, quin et vivi illud ingredi, et defunctorum suorum corpora inferre possent, ut patet ex sepulcro Christi, Saræ, Abrahæ et aliorum. Sic ergo dæmoniacus hic habitabat in sepulcris, quia eo a dæmonibus agebatur. Quæres cur? Respondeo *primo*, ut dæmones ibidem in ipsum majorem sævitiam exercerent, et horrorem transeuntibus incuterent, uti faciunt in lycanthropis, id est in hominibus quos in lupos transformant. Franci *loups-garous* vocant. Et forte hic dæmoniacus fuit « lycanthropos, » vel illi similis : ille enim est sævissimus et instar lupi noctu domo egredi-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tur, grassatur in pecudes et homines, omnesque necat et vorat, ac solitudines et mortuorum sepulcra, horridasque speluncas sectatur, in iisque se abscondit, ac sæpe ritu luporum ululat, uti docet Fernelius, Paulus Æginela et alii quos citat et sequitur Guilielmus Eder, lib. *De Ægrotis Evangelicis*, cap. v et xi, ubi ostendit dæmoniacum hunc fuisse lycanthropum, ac laborasse melancholia et mania lupina, quæ a medicis lycanthropia dicitur, qua correpti imaginantur se esse lupos, ac ut lupi ululant et sæviunt in obvios pugnis, dentibus et calcibus, « ita ut nemo posset transire per viam illam, » ait Matthæus, quin protinus ab eis invaderetur et lanisretur. Ubi advertc dæmonem maxime invadere melancholicos eorumque melancholia abuti, ut eos agat in mæstitiam et desperationem, vel in iram, rabiem et furorem.

Dæmon maxime invadit melancholicos.

*Secundo*, quia dæmon spurcissimus et fetidissimus, spurcissima et fetidissima assumit corpora, ac similia incolit loca, puta sepulcra plebaque ossibus et cadaveribus. Unde et sagæ sub patibulis suos cum dæmone conventus et choreas agere solent. Vide Delrium, in *Magicis*. *Tertio*, ut significetur dæmones delectari hominum morte, ac inter mortuos, puta damnatos in gehenna, versari. Addunt *quarto*, Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus, eum id fecisse, ut hominibus persuaderet hominum mortuorum animas in dæmones commutari, qui proinde corporibus sepultis in sepulcro assideant. Unde dæmoniaci, ait Chrysostomus, subinde clamant : anima Petri, vel Pauli, vel Joannis ego sum.

28. 28. Is, UT VIDIT JESUM, PROCIDIT ANTE ILLUM, ET EXCLAMANS VOCE MAGNA, DIXIT : QUID MIHI ET TIBI EST, JESU FILI DEI ALTISSIMI? OBSECRO TE NE ME TORQUEAS. — Addit Marcus, cap. v, 6 : « Videns autem Jesum a longe, cucurrit, et oravit eum, » scilicet flexo genu eum adorans. Quæres, cur id fecit dæmon? Respondeo : quia sentiebat præsentiæ Christi efficaciam, adeoque a Christo compulsus est ad eum accurrere eumque adorare; metuebat enim quod, si non occurreret Christo eumque adoraret, gravius ab eo puniretur. Compulit ergo eum Christus id facere, ut hac ratione miraculo a se patrando, puta curationi dæmoniaci, daretur occasio; hac enim de causa Christus illuc iter suum dirigebat, et juxta hæc sepulcra transibat, ut dæmoniacum adeo ferocem sanaret.

FILI DEI ALTISSIMI. — Hinc videtur quod dæmon, qui in trina tentatione Christi, eum non agnoverat, nunc post tot tantaque miracula, ex iis agnoverit eum esse Messiam Dei Filium, sed ita ut, excæcante eum superbia et odio Christi, hæsitaret et ægre crederet Filium Dei ad carnem humanam se humiliasse, multo minus crederet per ejus crucem et mortem redimendum genus humanum, quia, ut ait D. Thomas, multis modis a Deo impediebatur, ne id resciscerct. Vide dicta *Marci* iv, 11. « Ne me torqueas, » ne me ab homine hoc expellas, et in infernum releges, ibique religes. Vide dicta *Matth.* viii, 31.

29. PRÆCIPIEBAT ENIM SPIRITUI IMMUNDO, UT EXIRET AB HOMINE. MULTIS ENIM TEMPORIBUS ARRIPIEBAT ILLUM, ET VINCIEBATUR CATENIS ET COMPEDIBUS CUSTODITUS, ET RUPTIS VINCULIS AGEBATUR A DÆMONIO IN DESERTA. — Ecce hæc omnia suadent eum fuisse lycanthropum, ut dixi vers. 27. Ex hoc et similibus locis liquet multos dæmones non esse in inferno, sed versari in hoc aere, terra, aqua, montibus, cavernis, silvis, desertis (ubi olim ipsi se Faunos et Satyros vocabant : Isaias, cap. xiii, 21, et cap. xxxiv, 14, *pilosos* vocat), idque usque ad diem judicii, permittente Deo, ut homines tentent. Ita S. Athanasius, in Vita S. Antonii; et S. Augustinus, lib. XI *De Civit. Dei*, cap. xxxiii. Unde pia est Ecclesiæ consuetudo, ut fideles in cœmeteriis et locis sacris ab Episcopo benedictis sepeliantur, ut scilicet per benedictionem hanc ab illis locis arceantur dæmones, utque ibidem fideles Deum pro ibidem sepultis orent. Hac ratione abiguntur dæmonum larvæ et spectra, uti mihi narrarunt Mechliniæ viri graves et experti. Cum enim vespere obirem cœmeterium, vidi in eo multas accensas ardere candelas, ac perplures ibidem orantes. Causam sciscitatus, audivi solere ibi noctu tetras apparere larvas, sed post usum luminum ac precum pro defunctis, illas evanuisse. Vers. 29.

Non omnes dæmones sunt in inferno.

Dæmones e cœmeteriis pelluntur.

30. INTERROGAVIT AUTEM ILLUM JESUS, DICENS : QUOD TIBI NOMEN EST? — « Illum, » scilicet unum dæmonem, primarium, qui in energumeno nomine cæterorum loquebatur. Voluit Christus ut is nomen suum proderet, ut ex eo nomine multitudo dæmonum, indeque vis et potestas Christi eos ejicientis, patesceret. Vers. 30.

AT ILLE DIXIT : LEGIO. — Legio sex millia continet, ac tot præcise fuisse in hoc homine dæmones censet S. Ambrosius : « Non uno dæmonio, inquit, sed totius legionis laborabat incursu. » Simplicius Euthymius, Victor et Toletus censent eum vocasse se « Legionem, » non præcise, sed in confuso, quod essent multi; unde subdit : « Quia intraverant dæmonia multa in eum. » Addit Gregorius Nyssenus : Dæmones, inquit, imitantes legiones angelicas, dicunt se Legionem, imo imitantes et æmulantes Deum ipsum, qui vocatur Dominus Sabaoth, id est exercituum et legionum angelicarum. Lucifer enim est simia Dei.

Disce hic quanta sit multitudo et malignitas dæmonum, ut unum hominem obsideat eorum legio. Sic in Vita S. Dominici novissime aucta legimus hominem quemdam impium contradicentem Rosario, ejusque quindecim mysteriis, quæ ubique prædicabat S. Dominicus, correptum et possessum fuisse a quindecim millibus dæmonum, quos omnes suis precibus et exorcismis multum diuque laborans expulit S. Dominicus.

Dæmonum multitudo et malignitas.



Quocirca cum innumeris undique dæmonibus cingamur, standum nobis est jugiter in acie, ut vigilemus, oremus, pugnemus et de iis triumphemus, uti fecit Antonius, qui dicebat, facile vinci omnes dæmonum insultus per Christi crucem, invocationem, lætitiam spiritualem. Quare qui Deo perfecte servire destinat, cogitet se legionem dæmonum non unam, sed plures, imo Luciferum cum toto inferno omnibusque ejus incolis ad duellum et singulare certamen provocasse, juxta illud Apostoli, *Ephes.* vi, 12 : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ (contra spirituales nebulones) in cœlestibus. »

Christum imitatus S. Hilarion, Orionum virum primarium a legione dæmonum obsessum liberavit : cum enim obsessus furens S. Hilarionem invaderet, et in sublime levaret, omnibus trepidantibus, « Sanctus arridens : Sinite, inquit, et mihi meum palæstritam dimittite. Ac sic reflexa super humeros manu caput ejus tetigit, apprehensoque crine ante pedes adduxit, stringens e regione ambas manus ejus; et plantas utroque calcans pede simulque ingeminans : Torquere, ait, dæmonum turba, torquere. Cumque ille ejularet, et reflexa cervice terram vertice tangeret : Domine, inquit, Jesu, solve miserum, solve captivum : ex uno hominis ore diversæ voces, et quasi confusus populi clamor audiebatur. Curatus itaque et hic, non post multum temporis cum uxore et liberis venit ad monasterium plurima, quasi gratiam redditurus, dona afferens. »

S. Hilarion dæmoniacum curat.

Vers. 31. 31. ET ROGABANT ILLUM, NE IMPERARET ILLIS UT IN ABYSSUM (in infernum, qui dicitur abyssus, quia profundissimus est, utpote in centro terræ) IRENT. — Licet enim dæmones etiam dum in terra vagantur, urantur igne inferni, tamen aliqua eis recreatio est, quod non sint reclusi in carcere inferni; sed per terram vagari, ac homines tentare sinantur, ut eos secum ad infernum trahant : ardent enim odio Dei et invidia hominum, ne sedes suas in cœlis, ex quibus ipsi per superbiam exciderunt, occupent. Apposite ex Maximo Emmanuel Sa : Unicuique peccato, ait, Deus consonam pœnam statuit : gehennam, ob carnis incendium : stridorem dentium, ob risum lascivum; sitim, ob voracitatem et crapulam; vermem, ob malignum cor; caliginem, ob ignorantiam et fallaciam; abyssum, ob superbiam : itaque dæmonibus ut superbis, abyssus deputatur.

Vers. 32. 32. ERAT AUTEM IBI GREX PORCORUM MULTORUM (ad duo millia, ut habet Marcus) PASCENTIUM IN MONTE, — et circa montem, ut ait Marcus. Quæres, unde hi porci? nam Judæi porcis vesci non poterant, utpote ex lege immundis. Respondeo : Gadara, ubi hæc egit Christus, erat quædam Judæorum, vel potius Galilæorum civitas, sed tamen a Cæsare data fuerat ad habitandum Syris et Gentilibus, qui porcos alere poterant. Ita Josephus, lib. XVII *Antiq.* xiii, et lib. II *Belli* iv. Adde, Judæos non quidem comedere, sed alere potuisse porcos ad alios usus, v. g. ut eos Gentilibus venderent, ut iis Romanos milites pascerent, ut larido ad ungendos currus uterentur.

Quare greges porcorum apud Judæos quibus porcis vesci vetitum.

ET ROGABANT EUM, UT PERMITTERET EIS IN ILLOS INGREDI. — Petierunt hoc dæmones a Christo, *primo*, ut, cum hominibus nocere non possent in seipsis, utpote ex quibus eos ejiciebat Christus, eisdem saltem nocerent in suis animalibus, puta porcis. *Secundo* ut hac ratione Christo odium vel displicentiam incolarum crearent, quod et evenit. Ita Euthymius. *Tertio*, quia immundi spiritus amant immunda, ut sunt hirci et porci. Ita Cyrillus. Unde diabolus sagis apparet et ab eis adoratur in forma hirci. Ex hac deprecatione dæmonum eorum infirmitatem colligit S. Antonius apud S. Athanasium : « Nam quomodo, inquit, qui porcorum expetunt merces, imaginem Dei hominem, et tum charum conditori animal suo valebunt jure pervertere? Magna, dilectissimi, adversum dæmones arma sunt, vita sincera et intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto, pertimescit Satanas recte viventium vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, et præcipue purum cor erga Christi amorem. Novit deterrimus coluber ex præcepto Domini sub justorum se jacere vestigiis, qui ait : Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici. »

ET PERMISIT ILLIS. — Quæres, cur id Christus permisit dæmonibus. Respondeo : *Primo*, ut ostenderet se dæmonibus dominari eosque sine sua licentia nihil posse, ne quidem in porcos, multo minus in homines. Unde eos contemnendos esse velut invalidos, dicebat S. Antonius. *Secundo*, ut pateficret quanta esset dæmonum copia, vis et malitia, et consequenter quanta esset Christi eos expellentis vis et gloria. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. *Tertio*, ut Sadducæorum, qui negabant dæmones esse, *Act.* xxiii, 8, errorem hoc facto convinceret et confutaret. Ita Hilarius, in *Matth.* viii. Addit Rupertus, Gadarenos fuisse Judæos, ac contra legem aluisse porcos, ac idcirco a Christo hic eorum suffocatione et perditione fuisse punitos. Sed hoc paulo ante rejeci.

Cur Christus permisit dæmonibus, ut irent in porcos.

Mystice : id fecit Christus, ut daret typum in quo viderent homines, qui porcorum more in cœno voluptatum carnalium volutantur, se simili modo in abyssum gehennæ fore præcipitandos. Rursum, ut doceret parvi faciendam esse porcorum et opum jacturam, præ hominis et animæ jactura. Ut enim hominem a dæmonibus liberaret, permisit eos ire in porcos. Denique ut indicaret quales essent Gerasenorum animæ, scilicet immundæ et fœdæ, ideoque con-

grus dæmonum habitacula, utque innueret eos facile a dæmonibus occupari, qui porcorum more vivunt.

33. EXIERUNT ERGO DÆMONIA AB HOMINE, ET INTRAVERUNT IN PORCOS, ET IMPETU (dæmonum impellentium) ABIIT GREX PER PRÆCEPS IN STAGNUM (Genezareth, quod alio nomine mare Tiberiadis vel Galilææ dicitur), ET SUFFOCATUS EST. — Dæmones ergo præcipitarunt porcos in mare, ibique eos suffocarunt : locum in quo id contigit, suo tempore ostendi solitum scribit S. Hieronymus in *Locis Hebraicis*. Modum explicat Syrus, dum *Matth.* VIII, vertit, *et totus grex ille recta contendit sursum in rupem, et corruerunt in mare.* Dæmones ergo porcos impulerunt in cacumen rupis, sive montis, juxta quem pascebantur, indeque magno impetu eos in subjectum mare præcipitarunt, ut ait hic Lucas.

Huic simile est quod narrat S. Gregorius, lib. III *Dialog.*, cap. XXI, Sanctimonialem quamdam, cum dæmonem ejiceret ex energumeno, permisisse ei intrare in porcum. Dicebat enim dæmon, ait Gregorius : « Si de isto exeo, in quem intrabo? casu autem juxta porcus parvulus pascebatur. Tunc sanctimonialis femina præcepit dicens : Exi ab eo, et in hunc porcum ingredere. Qui statim de homine exivit, porcum quem jussus fuerat, invasit, occidit et recessit. PETRUS. Velim nosse si saltem porcum concedere spiritui immundo debuit? GREGORIUS. Propositæ regulæ nostræ actioni sunt facta veritatis. Ipsi enim redemptori nostro a Legione quæ hominem tenebat, dictum est : Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Qui hunc et ab homine expulit, et in porcos ire, eosque in abyssum mittere concessit. Ex qua re etiam hoc colligitur, quod absque concessione omnipotentis Dei nullam malignus spiritus contra hominem potestatem habeat, qui in porcos intrare non potuit nisi permissus. »

34. QUOD UT VIDERUNT FACTUM QUI PASCEBANT, FUGERUNT (ne cum porcis perirent, ait Titus), ET NUNTIAVERUNT IN CIVITATEM, ET IN VILLAS, — heris ad quos spectabant porci in mari mersi, ne heri eos ab ipsis pastoribus exigerent, quasi eorum culpa periissent, sed ut a Christo, qui eos dæmonibus tradiderat, eos reposcerent.

35. EXIERUNT AUTEM (incolæ civitatis et villarum, quibus porcorum mersionem nuntiarant pastores) VIDERE QUOD FACTUM EST, ET VENERUNT AD JESUM. — Prius ergo ipsum damnum porcorum cognoscere voluerunt, ac viderunt in mari fluitantia porcorum examina et cadavera : quo viso « venerunt ad Jesum, » ut viderent auctorem mersionis porcorum, item hominem, a quo dæmones exierant in porcos. Damni enim magnitudo, modum quo contigerat, curiose eos scrutari cogebat, ut aspicerent num qua ratione damno aliqua ex parte mederi possent.

ET INVENERUNT HOMINEM SEDENTEM, A QUO DÆMONIA EXIERANT, VESTITUM, AC SANA MENTE AD PEDES EJUS. — Verisimile est hominem, mox ut liberatus fuit a Legione, ad Christi pedes genibus flexis accidisse eique ingentes egisse gratias, sed a Christo jussum sedere, locum sessionis ad pedes Christi ex humilitate et reverentia Christi sibi delegisse.

ET TIMUERUNT, — ne Christus eos ob porcorum jacturam male in eum affectos et murmurantes, pejus mulctaret, ac forte eosdem dæmones in ipsos immitteret.

36. NUNTIAVERUNT AUTEM ILLIS ET QUI VIDERANT, Vers. 36.
QUOMODO SANUS FACTUS ESSET A LEGIONE.

37. ET ROGAVERUNT ILLUM OMNIS MULTITUDO (Matth., Vers. 37.
« tota civitas ») REGIONIS GERASENORUM, UT DISCEDERET AB IPSIS : QUIA MAGNO TIMORE TENEBANTUR. — Ne Christus eis majores clades inferret. Non ergo ex humilitate id fecerunt, quod se præsentia Christi indignos æstimarent, uti opinatur S. Hieronymus in *Matth.* VIII, sed ex diffidentia et timore, ne Christi præsentia majora eis damna infligeret : videbant enim Jesum Gente Judæum, virum esse sanctum, potentem et divinum : se vero esse Gentiles a Judæis alienos : quare metuebant ne eos ob diversam religionem et ob peccata præterita gravius castigaret; uti metuebat vidua Sareptana, quæ mortuo filio dicebat Eliæ quem hospitio susceperat : « Quid mihi et tibi, vir Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum, » *III Reg.* XVII, 18. Quare non ex odio, sed ex religione et religioso timore rogarunt Jesum ut ab eorum regione discederet : opinantur enim peccatores, viros sanctos sibi esse damno et vindictæ, quod putent improbitatem non posse cum probitate et sanctitate commorari, sed ab ea castigari et perimi ob Sanctorum zelum quo peccata et peccatores persequuntur.

JESUS AUTEM ASCENDENS NAVIM, REVERSUS EST — ex Gadara, ubi dæmoniacum curarat in Galilæam, unde venerat, transfretando et trajiciendo rursus mare Galilææ, ac rediit Capharnaum, ut patet *Matth.* IX, 1. Noluit enim Gadarenis invitis se suamque doctrinam exhibere et obtrudere.

38. ET ROGABAT ILLUM VIR, A QUO DÆMONIA EXIERANT, UT CUM EO ESSET. — Jucundum enim erat ei cum Christo versari, utpote a quo tantum beneficium receperat et plura sperabat.

DIMISIT (Græce ἀπέλυσε, *ablegavit*) AUTEM EUM JESUS, DICENS :

REDI IN DOMUM TUAM, ET NARRA QUANTA TIBI FECIT DEUS — per me, ut inde agnoscant me esse Messiam, ac in me credant et salventur, ideoque deponant amaritudinem quam erga me conceperunt ob submersionem porcorum.

ET ABIIT PER UNIVERSAM CIVITATEM (imo per totam Decapolim, ut ait Marcus, cap. V, 20) PRÆDICANS QUANTA ILLI FECISSET JESUS. — Civitas hæc vicina erat Gadaræ; juxta illam enim dæmoniacus hic degebat in monumentis, ibique a Jesu curatus erat, et a legione dæmonum liberatus. Quare verisimile est in ea præter Judæos fuisse multos Gentiles et infideles : eis ergo fidem in Christum prædicavit, ut in eum quasi Deum Deique Filium crederent. Ita S. Ambrosius hic, et S. Chrysostomus, hom. 29 *in Matth.*

Mysticam causam dat S. Gregorius, lib. VI *Moral.*, cap. XVII, in fine, scilicet Christum hic velle docere, activam vitam præmittendam esse contemplativæ : « Cum enim, inquit, quamlibet parum de divina cogitatione percipimus, redire ad humana jam nolumus, et proximorum necessitatibus onerari recusamus : quietem contemplationis quærimus, nihilque aliud nisi hoc, quod sine labore reficit animum, amamus. Sed sanatos nos veritas ad domum mittit, narrare quæ nobiscum acta sunt præcipit, ut videlicet mens prius desudet in opere, et postmodum refici debeat per contemplationem. »



# CAPUT NONUM

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus mittit Apostolos ad prædicandum regnum Dei. Secundo, vers. 10, secedit in desertum Bethsaidæ, ibique quinque panibus pascit quinque millia virorum. Tertio, vers. 18, rogat Apostolos quid de se dicant homines, et quid dicant ipsi. Respondet Petrus :* Tu es Christus. *Quarto, vers. 22, prædicit suam mortem et crucem, omnesque ad crucem tollendam hortatur. Quinto, vers. 27, in monte transfiguratur, et cum Elia ac Mose colloquitur. Sexto, vers. 38, sanat dæmoniacum spumantem et stridentem. Septimo, vers. 47, discipulis inter se contendentibus, quis eorum esset major? respondet majorem esse, qui se facit minorem. Octavo, vers. 52, in Jacobo et Joanne spiritum vindictæ in Samaritanos, Christum non recipientes, castigat. Nono, vers. 57, tres se sequi volentes rejicit.*

*Hæc omnia audivimus in Matthæo locis ad marginem Bibliorum annotatis, ubi ea explicavi, excepta octava parte de spiritu vindictæ, quam vers. 55 explicabo, ac exceptis vers. 49 et 50, quos explicui* Marci XIX, 38 *et seqq.*

1. Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. 2. Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos. 3. Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. 4. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. 5. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. 6. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique. 7. Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, et hæsitabat eo quod diceretur 8. a quibusdam : Quia Joannes surrexit a mortuis; a quibusdam vero : Quia Elias apparuit; ab aliis autem : Quia propheta unus de antiquis surrexit. 9. Et ait Herodes : Joannem ego decollavi : quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum. 10. Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt; et assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. 11. Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum; et excepit eos, et loquebatur illis de regno Dei, et eos qui cura indigebant, sanabat. 12. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi : Dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quæ circa sunt, divertant et inveniant escas, quia hic in loco deserto sumus. 13. Ait autem ad illos : Vos date illis manducare. At illi dixerunt : Non sunt nobis plus quam quinque panes, et duo pisces; nisi forte nos eamus et emamus in omnem hanc turbam escas. 14. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos : Facite illos discumbere per convivia quinquagenos. 15. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes. 16. Acceptis autem quinque panibus et duobus piscibus, respexit in cœlum, et benedixit illis; et fregit, et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas. 17. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illis, fragmentorum cophini duodecim. 18. Et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo et discipuli; et interrogavit illos, dicens : Quem me dicunt esse turbæ? 19. At illi responderunt, et dixerunt : Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero quia unus propheta de prioribus surrexit. 20. Dixit autem illis : Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit : Christum Dei. 21. At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc, 22. dicens : Quia oportet Filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus et principibus sacerdotum et Scribis, et occidi, et tertia die resurgere. 23. Dicebat autem ad omnes : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. 24. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam; nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam. 25. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat? 26. Nam qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum. 27. Dico autem vobis vere, sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. 28. Factum est autem post hæc verba fere dies octo, et assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem ut oraret. 29. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera; et vestitus ejus albus et refulgens. 30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias, 31. visi in majestate; et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. 32. Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros, qui stabant cum illo. 33. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum : Præceptor, bonum est nos hic esse; et faciamus tria tabernacula, unum tibi, et unum Moysi, et unum Eliæ : nesciens quid diceret. 34. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos; et timuerunt, intrantibus illis in nubem. 35. Et vox facta est de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. 36. Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant. 37. Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. 38. Et ecce vir de turba exclamavit, dicens : Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi; 39. et ecce spiritus apprehendit eum, et subito clamat, et elidit, et dissipat eum cum spuma, et vix discedit dilanians eum. 40. Et rogavi discipulos tuos, ut ejicerent illum, et non potuerunt. 41. Respondens autem Jesus, dixit : O generatio infidelis et perversa, usquequo ero apud vos, et patiar vos? Adduc huc filium tuum. 42. Et cum accederet, elisit illum dæmonium, et dissipavit. 43. Et increpavit Jesus spiritum immundum, et sanavit puerum, et reddidit illum patri ejus. 44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei; omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos : Ponite vos in cordibus vestris sermones istos : Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum. 45. At illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos ut non sentirent illud; et timebant eum interrogare de hoc verbo. 46. Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset. 47. At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, et statuit illum secus se, 47. et ait illis : Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit; et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est. 49. Respondens autem Joannes, dixit : Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum; quia non sequitur nobiscum. 50. Et ait ad illum Jesus : Nolite prohibere; qui enim non est adversum vos, pro vobis est. 51. Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem. 52. Et misit nuntios ante conspectum suum; et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi. 53. Et non recepe-



runt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. 54. Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus et Joannes, dixerunt : Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos? 55. Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritus estis. 56. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum. 57. Factum est autem, ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum : Sequar te quocumque ieris. 58. Dixit illi Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. 59. Ait autem ad alterum : Sequere me. Ille autem dixit : Domine, permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum. 60. Dixitque ei Jesus : Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, et annuntia regnum Dei. 61. Et ait alter : Sequar te, Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his quæ domi sunt. 62. Ait ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.

8. QUIA (quod) PROPHETA UNUS DE ANTIQUIS (unus antiquorum) SURREXIT. — Uti surget Henoch et Elias sub finem mundi, ut resistant Antichristo. Quin et S. Petrum, primum Episcopum Bracarensem et martyrem, fuisse filium Uriæ prophetæ, qui occisus est a Joakim, rege Judæ, tempore Jeremiæ prophetæ, ut ipse ait, cap. XXVI, 20; filium enim hunc ante sexcentos annos vita functum, suscitatum fuisse a S. Jacobo Apostolo, ac Bracaræ ordinatum Episcopum, docet S. Athanasius, Cæsaraugustanus Episcopus, et alii quos citat Bivarius in *L. Dextri Chronicon*, ad annum Christi 37, n. 2.

VERS. 14. 14. DISCUMBERE PER CONVIVIA. — Græce κλισίας, id est per discubitus, per contubernia, per cœtus et ordines, ut vertit Syrus.

VERS. 26. 26. NAM QUI ME ERUBUERIT ET MEOS SERMONES, HUNC FILIUS HOMINIS ERUBESCET, CUM VENERIT IN MAJESTATE (Græce ἐν δόξῃ, id est in gloria) SUA, ET PATRIS, ET SANCTORUM ANGELORUM. — Scilicet in die judicii, cum in valle Josaphat sedebit judex, et coram omnibus angelis et hominibus omnes judicabit, ac quemque pro meritis cœlo vel gehennæ addicet.

QUI ME ERUBUERIT, — ut pudore aut metu regum, principum, tyrannorum, vel parentum et amicorum meam fidem neget, vel me confiteri non audeat, aut meis legibus obedire vereatur, quasi eum pudeat humilitatis, crucis et crucifixi Christi; hunc vicissim Christus erubescet, id est quasi vilem negliget et despiciet (est metalepsis : qui enim aliquem erubescit ipsum negligit) Christus; cum venerit in majestate et gloria sua, quam per humilitatem crucis promeruit. Crux enim Christi multis visa fuit contemptibilis et probrosa, atque a Deo Gentilibus visa est esse stultitia, Judæis vero scandalum, ut ait Paulus, I *Cor.* I, 2. Unde multi vel pudore, vel timore, non ausi sunt eam profiteri, multo minus prædicare, quibus se opponens Paulus, *Rom.* I, 16, audacter, « Non erubesco Evangelium, *inquit*, virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco. »

Sic Martyrius monachus Christum specie peregrini leprosi de via lassi sibi apparentem, in humeros sustulit et usque ad monasterium portavit, sed ita ut pondus non sentiret, quia portantem se portabat. Ibi ergo se illi Christus in sua specie ostendens et ascendens in cœlum, dixit : « Martyri, tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cœlos. » Ita refert S. Gregorius, hom. 39 *in Evang.* Idem S. Gregorius, *hom.* 32, explicans hunc Lucæ locum : « Est, inquit, ubi se quisque interroget, ut in confessione Christi se veraciter probet, si non jam nomen ejus erubescit, si plena virtute mentis humanum pudorem subdidit. Certe enim persecutionis tempore erubescere poterant fideles substantiis nudari, de dignitatibus dejici, verberibus affligi : pacis autem tempore, quia hæc a nostris persecutionibus desunt, est aliud ubi ostendamur nobis. Veremur sæpe a proximis despici, dedignamur injurias verbi tolerare : si contingat jurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Cor quippe carnale, dum hujus vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit. » Et inferius remedium huic pudori assignans : « Erubescat, inquit, humana superbia, confundatur quisque, si non satisfaciat prior proximo, quando post culpam nostram, ut ei reconciliari debeamus, et ipse qui offensus est, legatis intervenientibus obsecrat Deus. »

29. REFULGENS. — Græce ἐξαστράπτων, id est V *effulgurans*, id est instar fulguris coruscans et fulgureos splendoris radios evibrans; facies enim Christi fulgurea vestem faciebat effulgurantem.

31. ET DICEBANT EXCESSUM EJUS, QUEM COMPLETURUS ERAT IN JERUSALEM. — Pro « excessum » Græce est ἔξοδον, quæ vox *primo*, significat exitum e vita, id est mortem (unde Syrus vertit, *exitum*; Æthiopicus, *transitum*; sic et Persicus), *q. d.* Loquebantur de morte, hoc est, quo genere mortis Christus esset moriturus, puta de morte crucis. Ita Vatablus. *Secundo*, significat expeditionem bellicam qua Christus in cruce decertavit cum morte, peccato et diabolo, eosque devicit. Alludit

ad gloriosum et victoriosum ἔξοδον, id est exitum Hebræorum ex Ægypto, devicto et demerso Pharaone in mari Rubro, qui typus fuit et figura hujus exitus et expeditionis bellicæ Christi. Ita Franciscus Lucas. Favet Cyrillus, qui ἔξοδον interpretatur salutiferam passionem; et Arabicus, qui ἔξοδον vertit, *eventum* : « Loquebantur, ait, de eventu (agonis et triumphi) quem impleturus erat in Jerusalem. »

*Tertio*, nonnulli intelligunt de excessu amoris et virtutum. In cruce enim fuit excessus charitatis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, etc., quia Christus in ea egressus est et transcendit communes limites charitatis omnisque virtutis cæterorum hominum. Fuit ergo excessus hic, reipsa extasis charitatis, qua Christus quasi exiit extra se, et transiit in summum Dei hominumque amorem. Excessus ergo hic, vera fuit extatica Christi charitas.

Vers. 32. 32. Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno. — S. Chrysostomus, in *Matth.* cap. xvii, per « somnum » accipit stuporem nimium : Lucis enim excellentia, inquit, gravabat oculorum debilitatem. Simplicius accipias verum et naturalem somnum, in quem inciderant Apostoli ex fatigatione itineris et conscensi montis, ac vigiliis nocturnæ, dum Christus orabat, et oratione finiente transfigurabatur; quo facto, lux et fulgor Christi perstringens oculos eorum, ipsos a somno excitavit, ut eum transfiguratum viderent, ut dixi *Matth.* xvii, 1 et seq. Cætera ad transfigurationem Christi spectantia explicui *Matth.* xvii, 1

Vers. 49. et seq.

49. Respondens autem Joannes, dixit : Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum : quia non sequitur nobiscum. — Quia non est tuus, o Christe, assecla et discipulus. Putabat enim solis Apostolis, quibus data erat hæc potestas, id licere, ait S. Cyrillus, et, ut ait S. Ambrosius, « Excludendum putat beneficio, qui non utitur obsequio. » Joannes uti Christi præceptoris amantior, ita pro Christi honore magis zelans et sollicitus, id interrogat.

Vers. 50. 50. Et ait ad illum Jesus : Nolite prohibere; qui enim non est adversum vos, pro vobis est. — Docentur, ait Glossa, neminem a bono, quod ex parte habet, esse arcendum, sed potius ad id quod non habet, provocandum. Et S. Ambrosius : Remunerat, ait, Dominus fortiores, non excludit infirmos. Et Theophylactus : Christi gratia, inquit, etiam per indignos, et non discipulos, operatur, sic per sacerdotes non sanctos sanctificantur homines.

Tropologice Beda : In hæreticis, ait, malis non Sacramenta, in quibus nobiscum sunt, sed divisio paci et veritati contraria, detestanda est et prohibenda. Vide dicta *Marci* ix, 37.

Vers. 51. 51. Factum est autem, dum complerentur (id est impleri inciperent; significatur enim actus inchoatus, non perfectus) dies assumptionis ejus, — quibus scilicet Christus, expleto officio prædicationis suæ, per mortem, crucem et resurrectionem suam assumeretur in cœlum ad regnum Patris, a quo in mundum missus erat. Ascensionem in cœlum ergo vocat « assumptionem ; » ita Theophylactus : « Cum instabat, ait, tempus quo, postquam sustinuisset salutarem passionem pro nobis, oportebat eum assumi in cœlum et considere Deo Patri. » Et Euthymius : « Dies assumptionis ipsius dicit, inquit, præfinitum tempus dum a terra assumeretur in cœlum. » Hactenus per duos annos cum dimidio Christus prædicaverat obiens urbes et castella, Galilææ præsertim : supererant illi adhuc sex menses vitæ, quos apud Judæos constanter prædicando expendere destinabat, itaque se comparare ad mortem et crucem, indeque ad resurrectionem et ascensionem in cœlum. Innuit ergo Lucas se huc usque scripsisse gesta Christi in Galilæa, sed deinceps se scripturum gesta ejus fere in Judæa.

Et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem, — id est firmo, resoluto et constanti animo vultuque; et, ut Beda ait, « obstinata atque imperterrita mente. » Christus non ad loca vicina divertit, uti solent facere pavidi et dubii, sed recta perrexit Hierosolymam, ubi sciebat se crucifigendum, quasi optans mortis duellum ac arenam locumque certaminis præoccupans. Ita Titus, Theophylactus et alii. « Obfirmatione enim et fortitudine opus est ad passionem sponte properanti, » ait S. Hieronymus, epist. 151 *ad Algasiam*, Quæst. V. Sic ad opera dura et heroica aggrediendum, oportet obfirmare animum, uti Martyres eum obfirmarunt ad omnia tormenta, instar leonum de quibus ita scribit Plinius, lib. VIII, cap. xvi : « Cum pro catulis fœta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat. » Addit Marcus, cap. x, 32 : « Et præcedebat eos Jesus, et stupebant, » scilicet discipuli, quod Jesus tam fortiter et alacriter præiret ad crucem et mortem; et sequentes timebant, ne sibi cum Jesu moriendum foret.

Nota, uti dixi in Chronotaxi, ex antecedentibus et sequentibus videri, hanc Christi e Galilæa profectionem in Judæam esse camdem cum illa quam commemorant Matthæus, cap. xix, 1; Marcus, cap. x, 32; Joannes, cap. vii, 2 et 14. Ubi ex Joanne liquet eam contigisse in festo Scenopegiæ, sive Tabernaculorum, quod incidebat in septembrem, ac proinde cum Christus mortuus sit in martio proxime sequenti, sequitur hæc contigisse sex circiter mensibus ante mortem: quibus Christus sæpius ivit Jerusalem, indeque rediit prædicans per Judæam, ibique faciens miracula, uti in Galilæa fecerat, sicut patet ex iis quæ apud Lucam sequuntur usque ad cap. xix : ubi tamen adverte quædam hisce sequentibus capitibus usque ad cap. xix a Luca interseri per recapitulationem, nam quædam hic narrat quæ non in Judæa, sed ante in Galilæa contigerunt. Ita Jansenius, Franciscus Lucas et alii. Aliter Maldonatus, qui censet hunc Christi e Galilæa in Judæam transitum contigisse integro anno ante ejus mortem; imo post eum Christum rursum e Judæa rediisse in Galilæam, ac vicissim e Galilæa in Judæam, cum scilicet eo tandem rediit ad hoc duntaxat, ut ibi crucifigeretur et moreretur. Verum hoc non satis consentit cum eo quod ait Lucas : « Cum complerentur dies assumptionis ejus ; » integro enim anno aberant hi dies.

Vers. 52. 52. Et misit nuntios ante conspectum suum, et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent (scilicet hospitium et cibum, puta panem cum levi obsonio, si inveniebatur) illi; — et comitibus, scilicet duodecim Apostolis et mulieribus, quæ, secutæ a Galilæa, cum opibus suis alebant, cap. viii, 2, et cap. xxiii, 49. Simul misit eos Christus, ut assuefacerent se prædicationi et contemptui hominum, ait Theophylactus. Nam a Samaritanis contemptui fuere, ut sequitur. Euthymius et Maldonatus ex vers. 54 opinantur nuntios, et ut Græce ἀγγέλους, hos fuisse Jacobum et Joannem. « In civitatem, » Græce κώμην, id est vicum, castellum, oppidum, quod erat in via euntibus recta Jerusalem. Ita Jansenius, Franciscus Lucas et alii. Licet Maldonatus κώμην putet poni pro πόλιν, id est urbe, fuisseque ipsam Samariæ urbem, quæ erat Samaritanorum metropolis.

53. Et non receperunt eum (Samaritani, incolæ illius oppidi), quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. — Syrus, *quod præ se ferret speciem proficiscentis ad Jerusalem*, quia scilicet tam nuntii, quam Jesus ipse habitu, gestu et voce indicabant se pergere Jerusalem adorationis causa : erat enim festum Scenopegiæ, ut ait Joannes, cap. vii, 2; Samaritani autem volebant, non in templo Hierosolymæ, sed in suo contra legem erecto in monte Garizim Deum adorari : qua de re perpetua fuit lis et contentio inter Judæos et Samaritanos, ut patet *Joan.* iv, 20, et ex Josepho, lib. XI *Antiq.*, cap. vii et viii. Quare spreverunt Jesum quasi spernentem sacra sua et Judæorum hostium suorum religioni faventem (1).

54. Cum vidissent autem (hanc inhumanitatem Samaritanorum) discipuli ejus, Jacobus et Joannes, dixerunt : Domine, vis dicimus ut ignis descendat de coelo, et consumat illos? — Græca, Arabica et Syra addunt : *quemadmodum et Elias fecit*. Ecce hic ipsi ostendunt se esse « Boanerges, » id est filios tonitrui; ex nimio enim zelo cupiunt Samaritas fulgure afflari et siderari, eo quod tam inhumani essent erga Christum, ut, ne nocte quidem imminente, ei hospitium ad pernoctandum concedere vellent. Memores enim erant Eliæ, qui duos quinquagenarios ad se capiendum ab Ochozia, rege Samariæ, missos, igne cœlesti cum suis asseclis consumpsit, IV *Reg.* i, 10; sciebant enim Jesum longe majorem esse Elia, ac proinde majorem esse injuriam quæ illi hic a Samaritanis fiebat. Unde S. Hieronymus, epist. 151 *ad Algasiam*, Quæst. V : « Si, inquit, ad servi Eliæ injuriam ignis descendit de cœlo, et non Samaritas, sed Judæos consumpsit incendium; quanto magis ad contemptum Filii Dei in impios Samaritas debet flamma servire? »

Vis dicimus. — Nam, ut ait S. Hieronymus, loco jam citato, « ut Apostolicus sermo efficientiam habeat, voluntatis est Domini : nisi enim ille jusserit, frustra dicunt Apostoli, ut ignis descendat. » Petunt ergo a Christo quasi judice justitiam justamque in impios vindictam.

55. Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritus estis. — Tò « spiritus » non est nominativi, sed genitivi casus, ut patet ex Græco πνεύματος : spiritus autem hic internum animi motum et impulsum, sive ad virtutes, sive ad vitia, significat. Rursum pro « cujus, » Græce est οἵου, id est qualis, *q. d.* Nescitis quo spiritu ducamini, nescitis quis spiritus vos impellat; putatis enim vos a spiritu Dei agi, cum agamini spiritu humano impatientiæ et vindictæ; aut, *q. d.* Nescitis ad quem spiritum a me vocati et electi estis : nescitis vos debere esse mansueti animi et spiritus, uti ego sum magister et dominus vester; vultis imitari zelum Eliæ, et spiritum vindictæ, qui duos pentacontarchos igne cœlesti cremavit : sed nescitis hunc spiritum esse veteris legis, quæ talionem vindictæ præcipit, vel permittit, *Exodi* xxii, dicens : « Oculum pro oculo, dentem pro dente, etc.; » non autem esse hunc spiritum legis novæ et Evangelii, ac maxime non esse meæ personæ; meus enim spiritus est mansuetudinis, tolerantiæ, charitatis, beneficentiæ, salvare, non perdere, ut scilicet maleficia beneficiis retaliem, ac maledicentibus benedicam, *Matthæi* v, 44, dicens : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, etc. » Nonne hoc a me audistis et didicistis? Itane tam cito hujus meæ doctrinæ et disciplinæ obliti estis? Ita S. Hieronymus, *ad Algasiam* : « Dominus, ait, qui non ad judicandum venerat, sed ad salvandum, non in potestate, sed in humilitate, non in Patris gloria, sed in hominis vilitate, increpat illos, quod non meminerint doctrinæ suæ et bonitatis Evangelicæ. »

56. Filius hominis non venit animas perdere, Vers. 56.
sed salvare. — « Et vos ergo, ait Beda, cujus spiritus signati estis, ejus et acta sectemini. » Et Titus : « Insistentes, ait, vestigiis Domini, æquanimiter, ut sanctos decet, perdurate. »

Et abierunt in aliud castellum, — ubi benignius ab incolis exciperentur. Hoc facto instruit Apostolos, quid agere debeant in peregrinatione orbis ad evangelizandum, scilicet, ut uno loco repulsam passi silentes, modesti et tranquilli

(1) Tò *facies ejus*, etc., forma loquendi Hebraica est; cf. III *Reg.* xvii, 11; nam פנים, id est πρόσωπον, seu *facies*, sæpe pro ipsa *persona* ponitur.

alium adeant; atque hac de causa prius oppidum, in quo sciebat se repellendum, tentare voluit, ut repulsam hanc patienter ferens et vindictæ studium in Apostolis reprimens, eos idipsum per omnem deinceps vitam facere doceret. Nam, ut ait S. Ambrosius, « amplius prodest clementia, tibi ad patientiam, lapso ad correptionem. Denique Samaritani a quibus ignis arcetur, citius crediderunt, » *Joan.* IV, et *Act.* VIII; et Titus : « Non habet ultionis studium, inquit, perfecta virtus; nec ulla iracundia, ubi plenitudo est charitatis : non excludenda infirmitas, sed juvanda. »

1. 61. ET AIT ALTER : SEQUAR TE, DOMINE, SED PERMITTE MIHI PRIMUM RENUNTIARE HIS QUÆ (ita legendum cum Romanis, non « qui, » uti legunt nonnulli) DOMI SUNT. — Græca et Syrus addunt : *domi meæ.* Ex Græco, pro « quæ » verti potest, « qui, » uti vertunt S. Basilius, S. Augustinus, Titus, Toletus et alii, sed diversimode explicant. *Primo,* Titus, *q. d.* Permitte mihi renuntiare meis parentibus, ut ab eis consilium capiam an te sequi debeam necne; erat enim animo ancipiti et diverso. Unde noluit id Christus permittere, quia fere parentes perfectioris vitæ studium non probant, imo suos ab eo avocant. *Secundo,* S. Augustinus, serm. 7 *De Verbis Domini* : « Permitte, inquit, ut nuntiem meis, ne forte (quod fieri solet) quærant me; » sed sciant quid de me actum sit, scilicet me sequi te, ac proinde de me non sint solliciti, sed securi; sic et Toletus. *Tertio,* S. Basilius, in *Constit. monast.,* cap. XXI, censet hunc, uti et præcedentem, fuisse unum e Christi discipulis, ac petiisse tantum facultatem a Christo suos salutandi eisque valedicendi tanquam ad eos amplius non reversurum. Favet Syrus, qui vertit, *ut proficiscar salutem precaturus, seu valedicturus filiis domus meæ, et veniam. Quarto* et optime, legendo « quæ » cum Romanis, *q. d.* Permitte, id est, da mihi tempus ut renuntiem, id est nuntium remittam meis bonis, quæ domi sunt, de iisque disponam eaque inter fratres vel cognatos distribuam. Hoc enim significat Græcum ἀποτάξασθαι, scilicet renuntiare datis mandatis, ordinare, disponere. Unde Arabicus vertit : *Permitte mihi primum, ut disponam familiaribus domus meæ.* Ita S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.,* cap. XXIII; Maldonatus, Franciscus Lucas et alii.

62. AIT AD ILLUM JESUS : NEMO MITTENS MANUM SUAM AD ARATRUM, ET RESPICIENS RETRO, APTUS EST REGNO DEI, — tanquam agro Dei colendo. Sic enim expleri debet metaphora arantis et aratri. *q. d.* Sicut is qui vult arare, si retro respiciat, et opus arandi bene cœptum abrumpat, ineptus est ad arandum et agrum colendum; debet enim recte ante se, ut arando rectos sulcos ducat, non curvos, respicere : ita qui destinat vel incipit se totum consecrare regno Dei, quod ego prædico, ac piis operibus justitiæ et perfectionis abdicationisque rerum omnium promitto : hic si ad bona caduca, terrena et temporalia (uti est disponere de suis facultatibus) quæ dimisit, respiciat, ineptus est et indignus sequela mei et regno Dei. Ita Euthymius : Oportet enim, inquit, eum qui sequitur Christum, confestim omnia despicere et sequi, ne oculos quidem ab eo divertendo, ne forte habitu et specie eorum quæ a tergo sunt, retineatur. Sic et Titus, Jansenius, Toletus et alii.

Nota : Christus hoc apophthegmate perfectionis viam ostendit voluitque homini nimis sollicito affectum, quem erga sua et suos habebat nimium, eximere eumque totum in suum obsequium transferre, præsertim quia periculum erat, ne in hac divisione et distributione bonorum suorum longas traheret moras, ac bonis hisce illectus captusque, mentem mutaret et vocationem Christi perderet, uti multi in simili re perdiderunt. Adde, potuisse fratres et cognatos per se bona ejus inter se dividere, ut ejus ad hoc opera non foret opus. Sic Jacobus et Joannes vocati a Christo, relictis retibus et patre, illico secuti sunt Christum, *Matth.* IV. Alioqui hanc renuntiationem pietatis causa Elisæo permisit Elias, III *Reg.* XIX, 20, quia illam paucis et sine periculo perdendæ vocationis facturus erat. Hinc S. Basilius, serm. 1 *De Baptism.* : Respicit retro, inquit, qui vel brevem moram interponit obedientiæ, quæ sine prætextu vel excusatione velociter et sine suspensione Domino præstanda est. Hinc de cherubinis Domino famulantibus dicitur *Ezech.* I : « Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. » Ubi S. Gregorius, *hom.* 3 : « Pennata, ait, animalia, videlicet prædicatores sancti cum incedunt, minime revertuntur, quia sic a terrenis actibus ad spiritualia pertranseunt, ut ad ea quæ reliquerunt, ulterius nullatenus reflectantur. Quasi enim per quamdam viam eis incedere, est mente ire semper ad meliora. » Hinc Paulus, *Philip.* III, 14 : « Quæ retro sunt obliviscens, inquit, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum prosequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. » Et sponsæ dicitur : « Obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum, » *Psalm.* XLIV, 13. Unde S. Augustinus, serm. 7 *De Verbis Domini* : « Vocat te Oriens, inquit, et tu attendis Occidentem. »

Tropologice Beda : Manum, inquit, ad aratrum mittit, qui quasi compunctionis instrumento, ligno et ferro Dominicæ passionis duritiem cordis atterit, et ad operum fructus aperit; sed non est cum uxore Loth ad ea quæ reliqueris, respiciendum : et si secuturus Dominum, quia vel domi renuntiare vult, arguitur, quid fiet illis qui sæpe nulla utilitatis gratia eorum quos in mundo reliquerunt, domos visitant? Et Græcus anonymus, in *Catena* : Crebri, ait, intuitus eorum quæ deseruimus, propter consuetudinem trahunt :



violentum enim quiddam usus est, ex quo habitus, ex habitu autem natura nascitur, quam amovere vel alterare difficile; redit enim ad se ipsam velociter. Denique fuse hæc Christi verba explicat Suarez, tom. II *De Relig.,* tract. *De voto,* lib. I, cap. II, num. 18 et seqq.

# CAPUT DECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus, præter duodecim Apostolos, eligit septuaginta duos discipulos, quibus mandata dat modumque evangelizandi præscribit : illis revertentibus, et mira quæ gesserunt narrantibus, vers. 17, Christus exultat in spiritu. Secundo, vers. 25, Legisperito viam ad vitam æternam poscenti, dat legem dilectionis Dei et proximi, ac per parabolam Samaritani docet quis sit proximus. Tertio, vers. 38, sortem Mariæ præfert sorti Marthæ.*

1. Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos; et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum quo erat ipse venturus. 2. Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. 3. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. 4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. 5. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui. 6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. 7. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. 8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis; 9. et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei. 10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite : 11. Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos; tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei. 12. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati. 13. Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida : quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent. 14. Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis. 15. Et tu, Capharnaum, usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris. 16. Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. 17. Reversi sunt autem Septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. 18. Et ait illis : Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit. 20. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. 21. In ipsa hora exultavit Spiritu Sancto, et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Etiam, Pater, quoniam sic placuit ante te. 22. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. 23. Et conversus ad discipulos suos, dixit : Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. 24. Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt. 25. Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, et dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? 26. At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est? quomodo legis? 27. Ille respondens dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omni-

alium adeant : atque hac de causa prius oppidum, in quo sciebat se repellendum, tentare voluit, ut repulsam hanc patienter ferens et vindictæ studium in Apostolis reprimens, eos idipsum per omnem deinceps vitam facere doceret. Nam, ut ait S. Ambrosius, « amplius prodest clementia, tibi ad patientiam, lapso ad correptionem. Denique Samaritani a quibus ignis arcetur, citius crediderunt, » *Joan.* IV, et *Act.* VIII; et Titus : « Non habet ultionis studium, inquit, perfecta virtus; nec ulla iracundia, ubi plenitudo est charitatis : non excludenda infirmitas, sed juvanda. »

1\. 61. ET AIT ALTER : SEQUAR TE, DOMINE, SED PERMITTE MIHI PRIMUM RENUNTIARE HIS QUÆ (ita legendum cum Romanis, non « qui, » uti legunt nonnulli) DOMI SUNT. — Græca et Syrus addunt : *domi meæ.* Ex Græco, pro « quæ » verti potest, « qui, » uti vertunt S. Basilius, S. Augustinus, Titus, Toletus et alii, sed diversimode explicant. *Primo,* Titus, *q. d.* Permitte mihi renuntiare meis parentibus, ut ab eis consilium capiam an te sequi debeam necne; erat enim animo ancipiti et diverso. Unde noluit id Christus permittere, quia fere parentes perfectioris vitæ studium non probant, imo suos ab eo avocant. *Secundo,* S. Augustinus, serm. 7 *De Verbis Domini* : « Permitte, inquit, ut nuntiem meis, ne forte (quod fieri solet) quærant me : » sed sciant quid de me actum sit, scilicet me sequi te, ac proinde de me non sint solliciti, sed securi ; sic et Toletus. *Tertio,* S. Basilius, in *Constit. monast.*, cap. XXI, censet hunc, uti et præcedentem, fuisse unum e Christi discipulis, ac petiisse tantum facultatem a Christo suos salutandi eisque valedicendi tanquam ad eos amplius non reversurum. Favet Syrus, qui vertit, *ut proficiscar salutem precaturus, seu valedicturus filiis domus meæ, et veniam. Quarto* et optime, legendo « quæ » cum Romanis, *q. d.* Permitte, id est, da mihi tempus ut renuntiem, id est nuntium remittam meis bonis, quæ domi sunt, de iisque disponam eaque inter fratres vel cognatos distribuam. Hoc enim significat Græcum ἀποτάξασθαι, scilicet renuntiare datis mandatis, ordinare, disponere. Unde Arabicus vertit : *Permitte mihi primum, ut disponam familiaribus domus meæ.* Ita S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. XXIII; Maldonatus, Franciscus Lucas et alii.

62. AIT AD ILLUM JESUS : NEMO MITTENS MANUM SUAM AD ARATRUM, ET RESPICIENS RETRO, APTUS EST REGNO DEI, — tanquam agro Dei colendo. Sic enim expleri debet metaphora arantis et aratri. *q. d.* Sicut is qui vult arare, si retro respiciat, et opus arandi bene cœptum abrumpat, ineptus est ad arandum et agrum colendum; debet enim recta ante se, ut arando rectos sulcos ducat, non curvos, respicere : ita qui destinat vel incipit se totum consecrare regno Dei, quod ego prædico, a piis operibus justitiæ et perfectionis abdicationisque rerum omnium promitto : hic si ad bona caduca, terrena et temporalia (uti est disponere de suis facultatibus) quæ dimisit, respiciat, ineptus est et indignus sequela mei et regno Dei. Ita Euthymius : Oportet enim, inquit, eum qui sequitur Christum, confestim omnia despicere et sequi, ne oculos quidem ab eo divertendo, ne forte habitu et specie eorum quæ a tergo sunt, retineatur. Sic et Titus, Jansenius, Toletus et alii.

Nota : Christus hoc apophthegmate perfectionis viam ostendit voluitque homini nimis sollicito affectum, quem erga sua et suos habebat nimium, eximere eumque totum in suum obsequium transferre, præsertim quia periculum erat, ne in hac divisione et distributione bonorum suorum longas traheret moras, ac bonis hisce illectus captusque, mentem mutaret et vocationem Christi perderet, uti multi in simili re perdiderunt. Adde, potuisse fratres et cognatos per se bona ejus inter se dividere, ut ejus ad hoc opera non foret opus. Sic Jacobus et Joannes vocati a Christo, relictis retibus et patre, illico secuti sunt Christum, *Matth.* IV. Alioqui hanc renuntiationem pietatis causa Elisæo permisit Elias, III *Reg.* XIX, 20, quia illam paucis et sine periculo perdendæ vocationis facturus erat. Hinc S. Basilius, serm. 1 *De Baptism.* : Respicit retro, inquit, qui vel brevem moram interponit obedientiæ, quæ sine prætextu vel excusatione velociter et sine suspensione Domino præstanda est. Hinc de cherubinis Domino famulantibus dicitur *Ezech.* I : « Non revertebantur cum incedebant, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. » Ubi S. Gregorius, *hom.* 3 : « Pennata, ait, animalia, videlicet prædicatores sancti cum incedunt, minime revertuntur, quia sic a terrenis actibus ad spiritualia pertranseunt, ut ad ea quæ reliquerunt, ulterius nullatenus reflectantur. Quasi enim per quamdam viam eis incedere, est mente ire semper ad meliora. » Hinc Paulus, *Philip.* III, 14 : « Quæ retro sunt obliviscens, inquit, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum ; ad destinatum prosequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. » Et sponsæ dicitur : « Obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum, » *Psalm.* XLIV, 13. Unde S. Augustinus, serm. 7 *De Verbis Domini* : « Vocat te Oriens, inquit, et tu attendis Occidentem. »

Tropologice Beda : Manum, inquit, ad aratrum mittit, qui quasi compunctionis instrumento, ligno et ferro Dominicæ passionis duritiem cordis atterit, et ad operum fructus aperit ; sed non est cum uxore Loth ad ea quæ reliqueris, respiciendum : et si secuturus Dominum, quia vel domi renuntiare vult, arguitur, quid fiet illis qui sæpe nulla utilitatis gratia eorum quos in mundo reliquerunt, domos visitant? Et Græcus anonymus, in *Catena* : Crebri, ait, intuitus eorum quæ deseruimus, propter consuetudinem trahunt :



violentum enim quiddam usus est, ex quo habitus, ex habitu autem natura nascitur, quam amovere vel alterare difficile ; redit enim ad se ipsam velociter. Denique fuse hæc Christi verba explicat Suarez, tom. II *De Relig.*, tract. *De voto*, lib. I, cap. II, num. 18 et seqq.

# CAPUT DECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus, præter duodecim Apostolos, eligit septuaginta duos discipulos, quibus mandata dat modumque evangelizandi præscribit : illis revertentibus, et mira quæ gesserunt narrantibus, vers. 17, Christus exultat in spiritu. Secundo, vers. 25, Legisperito viam ad vitam æternam poscenti, dat legem dilectionis Dei et proximi, ac per parabolam Samaritani docet quis sit proximus. Tertio, vers. 38, sortem Mariæ præfert sorti Marthæ.*

1\. Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos; et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum quo erat ipse venturus. 2. Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. 3. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. 4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. 5. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui. 6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. 7. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. 8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis; 9. et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei. 10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite : 11. Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos; tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei. 12. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati. 13. Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida : quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent. 14. Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis. 15. Et tu, Capharnaum, usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris. 16. Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. 17. Reversi sunt autem Septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. 18. Et ait illis : Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit. 20. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. 21. In ipsa hora exultavit Spiritu Sancto, et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Etiam, Pater, quoniam sic placuit ante te. 22. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. 23. Et conversus ad discipulos suos, dixit : Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. 24. Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt. 25. Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, et dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? 26. At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est? quomodo legis? 27. Ille respondens dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omni-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus viribus tuis, et ex omni mente tua; et proximum tuum sicut teipsum. 28. Dixitque illi : Recte respondisti : hoc fac, et vives. 29. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus? 30. Suscipiens autem Jesus, dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum; et plagis impositis abierunt semivivo relicto. 31. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via; et viso illo præterivit. 32. Similiter et Levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit. 33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum; et videns eum, misericordia motus est. 34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum; et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit. 35. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi. 36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones. 37. At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter. 38. Factum est autem dum irent, et ipse intravit in quoddam castellum; et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam : 39. et huic erat soror, nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. 40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium; quæ stetit, et ait : Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet. 41. Et respondens dixit illi Dominus : Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. 42. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Vers. 1. Septuaginta duorum discipulorum nomina non nota.

1. POST HÆC AUTEM DESIGNAVIT DOMINUS ET ALIOS SEPTUAGINTA DUOS. — Ita legendum cum Romanis; tot enim præcise fuerunt : licet alii legant numerentque 70, uti habent hic Græca, et S. Ambrosius ac S. Hieronymus, lib. *De 40 mansionibus*, atque hos 70 nominatim recenset Dorotheus in *Synopsi sanctor. Patr.*, sed Græca, ut videtur, fide : incerta enim esse ejus nomina patet ex eo quod alii alia eis dent nomina. Volaterranus, lib. XIX *Urbanorum Comment.*, plures quam 72 nominatim recenset, sed ejus nomina fere collecta sunt ex Actis Apostorum et Epistolis S. Pauli; imo inter eos numerat quosdam, qui post ascensionem Christi fuere conversi, uti eunuchum Candacis reginæ, qui conversus fuit a Philippo, *Act.* VIII, et Philemonem, qui conversus fuit a Paulo. Wicelius, *in Hagiologio*, recenset 70 ex libro cui nomen *Cultura vineæ Dominicæ* : ubi inter alios nominat eumdem Philemonem et Lucam, quem ex initio Evangelii ejus cum Christo non fuisse conversatum liquet. Denique Eusebius, lib. I *Hist.*, cap. XIV, testatur se 72 discipulorum nomina nusquam invenisse scripta; nonnullorum tamen nomina ex Actis Apostolorum colligi possunt, ut Matthiæ et Barsabæ, *Actor.* I; Stephani et cæterorum sex diaconorum, *Actor.* VI; Ananiæ et Barnabæ, *Actor.* IX; Mnason, *Actor.* XXI, 16.

Nota *primo* : Sicut Moses initio sui principatus delegit duodecim velut principes, et patres duodecim tribuum Israel; deinde increscente populo et principatu, ex singulis tribubus elegit sex, hoc est universim 72, velut populi senatores : ita et Christus voluit cuique quasi tribui Israel suum Apostolum, et sex presbyteros dare : tales enim erant hi 72 discipuli, quorum officium erat propinquum Dei et Christi regnum prædicare, et miraculis confirmare, obeundo omnia Judææ oppida : ad quod non sufficiebant duodecim Apostoli.

[illegible]

Nota *secundo* : Hunc numerum mystice fuisse præsignatum in 72 Interpretibus, qui sacram Scripturam ex Hebræo in Græcum, rogatu Ptolemæi Philadelphi, regis Ægypti, converterunt ducentis annis ante Christum; item in 72 consiliariis Mosis, *Num.* XI, 24, et Concilio summo *Sanedrim*, quod 72 capitibus constabat; atque in 72 palmis sitis juxta 12 fontes in Elim, *Exodi* XV, 27. Rursum 72 discipuli respondent 72 gentibus totius mundi, ait Beda, quasi cuique genti Christus suum attribuerit discipulum, ut curatorem : nam 72 gentes et linguas, in quas divisi fuere homines in dispersione Babel, numerant S. Augustinus S. Hieronymus, Prosper et alii, ut dixi *Genes.* cap. XI, vers. 32.

[illegible]

Nota *tertio* : Hinc patet sacerdotum discrimen in gradu et officio. Nam hi 72 discipuli non erant pares Apostolis, imo ex his 72 fuit Matthias, teste Clemente Alexandrino apud Eusebium, lib. I *Hist.*, cap. XIV, indeque electus est ad Apostolatum, *Actor.* I. Unde Episcopi successerunt 12 Apostolis, sacerdotes vero 72 discipulis, uti docent Anacletus Pontifex, *epist.* 2; S. Hieronymus, *ad Marcellam*; Beda, in *Lucæ* XV; imo S. Petrus apud Clementem, epist. 1 *ad Jacobum, fratrem Domini.* Tametsi in principio Ecclesiæ, ait Beda, utrique et Presbyteri et Episcopi vocabantur, quorum altero sapientiæ maturitas, altero vero pastoralis industria significatur.



Symbolice S. Augustinus, in *Quæst Evang.* : Viginti quatuor horis, ait, totus orbis a sole gyrante lustratur et illustratur : sic illustratur orbis a Christo, qui est sol justitiæ per Evangelium S. Trinitatis, cujus prædicatio ab eo commissa est 72 discipulis; nam ter 24 faciunt 72.

ET MISIT ILLOS BINOS ANTE FACIEM SUAM (ante se) IN OMNEM CIVITATEM ET LOCUM, QUO ERAT IPSE VENTURUS, — in Judæa, uti prius fecerat in Galilæa per 12 Apostolos : quia enim Jesus quasi Messias volebat prædicare in singulis oppidis Judææ, ut omnibus Judæis innotesceret, eosque ad suam fidem et salutem invitaret, nec id per se solum facere poterat, præsertim quia sex tantum menses vitæ ipsi supererant, unde in singulis castellis diu hærere non poterat, hinc elegit 72 discipulos, qui ejus adventum evangelizando, et infirmos sanando præirent; ac hominum animos ad illum velut Messiam suscipiendum præpararent, ut ab ipso mox subsequente plenam fidem, pœnitentiam ac peccatorum remissionem, Deique gratiam reciperent. Duodecim Apostolos apud se retinuit, tum ut vitæ suæ essent testes; tum ut plurimis confluentibus ad Christum eum adjuvarent, in iis docendis, sanandis, juvandis; tum ut a Christo discerent modum prædicandi, et totum orbem obeundi, eumque ad Christum convertendi.

BINOS. — Cur? Respondeo *primo*, ut alter alteri auxilio esset, solatio, stimulo, excitamento, ait Origenes, Theophylactus et S. Gregorius, utque uno lasso, ægro vel impedito alter succederet, juxta illud *Eccles.* IV : « Melius est duos esse simul quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur : væ soli. » Quocirca S. Pachomius, in *Regula* ab angelo accepta, cap. XXX et XXXIV, ita sancit : « Permittente eo (Præposito) accipiet comitem egressionis suæ, cujus fides probata est, et sic mittetur ad fratrem videndum, vel proximum. » Et post : « Nullus solus mittatur foras ad aliquod negotium, nisi juncto ei altero. » S. Augustinus : « Quando proceditis, simul ambulate; cum veneritis quo itis, simul state. » Ita S. Augustinus, in *Regula*, cap. X et XX. Idem sancit S. Benedictus, S. Franciscus, S. Dominicus, S. Bernardus, et cæteri Ordinum fundatores. Audi Smaragdum in cap. LXVII *Regulæ S. Benedicti* : « Sed ne frater in via dirigatur solus, sententia Patrum nos docet, quæ dicit : Ad necessaria quærenda bini egrediantur, vel terni fratres, et tales quibus creditur, non qui verbositatem aut gulam sectentur. » Audi et S. Gregorium, lib. X, epist. 22 *De Constantino Monacho* : « Cognovi quia ad monasterium, quod in Piceni provincia situm est, solus pergere sine aliquo fratrum suorum præsumpsit : ex qua ejus actione cognoscimus, quod qui sine teste ambulat, recte non vivat. » Carmelitæ S. Eliæ, part. 1 *Constitut.*, cap. XIII, § 11, ita sanciunt : « Nullus sine socio, nisi ex justa admodum causa iter agere sinatur; binos enim Dominus Apostolos misit. Bini ergo exeuntes individui procedant. »

*Secundo*, ut alter alterum haberet perpetuum vitæ testem, æque ac tutorem. Experientia constat Religiosos et prædicatores Evangelicos, qui bini incedunt, nunquam vel rarissime in periculum castitatis incidisse : eos vero qui soli incedunt, non raro tentationi luxuriæ succubuisse, aut ejus calumniam sustinuisse. Quocirca S. Thomas dicere solebat : « Monachus solus incedens est dæmon solitarius. » S. Augustinus, in *Regul.*, cap. XII, ita statuit : « Quando ergo simul estis in ecclesia, et ubicumque ubi feminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis. » B. Theodotus Studita in testamento suo, § 15, ita decernit : « Nec solus colloquere cum monacha, vel sæculari, nisi necessitas trahat, idque cum duabus ab utraque parte personis astantibus. » S. Hieronymus Nepotiano non monacho, sed clerico, ita præscribit, *epist.* 2 : « Si propter officium clericatus aut vidua visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. » Et inferius : « Solus cum sola, secreto et absque arbitro vel teste non sedeas. » S. Basilius, in *Regula* quam vertit Ruffinus, cap. LXXXIII, et habetur Jure Canon., cap. *In omnibus*, dist. 81 : « Sed certe, ait, solum ad solam accedere nulla religionis ratio permittit. » Rursum S. Hieronymus, *Contra Vigilantium* : « Quid, ait, facit monachus in cellulis feminarum? Quid sibi volunt sola et privata colloquia, et arbitros fugientes oculi? » De S. Augustino ita scribit Possidonius in ejus Vita, cap. XXVI : « Et si forte ab aliquibus feminis, ut videretur, vel salutaretur, rogabatur, nunquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis unquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset. »

S. Augustinum nostro ævo secutus est S. Carolus Borromæus, qui cum femina etiam consanguinea nunquam locutus est, nisi ex gravioribus domesticis aliqui adessent, ut habet ejus Vita, lib. VII, cap. VI. Quin et Seneca, *epist.* 25 : « Omnia nobis mala, inquit, solitudo persuadet. » Remedium subdit dicens : « Prodest sine dubio custodem sibi imposuisse, et habere quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis judices. » Addit ab Epicuro esse hanc vocem : « Sic fac omnia, tanquam spectet aliquis, » qua voce custodem nobis et pædagogum dedit. Idem, *epist.* 11 : « Magna, ait, pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. » Imo Justinianus Imperator, in Novella *De Monachis*, vult monachos ire associatos, « ac invicem testes esse mutuæ honestatis. » Lucius Papa, epist. 1 *ad Episcop. Ecclesiæ*, ita sancit : « Propter tales (calumniatores) hortamur vos, sicut et in hac sancta



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Ecclesia constitutum habemus, ut semper testes vobiscum sacerdotes et diaconos habeatis; et licet conscientia sufficere possit propria, tamen propter malevolos, juxta Apostolum, etiam testimonium vos oportet habere bonum ab iis qui foris sunt: quoniam et in hac sancta Sede constitutum habemus ut duo Presbyteri, vel tres Diaconi in omni loco Episcopum non deserant, propter testimonium Ecclesiasticum. »

Denique audi Thomam Cantipratensem, magnæ sapientiæ, experientiæ et religionis virum, lib. II *Apum*, cap. XI, § 1: « Quam vera sit hæc sententia: Væ soli, ego novi, qui triginta annis et eo amplius vices Episcopi in diversis provinciis et diœcesibus habui, qui in hoc articulo, quo Religiosi vel soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis, horrenda mala, horrenda scandala horrendaque pericula frequenter audivi, quæ nunquam sustinuissent adjuncto socio, vel fecissent. »

*Tertio*, ut majorem auctoritatem et fidem prædicationi suæ conciliarent, juxta illud: « In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, » *Deut.* XVII. Quocirca Christus et Apostoli id constanter suo exemplo firmavere: Christus enim duos ex discipulis suis mittit ad solvendum asinum et ad parandum pascha, Petrum et Joannem. Post resurrectionem Cleophas cum socio eunt Emmaus. Iidem Petrus et Joannes sæpe sociati inveniuntur: simul currunt ad monumentum, ascendunt ad templum ad horam orationis nonam, mittuntur ab Apostolis Samariam. Spiritus Sanctus sibi segregari jubet Saulum et Barnabam in opus ad quod eos assumpsit. Judas item et Silas destinantur Antiochiam, et Paulus cum Sila lustrat Syriam. Duo testes venturi sunt tempore Antichristi, ut prædixit B. Joannes, quos Henoch et Eliam fore intelligit communis opinio Doctorum et Ecclesiæ traditio.

Tropologice: S. Gregorius, hom. 17 *in Evang.*: « Dominus, ait, binos in prædicationem discipulos mittit, quia duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor et proximi, et minus quam inter duos charitas haberi non potest. » Et mox: « Quatenus hoc nobis tacite innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet. »

Symbolice Origenes: Binos, ait, famulari Dei verbo antiquum est. Eduxit Israel de Ægypto per manum Mosis et Aaron; Josue et Caleb concordant; frater a fratre adjutus ut civitas vallata. Et Glossa: Sic, ait, bina animalia a Noe inducta sunt in arcam, immunda prius in carnali generatione, sed mundata Ecclesiæ sacramento, per spiritualem gratiam in discipulorum prædicatione.

IN OMNEM LOCUM QUO ERAT IPSE VENTURUS. — Quo, ut ait S. Gregorius, *hom.* 17, mystice significatur, « quod prædicatores suos Dominus sequitur: quia prædicatio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, quando verba prædicationis præcurrunt, atque per hæc veritas in mente suscipitur. Hinc namque eisdem prædicatoribus Isaias dicit: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hinc illis Psalmista ait: Iter facite ei, qui ascendit super occasum. » Et mox: « Ei ergo, qui ascendit super occasum, iter faciamus, cum nos ejus gloriam vestris mentibus prædicamus, ut eas et ipse post veniens per amoris sui præsentiam illustret. »

2. MESSIS QUIDEM MULTA, OPERARII AUTEM PAUCI. — Hæc audivimus *Matth.* cap. IX, vers. 37, ubi ea exposui. Vers. 2.

3. ITE: ECCE EGO MITTO VOS SICUT AGNOS INTER LUPOS. — Ut quasi agni inermes, innocentes, mansueti, simplices, vestro candore et sanctitate lupos vertatis in agnos, puta ut homines lupinos, id est voraces et rapaces, faciatis temperantes, innoxios et mites, idque non vestra virtute, sed gratiæ meæ efficacia. Quare non est quod metuatis, illi enim vobis me protegente nocere non poterunt. Nam, ut ait S. Ambrosius, « sollicitudo boni Pastoris efficit, ut lupi in agnos audere non audeant. » Vers. 3.

4. NOLITE PORTARE SACCULUM (Græce βαλάντιον, id est *marsupium*, sive *crumenam*, ad pecuniam recondendam, *q. d.* Nolite portare pecuniam, ut habet Matthæus, cap. IX), NEQUE PERAM, — ad panem et cibos in ea gestandos, quia hoc non est ovium, sed pastoris. « Hoc interdicto, ait Euthymius, jubet ut de necessariis corporis spem in illum habeant, qui ipsos emittit. » Nam, ut ait S. Gregorius in *Catena*, « tanta prædicatoris debet esse in Deum fiducia, ut præsentis vitæ sumptibus quamvis non provideat, tamen sibi hos non deesse certissime sciat; ne dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus provideat æterna. » Reliqua explicui *Matth.* X. Christus enim hic eadem præcepta dat 72 discipulis, quæ illi dedit 12 Apostolis; utrosque enim pari lege misit ad evangelizandum. Vers. 4.

ET NEMINEM PER VIAM SALUTAVERITIS. — Est hyperbole, *q. d.* Ne divertatis ad privatas salutationes, et familiares prolixasque collocutiones; sed omnem vanam confabulationem et distractionem ac moram præscindite, ut tota mente collecti, seduli et celeres sitis in opere ad quod vos mitto, totique intendatis prædicationi Evangelii. Ita S. Augustinus, Ambrosius, Gregorius et alii. Nam alioqui, ut ait Euthymius, non vult Christus discipulos suos esse inciviles et rusticos, ut etiam salutati ab aliquo eumdem verbo non resalutent. Salutationem ergo vetat prolixam, « impedientem ministerium, quæ per moram sæpe trahit offensam, » ait S. Ambrosius. Alludit ad id quod Elisæus mittens Giezi ad suscitandum puerum mortuum, eidem præcepit dicens: « Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi; » quod hoc fine ei dicit, ait Ambrosius, « ne confabulatione alicujus obvii, mandato reflecteretur a munere (1). » [illegible]

7. DIGNUS EST ENIM OPERARIUS MERCEDE SUA. — Mercedem intellige non pretii et æquivalentem, sed alimenti et sustentationis. Quia prædicatio regni cœlestis omne pretium terrenum superat et transcendit. Nam, ut ait S. Augustinus, in *Psal.* CIII: « Quid accipiunt? dant spiritualia, accipiunt carnalia; dant aurum, accipiunt fœnum. » Hinc patet posse Apostolos vivere ex Evangelio, ac auditores jure naturali et divino obligari ad eos alendos. Christus hic causam dat, cur discipulis vetuerit peram et sacculum, quia scilicet Deus eis providebit per auditores de annona et victu. « Qui peram et sacculum portari prohibuit, inquit Gregorius, *hom.* 17, sumptus et alimenta ex prædicatione concedit. Dignum est enim ut ab eis terrena stipendia consequamur, quibus patriæ cœlestis præmia offerimus. » Et postea: « Unde satis ostendit, inquit S. Augustinus, lib. II *De Consens. Evang.*, cap. XXX, « cur eos hæc possidere ac ferre noluerit, non quod necessaria non sint sustentationi hujus vitæ; sed quia sic eos mittebat, ut eis hæc deberi demonstraret ab illis ipsis, quibus Evangelium credentibus annuntiarent. »

16. QUI VOS AUDIT, ME AUDIT, ET QUI VOS SPERNIT, ME SPERNIT. — Vos enim estis mei Apostoli et legati; qui autem legatum audit vel spernit, audit vel spernit regem vel principem qui eum legavit et misit. Legatus enim loquitur in persona regis legantis, eamque repræsentat, sicut vicerex repræsentat regem. Quocirca subditi in suis Superioribus debent intueri Christum, itaque eorum dicta jussaque excipere, ac si ex ipso ore Christi prodirent. Audi S. Bernardum, tract. *De Præcepto et dispens.*: « Sive Deus, sive homo, vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum: ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. » Et statim citans Regulam sui Ordinis continentem eamdem doctrinam: « Quidquid, inquit, vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. » Et paulo post: « Ipsum proinde, inquit, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus. »

Obedientia Superioribus quasi Deo exhibenda.

Reliqua exposui *Matth.* X et XI.

Vers. 17. 17. REVERSI SUNT AUTEM SEPTUAGINTA DUO CUM GAUDIO (*magno*, ut addit Syrus) DICENTES: DOMINE, ETIAM DÆMONIA SUBJICIUNTUR NOBIS IN NOMINE TUO. — Quasi dicant: Non tantum morbos, uti promiseras vers. 9, sed etiam dæmones expellimus per vim et invocationem nominis tui, dicentes: In nomine Jesu Christi exi, o dæmon, ab homine isto. « Vide, ait Theophylactus, quoniam non superbiunt, dicunt enim: In nomine tuo, tua gratia, non nostra virtute; » videtur tamen aliquid vanæ laudis et ostentationis eis obrepsisse, quod per se, non per alios Christus tanta patraret; sed venialis fuit hæc culpa et vanitatis pulvis, quem Christus mox abstergit.

18. ET AIT ILLIS: VIDEBAM SATANAM SICUT FULGUR DE COELO CADENTEM. — « Sicut fulgur, » id est *primo*, sicut fulgur, magna vi, collisione et fragore cum tonitru per nubes frigidas sibique contrarias, excluditur: sic dæmones primo, subito et inexspectato cœlo deturbati sunt; nec enim dæmones exspectabant hunc lapsum. *Secundo*, violenter, quia summa vi inviti cœlo dejecti sunt per S. Michaelem ejusque asseclas, *Apoc.* XII, 1 et seq. *Tertio*, velociter, quia celerrime et quasi in momento. *Quarto*, manifeste, quia spectantibus omnibus angelis. Unde Euthymius: « Usus est, ait, fulguris exemplo, ostendens vehementiam et velocitatem casus illius. » Multi putant ad litteram Christum hic loqui de casu Satanæ, id est Luciferi, quo e cœlo, id est aere, aut gloria et potestate sua, quam ante Christum in mundo obtinebat, per Christum privatus et spoliatus est; *q. d.* Non novam mihi rem narratis, nam cum vos, o discipuli, nuper mitterem ad evangelizandum, videbam dæmonem sua potestate a me privatum quasi de cœlo cadere, ac per vos magis casurum, quasi hoc asserat Christus ad magnificandam potestatem a se datam discipulis, *q. d.* Videte quantus et quam formidabilis hostis, scilicet Lucifer cum omnibus suis dæmonibus, vobis per me sit subjectus. Ita ex Nazianzeno, orat. 1 *De Theolog.*; S. Basilius, homil. *Quod Deus non sit auctor malorum*, ac Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Titus, Maldonatus, Toletus, Jansenius, Franciscus Lucas et alii. Audi Theophylactum: « Quidam sic intelligunt: De cœlo, id est de gloria sua et de honore quem habebat. Ante Christum enim ut Deus colebatur, nunc autem de cœlo decidit, id est de gloria sua, ne colatur ut Deus, neque habeatur perinde ac si in cœlo habitet. » Euthymius: « Ante incarnationem Salvatoris, inquit, in sublime ferebatur, et tyrannum agebat, ac potens erat; cum autem Deus in terra per carnem diversaretur, cecidit, non e cœlo (olim enim inde ceciderat, nec amplius eo ascendit), sed a dicta celsitudine, tyrannide ac potentia. » Sic et Vatablus. Cum vos, ait, misi ad prædicandum, videbam ruituras vires Satanæ. Cecidit ergo tunc Satanas e suprema potentia in extremam fragilitatem, ait S. Cyrillus; ante Christi enim adventum ab omnibus colebatur, post eum a fidelibus conculcatur. Unde sequitur: « Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes. » Verum hic Satanæ e cœlo lapsus mysticus potius et symbolicus est, quam litteralis.

De quo Satanæ lapsu loquitur hic Christus.

(1) Salutationes apud Orientis populos receptæ non fiebant, ut ad h. l. monuit Ludovicus de Dieu, leni gestu et verbo, sed multis percunctationibus et prolixa apprecatione trahebantur, non sine multis corporis flexionibus, osculis et amplexibus.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad litteram ergo loquitur hic Christus de primo casu Luciferi, dum cum suis asseclis, ob superbiam qua Deo rebellavit, e cœlo præcipitatus est in abyssum inferni, idque a Christo, eo quod Lucifer dignitatem, puta divinitatem Christi, et æqualitatem Dei, superbe appeteret, imo ut nonnulli censent, Christi unionem hypostaticam ambiret, dicens decentius esse ut Christus suam naturam, puta angelicam, et inter angelos nobilissimam, assumeret et Verbo uniret, potius quam humanam, utpote carneam et miseram. Invidens ergo Jesu deitatem, ab eo quasi antagonista prostratus et dejectus est : unde pro *cadentem*, Græce est πεσόντα, id est lapsum, in præterito ; Arabicus, *quod cecidit*. Sensus ergo est, *q. d.* Nolite mirari, o discipuli, quod in nomine meo dæmonia ejiciatis : nam ego jam olim Luciferum meam deitatem superbe appetentem, cum suis asseclis e cœlo præcipitavi in gehennam : simul et vos cavete ne in superbiam elati, eo quod dæmones vobis subdiderim, cadatis in abyssum, uti cecidit Lucifer. Ita S. Hieronymus, lib. II *contra Jovin.*; S. Ambrosius, lib. *De Fuga sæculi*, cap. VII; S. Cyprianus, tract. *De Jejunio Christi*; S. Gregorius, lib. XXIII *Moral.*, cap. VII; S. Chrysostomus, hom. 10 *De Pœnitentia*; Beda, Theophylactus, Euthymius, Bernardus et alii (1).

Lucifer quasi fulgur. Primo. Secundo. Apposite Lucifer comparatur fulguri. *Primo*, quia fulgore fulguris ad vivum repræsentatur præstantissima, et ut ita dicam, ignea natura, majestas ac principatus Luciferi. *Secundo*, ejusdem potestas maxima ad nocendum : talis enim est fulguris, quod omnia etiam durissima et robustissima pervadit, sternit, frangit, incinerat : quare summe terret et nocet. Idem facit Lucifer. Tertio. *Tertio*, ejusdem brevitas, quia transit ut fulgur ; tantum enim nocet in hoc sæculo et in hac vita, quæ respectu æternitatis est quasi instans et momentum. Fulgur est symbolum superbiæ et vanæ gloriæ. Hinc tropologice, fulgur est symbolum superbiæ et vanæ mundi gloriæ ; hæc enim instar flammæ fulgureæ coruscat, et illico evanescit, juxta illud : « Sic transit gloria mundi ; » fulgur enim, ait Nonius Marcellus, est ignis qui coruscat, sive ipsa coruscatio prætervolans, fulmen est telum ipsum quod jacitur ; fulguritum est fulmine ictum percussumque. Rursum hæc ex cœlo dejicitur et vibratur in terram, imo in tartara : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et igne gehennæ perenni cruciabitur. Insuper sicut fulgur in cœlo splendidissimum, in terra desinit in lapidem, quem instar teli ejaculatur ; sic superbia Luciferum fulgidissimum angelum convertit in teterrimum cacodæmonem : pari modo superbia ex hominibus angelicis facit dæmones, humilitas ex humanis dæmonibus facit angelos, juxta illud *Isaiæ* XIV, 11 : « Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum : subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. » *Quarto*, ejusdem apparentia, fucus et ostentatio, quia dejectus adhuc transformat se in angelum lucis, ait Beda.

Plenus erit sensus, si primum sensum cum secundo conjungas, *q. d.* Ego Christus, qua Deus, videbam Satanam ante me e cœlo cadentem in abyssum, quia ego eum velut æmulum præcipitavi : pari modo ego Christus jam incarnatus, qua homo, videbam Satanam ante me e templis, in quibus quasi Deus in cœlo a Gentibus adorabatur, deturbari, quia per me et vos, o discipuli, doceo et docebo omnes gentes conterere idola, in quibus ipse adorabatur, et adorare Deum verum. Quocirca ego sicut olim Satanam e cœlo, sic nunc eumdem e templo præcipitavi, sicut fulgur in præceps ruit : sic enim posterior sensus priori quasi littera allegoriæ substernitur, hæcque illi congrue inædificatur et superstruitur. Alludit Christus ad illud *Isaiæ* XIV, 12 : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? » ut cum esses Lucifer, factus sis Hesperus et noctifer. Vide ibi dicta.

Moraliter S. Bernardus, serm. *De ligno, fœno et stipula* : « Nunquam, ait, est securitas, fratres, neque in cœlo, neque in paradiso, multo minus in mundo. In cœlo enim cecidit angelus sub præsentia divinitatis ; Adam in paradiso de loco voluptatis ; Judas in mundo de schola Salvatoris. Hæc idcirco dixerim, ne quis sibi de loco isto blandiatur, quia dicitur : Locus iste sanctus est. Quia non locus homines, sed homines locum sanctificant. »

Mystice S. Hieronymus in illa verba *Ps.* CXXXIII : *Qui fecit cœlum et terram* : « Multi, ait, de terra cœli fiunt, et multi de cœlo terra. Infelix Judas cœlum fuit, et factus est terra : Paulus Apostolus, eo tempore quo persequebatur Ecclesiam, terra erat ; confessus est, et cœlum factus est. Nec qui cœlum est debet esse securus ; nec qui terra est, debet desperare de vita. »

19. Ecce dedi (Græce δίδωμι, in præsenti, id est do) vobis potestatem (Græce ἐξουσίαν, id est auctoritatem, imperium, jus et dominium) calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici ; et nihil vobis nocebit. — Litteraliter hic serpentes et scorpiones uti sonant, accipe ; hos enim etiam calcasset, imo rexisset Adam, quasi eorum rex et dominus in paradiso. Facit ergo hic Christus suos discipulos non tantum dæmonibus, sed et bestiis omnibus superiores, juxta illud *Marci* XVI, 17 : « Serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. » Exemplum est in S. Paulo, qui correptus a vipera, eam illæsus excussit, *Act.* XXVIII, 3. Ita Jansenius, Maldonatus et alii.

(1) Ad litteram simpliciori sensu meliorique cum præcedent. connexione, sic exponas : Sciebam, sive prævidebam per vos celeriter, felici successu, minutam iri Satanæ potestatem, iis in oppidis quæ adiistis ; vel, quod eodem fere recidit : Dum vos mira in oppidis prodigiaque patrabatis, videbam Satanæ potestatem minui ipsumque quasi e cœlo dejici.



Et super omnem virtutem (Græce δύναμιν, id est robur, vim, potentiam, exercitum) inimici — cujuscumque, sive animalis efferi, ut lupi, leonis, tigridis ; sive veneni et rei venenatæ, sive etiam diaboli, qui omnibus feris et rebus noxiis præest, iisque abutitur, ut hominem lædat et perimat. « Omnis » ergo « virtus inimici, » est omnis potentia homini inimica. Mystice tamen, et potius, per hæc omnia significat dæmones ; de his enim est omnis his sermo : unde dæmones hic ad litteram significari per serpentes et scorpiones, illosque vocari « virtutem inimici, » id est exercitus Luciferi, censent S. Athanasius, in *Psal.* XXVIII, ac Theophylactus, Euthymius, Beda, Titus, Toletus, Franciscus Lucas hic. Quocirca Euthymius « serpentes et scorpiones » accipit « intelligibiles ; » id est « omne genus immundorum spirituum, » ait Beda. Qui et addit : « Hoc autem inter serpentes qui dente, et inter scorpiones qui cauda nocent, distare arbitror, quod serpentes aperte sævientes, scorpiones clanculum insidiantes significent. » Simili modo, *Gen.* cap. III, serpens qui decepit Evam, tam verus serpens, quam diabolus per serpentem loquens intelligitur, ut ibi dixi.

20. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia (quod) spiritus (dæmones) vobis subjiciuntur : gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. — Non vetat omne gaudium, ut scilicet nullo modo gaudeant, quod dæmones eis subjiciantur (hoc enim licitum et honestum est, ideoque Deo gratum et gloriosum), sed ut non tantum gaudeant de dominio in dæmones, quantum gaudere debent de sua prædestinatione, gratia et gloria, *tum* quia dominium in dæmones est gratia gratis data Ecclesiæ, unde subinde et reprobis datur, uti data fuit Judæ, *Matth.* VII, 22 ; prædestinatio vero includit gratiam gratum facientem, ac prædestinatum conducit ad beatitudinem ; *tum* quia, ut ait Euthymius, illud gaudium tumorem et superbiam generare solet, hoc vero gratiarum actionem et omnis boni operis sollicitudinem : de hoc ergo longe magis gaudendum, quam de illo. *Tertio*, ejicere dæmones et facere miracula, non est vestri meriti, ait Beda, sed divinæ virtutis ; at nullius nomina scribuntur in cœlo, nisi ejus qui illud meretur vel merebitur. *Quarto*, virtus ejiciendi dæmones datur vobis a Deo, non ad vestram, sed aliorum utilitatem ; at scribi in cœlis vobis utilissimum est, quia vos beabit in æternum. Ita Theophylactus.

Scripta sunt in cœlis. — Quod alibi dicitur, « scripta sunt in libro vitæ ; » « liber » autem « vitæ » significat distinctam Dei præscientiam, memoriam, prædestinationem, in qua quasi in libro Dei scripti sunt omnes et singuli destinati et electi ad vitam æternam : « scripta sunt » autem non per calamum et atramentum, ait Titus, sed per Dei optimi maximi memoriam, ejusdemque Dei gratiam et gloriam. Et Euthymius : Cives conscripti estis in æterna civitate, inquit, non atramento, sed memoria ; neque ut homines scribunt, sed ut Deus ; idque non in remedium oblivionis, ait Beda, sed ad firmitatem et certitudinem prædestinationis.

Porro, sicut duplex est hæc Dei præscientia et prædestinatio, ita et duplex est liber vitæ : prior perfectus et completus, quo absolute et determinate ab æterno a Deo descripti sunt omnes electi ad gloriam, qui reipsa ad vitam æternam perventuri sunt : hic est infallibilis et immutabilis. Posterior, in quo omnes justi et sancti describuntur, non absolute, sed conditionate, et secundum præsentem justitiam, si nimirum in ea usque ad mortem perseverent : hic non est certus et infallibilis ; nam ex illis multi a justitia excidunt, male moriuntur, reprobantur et damnantur. Sic Apostolus, *Philip.* IV, salutat Clementem aliosque fideles, « quorum nomina sunt in libro vitæ. » Nihil enim aliud vult dicere, quam quod dixit de omnibus Ephesiis fidelibus, *Ephes.* I, nimirum eos esse a Deo electos et prædestinatos per Christum ; scilicet absolute per fidem et gratiam, sed conditionate ad gloriam, si nimirum in Christi fide et gratia perseverent. Et *Ephes.* II : « Vos, ait, estis cives sanctorum, et domestici Dei, » scilicet per gratiam, ac tales futuri per gloriam, si in gratia decedatis : sic etiam orat Ecclesia in Collecta secreta Missæ, tempore Quadragesimæ, « ut omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber ascripta retineat ; » hi ergo possunt a sua prædestinatione excidere, ac proinde non sunt absolute prædestinati, sed conditionate, si videlicet in fide et sanctitate usque ad finem vitæ persistent. Sic etiam hoc loco videtur accipi, ait Jansenius, Franciscus Lucas et alii, licet de eo dubitet Maldonatus, ac neget Toletus. Nam non velle Christum hic omnes septuaginta discipulos, certos facere de sua absoluta et efficaci electione ad gloriam, patet ex vers. 18, ubi minas et metum damnationis eis injicit, dicens : « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. » Quasi dicat : Videte ergo et vos ne similiter cœlo, id est gratia et gloria vobis in cœlo præparata excidatis. Sic omnes Apostoli fuere a Christo electi, scilicet ad Apostolatum, et tamen unus ex eis Judas fuit reprobatus et damnatus, juxta illud Christi : « Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? *Joan.* VI, 70. Pari modo ex 70 discipulis Christi fuere septem primi Diaconi, e quibus unus fuit Nicolaus nomine, qui immunditiarum omnium, et Nicolaitarum hæreseos auctor extitisse refertur, » ait S. Hieronymus, *epist.* 48, cap. III. Quod ergo duodecim Apostolis et eorum sequacibus promittit Christus, *Matth.* cap. XIX, vers. 18, dicens : « Vos qui secuti estis me, etc., sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel ; » intellige non absolute, sed sub hac conditione,

si in mei sequela usque ad mortem perstiteritis.

21. IN IPSA HORA EXULTAVIT SPIRITU SANCTO, — id est per Spiritum Sanctum, quo plenus erat Christus, puta per gratiam, lætitiam et jubilum suæ humanitati et menti a Spiritu Sancto infusum, eo quod Spiritus Sanctus efficacia fecisset sua promissa, ac per suos discipulos tam rudes et imbecilles tanta prodigia, dæmones expellendo et morbos quoslibet sanando, patrasset, quibus ipse Christi fidem et Dei gloriam promovebat.

ET REVELASTI EA PARVULIS. — Scilicet abjectis et rudibus meis discipulis. « Ea, » ut nimirum ipsi cognoscant te esse Deum verum, ac me a te missum, ac consequenter agnoscant viam ad justitiam et salutem, quæ est credere in me meisque jussis obedire, itaque sint prædestinati, atque per eos alii multi, quos a dæmonibus et morbis liberant, veri Dei cognitione illuminentur et salventur.

22. OMNIA MIHI TRADITA SUNT A PATRE MEO. — Ut sicut a Patre meo creata sunt, ita jam vitio ipsorum perdita per me recreentur et redimantur; ut scilicet homines in peccata prolapsos sublevem, sanctificem et beem, et cum homine cæteras creaturas vitio hominis corruptas renovem et restaurem. Ita S. Athanasius, serm. 4 *contra Arianos* : « Postquam, ait, peccasset et lapsus esset homo, ejusque lapsu perturbatis omnibus, mors invaluisset ab Adam usque ad Christum, terraque execrationi data esset, infernus apertus, paradisus clausus, cœlum infensum, et tandem corrupto et interempto homine insiluisset diabolus contra nos; tunc dedit illi hominem, ut ipsum Verbum caro fieret, carnemque assumptam in omnibus instauraret. Tradita enim sunt illi ut medico, qui sanaret morsum serpentis; et ut vitæ, qua excitaret mortuum; et ut luci, quo illuminaret tenebras; et ut rationi, quo redintegraret vim rationalem. » Particulatim deinde idipsum explicat, dum subdit : « Postquam igitur tradita sunt illi omnia, et factus est homo, correcta sunt omnia et perfecta : terra pro maledictione benedictionem obtinuit, paradisus reseratus est, infernus se metu contraxit, monumenta aperta sunt resurgentibus mortuis; portæ reclusæ sunt, ut intraret ille ex Eden. »

Non igitur loquitur hic Christus de essentia et attributis divinis, sibi a Patre traditis et per generationem divinam communicatis, uti explicuit S. Chrysostomus, hom. 39 *in Matth.* v; Hilarius, lib. VI *De Trinitate*; S. Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. XII; sed de plena omnium potestate quæ sibi ut homini, ad hominum salutem a Patre tradita fuit.

25. ET ECCE QUIDAM LEGISPERITUS SURREXIT, TENTANS ILLUM ET DICENS : MAGISTER, QUID FACIENDO VITAM ÆTERNAM POSSIDEBO? — *q. d.* Quid me facere oportet, ut vitam æternam obtineam et possideam? Alius est hic Legisperitus ab eo qui idem quæsivit a Domino, *Matth.* XXII, 36, ut patet ex circumstantiis utriusque.

TENTANS EUM. — Hinc patet ipsum quæsivisse hæc animo non sincero discendi, sed ficto et doloso tentandi Christum, an Christus scilicet aliquid de se suaque doctrina contra legem responderet, ac illam huic præferret, unde eum calumniandi vel accusandi occasionem haberet. Christus enim ab illis censebatur legis prævaricator et contemptor. Ita Toletus. Quo animo ad Christum accesserit Legisperitus.

Cætera quæ sequuntur usque ad versum 29, exposui *Matth.* XXII, 36 et seq.

29. ILLE AUTEM VOLENS JUSTIFICARE SEIPSUM, DIXIT AD JESUM : ET QUIS EST MEUS PROXIMUS? — « Justificare, » id est justum præ cæteris ostendere; *q. d.* Demonstra mihi aliquem proximum in justitia, qui scilicet tam justus sit quam ego, et vix invenies. Ita Titus, Euthymius et Isidorus Pelusiota, lib. IV, *epist.* 173, qui censent Legisperitum hæc dixisse et superbia et fastu pharisaico. « Proximum, ait Isidorus, censuit esse justum justo, sublimem sublimi, *q. d.* Ostende mihi aliquem qui tam magnus sit ut possit mecum comparari. » Vers. 29.

Verum Christi responsio contrarium significat, ut patet intuenti. Quare videtur hic Legisperitus, qui initio tentandi animo accesserat, audito dicto Christi, quo suum responsum de primo dilectionis Dei et proximi mandato laudarat, mentem mutasse, ac aversionem suam in amorem et reverentiam Christi convertisse, atque sincere et serio quæsiisse quis esset proximus, ut eum diligeret et legem implere posset. Ergo « volens justificare seipsum, » id est volens se ostendere justitiæ amatorem, et timoratæ conscientiæ quasi sollicitum intelligere legem Domini, et quasi assidue in ea studentem et meditantem, ut eam opere adimpleret. Ita Toletus, Jansenius et alii.

ET QUIS EST MEUS PROXIMUS? — Magna enim inter Scribas hac de re erat quæstio, imo error; Scribæ enim, ex *Levit.* XIX, 18 : Diliges רע *rea*, id est *amicum*, a contrario inferebant : Ergo odio prosequeris inimicum tuum, puta Gentilem, qui non est Judæus : unde hunc eorum errorem correxit Christus, *Matth.* V, 43. Quare Scribæ amicum vel proximum censebant esse solum Judæum, utpote veri Dei cultorem, ejusdemque secum gentis et religionis, imo inter Judæos eos qui legem prævaricabantur et impie vivebant, censebant non esse proximos, nec diligendos, sed solos fideles et justos. Merito ergo Legisperitus hic rogat Christum quis sit proximus, *q. d.* Ego omnes Judæos probos quasi proximos diligo, suntne alii adhuc proximi a me diligendi? Respondet Christus alios esse, nimirum proximos nostros esse omnes omnino homines : hi enim proximi nobis sunt ob communionem ejusdem vitæ humanæ, ejusdem gratiæ, ejusdem redemptionis per Christum, ejusdem Ecclesiæ et Sacramentorum, ejusdem vocationis ad fidem et gratiam, ejusdem destinationis cursusque ad Quis proximus?



felicitatem et vitam æternam. Omnis ergo homo est Hebraice *rea*, id est amicus, socius; Græce πλησίος, id est propinquus, a πλάω, id est accedo, appropinquo, quod in futuro habet πλάσω, unde πλησίος : latine nervosius vocatur proximus, quia proxime, id est nullo mediante ad nos accedit, nosque contingit per eamdem vitam, gratiam, Ecclesiam, gloriam, etc. Proximus enim Ciceroni et Latinis dicitur vicinissimus, unde Isidorus, lib. IX *Etymol.*, cap. VI : « Proximus, ait, dicitur ob proximitatem sanguinis. » Et Cicero, lib. II *De Legibus* : « Id, ait, habendum est Deo proximum (id est vicinissimum) quod est optimum. » Jam autem omnis homo nobis vicinissimus est per eamdem Dei creationem, et eamdem Christi redemptionem, et vocationem ad eamdem gratiam et gloriam : ergo omnis homo nobis est proximus. Vide dicta *Levit.* XIX, 18.

Tropologice : vox « proximus » exigit visceralem affectum et amorem; proximus enim a proximo diligendus est quasi frater a fratre, vel filius a patre : in his enim nullum est medium, sed alter alteri est proximus, ita tamen ut servetur ordo charitatis, quo magis diligendus est pater quam frater, et frater, quam nepos, etc.; inter proximos enim alius alio nobis est proximior, ideoque magis diligendus.

30. SUSCIPIENS AUTEM JESUS, DIXIT. — Euthymius, « excipiens sermonem, » id est respondens, ac fuse et exacte quæstionem, quis sit proximus, enucleans et resolvens. Sic ait Virgilius : « Excipit Ascanius, » id est vices respondendi suscipit.

HOMO QUIDAM DESCENDEBAT AB JERUSALEM (ideoque Israelita, ait Augustinus, serm. 37 *De Verbis Domini*, et Hierosolymita, ait Beda) IN JERICHO, ET INCIDIT IN LATRONES. — Est parabola sumpta a re quæ sæpe tunc temporis contingebat, ideoque vera historia et res gesta. Nam, ut notat S. Hieronymus, in cap. XX *Matth.*, et in *Epitaphio Paulæ* epist. 77, inter Jerusalem et Jericho erat locus periculosus et latrociniis infestus, ideoque Hebr. dictus *Adommim*, vel potius *Addammim*, id est *rubeus* et cruentus, « quia multus in eo sanguis crebris latronum fundebatur incursibus. » Audi Adrichomium, locum hunc ex S. Hieronymo, Salignaco, Brochardo et aliis plane describentem in *Descriptione tribus Benjamin*, p. 14, n. 6 : « Adommim, ait, locus sanguinarius homicidiis et latrociniis infamis etiam posterioribus temporibus, et rem et nomen retinuit, aspectu terribilis et valde periculosus, quemque sine conductu nemo temere transeat. Eo loci homo ille, qui de Jerusalem in Jericho tendebat, curatus est a Samaritano, cum incidisset in latrones, ab iisque vulneratus esset, quod etiamnum multis contingit. Distat a Jericho contra Occidentem quatuor leucis. Quondam villula, nunc castrum, ut Bred. ex Brochardo, ut Hieronymus, ruinæ in sorte tribus Judæ : Græce vocatur ἀνάβασις πύῤῥων, *id est* ascensus rubentium, propter sanguinem Adommim quid?

qui ibi a latronibus funditur; Hebraice Maledomim, est confinium tribus Judæ et Benjamin, ubi et castellum militum situm ob auxilia viatorum. Videtur hic caverna profunda, super quam olim erectum fuit ædificium. » Denique locus hic erat situs in monte vel colle, ex quo latrones eminus viatores adventantes prospicere poterant, ut eos ex improviso invaderent; unde *Josue* XV, 7, locus hic vocatur « ascensio Adommim. »

QUI ETIAM DESPOLIAVERUNT EUM (pecuniis, vestibus, rebus omnibus quas habebat), ET PLAGIS IMPOSITIS ABIERUNT SEMIVIVO (Græce ἡμιθανῆ, id est semimortuo) RELICTO — in via : illi certo ex vulneribus moriendum erat ibi, nisi quis ei succurreret et mederetur. Solent enim latrones eos quos spoliarunt, vulnerare vel occidere, ne spoliati illico advocent obvios et vicinos, qui latrones persequantur et spolia eis extorqueant, imo trucident. Syrus clare : *Et irruerunt in eum latrones, et spoliaverunt eum, et vulneraverunt eum, et reliquerunt eum, cum vix subsisteret in eo anima, et abierunt.*

31. ACCIDIT (casu, si homines spectes; sed certo consilio, si Dei providentiam, cui nihil est fortuitum, sed omnia prævisa et provisa, consideres) AUTEM UT SACERDOS QUIDAM DESCENDERET EADEM VIA; ET VISO ILLO PRÆTERIVIT. — Græce, ἀντιπαρῆλθεν, id est ex adverso præteriivit, *q. d.* Sacerdos horrore plagarum vulnerati illius et moribundi perculsus, non tantum ad eum non accessit, sed et retrorsum abiit, et in contrariam partem iter suum reflexit, ait Titus et Theophylactus. Notat hic Christus præposteram religionem ac inhumanitatem sacerdotum illius ævi, qui externas tantum cæremonias, victimas et oblationes, quibus ipsi ditabantur, curantes, internam pietatem et misericordiam et charitatem negligebant, imo pessumdabant. Hinc enim sacerdos videns proximum suum gente Judæum, vulneribus confectum, semi-necem et animam agentem, in hac extrema necessitate eum deseruit, imo nec eum adire vel alloqui dignatus est. Vers. 31.

32. SIMILITER ET LEVITA, CUM ESSET SECUS VIAM, ET VIDERET EUM, PERTRANSIIT. — Levita olim apud Judæos erat id quod apud Christianos est Diaconus, qui sacerdoti in sacris ministrat. Hic ergo ejusdem farinæ et inhumanitatis erat, cujus fuerat sacerdos : qualis enim sacerdos, talis Levita; qualis Prælatus, talis Diaconus; qualis princeps, talis famulus; qualis magister, talis discipulus. Unde simili modo pertransiit. Græce est eadem vox quæ vers. 31, ἀντιπαρῆλθεν, id est in contrariam viam abiit. Vers. 32. Levita quinam?

33. SAMARITANUS AUTEM QUIDAM ITER FACIENS, VENIT SECUS EUM; ET VIDENS EUM, MISERICORDIA MOTUS EST. — « Samaritanus, » qui scilicet genere et gente, et religione a Judæis erat alienissimus, ideoque magis exosus quam Gentilis; utpote Judæorum schismaticus et hæreticus, quem proinde Judæi non proximum, sed juratum hostem cen- Vers. 33.

sciebant, passimque oderant : hic, inquam, Judæi vulnerati, a Judæis derelicti et a sacerdote ac Levita neglecti, commiseratione motus, ei ut proximo succurrit, medicatus est vitamque restituit. Profert Christus exemplum Samaritani, ut ostendat non solos amicos, sed et inimicos (talis enim Judæis erat Samaritanus) esse proximos nostros. Rursum Samaritanum hunc in charitate et beneficentia præfert Judæis, utpote qui in Judæum semineccem a Judæis neglectum et Samaritanis invisum, adeo beneficum se præstiterit.

34. Et appropians (descendens ex equo vel asino quo vehebatur), alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum. — quæ secum ferebat in via quasi viaticum : scilicet vinum pro potu, oleum pro obsonio cum pane, hoc est pro cibo. Est hysterologia : prius enim lavit vulnera vino; vinum enim primo saniem abluit; secundo, pituosos biliososque humores in vulnus confluentes arrodit; tertio, vulnera constringit, ne saniem et sanguinem ulterius emittant; quarto, nervos calefacit et roborat, ut plagam excutiant. Deinde vulnus linivit oleo, primo, ut vini acredinem et mordacitatem olei pinguedine et lenitate temperaret; secundo, ut dolores leniret; tertio, ut partes vulneri vicinas foveret et roboraret : nam alioqui oleum recentibus vulneribus obesse, illaque putrefacere, docet Galenus, lib. III Meth.; et Hippocrates, lib. De Ulceribus. Vide Valesium, S. Philosophia cap. LXXXVII.

Hinc tropologice S. Gregorius, lib. XX Moral., cap. VIII : In vino, ait, morsus districtionis, in oleo mollities pietatis : miscenda ergo lenitas est cum acritate, ut vulnera animæ sanentur, et vitia a peccatoribus expellantur. S. Chrysostomus vero : Vinum, ait, est sanguis passionis, oleum chrismatis unctio; vel, ut Interlinearis, chrisma Spiritus Sanctus.

Et imponens illum in jumentum suum — quo ipse equitare vel asinare solebat. Syrus, supra asinum suum. Descendit ergo ipse ex equo vel asino, cui insidebat, illumque cessit vulnerato, imo eum illi imposuit.

Allegorice S. Augustinus, in Quæst. Evang. : Jumentum, ait, est Christi caro. Imponi jumento, est in ipsam incarnationem credere. S. Ambrosius : Jumento imponit, inquit, dum peccata nostra portat. Theophylactus : Membra sua nos fecit, et participes corporis sui.

Duxit (ipse pedes incedens, frænumque prehendens, illoque minans equum et equitem,) in stabulum. — Græce, εἰς πανδοχεῖον, id est in diversorium, sive hospitium, ita dictum, quod omnes promiscue recipiat; hospitium ergo dicitur « stabulum » a stando, quod in eo viatores ex via lassi stent, id est quiescant. Sic « stabulum » pro hospitio sumit S. Cyprianus, lib. III, epist. 13; hinc Syrus et Arabicus pro stabulo vertunt hospitium.

Et curam ejus egit, — prospiciens illi de cibo, igne, lecto, medico, medicinis cæterisque rebus ad curam necessariis vel opportunis.

35. Et altera die protulit duos denarios. — Vers. 35.
Denarius simplex erat drachma argenti, puta unus julius, vel regalis Hispanicus. Verum hic denarius, non simplex, sed duplex, uti modo est dimidius Philippicus dalerus : dedit enim tantum, quantum sufficere putabat vulnerato alendo et medicando usque ad suum reditum; ad hoc enim non sufficiebant duo julii.

Tropologice S. Augustinus, in Quæst. Evang. : Duo denarii, ait, sunt duo præcepta charitatis, quam Apostoli acceperunt ad evangelizandum, aut promissio vitæ præsentis et æternæ.

Et dedit stabulario (id est hospiti, qui stabulo et hospitio præerat) et ait : Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris (ulterius impenderis), ego, cum rediero, reddam tibi. — Vide hic et disce a Samaritano plenam dilectionem, qua nihil omisit, quod ad vulnerati curationem requiritur; sed omnia charitatis officia hic requisita copiose præstitit.

Allegorice : homo est Adam lapsus in pecca- Allegor.
tum, ideoque in anima vulneratus et pene occisus; Adam enim ex Jerusalem, id est ex visione Adam est
pacis, puta ex paradiso et statu innocentiæ, ubi homo ille
summa fruebatur pace cum Deo, secum, cum qui inci-
Eva et cum omnibus animalibus, descendit in dit in latrones.
Jericho, id est in mutabilitatem et statum peccati : hujus enim symbolum est Jericho, id est luna, quæ quotidie mutatur et deficit. Latrones sunt dæmones, qui Adamum et Evam per serpentem deceperunt et ad peccatum induxerunt, eosque eum Dei gratia et virtutibus spoliarunt, et vulnera concupiscentiæ omnibus animæ potentiis et appetitibus inflixerunt. Sacerdos et Levita sunt lex vetus, quæ lapsum Adæ sanare neglexit, quia non potuit. Samaritanus, id est custos, est Christus, qui fideliter homines omnes curat et custodit, ut sanentur et salventur; equus est hujus humanitas, cui ipsa deitas insidet, et quasi inequitat. Stabulum, id est hospitium, est Ecclesia, quæ omnes fideles recipit. Vinum est sanguis Christi, quo vulnera nostra abluuntur et sanies peccatorum abstergitur. Oleum est misericordia, clementia et lenitas Christi. Stabularius sive hospes, qui stabulo, id est Ecclesiæ præest, est S. Petrus, sive Pontifex. Ita S. Ambrosius et Origenes hic, hom. 34; S. Hieronymus, in cap. 2 Matth.; S. Augustinus, serm. 37 De Verbis Domini, et alii passim. Audi Origenem : « Aiebat quidam de presbyteris, volens parabolam interpretari, hominem qui descendit esse Adam; Jerusalem, paradisum; Jericho, mundum; latrones, contrarias fortitudines; sacerdotem, legem; Levitam, Prophetas; Samaritem, Christum; vulnera vero, inobedientiam; animal, corpus Domini; pandochium, id est stabulum, quod universos volentes introire suscipiat, Ecclesiam interpretari. Porro, duos denarios Patrem et Filium intelligi; stabularium ecclesiæ præsidem, cui dispensatio credita est. De eo vero quod Samarites reversurum se esse promittit, secundum Salvatoris figurabat adventum. Hæc cum rationabiliter pulchreque dicuntur, » etc.

Hinc rursum ex hac parabola docent Patres et Theologi Adamum per peccatum spoliatum esse bonis et donis gratuitis, uti sunt gratia et virtutes; vulneratum vero fuisse in naturalibus, id est in natura non pura et mera : hæc enim eadem est post peccatum, quæ fuit ante; sed in natura per gratiam erecta, sanata et integra per justitiam originalem illi a Deo inditam : hæc enim omnes appetitus et passiones, ac concupiscentiæ motus voluntati et rationi subjiciebat, ut nil velle aut concupiscere possent, nisi quod recta ratio judicabat, ac voluntas recta amabat et appetebat : jam autem per peccatum privati hac justitia originali, experimur in nobis inscia ratione, et invita voluntate, pravos hosce motus exoriri; hoc est vulnus naturæ.

36. Quis eorum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones ? — Videtur Christus apposite ad interrogationem legisperiti, « Quis est proximus meus ? » dicere debuisse : Quis in hac parabola tribus hisce, puta Sacerdoti, Levitæ, ac præsertim Samaritano, fuit proximus? utique ille qui incidit in latrones, ab eisque spoliatus, vulneratus et semimortuus relictus, omni proximorum ope indigebat : nam alioqui ex hac interrogatione Christi quis inferre poterit : Ergo proximus est is qui benefacit egenti, puta Samaritanus, non autem ipse egens, puta spoliatus ille et vulneratus; ac consequenter Sacerdos et Levita non erant proximi, quia egenti non benefecerunt. Unde pariter inferas eos qui nos oderunt et persequuntur, non esse nostros proximos.

Verum dico sensum esse : « Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? » q. d. Quis horum trium tibi videtur in hoc casu se gessisse ut proximum capti, spoliati et vulnerati a latronibus? sic enim hanc interrogationem Christi intellexit ipse Legisperitus, dum vers. seq. respondet : « Qui fecit misericordiam. » Ergo ex eo Christus quærit : Quis ex hisce tribus tibi videtur vere functus officio proximi erga vulneratum tam miserum, ita ut eum, licet tam afflictum et ex inimica sibi gente, puta ex Judæis, oriundum, æstimarit suum esse proximum? Proximus enim est nomen correlativum, proximus enim est proximi proximus, sicut misericors est miseri misericors : quare Christus recte ex uno designat alterum, puta ex relativo designat ejus correlativum, quod quærebat Legisperitus. Maluit vero Christus sic responsionem suam invertere, ut Legisperito nobisque omnibus statueret exemplum reale et perfectum dilectionis proximi, quod ipse imitaretur non speculando in lege, sed opere idipsum præstando, quod præstitit Samaritanus : unde concludit, vers. 37, dicens : « Vade, et tu fac similiter. » Maxime autem voluit Christus Legisperitum docere, non Judæum, non amicum, uti volebant Scribæ, sed omnes omnino homines, maxime miseros, etiam nobis inimicos, habendos esse proximos, et omni officii genere esse diligendos. Simili modo, ob similem causam, Christus invertit quæstionem majoris dilectionis duorum debitorum, Magdalenæ scilicet et Simonis : « Quis eum plus diligit? Luc. cap. VII, vers. 47, uti ibi ostendi. Ita S. Augustinus, quem mox citabo, Beda, Theophylactus, Euthymius, Titus, Toletus, Jansenius et alii passim.

37. At ille dixit : Qui fecit misericordiam in Vers. 37.
eum. Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter. — « Ut videlicet, » inquit S. Augustinus, lib. V De Doct. Christ., cap. XXX, cum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret. Ex quo est jam consequens, ut etiam ille a quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster : proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem exceptum esse, cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat? quando usque ad inimicos etiam porrectum est, quales erant imprimis Samaritani Judæis. » Addit apposite S. Augustinus : « Quid tam remotum quam Deus ab hominibus? cum haberet Deus in se duo bona, justitiam et immortalitatem; nos duo mala, iniquitatem et mortalitatem : factus est mortalis, et ita prope nos, non id quod nos, id est peccator, suscipiendoque pœnam, et non culpam, culpam delevit et pœnam. »

Causam a priori dat Isidorus Pelusiota, lib. IV, epist. 123, dicens : « Proximitas enim natura æstimatur, non virtute; substantia, non dignitate; compassione, non loco; curationis modo, et non loci propinquitate : illum namque arbitrare proximum, qui tui maxime indigeat, et sponte tua ad auxilium ei ferendum accede. »

38. Factum est autem dum irent (dum profi- Vers. 38.
ciscerentur Jesus et discipuli ejus, evangelizantes per vicos et castella, ut dixi vers. 1), et ipse (Jesus) intravit in quoddam castellum (Græce κώμην, id est vicum, pagum, oppidum, puta Bethaniam, ubi Martha videtur habuisse domum); et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam, — quasi hospitem et peregrinum, qui ut Deus erat omnium Dominus. Unde S. Augustinus, serm. 26 De Verbis Domini : « Suscepit, ait, famula Dominum, ægra salvatorem, creatura creatorem, spiritu pascenda in carne pascendum, dignatione, non conditione. » Laudatur in Martha virtus hospitalitatis, quod Jesum Scribis et Pontificibus exosum hospitio exceperit, sed hominem excipiendo recepit pariter Deum, qui illam totamque ejus domum benedixit, et

donis cœlestibus cumulavit, tandemque in cœlum ipsam suscepit, et æterna gloria beavit. Sic Abraham susciens hospites, angelos specie humana indutos hospitio excepit, quibus promissionem nasciturí ex se Isaac, indeque Christi, qui benedicturus esset omnes gentes, accepit. Vide dicta *Hebr.* XIII. Quocirca Christus Marthæ morienti apparuit, eique præmium hospitalitatis rependit, atque eam ad cœleste, non hospitium, sed regnum, invitavit, dicens : « Veni, hospita mea dilectissima, quia sicut tu me in domum tuam recepisti, sic ego te in cœlum meum recipiam. » Ita habet ejus Vita, quæ ex S. Antonino addit, Christum sua præsentia sepulturam S. Marthæ honorasse. Ita Christus honorantes se honorat.

Christus Marthæ morienti apparet.

Vers. 39. 39. ET HUIC ERAT SOROR, NOMINE MARIA, — cognomento Magdalena; hæ duæ sorores « non solum carne, ait S. Augustinus, loco jam citato, sed et religione germanæ, ambæ Domino cohæserunt, ambæ Domino in carne præsenti servierunt, » tanto hospite beatæ.

QUÆ ETIAM SEDENS SECUS PEDES DOMINI, AUDIEBAT VERBUM ILLIUS. — Vox « etiam » notat Magdalenam non obiter, non alio tempore quando ei erat otium, sed illo temporis articulo, quo maxime cum Martha erat laborandum in apparanda Christo mensa, quasi otiosam sedisse cum Jesu : « Sedens secus pedes, » quasi discipula humillima summe amans et reverens Christum, ut eum docentem quietissime, modestissime, avidissime et attentissime audiret. « Quanto hic melius, ait S. Augustinus, serm. 27 *De Verbis Domini*, ad pedes sedebat, tanto amplius capiebat; confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis. »

AUDIEBAT VERBUM ILLIUS. — Docet hic Christus suo exemplo, quid discipuli, ac viri Apostolici et Religiosi facere debeant in hospitiis, scilicet, « ut non resupini quiescant, ait S. Chrysostomus in *Catena*, sed potius repleant suscipientes sacris et divinis doctrinis, » ut nullum tempus sine fructu transire sinant, sed ubique semina pietatis jaciant, omnesque ad virtutem et Dei amorem excitent. Faciebat id inter alios R. P. Petrus Faber, primus S. Ignatii Loiolæ socius, qui in perpetuis peregrinationibus et missionibus, vitam omnem in societate exigit, ac proinde hoc salutare monitum nostris testamento reliquit, ut hospitium ingressi illico vel recitandis Horis, vel piis sermonibus miscendis intendant, seque pietatis professores ostendant : sic enim impedituros omnes lascivos sermones et castitatis tentatores, ac fructum non exiguum facturos, uti ipse non semel latrones in hospitio degentes suis sermonibus commovit ad pœnitentiam, eorumque ibidem confessiones excepit. Plura vide in Vita ejus. Idem faciebat S. Franciscus Xaverius in navibus, per totum Orientem navigans, et ubique evangelizans tam verbo, quam charitatis et sanctæ vitæ exemplo.

P. Petri Fabri salutare Religiosis monitum.

S. Franciscus Xaverius.

40. MARTHA AUTEM SATAGEBAT CIRCA FREQUENS MINISTERIUM. — Græce, περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν, id est *distendebatur* vel *distrahebatur circa multam ministrationem*, sollicita et officiosa charitate curans, ut cibi tanto hospite digni rite coquerentur, mensa lectulique mensales congrue sternerentur, pedes hospitum lavarentur, cæteraque omnia hospitalitatis officia exacte præstarentur. Unde Arabicus vertit, *Martha autem diligenter ministrabat plurimum.*

QUÆ STETIT ET AIT (Græce, *astans autem dixit*; Syrus, *venit et dixit*) : DOMINE, NON EST TIBI CURÆ (Arabicus : *Domine, non gravat te res mea*) QUOD SOROR MEA RELIQUIT ME SOLAM MINISTRARE? DIC ERGO ILLI, UT ME ADJUVET. — Ita loquitur Martha, partim ex turbatione sollicitudinis omnia Christo congrue apparandi, partim ex confidentia in benignitate Christi; *q. d.* Domine, ego tui amore et obsequio opprimor laboribus : soror mea id videt, et interim desidet et otiatur. Tuæ ergo humanitatis est curare, illique jubere ut me sublevet, et in partem pii laboris veniat; tibique æque ac ego ministret : illa enim tota ex te pendet, me negligit. Verbo ergo illi innue, ut me juvet, et illud faciet; scio enim me illam rogantem nihil apud ipsam effecturam, quia tibi tuisque verbis tota est affixa.

41. ET RESPONDENS DIXIT ILLI DOMINUS : MARTHA, MARTHA, SOLLICITA ES, ET TURBARIS ERGA (circa) PLURIMA. — Arabicus, *tu sollicita turbata es erga res plurimas.* « Repetitio nominis Marthæ, est indicium dilectionis, ait S. Augustinus, *serm.* 26 jam citato, aut forte movendæ intentionis, ut audiret attentius : » tota enim intendebat suis ministeriis, ut minus verbis Jesu intenderet, nisi iterata nominis sui compellatione excita. Addit S. Augustinus : « Maria causam suam maluit Judici (Christo) committere, nec in respondendo voluit laborare, » sciebat enim Christum a se stare, suique patronum agere solitum. Unde hic Christus « factus est Mariæ advocatus, qui judex fuerat interpellatus, » ait Interlinearis ex S. Augustino, *serm.* 27. « Turbaris erga plurima, » *q. d.* Nimis es sollicita, Martha, ideoque turbaris. Vis enim plurima mihi apparare, cum paucis mihi sit opus : uno enim cibi genere contentus sum, imo delector, tum frugalitatis, tum sanitatis studio. Docet enim Galenus et medici varietatem ciborum onerare stomachum, ac difficulter tardeque ab eo digeri. Audivi nonnullos, qui uno cibo perpetim vescentes, ad longævam et plane decrepitam ætatem vixere. Emmanuel Sa et alii Græce τυρβάζῃ vertunt, *tumultuaris* : « Sed tumultus hoc loco distractio est et turbatio, » ait Euthymius; qui enim circa multa distrahuntur suntque sollicití, multas cogitationum et curarum anxietates et tumultus, qui in mente confligunt, eamque affligunt, experiuntur, quocirca nimia sollicitudo et anxietas signum est et effectus alicujus passionis et perturbationis internæ, sci-



licet nimii timoris et amoris : quia si quis nimis amat honorem, opes, commoditates, amicum vel rem aliam, illamque perdere timet, hic est sollicitus, turbatur, anxiatur.

42. PORRO UNUM EST NECESSARIUM. — Arabicus, *quod autem necessarium est, facile est*; Græce, ἑνὸς δέ ἐστι χρεία, id est *uno autem est opus* : hoc unum Christus opponit multis, circa quæ turbatur Martha. Syrus, *at unum est quod requiritur.* Consentit Ægyptius, Æthiopicus et Persicus.

Unum necessarium quid?

Quæres quodnam sit hoc unum, idque necessarium? Respondent Lutherus, Bulingerus, Melanchthon cæterique ejusdem farinæ Novatores, hoc unum esse fidem, sive audire Evangelium, illique credere : hoc enim tantum dicitur hic fecisse Magdalena, vers. 39 : « Sedens, inquit, secus pedes Domini, audiebat verbum illius : » censent enim ipsi fidem solam necessariam esse ad salutem. Crede, inquiunt, te per merita Christi salvandum, et infallibiliter salvaberis. Verum hæc fides est temeraria, fallax et falsa; nam illam possunt habere blasphemi, fures et latrones : præter fidem enim, ad salutem necessaria est spes, charitas et bona opera, ut patet *Matth.* XIX, 17; I *Corinth.* XIII, et alibi passim; idque patet in ipsa Magdalena, quæ ita verbum Domini audiebat, ut auditis obediret, illaque exequeretur per opera charitatis, humilitatis et pœnitentiæ, ut patet cap. VII, 43, et ex tota deinceps ejus vita.

Resp. Primo.

Verius ergo Orthodoxi plures per « unum » intelligunt unum cibi genus; *q. d.* Tu, o Martha, sollicita es et turbaris, ut multa mihi fercula apponas, sed frustra; nam uno duntaxat opus est, unum mihi sufficit : non requiro mensam opiparam, escam communem et facile parabilem opto : hoc enim dictat mihi mea temperantia et paupertatis studium; interim non damno, imo laudo tuam erga me devotionem, reverentiam et studium, qua dignitati meæ personæ tanta et tam multa apparas, ut ostendas quanti me æstimes, quantumque affectum erga me geras : sed tamen moneo ne nimis sis sollicita, neve in ministerio tuo turberis, et Magdalenam a meis sermonibus avoces. Ita S. Basilius, in *Regulis fusius disput.*, interr. 20; Theophylactus; et S. Gregorius, apud D. Thomam in *Catena*; S. Hieronymus, in epist. *ad Eustochium*; Toletus, Emmanuel Sa, et Franciscus Lucas hic. Audi S. Basilium : « Paucis vel uno est opus : paucis quidem ad apparatum videlicet, uno vero scopo ut necessitas expleatur. » Sic et Titus : « Non ea de causa huc venimus, ut supervacaneis escis ventrem impleamus; natura enim paucis contenta est. » Accedit Theophylactus : « Uno nobis opus est, nempe ut comedamus qualitercumque, non variis. » Hinc Arabicus vertit, *quod autem necessarium est, facile est.*

*Secundo*, sublimius et magis apposite ad sequentia, « unum » hoc « necessarium » est unius Dei ac salutis æternæ cognitio, studium et amor, cui quasi optimæ parti et sorti totam affixit se Maria. Unde hoc « unum » explicans, subdit : « Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. »

Sensus est, *q. d.* Tu, o Martha, circa multa distraheris et turbaris; remedium tibi suggero, ut te colligas in unum, ut scilicet uni Deo per omnia placere satagas, ac unius Dei amore omnes actiones tuas obeas; sic illæ te non distrahent, sed fixa in Deo, omnia ex ejus voluntate sine turbatione, quiete et suaviter perages; quia superfluas rescindes, nec plures capesses quam opus sit et quam facere possis. Ita Beda, Euthymius, Jansenius et alii : unde S. Augustinus, serm. 26 *De Verbis Domini*; et S. Gregorius, lib. I in lib. *Reg.*, cap. IV et alii : « Unum » hoc, inquiunt, est ultimus finis, et summum hominis bonum, ad quod nostra mens est dirigenda, et a quo non est distrahenda. Et Cassianus, *Collat.* I, cap. VIII : « Unum, ait, est unius Dei intuitus et contemplatio, ut scilicet etiam Sanctorum actus ac ministeria mirifica supergressus, solius Dei jam pulchritudine scientiaque pascatur; » licet enim contemplatio non sit necessaria ad salutem, est tamen necessaria ad plenam sanctitatem et perfectionem, quæ animam omni sollicitudine et turbatione liberat facitque omnino tranquillam, utpote Deo plane unitam et in eo quiescentem. Hoc faciebat Psaltes, dicens : « Unam (Heb. *unum*) petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, » *Psalm.* XXVI, 4. Et Paulus : « Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ priora sunt extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu, » *Philip.* cap. III, vers. 14. Et *Esther*, XIV, 18 : « Tu scis, Domine, quod nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus. » Nam, ut ait Christus, *Joan.* XVII, 3 : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. »

Quocirca S. Ægidius, unus e primis S. Francisci sociis, vir valde a Domino illuminatus, interrogatus quæ esset via ad sanctitatem et perfectionem, verbo respondit : « Una uni : » *una* scilicet anima *uni* Deo uniatur; dualitas enim separat et dividit, unitas vero colligit et unit. Deus enim est unus : quare qui Deum quærit, ad unitatem se redigat, eumque in unitate et voluntatis conformitate, ac mentis amorisque unione quærat oportet, uti docet S. Bernardus, serm. 7 *in Cant.* Hinc S. Augustinus, lib. II *De Ordine*, cap. XVIII, tom. I, per inductionem ostendit omnia tendere ad unum, quia, ut idem ostendit *De vera Religione*, cap. XXXII, unitas, sive simplicitas, est vestigium Dei, qui est prima, essentialis et increata unitas, omnium unitatum fons et origo. Et, cap. XLII, declarat quanta sit unitatis pulchri-

Denique unum necessarium est Deus; cætera enim omnia sunt contingentia et libera, et mero Dei beneplacito creata ex nihilo. Vulgo dicitur : « Qui duos lepores sectatur, neutrum capit : » Sic qui Deo et mundo placere satagit, neutri placet.

Tropologice : unum hoc adipisceris per orationem, meditationem et contemplationem, hæc enim nos uni Deo jungit et unit. « Religiosi est unum ipsum ambire, et ad sacram monadem cogi, » ait S. Dionysius, *Eccles. hierarch.* cap. VI; et Climacus, cap. I : « Monachus est qui semper habet spiritum elevatum in Deum, et orat in omni loco, tempore et negotio. » Et S. Chrysostomus, lib. I *De Orando Deum* : « Oratio, ait, est anima et spiritus vitæ religiosæ et perfectæ. » Et S. Bonaventura, opusc. *De Perfectione vitæ*, cap. V, ait Religiosum non frequentantem orationem gestare animam mortuam in corpore vivente; aut esse sicut corpus sine anima, habentem id quod externum est in Religione, absque eo quod internum est. Idem : Religio, ait, languida et infirma est, quæ non plurimum habet orationis. Quid ergo, o infelix anima, per multa vagaris, ait S. Augustinus in fine *Meditat.*? requiem quæris, et non invenis; ama unum in quo sunt omnia, et in eo læta saturaque conquiesces : ipse enim te satiabit bonis omnibus, te torrente voluptatis potabit, imo inebriabit. Audi Epictetum ad Arianum : « Oportet, inquit, ut omnia principia quasi converso orbe, redeant ad unum principium, omnia pulchra ad unum pulchrum, omnia vera ad unum verum, omnia bona ad unum bonum, omnia divina ad unum Deum; omnia una ad unum ter unum. » Nam unitas, principium, bonum, verum, Deus, eadem sunt, unum sunt. Quocirca Sponsa, *Cant.* II : « Dilectus meus mihi, ait, et ego illi. » Una enim sponsa uni sponso tota intendat oportet. Hinc Sancti optant a carne separari et mori, ut mentem totam uniant Deo. « Cupio dissolvi, ait Paulus, et esse cum Christo. » Et S. Simeon : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace. » Et Psaltes : « Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est. » Causam dat S. Basilius, in *Regul. fusius disp.*, interrog. 2 : « Vehementer enim, ait, vitam hanc veluti terrum quemdam carcerem abhorrebant, usque adeo difficiles ad cohibendum animos (Græce ὁρμάς, id est vehementes impetus et impulsus, evolandi scilicet ex hoc carcere), erant hi, quorum mentes Dei amor perstrinxerat; cum enim inexplebili intuendæ divinæ pulchritudinis cupiditate flagrarent, illud exoptabant, ut æquata infinito sempiternæ vitæ curriculo sibi jucunditatis Domini contemplandæ facultas præberetur. » Adeo beatum otium sapientibus negotio abundat, et fœcundum est; quique semel in divinitatem se mersit animus, ea et pasci ubique potest et pascere. Quocirca David, *Psal.* XLI : « Sitivit, ait, anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? »

Symbolice : Unitas numerorum omnium principium est, utpote a qua fluit omnis numerus, eaque omnium finis, ut in quam omnis numerus resolvatur : nec ab aliquo suam trahit originem, aut in aliquem secatur numerum. Ita Deus optimus maximus omnium rerum initium et finis est, juxta illud *Apoc.* XXI, 6 : « Ego sum alpha et omega, » omnia aperiens et claudens omnia, ante quem et post quem nihil, et tantum abest ut a creaturis suam sumpserit originem, ut illas æterno præcesserit intervallo, sine illis existens, cum illæ sine ipso nec consistere queant. Unde philosophus ille Platonicus : Ab unitate divina, ait, omnia prodeunt, prodeuntiaque unitatem quamdam ipsis impressam retinent, divinæ unitatis imaginem, qua et revocantur in illam, et revocata perficiuntur. Et Plato, in *Parmenide* : Per unum intelligit esse divinum, in quo omnia vitam habent, tanquam rami in radice. Hinc illud Pythagoræ : « Oportet hominem fieri unum; » nam « qui adhæret Deo, unus cum eo spiritus efficitur, » ait Apostolus; et Macrobius, lib. I *in Somnium Scipionis* : « Unitas, ait, principium et finis omnium, neque ipsa principii aut finis patiens, ad summum nos duxit Deum. » Trismegistus, in *Pimandro* : « Unitas, ait, omnium principium, radix et origo, omnem continet numerum, a nullo comprehensa, omnemque gignit numerum ex nullo genita numero : hæc est imago Dei. »

Unitas numerorum principium et finis.

Rursum ubi peccatum est, ibi est multitudo; ubi autem virtus, ibi singularitas, ibi charitas, ibi unitas. Virtutis ergo studiosus unum amet, et unitatis sit studiosus oportet. Unitatis enim magister Christus voluit nos in una Ecclesia adunare, sibique unire. Unitas enim dat cœlo temperiem, animo sanctitatem, corporibus sanitatem, domibus et civitatibus pacem et animorum concordiam, omnisque populi virtus et fortitudo est ex unanimitate. Dualitas enim omnis discordiæ, schismatis, belli, tempestatis, morbi et turbationis est causa et mater. Unde Plato, lib. V *De Republ.* : Nullum, ait, perniciosius civitati malum, quam qui eam dividit, et ex una plures facit; nec melius quidquam eo quod ipsam vincit simul et unam efficit. Aristoteles, lib. I *Ethic.*, cap. VI, citat Speusippum dicentem, rem proprie dici bonam et perfectam, quando sit una; cum res quælibet in se habeat bonitatem suam per unitatem qua suum suscipit esse; tamdiu enim est quidquid est, quamdiu unum est; cum autem desinit esse unum, desinit esse id quod est : materia quippe non habet esse, nisi per unionem sui cum forma : tolle hanc unionem, divides materiam a forma, et compositum interibit. Unio ergo est vita, divisio vero mors. Unde de cœlesti vita S. Augustinus loquens : « Non erit ibi, ait, aliqua invidia disparis charitatis, ubi in omnibus regnat unitas charitatis. » Et S. Gregorius : « Et tanta vis charitatis ibi omnes associat, ut bonum quod quisque in se non accepit, in alio se gaudeat accepisse. Regnum ergo vitæ est in charitate, quæ est unio; regnum mortis in odio, quod est divisio. Quocirca Pythagoras unitatem dicebat esse Deum, dualitatem vero dæmonem : quem secutus Homerus, unius naturam in boni ratione constituit, in mali vero ratione dualitatem : unde *Iliade* β ita canit :

> Nec multos regnare bonum, rex unicus esto.

Rex unus est apibus, dux unus in gregibus, grues unum sequuntur, in navi unus est gubernator, in civitate unus prætor, in corpore unum caput, in exercitu unus dux, in Ecclesia unus Pontifex, in mundo unus sol. Denique unitas est virginitas, quæ nos similes facit angelis : dualitas est conjugium, quod nos assimilat animalibus.

MARIA OPTIMAM PARTEM ELEGIT. — *Sibi*, ut addunt Syrus et Arabicus; Græce ἀγαθήν, id est *bonam* antonomastice, sive per excellentiam, id est optimam. Confert enim et præfert hic Christus Mariam Marthæ, ut patet ex contextu et ex omnium Patrum interpretatione, *q. d.* Tu, o Martha, bonam partem elegisti, sed Maria meliorem. « Non tu malam, sed illa meliorem, » ait S. Augustinus. « Ecce pars Marthæ non reprehenditur, ait Beda, sed Mariæ laudatur. » Audi rursum S. Augustinum, serm. 27 *De Verbis Domini* : « Putamus reprehensum esse ministerium Marthæ, quam cura hospitalitatis occupaverat, quæ ipsum Dominum hospitio receperat? quomodo recte reprehendebatur, quæ tanto hospite lætabatur? » Sic et Ambrosius : « Nec Martha, ait, in bono ministerio reprehenditur; sed Maria, quod meliorem partem sibi elegerit, antefertur. » Et Cassianus, *Collat.* I, cap. VIII : « Cum laboraret Martha pia sollicitudine ac dispensatione distenta, solam se videns ad tantum ministerium non posse sufficere, adjutorium sororis a Domino postulabat, dicens : Non est tibi curæ, etc., utique non ad vile opus, sed ad laudabile eam ministerium provocabat, et tamen quid audit? » Rationem dat Theophylactus : « Per alterum enim corpus pascitur, per alterum anima vivificatur. » Et Euthymius : « Bonum est hospitalem esse, verum melius Deo assidere; illud enim corporale est, hoc autem spirituale. » Aliam rationem symbolicam dat S. Augustinus, serm. 27 *De Verbis Domini*, dicens : « Sed unde meliorem? quia tu circa multa, illa circa unum : præponitur unum multis; non enim a multis unum, sed multa ab uno. » Et inferius : « Multa sunt quæ facta sunt, unus est qui fecit, etc.; bona valde quæ fecit, quanto melior ille qui fecit! » Tres personæ divinæ inter se realiter distinctæ, sunt unum in eadem numero deitate, quæ est simplicissima et perfectissima unitas : sic quo magis ad unitatem et simplicitatem accedis, eo magis ad Deum accedis, ait S. Augustinus. Imo Christus, *Joan.* XVII, 21, orans Patrem pro suis fidelibus et dilectis : « Ut omnes, ait, unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. » Et mox : « Et ego charitatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus, ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum. »

Porro pars Mariæ, quam Christus optimam vocat, est, relictis omnibus terrenis curis, Christo assidere, verbum ejus audire, soli Deo et rebus divinis vacare, orationi et contemplationi jugiter intendere. Audi Richardum de S. Victore, in *Cant.* VIII : « Optimam partem elegit Magdalena, quæ gratiam exercet contemplationis, et tamen occupatur in parte sororis, ut etiam activæ vitæ præmio coronetur : in qua pari charitate par præmium meretur. Martha in uno loco corpore laborat circa aliqua, Maria in multis locis charitate circa multa; in Dei enim contemplatione et amore videt omnia, dilatatur ad omnia, comprehendit et complectitur omnia, ita ut in ejus comparatione Martha sollicita dici possit circa pauca. Valde ergo hoc unum est necessarium, et merito præferendum, in quo et Deo per amorem anima inhæret, et omnibus charitatem et sollicitudinem exhibet. » Hinc noster Suarez, tract. *De Oratione mentali* : Optimam, ait, partem elegit Maria, quia oratio mentalis est quasi hujus vitæ beatitudo. Ipsa enim est quasi inchoatio visionis beatificæ, qua Sancti in cœlo beantur.

Hinc pariter S. Magdalena erat in jugi solidoque gaudio. Audi S. Bernardum, serm. *De Magdalena* : « Absit ut in terra suaviter viventium, gaudiorum inveniatur materia; cum tantis alternationibus tota mundi facies immutetur : sed est gaudium continua sibi jucunditate firmissimum, quod perfectus animus de secura sibi conscientia pollicetur. Mens enim ab hujus mundi aspergine pure detersa, et in divinæ contemplationis acumen totum desiderii sui figens affectum, minas aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit, et omnium scandalorum immunis, in pace in idipsum dormiens requiescit. » Hujus beatæ tranquillitatis causam reddens Hugo Victorinus, lib. III *De Anima*, cap. IX : « Recta, inquit, conscientia tranquilla est, quia omnibus est dulcis, et nulli gravis; utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad benevolentiam, et quibus potest ad beneficentiam. »

PARTEM. — Videtur, ait Maldonatus, alludere ad ritum veterum, qui, divisuri hæreditatem, jubebant, ut major filius vel hæres illam in partes maxime æquales divideret, deinde minor quam vellet prior eligeret, ne major inæqualiter dividendo minori fraudem facere posset, teste Seneca, lib. VI, *Declamat.* 3. Sic hæreditas erat Christus, Martha senior duas ejus quasi partes fecit, vers. 40, scilicet Christum audire et Christo servire : Maria minor meliorem partem elegit, scilicet Christum audire : nam Hebr. חלק *chelec*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

id est *pars*, in Scriptura significat sortem hæreditariam, juxta illud : « Pars mea Dominus, » *Thren.* III, 24. Et : « Dominus pars hæreditatis meæ, » *Ps.* XV. Porro, hic recte sortem vocat Christus « partem, » quia pars bona perfectæ vitæ est sors Marthæ, sive vita activa ; sed melior est pars, id est sors Mariæ, sive vita contemplativa. At vero vita mixta, comprehendens simul actionem et contemplationem, non est pars, sed totum, sive tota perfectio ; atque hujus totius respectu Christus unamquamque vocavit partem ; mixtam ergo vitam egit Christus pernoctans in oratione ac per diem prædicans, Joannes Baptista et Apostoli. Hæc enim est ipsum totum sive perfectum ; quia in ea contemplatio dirigit acuitque actionem.

Mixta vita perfectissima, cur?

QUÆ NON AUFERETUR AB EA. — Quia scilicet contemplatio et occupatio studiumque Mariæ ad verbum audiendum et meditandum, est spiritualis et æternus mentis cibus ; unde perficitur in cœlo per jugem Dei visionem, durabitque in æternum ; cum sors Marthæ sit temporalis, utpote quæ cibum corpori præstat in hac vita duntaxat : in cœlo enim videre, amare et laudare Deum, est otiosum Beatorum negotium, et negotiosum otium. Ita S. Augustinus, Beda, Theophylactus et alii (1). Unde S. Gregorius, lib. VI *Moral.*, cap. XVIII : « Nec auferri unquam, ait, sors Mariæ dicitur, quia activæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ vitæ autem gaudia melius ex fine convalescunt. » Audi S. Augustinum, serm. 27 *De Verbis Dom.* : « A te (o Martha) quod elegisti, auferetur, ut quod melius est detur. Auferetur enim a te labor, ut requies detur. Tu navigas, illa in portu est. Et anterius : Intenta erat Martha quomodo pasceret Dominum ; intenta Maria quomodo pasceretur a Domino. A Martha convivium Domino parabatur, in cujus convivio Maria jam jucundabatur. » Et rursum : « Transit labor multitudinis, et remanet charitas unitatis. » Laurentius Justinianus, lib. *De Ligno vitæ*, tract. *De orat.*, cap. VIII : « Activa vita, ait, habet sollicitum cursum, contemplativa gaudium sempiternum ; in hac acquiritur regnum, in illa percipitur ; hæc facit pulsare bonorum operum, velut quibusdam manibus januam, ista vocat consummandos in patriam ; in hac contemnitur mundus, in ista videbitur Deus. Sedebit (inquit Propheta de contemplativis) populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ et in requie opulenta. » S. Gregorius, lib. II, hom. 34 *in Ezech.* : « Activa vita, ait, cum corpore deficit. Quis enim in æterna patria panem esurienti porrigat, ubi nemo esuriet ? potum tribuat sitienti, ubi nemo sitit ? quis mortuum sepeliat, ubi nemo moritur ? Cum præsenti ergo sæculo vita aufertur activa, contemplativa autem hic incipitur, ut in cœlesti patria perficiatur ; quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescit. »

Vide et Cassianum, *Collat.* I, cap. X, ubi inter cætera ait : « In futuro sæculo cuncti ab hac multiplici, id est actuali operatione, ad charitatem Dei et divinarum rerum contemplationem perpetua cordis puritate transibunt. » Tali ergo recte dicas illud Poetæ :

> Nulla te cœlo rapiet vetustas,
> Tu comes Phœbo, comes ibis astris,
> Jure perenni.

Nota contra Calvinum, Martham gerere typum vitæ activæ, Mariam vitæ contemplativæ, dum sedet, dum tacet, dum interpellata non respondet, quæ denique intus rapta, foris insensibilis redditur, ait S. Bernardus, serm. 3 et 5 *De Assumpt. B. Virg.* Ita S. Augustinus, Basilius, Hieronymus, Gregorius, Cassianus, Beda et alii, quos fuse citat Maldonatus. Quid vero est contemplatio ? Respondet S. Augustinus (vel quisquis est auctor), lib. *De Spiritu et Anima*, cap. XXXII : « Est perspicuæ veritatis jucunda admiratio. ». S. Bernardus vero : « Contemplatio est mentis in Deum suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans. » Et alibi : « Est verus certusque intuitus animæ de quacumque re, sive apprehensio veri non dubia. » Richardus de S. Victore : « Est libera mentis perspicacia, in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa. » Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, lib. *De Medit.*, consider. 12, ex Hugone et Richardo de S. Victore : « Contemplatio, ait, est liber et expeditus mentis intuitus in res perspiciendas usquequaque diffusus, et est sublevatæ mentis jubilum, mors quædam carnalium desideriorum, hoc est gustare quam suavis est Dominus. » Uti gustabat David jubilans, *Psal.* LXXXIII : « Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum. » Et *Psal.* LXXII, 26 : « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram ? defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. »

Contemplatio quid?

Jam actus et officia vitæ activæ et contemplativæ ita describit S. Gregorius, lib. II, hom. 14 in *Ezech.* : « Activa vita est panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispensare, et commissis nobis qualiter subsistere valeant, providere. Contemplativa vero vita est charitatem quidem Dei et proximi tota mente retinere, sed ab exteriore actione quiescere, soli desiderio conditionis inhærere, ut nil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat ; ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare,

Activa vita.

Contemplativa.

(1) Rectius ad litteram : Maria sapienter prætulit studium cognoscendi doctrinam salutarem, neque ab hac occupatione avocari debet ad labores alios minus necessarios ; desine ergo, o Martha, petere ut laborum parte te sublevet.



totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere. »

Porro S. Thomas, II II, *part. Quæst.* CLXXX, art. 7 : « Vita contemplativa, ait, præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas. » Et postea : « Vita contemplativa, licet principaliter consistit in intellectu, principium tamen habet in affectu ; in quantum videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio, inde est quod etiam terminus et finis contemplativæ vitæ habet esse in affectu ; dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur, et ista delectatio rei visæ amplius excitat amorem. »

Vita ergo contemplativa, quæ est jugiter Deo inhærere, facit hominem toto mundo altiorem, ut conversetur in cœlis, ibique mente fixus terrena omnia tam prospera quam adversa, velut exilia sub se posita despiciat, nec magnum quid æstimet nisi Deum et divina. Hæc proinde est charissima Dei sponsa, quæ pacatissime et jucundissime in sola divinarum rerum meditatione conquiescit, dicitque : « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » Causam dat S. Bernardus, serm. 29 *in Cant.* : « Tranquillus Deus tranquillat omnia, et quietum aspicere, quiescere est. » Vita contemplativa acquiritur per vitam activam, puta per mortificationem, contemptum rerum omnium quæ in mundo sunt, silentium, custodiam cellæ, officia charitatis cæterarumque virtutum. « Sicut enim flos præcedit fructum, sic vita cœnobitica eremiticam, » id est activa contemplativam, ait S. Sabas, ut habetur in Vita S. Joannis Silentiarii. Quocirca S. Basilius, Cassianus, Dorotheus et alii ascetæ docent inchoandum esse studium virtutis in vita activa et cœnobitica ; inde pergendum ad vitam contemplativam et solitariam. Vide inter alios nostrum Jacobum Alvarez de Paz, tom. III, ubi fuse tractat de vita contemplativa, ac quindecim ejus gradus assignat.

Via ad contemplationem.

Denique nota Ecclesiam recte et apposite hæc legere in festo Assumptionis B. Virginis, tum quia B. Virgo officiosissima fuit Christi hospita ; tum quia ipsa utrumque officium Marthæ, scilicet et Magdalenæ perfecte obivit ; tum quia ipsa optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Vide nostrum P. Canisium, lib. V *Marialis*, cap. VII. Audi S. Idelphonsum, serm. 3 *De Assumpt.* : « De ista dicitur, inquit, optimam partem elegit, quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit, et idcirco promeruit, ut Dei Filius ex ea corpus nostræ redemptionis susciperet. »

Cur hoc Evangelium in festo Assumptionis Deiparæ legitur.

# CAPUT UNDECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus tradit orationem Dominicam, et modum orandi. Secundo, vers.* 14, *ejicit dæmonium, probatque se id facere non in Beelzebub, uti calumniabantur Scribæ, sed in digito Dei. Tertio, vers.* 27, *mulier e turba ei acclamat :* Beatus venter qui te portavit ; *at ipse ait :* Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. *Quarto, vers.* 29, *Judæis signum petentibus dat signum Jonæ, additque Judæos a regina Saba et Ninivitis condemnandos in die judicii. Quinto, vers.* 33, *docet lucernam corporis esse oculum ; illum ergo purum et clarum esse servandum. Sexto, vers.* 38, *invitatus a Pharisæo, notatusque quod illotus ad mensam accederet, acriter vitia Pharisæorum castigat, eisque væ intentat.*

*Primam partem audivimus* Matth. VI, 9, *et* Matth. VII, 7 et 9 ; *secundam*, Matth. XII, 24 ; *quartam* Matth. XII, 39 ; *quintam*, Matth. VI, 22 ; *sextam*, Matth. XXIII ; *superest ergo tertia et particula primæ hic explicanda.*

1. Et factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum : Domine, doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos. 2. Et ait illis : Cum oratis, dicite : Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. 3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. 5. Et ait ad illos : Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes, 6. quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum ; 7. et ille deintus respondens dicat : Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, et dare tibi. 8. Et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

id est *pars*, in Scriptura significat sortem hæreditariam, juxta illud : « Pars mea Dominus, » *Thren.* III, 24. Et : « Dominus pars hæreditatis meæ, » *Ps.* XV. Porro, hic recte sortem vocat Christus « partem, » quia pars bona perfectæ vitæ est sors Marthæ, sive vita activa ; sed melior est pars, id est sors Mariæ, sive vita contemplativa. At vero vita mixta, comprehendens simul actionem et contemplationem, non est pars, sed totum, sive tota perfectio ; atque hujus totius respectu Christus unamquamque vocavit partem ; mixtam ergo vitam egit Christus pernoctans in oratione ac per diem prædicans, Joannes Baptista et Apostoli. Hæc enim est ipsum totum sive perfectum ; quia in ea contemplatio dirigit acuitque actionem.

Mixta vita perfectissima, cur?

QUÆ NON AUFERETUR AB EA. — Quia scilicet contemplatio et occupatio studiumque Mariæ ad verbum audiendum et meditandum, est spiritualis et æternus mentis cibus ; unde perficitur in cœlo per jugem Dei visionem, durabitque in æternum ; cum sors Marthæ sit temporalis, utpote quæ cibum corpori præstat in hac vita duntaxat : in cœlo enim videre, amare et laudare Deum, est otiosum Beatorum negotium, et negotiosum otium. Ita S. Augustinus, Beda, Theophylactus et alii (1). Unde S. Gregorius, lib. VI *Moral.*, cap. XVIII : « Nec auferri unquam, ait, sors Mariæ dicitur, quia activæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ vitæ autem gaudia melius ex fine convalescunt. » Audi S. Augustinum, serm. 27 *De Verbis Dom.* : « A te (o Martha) quod elegisti, auferetur, ut quod melius est detur. Auferetur enim a te labor, ut requies detur. Tu navigas, illa in portu est. Et anterius : Intenta erat Martha quomodo pasceret Dominum ; intenta Maria quomodo pasceretur a Domino. A Martha convivium Domino parabatur, in cujus convivio Maria jam jucundabatur. » Et rursum : « Transit labor multitudinis, et remanet charitas unitatis. » Laurentius Justinianus, lib. *De Ligno vitæ*, tract. *De orat.*, cap. VIII : « Activa vita, ait, habet sollicitum cursum, contemplativa gaudium sempiternum ; in hac acquiritur regnum, in illa percipitur ; hæc facit pulsare bonorum operum, velut quibusdam manibus januam, ista vocat consummandos in patriam ; in hac contemnitur mundus, in ista videbitur Deus. Sedebit (inquit Propheta de contemplativis) populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ et in requie opulenta. » S. Gregorius, lib. II, hom. 34 *in Ezech.* : « Activa vita, ait, cum corpore deficit. Quis enim in æterna patria panem esurienti porrigat, ubi nemo esuriet? potum tribuat sitienti, ubi nemo sitit? quis mortuum sepeliat, ubi nemo moritur? Cum præsenti ergo sæculo vita aufertur activa, contemplativa autem hic incipitur, ut in cœlesti patria perficiatur ; quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescit. »

Vide et Cassianum, *Collat.* I, cap. X, ubi inter cætera ait : « In futuro sæculo cuncti ab hac multiplici, id est actuali operatione, ad charitatem Dei et divinarum rerum contemplationem perpetua cordis puritate transibunt. » Tali ergo recte dicas illud Poetæ :

> Nulla te cœlo rapiet vetustas,
> Tu comes Phœbo, comes ibis astris,
> Jure perenni.

Nota contra Calvinum, Martham gerere typum vitæ activæ, Mariam vitæ contemplativæ, dum sedet, dum tacet, dum interpellata non respondet, quæ denique intus rapta, foris insensibilis redditur, ait S. Bernardus, serm. 3 et 5 *De Assumpt. B. Virg.* Ita S. Augustinus, Basilius, Hieronymus, Gregorius, Cassianus, Beda et alii, quos fuse citat Maldonatus. Quid vero est contemplatio? Respondet S. Augustinus (vel quisquis est auctor), lib. *De Spiritu et Anima*, cap. XXXII : « Est perspicuæ veritatis jucunda admiratio. ». S. Bernardus vero : « Contemplatio est mentis in Deum suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans. » Et alibi : « Est verus certusque intuitus animæ de quacumque re, sive apprehensio veri non dubia. » Richardus de S. Victore : « Est libera mentis perspicacia, in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa. » Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, lib. *De Medit.*, consider. 12, ex Hugone et Richardo de S. Victore : « Contemplatio, ait, est liber et expeditus mentis intuitus in res perspiciendas usquequaque diffusus, et est sublevatæ mentis jubilum, mors quædam carnalium desideriorum, hoc est gustare quam suavis est Dominus. » Uti gustabat David jubilans, *Psal.* LXXXIII : « Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum. » Et *Psal.* LXXII, 26 : « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. »

Contemplatio quid?

Jam actus et officia vitæ activæ et contemplativæ ita describit S. Gregorius, lib. II, hom. 14 in *Ezech.* : « Activa vita est panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispensare, et commissis nobis qualiter subsistere valeant, providere. Contemplativa vero vita est charitatem quidem Dei et proximi tota mente retinere, sed ab exteriore actione quiescere, soli desiderio conditionis inhærere, ut nil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat ; ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare,

Activa in quo.

Contemplativa.

(1) Rectius ad litteram : Maria sapienter prætulit studium cognoscendi doctrinam salutarem, neque ab hac occupatione avocari debet ad labores alios minus necessarios ; desine ergo, o Martha, petere ut laborum parte te sublevet.



totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere. »

Porro S. Thomas, II II, *part. Quæst.* CLXXX, art. 7 : « Vita contemplativa, ait, præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas. » Et postea : « Vita contemplativa, licet principaliter consistit in intellectu, principium tamen habet in affectu ; in quantum videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio, inde est quod etiam terminus et finis contemplativæ vitæ habet esse in affectu ; dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur, et ista delectatio rei visæ amplius excitat amorem. »

Vita ergo contemplativa, quæ est jugiter Deo inhærere, facit hominem toto mundo altiorem, ut conversetur in cœlis, ibique mente fixus terrena omnia tam prospera quam adversa, velut exilia sub se posita despiciat, nec magnum quid æstimet nisi Deum et divina. Hæc proinde est charissima Dei sponsa, quæ pacatissime et jucundissime in sola divinarum rerum meditatione conquiescit, dicitque : « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » Causam dat S. Bernardus, serm. 29 *in Cant.* : « Tranquillus Deus tranquillat omnia, et quietum aspicere, quiescere est. » Vita contemplativa acquiritur per vitam activam, puta per mortificationem, contemptum rerum omnium quæ in mundo sunt, silentium, custodiam cellæ, officia charitatis cæterarumque virtutum. « Sicut enim flos præcedit fructum, sic vita cœnobitica eremiticam, » id est activa contemplativam, ait S. Sabas, ut habetur in Vita S. Joannis Silentiarii. Quocirca S. Basilius, Cassianus, Dorotheus et alii ascetæ docent inchoandum esse studium virtutis in vita activa et cœnobitica ; inde pergendum ad vitam contemplativam et solitariam. Vide inter alios nostrum Jacobum Alvarez de Paz, tom. III, ubi fuse tractat de vita contemplativa, ac quindecim ejus gradus assignat.

Via ad contemplationem.

Denique nota Ecclesiam recte et apposite hæc legere in festo Assumptionis B. Virginis, tum quia B. Virgo officiosissima fuit Christi hospita ; tum quia ipsa utrumque officium Marthæ, scilicet et Magdalenæ perfecte obivit ; tum quia ipsa optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Vide nostrum P. Canisium, lib. V *Marialis*, cap. VII. Audi S. Idelphonsum, serm. 3 *De Assumpt.* : « De ista dicitur, inquit, optimam partem elegit, quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit, et idcirco promeruit, ut Dei Filius ex ea corpus nostræ redemptionis susciperet. »

Cur hoc Evangelium in festo Assumptionis Deiparæ legitur.

# CAPUT UNDECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus tradit orationem Dominicam, et modum orandi. Secundo, vers. 14, ejicit dæmonium, probatque se id facere non in Beelzebub, uti calumniabantur Scribæ, sed in digito Dei. Tertio, vers. 27, mulier e turba ei acclamat :* Beatus venter qui te portavit; *at ipse ait :* Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. *Quarto, vers. 29, Judæis signum petentibus dat signum Jonæ, additque Judæos a regina Saba et Ninivitis condemnandos in die judicii. Quinto, vers. 33, docet lucernam corporis esse oculum; illum ergo purum et clarum esse servandum. Sexto, vers. 38, invitatus a Pharisæo, notatusque quod illotus ad mensam accederet, acriter vitia Pharisæorum castigat, eisque væ intentat.*

*Primam partem audivimus* Matth. VI, 9, *et* Matth. VII, 7 et 9; *secundam*, Matth. XII, 24; *quartam* Matth. XII, 39; *quintam*, Matth. VI, 22; *sextam*, Matth. XXIII; *superest ergo tertia et particula primæ hic explicanda.*

1. Et factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum : Domine, doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos. 2. Et ait illis : Cum oratis, dicite : Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. 3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. 5. Et ait ad illos : Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes, 6. quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum ; 7. et ille deintus respondens dicat : Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, et dare tibi. 8. Et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, et si non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios. 9. Et ego dico vobis : Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. 10. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. 11. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? 12. Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? 13. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? 14. Et erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ. 15. Quidam autem ex eis dixerunt : In Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia. 16. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. 17. Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. 18. Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. 19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? ideo ipsi judices vestri erunt. 20. Porro, si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. 21. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. 22. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet. 23. Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit. 24. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem; et non inveniens, dicit : Revertar in domum meam unde exivi. 25. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam. 26. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. 27. Factum est autem, cum hæc diceret : extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. 28. At ille dixit : Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. 29. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere : Generatio hæc, generatio nequam est; signum quærit, et signum non dabitur ei nisi signum Jonæ prophetæ. 30. Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis, ita erit Filius hominis generationi isti. 31. Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit illos; quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic. 32. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam; quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, et ecce plus quam Jonas hic. 33. Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio : sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. 34. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. 35. Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. 36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te. 37. Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit. 38. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. 39. Et ait Dominus ad illum : Nunc vos, Pharisæi, quod deforis est calicis et catini, mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate. 40. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est, fecit? 41. Verumtamen quod superest, date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis. 42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et præteritis judicium et charitatem Dei : hæc autem oportuit facere, et illa non omittere. 43. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis et salutationes in foro. 44. Væ vobis, quia estis ut monumenta, quæ



non apparent, et homines ambulantes supra, nesciunt. 45. Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi : Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis. 46. At ille ait : Et vobis Legisperitis væ! quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas. 47. Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum! patres autem vestri occiderunt illos. 48. Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra. 49. Propterea et sapientia Dei dixit : Mittam ad illos Prophetas et Apostolos, et ex illis occident, et persequentur; 50. ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista, 51. a sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare et ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione. 52. Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis. 53. Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi et Legisperiti graviter insistere, et os ejus opprimere de multis, 54. insidiantes ei, et quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

2. CUM ORATIS, DICITE : PATER, SANCTIFICETUR NOMEN TUUM. — Matthæus, VI, 6, addit : « Pater noster, qui es in cœlis. » Porro, Matthæus hanc orationem adjungit sermoni Domini in monte, quem initio prædicationis habuit Christus, ut in eo compendium et summam Evangelicæ suæ doctrinæ discipulis proponeret; Lucas vero hic posterius eamdem assignat; vel ergo bis orationem Dominicam docuit Christus, vel potius illam, uti et alia, Matthæus eo loco posuit per prolepsin vel anticipationem, ut simul quasi synopsin totius doctrinæ Christianæ proponeret. Ita Jansenius.

Nota : Matthæus orationi Dominicæ septem dat petitiones; Lucas vero hic quinque : duas ergo omisit, quæ in aliis quinque virtute continentur, nimirum tertiam : « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, » quæ virtute continetur in prima : « Sanctificetur nomen tuum. » Hoc enim fit cum voluntatem Dei facimus. Et septimam : « Sed libera nos a malo, » quæ virtute continetur in sexta : « Et ne nos inducas in tentationem. » Arguuntur hic Pelagiani, inimici gratiæ Christi, qui dicebant neque necessarium esse dicere : « Dimitte nobis; » neque ita illud : « Ne nos inferas, » etc., intelligendum esse, tanquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra positum esse potestate, et ad hoc implendum solam sufficere hominis voluntatem. Ita Concilium Milevitanum II, epist. *ad Innocentem Papam.*

5. ET AIT AD ILLOS (discipulos suos) : QUIS VESTRUM HABEBIT AMICUM, ET IBIT AD ILLUM MEDIA NOCTE (tempore maxime incommodo et importuno) ET DICET ILLI : AMICE, COMMODA MIHI TRES PANES. — « Commoda, » id est mutuo da : nam commodantur proprie libri, vasa, tapetes, qui iidem numero restituuntur; mutuantur vero panes, frumenta, cibi, qui usu consumuntur, ac proinde iidem non numero, sed specie redduntur (1). Proponit hanc parabolam Christus, ut discipulos doceat non cadere animo, nec desistere si statim in oratione non exaudiantur, verum in ea perseverare et contentius orare, sic enim fore ut a Deo exaudiantur, et impetrent ea quæ postulant. Ita S. Chrysostomus, in *Catena* Titus, Euthymius, Jansenius et alii.

6. QUONIAM AMICUS MEUS VENIT DE VIA AD ME, ET NON HABEO QUOD PONAM ANTE ILLUM. — *q. d.* Amicus meus ex itinere fessus et esuriens venit ad me hospitaturus, et non habeo quod apponam illi. Ita Græca et Arabicus.

7. ET ILLE DEINTUS RESPONDENS DICAT : NOLI MIHI MOLESTUS ESSE : JAM OSTIUM CLAUSUM EST, ET PUERI MEI MECUM SUNT IN CUBILI, NON POSSUM SURGERE, ET DARE TIBI. — « In cubili, » id est in cubiculo; Syrus, *in lecto*. Excusat ergo se non posse surgere et dare panes, « ne filios expergefaciat, » ait Euthymius, totamque familiam turbet.

8. ET SI ILLE PERSEVERAVERIT PULSANS; DICO VOBIS, ET SI NON DABIT ILLI SURGENS EO QUOD AMICUS EJUS SIT, PROPTER IMPROBITATEM TAMEN EJUS SURGET, ET DABIT ILLI QUOTQUOT HABET NECESSARIOS. — « Propter improbitatem; » Græce ἀναίδειαν, id est *impudentiam*, inverecundiam, *importunitatem*, ut vertit Arabicus; sic dicimus : « Labor improbus omnia vincit; » *improbus*, id est assiduus, indefessus. Audi S. Augustinum, serm. *De Verbis Dom.*, cap. v : « Quid est propter improbitatem? quia pulsare non destitit; quia et cum esset negatum, se non avertit. Ille qui nolebat dare quod petebatur, fecit, quia ille in petendo non defecit. Quanto magis dabit Deus bonus, qui nos hortatur ut petamus, cui displicet si non petamus. » Vult enim Deus nos in oratione esse perseverantes usque ad importunitatem,

(1) « Tres panes. » Panes in Oriente erant tenues et formam placentarum habebant. Præterea tenendum est apud Hebræos non usitatas tabernas pistorias, sed familiam quamlibet sibi panem coquere solitam esse.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eaque delectatur, vultque nos magno affectu instare, pulsare, urgere et quasi cogere Deum ad dandum. « Hæc vis grata Deo, » ait Tertullianus, lib. *De Orat.*

9. ET EGO DICO VOBIS : PETITE, ET DABITUR VOBIS. — Arabicus, *petite, et donabimini.* Vide dicta *Matth.* VII, 7.

12. AUT SI PETIERIT OVUM. — Lucas hoc addit atthæc. Porro, ova petunt pueri, ut cito crescant adolescantque; ova enim valde nutriunt, statimque vertuntur in sanguinem. Unde « ovum est pullus liquidus, » ait ille ; aves enim ex ovo excludunt pullum. Hinc Isidorus, lib. XII; Origenes,
Unde dicta ova? cap. VII : « Ova, ait, dicta ab eo, quod sint uvida : unde et uva, eo quod intrinsecus humore sit plena. Nam humidum est quod exterius humorem habet, uvidum quod interius. »

Vers. 27. 27. FACTUM EST AUTEM, CUM HÆC DICERET, EXTOLLENS (præ amore et admiratione doctrinæ et virtutis Christi) VOCEM QUÆDAM MULIER DE TURBA, DIXIT ILLI : BEATUS VENTER QUI TE PORTAVIT, ET UBERA QUÆ SUXISTI. — *q. d.* Adeo magnus, divinus et beatus es, o Jesu, ut propter te beata quoque sit mater quæ te genuit et lacte aluit. Hinc beatam dicit matrem, non patrem, quia sexui suo favens, similis filii se matrem fieri exoptat. Adde, a Spiritu Sancto illam excitatam fuisse, ut in hæc verba, quæ Christum ex matre virgine sine patre conceptum et natum significant, etiamsi idipsa nesciret, nec intelligeret, prorumperet.
Quænam hæc mulier laudans uterum Deiparæ? S. Marcella. Suspicantur nonnulli mulierem hanc fuisse S. Martham, aut potius S. Marcellam, S. Marthæ ancillam, quæ S. Martham Massiliam comitata est ejusque vitam conscripsit; nam paulo ante, in fine cap. præced., Christus agebat Bethaniæ in domo Marthæ. Si enim fuisset Martha, utique nominasset eam Lucas, uti toties eam nominavit cap. præced. Marcella autem amore Christi fervens, ob hanc liberam Christi laudem Scribarum iras incurrit; ut ab eis paulo post Christi mortem, cum Martha, Magdalena et Lazaro navi sine velis et remis ad certum exitium sit imposita, sed Deo nauclero eam dirigente, salva cum omnibus Massiliam appulit. Dixi *suspicantur*, quia hac de re nulla extat certa scriptura vel traditio.

Encomia B. Virginis. BEATUS VENTER QUI TE PORTAVIT. — Fuit enim hic venter templum, thalamus, cœlum, thronus gloriæ Filii Dei. Cogita ergo quantis gratiæ donis fuerit exornatus, ut dignus fieret Deo. Rursum quam sanctus esse debuit hic venter, quam ipsa Dei sanctitas per novem menses non solum inhabitando, sed et carnem et alimenta ex eo sumendo, sanctificavit sibique consecravit. Quocirca huc alludens Ecclesia B. Virgini crebro accinit : « Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium; et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum. » Unde Methodius, orat. *in Hypapantem* : « Tu, ait, cuncta continentis et comprehendentis comprehensio. Tu illa gestatrix ejus qui verbo suo portat universa. »

Ipsa est ergo ferculum veri Salomonis, de quo dicitur, *Cant.* III, 9 : « Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani : columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Jerusalem. » Vide ibi dicta.

Quocirca Gregorius Nicomedinus, orat. *De Præsent. Virgin.*, illam nuncupat, « thronum gloriosum et regium vehiculum, quo vectum Verbum cum carne advenit. » Et S. Bernardus, serm. 7 in psalm. *Qui habitat* : « Magnus, inquit, ille Ignatius in pluribus quas ad eam conscripsit epistolis, Christiferam consalutat : egregius sane titulus, et commendatio honoris immensi; nempe cui servire regnare est; gestare hunc non onerari est, sed ornari. » Idem in illud *Apocal.* XII, *Signum magnum* : « Quam familiaris, ait, ei facta es, Domina, quam proxima, imo quam intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud Deum! in te manet, et tu in eo; et vestis eum, et vestiris ab eo : vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suæ majestatis; vestis solem nube, et sole ipsa vestiris. »

B. Virgini igitur magis accinas, quam Judith cæso Holopherne, illud cap. XV : « Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, etc., ideo manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum. » Audi Patres hisce elogiis illam salutantes, Nazianzenum in tragœdia cui titulus : *Christus patiens* :

Regina, domina generis humani bona,
Amica semper esto tu mortalibus;
Maximaque quovis in loco mihi salus.

S. Cyrillus, orat. *Contra Nestorium* : « Sit, ait, tibi, sancta mater Dei, laus; tu enim es pretiosa margarita orbis terrarum, tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei. » S. Chrysostomus, serm. *De Deipara* : « Ave, mater, cœlum, thronus, Ecclesiæ nostræ decus, gloria, firmamentum. » S. Ephrem, serm. *De Laudibus Virgin.*, camdem salutat « unicam spem Patrum, gloriam Prophetarum, præconium Apostolorum, honorem Martyrum, lætitiam Sanctorum, et lumen probatissimorum, Abraham, Isaac et Jacob, decus Aaron, splendorem Moysis, Gedeonis vellus, et cœtus Hierarcharum, omniumque Sanctorum ac Virginum coronam, ob immensum fulgorem atque splendorem inaccessum. »

28. AT ILLE DIXIT : QUINIMO BEATI, QUI AUDIUNT VERBUM DEI, ET CUSTODIUNT ILLUD. — « Quinimo, » Græce μενοῦνγε, id est *imo potius*; S. Augustinus, lib. *De Virgin.*, cap. III, et tract. 10 in *Joannem*, vertit, *immo*; Euthymius, *vere*; Jansenius, *certe*. Non igitur negat Christus matrem suam esse beatam, ut vult Calvinus; sed tantum ait beatiores esse qui verbum Dei audiunt et custodiunt, id est opere adimplent; quia, ut ait Euthymius, « custodia sermonis Dei, est ejus adimpletio, » assidua, continua, perseverans.



Ratio a priori est, quia esse matrem Dei, est præcise gratia gratis data, et externa duntaxat, non gratum faciens; sed audire et custodire verbum Dei, est gratia interna gratum faciens. Rursum esse matrem Dei præcise non facit matrem beatam, ut fruatur Dei visione et gloria æterna; at custodire verbum Dei perseveranter usque ad finem vitæ, perducit hominem ad Dei visionem et æternam gloriam. Insuper, quia esse matrem Dei, singulare est privilegium unius Virginis; at audire et custodire verbum Dei, est commune omnibus fidelibus et sanctis. Vult enim Christus solari mulierem, quæ dixerat : « Beatus venter qui te portavit; » *q. d.* Tu beatam dicis matrem meam, quod me talem filium genuerit, atque tacite similem beatitudinem optas dolesque forte quod talis filius tibi non obtigerit; at ego solidiorem et meliorem beatitudinem tibi offero, quæ omnibus eam volentibus competit, nimirum assero te beatam, imo beatiorem fore, si Verbum Dei audias et custodias : nam et mater mea beatior fuit, quod me mente quam quod ventre conceperit, adeoque nisi me mente concepisset, misera fuisset, ac gratiæ et gloriæ expers, imo nisi me prius mente concepisset, indigna fuisset, quæ me ventre conciperet; decebat enim matrem Dei futuram, esse purissimam et sanctissimam. Audi S. Augustinum, locis jam citatis : « Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset. Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. » Vide dicta *Matth.* XII, 50.

34. LUCERNA CORPORIS TUI, EST OCULUS TUUS. — « Oculus » symbolice, est ratio, mens ac præsertim intentio bona; quod enim oculus est corpori, hoc ratio et intentio est animo. Vide dicta *Matth.* VI, 21.

SI OCULUS TUUS FUERIT SIMPLEX (purus, limpidus, clarus), TOTUM CORPUS TUUM LUCIDUM ERIT, — utpote ab oculo claro clare illustratum.

36. SI ERGO CORPUS TUUM TOTUM LUCIDUM FUERIT, etc., ERIT LUCIDUM TOTUM. — Non corpus, ne sit tautologia et futilis rei dictæ repetitio; sed totum absolute, hoc est quidquid homo habet in corpore vel circa corpus : id est totus homo lucidus erit omnesque ejus potentiæ cum actibus inde prodeuntibus. Ita Maldonatus. Aliter Toletus : Si oculus; id est prima et nobilissima pars corporis, puta oculus tuus, inquit, lucidus fuerit, fiet ut per eum totum corpus illustretur, fiatque lucidum. Hic enim sensus est planus, ac forte pro σῶμα, id est corpus, legendum est ὄμμα, id est oculus (1).

37. ET CUM LOQUERETUR, ROGAVIT ILLUM QUIDAM PHARISÆUS UT PRANDERET APUD SE, ET INGRESSUS RECUBUIT. — « Cum loqueretur, » id est cum loquendo quadam vice doceret populum. Ita S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. XXXIX; Beda, Jansenius et alii; licet Maldonatus ad proxime præcedentia referat, *q. d.* Cum hæc, quæ paulo ante dicta sunt, loqueretur, « rogavit, » non animo sincero, sed ut Christum observaret, notaret et carperet, ut patet ex sequent. vers. 53 et 54. « Recubuit, » non lavans manus iis cæremoniis quibus Pharisæi id faciebant.

38. PHARISÆUS AUTEM CŒPIT INTRA SE REPUTANS DICERE, QUARE NON BAPTIZATUS ESSET ANTE PRANDIUM. — « Cœpit dicere, » Græce ἰδὼν ἐθαύμασεν, id est *videns admiratus est*, quod scilicet Jesus traditionem seniorum in lavando non servaret : sic et Syrus. « Baptizatus esset, » id est lotus, præsertim manibus, non solis, sed brachiis usque ad cubitum, juxta ritum Pharisaicum. Vide dicta *Matth.* cap. XV, 1. Pharisæi enim suam sanctitatem ponebant in hisce cæremoniis, ac præsertim crebris magnisque lotionibus : lavabant ergo manus, sed illotam fœdamque gerebant mentem.

39. ET AIT DOMINUS AD ILLUM : NUNC VOS, PHARISÆI, QUOD DEFORIS EST CALICIS ET CATINI, MUNDATIS : QUOD AUTEM INTUS EST VESTRUM, PLENUM EST RAPINA ET INIQUITATE. — *q. d.* Corpus lavatis, at conscientiam a sceleribus non abluitis. *Tò nunc* sonat contemptum et acrimoniam reprehensionis. Vide dicta *Matth.* XXIII, 25.

41. VERUMTAMEN QUOD SUPEREST DATE ELEEMOSYNAM : ET ECCE OMNIA MUNDA SUNT VOBIS. — *Tò quod superest*, non legunt S. Ambrosius, S. Augustinus, serm. 3 *De Verb. Domini*; S. Cyprianus, lib. III *ad Quirin.*, cap. I; Origenes, hom. 2 *in Levit.*; et Chrysostomus, hom. 51 *in Matth.*, quasi illud sufficienter contineatur in τῷ *date eleemosynam* : hæc enim datur ex eo quod nobis superest, puta ex superfluo; at vero Romana Biblia et cætera Latina illud legunt, æque ac Theophylactus, Euthymius, Beda hic, et S. Basilius in *Regulis Brevior.*, resp. 271; ac Cyrillus, lib. II *in Levit.*; et S. Augustinus, *Enchir.* cap. LXXVI.

Pro « quod superest, » Græce est τὰ ἐνόντα, id est *inexistentia*, sive ea quæ insunt : quod primo simpliciter et plane exponas, *q. d.* Ea quæ adsunt et supersunt vobis, date in eleemosynam; unde Tertullianus, lib. IV *Contra Marc.*, cap. XXVII, legit : « date quæ habetis in eleemosynam, et omnia munda erunt vobis, » *q. d.* Quidquid habetis superfluum, convertite in eleemosynam, et sic mundabimini ab omnibus peccatis. Hinc S. Basilius loco jam citato, et Euthymius τὰ ἐνόντα exponunt, *q. d.* Ea quæ habetis reposita et condita; Quod pro quid. Respon. Primo.

(1) Commendabilis atque probabilis hujus vers. interpretatio vix proferri potest. Nam si versum a tautologia liberes, eamdem in vers. 34 sententiam reperias necesse videtur. Quapropter Kuinoel et alii censent hunc vers. compositum esse ex interpretamentis atque glossematis a grammaticis ad vers. 34 adscriptis. Neque enim loco parallelo *Matth.* VI, 23, hæc verba leguntur, iisque h. l. omissis omnia optime cohærent. An temeritatis nota hæc opinio absolvi debeat, judicet sapientissimus lector.

Vatablus, ea quæ suppetunt, quæ necdum consumpta sunt; Beda, *quod superest*, id est « quod necessario victui et vestimento, inquit, superest; » alii *quod superest*, id est quod habetis præter rapinam : quod scilicet non rapuistis; raptum enim restituendum est, nec dari potest in eleemosynam. Alii efficacius τὰ ἐνόντα, exponunt, quidquid vobis facultatum est et adest; *q. d.* Quidquid habetis et potestis dare pro virili parte, largas facite eleemosynas ; multa rapuistis, et multa peccastis, multis ergo eleemosynis culpas et rapinas vestras redimite, uti Daniel, cap. IV, consuluit Nabuchodonosori.

*Secundo*, Toletus τὰ ἐνόντα, id est *inexistentia*, censet opponi externis quæ deforis sunt; dixerat enim Christus, vers. 39, Pharisæos quod deforis est catini mundare, interiora vero eorum plena esse iniquitate, *q. d.* Vos, o Pharisæi, sat mundatis catinos et calices exterius, sed interius pleni estis rapina; quia escam et potum qui est in catinis et calicibus, rapuistis : illud ergo interius mundate et expurgate, post rapti restitutionem, per eleemosynam, rapinæ enim expiandæ sunt contrario, puta liberali eleemosyna, quæ scilicet detur non ex alieno et rapto, sed ex suo et proprio. Unde Zachæus : « Si, ait, aliquem defraudavi, reddo quadruplum; » deinde pro satisfactione rapti, vel injuste accepti, addit : « Dimidium bonorum meorum do pauperibus, » *Luc.* XIX, 8 (1).

*Tertio*, Theophylactus τὰ ἐνόντα, exponit ea quæ insunt cordi vestro, quæ in corde sedent, id est quibus affixum est cor vestrum, scilicet opes et divitias, ob quas congerendas committitis rapinas : quasi Christus hic radicem morbi evellere conetur, scilicet nimium amorem opum.

*Quarto*, et nervosius, τὰ ἐνόντα, id est *inexistentia*, sive ea quæ insunt rei, sic accipias, *q. d.* Si vultis ut dicam quod res est, si rerum summam intimamque veritatem audire vultis. Unde Syrus vertit, *id quod est*, id est rei caput et conclusio; Arabicus vertit, *ante omnia*; Noster, *quod superest*; *q. d.* Unicum vobis tantorum malorum remedium superest, scilicet eleemosyna; « quod tam multo scelere præoccupatis, solum remedium restat, » ait Beda; sic et Franciscus Lucas.

Denique nonnulli τὰ ἐνόντα, vertunt, *licita*; τὸ ἐνὸν enim est id quod licet, *q. d.* Date ea quæ licet dare; scilicet propria, non aliena; libera, non obligata filiis et familiæ alendæ, vel aliis alio quovis titulo.

ET ECCE OMNIA MUNDA SUNT VOBIS. — Nonnulli censent hoc a Christo ironice dici, *q. d.* Vos, o Pharisæi, putatis omnes vestras rapinas et crimina expiare eleemosyna, sed erratis. Quid enim prodest una manu dare, altera rapere? Verum passim Patres et Interpretes asserunt, hoc serio a Christo dictum; sed quo sensu? *Primo*, nonnulli hinc putarunt rapinas et furta a Deo remitti per eleemosynam, sine prævia restitutione. Ita Græci, si credimus Guidoni Carmelitæ; et S. Augustinus, *Enchir.* cap. LXXV, asserit hac Christi voce nonnullos abusos ut flagitiose viverent, putantes se fore puros et salvos, si facerent eleemosynas. Verum hic manifestus est error; nam, ut ait S. Augustinus, « Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum. » Restitutio enim alieni debita est omni jure, naturæ, divino et humano.

*Secundo*, S. Augustinus, serm. 30 *De Verb. Domini*, per eleemosynam accipit omne opus bonum, etiam pœnitentiæ, quo omne peccatum tollitur. « Quomodo enim, inquit, misericors es alteri, si crudelis es tibi? Miserere, inquit, animæ tuæ placens Deo. » Qui ergo de peccatis suis pœnitet, insignem animæ suæ facit eleemosynam. Et Beda : Eleemosyna est, ait, quidquid utili miseratione fit, ut parcendo, orando, corripiendo, etc. Sic sensus erit, *q. d.* Date eleemosynam, studete bonis operibus, præsertim charitatis et pœnitentiæ; hæc enim vos mundos efficient.

*Tertio*, et genuine, « omnia munda sunt vobis, » *q. d. Omnia*, scilicet interna et externa, anima et corpus, quæ vos aqua abluere et mundare putatis, longe melius et verius mundantur et lavantur per eleemosynam debito modo factam, scilicet ex propriis (hæc enim sunt τὰ ἐνόντα, ut dixi); lavantur, inquam, quia eleemosyna remittit peccata venialia ac pœnam mortalibus debitam; ad hæc disponit ad remissionem mortalium : impetrat enim a Deo gratiam excitantem ad pœnitentiam, qua peccata abolentur. Denique reipsa eleemosyna remittit mortalia, si fiat ex vera contritione; hæc enim includit amorem Dei super omnia, qui peccatum omne excludit.

Sensus ergo est, *q. d.* Eleemosyna omnia mundat; subaudi : si cætera, quæ alibi ad peccati remissionem Scriptura requirit, adsint, puta fides, spes et contritio, ac injuste ablatorum restitutio. Rursum omnia mundat, nisi te aliunde rursum inquines, et rapina aliove scelere immundum efficias : sic Christus et Paulus salutem tribuunt fidei, at non soli, sed pœnitentia et charitate formatæ, uti sæpius monui.

Nota : Eleemosyna omne quidem peccatum tollit, uti explicant Origenes, Cyprianus, Ambrosius, sed maxime sibi oppositum rapinæ et iniquitatis (ait S. Basilius, loco citato) de qua vers. 39, huic enim illam subjungit, et quasi remedium opponit Christus. Eleemosyna enim et liberalitas sanat ipsam mali radicem, scilicet Pharisæorum avaritiam; ex hac enim oriuntur rapinæ, invidiæ et aliæ iniquitates : qui autem liberalis est et misericors, nemini invidet, nullius bona rapit, nemini facit injuriam. Quocirca « eleemosyna est filia deificantis charitatis, » ait Theophylactus; et S. Cyrillus, in *Catena* : Eleemosyna, ait, facit omnia munda; et jejunio est præstantior : non parvum eleemosynæ cataplasma, cum valeat omnibus apponi vulneribus. Vide dicta *Daniel.* IV, 24.

Cætera quæ hic subdit Lucas, audivimus *Matth.* XXII.

45. RESPONDENS AUTEM QUIDAM EX LEGISPERITIS, AIT ILLI : MAGISTER, HÆC DICENS, ETIAM CONTUMELIAM NOBIS FACIS. — Græce ὑβρίζεις, id est probro et injuria nos afficis, nos inhonoras, vituperas, dedecoras, honorem nostrum adimis; nobis enim multa graviaque scelera objicis, idque non clanculum, sed palam et in os : hoc enim proprie est contumelia, quæ in hoc differt a detractione, quod hæc clanculum et secreto fiat, illa vero palam in os; unde illa famam proximi, hæc proprie ejus honorem lædit vel aufert. Verum Christus taxabat hic Scribarum scelera, non illo animo, ut eos dedecoraret, sed ut illa tolleret ipsosque ad vitæ emendationem promoveret; aut certe si ipsi id facere nollent, eis auctoritatem adimeret, ne populus eis fidem haberet, eorumque pravam vitam et doctrinam sequeretur. Ita Cyrillus, in *Catena* : « Redargutio, ait, quæ mansuetos transfert in melius, superbis intolerabilis esse solet. » Et Beda : « Quam misera, ait, conscientia, quæ audito Dei verbo contumeliam sibi fieri putat! » Ita etiamnum improbi, dum concionatores vitia, quorum ipsi sibi conscii sunt, castigant, censent sibi ab eis contumeliam fieri, ideoque eos persequuntur et insectantur (1).

47. VÆ VOBIS, QUI ÆDIFICATIS MONUMENTA PROPHETARUM; PATRES AUTEM VESTRI OCCIDERUNT ILLOS.

48. PROFECTO TESTIFICAMINI QUOD CONSENTITIS OPERIBUS PATRUM VESTRORUM : QUONIAM IPSI QUIDEM EOS OCCIDERUNT, VOS AUTEM ÆDIFICATIS EORUM SEPULCRA. — Christus non reprehendit hic Scribas, eo quod ædificarent Prophetis sepulcra splendida, illorumque virtute et sanctitate digna : hoc enim laudabile est et pium; sed quod hæc eis ædificando, simul alios Prophetas, scilicet Christum et Apostolos, persequerentur vellentque occidere, ut patet ex seq. hic, et *Matth.* XXIII; *q. d.* Recte, congrue et apposite facitis, o Scribæ, ut, cum patres vestri Prophetas occiderint, vos quasi homicidarum filii et parvuli, eosdem sepeliatis, sicut latrones solent viatores quos occiderunt, per se vel filios suos sepelire; licet enim videamini eos sepelire ex reverentia et zelo pio, tamen quia parentes vestros imitamini, dum mihi meisque mortem machinamini, estisque homicidæ homicidarum filii, recte et apposite ita accidit, ut ipsi Prophetas occiderint, vos eos sepeliatis, quasi implentes mensuram patrum vestrorum : pejus enim et sceleratius est me occidere, quod vos destinatis, quam si quis eum quem occidit, sepeliat. Quia ergo me vultis occidere, ostenditis quod patrum vestrorum Propheticidarum vestigia sequamini, ac proinde quod eorum sepulcra ædificetis, id non faciatis ex studio pietatis, sed vanitatis et hypocrisis, ut scilicet hoc pietatis fuco cædem, quam mihi paratis, contegatis et honestetis. Sic fere Euthymius, ut patet ex *Matth.* XXIII, 29. Vide ibi dicta. Hinc et noster Suarez sic explicat : Quia majores vestros imitamini in persecutione Christi et Apostolorum, videmini magis sepulcra ædificare in memoriam egregii operis ab interfectore patrati, quam ob misericordiam et honorem Prophetæ ab eo interfecti.

An Christus Scribas de splendidis Prophetarum sepulcris arguat.

52. VÆ VOBIS LEGISPERITIS, QUIA TULISTIS CLAVEM SCIENTIÆ : IPSI NON INTROISTIS, ET EOS QUI INTROIBANT, PROHIBUISTIS. — *q. d.* Vos, o Scribæ, a populo abstulistis, vobis vindicastis, et, ut S. Ambrosius ait, usurpastis (hoc enim est Græcum ἤρατε) clavem scientiæ, id est potestatem, auctoritatem et officium docendi et interpretandi legem et sacras Scripturas, ac per eas indicandi verum Messiam (qui non est alius quam ego) veramque viam ad salutem, ut nemo eam scire possit vel audiat, nisi vobis eam doctrina vestra aperientibus. Usurpastis, inquam, et depravastis illam, itaque populum a me Christo, ac salute quam ego affero, avertistis, atque hac ratione quasi abstulistis clavem cœli, ut nemo illud, utpote clausum, ingredi valeat. Unde Matthæus id explicans, dicit, cap. XXIII, 13 : « Clauditis regnum cœlorum ante homines : vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. » Vide ibi dicta. Ita S. Ambrosius, Tertullianus, lib. IV *Contra Marc.*, cap. XXVII. Accedit S. Cyrillus, in *Catena*, qui per « clavem scientiæ » accipit legem, quæ erat signum justitiæ Christi. Additque : Est etiam fides clavis scientiæ, per eam enim fit veritatis

Quænam hic clavis scientiæ?

(1) Hæc Toleti sententia magis arridet, solaque *ad litteram* retinenda est.

(1) Legisperitos, Græc. νομικοὺς, seu νομοδιδασκάλους, diversos fuisse a Scribis, Græc. γραμματεῦσι, haud pauci interpretes immerito statuunt. Illos enim eosdem esse apparet, tum quia, sicut sæpissime Scribæ, sic et Legisperiti una cum Pharisæis nominantur; tum quia, quem Matthæus (XXII, 35) νομικὸν, eum Marcus (XII, 28) Scribam appellavit; tum demum quia, quos Lucas (V, 17) prius dixerat νομοδιδασκάλους, eos paulo post (V, 21), æque ac Marcus (II, 6) eamdem rem narrans, Scribas dixit. Ne putes tamen hæc nomina, νομικὸς scilicet, νομοδιδάσκαλος et γραμματεὺς, idem prorsus sonare; nam illa proprie sonant scientiam qua, qui sic appellabantur, præditi erant, hoc vero publicam ac politicam scientiæ hujus professionem.

Neque hic notari indignum est, Scribis quos, non legum solummodo, sed et morum, usuum, consuetudinum cæterarumque tum rerum tum doctrinarum, quas acceperant a majoribus, studiosissimos ac tenacissimos Evangelistæ tradunt, arctissimam cum Pharisæis fuisse societatem. Proinde videas utrosque sæpissime consociatos in Evangeliis, usque adeo ut, cum Christus, *Luc.* XI, 45, Pharisæorum mores placitaque perstringit, *respondens quidam ex Legisperitis*, seu Scribis, dicat : *Magister, hæc dicens, etiam contumeliam nobis facis.* Veri igitur omnino simile est maximam Scribarum partem Pharisæorum sectæ adhæsisse. Cavesis tamen alterutros pro alteris habeas, aut utrorumque nomina συνώνυμα existimes, cum *Scriba* sit appellatio officii ac muneris publici, Pharisæus vero sectæ atque instituti. Plura habet Patritius, *op. cit.*, III *Part.*, Dissert. XXIX.

cognitio, juxta illud : « Nisi credideritis, non intelligetis : » isti ergo nec legem ad Christum ducentem, ut oportebat, interpretabantur, nec homines in Christum credere permittebant, itaque viam salutis et cœlum eis occludebant.

Tropologice S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.* : Clavis scientiæ, inquit, est humilitas, quam nec ipsi intelligere, nec ab aliis intelligi volebant. Alludit ad illud *Isaiæ* XXII, 22 : «Dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat. » Vide ibi dicta, æque ac *Apoc.* III, 7, ad illa : « Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit. » Hic est Christus.

53. CUM AUTEM HÆC AD ILLOS DICERET, CŒPERUNT PHARISÆI ET LEGISPERITI GRAVITER INSISTERE (Græce [illegible], id est graviter urgere, premere, constringere; Noster videtur legisse [illegible], id est instare, insistere, ita ut vix manus a vi et verbere continerent, sed eodem redit sensus) ET OS EJUS OPPRIMERE DE MULTIS. — Græce [illegible], id est ab ore ejus elicere, notantes si quid illi excideret, quod arguere possent, uti explicatur vers. sequenti, quod Belgæ vulgo dicunt : « Vermes ex naribus extrahere : » unde alii vertunt, « captiose interrogare; » Euthymius : « extemporales responsiones dolosarum quæstionum expetere; » Theophylactus : « frequenter interrogare, et perplexum facere. » Noster Maldonatus censet nostrum interpretem legisse [illegible], id est os obstruere. Verum Scribæ non volebant Christo os obstruere, sed variis querelis et quæstionibus eum premere, stimulare, stringere, ut cogerent eum aliquid contra legem vel Cæsarem dicere, quo eum accusarent. Dicebant ergo, v. g. Tu, o Jesu, vers. 20, risisti nostras cæremonias et ritus lotionum; ergo tu damnas traditiones patrum nostrorum. Tu, vers. 42, culpasti nos, quod decimemus mentham, etc.; ergo tu carpis legem quæ decimas sanxit. Tu, vers. 43, taxasti nos, quod amemus primas cathedras; ergo redarguis Mosen qui illas nobis assignavit. Tu, vers. 47, carpsisti nos, quod ædificemus monumenta Prophetarum; ergo Prophetas honorari et coli vetas. Tu, vers. 52, eripuisti nobis clavem scientiæ; atqui hanc Synagoga tota nobis attribuit. Vis ergo evertere ordinem hierarchicum Doctorum et Sacerdotum a Deo et Ecclesia sancitum? vis plus sapere quam sapuit Moses? vis legem corrigere et novam inducere?

54. INSIDIANTES EI, ET QUÆRENTES ALIQUID CAPERE (Græce [illegible], id est *venari*) DE ORE EJUS UT ACCUSARENT EUM, — apud Caipham pontificem, vel apud Pilatum, Cæsaris præsidem. Nam, ut ait Euthymius, « putabant repente et de improviso in errorem omnino illum inducere; verum sapientissime dissolvebat omnia facileque respondebat, » quia nil nisi bene præmeditatum respondebat, et quia animo sedato sine ira aliave passione loquebatur : Scribæ enim variis interrogationibus eum pungebant, ut irasceretur, vel certe ex furore animi aliquid diceret liberius vel audacius, quod cavillari possent, uti multi fervore disputandi ultra metas veritatis vel discretionis abripiuntur, dicuntque ea quæ antea non cogitarant et quorum postea eos pœnitet, imo quæ subinde retractare vel luere coguntur. At Christus fervorem animi summa moderatione, prudentia et pace temperabat, ut nil nisi verum, solidum, tranquillum et sanctum loqueretur.

# CAPUT DUODECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus docet primo, fugiendam esse hypocrisin, nec timendos esse homines, qui corpus possunt occidere, sed Deum, qui animam potest perdere; secundo, vers. 13, docet cavendam esse avaritiam, ac nimiam sollicitudinem victus, vestitus, etc., studendum vero eleemosynæ; tertio, vers. 35, monet nos semper paratos esse debere ad diem mortis et judicii, utpote incertam et inopinatam; quarto, vers. 49, asserit se venisse ut ignem, crucem et separationem ab amicis mittat in terram.*

*Primam partem audivimus* Matth. XVI, 6, *et* X, 26 *et seq.*, *et* XII, 32; *secundam magna ex parte* Matth. VI, 20 *et seq.*; *tertiam*, Matth. XXIV, 43 *et seq.*; *quartam ex parte* Matth. X, 34 *et seq. Quare partes secundæ et quartæ hic explicandæ supersunt.*

**1. Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos : Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. 2. Nihil autem opertum est, quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur. 3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur; et quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. 4. Dico autem vobis amicis meis : Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. 5. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. 6. Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? 7. Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus pluris estis vos. 8. Dico autem vobis : Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei; 9. qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. 10. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur. 11. Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis : 12. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. 13 Ait autem ei quidam de turba : Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. 14. At ille dixit illi : Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos? 15. Dixitque ad illos : Videte, et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet. 16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens : Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit; 17. et cogitabat intra se, dicens : Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? 18. Et dixit : Hoc faciam : destruam horrea mea, et majora faciam; et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea, 19. et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare. 20. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti, cujus erunt? 21. Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. 22. Dixitque ad discipulos suos : Ideo dico vobis : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. 23. Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum. 24. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis? 25. Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? 26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? 27. Considerate lilia quomodo crescunt, non laborant, neque nent : dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. 28. Si autem fœnum, quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusillæ fidei? 29. Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis; et nolite in sublime tolli. 30. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. 31. Verumtamen quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. 32. Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. 33. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit. 34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. 35. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris; 36. et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. 37. Beati servi illi quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis. 38. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. 39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. 40. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. 41. Ait autem ei Petrus : Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes? 42. Dixit autem Dominus : Quis, putas, est**



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cognitio, juxta illud : « Nisi credideritis, non intelligetis : » isti ergo nec legem ad Christum ducentem, ut oportebat, interpretabantur, nec homines in Christum credere permittebant, itaque viam salutis et cœlum eis occludebant.

Tropologice S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.* : Clavis scientiæ, inquit, est humilitas, quam nec ipsi intelligere, nec ab aliis intelligi volebant. Alludit ad illud *Isaiæ* XXII, 22 : «Dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat. » Vide ibi dicta, æque ac *Apoc.* III, 7, ad illa . « Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit. » Hic est Christus.

53. CUM AUTEM HÆC AD ILLOS DICERET, CŒPERUNT PHARISÆI ET LEGISPERITI GRAVITER INSISTERE (Græce δεινῶς ἐνέχειν, id est graviter urgere, premere, constringere; Noster videtur legisse ἐπέχειν, id est instare, insistere, ita ut vix manus a vi et verbere continerent, sed eodem redit sensus) ET OS EJUS OPPRIMERE DE MULTIS. — Græce ἀποστοματίζειν, id est ab ore ejus elicere, notantes si quid illi excideret, quod arguere possent, uti explicatur vers. sequenti, quod Belgæ vulgo dicunt : « Vermes ex naribus extrahere : » unde alii vertunt, « captiose interrogare; » Euthymius : « extemporales responsiones dolosarum quæstionum expetere; » Theophylactus : « frequenter interrogare, et perplexum facere. » Noster Maldonatus censet nostrum interpretem legisse ἐπιστομίζειν, id est os obstruere. Verum Scribæ non volebant Christo os obstruere, sed variis querelis et quæstionibus eum premere, stimulare, stringere, ut cogerent eum aliquid contra legem vel Cæsarem dicere, quo eum accusarent. Dicebant ergo . v. g. Tu, o Jesu, vers. 20, risisti nostras cæremonias et ritus lotionum; ergo tu damnas traditiones patrum nostrorum. Tu, vers. 42, culpasti nos, quod decimemus mentham, etc.; ergo tu carpis legem quæ decimas sanxit. Tu, vers. 43, taxasti nos, quod amemus primas cathedras; ergo redarguis Mosen qui illas nobis assignavit. Tu, vers. 47, carpsisti nos, quod ædificemus monumenta Prophetarum; ergo Prophetas honorari et coli vetas. Tu, vers. 52, eripuisti nobis clavem scientiæ; atqui hanc Synagoga tota nobis attribuit. Vis ergo evertere ordinem hierarchicum Doctorum et Sacerdotum a Deo et Ecclesia sancitum? vis plus sapere quam sapuit Moses? vis legem corrigere et novam inducere?

54. INSIDIANTES EI, ET QUÆRENTES ALIQUID CAPERE (Græce θηρεῦσαι, id est venari) DE ORE EJUS UT ACCUSARENT EUM, — apud Caipham pontifi‹em, vel apud Pilatum, Cæsaris præs‹i›dem. Nam, ut ait Euthymius, « putabant repente et de improviso in errorem omnino illum inducere; verum sapientissime dissolvebat omnia facileque respondebat, » quia nil nisi bene præmeditatum respondebat, et quia animo sedato sine ira aliave passione loquebatur : Scribæ enim variis interrogationibus eum pungebant, ut irasceretur, vel certe ex furore animi aliquid diceret liberius vel audacius, quod cavillari possent, uti multi fervore disputandi ultra metas veritatis vel discretionis abripiuntur, dicuntque ea quæ antea non cogitarant et quorum postea eos pœnitet, imo quæ subinde retractare vel luere coguntur. At Christus fervorem animi summa moderatione, prudentia et pace temperabat, ut nil nisi verum, solidum, tranquillum et sanctum loqueretur.

# CAPUT DUODECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus docet primo, fugiendam esse hypocrisin, nec timendos esse homines, qui corpus possunt occidere, sed Deum, qui animam potest perdere; secundo, vers. 13, docet cavendam esse avaritiam, ac nimiam sollicitudinem victus, vestitus, etc., studendum vero eleemosynæ; tertio, vers. 35, monet nos semper paratos esse debere ad diem mortis et judicii, utpote incertam et inopinatam; quarto, vers. 49, asserit se venisse ut ignem, crucem et separationem ab amicis mittat in terram.*

*Primam partem audivimus* Matth. XVI, 6, *et* X, 26 *et seq.*, *et* XII, 32; *secundam magna ex parte* Matth. VI, 20 *et seq.*; *tertiam*, Matth. XXIV, 43 *et seq.*; *quartam ex parte* Matth. X, 34 *et seq. Quare partes secunda et quarta hic explicandæ supersunt.*

**1. Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos : Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. 2. Nihil autem opertum est, quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur. 3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur; et quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. 4. Dico autem vobis amicis meis : Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. 5. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. 6. Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? 7. Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus pluris estis vos. 8. Dico autem vobis : Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei; 9. qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. 10. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur. 11. Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis : 12. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. 13 Ait autem ei quidam de turba : Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. 14. At ille dixit illi : Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos? 15. Dixitque ad illos : Videte, et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet. 16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens : Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit; 17. et cogitabat intra se, dicens : Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? 18. Et dixit : Hoc faciam : destruam horrea mea, et majora faciam; et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea, 19. et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare. 20. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti, cujus erunt? 21. Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. 22. Dixitque ad discipulos suos : Ideo dico vobis : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. 23. Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum. 24. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis? 25. Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? 26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? 27. Considerate lilia quomodo crescunt, non laborant, neque nent : dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. 28. Si autem fœnum, quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusillæ fidei? 29. Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis; et nolite in sublime tolli. 30. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. 31. Verumtamen quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. 32. Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. 33. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit. 34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum [e]st. 35. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris; 36. et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. 37. Beati servi illi quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis. 38. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. 39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. 40. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. 41. Ait autem ei Petrus : Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes? 42. Dixit autem Dominus : Quis, putas, est**



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? 43. Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit ita facientem. 44. Vere dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum. 45. Quod si dixerit servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire; et cœperit percutere servos et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari : 46. veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. 47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis; 48. qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. 49. Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? 50. Baptismo autem habeo baptizari; et quomodo coarctor usque dum perficiatur? 51. Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem : 52. erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, et duo in tres 53. dividentur : pater in filium, et filius in patrem suum; mater in filiam, et filia in matrem; socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam. 54. Dicebat autem et ad turbas : Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis : Nimbus venit, et ita fit; 55. et cum Austrum flantem, dicitis : Quia æstus erit, et fit. 56. Hypocritæ, faciem cœli et terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? 57. Quid autem et a vobis ipsis non judicatis quod justum est? 58. Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. 59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

1. Multis autem turbis (Græce τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, id est *myriadibus turbæ* : myrias præcise continet decem millia, sed inde consequenter sumitur pro innumera multitudine, ut fit hic; *concurrentibus* corrige cum Roman.) circumstantibus. — Græce ἐπισυναχθεισῶν, id est simul aggregatis, collectis et adunatis.

2. Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Nihil autem opertum est, quod non reveletur. — *q. d.*, ait Beda : « Attendite ne æmulemini simulatores, quia veniet profecto tempus, in quo et vestra virtus omnibus, et eorum reveletur hypocrisis. »

Cætera explicui *Matth.* x, 26.

6. Nonne quinque passeres veneunt (venduntur) dipondio. — Græce, *duabus assariis.* As vel assarion genus est nummi ærei, quod et libella dictum est, eo quod libræ pondus haberet, quales decem valebat denarius, nummus argenteus : cum ergo denarius valeat quinque stuferos Belgicos, ac decem baiocos Romanos, sequitur quod assarion erat idem quod baiocus : porro assarii duplum dicebatur dipondius, vel dupondius, a duobus ponderibus, quia scilicet duos asses ponderabat. Ita Varro. Porro Matthæus, cap. x, vers. 29, ait : « Nonne duo passeres veneunt asse? » Unde recte et conformiter Lucas hic ait : « Nonne quinque passeres veneunt dipondio? » id est duobus assibus. Recte autem Jansenius notat hæc intelligi de assibus non libralibus, sed sextantariis, vel uncialis, ideoque græce diminutive vocari *assaria.* Assarion enim, ut ait Euthymius, non significat assem, cum sit ejus diminutivum, sed genus minimi nummi et oboli. Vide dicta *Matth.* x, 26.

43. Ait autem ei quidam de turba : Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. — *q. d.* Frater meus mihi injurius, solus vult occupare hæreditatem paternam, nec eam mecum partiri : jube ergo illi ut id faciat. Tu enim tua auctoritate id verbo perficies, quod ego per judices multis litibus perficere non potero : tuum enim est justitiam tueri, et oppressos sublevare; tu enim es justitiæ patronus.

14. At ille dixit : Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos? — « Homo : » sic more Hebræo vocat ignotum, uti et Petrus, xxii, 58 : « O homo, non sum; » et vers. 60 : « Homo, nescio quid dicis. » Sensus est, *q. d.* Hoc judicium est forensium, qui terrenam; non meum, qui cœlestem hæreditatem doceo et dispertior. Non ergo negat hic Christus se habere potestatem judiciariam; ipse enim erat Rex regum, et Dominus dominantium : sed ea hic uti noluit apud hominem cupidum, ut illi cupiditatem eximeret, ac terrena præ cœlestibus contemnere iisque ultro cedere doceret, juxta illud cap. vi, 29 : « Ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. » « Bene terrena declinat, ait S. Ambrosius, qui propter divina descenderat, etc. Unde non immerito refutatur hic frater, qui dispensatorem cœlestium gestiebat corruptibilibus occupare; » simul ut doceret Ecclesiasticos et spirituales viros, sæcularia non debere tractare, sed divina, juxta illud Pauli, II *Timoth.* ii, 4 : « Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus. » Ita S. Ambrosius, Euthymius, Beda, et Lyranus ex S. Augustino, *serm.* 196. Id intellige, nisi fidelium pax, charitas et pietas aliud exigat; qua de causa olim Episcopi sæculares fidelium lites dijudicabant, uti se fecisse testatur S. Augustinus, lib. *De Opere Monachorum*, cap. xxix.



15. Dixitque ad illos (tum discipulos suos, ut habet Syrus, tum ad turbam præsentem; præsertim ad illum qui cum fratre de hæreditate dividenda contendebat) : Videte (in hac contentione fratrum quanta damna inferat avaritia; dum enim unus avare non vult hæreditatem cum fratre dividere, alter nimis cupide et intempestive divisionem urget, oriuntur lites et dissidia fratrum, aut *videte*) et cavete (id est attente cavete, ut sit hendiadys) ab omni avaritia. — Græce πλεονεξίας, id est *cupiditate, q. d.* Non solum cavete a cupiditate rapiendi aliena, sed etiam a nimia aviditate conquirendi vestra; qui enim nimis inhiant opibus terrenis, negligunt cœlestes. Ita Augustinus, *serm.* 28 *De diversis*, explicat τὸ *ab omni* : « Non solum, inquit, avarus est qui rapit aliena, sed etiam ille avarus est, qui cupide servat sua. » Porro Arabicus vertit, *videte et cavete ab omni malo*, quia omnis mali causa est avaritia, juxta illud I *Timoth.* vi : « Radix omnium malorum est cupiditas. »

Quia non in abundantia (Græce ἐν τῷ περισσεύειν, id est *in abundare*) cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet. — *q. d.* Non quia abundat quis opibus, idcirco etiam vita ejus est abundans, ut scilicet sit longior et beatior ob multa quæ possidet; quin potius brevior est et miserior, ob sollicitudinem et luxum, quæ duo multas divitias sequi vel comitari solent. Unde Syrus vertit, *non in abundantia divitiarum est vita*; Arabicus, *quia non est abundantia homini in multis bonis suis, q. d.* Abundantia vitam non prolongat, sed potius abbreviat. Audi Theophylactum : « Non continetur vitæ mensura abundantia : neque enim qui multa possidet, diutius vivit, neque comitatur divitiarum multitudinem vitæ longævitas. » Et Euthymium : « Non quia homo quispiam divitiis abundat, vita ejus abundat ex tali abundantia; non secundum hanc accedit vitæ mensura. »

Sensus est, *q. d.* Tu, o homo, qui avide petis tuam partem hæreditatis a fratre, illam petis ut diutius et commodius vivas. At erras, quia divites, ob curas et epulas quibus indulgent, sæpe brevis et miseræ sunt vitæ; vis ergo diu et commode vivere, sperne opes, esto pauper spiritu, spes opesque tuas in uno Deo repone, Deus enim solus longævitatis et felicitatis est dator; ut hoc ostendat Christus, adhibet sequentem parabolam. Audi S. Ambrosium, *De Abel et Cain*, lib. I, cap. v, in fine : « Si quæris thesauros, accipe invisibiles et occultos, quos in cœlis altissimis, non quos in terrarum venis requiras. Esto pauper spiritu, et eris dives, qualicumque censu; quia non in abundantia divitiarum vita est hominis, sed in virtute ac fide. Istæ divitiæ te verum divitem facient, si sis in Deum dives. »

16. Dixit autem similitudinem (Græce *parabolam*) ad illos, dicens : Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit. — « Ager; » Græce χώρα, id est regio, agrorum multitudo.

17. Et cogitabat intra se, dicens : Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? — En tibi curæ, en paupertas divitis; eget loco qui abundat opibus et loculis. « Hæret, ait Euthymius, et angitur tanquam admodum pauper, quia nimium locuples » indiget loco in quo fruges recondat. Et S. Basilius, *hom.* in hæc Christi verba : « Non redditus fert ipsa terra, ait, sed gemitus producit. Peræque enim ac egestate pressi, miser afflictatur et ejulat dicens : Quid faciam? an non talem edit vocem, cui propter paupertatem angustæ res sunt, quique mendicat? Ex omnibus quibus domi affluit nihil percipit gaudii, sed illa animum ejus pungunt et lancinant. »

Fructus meos. — « Nondum, ait S. Basilius, collegit fructus, et jam avaritiæ judicium incurrit (dum suos nuncupat) : quot enim pericula imminent ante fructuum collectionem! nam et grando sæpe confringit, et æstus ex mediis manibus rapit, et pluvia intempestive e montibus erumpens inutiles facit. »

18. Et dixit : Hoc faciam : destruam horrea mea, et majora faciam (Græce, *majora ædificabo*) et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi (hoc anno), et bona mea — cætera quæ prioribus annis collegi (1). Consilium capit a cupiditate, non a charitate, quæ ei dixisset : Eroga ea in pauperes. Quæris horrea? « habes horrea, scilicet ventres pauperum, » ait S. Basilius; et S. Ambrosius, lib. *De Naboth*, cap. vii : « Habes, ait, apothecas, inopum sinus, viduarum domos, orphanorum et infantium ora; ista sint tibi apothecæ, quæ manent tecum in æternum. » Rursum S. Basilius, *homilia* jam dicta : « Spoliator, ait, est qui cum dispensanda receperit, propria reputat : panis est famelici, quem tenes; nudi tunica, quam servas; indigentis argentum, quod terræ infossum possides : quare tot indigentibus injuriam facis, quot alere posses. » Additque : « Et cum impleveris horrea, quid tum facies cum insequentis messe? Rursus horrea destrues, et majora novaque semper ædificabis : fruges ergo opesque tuas semper in vetera destruendo, et nova ædificando, insumes et absumes, ut in terram suam redeant fruges, quæ a terra natæ sunt, quia tu in pauperes eas erogare non vis,

(1) « Horrea, » seu *granaria*, Græce ἀποθῆκαι, erant cavernæ subterraneæ, ubi Orientis cives frumentum, vinum, oleum, etc., futuris usibus reservare solebant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quia illarum usum hominibus invides, ut omnibus ad te retractis, omnes earum prives utilitate, imo te ipsum : sicut enim frumentum in terram cadens lucrum projicienti parit, sic panis in esurientem projectus multam tibi in posterum reddet utilitatem. »

19. ET DICAM ANIMÆ MEÆ : ANIMA, HABES MULTA BONA POSITA IN ANNOS PLURIMOS : REQUIESCE, COMEDE, BIBE, EPULARE. — Rursum errat et peccat hic dives, *primo*, promittendo sibi annos plurimos, cum sequenti nocte sit moriturus. Qui sibi longa tempora promittebat, *diem sequentem* non vidit, ait S. Gregorius, lib. XXII *Moral.*, cap. VI. Unde S. Cyrillus, in *Catena* : Habes quidem, ait, o dives, in horreis fructus, sed annos plurimos unde habes? *Secundo*, dando se gulæ et luxuriæ, dicens : « Comede, bibe, epulare, quasi Epicureus, quia post mortem nulla voluptas. »

REQUIESCE. — Cum peste avaritiæ jungitur pestis desidiæ, ait Glossa. Unde S. Basilius : « Si porcinam, ait, habuisses animam, quid aliud ipsi enuntiare potuisses? Itane pecuinus tu, ita bonorum animæ ignarus, eam ut exceptes carnalibus epulis, et quæcumque alvi secessus recipit, animæ destines, etc.? Jam quando terrena sapis et Deum habes ventrem, totus quoque caro effectus vitiosis affectibus obsequeris, audi te dignam appellationem : Stulte, hac nocte animam abs te repetent. » Hæc Basilius.

Sapienter monet S. Ambrosius, lib. II *De Interpell. in Job*, cap. V : « Magna, inquit, illecebra delinquendi est, rerum affluentia secundarum; supinat, extollit, oblivionem auctoris infundit, » etc.

20. DIXIT AUTEM ILLI DEUS : STULTE, HAC NOCTE ANIMAM TUAM REPETUNT A TE : QUÆ AUTEM PARASTI, CUJUS ERUNT? — « Dixit, » non verbo, sed facto, immittens illi febrim, aliumve morbum lethalem, quo effecit ut diviti conscientia sua hæc dictaret. Unde Euthymius : « Hæc ei dixit, ait, per conscientiam : tunc enim conscientia mortem sentiens talia disserit. »

STULTE. — Quia in consilio tuo, in quo tibi sapiens videbaris, nunc stultum te fuisse vides.

HAC NOCTE. — In nocte ablata est anima, quæ lucem considerationis habere noluit, ait S. Gregorius, lib. XV *Moral.*, quæque tendebat ad tenebras gehennæ, ut idem Gregorius notat, lib. II *Moral.*, cap. II.

REPETUNT (scilicet Deus ejusque angeli, quasi exactores Dei, non casu, sed justo Dei judicio « repetunt, » quasi ab invito) ANIMAM A TE — ut omnium frugum opumque, quas tibi Deus dedit, omniumque rerum tuarum rationem ei reddas. Ita Toletus. Rursum « repetunt; » quia anima tua non moritur cum corpore, sed est immortalis. Ad hæc anima tua non est tua, sed Dei qui tibi illam inspiravit illamque tibi ut depositum credidit : jure ergo per instantem mortem illam nunc a te repetit.

Audi de morte cuilibet imminente S. Hieronymum, epist. 3 *ad Heliodorum* : « Xerxes, ille rex potentissimus qui subvertit montes, maria constravit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem et innumerabilem vidisset exercitum, flevisse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus! jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, et regnis regna collisa : et non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos. »

QUÆ AUTEM PARASTI, CUJUS ERUNT? — « Non solum tibi non cedent, ait Euthymius, non solum tua non erunt, sed nec manifestum tibi est cujus erunt, utrum hæredis an peregrini? amici an inimici? quod ipsum etiam mœrorem adauget. » Addit S. Jacobus, cap. V, 3 : « Manducabunt carnes tuas, sicut ignis. » Vide ibi dicta. Vere S. Ambrosius : « Non nostra sunt, inquit, quæ non possumus auferre nobiscum. Sola virtus comes est defunctorum, sola nos sequitur misericordia, quæ tabernacula defunctis acquirit æterna. » Vide S. Augustinum, *hom.* 38 inter 50, ubi inter cætera ait : « Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. » Vere sapiens : « Quod, inquit, commodavit fortuna, tollet; quod mutuavit natura, repetet; quod paraverit virtus, retinebit. » Vide quæ de vanitate et pernicie divitiarum ex Patribus congressi *Isaiæ*. V, 9.

21. SIC EST QUI SIBI THESAURIZAT, ET NON EST IN DEUM DIVES. — *q. d.* Talem fidem, talem exitum sortietur dives avarus, qui sibi, non Deo thesaurizat. Quæres quis sit « dives in Deum? » Respondeo *primo*, « in Deum, » id est apud Deum dives, vel, ut ex Græco πλουτῶν vertas, *ditescens*, est qui per eleemosynam aliaque bona opera, multa merita et præsidia apud Deum quasi reconditas divitias habet, et in dies majores recondit, uti fuse docet Apostolus, I *Timoth.* VI, 17 et seqq. Vide ibi dicta. Vers. 21. In Deum dives quis? Resp. primo.

*Secundo*, « in Deum, » id est *in Deo*, ut vertit Arabicus, dives est, qui soli Deo studet placere, qui in Deo omnem spem et amorem defigit, qui in Deo totus conquiescit, ut ab eo beetur eoque perfruatur in æternum. Unde Glossa : In Deum dives est, inquit, cujus exspectatio est Dominus, cujusque substantia est apud Deum. « Deo dives, ait S. Augustinus, serm. 28 *De Verbis Apostoli*, est inops auri, » puta pauper spiritu, qualis erat Petrus dicens claudo : « Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Jesu Christi, surge et ambula, » *Act.* III. Idem, *in Psalm.* XXXIX : Christus, ait, « cum dives esset, pauper factus est, ut ipsius paupertate vos ditaremini. » Veros pauperes ditat, falsos divites pauperat, juxta illud : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » *Matth.* V. Secundo.



« Conemur itaque, ait Theophylactus, divites fieri in Deum, hoc est, ut in illum fiduciam habeamus, et ut ille habeat nostras divitias et divitiarum cellam, nec dicamus bona nostra, sed bona Dei : si autem Dei sunt bona, ne privemus Deum bonis suis. Hoc est ditari in Deo, credere quod si omnia dedero et evacuavero me totum, non me aliquid rerum necessariarum defecturum est. Promptuarium enim meum Deus est, aperiam et tollam necessaria et ea quibus mihi opus fuerit. »

*Tertio*, « dives, » id est largus « in Deum » est qui est liberalis in pauperes : quod enim eis fit, Deus sibi factum æstimat, et præmiat. Unde Beda : « Qui vult, inquit, in Deum esse dives, non sibi thesaurizet, sed pauperibus possessa distribuat. » Hic sensus bonus est, sed partialis. Nam non agit hic Christus præcise de eleemosyna, sed de veris divitiis, quas docet esse non fruges et opes terræ, sed virtutes et bona opera; has enim parere vitam longævam et beatam, tum in hoc sæculo, tum potius in futuro.

*Quarto*, S. Augustinus, serm. 44 *De Temp.*, divitem Deo esse docet eum qui plenus est charitate, ideoque Deo : « Deus enim est charitas, et qui habet charitatem, in Deo manet, et Deus in eo. » I *Joan.* IV. Audi S. Augustinum : « Si charitatem habes, Deum habes. Quid habet dives, si charitatem non habet? pauper, si charitatem habeat, quid non habet? Tu forte putas quod ille sit dives, cujus arca plena est auro, et ille non sit dives, cujus conscientia plena est Deo? Ille vere dives esse videtur, in quo Deus habitare dignatur. »

Denique dives apud Deum, est abundans omni virtute, uti pulchre et fuse explicat S. Ambrosius, lib. IV, epist. 27 *ad Simplicianum*, cujus verba recitavi I *Petri*, III, 4, ad illa : « In incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples (1). »

Anagogice : divites Deo sunt beati qui Deo omnibusque Dei opibus perfruuntur. Unde S. Augustinus, serm. 74 *De Temp.*, concludit solos Beatos esse divites, tum quia Deum possident, tum quia nullius indigent. « Ille, inquit, vere dives est, qui nullius eget; atqui soli Beati nullo egent : ergo soli Beati sunt divites. » Hinc idem Augustinus, præfat. in *Psalm.* XL : Christus, ait, « dives erat apud Patrem, et pauper apud nos; dives in cœlo, pauper in terra; dives Deus, pauper homo. »

Quocirca sapienter S. Ambrosius, epist. 33 *ad Demetriadem* : « Quo, inquit, pretio quies hujus temporis aptius comparatur, quam ut ipsi mundo omnes divitiæ, omnes dignitates et universarum cupiditatum materiæ refundantur, et sancto beatoque commercio ematur Christiana libertas, fiantque Filii Dei de paupertate divites, de patientia fortes, de humilitate sublimes? » Et nonnullis interjectis : « Unde si vere intelligatur contemptus hisce rerum præsentium, ad quæ tendat et qualia concupiscat, nihil hujusmodi mentibus rectius, nihil invenietur electius, quæ sacratissimis desideriis universa transcendunt, neque ad ullam creaturam quamvis potentem atque mirabilem, sed ad ipsum omnium visibilium et invisibilium ambiunt creatorem, cui appropinquare, clarescere est; quem timere, gaudere est; cui servire, regnare est. »

29. ET NOLITE IN SUBLIME TOLLI. — Græce μὴ μετεωρίζεσθε, quod varii varie explicant. *Primo*, Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.*, cap. X, explicat, *q. d.* Nolite a veritate abduci, ut altiora sapere velitis quam fides et veritas docent. Vers. 29. In sublime tolli quid? Primo.

*Secundo*, S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXIX, explicat, *q. d.* Nolite superbire ex eo quod abundetis victu et vestitu. Nam tale est superbire, cum quis abundat alimentis, ut si vulneratus se jactet quod multa domi habeat emplastra, cui bonum esset ne uno quidem indigere, ait S. Augustinus. Secundo.

*Tertio*, Euthymius, *q. d.* Nolite a sublimibus et cœlestibus ad terrena detrahi, ut non cœlestia, sed terrestria sapiatis et ambiatis. Tertio.

*Quarto*, Theophylactus, *q. d.* Nolite esse animo instabili, semper sublimius aliquid imaginantes, ut faciunt qui præsentibus non contenti, semper ad majora respiciunt.

*Quinto*, et optime, μὴ μετεωρίζεσθε, id est, ne meteora quæ supra vos sunt, v. g. siderum constellationes et concursus, nubium discursus, ventorum flatus, etc., anxie contemplemini, ut ex iis de futura annonæ copia vel inopia judicetis et prospiciatis, juxta illud *Jerem.* X : « A signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes. » Et illud *Eccles.* XI, 4 : « Qui observat ventum, non seminat; et qui considerat nubes, nunquam metet. » Ita Toletus, Vatablus et alii. Unde Vatablus vertit, *nolite esse anxii, quasi præ sollicitudine vultu ad cœlum obverso*. Aut *q. d.* Ne animo pendeatis velut in aere penduli, ad varia humana et creata præsidia varie respectantes, nec in Dei providentiam defixi. Unde Arabicus vertit, *ne solliciti sitis*. Omnia enim hæc spectant eo, ut Christus nobis eximat nimiam sollicitudinem de victu ac vestitu, ac imprimat nobis firmam confidentiam in Deum, ut ab ejus paterna providentia secure hæc omnia exspectemus. Græce enim μετέωρος vocatur, qui est animi dubius, suspensus, necdum mente fixus, sed ex eventu consulturus, et, ut Gaza vertit, *pensilis*.

Hinc alii vertunt, *nolite ex alto speculari*, quod

(1) Formula πλουτεῖν εἰς Θεόν, *divitem esse in cœlo*, ait Kuinoel in h. l., notat : virtutis cujuscumque studio, dignum se reddere gaudiis propriis atque perpetuis in altera vita expectandis, conf. vers 15 et 21, et loc. parallel. *Matth.* VI, 20, ubi legitur : *Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo.* Jam vero sensus vers. 21 ita constitui debet : Talis est sors hominis qui opes terrenas sibi congerit, in iisque spem collocat : subito moritur, et opes congestas aliis relinquere cogitur; nec ullum a Deo in altera vita præmium vitæ luxuriose ac male peractæ exspectare potest.

vulgo dicimus, nolite longos facere discursus, quasi nullum divinæ providentiæ locum relinquentes, vel de ea dubitantes. Et Franciscus Lucas : Ne, inquit, in sublime tollamini, ut scilicet procul ventura sollicite prospiciatis, ut in longum tempus futuris necessitatibus corporis consulatis et provideatis, ut in longe futurum tempus distendatis sollicitudinem de victu et vestitu, quod clare explicat Matthæus, VI, 34, dicens : « Nolite solliciti esse in crastinum. » Hæc omnia eodem redeunt, vetantque nimiam futuri sollicitudinem, ac jubent futura resignare divinæ providentiæ, in eaque confidere et secure conquiescere. Hoc Christi præceptum secutus S. Franciscus, voluit sanxitque suos in diem vivere, nihilque in crastinum reservare, sed quod diurno victui superest erogari in pauperes, certo confidentes Deum crastino victui provisurum : uti Deus Eliæ et Paulo, primo eremitæ, quotidie panem per corvum transmisit, ac filiis Israel (facile erant tres hominum milliones) in deserto quotidie manna sufficiens ad diurnam sustentationem, de cœlo depluit per 40 annos, quin et vestes eorum illæsas integrasque conservavit, imo cum pueris crescentibus illas pariter crescere effecit.

32. NOLITE TIMERE (ne victus et vestitus vobis desit, si sollicitudine deposita possessiones vendatis et detis pauperibus, neve hæc non adjiciantur vobis, si primum quæratis regnum Dei), PUSILLUS GREX, — id est parvus, *primo*, quia tum pauci erant fideles, iique pauperes, vel conditione et censu, vel electione et sensu, sive spiritu ; spernebant enim divitias terræ, ut anhelarent ad cœlestes, ideoque coram mundo erant pusilli, id est viles et despecti : jam vero fide et religione Christi per totum orbem dilatata, ut reges quoque et principes ei se subdant, non est pusillus grex, sed amplissima et potentissima Ecclesia. *Secundo*, grex hominum fidelium est pusillus, si conferatur cum angelis, qui sunt innumeri, ait Euthymius, juxta illud : « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. » *Daniel.* VII. *Tertio*, pusillus est grex fidelium, si comparetur cum maxima multitudine infidelium et impiorum.

Addit Beda : dicitur pusillus grex ob humilitatem, vel ad comparationem majoris numeri reproborum. Tunc enim fideles omnes exemplo Christi ad Christianam humilitatem et paupertatem sponte sese demittebant, præsertim Apostoli et discipuli Christi; unde iis ait Christus : « Vendite quæ possidetis. » Græce est μὴ φοβοῦ, τὸ μικρὸν ποίμνιον, id est *ne time, parvus grex*, vel pusillus : unde liquet τὸ « pusillus » esse nominativi casus; sed nominativus ponitur hic, ut et alibi sæpe, pro vocativo; Apostolos enim vocat et compellat continuo hic Christus. Sic Livius ait, lib. I : « Audi, populus Albanus. » et Virgilius : « Projice tela manu, sanguis meus, » id est sanguis mi. Et : « Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, » id est Agne Dei : nervosior enim et significantior hic est nominativus, quam si poneretur ipse in se vocativus. Quare, licet exponi posset supplendo nonnulla, *q. d.* Nolite timere, vos qui estis pusillus grex, ut maneat nominativus, tamen brevius et nervosius, nil supplendo, nominativus ponitur pro vocativo. Nolite ergo timere, o fideles, quia licet sitis pusillus grex, tamen Deus vos magni æstimat, magnamque et singularem vestri gerit curam, ac Christus Dominus est pastor vester, qui vos abunde pascat, juxta illud : « Ego sum pastor bonus, » *Joan.* X, 11 ; et illud : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit, » *Psalm.* XXI. Audi B. Petrum Chrysologum, *serm.* 22 : « Grex pusillus mundo, magnus est Deo ; » et *serm.* 33 : « Acquisivit humilitas, superbia quod amisit, et grex pusillus ac mitis totas et varias edomuit propria mansuetudine feritates : pusillus grex vicit ac fregit tot genera bestiarum, quot diversitates subdidit jugo Christi nationum ; » idque fecit non feriendo, sed patiendo; non pugnando, sed moriendo pro Christo.

QUIA COMPLACUIT PATRI VESTRO DARE VOBIS REGNUM. — « Vobis, » non pigris, non otiantibus, non in sola Dei misericordia præsumentibus, sed verba jussaque mea audientibus, et reipsa exequentibus, ideoque crucem post me portantibus, passiones vestras mortificantibus bonis operibus assidue incumbentibus. « Dare, » non absolute, sed conditionate, si videlicet in mea fide, amore et obedientia usque ad mortem perseveretis; nec enim Judæ a Christo postea desciscenti datum fuit hoc regnum. Rationem dat Christus, cur discipuli, licet pusilli et pauperes, non debeant timere ne necessaria eis desint, *q. d.* Cum Deus vos ita amet, ut destinet ad opes cœlestes, ipsumque Dei cœlique regnum, utique non negabit opes hasce viles terræ in quantum illæ necessariæ sunt ut tendatis ad regnum cœleste, illudque verbo et vita evangelizetis. Ita S. Cyrillus, in *Catena* : « Qui tam pretiosa largitur, ait, quomodo non erit clemens erga vos ut alat, sed sinat vos fame mori ? »

33. VENDITE QUÆ POSSIDETIS, ET DATE ELEEMOSYNAM. — Consilium est, non præceptum, ut volebat Pelagius, dicens omnes Christianos debere esse pauperes ex præcepto Christi. Nam hoc esse consilium, patet ex verbis Christi, *Matth.* XIX, 17 et 21 : « Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia, etc. » Sensus ergo est, *q. d.* Ut studeatis perfectioni Evangelicæ, vendite quæ possidetis, et pretium date pauperibus, ut me pauperem spiritu in simili paupertate sequamini, ac mecum contemnatis opes terrestres, ut obtineatis cœlestes. Insuper id facite hoc fine, ut ostendatis vos non esse sollicitos de victu et vestitu, sed totos pendere a Dei providentia, ab eoque exspectare vitæ necessaria, quæ regnum suum quærentibus ipse promisit. Hac de causa hoc Christi consilium



secuti primi Christiani, omnia sua vendebant et pretium ponebant ad pedes Apostolorum, ut ipsi illud inter pauperes fideles distribuerent, *Act.* cap. II, vers. 3 et 4. Ita Beda : Nolite, ait, timere defutura vobis necessaria vitæ, quin etiam possessa vendite ob eleemosynam ; quod tunc digne fit, quando omnibus spretis ex labore manuum quis vivit et eleemosynam dat

FACITE VOBIS SACCULOS (Græce βαλάντια, id est marsupia, crumenas, bursas) QUI NON VETERASCUNT (ac proinde ex quibus excidere et perdi nequeat pecunia spiritualis eleemosynæ, uti sæpe excidit et perditur pecunia temporalis ex sacculis et crumenis divitum, vetustate attritis et laceris. Sacculi hi non veterascentes sunt sinus pauperum, ac magis mens et memoria Dei, in qua quasi in sacculo servat Deus vestras eleemosynas et bona opera, ut amplissimam eorum mercedem vobis in die judicii retribuat. Id explicat, subdens): THESAURUM NON DEFICIENTEM IN COELIS (repete *facite* et parate vobis per opera pietatis et charitatis), QUO FUR NON APPROPIAT, NEQUE TINEA CORRUMPIT. — Hinc recte infert Chrysologus, *serm.* 25 : « Quid ergo cum terra illi qui possidet cœlum? quid illi cum humanis, qui adeptus est jam divina? nisi forte placeat gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, et illata mala bonis sunt gratiora collatis. »

34. UBI ENIM THESAURUS VESTER EST, IBI ET COR VESTRUM ERIT. — Hæc est ratio a priori, cur dixerit : « Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam ; » ut scilicet ostendatis vos habere cor, non in ære, sed in æthere, quia ubi thesaurus est, ibi est et cor : si ergo thesaurum vestrum, per eleemosynam, collocetis in cœlo, ostendetis pariter cor vestrum fixum esse in cœlo, non in terra; in Deo, non in auro. Thesaurus enim hominis est id quod ipse amat, charum habet, magni æstimat, in quo spem suam reponit, etc. Cætera require *Matth.* VI, 20.

35. SINT LUMBI VESTRI PRÆCINCTI, ET LUCERNÆ ARDENTES IN MANIBUS VESTRIS, ET VOS SIMILES HOMINIBUS EXSPECTANTIBUS DOMINUM SUUM, QUANDO REVERTATUR A NUPTIIS. — Syrus, *sint præcincti vestri lumbi, et accensæ lucernæ vestræ.* Sic et Arabicus, Ægyptius, Æthiopicus et Persicus. Hæc sic cum præcedentibus connecte. Dixerat Christus complacuisse Patri dare illis regnum ; vendite ergo quæ possidetis et date eleemosynam, ut per eam hoc regnum ematis : nunc urget ut ad hoc regnum, velut instans, studiose se comparent, ac præcincti lumbis, viam ad illud omni alia cura abjecta ineant et capessant, *q. d.* Estote parati, et omnibus virtutibus bonisque operibus et meritis, præsertim eleemosynæ et contemptus opum, instructi, ut Christo Domino e cœlo et cœlestibus nuptiis gaudiisque ad vos in morte, ad judicium animæ vestræ revertenti, digni occurratis, ac ab eo cœlo adjudicari, et in cœlum deduci mereamini.

Alludit ad ritum Orientalium, quales erant Hebræi et Syri, apud quos mos erat longioribus vestibus et tunicis indui, quas iter facturi, vel laboraturi, aut ministraturi præcingebant, ut essent expediti ad iter et ministerium, ne ab eo ex vestibus ad genua et tibias assidue allisis impedirentur, ut patet *Tobiæ* V, 5; et III *Reg.* cap. XVIII, vers. 46; infra, vers. 37.

Mystice : lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam (cujus, uti et seminis, origo est in lumbis) per continentiam coarctamus, ait S. Gregorius, *hom.* 13 ; et S. Augustinus, serm. 39 *De Verbis Domini*; S. Basilius, *Isaiæ* XV; Beda et alii. Audi Chrysologum, *serm.* 24 : « Lumbos nostros astringi jubet balteo castitatis, et totum carnis nostræ pendulum, fluidum, resolutum, constringi mandat continua zona virtutis, ut carne succincta ad Domini occursum liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus. »

Porro hæ duæ sententiæ, vers. 35 et 36, possunt simul conjungi cum Maldonato, ut unam eamdemque contineant parabolam : possunt etiam disjungi cum Jansenio, ut duas contineant, unam lumborum præcinctorum et lucernarum ardentium, alteram servorum exspectantium dominum a nuptiis revertentem.

Quocirca hæc gnome a variis varie exponitur : varii enim sunt cingentes se, nimirum operarii, ministri, viatores, nuntii, milites, bajuli, continentes, ac varia sunt eorum cingula : scilicet operarii cinguntur cingulo laboris, ministri ministerii, viatores et nuntii viæ, milites militiæ, quod est cingulum strenuitatis, bajuli cingulo constantiæ et patientiæ, continentes continentiæ, mortificationis et pœnitentiæ. Lumbi præcincti.

*Primo* ergo de operariis lumbos ad opus præcingentibus, sic exponit Theophylactus : « Sint lumbi vestri præcinti, » hoc est, omnibus modis parati estote ad opera Domini vestri, et « lucernæ ardentes in manibus vestris, » hoc est, ne in tenebris et absque judicio versemini; sed sit vobis lumen verbi, quod monstrabit vobis quæ facienda et quæ non facienda sint. Est igitur hic mundus, nox. Sic quoque exponit Euthymius et Titus; *q. d.* Parati et prompti estote ad omne bonum aggrediendum.

*Secundo*, de ministrantibus Christo et pauperibus per eleemosynam (de hac enim sermo proxime præcessit) exponunt alii, *q. d.* Præcingite lumbos, ut sitis expediti et agiles ad ministrandum Christo et pauperibus : qua de re extat pulchra visio in Vita S. Joannis Eleemosynarii, qui promptissimus semper erat ad dandum cuique petenti eleemosynam, cap. XXIX, ubi dux ad mutuum præstandum tardior, visione centuplæ remunerationis docetur esse celerior.

*Tertio*, de viatoribus lumbos ad iter præcingentibus explicant alii, *q. d.* Præcingite lumbos, ut sitis expediti ad iter in cœlum, de quo sermo præcessit ; ad illud enim grandis vobis restat

via. Nam cœlum empyreum plusquam ducentis millionibus milliarium distat a terra, uti ex P. Clavio ostendi *Genes.* I. Quare, etiamsi quotidie per centum milliaria recta sursum ascenderes, necdum post ducentos annos ad empyreum pervenires. Qua de causa, cum hoc tibi sit impossibile, Deus statuit ut non gressibus corporis, sed affectibus animi magnis passibus eo contenderes. Quocirca anachoreta ille, apud Joannem Moschum, in *Prato spirituali*, per visionem hac de re est admonitus. Cum enim videretur sibi cœlo appropinquare, velletque illud ingredi, audivit ab angelo : « Nemo piger huc ingreditur : ite, certate, contemnite vanitates sæculi. » Et Barlaam ad Josaphat, apud Damascenum, in *Hist.* cap. XLV : « Longum iter, ait, vobis ineundum est, quodque multo hujus vitæ viatico opus habeat, ut ad sempiternum locum, in quo mansiones multæ sunt, perveniatis. » Huc facit illud S. Petri, *epist.* I, cap. I : « Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfecte sperate in eam quæ offertur vobis gratiam, in revelationem Jesu Christi, quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum eum qui vocavit vos, Sanctum, ut et ipsi in omni conversatione sancti sitis. »

Alludit ad exitum et transitum (unde Hebr. dictus est *pascha*), Hebræorum ex Ægypto in terram promissam, qui erat figura Sanctorum ex terra transeuntium et contendentium in cœlum : Hebræis enim ita jussit sanxitque Deus in esu agni paschalis, pro felici transitu immolandi : « Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, » quasi accincti et expediti ad iter inchoandum, « et comedetis festinanter ; est enim phase, id est transitus Domini. » Idem faciendum est mystice Christianis. Vide ibi dicta.

*Quarto*, nuntii et legati accingunt lumbos ut sint celeres ad legationem obeundam. Hinc angeli, qui Dei nuntii sunt, pinguntur lumbis accinctis, quasi veloces et agiles ad exequendum jussa Dei, juxta illud : « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis, » *Hebr.* I. Ait ergo Christus : Vos, o Apostoli et discipuli, accingite lumbos, ut sitis mei legati per totum orbem, ut scilicet annuntietis fidem Evangelicam Græcis, Romanis, Italis, Gallis, Hispanis, Indis, Brasiliis, Japonibus, Sinis, etc. Ecce ego mitto vos : ite ergo animose, velociter et ardenter instar angelorum, juxta illud *Isaiæ*, XVII, 2 : « Ite, Angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam. » Et cap. LVII, 7, quod citat Paulus, Rom. X, 15 : « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona ! »

*Quinto*, milites et athletæ accingunt lumbos, ut accincti sint fortiores fortiusque pugnent : lumbi enim, cum toti sint carnei et infirmi, cingulo stringuntur, ut stricti sint firmi et robusti. Sic et vos, o Christiani, accingite lumbos cingulo strenuitatis et fortitudinis, ut quasi milites Christi fortiter contra diabolum, carnem et mundum dimicetis, vincatis et triumphetis, juxta illud Pauli, *Ephes.* VI, 14 : « State succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, » etc. Ubi multa hac de re dixi. Sic David ait, *Psalm.* CXVII : « Præcinxisti me virtute ad bellum. » Et *Job*, cap. XXXVIII : « Accinge sicut vir lumbos tuos. » Et *Exodi* XII : « Renes vestros accingetis ; » ibant enim armati armis expugnaturi terram promissam. Unde Origenes, homil. 9 *in lib. Judic.*, censet hic alludi ad milites Gedeonis, qui præcincti ibant contra Madianitas, ac tenentes lampades, id est faces accensas in lagenis, eas inter se complodentes, emicante flamma percelluere Madianitas, ut eos in fugam, imo in mutuam necem adigerent.

*Sexto*, bajuli, ut fortes sint ad portanda onera, nec iis rumpantur et herniam contrahant, lumbos succingunt : sic et vos, o fideles, accingite lumbos vestros cingulo patientiæ, ut generose omnia adversa toleretis. Ita Cyrillus, in *Catena* : « Prompti sitis, inquit, ad sustinenda mala. »

*Septimo*, continentes, ut carnem doment et quibuslibet pravis concupiscentiæ motibus generose resistant, cingunt se cingulo continentiæ, id est abnegationis et mortificationis, quo omnia prava desideria, quæ ex concupiscentia assidue oboriuntur, abnegant, refutant, mortificant, resecant. Ita Simeon Stylites lumbos nudos succinxit aspero fune situlæ, qui secabat eum usque ad ossa : ingressus enim est carnem ita, ut vix appareret, quocirca caro ipsa computruit, et ægre curari sanarique potuit, uti narrat Antonius ejus discipulus in ipsius Vita, cap. III. Theodoretus vero, in Vita Simeonis, asserit funem hunc contextum fuisse ex palmis, ideoque asperrimum, quem Simeon tam arcte carni appressit, ut tota illa pars cui fuerat impositus, circumcirca exulceraretur, guttasque sanguinis emitteret. Mox præfectus monasterii, inquit, id resciens, vix illi solvit vinculum ; sed nec sic persuasit, ut illi ulceri ullam adhiberet medicinam. Quare illum a monasterio dimisit, ne imbecillioribus ea quæ essent supra vires æmulari conantibus, damni causa fieret. Sic multi Sancti olim gestarunt, et etiamnum gestant cingula cilicina, ut carnem doment. Hinc *Judith*, cap. IV : « Ut offerrent, inquit, Deo sacrificia præcincti ciliciis. » Hujus meminit S. Hieronymus, *Jerem.* I, et *Ezech.* VI, et appellat cingulum mortificationis, affirmatque cingula Eliæ et Joannis Baptistæ talia fuisse. Denique Paulus, *Coloss.* III : « Mortificate, ait, membra vestra, quæ sunt super terram, immunditiam, libidinem, concupiscentiam pravam, avaritiam. » Unde S. Augustinus, *serm.* 39 *De Verbis Dom.*, et lib. II *De Consensu Evangel.*, cap. XXV : « Præcingite lumbos, inquit, hoc est omnes appetitus et affectus circa res sæculi contrahite et mortificate. »

ET LUCERNÆ ARDENTES IN MANIBUS VESTRIS. — Jussit Christus nos lumbis præcinctis esse expeditos ad bona opera, et ad iter in cœlum, nunc apposite requirit lucernas ardentes ; hæ enim nocte requiruntur ad operandum, æque ac ad iter ineundum : hæc autem vita nostra est mystica nox, plena ignorantiæ, errorum et concupiscentiarum tenebris. Igitur ut in ea nocte incedamus et operemur, lumine et lucernis accensis est opus : proprie autem alludit ad nuptiale convivium, quod noctu peragi solet cum luminibus, *q. d.* Sicut noctu famuli dominum e nuptiis redeuntem accensis facibus exspectant et præeunt ; sic et vos me e cœlo ad vos morte redeuntem vigiles exspectate, et cum facibus spiritualibus mihi occurrite, quia nescitis diem et horam mortis vestræ, et adventus Christi ad vestrum judicium ; illud ergo, si sapitis, singulis horis parati exspectate. Sic enim virgines lampadibus accensis sponsum præstolantur, *Matth.* XXV. Eadem enim fere est parabola hæc Lucæ cum illa Matthæi.

Lucernæ ardentes quæ? Resp. Quæres quidnam significent lucernæ ardentes ? Respondet *primo* Theophylactus significare hoc, *q. d.* Adsit vobis lux rationis et discretionis, ut dignoscatis quid et quomodo agendum sit. Rursum adsit vobis lucerna, id est fides, sed ardens charitate et fervore spiritus : hæc enim quid agendum, quid cavendum sit ostendet : hæc quoque ad actus virtutum heroicos vos impellet ; hæc pariter vos incitabit, ut alios fidem et viam salutis docere et amore Dei accendere satagatis, nec patiamini aliquos in tenebris ignorantiæ, inquit Cyrillus, et peccatorum vivere. Ita S. Augustinus, *serm.* 39 *De Verbis Domini*. Accedit S. Hieronymus (vel quisquis est auctor), in cap. I *Jerem.*, qui lucernam tenere in manibus, ait idem esse quod prædicare Evangelium.

Mystice : « Habent suum ista mysterium : nam in lumborum præcinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis indicatur, » ait Cœlestinus, epist. 2 *ad Episc. Gall.* Sic et S. Gregorius, *hom.* 13, per lucernas ardentes accipit bona exempla. « Lucernas, inquit, ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. Duo sunt quæ jubentur, et lumbos restringere, et lucernas tenere ; ut et munditia sit castitas in corpore, et lumen veritatis in operatione ; nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec bonum opus aliquid est sine castitate. »

Rursum S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.* : Lumbi præcincti, ait, sunt continentia rerum sæcularium ; lucernæ ardentes, sunt idipsum vero fine et recta intentione facere. Insuper S. Maximus : « Lucernæ accensæ, inquit, sunt oratio, contemplatio et spiritualis dilectio. » Denique Origenes, hom. 9 *in lib. Judic.*, censet hic alludi ad lampades, id est tædas militum Gedeonis : sicut enim ipsi complosis lagenis, et tædis inde emicantibus ac effulgurantibus perterruerunt Madianitas ; sic Apostoli et Martyres corporibus per martyrium complosis et fractis, cœperunt coruscare miraculis, quibus in fugam versi sunt persecutores, itaque eorum doctrina, æque ac sanctitas toto orbe inclaruit, uti pulchre explicat Beda in *Quæst. super libr. Judic.*, et fuse S. Gregorius, lib. XXX *Moral.*, cap. XXXII et seq. Vide historiam Judicum, cap. VII.

IN MANIBUS VESTRIS. — Hæc verba non legunt Græca, Syrus et Arabicus, nec Græci Patres, ut Origenes, Clemens, Cyrillus, Chrysostomus, Basilius, Titus ; nec ex Latinis S. Ambrosius, S. Cyprianus, Hilarius et Augustinus, *serm.* 39. Illa tamen legit S. Gregorius, *homil.* 13 ; Irenæus, lib. IV, cap. LXXII ; et S. Hieronymus, in *Ephes.* XVI, et *Jerem.* I ; ac Bibliorum codices Romæ correcti. « In manibus » ergo, id est præ manibus, ad manus, scilicet juxta vos, coram vobis, ut vobis operantibus lucem præbeant ad opus : nec enim operantes solent lucernas in manibus tenere, sed juxta se. Rursum proprie « in manibus, » ut cum iis quasi famuli Christo Domino venienti occurratis. Ex hac Christi sententia ortus est mos, fidelibus in agone dandi in manus cereos benedictos accensos, ut testentur se fide et charitate ardenti occurrere Christo, itaque ad id excitentur. Vide Amalarium, Rabanum et alios qui de Officiis Ecclesiasticis scripserunt.

Addit S. Cyrillus, lib. IV *De Adorat. in spiritu et veritate* : « Et calceati pedibus vestris. » Verum cæteri omnes id non habent : quare videtur S. Cyrillus illud ex Paulo, *Ephes.* VI, 15, per inadvertentiam huc transcripsisse.

ET VOS SIMILES HOMINIBUS EXSPECTANTIBUS DOMINUM SUUM. — Tertium est hoc Christi præceptum, vel potius tertia ejusdem præcepti pars : prima enim est lumbos præcingere ; secunda, lucernas tenere ; tertia, dominum exspectare. Huc enim duo priora referuntur. Sensus est, *q. d.* Et vos ita plane parati et compositi sitis, sicut solent esse famuli noctu exspectantes dominum ; scilicet vigiles, præcincti lumbis, tenentes lucernas ardentes. Unde Maldonatus putat unam eamdemque esse hanc parabolam, sed trimembrem ; Jansenius censet esse diversam ; sed eodem res redit : quia, ut dixi, hæc est alia et tertia pars parabolæ, ad quam duæ priores tendunt et diriguntur. Exspectant dominum, ait Toletus, qui se hic peregrinos æstimantes desiderio Christi flagrant, crebro et quasi jugiter de eo cogitant, intentum in eum habent animum, ejus amore et spe patienter ferunt adversa et quælibet incommoda, timent eum offendere, quem jam venientem ante oculos habent : facile contemnunt ea omnia, quæ ad adventum ejus non faciunt ; iis delectantur, quæ illi grata esse cognoscunt : vilipendunt temporalia ob spem æternorum.

Symbolice : « sint lumbi vestri præcincti » docet nos hic quasi peregrinos tendere ad patriam cœlestem, juxta illud I *Petr.* II : « Obsecro vos



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. » *Secundo*, τὸ « et lucernæ ardentes in manibus vestris » notat nos debere per virtutes omnibus prælucere, juxta id quod subdit Petrus: Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam. » *Tertio* τὸ « et vos similes hominibus exspectantibus dominum, » monet nos spe in cœlo debere esse defixos, juxta id quod addit Petrus: « Perfecte sperate in eam quæ vobis offertur gratiam. »

Rursum S. Augustinus, serm. 39 *De Verbis Domini*, asserit hæc tria esse illa, de quibus Felicem præsidem admonuit Paulus, *Actor.* XXIV. Docebat, ait, Paulus eos de continentia, de justitia et de spe vitæ æternæ: his namque summa vitæ Evangelicæ comprehenditur. *Secundo*, hisce tribus denotantur tria munia vitæ Apostolicæ. *Primo* enim lumbi præcincti notant Apostolos mitti a Christo ad evangelizandum per totum orbem, et simul ad pugnandum contra omnes dæmones, tyrannos, infideles, vitia, juxta illud: « Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et omnem virtutem inimici, » *Lucæ* XI. Idcirco enim præcinguntur hic cingulo militiæ Christianæ et Apostolicæ, quasi in prælium acerrimum contendant. *Secundo*, lucernæ ardentes notant eos sua prædicatione et doctrina orbem illuminare debere, juxta illud: « Vos estis lux mundi, » *Matth.* V. *Tertio*, τὸ « et vos similes hominibus exspectantibus dominum, » significat eos vitam præsentem, et omnia quæ in mundo sunt, debere spernere et calcare, ac vitam agere cœlestem et divinam, ut mente et corde in cœlo sint fixi, juxta illud *Pilipp.* III: « Nostra conversatio in cœlis est. » Subdit Paulus finem, fructum et præmium: « Unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, » *q. d.* Ideo spernimus terrena, ambimus cœlestia, quia certa spe exspectamus Christum, qui nos beabit et glorificabit in æternum. Ita Toletus.

Hæc tria semper in mente fixa habuere primi Christiani, qui quasi peregrini terræ et cives cœli, opes, honores, delicias ipsamque vitam præsentem pro Christo ultro profundebant, quia certo exspectabant post brevem hanc vitam instantem Domini adventum, scilicet vitam beatam et æternam a Christo sibi dandam: quæ sane vera est sapientia et prudentia. Id videre est in Pontificibus, Virginibus, Martyribus Romanis per trecentos annos a S. Petro usque ad S. Sylvestrum, qui in continuis persecutionibus gaudebant spoliari bonis, incarcerari, flagellari, occidi, comburi, ut Christo fruerentur in cœlo. Emicuit inter alios S. Cæcilia, quæ ætate, pulchritudine, opibus, nobilitate florens, ultro lætissime omnia prodegit pro Christo, ac ejus animum tam excelsum mirantibus, miserantibus ac comploirantibus amicis, hilaris et exultans procedens ad locum martyrii, causam dedit: « Hoc, ait, non est juventutem perdere, sed mutare: hoc est dare lutum, et accipere aurum; dare habitaculum vile et parvum, et accipere palatium magnum et amplissimum ex lapidibus pretiosis et auro constructum; dare rem perituram, et accipere rem quæ finem nescit et mortem ignorat. » Et paulo post: « Deus noster Jesus Christus non dat pondus ad pondus, sed quod simplum acceperit, centuplum reddit, insuper et vitam æternam. » Ita habent ejus Acta.

Vita christiani est exspectatio Christi. Quocirca Christiani vita non debet esse aliud quam exspectatio Christi, ut eum liberet ab hac vita misera, vili et exili, tot timoribus et periculis obnoxia, eumque conducat ad suum in cœlis regnum et gloriam æternam. Hinc Prophetæ et Paulus passim docent fideles ita pie et sancte debere vivere, ac mundana omnia contemnere, ut avide et assidue exspectent adventum Christi. Ita Jacob patriarcha moriens, anhelans ad adventum Christi: « Salutare tuum, ait (id est salvatorem tuum) exspectabo, Domine, » *Gen.* XLIX. Job, cap. 14: « Cunctis diebus quibus nunc milito, inquit, exspecto donec veniat immutatio mea. » Psaltes: « Exspectans, ait, exspectavi Dominum, » *Psalm.* XXXIX, 1. Et: « Exspecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, et sustine Dominum, » *Psalm.* XXVI, 14. Isaias, cap. VIII, 17: « Exspectabo, ait, Dominum. » Et cap. XXV, 9: « Exspectavimus eum, et salvabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exsultabimus, et lætabimur in salutari ejus. » Jeremias, *Thren.* III, 24: « Pars mea Dominus, ait, propterea exspectabo eum. » Michæas, VII, 7: « Ego autem ad Dominum aspiciam, exspectabo Deum salvatorem meum. » Sic Joseph ab Arimathia, spreto Judæorum metu, Christum sepelivit, quia « exspectabat regnum Dei, » *Luc.* XXIII, 51. Paulus, *Rom.* VIII, 19: « Exspectatio creaturæ, ait, revelationem filiorum Dei exspectat. » Et vers. 23: « Nos ipsi primitias spiritus habentes; et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum exspectantes, redemptionem corporis nostri. » *Galat.* V, 5: « Spem justitiæ exspectantes. » *Philipp.* III, 20: « Unde etiam Salvatorem exspectamus. » Ad *Titum*, II, 13: « Sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei. » S. Petrus, *epist.* II, cap. III, 11: « Cum igitur, inquit, hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini. » Et vers. 13: « Novos vero cœlos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat. Propter quod, charissimi, hæc exspectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace. » Quocirca Climacus, gradu *De morte*: Justus, inquit, est, qui mortem non timet; sanctus vero et perfectus, qui illam quotidie exspectat. Ita





Dominum exspectabat S. Franciscus, unde moriens recitansque *Psal.* CXLI, vers. 8: « Me exspectant justi, donec retribuas mihi, » immortuus est. Et S. Bernardus jubilabat:

Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies,
Me lætum quando facies,
Me de te quando saties?

Purgatorium desiderii. Memorabile et terribile est quod scribit S. Brigida, lib. IV *Revelat.*, cap. VII, in Purgatorio tertium et superiorem esse locum, ubi nulla alia est pœna, nisi desiderium perveniendi ad Deum ejusque visionem beatificam. Atque ibi hoc desiderio torqueri eos qui in hac vita non habuerunt perfectum desiderium perveniendi ad Dei præsentiam ejusque visione fruendi. Similis loci in Purgatorio meminit Beda, lib. V *Hist.*, cap. XIII; et S. Gregorius, lib. IV *Dial.*, cap. XXXVI; ac Dionysius Carthusianus, in Dial. de *Judicio partic.*, art. 31; et Bellarminus, lib. *De Purgat.*, cap. VI. Est enim quædam indignitas, et quasi vilipensio tantæ visionis et gloriæ Dei, quod non ardenter a fidelibus et Sanctis desideretur, ac signum quod ejus opes et gaudia non satis considerent, ponderent et penetrent, uti par erat.

Vive ergo, o Christiane, tuo Christo, non mundo; vive spiritui, non carni; vive cœlo, non gehennæ; vive non tempori, sed æternitati.

QUANDO REVERTATUR A NUPTIIS. — Videtur hoc esse emblema parabolæ, ac proinde non necessario applicandum rei per illam significatæ. Potest tamen illi applicari hoc modo, quod Christus in incarnatione celebrarit sponsalia cum Ecclesia et fidelibus omnibus; ascendens vero in cœlum ibi cum eadem consummarit nuptias, quia per gloriam visionis beatificæ intime et indivulse Beatis omnibus unitur per omnem æternitatem. Cum ergo e cœlis ad judicium animæ cujusque redit, videtur a nuptiis cœlestibus redire, ut ad eamdem novam sponsam inducat: nuptiæ ergo sunt summa unio, summum gaudium, quod Christus habet cum Beatis in cœlo. Ita S. Gregorius, Beda, Theophylactus, Euthymius, Toletus et alii.

UT, CUM VENERIT, ET PULSAVERIT, CONFESTIM APERIANT EI. — Significat Christus nos in vita parare debere virtutes et merita, quibus in morte ornati, hilares et gaudentes occurramus Christo: nec enim tunc locus erit aut tempus operandi, ac vix pœnitendi; tunc enim sensus sunt hebetati, et animus morbis oppressus, vix potest de peccatis et de salute sua cogitare. Quare imprudentissime faciunt, qui in vita sua voluptatibus indulgent, dicuntque se in morte acturos pœnitentiam: in morte enim pœnitentia est sera et coacta, ideoque raro vera, seria et sincera. Audi S. Gregorium, *hom.* 13: « Venit Dominus, cum ad judicium properat: pulsat vero, cum jam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat; cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim judici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, et videre eum, quem contempsisse se meminit, judicem formidat. Qui autem de sua spe et operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus judicem sustinet; et cum tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit. »

37. BEATI SUNT SERVI ILLI, QUOS CUM VENERIT DOMINUS, INVENERIT VIGILANTES, — scilicet lumbis præcinctos, tenentes lucernas et exspectantes dominum, uti præcessit: his enim meritum dabit præmium, scilicet beatitudinem æternam, ut visione Dei potiantur et fruantur in omni gloria et gaudio per omnia sæculorum sæcula. Unde explicans, subdit:

AMEN DICO VOBIS, QUOD PRÆCINGET SE, ET FACIET ILLOS DISCUMBERE, ET TRANSIENS MINISTRABIT ILLIS. — Christus par pari reddit suis, in cœlo præcinctis præcinget se, servis suis serviet; eos qui laboraverunt in suo obsequio, faciet quiescere, discumbere, cœnare, ac ministrantibus sibi famulis ipse Rex regum, et Dominus dominantium, mira dignatione ministrabit (1).

TRANSIENS. — Solent enim ministri et sponsi mensas obire, ut videant si cui quid desit, illudque ei porrigant. Nota: Hæc parabolice accipienda sunt, non proprie, ut patet; in cœlo enim non sunt cingula, nec præcincti, nec mensæ, nec discubitus, nec transeuntes, nec ministrantes. Tantum ergo dicere vult Christus: *primo*, se inusitatum præ omnibus bonis dominis, ac infinities majorem fidelibus suis servis in cœlo honorem exhibiturum; ut scilicet ibi eos ex servis faciat quasi dominos, quibus communicet et administret communionem sui epuli nuptialis, id est felicitatis et gloriæ cœlestis. Idque *secundo*, se facturum cum multiplicibus et indesinentibus ferculis, id est voluptatibus et deliciis tam animæ quam corporis; ac *tertio*, provisurum ne quid cui desit, non tantum necessarium, sed et jucundum, aut optatum et desideratum: faciet enim ne quis quid desideret, quia omnia desiderata, imo quæ desiderari possunt, superabundanter largietur, juxta illud: « Satiabimur cum apparuerit gloria tua. » Et: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » *Quarto*, se pro meritis cuique alias et alias delicias appositurum: τὸ enim « transiens, » significat cœnam fore pro meritis cujusque variam et lautissimam; τὸ vero « ministrabit » fore honorificentissimam;

(1) Ad accuratiorem imaginis hoc loco propositæ intelligentiam, tenendum est *primo*, apud Hebræos servorum sortem neutiquam fuisse duram atque iniquam; *secundo*, usitatum fuisse amicis cœnantibus offerre varii generis cibaria domum mittenda. Imago igitur a Christo adhibita hæc est: Herus hilari animo e convivio nuptiali reversus reperit servos vigilantes, lætusque de hac eorum alacritate et vigilantia, ut virtutem eorum insigni modo remuneretur, cibaria domum missa ipse inter eos distribuit.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

τὸ « faciat illos discumbere, » fore æter-, ait Toletus.

PRÆCINGET SE. — « Præcingetur itaque Deus, ait Theophylactus, quatenus non omniam bonorum effusionem nobis suppeditat, sed illam restringit. Quis enim potest capere quantus sit Deus? Et manifestum est ex Seraphim, qui se obtegunt, propter excellentiam divini luminis. »

ET FACIET ILLOS DISCUMBERE. — Audi S. Dionysium Areopagitam, epist. 9 *ad Titum* : « Accubationem, inquit, requiem esse censemus multorum laborum, vitam tutam divinumque vivendi genus in lumine ac regione vivorum, plenum omnis sanctæ voluptatis : largamque omnis generis et beatorum bonorum suppeditationem, per quam omni gaudio complentur; atque id Jesu eos et exhilarante, et in mensa collocante, eisque et ministrante, et æternam quietem largiente, et perfecte bona tribuente et infundente. »

Symbolice : S. Gregorius, *hom.* 13 : « Præcinget se, inquit, id est ad retributionem præparabit, et faciet illos discumbere, id est æterna quiete refoveri. Discumbere quippe nostrum, in regno quiescere est. Unde rursum Dominus dicit : Venient et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob. Transiens autem Dominus ministrat, quia lucis suæ illustratione nos satiat. Transire vero dictum est, cum de judicio ad regnum redit; vel certe Dominus nobis post judicium transit, quia ab humanitatis forma in divinitatis suæ contemplationem nos elevat. Et transire ejus est, in claritatis suæ speculationem nos ducere, cum eum quem in humanitate in judicio cernimus, etiam in divinitate post judicium videmus. »

38. ET SI VENERIT IN SECUNDA VIGILIA, ET SI IN TERTIA VIGILIA VENERIT, ET ITA INVENERIT, BEATI SUNT SERVI ILLI. — Prima vigilia incipit vespere, sive initio noctis, duratque tres horas : quibus exactis incipit secunda vigilia, quæ finitur in media nocte : a qua incipit tertia vigilia, duratque per tres horas : post quas incipit quarta vigilia, duratque usque ad auroram vel solis ortum. Significat hisce vigiliis Christus, quolibet ætate et quolibet tempore nos vigilare et paratos esse debere ad Domini adventum, quia dies mortis incerta est, nec vel unum habemus certum vitæ diem vel horam. Prima ergo vigilia est pueritia; secunda, est juventus; tertia, est virilis ætas; quarta, est senectus. Ita Titus et S. Gregorius. Non meminit Christus, ait Franciscus Lucas, quartæ vigiliæ, uti nec primæ, quia nec tam cito, nec tam sero rediri a nuptiis solet, quæ circa medium noctis ut plurimum solvuntur, sponsa in thalamum inducta. Interim significat omni tempore vigilandum nobis esse, etiam ætate provecta et decrepita; nec satis esse aliquando aut ad tempus vigilare in ætate juvenili et virili, sed perseverandum quamdiu hæc vita durat, quod incerta sit hora mortis, et adventus Domini longanimiter sit exspectandus. Ita S. Basilius, hom. *De non adhærendo rebus sæcularibus* : « Oportet, ait, nos quotidie ad emigrandum ex hac vita paratos esse, et nutum Domini fixis oculis exspectare, » etc., ut singuli Domino venienti et pulsanti confestim aperiant.

Adde : Christus meminit duntaxat secundæ et tertiæ vigiliæ, quia in illis somnus solet esse certior et profundior, ut innuat se venturum cum homines minime putant, cumque aliis cogitationibus curisque immersi profunde quasi dormiunt : quare tunc prudentes servos maxime vigilare et paratos esse debere, ut, cum sibi sanissimi et prosperrimi videntur, mortem sibi ex insidiis astantem exspectent.

Aliam causam dat Toletus : Non meminit, ait, quartæ vigiliæ, quia rarissimi sunt qui ad extremum vitæ differentes bene operari, inveniuntur id facientes; ne etiam pigros faceret, si ejus meminisset.

Ex his concludit S. Gregorius, *hom.* 13, atque omnes ad studium virtutis exhortatur, dicens : « Horam ultimam Dominus noster idcirco voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta; ut, dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Quia igitur momentis suis horæ fugiunt, agite, fratres charissimi, ut in boni operis mercede teneantur. Audite quid sapiens Salomon dicat : Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare; quia nec opus, nec scientia, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas. Quia ergo et venturæ mortis tempus ignoramus, et post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indulta rapiamus : sic enim mors ipsa cum venerit, vincetur, si priusquam veniat, semper timeatur. »

41. AIT AUTEM EI PETRUS : DOMINE, AD NOS DICIS HANC PARABOLAM (vigiliarum), AN ET AD OMNES — homines, præsertim fideles, tam nunc viventes, quam postea futuros? De eo dubitabat Petrus, quia solebat Christus quædam documenta dare solis Apostolis, alia omnibus fidelibus, atque hic quædam dixerat, quæ ad solos Apostolos et viros perfectos spectare videbantur, ut vers. 32 : « Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum : vendite quæ possidetis. » Et vers. 37 : « Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. » Cætera vero de vigilando et exspectando adventum Domini, videbantur ad omnes fideles pertinere.

42. DIXIT AUTEM DOMINUS : QUIS, PUTAS, EST FIDELIS DISPENSATOR, ET PRUDENS, QUEM CONSTITUIT DOMINUS SUPRA FAMILIAM SUAM, UT DET ILLIS IN TEMPORE TRITICI MENSURAM? — Petro respondet Christus se quidem ad omnes fideles loqui, sed maxime ad Petrum et Apostolos. His enim major incumbit vigilia et cura, ut non tantum se, sed et alios fideles salvent; atque Petrus erat dispensator, Græce, *œconomus*, quem Christus constituit super familiam, id est Ecclesiam suam; sic et cæteri Apostoli, juxta illud Pauli : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei, » I *Cor.* IV, 1.

UT DET ILLIS IN TEMPORE TRITICI MENSURAM. — Alludit ad morem veterum, apud quos communis erat arctaque servitus : abundabant enim mancipiis, quibus Christiani jam carent. Illi ergo unum ex servis præficiebant mancipiis, qui quolibet mense mensuram (unde dictum est *demensum*) annonæ et victus, puta tritici, vel hordei, si viles essent personæ, uti dixi *Oseæ* III, 2, eis distribuebat.

Potest *secundo*, τὸ « tritici » referri ad τὸ « tempore. » Boni enim œconomi est, instar Josephi, cum tempus est messis tritici, frugaliter illud dispensare per mensuras in singula familiæ capita, ne vendatur, vel in pauperes erogetur, itaque domesticis non sufficiat.

Cætera usque ad vers. 46 explicui *Matth.* XXIV.

Nota τὸ « dispensator et mensuram. » Nam æquus patrisfamilias dispensator non eadem omnibus dat mensuram, sed cuique propriam ac pro ætate, dignitate vel meritis proportionatam et adæquatam; hoc enim est rectum dispensatoris officium, ut cuique congrua dispenset et distribuat. Alia enim cibi ratio et mensura congruit infanti, alia adolescenti, alia viro, alia seni, alia feminæ, alia uxori, alia filiabus, alia ancillis, alia filiis, alia servis.

Qua ex re moraliter Christus docet Episcopos, Pastores, Confessarios, Concionatores, ut non eumdem omnibus fidelibus doctrinæ cibum exhibeant, nec in genere duntaxat ad omnes de virtutibus verba faciant, sed in particulari cuique eas virtutes instillent, quæ ætati, statui et gradui sunt congruæ et propriæ. Unde praxin hujus Christi parabolæ et sententiæ suo exemplo docuit S. Paulus, qui, *Ephes.* VI, 1 et seq., alia filiis, alia patribus, alia servis dat monita et præcepta; ac Timotheum, Episcopum Ephesi, instruens, *epist.* I, cap. V, 1 : « Seniorem, ait, ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; juvenes, ut fratres; anus, ut matres; juvenculas, ut sorores, in omni castitate; viduas honora quæ vere viduæ sunt : si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, » etc. Similia præscribit Tito, cap. II, 2 et seq.

Prælatus singulis doceat propria : ut fecit Paulus.

Christum et Paulum secutus est S. Gregorius Thaumaturgus, Neocæsareæ Episcopus, de quo ita scribit Nyssenus in ejus Vita : « Qui lugebat, audiebat ab eo quod eum consolaretur : juvenis castigabatur et docebatur temperantiam; seni porrigebatur medicina verbis convenientibus; servi docebantur, ut bene afficerentur in dominos; qui dominatum obtinebant, ut essent benigni et clementes in eos qui subjiciebantur eorum imperio; pauper, ut solas divitias existimaret virtutem; cujus possessio est in cujuslibet potestate posita; is qui de suis se jactabat divitiis, convenienter admonebatur, ut eorum quæ habebat esset œconomus, non dominus; mulieribus conducibilia, pueris convenientia, et patribus ea quæ decebat distribuens. » Et S. Cyprianus, qui, ut scribit Pontius Diaconus in ejus Vita, virgines hortabatur ad congruentem pudicitiæ disciplinam, et habitum sanctimonia dignum : docebat lapsos pœnitentiam, veritatem hæreticos, schismaticos unitatem, filios Dei pacem et Evangelicæ precis legem; Christianos mollioris affectus circa amissionem suorum, solabatur spe futurorum; livorem invidiæ dulcedine salutaris remedii inhibebat; Martyres exhortatione divini sermonis erigebat; Confessores frontium inscriptione signatos, incentivo tubæ cœlestis animabat. Id denique præ cæteris exacte præstitit S. Gregorius Pontifex, qui omnium pauperum Romæ et in locis vicinis degentium nomina in scripto habebat, ac cuique ea quæ erant necessaria, distribuebat. Insuper alebat tria millia Monialium Romæ existentium, extra Romam vero longe plura. Quare de illo vere dicas : « Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum, » *Eccli.* XXXI, 11. Quantam vero animarum curam haberet, ac singulis opportuna salutis juxta statum cujusque præcepta suggereret, patet ex ejus homiliis et ex epistolis, in quibus Mauritium Imperatorem monet, ne milites a vita religiosa avocet; Joannem, Patriarcham Constantinopolitanum, ne universalis Episcopi nomen superbum sibi arroget; Venantium, Cancellarium Italiæ, ut habitum monasticum dimissum resumat; Joannem, Ravennæ Episcopum, ut pallium temere usurpatum deponat; Augustino, Apostolo in Angliam destinato, rationes et modos præscribit, quibus Angliam ad fidem Christi convertat; Episcopos Hiberniæ docet, ne in nomine Trinitatis baptizatos ab hæreticis rebaptizent, et plurima talia. Pervolve tomum IV *Epistolarum* ejus, et miraberis unum virum tot negotiis occupatum, tot infirmitatibus obrutum, tot tantaque particularia et congrua virtutum monita singulis præscribere. Prudentia enim non in universali, sed in particulari quolibet opere prudenter dirigendo consistit; actiones enim virtutum singulares sunt, et singularem exigunt directionem et doctrinam.

46. ET DIVIDET EUM, — id est separabit eum a se suaque familia, puta ab Ecclesia triumphante, a societate Beatorum ipsaque beatitudine servis fidelibus promissa. Unde S. Hieronymus, in cap. XXIV *Matth.* : « Dividet eum, » inquit, hoc est separabit a consortio Sanctorum. S. Hilarius : « Dividet eum » a bonis promissis. Origenes : « Dividet eum » a dono Spiritus Sancti, atque a consortio et custodia angelorum; privabit enim eum Christus omni gratia, omni virtute, omni auxilio, omni spe salutis.

PARTEMQUE EJUS CUM INFIDELIBUS PONET, — id est punet eum cum cæteris servis qui sibi infide-

les fuerunt, etsi fideles se simularent. Unde Matthæus, cap. XXIV, 50, habet, « cum hypocritis. » Possunt quoque hic « infideles » accipi increduli, qui in Christum credere nolunt, de quibus dicitur : « Qui non credit, jam judicatus est, » *Joan.* III, 18.

47. ILLE AUTEM SERVUS, QUI COGNOVIT VOLUNTATEM DOMINI SUI, ET NON PRÆPARAVIT (se ad adventum domini, præparando et distribuendo famulis sibi commissis in tempore tritici mensuram, sed eos percutiendo, ac edendo, bibendo et inebriando, bona domini sui disperdidit), ET NON FECIT SECUNDUM VOLUNTATEM EJUS (jam dictam), VAPULABIT MULTIS. — Flagellis et plagis multis cædetur.

48. QUI AUTEM NON COGNOVIT (voluntatem domini) ET FECIT DIGNA PLAGIS, VAPULABIT PAUCIS, — id est paucioribus quam is qui cognovit voluntatem domini : intellige juxta mensuram tam ignorantiæ, quam facti et culpæ. Sunt enim quatuor gradus ignorantiæ : scilicet, prima invincibilis, quæ est inculpata : secunda, vincibilis, sed difficulter, quæ parum habet culpæ et reatus pœnæ; tertia crassa, quæ plus habet; quarta affectata, quæ plurimum habet culpæ et pœnæ, de qua dicitur *Psal.* XXXV, 5 : « Noluit intelligere ut bene ageret. » « Hic omnia despexit, ait Euthymius; ille vero segnis fuit : gravior est autem segnitie contemptus. » Segnis enim « cum scire potuisset, non scivit, » et, ut ait Titus, discere neglexit; contemnens vero despexit et irrisit. Hinc patet contra Jovinianum et modernos hæreticos, esse gradus peccatorum etiam mortalium, aliaque aliis esse graviora, ideoque graviori pœna æterna puniri in inferno. « Nam, ut ait Basilius, in *Regulis brevior.*, interrogat. 267, « multas et paucas plagas accipere, non finem supplicii, sed differentiam significat; nec in temporis extensione aut complemento, sed in supplicii differentia contingit, nempe, ut igne inextinguibili uterque dignus sit, sed unus mitius, alter acrius ardente. »

OMNI AUTEM CUI MULTUM DATUM EST (v. g. cui major scientia et major voluntatis domini cognitio), MULTUM QUÆRETUR AB EO (a Christo judice in judicio tam particulari, quam universali; quia, ut ait S. Gregorius, *hom.* 9, Cum augentur dona, rationes etiam crescant donorum); ET CUI COMMENDAVERUNT MULTUM (v. g. animarum multarum curam et præfecturam), PLUS PETENT AB EO. — Audi Bedam : « Multum commendatur ei cui, cum sua salute, Dominici quoque gregis pascendi cura committitur. » Ab hoc ergo plus petent Christus ejusque assessores Apostoli cæterique judices; scilicet non tantum suam, sed et fidelium sibi commissorum curam et salutem, quantum est ex parte sua. In pastore enim « cura requiritur, ait S. Bernardus, non curatio. » Hæc enim subinde est impossibilis ob morbi vel ægri vitium, vel pertinaciam. « Hæc, ait Titus, clare indicant doctorum pastorumque judicium, cæterorum non parum gravius et periculosius fore. » Quare de gradu et officio suo non superbiant, sed majori humilitate, studio et diligentia munus suum obeant, suumque gregem pascant. « Tanto ergo, ait S. Gregorius, loco citato, esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. »

Porro, quæ et quanta a Pontificibus, Episcopis et Prælatis requirat Deus, punctim, sed nervose ob oculos ponit Eugenio III Pontifici S. Bernardus, lib. IV *De Consider.* : « Teipsum, inquit, considera, formam justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem Gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, Cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, spem miserorum, tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentum, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, Canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi. Quis non timeat et tremat hæc audiens, quæ ab hac Sede omnia exiguntur. »

Quocirca S. Paulus, *Hebr.* XIII, 17 : « Obedite, ait, præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. » Ubi S. Chrysostomus, *homil.* 34 : « Miror, ait, si potest aliquis Pastorum salvari. » Idem nuper de Pontificibus dictitabat Cardinalis Bellarminus. Hac de causa viri sapientes et sancti prælaturas fugerunt, nec nisi coacti eas susceperunt. Audi quid de S. Cornelio Pontifice scribat S. Cyprianus, lib. IV, *epist.* 2 : Qui, inquit, episcopatum ipsum non postulavit, nec voluit, nec vi, ut cæteri quos arrogantiæ et superbiæ suæ tumor inflat, invasit; sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, vim passus est, ut episcopatum coactus exciperet. » Ita pariter Pontificatum fugere quoad potuere S. Gregorius, S. Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Basilius, S. Nazianzenus, S. Nicolaus, S. Athanasius, ac nostro sæculo Pius V electus in Pontificem expalluit, et pene in deliquium incidit. Rogatus causam, ingenue dixit : Cum essem Religiosus Ordinis S. Dominici, optime sperabam de mea salute; creatus vero Episcopus, cœpi de ea formidare; nunc vero electus in Pontificem, pene de ea despero : quomodo enim ego Deo rationem tot millionum animarum quot sunt in toto orbe, reddam, qui vix unius animæ meæ rationem reddere valeo? ita habet ejus Vita. Denique Concilium Tridentinum asserit Episcopatum esse angelicis humeris onus formidabile.

49. IGNEM VENI MITTERE IN TERRAM, ET QUID VOLO NISI UT ACCENDATUR? — Arabicus, *quid volo nisi accensionem ejus?* Sic et Ægyptius, Æthiopicus et Persicus. Incertum est an Christus hoc dixerit eodem tempore quo præcedentia. Lucas enim Christi dicta conglomerat, etiamsi alio et alio tempore sint prolata : possunt tamen hæc præcedentibus et sequentibus recte connecti hoc modo, ut post varia documenta data Apostolis et fidelibus, Christus tandem primarium suum officium, ad quod a Patre missus erat in mundum, exprimat, scilicet ut ignem divinum e cœlo in terram mitteret in Apostolos, ut illi eo accensi, eodem deinde cæteros fideles accenderent : per hunc enim ignem Apostoli officium evangelizandi et totum orbem convertendi, sibi a Christo commendatum plene et efficaciter erant adimpleturi, ac fideles Christi documenta ab Apostolis prædicata exacte perfecturi.

Symbolice : S. Ambrosius, in *Psalm.* CXVIII, serm. 8, docet Deum esse lucem ad lucendum, et ignem ad paleas vitiorum comburendum : « Lux, inquit, ut in tenebris ambulanti luceat, quasi lumen, ne diutius possit errare qui quærit luminis claritatem. Ignis, ut operis nostri fœnum stipulamque consummat, atque utili nos salvos faciat detrimento : sicut aurum, quod dum excoquitur, plus probatur. » Huc facit illud Clementis Alexandrini, in *Exhortatoria ad Gentes* : « Multiplices, inquit, habet Servator voces et modos ad salutem hominum. Minans admonet, maledicens convertit, dolens miseretur, psallens per nubem loquitur. Igne terret homines, ex columna flammam accendens, quod est simul gratiæ et terroris indicium : si obedieris, lucem; si non obedieris, ignem. »

Ignis Christi quid? Resp. Primo.

Quæres, quisnam est hic ignis? *Primo*, Tertullianus, lib. IV *Contra Marc.*, cap. XXIX; Maldonatus et Franciscus Lucas respondent esse odia, dissensiones, tribulationes et persecutiones infidelium, fidem et Apostolos fidelesque Christi persequentium; hasce enim suscitarunt indirecte et occasionaliter Christus et Apostoli prædicando Evangelium, novamque Christi crucifixi religionem. Audi Tertullianum : « Ipse (Christus) melius interpretabitur istius ignis qualitatem, adjiciens (vers. 51) : Putatis venisse me pacem mittere in terram? non dico vobis, sed separationem. Igitur ignem eversionis intendit, qui pacem negavit : quale prælium, tale et incendium, » quo Christus idololatriam, scelera et idola erat eversurus, et in cineres redacturus : quocirca Gentes omnes idolis suis addictas erat concitaturus contra se et Apostolos, ut ipsi totis viribus hoc religionis suæ pristinæ incendium restinguerent. Huc enim spectant omnia quæ deinceps vers. 50, 51, 52, 53, explicans ignem hunc, subjungit Christus (1).

*Secundo*, aptius S. Cyrillus, in *Catena*, et Jansenius censent hunc ignem esse prædicationem Evangelii; hanc enim directe optabat Christus, ut per eam corda hominum igne divino succenderet, juxta illud *Psal.* CXVIII : « Ignitum eloquium tuum vehementer. »

*Tertio*, et optime, S. Ambrosius et Origenes hic, et S. Athanasius, lib. *De communi essentia Patris et Filii*; S. Cyrillus, lib. V *in Levit.*; S. Hieronymus, lib. II *Apol. contra Ruffinum*; S. Augustinus, serm. 103 *De Tempore*; S. Gregorius, homil. 30 *in Evangel.*, per « ignem » accipiunt Spiritum Sanctum ejusque dona, præsertim charitatis, devotionis, fervoris, zeli, quæ ipse in fidelium animis suscitat, inquit Euthymius et Theophylactus. Hic ignis pariter lucernas fidelium facit ardentes, juxta illud : « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio : lampades ejus, lampades ignis atque flammarum, » *Cant.* VIII, 6. Vide ibi dicta. Sic ignem hunc explicat Ecclesia, cum in sabbato Pentecostes in Missa sic orat : « Illo nos igne, quæsumus, Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram et voluit vehementer accendi. » Hoc igne, ait S. Ambrosius, ardebat Cleophas, cum dixit : « Nonne cor nostrum ardens erat, cum aperiret Scripturas, et loqueretur in via? » *Lucæ* XXIV; et sic hic ignis amoris et ardoris complectitur ignem tribulationum, primo loco assignatum. Apostoli enim, amore Christi accensi, omnia adversa omnemque tribulationum et persecutionum ignem superarunt et superant, adeoque provocant; ille enim eis instabat, ut in sequent. prædicit Christus. Talis erat Paulus dicens : « Quis nos separabit a charitate Christi? certus sum quia neque mors, neque vita, » etc., *Rom.* VIII. Hoc quoque igne ignitus S. Ignatius, epist. *ad Roman.* : « Utinam, inquit, fruar bestiis quæ mihi paratæ sunt, quas et oro veloces esse mihi ad interitum et ad supplicia, et allici ad comedendum me. Frumentum Christi sum. Dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. » Hoc desiderium suum implevit Christus, cum in Apostolos et fideles misit Spiritum Sanctum per speciem linguarum ignearum in Pentecoste, *Actor.* II, ubi S. Chrysostomus, *hom.* 4 : « Hic ignis, ait, mundi peccata quasi ignem excussit. » Et post nonnulla : « Sicut enim igneus homo, si in medias incidat stipulas, nihil læditur, sed magis vim exeret suam; sic et hic evenit, » ut Apostoli quasi homines ignei a persecutoribus non læderentur, sed eos pariter ad fidem Christi converterent et ignirent.

Vide dotes ignis decem et septem quas recensui et Dei charitati applicavi *Levit.* IX, 23, et *Actor.* II, 3; et Dionysium, *De Cœlesti hierar.*, cap. XV, ubi ostendit per multas analogias ignem aptissimum esse symbolum et hieroglyphicum Dei et angelorum, eorumque in eo imitando similitudinem apprime repræsentare, juxta illud *Deuter.*

(1) Hic sensus *ad litteram* genuinus esse etiam probatur, tum quia vers. 51 τῷ πῦρ, *ignis*, opponitur εἰρήνη, *concordia*; tum quia ibid., τὸ πῦρ commutatur cum vocabulo διαμερισμός, *dissensio*, seu *separatio*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IV, 24 : « Dominus Deus tuus ignis consumens est. » Et *Hebr.* I : « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. » Hoc igne ardebat Elias, de quo Ecclesiasticus, cap. XLVIII, 1 : « Et surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat, » ideoque curru igneo raptus est in cœlum, succlamante Elisæo : « Pater mi (tu es), currus Israel et auriga ejus, » IV *Reg.* II ; et Sponsa, *Cant.* II, 5 ; dicens : « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » Hoc igne succensi Martyres, ignes corporeos spreverunt, imo ambierunt, quia vel eos non senserunt, ut tres pueri in fornace Babylonica, vel heroica virtute vicerunt, ut vicit S. Laurentius; de quo canitur illud : « Igne me examinasti; et non est inventa in me iniquitas, » *Psal.* XVI, 3. Durum sane fuit et acre examen hoc igneum; sed dolorem rei vicit amor Dei, cruciatum ignis superavit cruciatus Agni : memoria, inquam, Christi pro nobis acerbiora passi. « Flammis tuis, o tyranne, ait S. Leo, serm. *De S. Laurentio*, superari charitatis flamma non potuit : segnior fuit ignis qui foris ussit, quam qui intus accendit. Sævisti persecutor in martyrem ; sævisti et auxisti palmam, dum auges pœnam. » Et S. Augustinus, serm. *De S. Laurentio* : « Hoc igne B. Laurentius accensus, flammarum non sentit incendium; et dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sentit. » Ita S. Ignatius scribens ad Romanos : « Ignis, ait, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. » Similes fuere Christiani ævo Tertulliani, qui proinde, in cap. L *Apolog. ad Gentiles*, ita scribit : « Licet nunc Sarmenticios et Semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. » Annon hi sunt Seraphini terrestres, Seraphinis cœlestibus ardentiores et fortiores? hi enim ardent igne amoris duntaxat, illi ardent igne amoris et doloris, ac martyrii, dum viva Dei sunt holocausta. Nostro hoc sæculo eodem igne arserunt ardentque Japones, qui pro fide Christi lento igne ad plures horas torrentur, in iisque quasi adamantes, hoc est indomabiles et invicti, usque ad mortem persistunt. Fuere inter eos plures e Societate nostra quasi religionis signiferi; ac inter alios R. P. Camillus Constantius Italus, qui per tres horas in igne immotus, imo hilaris et exultans constitit, perpetuo elata voce vel Deo jubilans, vel socios ad constantiam animans, vel ad populum concionans (quod hactenus in Vitis Martyrum non legimus) donec incendium in intima corporis viscera grassans, vocem ei cum vita eripuit, ut caderet gloriosa Deo holocausti victima.

Macte animo, inclyti heroes, pugiles fidei, athletæ Christi, spectaculum facti estis Deo, angelis et hominibus, qui igne divino ardentes, pro fide Christi corpus flammis, animam Deo resignantes, et inter incendia cygnea voce jubilantes, vos ipsos meritis, tyrannos stupore, Japonem Christianis, Societatem heroicis virtutum exemplis, orbem fama, Ecclesiam gloria, cœlum novis novorum athletarum laureis implestis et decorastis. Vivet vestrum decus, vivet invicta fortitudo, vivet vestra gloria, vivent vestri ignes animique ardores, quibus Japonem illuminastis et inflammastis, quamdiu sæculorum omnium vivet æternitas.

Hoc cogitans S. Eulalia, ardens desiderio martyrii, clam insciis parentibus ad agonem procurrit, cumque flagris dilaceraretur, canebat teste Prudentio, *Hymno* 3 περὶ στεφάνων :

Ergo age, tortor, adure, seca
Divide membra coacta luto :
Solvere rem fragilem, facile est :
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.

Quare decimo tertio ætatis anno flammis circumdata,

Virgo citum cupiens obitum,
Appetit, et bibit ore rogum,

martyr in forma columbæ in cœlum evolavit.

ET QUID VOLO NISI UT ACCENDATUR? — Arabicus, *et quid volo nisi accensionem ejus?* S. Hieronymus, *ad Nepotianum*, « quam volo ut ardeat? » Origenes, homil. 8 *in Ezechiel.* : « Utinam accendatur! » vel, « o quantum cupio accendi jam! » Philastrius, lib. *De Hæres.*, cap. ult. : « Quam volo accendatur ocyus; » Græca vero habent εἰ ἤδη ἀνήφθη, id est *si jam accensus est*, uti legit Syrus, S. Hilarius in *Psal.* CXIX, Theophylactus, Euthymius et Cyrillus in *Catena*, *q. d.* Nil opto, nisi ignem hunc jam accensum esse : quare si jam accensus sit, nil est quod amplius desiderem; nihil enim aliud desidero, quam ignem hunc accendi : unicum hoc meum votum est, ut ignis hic ardeat. Eodem ergo redit utraque lectio. « Urget enim, ait Theophylactus, ut ignis ille accendatur. » Forte Noster legit ἀνῆφθαι, id est *accensum esse*. Idem a Christo discat dicatque vir Apostolicus : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » Ut ubique tetrea, tepida, frigida, imo saxea, gelida et rigida hominum corda, verbo et exemplo igne ferventis divini accendat, et in igneam amoris convertat, uti fecit noster S. Ignatius, fundator Societatis Jesu : ad hoc enim igne, et magno igne zeloque opus est. Quare hunc ignem prius in se valde accendat oportet, qui eum aliis afflare cupit :

Ardeat orator, qui vult accendere plebem.

50. BAPTISMO AUTEM HABEO BAPTIZARI (est græcismus, id est baptizandus sum; Arabicus, *et est mihi baptismus, baptizabor eo*; *q. d.* Ex Dei decreto, et ex mea voluntate ac voto debeo eo baptizari) : ET QUOMODO COARCTOR USQUE DUM PERFICIATUR! — *q. d.* Ignis hic charitatis et zeli Spiritus Sancti exilire nequit, nisi prius in cruce percutiatur silex corporis mei, vel potius nisi baptizer fonte sanguinis mei; hic enim similis est fontibus nonnullis, in quibus faces extinctas, si immerseris, mira naturæ vi et antiperistasi accenduntur, qualis est fons Dodonensis, ait Plinius, lib. II, cap. CIII. Addunt nostri Conimbricenses, in *Meteora*, tract. 9, cap. 7, talem quoque esse in Epiro, alium in Indiæ terris, cujus aqua lucernæ ardeant. Item alium olim Jovis Ammonis dictum, qui sub lucem tepentibus aquis manat, meridie frigidus est, vespere calet, media nocte æstuat. Sic pariter æstuant jugiter aquæ fontium, sive thermarum et balneorum Aquisgranensium. Similes thermæ sunt juxta Neapolim, in Gallia et pluribus aliis locis. Hisce ergo suam passionem comparat Christus. Hæc enim est quasi balneum æstuans, quod ignem et incendium charitatis in mentibus fidelium suscitavit. Crucis et passionis Christi merito, æque ac exemplo, hic ignis exilit. « Baptismum » vocat suam mortem et passionem, quia in eam plane immersus et demersus fuit juxta illud *Psal.* LXVIII, 2 : « Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. »

ET QUOMODO COARCTOR USQUE DUM PERFICIATUR! — Id est angor, crucior ex desiderio moriendi pro salute hominum, et per hoc ignem istum accendendi. Ita Euthymius : « Velut anxius sum, inquit, propter tarditatem; » et Theophylactus : « Et quomodo constringor, id est quam sollicitus et anxius sum, ac premor, donec perficiatur! » Sitio enim mortem pro omnium salute. Sic et S. Ambrosius, Beda et alii. Arabicus, *et ego coarctor ad perficiendum*. S. Irenæus, lib. I, cap. XVIII, legit, *et valde propero ad illud*. Solent enim desiderio contrahi et quasi comprimi corda anxiorum, gaudio vero corda exultantium diffundi et dilatari. Perperam ergo Lyranus contrarie exponit : « coarctor, » id est perhorresco illum, juxta illud : « Tristis est anima mea usque ad mortem. » Verum hic fuit sensus naturalis animæ Christi, quem spiritu et zelo superans corrigensque dixit : « Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. »

Moraliter : nota quantus fuerit in Christo zelus, quanta charitas et quanta sitis salutis nostræ; utpote quæ tantam in eo sitim passionis, mortis et crucis, licet tam atrocis, excitavit, ut cor ejus inter eam, et inter moram passionis, quasi inter duos lapides molares in molendino positum arctaretur, et in summas angustias redigeretur, aut velut in torculari situm angore comprimeretur et pene opprimeretur. Ubi enim est amor, ibi est pariter dolor et angor, ne res amata negetur vel differatur. Summo igitur desiderio urgebatur, et quasi torrebatur Christus, offerendi se Deo in holocaustum et in victimam pro peccatis omnium hominum in altari crucis, ut quantum erat ex parte sua, omnes sanctificaret, salvaret et bearet.

Hunc zelum suum, hanc sitim impressit Apostolis virisque Apostolicis, qui sitiunt cruces, labores, dolores, tormenta et martyria pro gloria Dei, ut Evangelium Christi toto orbe propagent, et quotquot possunt, salvent. Hæc est sanctitas Evangelica, hæc perfectio virtutis, hoc culmen Apostolatus. Notæ sunt S. Andreæ crucis salutationes, et anhela ad eam suspiria : « Salve, crux speciosa, diu desiderata et tandem concupiscenti animo præparata : securus et gaudens venio ad te, ita et tu exultans suscipias me, ac per te me recipiat, qui per te moriens me redemit. » S. Laurentius ad Valerianum Imperatorem ostendentem et minantem ignes, rotas, scorpiones, bestias : « Hanc mensam, inquit, appeto, hanc sitio. Non est famelicus qui escam, nec sitiens qui potum desideret tam avide, quam ego hæc omnia tormenta ambio et sitio, ut amorem amori, dolorem dolori, mortem morti rependam Christo meo. » S. Vincentius ad Dacianum : « Nemo, ait, mortalium majus beneficium mihi contulit, quam tu, qui me torques et crucias, quia quot me tormentis afficis, tot coronis martyrii me exornas. » Et ad carnifices : « Quam estis desides, quam imbecilles! putabam vos longe esse fortiores. En ego plura pati desidero, et vestros ictus longe exsupero. » S. Agatha ad Quintianum : « Quid tardas? quid exspectas? flagella, lacera, ure, seca, merge, lania, occide meum hoc corpus, quia quo plus me cruciaveris, eo plus boni mihi contuleris, tantoque plus favoris et gratiæ a sponso meo Jesu Christo recipiam. » Similia fuere vota similesque voces S. Agnetis, S. Luciæ, S. Dorotheæ, S. Cæciliæ aliorumque Martyrum.

51. PUTATIS QUIA PACEM VENI DARE IN TERRAM? NON, DICO VOBIS, SED SEPARATIONEM. — Vide dicta *Matth.* X, 34.

52. ERUNT ENIM EX HOC (tempore, id est deinceps) QUINQUE IN DOMO UNA DIVISI, TRES IN DUOS, ET DUO IN TRES. — « Quinque, » scilicet pater, filius, mater, filia et nurus; nam socrus eadem est quæ mater. Ita S. Ambrosius, et patet ex seq., *q. d.* In eadem domo tres infideles insurgent in duos fideles, vel duo infideles in tres fideles, v. g. pater et filius non credentes in Christum, insurgent in matrem et filiam ac nurum credentes in Christum, aut vice versa.

53. DIVIDENTUR (Græce διαμερισθήσεται, id est dividetur, dissidebit, separabit et opponet se) : PATER IN FILIUM, — id est contra filium; et ita de cæteris.

54. DICEBAT AUTEM ET AD TURBAS : CUM VIDERITIS NUBEM ORIENTEM AB OCCASU, STATIM DICITIS (ex crebra et continua experientia) : NIMBUS VENIT (Græce ὄμβρος, id est imber, pluvia); ET ITA FIT. — *q. d.* Cum videtis nubem ab occasu, dicitis : Pluet. Ita Elias tempore siccitatis triennalis,

Cur nubes ab Occasu pluviam indicent? cum a puero intellexisset nubem ortam ab occasu, pluviam instare prædixit; illaque mox secuta est, III *Reg.* XVIII, 44. Causa hujus rei physica est, quod Judæa ab Occasu habeat mare Mediterraneum, ex quo vi solis multi vapores in altum elevantur, qui in nubem densati, per solis calorem in aquam resolvuntur, et pluviam pariunt, præsertim cum sol pariter tendit in occasum : tunc enim debilior est, quam ut vapores hosce dissipet, ne in nubem concrescant et in pluviam resolvantur. Quibus vero mare æque ad Occasum et Meridiem et Septentrionem est, æque ex his partibus ascendunt nubes nimborum nuntiæ : Anglis ascendunt undique, ut qui mari undique cinguntur, ait Valesius, *Sacr. Philos.* cap. LXXXVI. Vide dicta in *Matth.* XVI.

Porro necessarium, ait S. Basilius, in *Catena*, sunt vitæ humanæ siderum conjecturæ, modo ne ultra mensuram eorum indicia perquirantur; interest autem providere procellarum pericula, viatori mutationem aeris, colono frugis solisque situm ad sementem, ut messem faciat copiosam : nam Deus posuit illa « in signa et tempora; » *Genes.* I, 14.

# CAPUT DECIMUM TERTIUM

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus, occasione Galilæorum cæsorum a Pilato et aliorum oppressorum ruina turris Siloe, suadet pænitentiam; et ad hoc adhibet fici infrugiferæ, ideoque succidendæ parabolam : secundo, vers.* 11, *sanat mulierem per* 18 *annos incurvatam sabbato, ideoque Judæos obmurmurantes ratione clara confutat; tertio, vers.* 18, *comparat regnum cælorum grano sinapis et fermento exiguo, quod totam farinæ massam fermentat; quarto, vers.* 23, *docet paucos salvari; quinto, vers.* 31, *Pharisæis suadentibus secessum Christo, eo quod Herodes mortem ei machinatur, respondet se non ab Herode, sed ab Hierosolymitis et Pharisæis ipsis occidendum esse; ideoque Jerusalem et Judæam a Tito evertendam prædicit.*

*Porro, tertiam partem explicui* Matth. XIII, 31 *et seq.; quartam,* Matth. VII, 13; *quintam ex parte explicui* Matth. XXIII, 36 *et seq. Supersunt ergo hic explicandæ pars prima et secunda, et particula quintæ.*

1. Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. 2. Et respondens dixit illis : Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? 3. Non, dico vobis; sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. 4. Sicut illi decem et octo supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos : putatis quia et ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem? 5. Non, dico vobis; sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. 6. Dicebat autem et hanc similitudinem : Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. 7. Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? 8. At ille respondens, dicit illi : Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora; 9. et siquidem fecerit fructum : sin autem, in futurum succides eam. 10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. 11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo; et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. 12. Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. 13. Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum. 14. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ : Sex dies sunt, in quibus oportet operari; in his ergo venite, et curamini, et non in die sabbati. 15. Respondens autem ad illum Dominus dixit : Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, et ducit adaquare? 16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati? 17. Et cum hæc diceret, erubescebant omnes



adversarii ejus; et omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo. 18. Dicebat ergo : Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud? 19. Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam; et volucres cœli requieverunt in ramis ejus. 20. Et iterum dixit : Cui simile æstimabo regnum Dei? 21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum. 22. Et ibat per civitates et castella docens, et iter faciens in Jerusalem. 23. Ait autem illi quidam : Domine, si pauci sunt qui salvantur? ipse autem dixit ad illos : 24. Contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt. 25. Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes : Domine, aperi nobis; et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis; 26. tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. 27. Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis; discedite a me, omnes operarii iniquitatis. 28. Ibi erit fletus et stridor dentium : cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. 29. Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et accumbent in regno Dei. 30. Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi. 31. In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi : Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere. 32. Et ait illis : Ite, et dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor. 33. Verumtamen oportet me hodie et cras, et sequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Jerusalem. 34. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti? 35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cum dicetis : Benedictus, qui venit in nomine Domini.

1. ADERANT AUTEM QUIDAM IPSO IN TEMPORE, NUNTIANTES ILLI DE GALILÆIS, QUORUM SANGUINEM PILATUS MISCUIT CUM SACRIFICIIS EORUM, — id est quos in monte Garizim, qui situs est in Samaria, dum ibidem sacrificarent, Pilatus occidit, ita ut sanguis eorum cum sanguine victimarum quas offerebant, misceretur. Rem gestam fusius narrat Josephus, lib. XVIII *Antiq.*, cap. IV, et Hegesippus, lib. II *De Excidio Hierosolymæ*. Audi Josephum : « Concitavit eos (Samaritanos, impostor quidam, jubens ut convenirent in montem Garizim, apud eam gentem sanctissimum, asseverans se illic eis ostensurum sacra vasa refossa, quæ ibi Moyses deposuisset : illi creduli, sumptis armis, Tirathabam vicum insederunt, exspectantes ibi confluentes cæteros, ut magno agmine montem ascenderent. Sed Pilatus prior clivum montis occupat equitibus suis et peditibus, qui prælio congressi cum Samaritis apud vicum collectis, alios fuderunt, alios in fugam compulerunt; multos etiam vivos captos abduxerunt, quorum præcipuos et potentiores Pilatus mulctavit capite (1). »

Dices, Josephus asserit fuisse Samaritanos : quomodo hic Christus eos vocat Galilæos? Respondeo, Samaritanos vocari origine et patria; Galilæos vero secta et hæresi. Ita Baronius. Hoc ut intelligas, nota Judam Galilæum, teste Luca, *Actor.* V, 37, auctorem fuisse sectæ Galilæorum, qui rebelles erant Cæsari Romano, dicentes non licere Judæis, utpote populo fideli divino cultui addicto, subesse Cæsari gentili et idololatræ, eique dare tributum; nec alium dominum quam Deum agnoscere et colere debere. Ita Cyrillus, in *Catena*; Theophylactus, Euthymius et Titus. Quocirca Pilatus, præses Judææ, eos per immissos milites trucidavit. Secta hæc exorta est sub tempora Christi. Unde et Christus ac Apostoli, utpote natione Galilæi, ejus insimulati sunt, ideoque studiose contra eam docuerunt, solvenda esse tributa regibus et Cæsari, licet Gentili. Porro, Franciscus Lucas censet hos Galilæos a Pilato occisos in Jerusalem, cum sacrificarent in templo, eo quod Pilatus præesset Judææ, non Samariæ. Verum Josephus diserte ait eos occisos in monte Garizim, qui est in Samaria. Adde Samaritanos fecisse schisma a Judæis, ideoque noluisse adire templum Hierosolymitanum, sed aliud erexisse templum in sua ditione, scilicet in monte Garizim, ibique sacrificasse, ut patet *Joan.* IV, 20.

(1) Haud pauci tamen interpretes historiam a Luca hic relatam distinguunt ab illa quam Josephus enarravit lib. XVIII *Antiq.*, cap. IV, parum enim concordare videntur tum tempus, tum circumstantiæ facti.

[illegible] cum a puero intellexisset nubem ortam ab occasu, pluviam instare prædixit; illaque mox secuta est, III *Reg.* XVIII, 44. Causa hujus rei physica est, quod Judæa ab Occasu habeat mare Mediterraneum, ex quo vi solis multi vapores in altum elevantur, qui in nubem densati, per solis calorem in aquam resolvuntur, et pluviam pariunt, præsertim cum sol pariter tendit in occasum : tunc enim debilior est, quam ut vapores hosce dissipet, ne in nubem concrescant et in pluviam resolvantur. Quibus vero mare æque ad Occasum et Meridiem et Septentrionem est, æque ex his partibus ascendunt nubes nimborum nuntiæ : Anglis ascendunt undique, ut qui mari undique cinguntur, ait Valesius, *Sacr. Philos.* cap. LXXXVI. Vide dicta in *Matth.* XVI.

Porro necessarium, ait S. Basilius, in *Catena*, sunt vitæ humanæ siderum conjecturæ, modo ne ultra mensuram eorum indicia perquirantur; interest autem providere procellarum pericula, viatori mutationem aeris, colono humi solisque situm ad sementem, ut messem faciat copiosam : nam Deus posuit illa « in signa et tempora; » *Genes.* I, 14.

# CAPUT DECIMUM TERTIUM

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus, occasione Galilæorum cæsorum a Pilato et aliorum oppressorum ruina turris Siloe, suadet pœnitentiam; et ad hoc adhibet fici infrugiferæ, ideoque succidendæ parabolam : secundo, vers.* 11, *sanat mulierem per* 18 *annos incurvatam sabbato, ideoque Judæos obmurmurantes ratione clara confutat; tertio, vers.* 18, *comparat regnum cælorum grano sinapis et fermento exiguo, quod totam farinæ massam fermentat; quarto, vers.* 23, *docet paucos salvari; quinto, vers.* 31, *Pharisæis suadentibus secessum Christo, eo quod Herodes mortem ei machinatur, respondet se non ab Herode, sed ab Hierosolymitis et Pharisæis ipsis occidendum esse; ideoque Jerusalem et Judæam a Tito evertendam prædicit.*

*Porro, tertiam partem explicui* Matth. XIII, 31 *et seq.; quartam,* Matth. VII, 13; *quintam ex parte explicui* Matth. XXIII, 36 *et seq. Supersunt ergo hic explicandæ pars prima et secunda, et particula quintæ.*

1. Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. 2. Et respondens dixit illis : Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? 3. Non, dico vobis; sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. 4. Sicut illi decem et octo supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos : putatis quia et ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem? 5. Non, dico vobis; sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. 6. Dicebat autem et hanc similitudinem : Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. 7. Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? 8. At ille respondens, dicit illi : Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora; 9. et siquidem fecerit fructum : sin autem, in futurum succides eam. 10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. 11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo; et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. 12. Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. 13. Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum. 14. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ : Sex dies sunt, in quibus oportet operari; in his ergo venite, et curamini, et non in die sabbati. 15. Respondens autem ad illum Dominus dixit : Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, et ducit adaquare? 16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati? 17. Et cum hæc diceret, erubescebant omnes



adversarii ejus; et omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo. 18. Dicebat ergo : Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud? 19. Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam; et volucres cœli requieverunt in ramis ejus. 20. Et iterum dixit : Cui simile æstimabo regnum Dei? 21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum. 22. Et ibat per civitates et castella docens, et iter faciens in Jerusalem. 23. Ait autem illi quidam : Domine, si pauci sunt qui salvantur? ipse autem dixit ad illos : 24. Contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt. 25. Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes : Domine, aperi nobis; et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis; 26. tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. 27. Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis; discedite a me, omnes operarii iniquitatis. 28. Ibi erit fletus et stridor dentium : cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. 29. Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et accumbent in regno Dei. 30. Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi. 31. In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi : Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere. 32. Et ait illis : Ite, et dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor. 33. Verumtamen oportet me hodie et cras, et sequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Jerusalem. 34. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti? 35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cum dicetis : Benedictus, qui venit in nomine Domini.

1. Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum, — id est quos in monte Garizim, qui situs est in Samaria, dum ibidem sacrificarent, Pilatus occidit, ita ut sanguis eorum cum sanguine victimarum quas offerebant, misceretur. Rem gestam fusius narrat Josephus, lib. XVIII *Antiq.*, cap. IV, et Hegesippus, lib. II *De Excidio Hierosolymæ*. Audi Josephum : « Concitavit eos (Samaritanos, impostor quidam, jubens ut convenirent in montem Garizim, apud eam gentem sanctissimum, asseverans se illic eis ostensurum sacra vasa refossa, quæ ibi Moyses deposuisset : illi creduli, sumptis armis, Tirathabam vicum insederunt, exspectantes ibi confluentes cæteros, ut magno agmine montem ascenderent. Sed Pilatus prior clivum montis occupat equitibus suis et peditibus, qui prælio congressi cum Samaritis apud vicum collectis, alios fuderunt, alios in fugam compulerunt; multos etiam vivos captos abduxerunt, quorum præcipuos et potentiores Pilatus mulctavit capite (1). »

Dices, Josephus asserit fuisse Samaritanos : quomodo hic Christus eos vocat Galilæos? Respondeo, Samaritanos vocari origine et patria; Galilæos vero secta et hæresi. Ita Baronius. Hoc ut intelligas, nota Judam Galilæum, teste Luca, *Actor.* V, 37, auctorem fuisse sectæ Galilæorum, qui rebelles erant Cæsari Romano, dicentes non licere Judæis, utpote populo fideli divino cultui addicto, subesse Cæsari gentili et idololatræ, eique dare tributum; nec alium dominum quam Deum agnoscere et colere debere. Ita Cyrillus, in *Catena*; Theophylactus, Euthymius et Titus. Quocirca Pilatus, præses Judææ, eos per immissos milites trucidavit. Secta hæc exorta est sub tempora Christi. Unde et Christus ac Apostoli, utpote natione Galilæi, ejus insimulati sunt, ideoque studiose contra eam docuerunt, solvenda esse tributa regibus et Cæsari, licet Gentili. Porro, Franciscus Lucas censet hos Galilæos a Pilato occisos in Jerusalem, cum sacrificarent in templo, eo quod Pilatus præesset Judææ, non Samariæ. Verum Josephus diserte ait eos occisos in monte Garizim, qui est in Samaria. Adde Samaritanos fecisse schisma a Judæis, ideoque noluisse adire templum Hierosolymitanum, sed aliud erexisse templum in sua ditione, scilicet in monte Garizim, ibique sacrificasse, ut patet *Joan.* IV, 20.

(1) Haud pauci tamen interpretes historiam a Luca hic relatam distinguunt ab illa quam Josephus enarravit lib. XVIII *Antiq.*, cap. IV, parum enim concordare videntur tum tempus, tum circumstantiæ facti.

Pilatus ergo hos Samaritanos rebelles persequens comprehendit et occidit in Samaria Judææ vicina, tanquam publicos Cæsaris hostes, a quolibet Cæsaris præfecto mactandos.

Cum ergo horum cædes increbuisset, multi de ea vulgo fuere sermones, dictitantibus plerisque illos sceleratos et Deo invisos fuisse; utpote quorum sacrificia non solum a Deo rejecta fuerunt, sed et sanguine eorum condita. Hæc ergo astantes narrarunt Christo, ut ejus sententiam de horum cæde exquirerent; Christus vero hac cladis occasione sapienter usus, ex ea sumpsit argumentum extimulandi illos ad pœnitentiam, ne alioquin similis in eos vindicta Dei desæviret. Christi exemplum sequatur concionator, ut, cum publicæ clades pestis, famis, belli ingruunt, populum cohortetur ad pœnitentiam, ut eas et simul tormenta gehennæ evadant.

2. ET RESPONDENS DIXIT ILLIS : PUTATIS QUOD HI GALILÆI PRÆ OMNIBUS GALILÆIS PECCATORES (sceleratiores) FUERINT, QUIA TALIA PASSI SUNT? — Hoc enim ipsi putabant, idque ex clade eorum colligebant; sed perperam : nam sæpe Deus paucos minus peccantes castigat, ut eos cæteris statuat in exemplum et terrorem, quo ad pœnitentiam incitentur. Ita Beda, Titus et alii.

3. NON, DICO VOBIS, SED NISI POENITENTIAM HABUERITIS (Græce μετανοῆτε, id est pœnitentiam egeritis), OMNES SIMILITER PERIBITIS. — « Similiter, » id est pariter, nemine excepto, ait Maldonatus. Sic *Sapient.* VI, 8, dicitur : « Æqualiter cura est illi de omnibus, » quia pariter omnes nemine excepto curat, etiamsi alterum magis, alterum minus. *Secundo*, et simplicius, « similiter, » id est æque peribitis, etiamsi alia mortis specie, æterna scilicet, aut etiam temporali. *Tertio*, et proprie Jansenius : « Similiter, » inquit, id est simili morte clade et vindicta Dei. Nam Judæi obsessi et oppressi sunt a Tito in festo Paschæ, quando sacrificabant. Tunc ergo capta a Tito urbe, multi cæsi sunt in templo, ubi sacrificabant et sacrificare solebant. Sic etiam Euthymius, S. Thomas, Hugo, Lyranus, Cyrillus in *Catena*.

Nota Christum hic docere nos ex hujusmodi eventis calamitosis debere mentem reflectere ad peccata nostra, ut de iis pœniteamus, ne in similes clades, Deo puniente, incidamus. Ita Beda.

Symbolice Beda : Pilatus, inquit, hebraice idem est quod os malleatoris, puta diabolus, semper cædere paratus; sanguis, est peccatum et concupiscentia; sacrificia, sunt bonæ actiones, quas diabolus, vel carnis delectatione, vel humanæ laudis ambitione, vel alia peste commaculat.

4. SICUT ILLI DECEM ET OCTO, SUPRA QUOS CECIDIT TURRIS IN SILOE, ET OCCIDIT EOS. — Erat fons, sive piscina, Siloe juxta Jerusalem, de qua Isaias, VIII, 6, ait : « Abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio : » juxta hunc fontem erat turris, ab eo pariter dicta Siloe, quæ tempore Christi vi ventorum, aut fulminis, aut terræmotus, similive casu corruit, et octodecim homines in ea, vel juxta eam consistentes, ruina sua oppressit : quod licet casu fortuito factum sit, si causas secundas spectes; tamen si causam primam, scilicet Deum, attendas, certa providentia Dei volentis homines punire et cæteros terrere, id factum est; Deo enim nihil est fortuitum, sed omnia certo prævisa et provisa sunt, ut nihil in regno providentiæ ejus liceat fortunæ aut temeritati, ait Boetius. Deus ergo hos casus ordinat ad hominum punitionem et correptionem, ut cæteri videntes sibi vicinos ruina turris, aliove modo subito et improviso occidi, metuant, ne simile quid sibi contingat, ideoque de peccatis pœniteant et sese Deo reconcilient, ne in peccatis suis casu aliquo opprimantur et damnentur ad gehennam. Hoc est quod Deus asserit per Amos prophetam, cap. III, 6, dicens : « Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit. » Et per Isaiam, cap. XLV, 7 : « Ego Dominus formans lucem et creans tenebras; faciens pacem et creans malum. » Idem per umbram viderunt Poetæ et Philosophi. Unde Virgilius Deum ita celebrat, I *Æneid.* :

Octodecim homines ruina turris Siloe oppressi.

> O qui res hominumque deumque
> Æternis regis imperiis, et fulmine terres.

Et Plutarchus, in *Moral.* : « Veluti, inquit, si quis cæcus in quempiam incidit, illum cæcum appellat qui non vitaverit : sic nos fortunam facimus cæcam, in quam nostrapte incidimus cæcitate. » Nam ipsa fortuna fortunans, quæ non est alia quam ipse Deus Deique providentia, oculatissima est, et longe plures quam Argus habet oculos. Porro, idem Plutarchus ibidem : « Sicut, inquit, ischiacis medici pollicem inurunt, ut, cum alibi doleant, alibi adhibeant remedium; sic Deus nonnunquam ut patres sanet, sævit in filios, » et vice versa. Idem rursum : « Sicut amnes quidam repente se condunt sub terram, nihilominus eo perferuntur quo tendunt; ita Numinum iræ, licet occultæ, tamen in extremas calamitates auferunt aliquando nocentes. »

Symbolice Beda : « Turris, ait, est Christus; Siloe, id est missus a Patre in mundum, qui omnes impios, super quos per sententiam condemnationis ceciderit, conteret, » *Matth.* XXI, 44.

PUTATIS QUIA (quod) ET IPSI DEBITORES (id est peccatores; Arabicus, *culpabiles*, hi enim Chaldaice vocantur *charebim*, id est debitores : peccator enim Deo debet animam, scilicet decem millia talenta, *Matth.* XVIII, 24) FUERINT PRÆTER OMNES HOMINES HABITANTES IN JERUSALEM? — Hic aperte indicat Christus illos 18 turri Siloe oppressos fuisse peccatores, etsi non summos et maximos qui erant in Jerusalem. Ita Interlinearis.

5. NON, DICO VOBIS : SED, SI POENITENTIAM NON



EGERITIS, OMNES SIMILITER PERIBITIS. — Ostendit, ait S. Chrysostomus, « hosce octodecim statutos cæteris in exemplum et terrorem : punitur quidem quisque ob propria crimina, sed fit hoc aliis salutis materia, scilicet ut flagellato pestilente stultus sapientior fiat. Deus enim non omnes hic punit, sed dat inducias pœnitendi, non tamen cunctos futuræ punitioni reservat, ne multi ejus providentiam negent. » Hæc Chrysostomus.

6. DICEBAT AUTEM ET HANC SIMILITUDINEM : ARBOREM FICI HABEBAT QUIDAM PLANTATAM IN VINEA SUA, ET VENIT QUÆRENS FRUCTUM IN ILLA; ET NON INVENIT.

7. DIXIT AUTEM AD CULTOREM VINEÆ : ECCE ANNI TRES SUNT EX QUO VENIO QUÆRENS FRUCTUM IN FICULNEA HAC, ET NON INVENIO : SUCCIDE ERGO ILLAM, UT QUID ETIAM TERRAM OCCUPAT? — Græce significantius est καταργεῖ, id est onerat inutili onere, imo terram inertem et sterilem reddit, tum umbra sua, tum radicibus suis, quibus succum terræ vicinis vitibus eripit et præripit. Syrus, *otiosam detinet*; ἀργὸν enim est ignavum, iners et viribus destitutum.

Ad litteram ficus hæc repræsentat Synagogam Judæorum, quam Deus plantavit per Mosem, ad quam venit Christus per Incarnationem, ut eam per prædicationem suam excoleret. Christus ergo est cultor vineæ, id est Synagogæ, cui dixit Deus : Succide eam, quia jam per tres annos, quibus in ea prædicasti, ex ea fructus fidei et bonorum operum requiro, sed nullos invenio, ob Judæorum infidelitatem, pervicaciam et malitiam : intercedit pro ea Christus, ut adhuc uno anno, saltem dimidiato, sinat eam a se prædicando excoli; si deinde fructum non ferat, excidatur. Ita factum est, quia Judæi quarto anno prædicationis Christi in Paschate, peccata peccatis addentes, et pervicaciores facti, Christum occiderunt et crucifixerunt : unde post paucos annos Titus, ultor a Deo immissus, Hierosolymam excidit totamque Judæam evertit. Cætera sunt emblemata pertinentia ad elegantiam parabolæ, ideoque non est necesse ea applicare rei per parabolam significatæ.

Ficus est Synagoga. Item.

Notat S. Ambrosius ficum aptum esse symbolum Synagogæ Judæorum : *Primo*, « quia fuit arbor ista foliis redundans fluentibus, spem possessoris sui cassa speratorum proventuum explicatione destituit : ita etiam in Synagoga, dum doctores ejus operibus infœcundi, verbis tantum velut foliis redundantibus gloriantur, inanis umbra legis exuberat; spes autem falsi exspectata proventus, populi vota credentis illudit. »

*Secundo*, sicut ficus pro flore grossum, id est ficum immaturam emittit, quæ mox decidit, ac deinde ficum sapidam et solidam progenerat; sic Synagoga primo Judæos quasi grossos immaturas et evanidas protulit, deinde Christianos quasi ficus maturas sapidasque per Christum produxit. Hoc est quod ait Plinius, lib. VII, cap. XXVII : « Fici serotinæ fiunt, si primo grossi cum fabæ magnitudinem excessere, detrahantur : subnascuntur enim quæ serius maturescunt. »

Tropologice : ficus est quilibet homo, præsertim fidelis; cultor est Christus, Apostoli et similes; dominus est Deus Pater vel S. Trinitas. Cur fidelis et justus comparetur ficui, varias causas et analogias dat noster Salmeron, tom. VII, *tract.* 21 : *Prima* est, ficus profert dulces fructus, qui videntur esse bursæ mellis vel sacchari : similes profert justus. *Secunda*, sicut ficus parum crescit in altitudine, estque arbor pene depressa : sic et justus abjicit se estque humilis. *Tertia*, ficus pro floribus dat fructus, idque bis; scilicet in æstate præcoquas, et in autumno serotinas : sunt ergo ficus biferæ : sic pariter justus totus est in fructu bonorum operum copiose producendo. *Quarta*, ficus amplis foliis umbram facit : ita justus sua charitate alios munit et protegit. *Quinta*, ficus alteri arbori inseri nequit ob nimiam suam dulcedinem, quam deserere nequit : ita justus in nullo homine, sed in Deo solo et conscientia sua recumbit. *Sexta*, ficus decorticata arescit et fructum non reddit : sic justus nisi tegatur cortice conversationis honestæ, ac modestiæ et compositionis externæ, fructum cum proximis non faciet. *Septima*, ficus est medica et morbis medetur, uti Isaias Ezechiam per ficus sanavit, cap. XXXVIII, vers. 21. Audi Plinium, lib. XVI, cap. XXVII : « Ficus sola ex omnium arborum fructu maturitatis causa medicatur. » Sic justus quia virtute maturus et præcoctus, infirmitatibus aliorum qua docendo, qua consulendo, qua sancte vivendo medetur. Rursum Plinius, lib. XXIII, cap. VII, fici succum lacteum asserit alvum solvere, vulnera aperire, curare menstrua, ac valere contra venena, præsertim scorpionum, contra scabiem, strumas, lichneas, psoras, alopecias, canis rabiosi morsus aliosque morbos quos ipse recenset : sic justus lacteo suo candore, comitate et benevolentia dissipat aliorum rancores et amaritudines, odia, lites, rixas, suspiciones, invidias, etc. *Octava*, Plinius, lib. XVII, cap. XXVII : « Eædem (ficus), inquit, cum frondere incipiunt, cum cacumina rami cujusque detrahuntur, firmiores fertilioresque fiunt. » Additque etiam : « Radices circumcidisse prodest vitium luxuriantium ficorumque, et circumcisis cinerem addidisse : » sic justus circumcidendo et resecando superne appetitum honoris, ac inferne appetitum gulæ et veneris per meditationem cinerum, id est mortis et sepulturæ, fertilis fit virtutibus et bonis operibus, quibus proximos multos ad Deum convertit. *Nona*, Plinius ait, lib. XXIII, cap. VII : « Fici materiæ urinam cient, alvum solvunt, sudorem movent, juvenum vires augent, senibus meliorem valetudinem faciunt, minusque rugarum, sitim sedant, calorem refrigerant. » Hæc eadem in spiritu mystice facit justus. *Decima*, Plinius, lib. XV, cap. XVIII, ait ficum parvam in Mœsia fimo con-

tectam, et post hiemem mitiore cœlo refossam, præcocem fieri : sic justus per humilitatem et exercitia spiritualia renovatus, quasi juventutem induit, ut fiat alacer et velox ad omne bonum. *Undecima*, Plinius, lib. XV, cap. XVIII : « Admirabilis, ait, est pomi hujusce (fici) festinatio, unius in cunctis ad maturitatem properantis arte naturæ : » sic justus fervore spiritus cito in omni virtute maturescit, et alios ad similem maturitatem perducit.

ANNI TRES SUNT EX QUO VENIO QUÆRENS FRUCTUM. — Alludit ad naturam ficus, aliquando tertio demum anno a plantatione sua fert fructus. Sed si tertio anno nondum proferat, nunquam eos proferre solet.

Symbolice : tres anni sunt tres Judæorum politiæ, sive status, scilicet sub Judicibus, sub Regibus et sub Pontificibus, puta Machabæis, ait Euthymius. Audi S. Ambrosium : « Venit ad Abraham, venit ad Moysem, venit ad Mariam, hoc est venit in signaculo, venit in lege, venit in corpore : adventum ejus ex beneficiis recognoscimus, alibi purificatio, alibi sanctificatio, alibi justificatio est. Circumcisio purificavit, sanctificavit lex, justificavit gratia. Unus in omnibus, et in uno omnia. Nemo enim mundari potest, nisi qui metuit Dominum; nemo legem meretur accipere, nisi purificatus a culpa; nemo accedit ad gratiam, nisi noverit legem. » Sic fere et S. Cyrillus : « Naturam humani generis, inquit, Dominus ante legem, sub lege, sub gratia exspectando, admonendo, visitando requisivit; sed quidam nec naturali lege corriguntur, nec præceptis erudiuntur, nec miraculis convertuntur. »

Tropologice : tres anni sunt tres hominis ætates, ait Theophylactus, scilicet pueritia, virilis ætas et senectus; quisque enim quolibet tempore fructus virtutum Deo proferre debet, cuique ætati congruos et proportionatos. Hos enim Deus a quolibet requirit, qui nullam hominis ætatem vult esse otiosam et infrugiferam.

8. AT ILLE (vineæ cultor, puta Christus et Apostoli) RESPONDENS, DICIT ILLI : DOMINE, DIMITTE ILLAM ET HOC ANNO, USQUE DUM FODIAM CIRCA ILLAM, ET MITTAM STERCORA. — Intelligentes Christus et Apostoli, ait Interlinearis, aliquos ex Judæis posse salvari, orant Deum ut differant ultionem Dominicæ crucis : scilicet eversionem Hierosolymæ per Titum.

9. ET SI QUIDEM FECERIT FRUCTUM (subaudi : bene erit, salva erit et salvabitur. Est aposiopesis. Addit Arabicus, *ipsa namque attulit fructum*; scilicet Synagoga olim dedit fructum virtutum sub Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Mose, David, etc.); SIN AUTEM (non fecerit fructum), IN FUTURUM SUCCIDES EAM. — Uti Deus Judæam succidit per Romanos.

Mystice : S. Augustinus, *De Verbis Domini* : Colonus, ait, qui intercedit, est omnis Sanctus qui intra Ecclesiam orat pro his qui sunt extra; circumfodere conscientiam, est eam humilitatem et patientiam docere; item cœli et cœlestium considerationem menti ingerere, ne, ut ait S. Ambrosius, radicem sapientiæ terrarum (et terrenarum cupiditatum) acervus obruat et abscondat.

ET MITTAM STERCORA. — Hoc est, ut ait S. Ambrosius, humilitatis affectum, et S. Augustinus, *De Verbo Domini* : Stercus, ait, sordes sunt, sed fructum dant : sordes cultoris, dolor est peccatoris; et S. Gregorius : Stercora, ait, sunt peccata carnis, ex quorum consideratione suscitatur animus ad bona opera. Denique Glossa : « Mittam stercora, » hoc est, inquit, malorum, quæ fecit, abominationem, ad animum reducam.

10. ERAT AUTEM DOCENS IN SYNAGOGA (Græce, *in una synagogarum*) EORUM SABBATO. — Sabbatum enim erat festum, quo Judæi conveniebant ad synagogam, ut audirent legem ejusque interpretationem, uti Christiani diebus Dominicis conveniunt ad audiendam Missam et concionem. Hoc tempus et hunc locum elegit Christus ad sequens miraculum, ut illud esset publicum, utque Pharisæos ob sabbatum illud calumniantes, confutaret et instrueret.

11. ET ECCE MULIER, QUÆ HABEBAT SPIRITUM INFIRMITATIS ANNIS DECEM ET OCTO : ET ERAT INCLINATA, NEC OMNINO POTERAT SURSUM RESPICERE. — « Spiritum infirmitatis, » id est infirmitatem immissam a spiritu malo, ait Lyranus et Euthymius : « Dæmonium imbecillitatis, inquit, non sinens eam vivere. » Unde Arabicus vertit, *cum qua erat spiritus infirmitatis per octodecim annos, et erat incurvata, et non poterat erecte stare ullo modo.* Infirmitas hæc erat totius corporis inflexio et curvatio, ut mulier cogeretur semper curva et inclinata incedere, ut sequitur. Nota hic morbos hominibus sæpe a dæmonibus immitti, permittente Deo ob peccata, vel aliis de causis. Unde, vers. 16, causam hujus infirmitatis prodens, ait : « Hanc autem filiam Abrahæ quam alligavit Satanas. » Sic dæmon S. Job variis morbis afflixit, *Job* cap. II. Idem patet ex *Psalm.* LXXVII, 49, et ex *Matth.* IX, 25. Vide Delrio, in *Magicis*. Dæmon ergo hanc mulierem curvabat et inclinabat, ut compelleretur terram semper aspicere.

DECEM ET OCTO ANNIS. — Erat ergo inveteratum hoc malum, ideoque a medicis incurabile.

ET ERAT INCLINATA, — cernua, curva, dorso et capite versus terram reflexa et depressa, ut instar bestiæ, imo plus quam bestia, sursum respicere, ac solem et cœlum intueri non posset; sed deorsum semper saxa terramque intueri : nam Deus in rerum creatione, *Genes.* I,

> Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
> Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus;

ut solem cœlumque aspiciat, et ad Deum in cœlis per cœlestem vitam contendat, ut in cœlum recipi ibique visione Dei beari mereatur : « Convenit enim quærere superna, transcendere terrena intuitu, » ait S. Basilius, in *Catena*. Dæmon ergo ut hominem a cœlo avertat, eum deorsum inclinat, ut non nisi terrena aspiciat, amet, ambiat.



Mystice S. Gregorius, in *homil.* 31 : Hoc, ait significat mulier ista quod ficulnea infructuosa : quia enim humana natura fructum obedientiæ ferre noluit, statum rectitudinis amisit; decem et octo anni significant hominis, qui sexto mundi die creatus est, infirmitatem ante legem, sub lege et in exordio gratiæ, nam ter sex faciunt 18. Et S. Ambrosius : Mulier ista, inquit, est Ecclesiæ figura, quæ curari non potuit, nisi legem implens et gratiam : in decem verbis, legis perfectio est; in octavo numero, resurrectionis plenitudo.

Tropologice : mulier hæc gerit typum animæ bonis terræ inhiantis, hoc enim facere suadet diabolus. Audi S. Gregorium, *hom.* 31 : « Hinc alius Propheta de immundis spiritibus dicit : Qui dixerunt animæ tuæ : Incurvare, ut transeamus. Recta quippe stat anima, cum superna desiderat et nequaquam flectitur ad ima. Sed maligni spiritus, cum hanc in sua rectitudine stare conspiciunt, per eam transire non possunt. Transire namque eorum, est immunda illi desideria spargere. Dicunt ergo : Incurvare, ut transeamus; quia si ipsa se ad ima appetenda non dejicit, contra hanc illorum perversitas nullatenus convalescit; et transire per eam nequeunt, quam contra se rigidam in superna intentione pertimescunt. »

12. QUAM CUM VIDERET JESUS (Arabicus, *respexit autem eam Jesus*, oculis tam corporis quam animi; oculis, inquam, gratiæ, miserationis et clementiæ), VOCAVIT EAM AD SE, ET AIT ILLI : MULIER, DIMISSA ES AB INFIRMITATE TUA. — Id est dimitteris, curaris, scilicet a me per impositionem manus meæ, ut sequitur. Simul enim utrumque fecisse videtur Christus, scilicet et manus ei imposuisse, itaque eam curasse, ac dixisse : « Dimissa es, » etc. Dicit potius : « Dimissa es, » quam : « Ego dimitto, » ut acuat fidem mulieris. Fidei enim alibi sæpe solet tribuere Christus curationem et salutem. Rursum, ut significet efficaciam vocis suæ, suique contactus, quod scilicet eodem instanti quo eam tetigit, eamdem sanavit. Erat enim in carne Christi virtus divina, ait S. Cyrillus in *Catena*, quæ in instanti mira et miracula operatur, sicut dicendo : « Hoc est corpus meum, » panem in corpus suum transmutat, et transsubstantiat quotidie in missa, *q. d.* Meum dixisse, fecisse est, juxta illud : « Dixit, et facta sunt. » Unde Titus : « Voce certe divinissima, ait, cœlestique potestate plenissima feminæ hujus infirmitatem e medio profligavit. » Denique τὸ « dimissa es, » id est absoluta es, significat mulierem hanc quasi vinculis quibusdam a Satana fuisse ligatam, constrictam et depressam, ut videretur caput per funem ad genua et tibias alligatum habere. Hoc vinculum solvit Christus, itaque eam erexit. « Venit enim Christus ut dissolvat opera diaboli, » I *Joan.* III, 8.

13. ET IMPOSUIT ILLI MANUS, ET CONFESTIM ERECTA EST, ET GLORIFICABAT DEUM. — Manus significant Christi potestatem, auctoritatem, imperium in morbos et dæmones, æque ac ejus benignitatem et beneficentiam, qua sanitatis beneficium mulieri, benigne eam tangens, conferebat.

14. RESPONDENS AUTEM ARCHISYNAGOGUS (id est synagogæ princeps et præfectus) INDIGNANS, QUIA SABBATO CURASSET JESUS, DICEBAT TURBÆ : SEX DIES SUNT, IN QUIBUS OPORTET OPERARI : IN HIS ERGO VENITE, ET CURAMINI, ET NON IN DIE SABBATI. — « Indignans, » quia invidens Jesu hanc miraculi et sanitatis gloriam, per quam se majorem et digniorem esse archisynagogo, in synagoga palam coram toto populo ostendebat : prætexit tamen huic suæ invidiæ zelum religionis et observationis sabbati, ideoque a Christo vocatur « hypocrita. » Ita S. Cyrillus, in *Catena* : « Ingratæ, ait, synagogæ præsul, postquam vidit feminam hanc repente solo tactu erectam et divina referentem magnalia, ardens Domini gloria irritatur invidia, arguitque miraculum, quasi videretur sollicitari pro sabbato. » Ubi nota τὸ « ingratæ : » debebat enim ipse gratus esse Christo eique gratias agere quod se suamque synagogam honorasset, et hoc miraculo beneficioque affecisset; sed invidia eum excæcavit, ut decus Christi suum existimaret esse probrum et dedecus, eo quod ipse talia et tanta patrare non posset. Sic Saul debuisset gratias agere Davidi, eo quod ipse Goliath sibi et toti Israeli formidabilem occidisset; sed invidia eum transversum egit, ut gloriam Davidis suam æstimaret ignominiam. Putabat enim Davidem sibi præponi, seque cum esset rex, illi postponi. Hic ergo est viva imago invidiæ, larva religionis velatæ et celatæ.

15. RESPONDENS AUTEM AD ILLUM DOMINUS, DIXIT : HYPOCRITÆ, UNUSQUISQUE VESTRUM SABBATO NON SOLVIT BOVEM SUUM AUT ASINUM A PRÆSEPIO, ET DUCIT ADAQUARE? — « Hypocritæ, » quia simulatis sanctitatem foris, cum intus pleni sitis invidia et malitia (1). Audi Chrysostomum, in *Catena* : « Bene dixit hypocritam, quia faciem habebat legis cultoris, mens vero ejus erat versuti et invidi; non enim turbatur propter sabbatum, quia violatur, sed propter Christum, quia glorificatur. » Hypocrisis larvam fuse descripsi, *Eccli.* I, 32, ad illa : « Ne fueris hypocrita; » et cap. II, ad illa : « Væ duplici corde. »

ET DUCIT ADAQUARE? — Unde Glossa : « Isti, ait, cum magistri plebium videri appeterent, sanationem hominis non verebantur postponere curæ pecoris. »

(1) Pro *hypocritæ*, in plurali numero, plerique Græci codices habent in singulari ὑποκριτά, Lachmannus tamen et Scholzius in sua optima editione legendum tradunt ὑποκριταί.

16. HANC AUTEM FILIAM ABRAHÆ, QUAM ALLIGAVIT (quasi capite per funem ad pedes alligato, ut dixi vers. 12) SATANAS, ECCE DECEM ET OCTO ANNIS, NON OPORTUIT SOLVI A VINCULO ISTO DIE SABBATI? — Est appositissimum et efficacissimum Christi argumentum, ostendens hanc mulieris sanationem non esse opus servile, sed liberale et divinum, ideoque non indignum, sed dignissimum sabbato; utpote quod sabbatum, imo Deus ipse sabbati conditor, mire sanctificabatur et glorificabatur, uti ostendit Irenæus, lib. IV, cap. XIX, ubi docet Christum sanando ægros in sabbato non contra, sed secundum legem fecisse. Componit ergo, opponit et anteponit Christus vinculum et solutionem mulieris, vinculo et solutioni bovis vel asini

Porro, singula verba continent antithesin prægnantem : opponit enim et præponit *primo*, mulierem quasi « filiam Abrahæ, » bovi et asino; *secundo*, vinculum et solutionem spiritualem mulieris, vinculo et solutioni bovis; *tertio*, quod mulier hoc vinculum sit passa per 18 annos, bos vero vinculum, indeque sitim passus sit per unam alteramve horam duntaxat; *quarto*, quod operosa et longa sit solutio bovis, sua vero solutio mulieris ejusque a morbo absolutio, facta sit subito et in instanti quo sabbatum operando violari non poterat; *quinto*, quod per hanc solutionem mulier reddita sit integræ sanitati et sanctitati : bos vero tantum aquæ pusillum hauserit. Denique arguit archisynagogum et Pharisæos inhumanitatis, « quod hominis sanationem pecoris curæ postponant, » ait Beda.

17. ET CUM HÆC DICERET, ERUBESCEBANT OMNES ADVERSARII EJUS; ET OMNIS POPULUS GAUDEBAT IN UNIVERSIS, QUÆ GLORIOSE FIEBANT AB EO. — Syrus, *in omnibus miraculis quæ fiebant per manum ejus.*

OMNIS POPULUS. — Græce, *omnis turba*, « tanquam ab invidia libera et beneficiis ab ipso affecta, » ait Euthymius. Unde Cyrillus : « Claritas, ait, operum Christi omnem quæstionem solvebat apud eos qui non erant mentibus perversis. »

18. DICEBAT ERGO : CUI SIMILE EST REGNUM DEI. — Τὸ « ergo, » cum sit illativum, significat hæc inferri et colligi ex præcedentibus, *q. d.* Videbat Christus se Pharisæis hostibus suis sua sapientia imposuisse silentium, atque populum idcirco gaudere, sibique et suis dictis applaudere : cum ergo videret eum ita rite dispositum, proposuit ei parabolam regni cœlorum; animadvertebat enim jam sibi paratam esse viam ad regnum hoc suum proponendum et prædicandum, ut omnes incitaret ad illud ambiendum, ideoque ad capessendum Evangelicam suam doctrinam et vitam. Porro, parabolam ipsam exposui *Matth.* XIII, 31.

23. AIT AUTEM ILLI QUIDAM : DOMINE, SI PAUCI SUNT QUI SALVANTUR? — Respondit Christus affirmative, paucos salvari, ut insinuat Lucas et clare exprimit Matthæus, VII, 14. Idem asserit Isaias, cap. X, 22, et cap. XXIV, 13. Paucos intelliget comparatione omnium hominum totius mundi, sive comparatione tam fidelium quam infidelium : omnes enim infideles damnantur ob infidelitatem, æque ac multi fideles ob impiam vitam. Soli ergo fideles salvantur, sed non omnes. An vero ex fidelibus solis plures salventur, an vero plures damnentur, problema est. Alii enim censent plures salvari ob sancta Sacramenta, quæ in fine vitæ plerique recipiunt. Alii censent plures damnari, quia plures male vivunt in statu peccati mortalis. Regula autem S. Augustini est, homines sic mori sicut vixerunt. Utrum verius sit, dixi *Jacobi* II, 13, ad illa : « Superexaltat autem misericordia judicium. » Formidabilis est sententia S. Chrysostomi, homil. 40 *ad Populum Antiochenum*, qui facile erat centum millium hominum, et amplius : « In civitate nostra, inquit, in tot millibus vix centum inveniri possunt qui salvantur, quia in juvenibus magna est malitia, in senibus torpor, » etc. Et S. Augustinus, lib. IV *Contra Cresconium*, cap. LIII, Ecclesiam comparat areæ tritici, in qua plures sunt paleæ quam grana, id est plures reprobi quam electi.

31. IN IPSA DIE ACCESSERUNT QUIDAM PHARISÆORUM, DICENTES ILLI : EXI, ET VADE HINC, QUIA HERODES VULT TE OCCIDERE, — sicut occidit Joannem Baptistam præcursorem tuum. Videtur Christus hoc tempore prædicasse non in Galilæa, utpote ex qua jam pridem abierat, ut patet *Matth.* cap. XIX, vers. 1, sed in Peræa Judææ vicina : Peræa enim, æque ac Galilææ præerat Herodes. Ita Franciscus Lucas. Maldonatus tamen et alii censent hæc gesta esse in Galilæa, ut per recapitulationem Lucas hic interserat ea quæ jam pridem gesta erant in Galilæa : tale quoque est quod audivimus vers. 24, et cap. IX, vers. 51.

Porro, Pharisæi per mendacium hic fingunt Herodem Christo infensum, ut Christum a se ablegent, vel certe ejus libertatem et constantiam explorent et deprimant, injicientes ei metum Herodis, tum ut eum per hunc metum e sua regione expellant, « ne præsens et miracula edens glorificetur et attrahat turbam, » ait Euthymius; tum ut Christus ex Peræa in Judæam egrediens, incidat in manus pontificum et principum, quos sciebant ei mortem machinari, ut patet *Joan.* VII, 20 et 25. Alioqui Herodem non fuisse Christo offensum, liquet ex eo quod cupiebat eum ejusque signa videre, ut patet cap. IX, vers. 9; imo Christum a Pilato ad se missum condemnare noluit, sed alba indutum, quasi risu, non morte dignum, ad Pilatum remisit, ut patet cap. XXIII, 8. Ita Jansenius, Maldonatus, Franciscus Lucas et alii.

32. ET AIT ILLIS : ITE, ET DICITE VULPI ILLI : ECCE EJICIO DÆMONIA, ET SANITATES PERFICIO HODIE ET CRAS, ET TERTIA DIE CONSUMMOR. — Christus Pharisæis metum Herodis objicientibus magnanime et libere respondet, se nec illum, nec Pharisæos aut principes timere, sed omnibus



rivalis perrecturum prædicare, donec dies mortis ejus a Patre assignata advenerit. « Vulpem » vocat Herodem, quia astutus erat, versipellis et fictus; sicut per fraudem et fictionem occidit Joannem Baptistam, uti ex S. Chrysostomo et Græcis ostendi *Marci* VI, 26. Audi Bedam : Vulpes est animal fraudulentum, in fovea propter insidias latens, odore fœtens, nunquam rectis itineribus incedens. Tales sunt hæretici, quorum figura est Herodes, qui Christum in credentibus conantur occidere (1).

Verum Christus magis hic sermonem dirigit ad ipsos Pharisæos, omnesque vocat « vulpes, » quod per fraudem injicerent ei metum Herodis, ut eum fugiens in Judæam, ibi a principibus caperetur et occideretur. Idipsum significat pronomen ταύτῃ, id est huic vulpi, ut vertit Arabicus, quod Pharisæum ostendit prope manentem, ait Cyrillus et Theophylactus. Audi Titum : Videri poterat totam orationis vim in unam Herodis personam convertere, et ita arbitrati sunt nonnulli; et tamen contra Pharisæorum pravitatem dirigit illam verius, quam contra Herodem : neque enim aiebat : « Dicite vulpi illi, » sed : « vulpi huic. » Enimvero, quo improbæ fraudis commentatione Pharisæos vulpibus similes clare ostenderet, summa industria media quadam voce utitur; idque scite, ait Theophylactus, nam singulari numero dicendo « vulpem, » Herodem illos suspicari fecit; dicendo autem « huic, » quod est pronomen demonstrativum, insinuavit istos ipsos esse dolosos illos.

Unde Emmanuel Sa : « Dicite vulpi illi, » scilicet, inquit, vel Herodi, vel « illi » qui mendacium illud finxerat, nimirum quod Herodes vellet occidere Christum, qui utique erat unus ex Pharisæis Christi hostibus. Sensus ergo est, *q. d.* Vos, o Pharisæi, quasi vulpes astute et dolose, objicientes mihi terrorem Herodis, vultis me abigere, ne apud vos prædicem, sed ego constanter assevero me nec vos, nec Herodem metuere, neque ullius causa a prædicatione cessaturum; quia certus sum Patrem meum non permissurum ut capiar et occidar, antequam dies ab illo decreta advenerit.

ECCE EJICIO DÆMONIA, ET SANITATES PERFICIO (id est ejicere et perficere pergam, invitis, non tam Herode, quam vobis ipsis) HODIE ET CRAS (id est aliquanto adhuc tempore), ET TERTIA DIE (id est paulo post finita et peracta mea legatione et prædicatione) CONSUMMOR, — id est consummabor, quia gloriosa in cruce morte pro hominum salute sponte et fortiter perfungar, uti fuse docet Apostolus, *Hebr.* IX, 11.

Nota hebraismum, quo ponitur tempus definitum pro indefinito hic, æque ac *Oseæ* VI, 3. Ita Cyrillus, Theophylactus, Euthymius. « Hodie et cras » ergo, id est aliquo adhuc tempore, sed brevi et modico, scilicet per tres menses; videtur enim Christus hæc dixisse paulo ante festum Encæniorum, quod 25 die mensis *Casleu*, qui nostro partim novembri, partim decembri respondet, celebrabatur, cum proxime sequenti martio occisus et crucifixus fuit.

Igitur hæc animose dixit Christus *primo*, ut significaret se mortem non metuere, sed ambire; *secundo*, ut suam potentiam divinam ostenderet, per quam tamdiu hominibus invitis victurus, et docturus erat, quamdiu ipse et Pater voluerit ac statuerit; *tertio*, ut perversis Pharisæis dolorem augeret, illi enim voluissent eum jam esse sublatum.

Porro, Christus mortem suam vocat consummationem, quia in ea et per eam consummavit totam œconomiam incarnationis, totumque officium legationis suæ ad quod a Patre missus erat, scilicet expiationem omnium peccatorum, redemptionem generis humani, electorum salutem, etc., juxta illud : « Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, » *Hebr.* X, 14.

33. VERUMTAMEN OPORTET ME HODIE ET CRAS, ET SEQUENTI (Arabicus, *tertia*; Vatablus, *perendie*) DIE AMBULARE, QUIA NON CAPIT PROPHETAM PERIRE EXTRA JERUSALEM. — « Oportet, » non ex compulsione, sed ex superna dispositione, ait S. Bonaventura. Sic S. Cyrillus et Titus. Christus inculcat id quod dixit vers. præced., ut ostendat se in sententia perstare, nec timere aut Herodem, aut Pharisæos; sed, illis invitis, prædicaturum modico adhuc tempore, usque ad diem a se et a Patre constitutum. Sensus ergo est : « Hodie et cras et sequenti die oportet me ambulare; » Græce πορεύεσθαι, id est proficisci; *q. d.* Modico adhuc tempore oportet me vicos et castella ambulando et prædicando obire, et sequenti die tertia, id est paulo post, consummari per mortem in cruce, uti dixi vers. præcedenti, nunc in eo quod dixi persto, addoque me quoque tertia die debere idem facere : licet enim die tertia consummandus sim; tamen illa ipsa die oportet me adhuc ambulare, *q. d.* Toto tempore vitæ meæ usque ad mortem oportet me regiones obambulando prædicare, et operari sanitates, et dæmones ejicere, quia totam vitam sanctæ actioni, mortem generosæ passioni consecravi, Deoque in holocaustum obtuli. Sic Hebraice *halach*, id est ambulare, sumitur pro operari, *Joan.* VIII, 12, et cap. XII, 33; *Psal.* I, 1, et alibi. Porro Syrus vertit, *verumtamen oportet me hodie et cras operari, et altero die iter faciam*, hoc est proficiscar Jerusalem ad mortem, indeque in cœlum, unde veni.

Moraliter : discant hic fideles, ac præsertim

(1) Solebant Hebræorum prophetæ, etiam reges, et magistratus, et primores populi, magna cum libertate publice quoque reprehendere, ut adeo mirandum non sit, Jesum, quo mores atque ingenium Herodis depingeret, et ostenderet se artes illius probe perspicere, veteratorem illum comparasse cum vulpecula.

viri Apostolici, strenue laborare in vinea Domini usque ad mortem et martyrium, uti fecit S. Petrus, S. Paulus, S. Chrysostomus, S. Athanasius, etc. Ita noster Petrus Canisius, licet laboribus multis magnisque confectus, tamen laborare non destitit usque ad annum ætatis 77, quo labore æque ac vita defunctus est. Hæc enim erant ejus dictamina : « Christi militibus stipendia non finiuntur ante vitam : cum consummaverint, tunc incipiunt; sola mors missionem dat eis; unica sedes emeritorum est cœlum. » Ita noster Sacchinus, in ejus Vita, lib. III. Laboremus ergo usque ad mortem, ut post mortem in æternum in beata felicitate quiescamus : terra enim est stadium modici laboris, cœlum est sedes quietis æternæ.

QUIA NON CAPIT PROPHETAM PERIRE EXTRA JERUSALEM. — Græco οὐκ ἐνδέχεται, id est non convenit, non contingit, fieri non contingit; fieri non potest, ut vertit Syrus. Est hyperbole, q. d. Tanta est Hierosolymæ impietas et feritas, ut illi propria videatur, nec patiatur ab aliis quam a se Prophetas occidi, atque ægre ferat, si ab aliis id fiat. Ac proinde ego quoque idcirco Herodem non timeo, quia ab eo in Galilæa nunc occidendus non sum, sed post aliquot demum menses in Jerusalem, Prophetarum interfectrice, ubi non ab Herode, quem mihi objectatis, sed a vobis ipsis, o Pharisæi, crucifigar et occidar. « Assueti enim effundere servorum sanguinem, etiam Dominum ipsum occident, » ait Theophylactus. Sic et Titus, Jansenius, Maldonatus et Franciscus Lucas, quem audi : Non capit Prophetam occidi extra Jerusalem, id est oportet Prophetam occidi in Jerusalem, non quod nulli extra Jerusalem occisi sint (Jezabel enim in Samaria multos occidit, III Reg. XVIII, 13, et cap. XIX, 10), sed quod in Jerusalem plerique omnes occidi soleant, quod usitatissimum esset Prophetas in Jerusalem occidi; cum enim illic sedem figerent reges, sacerdotes, principes, potentes sæculi, Scribæ, sapientes, Pharisæi sancti in oculis suis, qui vulgo suffragante ferre nollent Prophetarum increpationes admonitionesque : facta est ea civitas, ex domo Dei, macellum Prophetarum, quæ Prophetarum quasi carnificinam profiteretur. Legimus IV *Reg.* XXI, 16, de Manasse, quod « sanguinem innoxium fuderit multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os. »

Simili modo Romæ variis in locis, ac præsertim ad Ursum Pileatum (ubi nunc est ecclesia S. Bibianæ) plurimi Christiani ab Imperatoribus infidelibus occidebantur, adeo ut locus ille vulgo vocaretur *macellum Martyrum*. Hinc recte tunc dici poterat : Non capit Pontificem perire extra Romam, quia omnes pene Pontifices a S. Petro usque ad Sylvestrum per trecentos annos, ab imperatoribus Romæ residentibus, ob fidem Christi occisi sunt.

# CAPUT DECIMUM QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus invitatus a Pharisæo hydropicum sanat in sabbato, illudque licere evidenti exemplo Pharisæis demonstrat. Secundo, vers. 7, parabolam dat invitatorum, ut ultimum locum captandum esse ostendat; mox et pauperes docet esse invitandos, non divites. Tertio, vers. 16, proponit parabolam invitatorum sese varie excusantium a cœna, ideoque ab ea exclusorum. Quarto, vers. 26, docet suos sequaces debere parentes odisse, et crucem ferre. Quinto, vers. 28, idipsum probat per parabolam volentis ædificare, et volentis bellum gerere, quorum uterque prius computat sumptus ad fabricam et bellum necessarios.*

*Tertiam partem fere audivimus* Matth. XXII, 2; *quartam*, Matth. X, 37. *Supersunt ergo prima, secunda et quinta partes hic explicandæ.*

1. Et factum est cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. 2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. 3. Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos et Pharisæos, dicens : Si licet sabbato curare? 4. At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit. 5. Et respondens ad illos, dixit : Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati? 6. Et non poterant ad hæc respondere illi. 7. Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos : 8. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo; 9. et veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum,



et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. 10. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus : 11. quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. 12. Dicebat autem et ei, qui se invitaverat : Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio. 13. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos, 14. et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. 15. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi : Beatus qui manducabit panem in regno Dei. 16. At ipse dixit ei : Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. 17. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. 18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam : rogo te, habe me excusatum. 19. Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare illa : rogo te, habe me excusatum. 20. Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire. 21. Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo : Exi cito in plateas et vicos civitatis; et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc. 22. Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. 23. Et ait dominus servo : Exi in vias, et sepes; et compelle intrare, ut impleatur domus mea. 24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. 25. Ibant autem turbæ multæ cum eo, et conversus dixit ad illos : 26. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. 27. Et qui non bajulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus. 28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; 29. ne, postea quam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, 30. dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare? 31. Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? 32. alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. 33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. 34. Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur? 35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

Vers. 1. 1. ET FACTUM EST CUM INTRARET JESUS IN DOMUM CUJUSDAM PRINCIPIS PHARISÆORUM SABBATO MANDU-
Vers. 2. CARE PANEM, ET IPSI OBSERVABANT EUM. 2. ET ECCE HOMO QUIDAM HYDROPICUS ERAT ANTE ILLUM. — « Principis, » qui inter sui ordinis homines principem locum obtinebat, ait Titus, eratque inter suos primus, vel Pharisæorum primarius. « Ut aliquam utilitatem eis adferat, familiarem et quasi domesticum se illis exhibet, » ait Titus. Et S. Cyrillus, in *Catena* : Cognoscebat quidem malitiam Pharisæorum, inquit, sed fiebat eorum conviva, ut prodesset præsentibus per verba et miracula, scilicet ut doceret eos licere sabbato sanitatem conferre ægris, ac quid invitatos et invitantes agere deceat. Hoc enim facit Christus in sequentibus.

PANEM. — « Panis » Hebræis omnem escam significat per synecdochen

HYDROPICUS. — Syrus, *qui congregaverat aquas sub cute*. Hydrops enim est ægritudo, quæ Latinis aqua intercus dicitur, quod ὕδωρ, id est aqua, inter cutem colligatur, qua venter turgescit, ideoque semper sitit, et quo plus bibit, eo plus sitit, intumescit et ægrescit, de quo Horatius, lib. II *Carminum*, ode 2 : Hydrops quid morbus?

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.

Ratio est, quod hydropici omne quod bibunt convertunt in humorem putridum et salsum : quo ergo plus bibunt, eo plus salsedinis acquirunt; salsedo autem excitat sitim.

Videtur hic hydropicus amicus vel notu

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

viri Apostolici, strenue laborare in vinea Domini usque ad mortem et martyrium, uti fecit S. Petrus, S. Paulus, S. Chrysostomus, S. Athanasius, etc. Ita noster Petrus Canisius, licet laboribus multis magnisque confectus, tamen laborare non destitit usque ad annum ætatis 77, quo labore æque ac vita defunctus est. Hæc enim erant ejus dictamina : « Christi militibus stipendia non finiuntur ante vitam : cum consummaverint, tunc incipiunt; sola mors missionem dat eis; unica sedes emeritorum est cœlum. » Ita noster Sacchinus, in ejus Vita, lib. III. Laboremus ergo usque ad mortem, ut post mortem in æternum in beata felicitate quiescamus : terra enim est stadium modici laboris, cœlum est sedes quietis æternæ.

Quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem. — Græco οὐκ ἐνδέχεται, id est non convenit, non contingit, fieri non contingit; fieri non potest, ut vertit Syrus. Est hyperbole, q. d. Tanta est Hierosolymæ impietas et feritas, ut illi propria videatur, nec patiatur ab aliis quam a se Prophetas occidi, atque ægre ferat, si ab aliis id fiat. Ac proinde ego quoque idcirco Herodem non timeo, quia ab eo in Galilæa nunc occidendus non sum, sed post aliquot demum menses in Jerusalem, Prophetarum interfectrice, ubi non ab Herode, quem mihi objectatis, sed a vobis ipsis, o Pharisæi, crucifigar et occidar. « Assueti enim effundere servorum sanguinem, etiam Dominum ipsum occident, » ait Theophylactus. Sic et Titus, Jansenius, Maldonatus et Franciscus Lucas, quem audi : Non capit Prophetam occidi extra Jerusalem, id est oportet Prophetam occidi in Jerusalem, non quod nulli extra Jerusalem occisi sint (Jezabel enim in Samaria multos occidit, III Reg. xviii, 13, et cap. xix, 10), sed quod in Jerusalem plerique omnes occidi soleant, quod usitatissimum esset Prophetas in Jerusalem occidi; cum enim illic sedem figerent reges, sacerdotes, principes, potentes sæculi, Scribæ, sapientes, Pharisæi sancti in oculis suis, qui vulgo suffragante ferre nollent Prophetarum increpationes admonitionesque : facta est ea civitas, ex domo Dei, macellum Prophetarum, quæ Prophetarum quasi carnificinam profiteretur. Legimus IV *Reg.* xxi, 16, de Manasse, quod « sanguinem innoxium fuderit multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os. »

Simili modo Romæ variis in locis, ac præsertim ad Ursum Pileatum (ubi nunc est ecclesia S. Bibianæ) plurimi Christiani ab Imperatoribus infidelibus occidebantur, adeo ut locus ille vulgo vocaretur *macellum Martyrum*. Hinc recte tunc dici poterat : Non capit Pontificem perire extra Romam, quia omnes pene Pontifices a S. Petro usque ad Sylvestrum per trecentos annos, ab imperatoribus Romæ residentibus, ob fidem Christi occisi sunt.

# CAPUT DECIMUM QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus invitatus a Pharisæo hydropicum sanat in sabbato, illudque licere evidenti exemplo Pharisæis demonstrat. Secundo, vers. 7, parabolam dat invitatorum, ut ultimum locum captandum esse ostendat; mox et pauperes docet esse invitandos, non divites. Tertio, vers. 16, proponit parabolam invitatorum sese varie excusantium a cœna, ideoque ab ea exclusorum. Quarto, vers. 26, docet suos sequaces debere parentes odisse, et crucem ferre. Quinto, vers. 28, idipsum probat per parabolam volentis ædificare, et volentis bellum gerere, quorum uterque prius computat sumptus ad fabricam et bellum necessarios.*

*Tertiam partem fere audivimus* Matth. xxii, 2; *quartam*, Matth. x, 37. *Supersunt ergo prima, secunda et quinta partes hic explicandæ.*

1. Et factum est cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. 2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. 3. Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos et Pharisæos, dicens : Si licet sabbato curare? 4. At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit. 5. Et respondens ad illos, dixit : Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati? 6. Et non poterant ad hæc respondere illi. 7. Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos : 8. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo; 9. et veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum,



et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. 10. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus : 11. quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. 12. Dicebat autem et ei, qui se invitaverat : Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio. 13. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos, 14. et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. 15. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi : Beatus qui manducabit panem in regno Dei. 16. At ipse dixit ei : Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. 17. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. 18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam : rogo te, habe me excusatum. 19. Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare illa : rogo te, habe me excusatum. 20. Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire. 21. Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo : Exi cito in plateas et vicos civitatis; et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc. 22. Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. 23. Et ait dominus servo : Exi in vias, et sepes; et compelle intrare, ut impleatur domus mea. 24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. 25. Ibant autem turbæ multæ cum eo, et conversus dixit ad illos : 26. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. 27. Et qui non bajulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus. 28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; 29. ne, postea quam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, 30. dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare? 31. Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? 32. alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. 33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. 34. Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur? 35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

Vers. 1. 1. Et factum est cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato mandu-
Vers. 2. care panem, et ipsi observabant eum. 2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. — « Principis, » qui inter sui ordinis homines principem locum obtinebat, ait Titus, eratque inter suos primus, vel Pharisæorum primarius. « Ut aliquam utilitatem eis adferat, familiarem et quasi domesticum se illis exhibet, » ait Titus. Et S. Cyrillus, in *Catena* : Cognoscebat quidem malitiam Pharisæorum, inquit, sed fiebat eorum conviva, ut prodesset præsentibus per verba et miracula, scilicet ut doceret eos licere sabbato sanitatem conferre ægris, ac quid invitatos et invitantes agere deceat. Hoc enim facit Christus in sequentibus.

Panem. — « Panis » Hebræis omnem escam significat per synecdochen

Hydropicus. — Syrus, *qui congregaverat aquas sub cute.* Hydrops enim est ægritudo, quæ Latinis aqua intercus dicitur, quod ὕδωρ, id est aqua, inter cutem colligatur, qua venter turgescit, ideoque semper sitit, et quo plus bibit, eo plus sitit, intumescit et ægrescit, de quo Horatius, lib. II *Carminum*, ode 2 : Hydrops quis morbus?

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.

Ratio est, quod hydropici omne quod bibunt convertunt in humorem putridum et salsum : quo ergo plus bibunt, eo plus salsedinis acquirunt; salsedo autem excitat sitim.

Videtur hic hydropicus amicus vel notu

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fuisse principi Jesum invitanti, ac forte idcirco Jesum invitarat princeps, ut eum sanaret. Certe ipse hydropicus avidius sanitatis sponte se obtulit Jesu, tacite ab eo sanitatem flagitans, ait Cyrillus et Euthymius. Esto Pharisæi alia mente eum Christo offerri procurarint vel optarint, scilicet ut explorarent an eum curaret in sabbato, putantes hac ratione eum violaturum sabbatum, ac proinde non esse verum Prophetam emissum a Deo, qui rigidum sabbati cultum sanxerat.

3. ET RESPONDENS JESUS DIXIT AD LEGISPERITOS ET PHARISÆOS, DICENS : SI LICET SABBATO CURARE? AT ILLI TACUERUNT. IPSE VERO APPREHENSUM SANAVIT EUM, AC DIMISIT. — « Respondens, » non loquelæ et interrogationi, utpote quæ nulla hic præcessit, sed cogitationi, qua cogitabant non licere sanare hydropicum in sabbato, ac proinde Christum, si eum sanaret, male facturum.

SI LICET. — Id est, an licet?

APPREHENSUM. — Græce ἐπιλαβόμενος, id est cum apprehendisset, cum attigisset; q. d. Sanavit eum tangendo, sive contactu manus suæ arefecit hydropem, hoc est aquarum copiam, qua hydropicus turgebat. Porro hydropicus ipse, ait Cyrillus, metu Pharisæorum remedium non petebat propter sabbatum, sed stabat ut Christus misertus sanaret.

Mystice S. Gregorius, lib. XIV Moral. : Sanatur, inquit, hydropicus ante Pharisæum; per ægritudinem enim corporis illius, hujus cordis ægritudo exprimitur, laborabat enim hydrope avaritiæ et cupiditatis.

Unde tropologice Beda : Hydropicus est, inquit, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat; est enim morbus ab aquoso humore nominatus. Proprie vero hydropicus est dives avarus, qui quo magis abundat, eo magis sitit, ait S. Augustinus, lib. II Quæst. Evang., Quæst. XXIX.

Avarus est hydropicus. Primo. Secundo. Avaritia ergo et cupiditas quælibet est hydrops mysticus. Primo, quia ipsa aquea est et fluxa. Secundo, quia sitim accendit, juxta illud :

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Cupiditas enim et avaritia indulgendo accenditur, resistendo exstinguitur. Ita S. Augustinus loco jam citato. Tertio, hydrops inducit tumorem, sed aqueum : ita opulentia divitem facit tumidum et superbum, sed ob opes fluidas et evanidas. Quarto, hydropici sunt anhelitu fetido, ait Glossa, ob putidas et fœtidas aquas quibus turgent; sic et cupidi non nisi fœditatem suæ cupiditatis, ore, vultu totoque corpore exhalant. Quinto, hydrops, ait Paulus Ægineta, lib. III, cap. XLVIII, inde contrahitur, quod spiritus copia cum humidi momento intra membranam (quæ peritonæos appellatur) et intestina colligitur, ut abdomen percussum tympani modo crepitum edat : qua ratione etiam tympanias nuncupatur : qui stomachi, alvi et colli inflationibus febribusque longis supervenit, nonnunquam vero ex duritie peritonæi, aut vulvæ in mulieribus, aut ex scirrho generatur : hinc venter quidem intumescit, reliquum autem corpus, quod alimentum non sentiat, consumitur. Hinc et corpus albido et pituitæ colore, emortui instar apparet. Sic cupiditas oritur partim ex gustu et sensu voluptatum carnalium, quæ sitim earumdem excitant, et habitus malos quasi pravos humores in ventre, id est in appetitu, generant; partim ex variis fluidisque voluptatum imaginationibus, quæ earumdem concupiscentiam in voluntate suscitant : inde appetitus concupiscibiles intumescunt, sed vis mentis et spiritus marcescit, contabescit et consumitur, ut pallescere, albicare et mortuo similis videatur. Sexto, hydropis remedium, ait Galenus, est primo, theriaca; secundo, stercus bubulum et caprinum; tertio, agrestis cucumis, ebuli radix, chamædrys, carycæ, euphorbium, flos salis aquæ marinæ mixtus raphanus, magnes lapis, scylla, sulphur, ac similia, quæ aquam intercutem desiccant vel expellunt, præsertim per urinam. Efficax quoque remedium est abstinentia ab humidis et a potu. Fertur hydropicus quidam pauper a medico morbi remedium flagitasse; ille cum pauperem cerneret, joco dixit : Per annum abstine a potu, et sanaberis. Pauper id quasi serio dictum accepit, et magna cum siti perfecit; ac anno vertente sanus effectus ad medicum rediit eique pro consilio gratias egit. Ita cupiditatis remedium est mortificatio, abstinentia, continentia, quæ omnes vitiosos mores desiccat, vel abigit et expellit. (Sexto. Remedia hydropis.)

5. ET RESPONDENS AD ILLOS, DIXIT : CUJUS VESTRUM ASINUS AUT BOS IN PUTEUM CADET, ET NON CONTINUO EXTRAHET ILLUM DIE SABBATI? — q. d., ait Beda : « Si vos in sabbato asinum aut bovem, aut quodlibet animal in puteum decidens eripere festinatis, non animali, sed vestræ avaritiæ consulentes, quanto magis ego hominem, qui multo melior est pecore, debeo liberare! Illud cupiditatis, hoc charitatis est opus. » Addit Beda : « Violabant illi sabbatum in hoc opere cupiditatis, qui Christum violare arguebant in opere charitatis. »

Mystice Beda : Per bovem et asinum, ait, significantur sapientes et hebetes; vel Judæi jugo legis pressi, et gentes nulla ratione domitæ; omnes enim a puteo concupiscentiæ demersos Dominus extrahit. Porro S. Augustinus, lib. II Quæst. Evang. : Congruenter hydropicum, inquit, animali cadenti in puteum comparavit, humore enim laborabat; sicut mulierem quam solvit, comparavit jumento quod solvitur, ut ad aquam ducatur.

6. ET NON POTERANT AD HÆC RESPONDERE ILLI. — Utpote manifesta veritate convicti, ait Euthymius; sed seorsim inter se Christo obmurmurarunt, et postea apud populum palam occlamarunt : « Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit, » Joan. IX, 16. Sciebat hoc Jesus; sed nihilominus hominem sanavit, quia eorum obstinationem et malitiam augeri permisit hoc fine, ut per eam crux sibi a Deo decreta, ad hominum salutem pararetur. Non curans, ait Theophylactus, scandalum Pharisæorum : ubi enim magna resultat utilitas, non est curandum, si stulti scandalizentur.



7. DICEBAT AUTEM ET AD INVITATOS PARABOLAM, INTENDENS QUOMODO PRIMOS ACCUBITUS ELIGERENT, DICENS AD ILLOS. — « Parabolam » vocat doctrinam gravem de cavenda ambitione in re qualibet, petitam ex similitudine ambitus primi loci in convivio. Nam ex eo quod Christus ostendit quam dedeceat ambitio primi consessus in mensa, tacite a simili vel pari ostendit quam eadem dedeceat in alia re qualibet. Idem enim est vitium, etsi in alia et alia sit materia.

INTENDENS. — Græce ἐπέχων, id est attendens, contemplatus, hoc est, postquam attendisset et considerasset, quod Pharisæi in isto convivio, uti et in cæteris, more suo prima accumbendi loca in mensa aucuparentur, invaderent et occuparent. Superbi enim erant, ac sibi quasi doctoribus primas ubique deberi censebant, et de iis inter se certabant et contendebant, uti etiamnum subinde fit in conviviis, præsertim a feminis nobilibus et viris parvi crebri.

Hæc est quasi proparabola, sive prologus et titulus parabolæ, qui indicat qua occasione et contra quos dicta sit parabola, scilicet contra Pharisæos, quorum ambitionem cum vidisset Christus, eamdem hac parabola sanare et resecare voluit.

8. CUM INVITATUS FUERIS AD NUPTIAS, NON DISCUMBAS IN PRIMO LOCO, NE FORTE HONORATIOR TE SIT INVITATUS AB ILLO;

Vers. 9. 9. ET VENIENS IS QUI TE ET ILLUM VOCAVIT, DICAT TIBI : DA HUIC LOCUM : ET TUNC INCIPIAS CUM RUBORE NOVISSIMUM LOCUM TENERE. — Dum enim herus tibi primum locum eripuit, ut daret honoratiori, tunc conviva secundus et tertius, cæterique sequentes suum locum studiose retinere volentes, eumdem tibi, præsertim ambitioso, cedere nolent, ideoque a primo in imum cum rubore descendes, q. d. Noli te ipsum superbe exaltare, ne alius offensus tuo fastu, eum sternat et deprimat.

10. SED CUM VOCATUS FUERIS, VADE, RECUMBE IN NOVISSIMO LOCO : UT, CUM VENERIT QUI TE INVITAVIT, DICAT TIBI : AMICE, ASCENDE SUPERIUS. TUNC ERIT TIBI GLORIA CORAM SIMUL DISCUMBENTIBUS. — Solent enim heri, quasi domini in domo sua, cuique invitato assignare locum illi congruum in mensa, quod olim faciebat modimperator, sive præfectus convivii, habita dignitatis vel ætatis cujusque ratione. Unde fratres Joseph ab eo invitati, « sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, et minimus juxta ætatem suam, » Genes. XLIII, 33. Alludit ad Proverb. XXV, 6 : « Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris. Melius est enim ut dicatur tibi : Ascende huc, quam ut humilieris coram principe. » Vide ibi dicta.

Sapienter ergo Titus : « Ille, ait, cordatus est qui cum primæ sedis honorem jure mereatur, adeo illum non affectat, ut ultro quoque aliis deferat. Quare magnum præclarumque donum est, animus modestus suaque sorte contentus. »

TUNC ERIT TIBI GLORIA. — Docet Christus viam ad gloriam et sublimitatem esse ejus fugam suique humiliationem, tum quia homines oderunt ambitiosos eosque deprimunt, modestos vero et humiles extollunt; tum quia vera gloria est quæ datur, non quæ ambitur; tum quia Deus ita æterna sua lege sanxit, ut humiles exaltentur, superbi dejiciantur. Quocirca superbi si sapiunt, superbiam suam obtegunt, et specie externa sese humiliant, ac infimum locum occupant, ut audiant humiles, ideoque laudentur ab adstantibus et exaltentur : si enim primum locum ambiant et invadant, æmulos concitabunt, ut eos sive jure, sive injuria, ex eo dejiciant et sternant. Audi Sapientem, Eccli. III, 20 : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. » Ubi multa hac de re congessi.

Modestiæ præcepta Philosophorum. Hoc Christi præceptum, vel potius consilium et sapientiæ dogma, ex naturæ rationis lumine tradiderunt Gentium Philosophi. Plutarchus, in convivio septem sapientum, Thaletem inducit fastum Alexidemi, qui, quia filius Thrasybuli tyranni, ex cœnaculo proripuerat, quod in eo alios sibi in discubitu præferri vidisset, acribus hisce verbis castigantem : « Itane vero metuis, ne, quemadmodum Ægyptii stellas aiunt viribus, pro loci in quem attolluntur aut devehuntur, conditione augeri, minuive; ita tibi quoque locus claritatem obscuritatemve adferat? certe Lacone illo es deterior, qui cum ei in choro quodam ultimum locum præfectus adsignasset : Bene, inquit, abs te factum est, qui hujus quoque loci cohonestandi rationem reperis, cum non hominem loco, sed locum potius homine ornari atque cohonestari existimaret. » Non ergo curandum est, quo loco, aut post quos collocemur, sed potius ut cum iis quibus accumbimus, bene nobis conveniat, statimque in nobis ipsis principium ansamque amicitiæ inesse ostendamus, dum non succensemus locanti, sed laudamus quod talibus nos adjunxerit. Etenim qui loci causa irascitur, is magis ei juxta quem positus est, quam vocatori seu collocanti irascitur, et utrique fit infensus. Similis est Senecæ, lib. I De Ira, oratio : « Minus honorato loco positus irasci cœpisti convivatori, vocatoque ipsi qui tibi præferebatur. Demens, quid interest, quam lecti premas partem? Honestiorem te aut turpiorem potest facere pulvinum? » Assuescant ergo convivæ sine fastu, atque fraterne seu amice, statim a janua, hoc est a principio cœnæ, una versari atque accumbere.

Laudabilis fuit ille juvenum Romanorum mos qui, teste Valerio Maximo, lib. II, cap. 1, invitati ad cœnam, diligenter quærebant, quinam ei convivio essent interfuturi, ne senioris adventum discubitu præcurrerent. Huc quoque facit illud conviviale præceptum : « Sedis, inquit, honorem alteri libenter cede, et ad honoratiorem locum invitatus, comiter excusa : si tamen crebro serioque jubeat aliquis auctoritate præditus, verecunde obtempera, ne videare pro civili, præfractus. » Honor enim sequitur fugientem, sequentem fugit, ceu umbra corpus.

Symbolice : Religiosi in Religione implent to Christi « Recumbe in novissimo loco. » Hic enim est novissimus locus, abjicere se sub omnium pedibus, seque omni facultate atque etiam voluntate exspoliare ; quoniam qui nihil retinuit, nullum jam inferiorem locum reliquit, quo descendat. Recumbitur autem in hoc loco, et in eo quiescitur ; quoniam humilitas ista non unius tantum aut alterius actionis est, quod interdum faciunt etiam aliqui sæculares ; sed totius vitæ, quoniam in ipso statu inclusa est, qui totam vitam complectitur.

Hinc S. Hieronymus, epist. 26 *in Paula et Eustochio*, nobilissimis feminis, adeo commendat concinnare lucernas, succendere focum, pavimenta verrere, purgare legumina, olerum fasciculos in ferventem ollam dejicere, apponere mensas, calices porrigere, effundere cibos, huc illucque discurrere, quæ omnia opera ita ab humilitate veniunt, ut et illam humilitatem indicent, quam status affert, et eamdem quotidie magis ac magis augeant

11. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur, — tum ab hominibus, tum a Deo, idque sæpe in hac vita, semper in futura. Hæc est postparabola sive conclusio parabolæ, ejus mentem, scopum et fructum explicans. Sententiam hanc explanavi *Matth.* xxiii, 12.

12. Dicebat autem et ei qui se invitaverat : Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos divites : ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio.

Et ei qui se invitaverat, — principi Pharisæorum, vers. 1, cui Christus pro convivio corporali spirituale consilium, quasi convivium rependit. Videtur enim princeps hic convivas invitasse, ut vicissim ab eis invitaretur, ait Glossa.

Noli vocare amicos. — Consulit hoc Christus quasi perfectius, non præcipit quasi necessarium. Licitum enim est invitare amicos, imo meritorium si ex amicitia et charitate fiat. Unde Beda : « Fratres, inquit, amicos et divites alterutrum convivia celebrare, non quasi scelus interdicit, sed sicut cætera necessitatis humanæ commercia, ad promerenda vitæ cœlestis, præmia, nil valere ostendit, » scilicet ex se, nisi, ut dixi, ad altiorem finem, v. g. ad charitatem referantur.

Reinvitent, — vicissim invitent, uti facere solent homines divites et potentes, ut convivium convivio exsolvant, qui est affectus humanus et terrenus, vel gratitudinis, vel avaritiæ. Nam, ut ait S. Ambrosius : « Hospitalem esse remuneraturis, affectus avaritiæ est. »

Et fiat tibi retributio — ab homine, eaque brevis, exilis et vilis, quam si solam intendis, retributionem Dei spiritualem, cœlestem et æternam excludis, illaque te privas ; sin utramque intendis, utramque recipies, sed minorem : una enim alteram imminuit, et quasi infringit ; sin solam divinam intendis, humanam vero, quia offertur, admittis, vel potius permittis duntaxat, divinam integram recipies.

13. Sed cum facis convivium, voca pauperes (nimirum) debiles, claudos et cæcos, — qui ob defectum corporis laborare et victum sibi parare nequeunt : cæteri enim qui id facere queunt, non tam pauperes quam divites censendi sunt.

Debiles. — Græce ἀναπήρους, id est mancos, mutilos, læsos, vel corpore, vel mente. Causam dat S. Chrysostomus, in *Catena* : « Si pauperem vocaveris, inquit, Deum habebis debitorem : et quanto minor est frater, tanto magis per eum Christus accedit et visitat ; qui magnum suscipit, sæpe ob gloriam aut utilitatem facit. Sed dicis : Immundus est pauper et sordidus, lava eum, et fac in mensa tecum sedere ; si vestes immundas habet, mundum vestimentum ei exhibe ; sed si non vis sursum recipere in solario, vel ubi famuli sunt, suscipe ; si non vis tecum sedeat, mitte de mensa fercula. »

Hoc Christi consilium secutus S. Gregorius Pontifex, sæpe duodecim pauperes mensæ suæ adhibebat, ideoque inter eos Christum specie pauperis se insinuantem mensa excipere meruit. Idem fecit S. Ludovicus, rex Franciæ, qui quotidie 120 pauperes, in festis vero ducentos ad mensam adhibebat eisque sæpe ministrabat, quin et pedes abluebat. S. Ludovicum quasi patruum secutus est ejus nepos S. Ludovicus, Minorita et Episcopus Tolosanus ; item S. Hedwigis, Ducissa Poloniæ, ejusque neptis S. Elisabetha, filia Andreæ regis Hungarorum, quæ quotidie nongentos pauperes mensæ adhibebat, magno gratiæ et remunerationis divinæ præmio.

Mystice Origenes : « Qui, inquit, vanam gloriam vitat, vocat ad spirituale convivium pauperes, id est imperitos, ut ditet ; debiles, id est læsam conscientiam habentes, ut sanet ; claudos, id est declinantes a ratione, ut recte incedant ; cæcos, ut videant veritatem. »

14. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum, — ubi beatificandi sunt pauperum susceptores, ait Interlinearis. Inopia ergo invitatorum depurat invitantis intentionem, ut non nisi ob amorem Dei pauperes invitet, eo quod a pauperibus nil speret. Quare Deus, qui quod pauperibus suis fit, sibi factum æstimat, illi copiosam mercedem et cœlestis convivii delicias perennes retribuat, juxta illud : « Et ego dispono vobis, etc., ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, » *Lucæ* xxii, 29. Unde concludit S. Chrysostomus, in *Catena* : « Igitur non turbemur, cum non recipimus beneficii compensationem, sed cum receperimus. Quia si recepimus, non amplius recipiemus illic ; sed si homo non retribuat, tunc tibi retribuet Deus, » cujus intuitu et amore beneficium contulisti.

15. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi : Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. — Scilicet « in resurrectione justorum, » ut dixit Christus versu præcedenti : hanc enim audiens et optans, in vocem istam erupit, illectus dulcedine auditæ resurrectionis, ait Glossa. Porro S. Cyrillus, in *Catena* : Erat iste, inquit, animalis, putans corporeas esse remunerationes Sanctorum. Fuit ergo hic unus e Pharisæis ; hi enim credebant resurrectionem, quam Sadducæi negabant, *Actor.* xxiii, 8. Deus enim Beatos in cœlo omnibus deliciis pascit, satiat, inebriat, juxta illud : « Satiabor cum apparuerit gloria tua. » Et : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, » *Psal.* xxxv, 9. Qualis et quanta sit hæc voluptas, fuse describit S. Augustinus in *Soliloquiis* et in *Meditationibus*.

Mystice : Audi S. Augustinum, serm. 33 *De Verb. Dom. secundum Lucam* : « Quasi in longinquum (in cœlum) suspirabat, et ipse panis ante illum discumbebat. Quis est panis de regno Dei, nisi qui dicit : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendit ? » *Joan.* vi.

Vers. 16. 16. At ipse dixit ei : Homo quidam fecit cœnam magnam. — Nota : Hæc parabola est quasi eadem cum illa *Matth.* xxii, 2, sed alio loco, tempore et modo a Christo repetita, ut ibi ostendi.

Cœna magna, quæ ? Quæres, quænam hæc cœna ? *Primo*, nonnulli per cœnam accipiunt Verbi incarnationem, prædicationem et redemptionem : hæc enim est cœna magna, quia Christus carnem assumens, nos in fine temporum visitans invitavit ad se, scilicet ad suum Evangelium, gratiam et gloriam. Sic enim accipitur cœna hæc in parabola eadem, vel simili apud Matthæum, xxii, 2. Sed ibi vocatur prandium, hic vero vocatur cœna. Prandium est in Ecclesia militante, cœna in triumphante, juxta illud Leonidæ ad milites præliaturos : « Prandete, commilitones, apud inferos (imo superos) cœnaturi. » Ecclesia enim terrestris et militans contendit ad cœlestem et triumphantem. *Secundo*, S. Cyrillus, in *Catena*, per cœnam accipit Eucharistiam. Homo iste, inquit, est Deus Pater, qui magnam nobis in Christo cœnam paravit, qui nobis dedit proprium corpus comedere. Unde Ecclesia parabolam hanc legit, et adaptat festo Venerabilis Sacramenti. *Tertio*, et genuine ad litteram, cœna hæc est beatitudo et gloria cœlestis : hac enim fruemur in regno Dei et resurrectione justorum, uti præcessit : hæc vocatur cœna, quia dabitur vespere, id est in fine vitæ et in fine mundi, post labores hujus sæculi, post quam nulla alia dabitur refectio, quia ipsa erit æterna. Cœna magna, ait S. Gregorius, *hom.* 36, est satietas dulcedinis æternæ. Nam, ut ait Glossa, post prandium cœna restat, post cœnam nullum convivium restat, de prandio multi ejiciuntur, de cœna nullus.

Magna. — Quia ea nil majus vel melius cogitari potest ; ipse enim Deus erit nostrum ferculum, noster cibus et epulum. Unde Euthymius : « Significatur, ait, ineffabilis Dei fruitio, » qui non solum nos, sed omnes omnino beatos recreabit, satiabit, inebriabit, beabit, glorificabit, ut nil amplius optare vel desiderare possint, juxta illud : « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum, » I *Cor.* ii, 9.

Et vocavit multos, — puta omnes Judæos, qui erant Ecclesia et populus Dei, vocavit Christus per se, per Apostolos, ac per Joannem Baptistam ad Evangelicam doctrinam et gratiam, indeque ad gloriam regni cœlestis, ubi celebratur hæc cœna. Hos enim primo vocavit Christus, eo præsertim Judæorum primores, quales erant Scribæ, Pharisæi, Sacerdotes, Pontifices, eis prædicando : « Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum, » *Matth.* iii et iv.

17. Et misit servum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia — ad epulum cœleste, ad felicitatem æternam, ad fruitionem Dei. S. Augustinus, serm. 34 *De Verbis Domini* : « Parata jam cœna, ait, immolato Christo, post resurrectionem Christi missi sunt Apostoli, etc. »

18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei : Villam (Græco ἀγρὸν, id est *agrum*, cui solet conjungi villa sive domus rusticana) emi, et necesse habeo exire et videre illam : rogo te, habe me excusatum. — Notantur hic ad litteram Scribæ et Pharisæi, Sacerdotes et Pontifices, qui, vocati a Christo ad Evangelium, indeque ad epulum cœlestis gloriæ, illud neglexerunt, quia toti inhiabant villis, id est possessionibus et bonis temporalibus congregandis : illis ergo occupati, nec animum, nec otium habebant cogitandi de animæ salute et felicitate æterna. « Offert Deus, ait S. Gregorius, homil. 36 *in Evang.* (illas enim semper hic intelligo, non autem ejus homilias *in Ezech.*, Evangelica enim tracto) quod rogari debuerat, non rogatus dare vult, quod vix sperari poterat : paratas delicias æternæ refectionis denuntiat, et tamen simul omnes excusant. » Et rursum : « Dum dicit : Rogo te, et tamen venire contemnit : humilitas sonat in voce, superbia in actione. » Et iterum : « Quid per villam, nisi terrena substantia designatur ? Excusationes invitatorum ad cœnam.

Exiit ergo videre villam, quia sola exteriora cogitat propter substantiam (1). »

Cæcitas mundanorum. Apposite S. Bernardus, in *Declamat.*, homines opibus, deliciis, honoribus, ambitioni inhiantes vocat phreneticos : « Vidi ego, inquit, aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitrer? Primus siquidem buccis tumentibus marinam masticabat arenam. Secundus, sulphureo astans lacui, exhalantem teterrimum fetidissimumque gestiebat haurire vaporem. Porro tertius, fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur. Quartus, supra pinnaculum templi residens, levioris auræ spiritum aperto attrahebat ore, et si quo minus influere videretur, flabello sibi ventum ipse ciebat ac si totum speraret aerem deglutire. Quintus, seorsum positus, ridebat cæteros; ipse quoque ridendus, et maxime. Proprias enim carnes incredibili quodam studio sugere laborabat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. » Quibus emblematibus D. Bernardus varia peccatorum genera significavit. Nam primus ille cupidos, secundus voluptuarios, tertius iracundos, quartus ambitiosos, quintus tandem homines de suis rebus maxime gloriantes sibique placentes repræsentat, qui semper esuriunt terrena bona et nunquam satiantur.

19. ET ALTER DIXIT : JUGA BOUM EMI QUINQUE, ET EO PROBARE ILLA : ROGO TE, HABE ME EXCUSATUM. — Notat alteram Pharisæorum avaritiæ speciem, qua propter villas et fundos, etiam boves et animalia ad villas excolendas et ad esum, vel alium quemlibet usum (veterum enim opes sitæ erant in pecoribus, ut patet in Abraham, Isaac, Jacob, Job, etc.) avare conquirebant, itaque illis occupati, negligebant Christi doctrinam ejusque ductum ad regnum cœleste. Ita Theophylactus et Titus. Verum Gregorius, *hom.* 36 : « Quid, inquit, in quinque jugis boum, nisi quinque corporis sensus accipiamus? qui recte quoque juga vocati sunt, quia in utroque sexu geminantur. Qui videlicet corporales sensus, quia interna comprehendere nesciunt, sed sola exteriora cognoscunt et deserentes intima, ea quæ extra sunt, tangunt, recte per eos curiositas designatur. Quæ dum alienam quærit vitam discutere, semper sua intima nesciens, studet exteriora cogitare. »

20. ET ALIUS DIXIT : UXOREM DUXI, ET IDEO NON POSSUM VENIRE. — « Quid per uxorem, ait S. Gregorius, *hom.* 36, nisi voluptas carnis accipitur? » Duplex ergo impedimentum Pharisæis fuit, et nunc multis est, scilicet avaritia et voluptas, sive luxuria : hæ sunt spinæ quæ verbum Dei suffocant, juxta illud Christi, cap. VIII, vers. 14 : « Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, et non referunt fructum. » Sed hi audiant Paulum monentem, I *Cor.* VII, 29 : « Tempus breve est, reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint, etc.; et qui emunt, tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi. » « Res temporalis in usu, æterna in desiderio sit, » inquit S. Gregorius, hom. 36 in hoc *Evang.*

Porro, conjugium hic non reprehenditur (nisi quatenus animus illi nimis intentus avocatur a salute), sed integritas ad majorem honorem vocatur, ait S. Ambrosius : « Amor ergo rerum terrenarum viscus est spiritualium pennarum, » ait Glossa ex S. Gregorio, et causam dat S. Gregorius : « Corporales deliciæ, inquit, cum non habentur, desiderium accendunt; cum vero habitæ eduntur, fastidium pariunt : spirituales vero, cum non habentur, in fastidio sunt; cum habentur, in desiderio. » Rationem a priori subjicit : « In illis (corporalibus) appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat; in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant : quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur quod avidius ametur. Et idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. »

Paulo aliter tres hasce trium excusationes partite explicat et applicat S. Augustinus, serm. 33 *De Verbis Domini secundum Lucam* : « In villa empta, ait, dominatio notatur : ergo superbia castigatur, quia inventa superbia venire noluit. » Et paulo post : « Quinque juga boum, sensus hujus carnis quinque numerantur. Quare boum dicuntur juga? quia per sensus istos carnis terrena requiruntur. Boves enim terram versant, sunt autem omnes remoti a fide, terrenis dediti, carnalibus occupati. » Et inferius : « Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt; quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis sunt, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (pro quo Augustinus legit, *ambitio sæculi*), I *Joan.* II. Ambitio sæculi, villam emi. » Et inferius : « Tollamus ergo de medio excusationes vanas et malas, et veniamus ad cœnam qua intrinsecus saginemur. Non nos impediat extollentia superbiæ, non nos extollat, vel non nos terreat curiositas illicita, et avertat a Deo; non nos impediat voluptas carnis a voluptate cordis, veniamus et saginemur. »

21. ET REVERSUS SERVUS NUNTIAVIT HÆC DOMINO SUO. TUNC IRATUS PATERFAMILIAS, DIXIT SERVO SUO : EXI CITO IN PLATEAS, ET VICOS CIVITATIS; ET PAUPERES, AC DEBILES, ET CÆCOS, ET CLAUDOS, INTRODUC HUC. — Hæc pars parabolæ significat Christum, Pharisæis et Pontificibus spernentibus Evangelium et prædicationem regni cœlorum, surrogasse eis plebeios, pauperes et afflictos, juxta illud : « Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei, » *Matth.* XXI, 31; et cap. XIX, vers. 30 : « Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi. » Esto enim Christus ab initio simul utrisque prædicarit, scilicet Pharisæis et turbis; tamen Pharisæi hic primi vocati dicuntur, tum quia hoc spectat ad elegantiam parabolæ : ad convivia enim primo vocari solent viri honorati, deinde plebeii; tum quia Christus volebat ut Scribæ ex officio suo primi se agnoscerent, et agnitum populo rudi commendarent. Verum contrarium accidit ex Scribarum fastu et avaritia. « Qui recusarunt, ait Euthymius, erant Pontifices, Scribæ et Pharisæi, et quique honoratiores populi; hi vero qui loco illorum introducti sunt, communes, et abjecti, ac plebeii. » Sic et Titus, S. Gregorius, Theophylactus et alii. Nimirum « infirma mundi, ut ait Paulus, elegit Deus, ut confundat fortia, » I *Cor.* I, 27.

Symbolice S. Augustinus, serm. 34 *De Verbis Domini secundum Lucam* : « Et qui venerunt, ait, nisi mendici, debiles, claudi et cæci? illi autem non venerunt, divites, sani, quasi bene ambulantes et acute cernentes, multum de se præsumentes; et eo desperatiores, quanto superbiores. Veniant mendici, quia ille invitat, qui propter nos pauper factus est, cum dives esset, ut illius paupertate mendici ditaremur. Veniant debiles, quia non est opus sanis medico, sed male habentibus. Veniant claudi, qui ei dicant : Compone gressus meos in semitis tuis. Veniant cæci, qui dicant : Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. » Hisce pauperibus et miseris ergo significatur *primo*, neminem esse spernendum, sed omnes esse vocandos ad Christum et salutem; *secundo*, pauperes facilius obedire Evangelio et salvari, quam divites; *tertio*, de nullius, quantumvis miseri, cæci et perversi, salute esse desperandum.

22. ET AIT SERVUS : DOMINE, FACTUM EST UT IMPERASTI, ET ADHUC LOCUS EST. — *q. d.* Necdum impletum est cœlum salvandis, necdum completus est electorum numerus. Nota et imitare zelum hujus servi, qui neminem licet, cæcum, mutilum, deformem respuit, ac plures et plures vocare et salvare satagit.

23. ET AIT DOMINUS SERVO : EXI IN VIAS, ET SEPES : ET COMPELLE INTRARE, UT IMPLEATUR DOMUS MEA. — « Exi, » extra urbem, extra Jerusalem et Judæam, ac voca Gentes ad Christum. Unde ait, « in vias, » vel, ut habet Matthæus, « in exitus viarum, » hoc est, in vias quæ ducunt ad quaslibet gentes, et ad fines terræ. « Sepes » vocat villas et pagos, qui non muris, sed sepibus rusticanis cinguntur. Notant ergo rusticanos, barbaros, Indos rure, in silvis et sepibus habitantes more belluarum, vocandos esse ad salutem, ut Apostoli et viri Apostolici eant illisque prædicent Evangelium : quod factum est, et in dies magis magisque fit per viros Religiosos et zelosos. Unde servus non addit : « factum est, » uti de Judæis addidit vers. 22; quia in Gentibus necdum plene factum est, sed in dies plenius fit et perficitur, nec nisi in fine mundi plane perficietur. Ita Titus, quem audi : « Significatur post Israelitas per fidem introductos, Gentium quoque populum fuisse vocandum, mente agrestem animoque efferatum, quasi extra urbes, absque ulla prorsus civilitate natum et educatum. Neque enim ullis omnino boni legibus aut moribus utebantur, verum pecudum more in magna quadam rationis caligine et amentia versabantur. » Israelitæ fuerunt intra civitatem, ait Theophylactus, ut qui legem susceperant, et civiliorem vitam sortiti; Gentiles autem, a testamentis et a lege Dei alieni erant, et non facti cives Sanctorum. Sic enim alloquitur eos Apostolus : « Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo, » *Ephes.* cap. II, vers. 12.

COMPELLE INTRARE. — Quia enim Gentes multæ erant idololatræ, barbaræ et belluinæ, hinc majori et validiori vi prædicationis vocandæ, et quasi compellendæ fuere ad salutem, nimirum per miracula, per spiritum ardentem, per plagas etiam et vindictas a Deo subinde immissas, « in ostensione spiritus et virtutis, » ait Paulus, I *Cor.* cap. II, vers. 4; et I *Thessal.* I, 5 : « Evangelium nostrum, ait, non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa. » Hinc et noster Suarez : Compelle intrare, ait, vel laboribus et doloribus affligendo, vel vehementi vocatione et impulsu quasi miraculose convertendo.

24. DICO AUTEM VOBIS, QUOD NEMO VIRORUM ILLORUM QUI VOCATI SUNT (et frigide ingrateque se excusarunt), GUSTABIT CŒNAM MEAM (1). — Notat Pharisæos et primores Judæorum, terrenis opibus et deliciis addictos, cœlo et cœlesti convivio excludendos, et ad inferni tormenta relegandos, eo quod vocati a Christo ad Evangelicam doctrinam et vitam, quæ recta via ducit ad cœlum, illam amplecti noluerint, juxta illud : « Quia vocavi, et renuistis, etc. Ego quoque in interitu vestro ridebo, » *Prov.* I, 24. Tunc sero pœnitebit eos suæ ingratitudinis et insipientiæ, dicentque : « Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum

(1) Pro *simul*, in hoc vers., Græce est ἀπὸ μιᾶς; subintellexit ergo, ut patet, Vulgatus Interpres vocem ὥρας, ut sensus sit *confestim, eo ipso tempore*. Ita vero satis frigida sententia procedit, nam per se intelligitur eos confestim se excusasse, cum jam convivium paratum esset. Quam ob rem alii subaudiunt φωνῆς, *uno ore*; aut, quod præstat, καρδίας, ψυχῆς, γνώμης, *uno animo, velut ex composito*. Vid. Kuinoel in h. l.

(1) Quæritur utrum hæc sint *Patrisfamilias* verba, an *Christi* hoc modo parabolam concludentis. Si prius, ὑμῖν ad convivas serius invitatos, vel servos adstantes; si posterius, ad Pharisæos et reliquos quibus Jesus hanc parabolam proposuerat, referendum est. Posterior interpretandi ratio utpote simplicior, et orationis seriei convenientior, multis præplacet; nam Paterfamilias in omni hac parabola alloquitur servum, quod si ergo hæc ipsius verba essent, dixisset potius λέγω σοι, non λέγω ὑμῖν.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra, » *Sapient.* v. Ecce hæc omnia a vers. 1 hucusque Christus egit dixitque in convivio Pharisæi, ideoque invitatus ad illud accessit, ut eum cum suis hisce omnibus parabolis instrueret et emendaret. Idem imitentur viri Religiosi et Apostolici, ut non eant ad convivia, nisi spiritualis fructus causa.

26. SI QUIS VENIT AD ME, ET NON ODIT PATREM SUUM, ET MATREM, ET UXOREM, ET FILIOS, ET FRATRES, ET SORORES, ADHUC AUTEM ET ANIMAM SUAM, NON POTEST MEUS ESSE DISCIPULUS. — Ut scilicet me ... strum, nudum nudus sequatur ... et septuaginta duobus discipulis; hi enim soli renuntiant omnibus quæ possident, ut dixi vers. 33. Hæc omnia ergo spectant ad consilia Evangelica, non ad præcepta; licet etiam ad illa, et consequenter ad omnes Christianos, extendi possint; hi enim suo modo et ordine sunt quoque Christi discipuli: quare cum præceptum Christi urget, odisse et repellere debent amorem parentum, fratrum, uxorum, etc., imo et animæ propriæ, si Christo Christique legi adversetur. Unde Maldonatus censet hæc esse præcepti, Jansenius vero consilii. Vide dicta *Matth.* x, 37. Porro Suarez, in opusc., lib. II *De Concursu Dei*, cap. v: « Qui non odit, » inquit, hoc est qui non minus diligit Patrem, quam diligat me.
**Odisse, id est minus diligere.** Odisse enim subinde idem est quod minus diligere, ut « Jacob dilexi, Esau autem odio habui, » id est minus dilexi, *Rom.* IX.

**Vers. 28.** 28. QUIS ENIM EX VOBIS VOLENS TURRIM ÆDIFICARE, NON PRIUS SEDENS COMPUTAT SUMPTUS QUI NECESSARII SUNT, SI HABEAT AD PERFICIENDUM. — Græce τὰ πρὸς ἀπαρτισμόν, id est, *ea quæ ad perfectionem seu consummationem*, scilicet turris, requiruntur: nam ἀπαρτίζειν significat ita rem perficere, ut nihil omnino desit.

**Parabola turris ædificandæ.** Hac parabola turris fabricandæ, et sequenti belli capessendi, Christus duntaxat vult docere quanta prudentia quis prætentare debeat robur, tum corporis, tum maxime spiritus; item impulsum Spiritus Sancti promittentis vires gratiæ sufficientes, antequam arduam Evangelicæ vitæ et perfectionis turrim fabricet et conscendat, ac bellum amicis, sibi, passionibus totique mundo indicat; ne, si postea tantis officiis impar onerique succumbens resiliat, sibi damnum perditorum sumptuum, et ignominiam inchoatæ imprudenter fabricæ et belli, quam perficere nequit, asciscat. Reliqua emblemata sunt. Quare non est hic anxie quærendum, quis sit hic rex, quid decem vel viginti millia, quid sit legationem mittere et rogare ea quæ pacis sunt. Ita Jansenius, Maldonatus, Barradius, Franciscus Lucas et alii. Unde Glossa: Ille, ait, computat sumptus, qui discernit esse erogandam pecuniam, cor avertendum a cupiditatibus, præparandam animam contra adversa. Et Interlinearis: Terrenum ædificium congregando expensas construitur, cœleste autem expensas dispergendo, quæ verba sumpta sunt ex S. Gregorio, *homil.* 37.

Symbolice: Salmeron noster, tom. VII, tract. 24, num. 8: Christus, inquit, ut doceret Prælatos in actione et contemplatione exercitatos esse debere, duas parabolas producit, unam de turri ædificanda, quæ vitæ contemplativæ est symbolum, nam turris longe speculatur: alteram vero de ineundo bello contra adversarium regem, quæ activæ vitæ typum gerit. Certare enim cum adversariis et pugnare contra proprias cupiditates et vitia, eorum est qui tirones sunt in via Dei et vitæ perfectæ quasi prima elementa versant.

Turris ergo est status Religionis et vita contemplativa. *Primo*, quia utraque est alta et excelsa; et sicut turris supereminet cæteris ædificiis, sic Religio cæteris officiis et statibus. *Secundo*, sicut turris est ornamentum urbis, sic Religio ornamentum est Ecclesiæ. *Tertio*, « turres dictæ a *torulis*, quod hæ prospiciunt ante alios, » ait Varro, lib. IV *De Lingua latina*. Sic in Religione et contemplatione prospicimus tum hostium insidias, tum futura et æterna bona ac mala. Unde Burgundiones dicti a *burgis* (Græce, πύργοις), id est turribus et arcibus, in quibus degebant ad prospiciendos et cavendos incursus Wandalorum, Gothorum, Alanorum, etc. *Quarto*, S. Isidorus, lib. XV; Origenes, cap. II: *Turres* vocatæ, inquit, quod *teretes* sint et longæ. Teres enim est aliquid rotundum cum proceritate, ut columna; nam quamvis quadratæ aut latæ construantur, procul tamen videntibus rotundæ existimantur, ideo, quia omne cujusque anguli simulacrum per longum aeris spatium evanescit atque consumitur et rotundum videtur. Sic Religio facit homines rotundos, id est candidos, faciles, versatiles, agiles ad obedientiam et omne bonum. *Quinto*, et verius, *turres* dicuntur a *tuendo*, quod ad illas confugerent homines ut se tuerentur, ibique tuti essent ab incursu hostium: sic Religio tuetur nos a dæmone, carne et mundo, tentationibus et peccandi occasionibus, ac fructus bonorum operum conservat, juxta illud *Cantic.* IV: « Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, » uti sunt tria vota paupertatis, castitatis, obedientiæ, exempla fratrum, vigilantia Rectorum, regulæ, oratio frequens, crebra communio, confessio, lectio, etc. Vide ibi dicta. Sicut ergo turres terrent hostes, sic Religio terret dæmones. Unde etymologicum: *Turris*, ait, dicta est a *terrendis* hostibus, vel quod aspectu torva sit, id est terribilis. *Sexto*, ante hujus turris fabricam explorare debet quisque vires suas, hinc ad hoc datur annus novitiatus, in quo ingrediens probat Religionem, et vicissim probatur ab ea, an ad eam sit idoneus. Denique Religiosus corde in cœlo fixus, quasi ex altissima turri omnia sub se, quasi exilia, respicit et despicit.

**Turris est vita Religiosa. Primo. Secundo. Tertio. Turris, quasi tuta. Burgundiones dicti a burgis. Quarto.** (marginal notes)



Audi S. Chrysostomum, hom. 15 *ad Popul.*: « Sicut e summo montis vertice prospectantibus omnia pusilla, ac non solum homines et arbores, sed etiam urbes integræ, et magni exercitus formicarum instar super terram ire videntur: sic qui animo erecto in cœlestia quasi in sublimi commorantur, omnia humana, potentia, gloria, opes, ita minuta et exigua apparent, ut ne digna quidem judicent, quibus hanc immortalis animi nobilitatem applicent. »

**Id luget S. Gregorius e Religioso Pontifex.** Audi et S. Gregorium lugentem quod e Religioso factus sit Pontifex: « Nihil, inquit, in hoc mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me pene impletum crederem, quod pollicente Domino ex Propheta didicissem: Sustollam te super altitudines terræ. Super enim altitudinem terræ sustollitur, qui et ipsa, quæ alta et gloriosa præsentis videntur sæculi, per mentis despectum calcat; sed repente a rerum vertice tentationis hujus turbine impulsus, ad timores pavoresque corrui; quia, etsi mihi nil timeo, eis tamen qui mihi commissi sunt, multum formido. » Ita S. Gregorius, lib. I, *epist.* 5 et 6.

**Vers. 31. Parabola regis bellum meditantis.** 31. AUT QUIS REX ITURUS COMMITTERE BELLUM ADVERSUS ALIUM REGEM, NON SEDENS PRIUS COGITAT, SI POSSIT CUM DECEM MILLIBUS OCCURRERE EI QUI CUM VIGINTI MILLIBUS VENIT AD SE? — Idem significat hæc parabola belli, quod illa turris, vers. 28, ut dixi. « Per hoc significatur, ait Titus, certamen nobis esse cum adversis potestatibus (dæmonibus), tum rursus cum lege illa quæ in membris nostris grassatur plurimasque animi perturbationes et intestina prælia quotidie istic excitat. » Sic et S. Cyrillus. Porro, quod decem millia opponat viginti millibus, id est simplum duplo, per hoc symbolice significatur simplicitas hominis christiani dimicaturi cum duplicitate diaboli. Et Theophylactus: Rex, ait, est peccatum, dæmones satellites, qui nobis comparati majorem fortitudinem habere censentur. Aliter S. Gregorius, *hom.* 37: Rex, ait, contra nos venturus est Christus judex, qui cum duplici exercitu veniet contra simplum, quia nos vix in solo opere præparatos, simul de opere et cogitatione discutiet: mittamus ergo ad eum legationem, scilicet lacrymas, eleemosynas, sacrificia.

32. ALIOQUIN, ADHUC ILLO LONGE AGENTE, LEGATIONEM MITTENS, ROGAT EA QUÆ PACIS SUNT. — Spectat hoc ad emblema parabolæ, quare rei significatæ non est adaptandum: nec enim nobis cum dæmonibus aut vitiis pacisci licet, sed ἄσπονδον πόλεμον, id est irreconciliabile bellum, cum eis gerere debemus. Potest tamen scopo Christi accommodari hoc modo, *q. d.* Qui me perfecte in paupertate et prædicatione Evangelica sequi cupit, necesse est ut renuntiet parentibus, opibus, amicis, suæ voluntati et libertati, ac proinde eos sibi inimicos hostesque faciat: quod si advertat se ad hoc vires sufficientes non habere, cum eis pacem ineat, ut scilicet cum eis manens liber, præcepta duntaxat Evangelica capessat; consilia vero paupertatis, obedientiæ et prædicationis Evangelicæ dimittat. Hoc enim intendit significare et probare Christus, ut patet ex conclusione quam versu sequenti subjicit. Indicat ergo hic duas belli acies, duos duces, duo vexilla, unum Christi, alterum Luciferi. Quare Apostolos et viros Apostolicos debere cogitare, se in prædicatione Evangelii bellum suscipere cum Lucifero et omnibus ejus asseclis, ut eos debellent et ex hominum mentibus ejiciant. Ita Cyrillus.

33. SIC ERGO OMNIS EX VOBIS, QUI NON RENUNTIAT OMNIBUS QUÆ POSSIDET, NON POTEST MEUS ESSE DISCIPULUS. — Græce, πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ ὑπάρχουσι, id est *omnibus quæ sunt ejus*, uti legit S. Augustinus, epist. 38 *ad Lætum*: « In omnibus, inquit, etiam continetur illud, ut oderit patrem suum, et matrem, et uxorem, » etc.

Hæc est postparabola, significans scopum, mentem et usum parabolæ, *q. d.* Sic qui non renuntiat opibus et parentibus, ac voluntati et libertati suæ, non potest meus esse discipulus, ut scilicet sequatur vitam et perfectionem Evangelicam paupertatis et prædicationis, quam ego profiteor: hoc est, non potest sequi consilia Evangelica, ut sit meus discipulus, uti sunt Apostoli. Rursum, qui non vult renuntiare omnibus, cum persecutio vel necessitas id exigit, ut v. g. nolit pro fide in me pati jacturam bonorum, parentum et vitæ, hic non capessat fidem meam; quia satius est non incipere vitam christianam, quam ab incœpta deficere et apostatare. Hic enim præter crimen infidelitatis, accedit etiam apostasiæ, juxta illud II *Petri*, II, 21: « Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. »

Indicat Christus christianismum non esse ludum puerorum, sed opus arduum virorum, ac proinde ad illum, opus esse magna Dei gratia, magnoque animi robore et spiritu, qualem habuere Christiani, præsertim Romani, primis trecentis post Christum annis, qui fortunas, libertatem et vitam constanter et alacriter pro fide Christi in continuis Imperatorum persecutionibus profundebant. Paucorum, ait Beda, est relinquere omnia, id est curas mundi postponere; cunctorum autem fidelium est renuntiare omnibus, id est sic tenere quæ mundi sunt, ut tamen non teneantur in mundo. Audi S. Gregorium hic, *homil.* 36: « Admonere vos volo, ut relinquatis omnia, sed non præsumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non potestis, sic tenete quæ hujus mundi sunt, ut tamen per ea non teneamini in mundo: ut terrena res possideatur, non possideat; ut sub mentis vestræ sit dominio quod habetis, ne, si mens vestra terrenarum rerum amore vincitur, a rebus suis magis ipsa possideatur. Sit ergo res

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

temporalis in usu, æterna in desiderio; sit res temporalis in itinere, desideretur æterna in perventione: quasi ex latere respiciatur quidquid in hoc mundo agitur; ante nos autem tendant mentis oculi, dum tota intentione illa conspiciunt, ad quæ pervenimus. »

34. BONUM EST SAL. SI AUTEM SAL EVANUERIT, IN QUO CONDIETUR? — « Bonum, » id est utile et efficax est sal ad cibos condiendos et conservandos, scilicet quamdiu sal est, et salis acrem saporem vigoremque retinet: sic et vos, o Apostoli, quamdiu vigorem spiritus retinueritis, utiles eritis mundo, ut eum sale fidei et sapientiæ Evangelicæ condiatis: sin autem hunc spiritum perdatis, fiatisque insulsi, ad nihil aliud valebitis, quam ut ab hominibus contemnamini et conculcemini, nullus enim est Apostolus vel doctor, qui vos condiat vel corrigat. Ita Beda: vide dicta *Matth.* v, 13: « Vos estis sal terræ, » etc. Et *Marci* IX, 49: « Habete in vobis sal. »

Tertia est hæc parabola salis (prima enim fuit fabricæ turris, secunda belli capessendi), ex qua liquet duas præcedentes proprie spectare ad Apostolos et viros Apostolicos: hi enim sale doctrinæ et sanctitatis suæ saliunt mundum, ideoque non tantum præcepta, sed et consilia Evangelica sequuntur. Secundario tamen hæc aptari possunt omnibus Christianis; hi enim infideles quasi insulsos sale suæ innocentis vitæ bonique exempli condire debent.

35. QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT. — « Aures, » tum corporis, tum potius mentis. « Audiendi, » id est ad audiendum et intelligendum accommodas, faciles, propensas: « audiat, » et expendat ea quæ dico et doceo. Excitat enim attentionem ex gravitate et difficultate rei quam proponit. Vide dicta *Matth.* XIII, 9 et 13. Vers. 35.

# CAPUT DECIMUM QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus Pharisæis murmurantibus quod peccatores reciperet, tribus parabolis ostendit quam laudabile, jucundum gratumque Deo et angelis sit, peccatores convertere. Prima est ovis perditæ et inventæ, vers. 4. Secunda est drachmæ amissæ et inventæ, vers. 8. Tertia est filii prodigi, vers. 12, quem pœnitentem pater in pristinam gratiam cum osculo et publico gaudio recepit.*

*Primam parabolam audivimus* Matth. XVIII, 12, *ubi eam explicui.*

1. Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum. 2. Et murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. 3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: 4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves; et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? 5. Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens; 6. et veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. 7. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia. 8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat? 9. Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. 10. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. 11. Ait autem: Homo quidam habuit duos filios; 12. et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et divisit illis substantiam. 13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose. 14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere. 15. Et abiit et adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. 16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, et nemo illi dabat. 17. In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! 18. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in cœlum, et coram te; 19. jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis. 20. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. 21. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. 22. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus; 23. et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur: 24. quia hic filius meus mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari. 25. Erat autem filius ejus senior in agro; et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum; 26. et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent. 27. Isque dixit illi: Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. 28. Indignatus est autem, et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. 29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam dedisti mihi hædum ut cum amicis meis epularer; 30. sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. 31. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt; 32. epulari autem, et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est.



Vers. 1. 1. ERANT AUTEM APPROPINQUANTES EI PUBLICANI
Vers. 2. ET PECCATORES, UT AUDIRENT ILLUM. 2. ET MURMURABANT PHARISÆI, ET SCRIBÆ, DICENTES: QUIA HIC PECCATORES RECIPIT, ET MANDUCAT CUM ILLIS. — « Publicani, » Græca addunt πάντες, id est omnes, hoc est multi, plerique omnes ad Christum confluebant, allecti scilicet ejus sanctitate et benignitate, qua peccatores ad se vocabat, et pœnitentibus veniam et salutem promittebat. Hæc enim erat ejus concio: « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum, » *Matth.* III et IV.

ET MURMURABANT PHARISÆI, — qui sicut vitabant contactum immundorum corporum, sic et animarum, puta peccatorum; quare cum peccatoribus nec loqui dignabantur, multo minus comedere. Erat ergo hic spiritus et fastus Pharisaicus, qui se juxta legem puros et sanctos arbitrabantur, ideoque impuros cavebant ne ab eis contaminarentur. His contrarius plane erat spiritus Christi, qui ad hoc in mundum venerat, ut peccatores a peccatis purificaret et sanctificaret, unde eorum colloquia captabat eorumque mensas invitatus adibat, quia nil gratius Deo quam peccatores convertere. « Ex qua re colligite, ait S. Gregorius, *homil.* 34, quia vera justitia (Christi) compassionem habet, falsa justitia (Pharisæorum) detestationem: » nimirum « character vitæ Apostolicæ est, sitire salutem animarum, » ait S. Chrysostomus.

Vers. 3. 3. ET AIT AD ILLOS PARABOLAM ISTAM, DICENS:
Vers. 4. 4. QUIS EX VOBIS HOMO, QUI HABET CENTUM OVES; ET SI PERDIDERIT UNAM EX ILLIS, NONNE DIMITTIT NONAGINTA NOVEM IN DESERTO, ET VADIT AD ILLAM
Parabola ovis perditæ. QUÆ PERIERAT, DONEC INVENIAT EAM? — « Vadit ad illam. » Ovis enim est animal simplex et stolidum, quod proinde pabulum sequens facile a via et grege aberrat, ac ubi semel erravit, in viam redire nescit: quare pastore opus habet qui eam requirat et ad eam vadat. Ita nos per peccata et concupiscentias eramus quasi oves errantes euntesque in ruinam et gehennam, nec de Deo vel salute et cœlo cogitabamus; quare Christus descendit de cœlo ut nos requireret et a via inferni in viam cœli reduceret. Unde Isaias, cap. LIII, 6: « Omnes nos, ait, quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum. » Et S. Petrus, *epist.* I, cap. II, 25: « Eratis, ait, sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et Episcopum animarum vestrarum. »

5. ET CUM INVENERIT EAM, IMPONIT IN HUMEROS Vers. 5.
SUOS GAUDENS. — Arabicus, *portat eam super humeros suos hilariter*, ut cito eam ad reliquum gregem reducat; hoc enim facere nequit ovis gradiendo, cum sit tardigrada. Idem fecit Christus, cum, ut ait Isaias, peccata nostra in humeros suos luenda suscepit. Hinc Nyssenus, in *Catena*: « Cum, ait, pastor invenisset ovem, non punivit, non duxit ad gregem urgendo, sed superponens humero, et portans clementer, annumeravit gregi. » O miram Christi Domini demissionem, clementiam, charitatem! quam ut olim fidelibus Pontifices repræsentarent, solebant in templis Christum pingere cum ove perdita humeris imposita, eam reportantem ad gregem. Ita Carlomanni Austrasiæ et Sueviæ regis, monachi Cassinatis humilitas.
Carlomannus, filius Caroli Martelli, Austrasiæ et Sueviæ rex, anno Domini 750, spreto utroque regno, monasticen amplexus in Monte Cassinate, cum humilitatis et obedientiæ studio, Petronacis abbatis jussu oves pasceret, ovem claudicantem in humeros impositam ad gregem reduxit, ejusque sordibus perfusus exultavit. Christiana enim

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

temporalis in usu, æterna in desiderio; sit res temporalis in itinere, desideretur æterna in perventione; quasi ex latere respiciatur quidquid in hoc mundo agitur; ante nos autem tendant mentis oculi, dum tota intentione illa conspiciunt, ad quæ pervenimus. »

34. BONUM EST SAL. SI AUTEM SAL EVANUERIT, IN QUO CONDIETUR? — « Bonum, » id est utile et efficax est sal ad cibos condiendos et conservandos, scilicet quamdiu sal est, et salis acrem saporem vigoremque retinet: sic et vos, o Apostoli, quamdiu vigorem spiritus retinueritis, utiles eritis mundo, ut eum sale fidei et sapientiæ Evangelicæ condiatis; sin autem hunc spiritum perdatis, fiatisque insulsi, ad nihil aliud valebitis, quam ut ab hominibus contemnamini et conculcemini, nullus enim est Apostolus vel doctor, qui vos condiat vel corrigat. Ita Beda: vide dicta *Matth.* v, 13: « Vos estis sal terræ, » etc. Et *Marci* IX, 49: « Habete in vobis sal. »

Tertia est hæc parabola salis (prima enim fuit fabricæ turris, secunda belli capessendi), ex qua liquet duas præcedentes proprie spectare ad Apostolos et viros Apostolicos: hi enim sale doctrinæ et sanctitatis suæ saliunt mundum, ideoque non tantum præcepta, sed et consilia Evangelica sequuntur. Secundario tamen hæc aptari possunt omnibus Christianis; hi enim infideles quasi insulsos sale suæ innocentis vitæ bonique exempli condire debent.

35. QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT. — « Aures, » tum corporis, tum potius mentis. « Audiendi, » id est ad audiendum et intelligendum accommodas, faciles, propensas: « audiat, » et expendat ea quæ dico et doceo. Excitat enim attentionem ex gravitate et difficultate rei quam proponit. Vide dicta *Matth.* XIII, 9 et 13. Vers. 3

# CAPUT DECIMUM QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus Pharisæis murmurantibus quod peccatores reciperet, tribus parabolis ostendit quam laudabile, jucundum gratumque Deo et angelis sit, peccatores convertere. Prima est ovis perditæ et inventæ, vers. 4. Secunda est drachmæ amissæ et inventæ, vers. 8. Tertia est filii prodigi, vers. 12, quem pœnitentem pater in pristinam gratiam cum osculo et publico gaudio recepit.*

*Primam parabolam audivimus* Matth. XVIII, 12, *ubi eam explicui.*

1. Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum. 2. Et
murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, et manducat cum
illis. 3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: 4. Quis ex vobis homo, qui habet centum
oves; et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit
ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? 5. Et cum invenerit eam, imponit in humeros
suos gaudens; 6. et veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. 7. Dico vobis, quod ita gaudium erit
in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui
non indigent pœnitentia. 8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat? 9. Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia
inveni drachmam quam perdideram. 10. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei
super uno peccatore pœnitentiam agente. 11. Ait autem: Homo quidam habuit duos filios;
12. et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et divisit illis substantiam. 13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose. 14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames
valida in regione illa, et ipse cœpit egere. 15. Et abiit et adhæsit uni civium regionis illius.
Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. 16. Et cupiebat implere ventrem suum
de siliquis, quas porci manducabant, et nemo illi dabat. 17. In se autem reversus, dixit:
Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!
18. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in cœlum, et coram te;



19. jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis. 20. Et
surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius,
et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.
21. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari
filius tuus. 22. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, et induite
illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus; 23. et adducite
vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur: 24. quia hic filius meus
mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari. 25. Erat autem
filius ejus senior in agro; et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam
et chorum; 26. et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent. 27. Isque dixit
illi: Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. 28. Indignatus est autem, et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare
illum. 29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam dedisti mihi hædum ut cum amicis meis epularer;
30. sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit,
occidisti illi vitulum saginatum. 31. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, et omnia
mea tua sunt; 32. epulari autem, et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat,
et revixit; perierat, et inventus est.

Vers. 1. 1. ERANT AUTEM APPROPINQUANTES EI PUBLICANI
Vers. 2. ET PECCATORES, UT AUDIRENT ILLUM. 2. ET MURMURABANT PHARISÆI, ET SCRIBÆ, DICENTES: QUIA HIC PECCATORES RECIPIT, ET MANDUCAT CUM ILLIS. — « Publicani, » Græca addunt πάντες, id est omnes, hoc est multi, plerique omnes ad Christum confluebant, allecti scilicet ejus sanctitate et benignitate, qua peccatores ad se vocabat, et pœnitentibus veniam et salutem promittebat. Hæc enim erat ejus concio: « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum, » *Matth.* III et IV.

ET MURMURABANT PHARISÆI, — qui sicut vitabant contactum immundorum corporum, sic et animarum, puta peccatorum; quare cum peccatoribus nec loqui dignabantur, multo minus comedere. Erat ergo hic spiritus et fastus Pharisaicus, qui se juxta legem puros et sanctos arbitrabantur, ideoque impuros cavebant ne ab eis contaminarentur. His contrarius plane erat spiritus Christi, qui ad hoc in mundum venerat, ut peccatores a peccatis purificaret et sanctificaret, unde eorum colloquia captabat eorumque mensas invitatus adibat, quia nil gratius Deo quam peccatores convertere. « Ex qua re colligite, ait S. Gregorius, *homil.* 34, quia vera justitia (Christi) compassionem habet, falsa justitia (Pharisæorum) detestationem: » nimirum « character vitæ Apostolicæ est, sitire salutem animarum, » ait S. Chrysostomus.

Vers. 3. 3. ET AIT AD ILLOS PARABOLAM ISTAM, DICENS:
Vers. 4. 4. QUIS EX VOBIS HOMO, QUI HABET CENTUM OVES; ET SI PERDIDERIT UNAM EX ILLIS, NONNE DIMITTIT NONAGINTA NOVEM IN DESERTO, ET VADIT AD ILLAM
Parabola ovis perditæ. QUÆ PERIERAT, DONEC INVENIAT EAM? — « Vadit ad illam. » Ovis enim est animal simplex et stolidum, quod proinde pabulum sequens facile a via et grege aberrat, ac ubi semel erravit, in viam redire nescit: quare pastore opus habet qui eam requirat et ad eam vadat. Ita nos per peccata et concupiscentias eramus quasi oves errantes euntesque in ruinam et gehennam, nec de Deo vel salute et cœlo cogitabamus; quare Christus descendit de cœlo ut nos requireret et a via inferni in viam cœli reduceret. Unde Isaias, cap. LIII, 6: « Omnes nos, ait, quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum. » Et S. Petrus, *epist.* I, cap. II, 25: « Eratis, ait, sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et Episcopum animarum vestrarum. »

5. ET CUM INVENERIT EAM, IMPONIT IN HUMEROS Vers. 5.
SUOS GAUDENS. — Arabicus, *portat eam super humeros suos hilariter*, ut cito eam ad reliquum gregem reducat; hoc enim facere nequit ovis gradiendo, cum sit tardigrada. Idem fecit Christus, cum, ut ait Isaias, peccata nostra in humeros suos luenda suscepit. Hinc Nyssenus, in *Catena*: « Cum, ait, pastor invenisset ovem, non punivit, non duxit ad gregem urgendo, sed superponens humero, et portans clementer, annumeravit gregi. » O miram Christi Domini demissionem, clementiam, charitatem! quam ut olim fidelibus Pontifices repræsentarent, solebant in templis Christum pingere cum ove perdita humeris imposita, eam reportantem ad gregem. Ita Carlomanni Austrasiæ et Sueviæ regis, monachi Cassinatis humilitas.
Carlomannus, filius Caroli Martelli, Austrasiæ et Sueviæ rex, anno Domini 750, spreto utroque regno, monasticen amplexus in Monte Cassinate, cum humilitatis et obedientiæ studio, Petronacis abbatis jussu oves pasceret, ovem claudicantem in humeros impositam ad gregem reduxit, ejusque sordibus perfusus exultavit. Christiana enim

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

humilitas Christique imitatio est vera Christianorum regumque gloria. Ita habent Annales Cassinates, et ex iis Hieronymus Platus, lib. II *De Bono status Religiosi*, cap. XXVI.

6. ET VENIENS DOMUM CONVOCAT AMICOS ET VICINOS, DICENS ILLIS : CONGRATULAMINI MIHI. — Græce συγχάρητέ μοι, id est *congaudete mihi*, gaudete mecum. Ingens gaudium significat, quod animo continere nequit, quin illud in amicos effundat. Rursum indicat rem esse adeo lætam, ut de ea non tantum sibi, sed et omnibus vicinis gaudendum sit. « Mihi, » non dicit : ovi, sed « mihi ; » ejus enim gaudium est vita nostra, ait S. Gregorius.

QUIA INVENI OVEM MEAM, QUÆ PERIERAT. — Græce τὸ ἀπολωλός, id est *perditam*. Innuit Christum ita gaudere de conversione unius peccatoris, ut gaudium in se continere nequeat, sed illud cum Angelis et Sanctis communicet. Idem facit Christi assecla et vir Apostolicus, qui animam convertit.

7. DICO VOBIS QUOD ITA GAUDIUM ERIT IN COELO SUPER UNO PECCATORE PŒNITENTIAM AGENTE, QUAM SUPER NONAGINTA NOVEM JUSTIS, QUI NON INDIGENT

Conversio peccatoris omnium est bonum. PŒNITENTIA. — « Gaudium, » scilicet majus ; hoc enim exigit particula comparativa *quam*, quæ sequitur. Mire ergo gaudent Angeli et Beati in cœlo de cujuslibet peccatoris conversione : hanc ergo Deo revelante cognoscunt, utpote ad se pertinentem. Peccator enim per pœnitentiam ad Sanctorum sortem in cœlis transit, quia hoc ingens est bonum, *primo*, peccatori ; *secundo*, angelis ; *tertio* et maxime, ipsi Deo. Peccator enim a peccato transit ad justitiam, a gehenna ad cœlum. Angeli ergo gaudent de hoc hominis bono, quia ipsi erga homines benigni sunt, ait Euthymius ; et quia homo per pœnitentiam iis similis, scilicet purus et sanctus, efficitur. « Angelis, » quia per homines justificatos et sanctos reparatur eorum ruina, ac sedes in cœlis, e quibus Lucifer cum suis cecidit, restaurantur et implentur. « Deo, » quia Deus est φιλόψυχος, id est animarum amator, earumque salutem sitit, ait Euthymius. Angeli enim gaudent, Dei, quem summe amant, desiderium impleri, eumque hoc gaudio, æque ac honore pœnitentis affici. Qua de re extat insignis visio Carpi, cui Christus ostendit se ita desiderare peccatoris conversionem, ut pro ea paratus sit rursum crucifigi et mori. Vide eam apud S. Dionysium, epistola 8 *ad Demophilum*. Hinc

Visio S. Pauli Simplicis de peccatore converso. S. Paulus Simplex, discipulus S. Antonii, per visum vidit peccatorem quemdam, dum ingrederetur ecclesiam, esse nigrum et nebulosum, ac dæmones hinc inde trahentes eum ad se, immisso in naribus ejus freno, atque angelum sanctum ejus de longe sequentem tristem. Eumdem vero peracta pœnitentia egredientem vidit clara facie, et candido corpore, ac dæmones de longe sequentes eum ; sanctum autem angelum ejus prope illum hilarem et gaudentem super eum nimis. Unde Paulus præ gaudio exclamavit : O quanta misericordia et benignitas Dei est ! quanta ejus miseratio ! Ita habetur in Vitis Patrum, lib. VII, cap. XXIII. Palladius, in *Lausiaca*, cap. XLVI, narrat anachoretam quemdam in peccatum prolapsum pœnituisse in sacco, cinere et lacrymis assiduis. Quocirca angelum ei apparuisse ac dixisse : « Accepit Dominus tuam pœnitentiam, et tui est misertus : deinceps autem vide ne decipiaris. »

Hoc argumento Christus convincit Pharisæos perperam murmurare, dum vident Christum cum peccatoribus versari, ut eos convertat, quia hoc opus est Deo et angelis gratissimum : quare Pharisæos cum eis de illo gaudere illique cooperari debere ac similem animarum zelum induere. Hic enim est omnis incarnationis, passionis et mortis Christi « fructus, ut auferatur peccatum, » *Isaiæ* XXVII, 9 ; « et adducatur justitia sempiterna, » *Daniel.* IX, 24 ; ac honor, cultus et regnum Dei quam maxime dilatetur et propagetur, *Matth.* VI, 9. Hic cuique religioso, sacerdoti et fideli ingens esse debet stimulus ad excitandum in se animarum zelum. Hinc S. Gregorius audiens Anglos per Augustinum a se missum ad Christum conversos, exultavit in spiritu ; unde ita ad eum scribit, lib. IX, *epist.* 58 : « Et si de uno pœnitente grande fit gaudium in cœlo, quale gaudium credimus factum de tanto populo a suo errore converso ; qui ad fidem veniens, mala quæ egit pœnitendo damnavit ! In hoc itaque cœli et angelorum gaudio, repetamus ipsas quas prædiximus voces angelorum : dicamus igitur, dicamus omnes : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. »

QUAM SUPER NONAGINTA NOVEM JUSTIS. — Magis ergo gaudent Deus et angeli de uno pœnitente, quam de uno innocente, imo quam de nonaginta novem justis et sanctis : quia scilicet novum actu eis supervenit gaudium, quod sensibile magis videtur magisque reipsa sentitur, quam vetus illud continuum de nonaginta novem justis, quod hominibus sua duratione videtur quasi sui sensum minuere, licet is revera in se major sit. Rei enim desideratæ novitas ingens novumque ciet gaudium, quod ob sui novitatem magis sentitur, uti experimur cum novi victoriarum et conversionum nuntii afferuntur. Tunc enim exultamus, et quasi exilimus novo mentis jubilo. Nam Christus sæpe loquitur secundum humanum morem, hominumque consuetudinem et sensum, præsertim in parabolis. Huc facit illud S. Bernardi : « Lacrymæ pœnitentium vinum sunt angelorum. » Majus ergo est hoc gaudium actualiter et sensibiliter, ait Emmanuel Sa. Nam alioqui magis gaudere hominem de nonaginta novem ovibus quam de una, ac Deum de nonaginta novem justis quam de uno pœnitente, dubitare non licet.

Ad Deus de uno pœnitente magis gaudet, quam de nonaginta novem justis?

Addit S. Gregorius magis gaudere Deum et angelos, eo quod pœnitentes soleant esse ferventiores innocentibus. « Plerumque, inquit ipse alibi, gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia. » Hic vero, *hom.* 34, id probat per similia : « Quia et dux, ait, in prælio, plus eum militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam illum qui nunquam terga præbuit, et nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas uberes fruges profert, quam eam quæ nunquam spinas habuit, et nunquam fertilem messem produxit. » Affert in fine exemplum Victorini, qui in peccatum carnis lapsus, ingressus monasterium, miram in eo egit pœnitentiam. « Studuit namque, inquit, toto mentis adnisu cruciare carnem, voluntates proprias frangere, furtivas orationes quærere, quotidianis se lacrymis lavare, despectum sui appetere, oblatam a Fratribus venerationem timere. Hic itaque nocturnas Fratrum vigilias prævenire consueverat. » Et mox : « Ut se quotidie in fletu pœnitentiæ quanto secretius, tanto liberius mactaret : contemplabatur namque districtionem venturi judicis sui, et jam eidem judici concordans, puniebat in lacrymis reatum facinoris sui. » Hinc meruit cœlesti luce perfundi vocemque Dei audire : « Dimissum est peccatum tuum. » Ex hoc loco infert S. Gregorius : Si tantæ efficaciæ est pœnitentia in peccatore, quanta erit in justo ! « Nam multi, ait, et nullorum sibi malorum sunt conscii, et tamen in tanti ardoris afflictione se exercent, ac si peccatis omnibus coangustentur : cuncta etiam licita respuunt, ad despectum mundi sublimiter accinguntur, licere sibi nolunt omne quod libet, bona sibi amputant etiam concessa, contemnunt visibilia, invisibilibus accenduntur, lamentis gaudent, in cunctis semetipsos humiliant ; et sicut nonnulli peccata operum, sic ipsi cogitationum peccata deplorant. »

Vers. 8. Parabola drachmæ perditæ. 8. AUT QUÆ MULIER HABENS DRACHMAS DECEM, SI PERDIDERIT DRACHMAM UNAM, NONNE ACCENDIT LUCERNAM, ET EVERRIT DOMUM, ET QUÆRIT DILIGENTER, DONEC INVENIAT ?

Vers. 9. 9. ET CUM INVENERIT, CONVOCAT AMICAS ET VICINAS, DICENS : CONGRATULAMINI MIHI, QUIA INVENI DRACHMAM QUAM PERDIDERAM ?

Vers. 10. 10. ITA DICO VOBIS, GAUDIUM ERIT CORAM ANGELIS DEI SUPER UNO PECCATORE PŒNITENTIAM AGENTE.

EVERRIT. — Ita lege cum Romanis et Græcis, et Arabico, qui vertit, *mundat* ; non *evertit*, uti legunt nonnulli cum S. Gregorio.

DRACHMAM. — Drachma erat genus monetæ argenteæ, habens pondus drachmæ (quæ est octava pars unciæ) ideoque valens julium Romanum, sive regalem Hispanicum. Unde mystice Cyrillus : « Superiori parabola ovium, ait, docebamur esse creaturæ Dei qui fecit nos, et cujus oves pascuæ sumus : nunc ostendimur ad imaginem et similitudinem Dei facti ; drachmæ enim insculpta est imago regis. »

Plenius S. Gregorius, *hom.* 34, totam parabolam sic applicat et explicat : « Qui (Christus) significatur per pastorem, ipse et per mulierem. Ipse etenim Deus, ipse Dei sapientia. Et quia imago exprimitur in drachma, mulier drachmam perdidit, quando homo qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando a similitudine sui conditoris recessit : sed accendit mulier lucernam, quia Dei sapientia apparuit in humanitate : lucerna quippe lumen in testa est ; lumen vero in testa, est divinitas in carne. Accensa autem lucerna evertit domum : quia mox ut ejus divinitas per carnem claruit, omnis se nostra conscientia concussit. Domus namque evertitur, cum consideratione reatus sui humana conscientia perturbatur. Qui eversionis sermo non discrepat ab eo quod in aliis codicibus legitur, emundat : quia nimirum prava mens, si non prius per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emundatur. Eversa ergo domo invenitur drachma, quia, dum perturbatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris. » Et nonnullis interjectis : « Quæ amicæ vel vicinæ, nisi illæ potestates cœlestes sunt jam superius dictæ? Quæ tanto supernæ sapientiæ juxta sunt, quanto ei per gratiam continuæ visionis appropinquant. » Unde concludit : « Decem ergo drachmas habuit mulier, quia novem sunt ordines angelorum ; sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus, qui a conditore suo nec post culpam periit, quia hunc æterna sapientia per carnem miraculis coruscans, ex lumine testæ reparavit. »

Porro Theophylactus : Amici, inquit, sunt Angeli omnes ; vicini vero Throni, Cherubim et Seraphim ; hi enim Deo sunt propinquissimi. Denique S. Gregorius Nyssenus, in *Catena*, inquit : Decem drachmæ sunt totidem virtutes, quarum nullam oportet nobis deesse, ideoque sunt decem instar decalogi ; lucerna, est verbum divinum, vel pœnitentiæ lampas ; vicinæ, sunt appetitus, concupiscibilis, irascibilis et rationalis.

11. AIT AUTEM : HOMO QUIDAM HABUIT DUOS FILIOS. — Syrus, *et dicebat eis rursum Jesus : Homo quidam*, etc. Hæc est tertia parabola filii prodigi ; prima enim fuit de ove perdita et reperta, secunda de drachma amissa et inventa. Scopus hujus parabolæ, æque ac duarum præcedentium est, ut per illam ostendat Christus, quantum bonum et gaudium sit in cœlo ob peccatorum conversionem, ac consequenter perperam murmurare Pharisæos, quod Christus cum peccatoribus versaretur ut eos converteret : hunc esse scopum patet ex vers. 2 et 3. Vers. 11. Parabola filii prodigi.

Porro, tres sunt præcipuæ parabolæ hujus personæ, scilicet pater et duo filii ; nimirum senior bonæ frugis, et junior prodigus. Pater est Deus, qui omnes creavit ; aut Christus homo, qui omnes suo sanguine redemit et regeneravit, in diesque regenerat in baptismo. Duo filii, a S. Gregorio, Hieronymo, Augustino et aliis veteribus passim

intelliguntur Judæi et Gentiles. Senior, qui semper cum patre mansit, notat Judæos, qui semper Deo ejusque fidei et cultui adhæserunt. Junior notat Gentiles, qui a Deo, quem tempore Adæ et Noe coluerant, desciverunt ad idola et vitia carnis. Nec inepte : nam Judæis proprie convenit murmur de Gentilibus ad fidem et gratiam per Christum receptis, vers. 25. Aptius tamen ad scopum Christi, duo filii significant justos et peccatores, sive illi Judæi sint, sive Gentiles : nam peccatores, cum quibus Christus in Judæa versabatur cum murmure Pharisæorum, erant Judæi, non Gentiles, ut patet. Senior filius notat justos, hoc est tam eos qui revera erant justi, quam eos qui se justos æstimabant et venditabant, quales erant Scribæ et Pharisæi. Junior filius prodigus notat peccatores manifestos et publicos, puta publicanos et meretrices, cum quibus Christus comedebat, ut eos lucrifaceret. Ita S. Hieronymus, epist. 146 *ad Damasum*, tom III, ubi fuse et docte totam hanc parabolam pertractat, et passim interpretes, idque patebit ex discursu parabolæ.

Vers. 12. 12. Et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ (Syrus, *possessionis*) quæ me contingit. Et divisit illis substantiam. — « Adolescentior » notat peccatores et meretrices. Adolescentia enim liberior, stultior, inconstantior, et in gulam ac luxuriam pronior esse solet. Substantia, secundum S. Hieronymum, *epist.* 146, et S. Augustinum, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXIII ; Bedam et Euthymium, est liberum arbitrium, quod Græce vocatur βίος, id est *vita* ; quia per illud quisque libere vivit ut libet, ait S. Hieronymus. Theophylactus : « Substantia hominis, ait, est rationalitas, quam comitatur libertas arbitrii. » Aptius S. Ambrosius et alii per « substantiam » accipiunt Dei gratiam et virtutes moresque probos : hæc enim proprie perduntur et prodiguntur a peccatore, cum liberum arbitrium perdi nequeat, ut patet ex hac ipsa parabola; plenissime accipias omnia dona Dei, tum corporis, tum animi, tum naturæ, tum gratiæ ; hæc enim sibi dari, id est suæ potestati et libertati tradi, postulat filius junior, nolens amplius a patre regi et dirigi, sed sui juris esse, ac se regere donisque Dei uti vel abuti ad libitum. Et sic omnes sententiæ fere in idem conspirant.

Audi S. Augustinum, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXIII : « Vivere, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere, omnia ista divina sunt munera, quæ in potestatem accipit homo per liberum arbitrium, » etc. Sic et S. Hieronymus, epist. 146 *ad Damasum* : « Substantia Dei est, omne quod vivimus, sapimus, cogitamus, in verba prorumpimus : hæc Deus æqualiter universis, et in commune largitus est, » etc. Et paulo post : « Dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, » etc. Titus : « Tradidit illi Pater universam creaturam, possessionem. » Denique Euthymius : Substantia ait sive divitiæ, Dei sunt charismata, id est dona quæ dividit fidelibus.

Et divisit illis substantiam, — cum dona jam dicta utriusque libertati et arbitrio consignavit : « posuit enim hominem in manu consilii sui, » *Eccli.* xv, 14.

13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. — Addit Arabicus, *in vita luxuriosa*.

Congregatis omnibus, — id est consarcinata omni substantia sua quam a patre acceperat ; Syrus, *collegit quæcumque ad se pervenerant* ; Arabicus, *et post paucos dies congregavit filius minor omnia, et peregrinatus est in regionem longinquam* : « Non loci segregatione, sed virtutis, » ait Euthymius. Hic est status concupiscentiæ et peccati ; peccator enim peccando longe abit a Deo et cœlo, quia a sanctitate et regno Dei transit in regnum diaboli, peccati et gehennæ, quæ magna est stultitia. Unde « senior filius apud patrem remansit tanquam prudens, » ait Euthymius. Hinc S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXIII : « Regio longinqua, ait, est oblivio Dei » reciproca, qua scilicet peccator obliviscitur Dei, et vicissim Deus quasi obliviscitur peccatoris, ut eum sua luce, gratia, inspiratione visitare negligat. Et S. Hieronymus, *epist.* 146 : « Sciendum, ait, non locorum spatiis, sed affectu nos esse cum Deo, aut ab eo discedere. » Porro, « quando egreditur homo a Deo, ait Theophylactus, et se a timore Dei elongat, omnia divina dona expendit, prodigit et dissipat. »

Et ibi dissipavit substantiam suam, — puta omnia dona naturæ et gratiæ. Peccator enim voluptati et libertati indulgendo prodigit Dei gratiam, charitatem et virtutes ; hebetat intellectum, ut nec Deum, nec virtutis bonum agnoscat ; aufert sibi memoriam legis et beneficiorum Dei ; voluntatem depravat, ut vitium virtuti, voluptatem rationi, terram cœlo, diabolum Deo anteponat, ac pro habitibus virtutum induat habitus vitiorum, et propensionem ad omne malum. Hinc fit inops consilii, rationis, mentis omnisque boni. Denique vires omnes animæ et corporis, quæ servire debuerant Creatori, cogit servire creaturæ, v. g. ventri et veneri, quæ est fornicatio spiritualis, de qua Psaltes : « Omnes, ait, qui se elongant a te, peribunt ; perdidisti omnes qui fornicantur abs te, » *Psal.* LXXII, 27. Prodigus ergo filius *primo*, « consumpsit omnia ornamenta naturæ, » ait Euthymius : « male utendo naturalibus, » ait S. Augustinus. *Secundo*, « insumpsit substantiam, hoc est insitam animi lucem, inquit Titus, temperantiam, veritatis notitiam, Dei memoriam. » *Tertio*, « corrupit donum, inquit Euthymius, quod in baptismo acceperat, puta animæ nobilitatem, et ad virtutes aptitudinem ; hæc enim et similia erant ejus substantia ac divitiæ. »



Vivendo luxuriose. — Græce ἀσώτως, id est prodigaliter, intemperanter, libidinose, lascive. Luxuria ergo hic non solam libidinem, sed et quemlibet luxum, qui fit in conviviis, compotationibus, lusibus, cantionibus, largitionibus, etc., significat. Prodiga vita, ait Glossa, fundere amat, et spatiari in pompis exterioribus, Deum relinquens, qui sibi est interior.

14. Et postquam omnia consummasset (Græce δαπανήσαντος, id est consumpsisset, prodegisset), facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere — pecunia, cibo et pane ; Arabicus, *et factus est pauper*, uti faciunt adolescentes liberi et prodigi, qui uno anno omnes facultates sibi a parentibus relictas, epulando, potando, ludendo, scortando consumunt, ut deinceps per omnem vitam misere et pane mendicato vivere debeant : nec tantum facultates, sed et vires et sanitatem, æque ac famam prodigant, ut putredine, scabie, lue venerea aliisque morbis ex crapula et luxuria contractis, luridi et fetidi, omnibus, æque ac sibi ipsis, sint oneri ac horrori. Ad litteram, luxuria et luxus consumunt opes etiam maximas hominemque redigunt ad extremam inopiam et famem.

Mystice : peccator laborat inopia omnium rerum naturalium et supernaturalium, quia nulla re, nullo sensu, nulla animi vi, nec memoria, nec intellectu, nec voluntate recte uti novit ad sui commodum, ut ex iis gustum fructumque homine dignum percipiat ; sed omnia velut insipiens in sui noxam et augmentum gehennæ expendit : quod perinde est, ac si ea non haberet, imo longe pejus. Denique peccator carens Deo, rebus omnibus caret ; hæ enim omnes intime pendent a Deo, imo in Deo sunt et vivunt. Unde Interlinearis : « Omnis locus, ait, absente patre, penuriæ est. » Qui enim Deum non habet, nihil habet, etiamsi sit rex totius mundi ; qui vero Deum habet, omnia habet, etiamsi obolum non habeat, juxta illud S. Francisci : « Deus meus et omnia ; » Deus enim est ipsum ens, entisque oceanus, ut ipse solus dicatur esse, cætera vero cum eo collata, non esse esseque nihil, juxta illud : « Ego sum qui sum, » *Exod.* III. Vide ibi dicta. Denique Glossa : « Voluptas, ait, semper habet famem sui ; » quo enim magis voluptati indulgetur, eo magis voluptas accenditur : sicut hydropicus quo plus bibit, eo amplius sitit ; nulla enim res ejus sitim explere potest. Hinc ait Cicero, lib. VI *De Repub.* : « Graves dominæ, cogitationum libidines infinita quædam cogunt atque imperant, quæ expleri atque saturari nullo modo possunt. » S. Hieronymus, *in Oseam* : « Vires, inquit, in fornicatione deficiunt, et fornicandi desiderium non quiescit, et ut pulchre quidam has voluptatis cupiditates describens dixit :

Quæritur in ludo ludus, deest hortus in horto.

15. Et abiit, et adhæsit (quasi servus) uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam ut pasceret porcos. — Civis hic regionis a Deo longinquæ, est aliquis e numero dæmonum. Ita S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXIII : Adhæsit, inquit, alicui aereo principi ad militiam diaboli pertinenti ; cujus villa, est modus potestatis ipsius, porci sunt immundi spiritus, qui sub ipso sunt ; quos pascere, est ea quibus immundi spiritus gaudent, operari. Sic fere et S. Ambrosius : Civis iste, inquit, est princeps hujus mundi. Et Glossa : Civis iste, ait, est concupiscentiis terrenis præpositus princeps hujus mundi.

Audi S. Petrum Chrysologum, *serm.* 2 : « Ecce, inquit, quid faciat cupiditas ad censum præceps : civem in peregrinum, filium in mercenarium, locupletem in egenum, liberum mutavit in servum ; junxit porcis a patre piissimo quem sejunxit, ut serviret cœnoso pecori, qui pietati sanctæ parere contempsit. » Porro, S. Ambrosius recte expendit verbum *adhæsit*, et ex eo non modo laboriosam, sed etiam periculosam colligit servitutem : « Qui hæret, inquit, in laqueo est ; » ut enim passer ubi pabulum quærit, ibi laqueum invenit : ita infelix peccator, ubi jucundam sperat libertatem, ibi periculosam incurrit servitutem.

Et misit illum in villam. — In villam mitti, ait Beda, est substantiæ mundialis cupiditate subjugari.

Ut pasceret porcos. — Hoc est, ait S. Chrysostomus, in *Catena*, ut sordidas et immundas cogitationes in animo nutriret. Vide hic miram peccatoris statusque ejus metamorphosin, sed justam stultæ libertatis castigationem et vindictam. Qui noluit ut filius liberaliter haberi a patre, cogitur esse servus et mancipium civis exteri ; qui noluit regi a Deo, compellitur servire diabolo ; qui noluit morari in regali patris palatio, mittitur in villam rusticorum ; qui noluit versari inter fratres et principes, adigitur servus et socius esse porcorum ; qui noluit vesci pane angelorum, præ fame postulat siliquas porcorum.

16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant ; et nemo illi dabat. — Hæc congrua justaque est pœna prodigi, ut qui sua stulte in alios profudit, nullum deinde inveniat qui illi vel siliquas det. Audi S. Chrysologum, *serm.* 1 : « Luxuriæ fames tortor apponitur, ut ibi ultrix pœna sæviat, ubi pœnalis reatus exarserat. » Et paulo post : « Quam crudele, ait, ministerium ! quia neque convivit porcis, qui vivit porcis. Miser, qui porcorum deficit et esurit in saginam. Miser, qui squalentis cibi cupit, nec impetrat qualitatem. » Quasi diceret : Porcinam quidem egit vitam, et tamen ne porcino quidem victu saturatur. Vers. 16.

Notat S. Hieronymus, *epist.* 146, diabolum, cum hominem decepit et ad peccatum impulit,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ut jam cum quasi servum et mancipium sibi subjugarit, variis cupiditatibus animam ejus accendere, sed cupitis objectis et voluptatibus eum defraudare, ut optando eas peccet ad augmentum culpæ, sed earum gustu et delectatione frustretur ad pœnam et tormentum. Hæc est fraus et tyrannis dæmonis.

Siliquis. — Siliquæ sunt inanes fabarum, pisorum aliorumque leguminum folliculi et involucra, quibus illorum farina et medulla involvitur et includitur : quare siliquæ intus vacuæ sunt, foris molles, quibus corpus non reficitur, sed impletur, ut stomachum magis onerent quam pascant : quare pecorum potius sunt pabula quam hominum, teste Plinio, lib. XVII, cap. XII. Unde Horatius, lib. II, *epist.* 1 :

> Vivit, ait, siliquis et pane secundo.

Rustici enim siliquas farinæ sive pollini admiscent, ideoque conficiunt panem secundarium et atrum quo vescuntur. Nobiles vero secretis per cribrum siliquis, iisque ad rusticos amandatis, ex puro polline panem primarium candidumque fieri curant eoque pascuntur.

Jansenius per *siliquam* hic accipit siliquam Græcam, quæ est arbor fructum producens lignosum, siliqua instar fabæ obtectum, colore subnigro, falcatum, digitali longitudine, latitudine pollicari, quatuor grana continens, quæ *ceratia* a cornu (κέρας enim est cornu) similitudine appellantur, optimum porcorum pabulum : vescuntur eo etiam homines (1). Hispani Algarenam vocant : provenit magna copia in regno Valentiæ, ait Emmanuel Sa. Unde in Græco hic est κεράτιον, id est corniculum. Audi Columellam, lib. V, cap. X : «Siliquam Græcam, quam quidam ceratium vocant, et Persicum : ante brumam per autumnum seritur. » Plinius, lib. XV, cap. XXIV, siliquas has dulces vocat, eo quod dum eduntur, dulces sentiantur, et succum cassiæ referant.

Quid per siliquas significetur? Per *siliquas* S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Ambrosius et Beda accipiunt sæculares et inanes scientias, vanitatem præferentes, ut odas et carmina poetarum, rhetoricorum pompas verborum : Ubi iste, ait S. Augustinus, aliquid solidum et rectum, ad vitam beatam pertinens invenire volebat, at non poterat. Plenius et planius per *siliquas* accipias res et voluptates carnales, quæ instar siliquarum appetitum hominis non satiant, sed inflant, distendunt et cruciant, ut animæ sint tormina et tormenta. Ita S. Chrysostomus, in *Catena*. Si ergo vina Falerna adamas, siliquas amas; si aurum appetis, siliquas appetis; si veneres sectaris, siliquas porcorum quasi porcus ambis. Vere Satyricus :

> Ubi voluptas regnat, ibi virtus exulat.
> Brevis voluptas, longa pœnitentia est.
> Vicisse voluptatem, voluptas est maxima.
> Voluptas belluarum, pernicies est hominum.
> Vix voluptas est, quæ nihil venit[?] more fulminis
> Qui voluptati servit, durum servit [illegible] servit.
> Voluptas causa dolorum et malorum omnium.

Ergo ut ait aliter :

> Sperne voluptates : nocet empta dolore voluptas;
> Sperne siliquas terræ, et dabit tibi Deus manna cœli.

Extat emblema Cupidinis, cupidos trahentis in suam servitutem et dolorem, cum hoc lemmate :

Emblema Cupidinis de api[illegible].

> Cum puer alveolo furatur mella Cupido,
> Furanti digitum cuspide fixit apis.
> Sic etiam nobis brevis est peritura voluptas,
> Quam petimus, tristi mista dolore nocet.

Ver. 17. 17. In se autem reversus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? — « In se; » Syrus, *ad animam suam*, id est ad cor, ad mentem rediens, et sapere incipiens; Arabicus, *cogitabat autem in semetipso*; Euthymius : « sui compos effectus, hoc est velut expergiscens ab ebrietate gravique somno; » Theophylactus : « a sua exteriore divagatione rediens; » Interlinearis : « bene in se revertitur, qui a se recessit. » Fuerat enim quasi extra se, et mente captus, delirus et insanus, sed vexatio dedit ei intellectum, et fames docuit eum sapere. Ita Nyssenus, tract. *De Oratione* : « Non prius, ait, rediit ad pristinam felicitatem, quam in se rediens sentiret opprimentis ærumnæ præsentiam. » S. Augustinus, lib. XXI *Quæst. Evang.* : « Ab eis, inquit, quæ forinsecus illiciunt et seducunt, in conscientiæ suæ interiora intentionem reduxit. » Nam, ut ait S. Ambrosius, « qui ad illam regreditur, se sibi reddit; qui recedit a Christo, se sibi abdicat. »

Quanti. — Græce πόσοι, id est quot, quam multi. Multitudo enim est quantitas discreta, sicut magnitudo est quantitas continua.

Mercenarii (operarii et servi, qui pro mercede diurna laborant in domo patris mei) abundant panibus (imo carnibus et obsoniis), ego autem (qui sum filius) hic fame pereo, — vix siliquis ventrem satio. Sic Deus solet voluptuariis voluptates adimere; famem, morbos et ærumnas immittere, ut ad cor redeant videantque ex quanta felicitate ad quantam miseriam, quasi ex cœlo in tartara ceciderint, qui est primus pœnitentiæ gradus. Unde Titus : « In se reversus, hoc est, inquit, priorem felicitatem cum posteriori miseria conferens, qualisque et quantus erat, quando cum patre adhuc degebat, animo pertractans, quam teter et miserabilis tandem, postquam Deo deserto cœpit dæmonibus esse obnoxius, evaserit, iterum iterumque expendens. » Hujus filii prodigi exemplo disce illud : « Præcipitis consilii assecla pœnitentia. Mali principii malus finis. » Et illud : « Ne a pudendo vinceris hoste, voluptates specta abeuntes. Voluptas esca malorum. »

(1) Recte Jansenius. Hujusmodi siliquæ dicuntur gallice *Carouges*, seu *Caroubes*; arbor autem vocatur a Gallis *caroubier*. A Germanis vero *Bockshornbaum*, quoniam fructus similitudinem cornuum habet, vel *Johannisbrodbaum*, quoniam Joannem in deserto fructu hujus arboris usum esse olim credebatur. Arbor ipsa in Syria est frequens. Vide *Relandi* Palæstina, pag. 379; *Rosenmülleri* A. und N. Morgenland, tom. V, pag. 198.



Mystice : mercenarii sunt, qui spe bonorum temporalium Deo et virtuti serviunt; servi sunt, qui timore pœnarum; filii, qui ex filiali amore Deo obsequuntur, q. d., ait Interlinearis : Quam multi sunt Judæi, qui ob præsentia bona tantum legem observant, ideoque illa a Deo obtinent; ego autem qui legem Dei negligo, bonis tam temporalibus, quam spiritualibus destituor. S. Augustinus vero, lib. II *Quæst. Evang.* : Ista recogitatio, ait, resipiscentis est, et advertentis esse inter prædicatores, qui non amore veritatis ducti, sed cupiditate sæcularium commodorum veritatem annuntiant. Sublimius Glossa : Mercenarii, ait, sunt, qui futuræ mercedis intuitu digne operari satagunt : hi abundant panibus, id est, quotidianis supernæ gratiæ reficiuntur alimentis. Servus ergo est; qui timore pœnæ temperat a vitiis; mercenarius, qui spe et desiderio regni cœlorum; filii, qui amore boni. Audi Theophylactum : Tres sunt ordines eorum qui salvantur : alii enim ut servi faciunt bonum, timentes judicium; quod et David insinuat, dicens : « Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui. » Mercenarii vero esse videntur, qui desiderio bonorum bene placere Deo cupiunt, sicut et ipse David dicit : « Inclinavi cor meum ad faciendum justificationes tuas in æternum, propter retributionem. » At filii sunt, qui propter amorem in Deum mandata perficiunt, sicut iterum David testatur : « Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est. » Et iterum : « Levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi; » non quæ timui. Idem prorsus docet Nazianzenus, orat. *in S. Baptisma*. Porro Interlinearis et alii, qui per filium seniorem accipiunt Judæos, per juniorem Gentiles, sic explicant : Judæi, qui quasi mercenarii spe bonorum temporalium Deo serviunt, illis abundant : ego autem, qui sum populus Gentilis, cum idololatris omni veritate destituor.

18. Surgam, et ibo ad patrem meum. — « Surgam, » ait Interlinearis, quia me jacere cognovi, prolapsus enim sum ad vitia et idola; « ibo, » qui longe recessi, « ad patrem, » qui sub principe porcorum miserabili egestate tabesco. Surgam ab hac infelici vita : vitia relinquam, consuetudinem peccandi abdicabo, mores mutabo, pœnitebo, et supplex delictorum veniam poscam a Deo. Pulchre ait : *Surgam*, inquit S. Hieronymus, *epist.* 146, « patre quippe absente non steterat : peccatorum jacere, justorum stare est. » Nam, ut ait B. Petrus Chrysologus, *serm.* 1 : « Est penes patrem dulcis conditio, libera servitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda ultio, paupertas dives, secura possessio. » Et paulo post : « Hoc petit, quia qui penes extraneum, servam senserat libertatem; penes patrem, credit sibi futuram liberam servitutem. »

Et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te. — Pauca hæc verba, ait Titus, mihi ad salutem sat fuerint, novi patris mei suavitatem, novi facilitatem, miserebitur mei pœnitentis, et ad sanam mentem revertentis, quem in peccati sordibus se volutantem non perdidit. »

Pater, peccavi. — « Hæc est prima confessio, inquit Ambrosius, apud auctorem naturæ, præsulem misericordiæ, arbitrum culpæ; sed, etsi Deus novit omnia, vocem tamen confessionis exspectat, quia allevat pondus erroris quisquis ipse se onerat; et accusationis excludit invidiam, qui accusatorem prævenit confitendo. Frustra autem velis occultare, quem nihil fallas; et sine periculo prodas, quod scias esse, tam cognitum. »

Porro, Deus juste et congrue a peccatore exigit peccati confessionem. *Primo*, quia reus se humiliare et reatum suum fateri debet, si ab eo velit absolvi. *Secundo*, quia sicut stomachus crudis cibis vel humoribus plenus vomitione purgandus est, sic et animus vitiosis noxis plenus confessione expiandus est; per illam enim delicta evomit et omnem morbi causam digerit, ait Origenes, homil. 2 *in Psalm.* XXXVII. *Tertio*, quia Dei majestas a peccatore læsa, pœnitentiam, quasi satisfactionem et honoris sui reparationem exigit. Pœnitentia enim Deo honorem per peccatum ablatum restituit Deumque glorificat. Denique pœnitens Deum sanctissimum, se vero peccatorem esse profitetur. *Quarto*, confessio ergo peccatoris, ingens est laus et gloria Dei creatoris, æque ac Christi salvatoris. Causam dat S. Cyprianus, vel quisquis est auctor, tract. *De Passione* : « Quia cum judicis et tortoris vices peccator assumit, semetipsum persequens, dum confessionem confusione honorat, holocausti hujus incensio in conspectu Dei veniam impetrat. Neque enim bis in idipsum judicat Deus. »

Confessio necessaria. Primo. Secundo.

Peccavi in cœlum. — Id est, *primo*, peccavi gravissime, ita ut peccata mea clament quasi vindictam in cœlum. Aut *secundo*, per hebraismum, « in cœlum, » id est in Deum qui in cœlis habitat, quem quasi cœli regem et præsidem Hebræi nomine « cœli » significant, ut ostendi *Matth.* XXI, 25. *Tertio* proprie « in cœlum, » quia a Deo vocatus in cœlum cœloque destinatus, terram prætuli cœlo, carnem spiritui, terrena cœlestibus. Quæ magna est injuria cœli et vilipendium cœlestium, ita ut si cœlum ratione et voce præditum esset, contra me clamaret, meque apud Deum accusaret, quod cœlo et soli præposuerim idola et vitia terræ. *Quarto*, « peccavi in cœlum, » quia cœlum mihi est patria, terra vero hospitium et locus peregrinationis : cœlum ergo quasi patriam meam perdidi, prodegi et prodidi. Ita Nyssenus, tract. *De Oratione* : « Non adjiceret, ait, confessioni peccatum in cœlum, nisi persuasus sibi patriam esse cœlum,

quo relicto peccaverat. » Et S. Hieronymus : « Peccaverat in cœlum, qui Jerusalem cœlestem reliquerat. » *Quinto*, « in cœlum, » id est in angelos cæterosque cœlites et cœli incolas, in quibus quasi in cœlo Deus residet, ait Interlinearis. Sic et S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evangel. Sexto*, S. Ambrosius, « in cœlum, » quia cœlestia dona dissipavi. « Peccato, ait Ambrosius, animæ dona spiritus cœlestia imminuta significantur, et deviatio a gremio matris Jerusalem, quæ est in cœlo. »

Symbolice S. Chrysostomus, in *Catena* : « In cœlum, inquit, peccat, qui in Christi humanitatem, quæ ut cœlum superna est et visibilis, peccat. Peccator enim prodigit et conculcat sanguinem Christi eumque quasi rursus crucifigit, » uti docet Apostolus, *Hebr.* VI, 6.

ET CORAM TE, — *primo*, « qui solus es conspector omnium ait S. Chrysostomus, a quo nec in corde meditata abscondi possunt. » Rursum *secundo*, « coram te, » id est te vidente et spectante. Magna enim est inverecundia peccatoris, quod audeat peccare in conspectu Dei viventis et videntis, quem scit summe peccato offendi, et ipsum posse vindicare et fulminare, uti faciet in die judicii, et subinde facit in hac vita ad aliorum terrorem. *Tertio*, S. Hieronymus, *epist.* 146 : « Peccaverat coram Patre, inquit, qui conditore deserto, ligna (idola) fuerat veneratus. »

Symbolice S. Augustinus, lib II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXIII : « Coram te, » inquit, id est in ipso conscientiæ penetrali. Deberet enim peccator etiam in secreto peccans, erubescere se et suam conscientiam, quam polluit, vulnerat, necat, diabolo et gehennæ mancipat.

19. JAM NON SUM DIGNUS VOCARI FILIUS TUUS. — « Qui servus esse malui idolorum, » ait S. Hieronymus, et vitiorum. Hinc ad filii affectum aspirare non præsumit, ait Beda ; « quia tali patre indigne conversatus sum, » ait Euthymius.

FAC ME SICUT UNUM EX MERCENARIIS TUIS. — *q. d.* « Ex quo primo ordine (filiorum), excidi, dignare me vel secundo, [illegible] penitus ne abjicias, » ait Euthymius, *q. d.* Fac me unum de infimis fidelibus, v. g. pœnitentibus publicis : olim enim qui pœnitentiam publicam agebant, non miscebantur cæteris fidelibus in ecclesia, sed ad ejus fores jacebant genuflexi et supplices, omnium orationes et veniam flagitantes, qualem egit S. Fabiola, teste S. Hieronymo in ejus Epitaphio, *epist.* 30 : « Quis hoc crederet, inquit, ut post mortem secundi mariti saccum indueret, et errorem publice fateretur, et tota urbe spectante Romana, ante diem Paschæ, in basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris et omni populo collacrymantibus ; sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida collo submitteret? quæ peccata fletus iste non purget? quas inveteratas maculas hæc lamenta non abluant? » Et inferius : « O felix pœnitentia, quæ ad se Dei traxit oculos, quæ furentem sententiam Dei (contra impium Achab) confesso errore mutavit ! »

Porro, « hæc verba, ait S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXIII, sunt pœnitentiam meditantis, nondum agentis. Non enim jam dicit Patri, sed dicturum se esse promittit, cum venerit. » Denique sicut fumus præcedit incendium, sic flammam fidei et charitatis præcedit peccatorum confessio, ait Primasius in cap. IV *Apoc.* Quare sicut fumus vi ignis illico flammescit, et in flammam vertitur ; sic confessio vi contritionis exardescit et in charitatis flammam transit.

20. ET SURGENS VENIT AD PATREM SUUM. CUM AUTEM ADHUC LONGE ESSET, VIDIT ILLUM PATER IPSIUS, ET MISERICORDIA MOTUS EST, ET ACCURRENS CECIDIT SUPER COLLUM EJUS, ET OSCULATUS EST EUM. — « Cum adhuc longe esset » a patre, antequam pœnitentiam animo conceptam verbis exprimeret et opere expleret, prævenit eum pater. Ubi nota miram Dei in peccatores pœnitentes clementiam et condonandi celeritatem. « Quia Deus hominum pœnitentiam sua misericordia et benignitate solet antevertere, » ait Titus; et Nyssenus : « Confessionis meditatio, ait, placavit ei patrem. »

VIDIT ILLUM — lacerum, squalidum, fame confectum, plorantem et ejulantem.

ET MISERICORDIA MOTUS EST. — Græce significantius ἐσπλαγχνίσθη, id est intimis visceribus commotus est, ac de filii miseria quasi de sua summe indoluit.

ACCURRENS. — « Præ nimio gaudio, ait Euthymius; non exspectavit ut ille adesset, sed prior occurrit, neque id utcumque, sed et accurrit, ut appareat amoris vehementia. »

CECIDIT SUPER COLLUM EJUS, ET OSCULATUS EST EUM. — Cadere super collum, est humiliari in amplexum, ait S. Augustinus, loco citato. Brachium Dei, scilicet Christum, osculum dare, est ad spem indulgentiæ peccatorum verbo gratiæ consolari. S. Chrysostomus vero : Osculatur os, inquit, per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat. Amplexus et oscula signa sunt, tum veniæ et reconciliationis, tum singularis amoris et benevolentiæ, tum gaudii et exultationis, quo Deus et angeli mirifice gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente. Hoc enim demonstrare hic vult Christus, ut jam sæpius monui.

21. DIXITQUE EI FILIUS : PATER, PECCAVI IN CŒLUM, ET CORAM TE : JAM NON SUM DIGNUS VOCARI FILIUS TUUS. — Cupit per gratiam fieri, quod fatetur se indignum esse per meritum, ait Interlinearis. Vide dicta vers. 18. Porro, omittit hic id « fac me unum de mercenariis tuis, » sive quia pater ex amore et gaudio verba ejus interrupit et præscidit, dicens servis : « Cito proferte stolam primam ; » sive quia amplexus et osculum patris ei hoc desiderium excusserunt, ac filiationis spem



dederunt. Unde S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXIII : « Non addit, inquit, quod dixerat : Fac me unum de mercenariis tuis, id enim post patris osculum jam generosissime dedignatur. » Titus tamen censet eum hoc dixisse, sed a Luca omissum esse, quasi ex dictis sat cognitum.

22. DIXIT AUTEM PATER AD SERVOS SUOS : CITO PROFERTE STOLAM PRIMAM, ET INDUITE ILLUM, ET DATE ANNULUM IN MANUM EJUS, ET CALCEAMENTA IN PEDES EJUS : 23. ET ADDUCITE VITULUM SAGINATUM, ET OCCIDITE, ET MANDUCEMUS, ET EPULEMUR. — « Servi » sunt angeli vel sacerdotes, ait Theophylactus; vel prædicatores, ut vult S. Augustinus, loco citato : hi enim sunt servi et administri reconciliationis peccatoris cum Deo.

Stola prima quæ? STOLAM PRIMAM, — id est pristinam, qua ante abitum uti solebat in domo patris, quæ erat vestis pretiosa usque ad talos demissa ; certam enim et pristinam stolam, illamque eximiam, hic notari patet ex duplici articulo Græco, τὴν στολὴν τὴν πρώτην : erat ergo hæc stola pristina toga talaris, quæ nobilium erat filiorum, quam abiens in domo patris reliquerat, viatoris habitum assumens. Hinc in Vitis Patrum, lib. VI, libello I, n. 16 :

Exemplum duarum mulierum pœnitentium. Episcopus quidam in spiritu vidit duas mulieres peccatrices, sed pœnitentes, post confessionem in sancta Communione alba stola vestiri, splendidas habere facies totumque corpus magno lumine coruscare. Causam petiit ab angelo sibi apparente, ab eoque audivit « illas per confessionem et lacrymas divinum meruisse numerum. » Confessio ergo pœnitentes in divinum cœlitum numerum transcribit.

Annulus aureus index hominis liberi, ut et calceus. ANNULUM — aureum, qui index est hominis liberi et divitis, vel nobilis, æque ac calceamentum ; servi enim incedebant sine calceis nudipedes, liberi vero calceati.

VITULUM SAGINATUM. — Græce, *vitulum Chum*, scilicet singularem, quem saginari jussi in festum et epulum aliquod solemne, quale nunc occurrit.

Porro hæc omnia, stola prima, annulus, calcei et vitulus saginatus, significant *primo*, gaudium patris, id est Dei et angelorum exultationem de peccatore pœnitente et converso ; *secundo*, peccatorem in eumdem, aut etiam meliorem quam ante peccatum habuerat, statum a Deo clementissimo restitui.

Possunt tamen sigillatim singula ita adaptari cum S. Augustino, Hieronymo, Beda, ut per « stolam primam » accipiamus, non innocentiam : hæc enim, æque ac virginitas, semel amissa, nulla Dei potentia reparabilis est ; sed pristinam gratiam et charitatem. Unde Interlinearis stolam primam interpretatur vestem Spiritus Sancti, quæ nos certificat de hæreditate immortalitatis habenda ; S. Ambrosius, amicum sapientiæ ; S. Augustinus, dignitatem quam perdidit Adam.

Per « annulum » accipe imaginem Dei expressam, quam varii in variis virtutibus collocant. « Annulus, ait Beda, sinceræ fidei signaculum est. » « Annulus, ait S. Chrysostomus in *Catena*, est signaculi salutaris symbolum, et desponsationis insigne, et nuptiarum pignus. » « Annulus, ait Glossa, est signaculum fidei, quo signantur promissa in cordibus credentium. » Et Interlinearis : « Annulus est signaculum similitudinis Christi et expressio veritatis. » « Annulus, ait S. Augustinus, est Spiritus Sancti pignus; gratiæ enim participatio significatur per digitum. » Vide quæ de symbolis annuli dixi *Genes.* XLI, 42; *Jerem.* XXII, 24, et *Aggæi* II, 24. « In manum, » id est in operibus, ait Interlinearis, ut per opera fides clarescat, et per fidem opera confirmentur ; manibus enim fiunt opera.

Per « calceamenta in pedibus, » significatur promptitudo et cursus ad actus virtutum, præsertim ad prædicationem Evangelii. Pœnitentes enim maxime sitiunt aliorum pœnitentiam et salutem. Ita S. Hieronymus, Ambrosius, Beda et S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.* Calceus, ait, est properatio evangelizandi, ad non tangenda terrena; ut per lubricum mundi, ait S. Chrysostomus, fixus incedat ; vitæ cursus in Scriptura pes appellatur. Rursum « calceamenta » sunt exempla piorum, quæ dum quasi pedis gressum monstrant, muniunt et roborant ad eadem imitandum.

« Vitulus saginatus » est Christus, tum in Eucharistia justos æque ac peccatores post pœnitentiam carne sua pascens et saginans ; tum suis sanctis inspirationibus aliisque mille modis pœnitentes, et recens conversos miris consolationibus oblectans et mulcens. Ita Interlinearis. « Christus, inquit, est vitulus saginatus, omni spirituali virtute opimus, ut pro totius mundi salute sufficiat. » Et Chrysostomus : « Christus vitulus dicitur, ob immolati corporis hostiam ; saginatus, quia pro totius mundi salute sufficit. » Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.* : Christus, ait, vitulus saginatus, id est opprobriis satiatus : præcipit pater eum adduci, id est prædicari ; et occidi, id est ejus mortem insinuari : tunc enim cuique occiditur, cum credit occisum.

ET MANDUCEMUS, ET EPULEMUR. — Deus, inquit Euthymius, « edere dicitur, ad lætitiæ communicationem. » « Nulla enim, ait S. Hieronymus, *epist.* 146, potest esse jucunditas, nisi Patre nobiscum celebrante convivium. » « Patris autem cibus, ait Beda, est salus nostra. » Audi S. Ambrosium : « Paternus est cibus salus nostra, et Patris gaudium nostrorum redemptio peccatorum. » Et Glossam : « Refectio Dei et Sanctorum est salus peccatorum ; et nota quod post datam stolam, annulum et calceamenta, vitulus immolatur ; nisi enim quis spem primæ immortalitatis induerit, et annulo fidei opera munierit, et fidem confitendo prædicaverit, cœlestibus non potest Sacramentis interesse. »

24. QUIA HIC FILIUS MEUS MORTUUS ERAT, ET

REVIXIT : PERIERAT, ET INVENTUS EST. ET COEPERUNT EPULARI. — « Mortuus, » per culpam prodigalitatis et luxuriæ; « revixit, » per gratiam pœnitentiæ. Epulum hoc, ut dixi, non aliud significat quam ingens gaudium Dei et angelorum de peccatore converso. Homines enim carnales sua gaudia ponunt in epulis; cœlestes enim delicias ignorant, quia eas nunquam gustarunt.

25. ERAT AUTEM FILIUS EJUS SENIOR IN AGRO : ET CUM VENIRET, ET APPROPINQUARET DOMUI, AUDIVIT SYMPHONIAM ET CHORUM;

26. ET VOCAVIT UNUM DE SERVIS, ET INTERROGAVIT QUID HÆC ESSENT.

27. ISQUE DIXIT ILLI : FRATER TUUS VENIT, ET OCCIDIT PATER TUUS VITULUM SAGINATUM, QUIA SALVUM ILLUM RECEPIT.

28. INDIGNATUS EST AUTEM, ET NOLEBAT INTROIRE. PATER ERGO ILLIUS EGRESSUS, COEPIT ROGARE ILLUM. — Indignatio hæc et murmur senioris filii, id est justorum, emblema est parabolæ, ut ostendatur æquitas hujus gaudii Dei et angelorum de peccatore converso; sive quid murmurantibus de tanta pœnitentium gratia et gloria, juste respondere possit Deus. « Ostendit siquidem hujusmodi indignatio, ait Euthymius, quod tantam demonstrat circa eos qui resipiscunt gratiam et gaudium, ut cæteris invidiam movere possit. » Sic quoque Theophylactus, ac Titus, et S. Chrysostomus in *Catena*; nam alioqui certum est justos non invidere peccatoribus pœnitentibus gratiam et gloriam, sed potius mire de ea gaudere et exultare. Simile ostendit Matthæus, xx, 11, in murmure operariorum primo venientium ad vineam. Aut potius, indignatio hæc et murmur senioris significat invidiam et murmur Pharisæorum, qui se putabant justos, et Christo obmurmurabant, quod peccatores reciperet et foveret. Hæc enim tota parabolæ hujus fuit occasio, æque ac scopus, ut patet ex initio capitis. Ita S. Hieronymus, Jansenius et alii.

Pari modo significatur hic Judæorum invidia et murmur contra Apostolos, qui Evangelium a Judæis incredulis transtulere ad Gentiles. Ita S. Ambrosius : Judæi, ait, Gentibus beneficium paternæ benedictionis inviderunt. Et S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXIII et seq. : Indignatur, ait, et nunc, et non vult intrare. Cum vero plenitudo Gentium introierit, egreditur pater, ut etiam omnis Israel salvus fiat. Ita et S. Hieronymus. « Senior, ait Ambrosius, dicitur, eo quod cito aliquis per invidiam consenescat. » Invidebat enim senior fratri juniori, ut patet ex sequenti. Porro, invidia exedit et corrodit hominem, itaque facit ut cito senescat. Idem facit amor, sed altero ex capite, quia scilicet spiritus vitales dissipat et effundit. Unde proverbium : « Amantes repente senescunt; » et, ut ait Theocritus : « Amantes in diem senescunt. »

AUDIVIT SYMPHONIAM. — Arabicus, *concentum musicum*, hoc est, ut explicat S. Augustinus loco jam sæpe citato, audivit Apostolos Spiritu Sancto plenos, consonis vocibus Evangelium prædicantes : legit aliquem Prophetarum, et in eo quærens quodammodo interrogat : Unde ista festa in Ecclesia celebrentur, in qua se esse non videt? S. Ambrosius vero : Audivit, inquit, plebis Christianæ concordiam concinentis, et de peccatore salvato lætitiæ suavitatem resonantis : foris stat, eo quod malevolentia eum excludit. Et Glossa : Symphonia Ecclesiæ, ait, est diversarum ætatum et virtutum concordia, indeque chorus, id est exultatio et quasi spirituale tripudium.

Tropologice : vide Salmeronem, tom VII, *tract.* 27 et 28. « Hoc convivium, ait S. Hieronymus, *epist.* 146, quotidie celebratur, quotidie pater filium recipit, semper Christus credentibus immolatur. »

PATER ERGO ILLIUS EGRESSUS, COEPIT ROGARE EUM. — Symbolice, notat Deum per Christum et Apostolos invitasse et rogasse Pharisæos et Judæos Christo incredulos, ut in Christi Ecclesiam ingrederentur, ibique communi fidelium epulo et gaudio fruerentur; sed illi id facere noluerunt ex odio et invidia, tum Christi a se crucifixi, tum Gentilium in Christum credentium : idipsum autem facient in fine mundi convertendi ab Elia. Ita S. Augustinus. Mirare hic Dei bonitatem erga Judæos. « Quam benignus, ait S. Hieronymus, *epist.* 146, et clemens pater! rogat filium, ut lætitiæ domus particeps fiat. »

29. AT ILLE RESPONDENS, DIXIT PATRI SUO : ECCE TOT ANNIS SERVIO TIBI, ET NUNQUAM MANDATUM TUUM PRÆTERIVI, ET NUNQUAM DEDISTI MIHI HÆDUM, UT CUM AMICIS MEIS EPULARER. — « Servio tibi; » Syrus addit, *servitutem*, nimirum serviebant Judæi in oneribus legis in tot lustrationibus, oblationibus, victimis, cæremoniis, etc.

ET NUNQUAM MANDATUM TUUM PRÆTERIVI. — Responsum hoc notat mendacem arrogantiam et ingratitudinem Judæorum, qui sua opera legis jactabant et Dei beneficia plurima in se collata obliviscebantur : mentiuntur enim se nunquam Dei mandatum præteriisse, cum plurima præterieant, ac « quasi non sit præterire mandatum, saluti fratris invidere, » ait S. Hieronymus, *epist.* 146. Simili arrogantia Pharisæus justificat seipsum, ac despicit Publicanum, *Lucæ* XVIII, 11. Ita S. Ambrosius. Verum tamen est Judæos non præteriisse mandatum de uno Deo colendo, quia idola non coluerunt, sicuti Gentiles, uti explicat S. Augustinus, loco citato, et Interlinearis.

ET NUNQUAM DEDISTI MIHI HÆDUM. — Hædum hunc symbolice varie explicant Patres. *Primo*, S. Hieronymus, *epist.* 146, *q. d.* Nullus sanguis Prophetæ vel sacerdotis, a Romanorum imperio et jugo nos liberavit; et pro luxurioso filio, id est pro Gentibus, pro peccatoribus totius creaturæ gloriosus sanguis effusus est. *Secundo*, Theophylactus : « Hædum, » ait, id est persequentem me peccatorem nunquam decrevisti mei causa



mactandum esse. *Tertio*, S. Augustinus, *q. d.* Nunquam te, o Christe, mihi ad refectionem dedisti, eo quod te hædum, id est peccatorem, et legis Mosaicæ prævaricatorem æstimavi. *Quarto*, S. Ambrosius : Judæus, ait, hædum requirit, Christianus agnum : ideo illis Barabbas solvitur, nobis agnus (Christus) immolatur.

30. SED POSTQUAM FILIUS TUUS HIC, QUI DEVORAVIT SUBSTANTIAM SUAM (Græce σοῦ, id est *tuam*; sic et Syrus : quam tu scilicet illi dedisti) CUM MERETRICIBUS, VENIT, OCCIDISTI ILLI VITULUM SAGINATUM. — Accusant Pharisæi Deum et Christum de vitio acceptionis personarum, quod indignos dignis, puta Gentiles et peccatores Judæis et Pharisæis, præferat; sed falso : nam Gentiles et peccatores per fidem in Christum et pœnitentiam, faciebant se dignos Evangelio et gratia Christi; Pharisæi vero per infidelitatem, superbiam et invidiam illa se faciebant indignos; unde illi a Christo electi, hi reprobati sunt, *Matth.* xx, 16.

31. AT IPSE DIXIT : FILI, TU SEMPER MECUM ES, ET OMNIA MEA TUA SUNT. — Arabicus, *omnia quæ sunt mihi, sunt tibi*; in tua potestate sunt tibi mecum communia. « Omnia, » intellige legem, Prophetas, eloquia divina, ait S. Hieronymus. Adde, veram unius Dei fidem et cultum, veram Ecclesiam omniaque ejus bona, etc., hæc enim possidebat Israel, iisque ante Christum carebant Gentiles. Sensus est, *q. d.* Tu, in domo mea quasi filius, omnibus meis bonis mecum ad libitum uteris et frueris : non ergo invidere debes fratri tuo, nec ægre ferre quod ego ex omnibus bonis mihi et tibi communibus, unum vitulum in gratiam fratris tui ex longinqua regione reversi occiderim, præsertim cum ad eumdem te quoque invitaverim. Unde addit S. Ambrosius et Interlinearis : Omnia mea tua sunt, scilicet, si fratri tuo desinas invidere. Nam, ut ait S. Augustinus, loco citato : « Cupiditas nihil sine angustia, nihil cum angustia charitas tenet : cum beatitudinem istam obtinuerimus, nostra erunt ad vivendum superiora, nostra erunt ad convivendum æqualia, nostra erunt ad dominandum inferiora. » Causam dedit superius, dicens : « Sic enim a perfectis et purgatis, ac jam immortalibus filiis habentur omnia, ut sint et omnium singula, et omnia singulorum. » Hanc enim bonorum et gaudiorum omnium communicationem Beatis in cœlo præstabit, tum perfectissimus amor mutuus et charitas, tum plena beatitudo et gloria.

32. EPULARI AUTEM ET GAUDERE OPORTEBAT, QUIA FRATER TUUS HIC MORTUUS ERAT, ET REVIXIT; PERIERAT, ET INVENTUS EST. — Justissima est ratio, *q. d.* Hic mihi filius, tibi frater est; nuper vitiis diffluens, ideoque morti et gehennæ addictus. Jam pœnitens Deo, gratiæ, saluti et cœlo restituitur : quare illi non invidere et obmurmurare, sed me æque ac te cum tota familia epulari, congratulari et congaudere oportet. Jam Christus Pharisæis parabolam hanc sibi applicandam relinquit. « Hic enim, ait Theophylactus, scopus parabolæ est, propter Pharisæos obmurmurantes quod peccatores susciperet, docere quod, etiamsi justi simus, non repellendi sint peccatores, neque obmurmurandum, recipiente illos Deo. » Et paulo superius : « Dicit igitur per præsentem parabolam Dominus Pharisæis, quasi in hunc modum : Esto vos justi sitis, sicut filius ille beneplacens patri; obsecro vos justos et mundos, ne obmurmuretis in salute filiorum; est enim et ille filius. Itaque Pharisæorum mentem instruit, ut, etiamsi justi ipsi essent, et omnia mandata Dei perfecissent, gravatim ferre non deberent suscipi peccatores. »

# CAPUT DECIMUM SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus discipulos hortatur ad studium beneficentiæ et bonorum operum per duas parabolas. Prima est villici iniqui; secunda est divitis epulonis, vers. 19.*

1. Dicebat autem et ad discipulos suos : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum;
et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius. 2. Et vocavit illum, et ait
illi : Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ; jam enim non poteris villi-
care. 3. Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villica-
tionem? fodere non valeo, mendicare erubesco. 4. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero
a villicatione, recipiant me in domos suas. 5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini
sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo? 6. At ille dixit : Centum cados olei.
Dixitque illi : Accipe cautionem tuam; et sede cito, scribe quinquaginta. 7. Deinde alii
dixit : Tu vero, quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici. Ait illi : Accipe litteras

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

REVIXIT : PERIERAT, ET INVENTUS EST. ET COEPERUNT EPULARI. — « Mortuus, » per culpam prodigalitatis et luxuriæ; « revixit, » per gratiam pœnitentiæ. Epulum hoc, ut dixi, non aliud significat quam ingens gaudium Dei et angelorum de peccatore converso. Homines enim carnales sua gaudia ponunt in epulis; cœlestes enim delicias ignorant, quia eas nunquam gustarunt.

25. ERAT AUTEM FILIUS EJUS SENIOR IN AGRO : ET CUM VENIRET, ET APPROPINQUARET DOMUI, AUDIVIT SYMPHONIAM ET CHORUM;

26. ET VOCAVIT UNUM DE SERVIS, ET INTERROGAVIT QUID HÆC ESSENT.

27. ISQUE DIXIT ILLI : FRATER TUUS VENIT, ET OCCIDIT PATER TUUS VITULUM SAGINATUM, QUIA SALVUM ILLUM RECEPIT.

28. INDIGNATUS EST AUTEM, ET NOLEBAT INTROIRE. PATER ERGO ILLIUS EGRESSUS, COEPIT ROGARE ILLUM. — Indignatio hæc et murmur senioris filii, id est justorum, emblema est parabolæ, ut ostendatur æquitas hujus gaudii Dei et angelorum de peccatore converso; sive quid murmurantibus de tanta pœnitentium gratia et gloria, juste respondere possit Deus. « Ostendit siquidem hujusmodi indignatio, ait Euthymius, quod tantam demonstrat circa eos qui resipiscunt gratiam et gaudium, ut cæteris invidiam movere possit. » Sic quoque Theophylactus, ac Titus, et S. Chrysostomus in *Catena*; nam alioqui certum est justos non invidere peccatoribus pœnitentibus gratiam et gloriam, sed potius mire de ea gaudere et exultare. Simile ostendit Matthæus, xx, 11, in murmure operariorum primo venientium ad vineam. Aut potius, indignatio hæc et murmur senioris significat invidiam et murmur Pharisæorum, qui se putabant justos, et Christo obmurmurabant, quod peccatores reciperet et foveret. Hæc enim tota parabolæ hujus fuit occasio, æque ac scopus, ut patet ex initio capitis. Ita S. Hieronymus, Jansenius et alii.

Pari modo significatur hic Judæorum invidia et murmur contra Apostolos, qui Evangelium a Judæis incredulis transtulere ad Gentiles. Ita S. Ambrosius : Judæi, ait, Gentibus beneficium paternæ benedictionis inviderunt. Et S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXIII et seq. : Indignatur, ait, et nunc, et non vult intrare. Cum vero plenitudo Gentium introierit, egreditur pater, ut etiam omnis Israel salvus fiat. Ita et S. Hieronymus. « Senior, ait Ambrosius, dicitur, eo quod cito aliquis per invidiam consenescat. » Invidebat enim senior fratri juniori, ut patet ex sequenti. Porro, invidia exedit et corrodit hominem, itaque facit ut cito senescat. Idem facit amor, sed altero ex capite, quia scilicet spiritus vitales dissipat et effundit. Unde proverbium : « Amantes repente senescunt; » et, ut ait Theocritus : « Amantes in diem senescunt. »

AUDIVIT SYMPHONIAM. — Arabicus, *concentum musicum*, hoc est, ut explicat S. Augustinus loco jam sæpe citato, audivit Apostolos Spiritu Sancto plenos, consonis vocibus Evangelium prædicantes : legit aliquem Prophetarum, et in eo quærens quodammodo interrogat : Unde ista festa in Ecclesia celebrentur, in qua se esse non videt? S. Ambrosius vero : Audivit, inquit, plebis Christianæ concordiam concinentis, et de peccatore salvato lætitiæ suavitatem resonantis : foris stat, eo quod malevolentia eum excludit. Et Glossa : Symphonia Ecclesiæ, ait, est diversarum ætatum et virtutum concordia, indeque chorus, id est exultatio et quasi spirituale tripudium.

Tropologice : vide Salmeronem, tom VII, *tract.* 27 et 28. « Hoc convivium, ait S. Hieronymus, *epist.* 146, quotidie celebratur, quotidie pater filium recipit, semper Christus credentibus immolatur. »

PATER ERGO ILLIUS EGRESSUS, COEPIT ROGARE EUM. — Symbolice, notat Deum per Christum et Apostolos invitasse et rogasse Pharisæos et Judæos Christo incredulos, ut in Christi Ecclesiam ingrederentur, ibique communi fidelium epulo et gaudio fruerentur; sed illi id facere noluerunt ex odio et invidia, tum Christi a se crucifixi, tum Gentilium in Christum credentium : idipsum autem facient in fine mundi, convertendi ab Elia. Ita S. Augustinus. Mirare hic Dei bonitatem erga Judæos. « Quam benignus, ait S. Hieronymus, *epist.* 146, et clemens pater! rogat filium, ut lætitiæ domus particeps fiat. »

29. AT ILLE RESPONDENS, DIXIT PATRI SUO : ECCE TOT ANNIS SERVIO TIBI, ET NUNQUAM MANDATUM TUUM PRÆTERIVI, ET NUNQUAM DEDISTI MIHI HÆDUM, UT CUM AMICIS MEIS EPULARER. — « Servio tibi; » Syrus addit, *servitutem*, nimirum serviebant Judæi in oneribus legis in tot lustrationibus, oblationibus, victimis, cæremoniis, etc.

ET NUNQUAM MANDATUM TUUM PRÆTERIVI. — Responsum hoc notat mendacem arrogantiam et ingratitudinem Judæorum, qui sua opera legis jactabant et Dei beneficia plurima in se collata obliviscebantur : mentiuntur enim se nunquam Dei mandatum præteriisse, cum plurima præterieant, ac « quasi non sit præterire mandatum, saluti fratris invidere, » ait S. Hieronymus, *epist.* 146. Simili arrogantia Pharisæus justificat seipsum, ac despicit Publicanum, *Lucæ* XVIII, 11. Ita S. Ambrosius. Verum tamen est Judæos non præteriisse mandatum de uno Deo colendo, quia idola non coluerunt, sicuti Gentiles, uti explicat S. Augustinus, loco citato, et Interlinearis.

ET NUNQUAM DEDISTI MIHI HÆDUM. — Hædum hunc symbolice varie explicant Patres. *Primo*, S. Hieronymus, *epist.* 146, *q. d.* Nullus sanguis Prophetæ vel sacerdotis, a Romanorum imperio et jugo nos liberavit; et pro luxurioso filio, id est pro Gentibus, pro peccatoribus totius creaturæ gloriosus sanguis effusus est. *Secundo*, Theophylactus : « Hædum, » ait, id est persequentem me peccatorem nunquam decrevisti mei causa



mactandum esse. *Tertio*, S. Augustinus, *q. d.* Nunquam te, o Christe, mihi ad refectionem dedisti, eo quod te hædum, id est peccatorem, et legis Mosaicæ prævaricatorem æstimavi. *Quarto*, S. Ambrosius : Judæus, ait, hædum requirit, Christianus agnum : ideo illis Barabbas solvitur, nobis agnus (Christus) immolatur.

30. SED POSTQUAM FILIUS TUUS HIC, QUI DEVORAVIT SUBSTANTIAM SUAM (Græce σοῦ, id est *tuam*; sic et Syrus : quam tu scilicet illi dedisti) CUM MERETRICIBUS, VENIT, OCCIDISTI ILLI VITULUM SAGINATUM. — Accusant Pharisæi Deum et Christum de vitio acceptionis personarum, quod indignos dignis, puta Gentiles et peccatores Judæis et Pharisæis, præferat; sed falso : nam Gentiles et peccatores per fidem in Christum et pœnitentiam, faciebant se dignos Evangelio et gratia Christi; Pharisæi vero per infidelitatem, superbiam et invidiam illa se faciebant indignos; unde illi a Christo electi, hi reprobati sunt, *Matth.* xx, 16.

31. 31. AT IPSE DIXIT : FILI, TU SEMPER MECUM ES, ET OMNIA MEA TUA SUNT. — Arabicus, *omnia quæ sunt mihi, sunt tibi*; in tua potestate sunt tibi mecum communia. « Omnia, » intellige legem, Prophetas, eloquia divina, ait S. Hieronymus. Adde, veram unius Dei fidem et cultum, veram Ecclesiam omniaque ejus bona, etc., hæc enim possidebat Israel, iisque ante Christum carebant Gentiles. Sensus est, *q. d.* Tu, in domo mea quasi filius, omnibus meis bonis mecum ad libitum uteris et frueris : non ergo invidere debes fratri tuo, nec ægre ferre quod ego ex omnibus bonis mihi et tibi communibus, unum vitulum in gratiam fratris tui ex longinqua regione reversi occiderim, præsertim cum ad eumdem te quoque invitaverim. Unde addit S. Ambrosius et Interlinearis : Omnia mea tua sunt, scilicet, si fratri tuo desinas invidere. Nam, ut ait S. Augustinus, loco citato : « Cupiditas nihil sine angustia, nihil cum angustia charitas tenet : cum beatitudinem istam obtinuerimus, nostra erunt ad vivendum superiora, nostra erunt ad convivendum æqualia, nostra erunt ad dominandum inferiora. » Causam dedit superius, dicens : « Sic enim a perfectis et purgatis, ac jam immortalibus filiis habentur omnia, ut sint et omnium singula, et omnia singulorum. » Hanc enim bonorum et gaudiorum omnium communicationem Beatis in cœlo præstabit, tum perfectissimus amor mutuus et charitas, tum plena beatitudo et gloria.

32. EPULARI AUTEM ET GAUDERE OPORTEBAT, QUIA FRATER TUUS HIC MORTUUS ERAT, ET REVIXIT; PERIERAT, ET INVENTUS EST. — Justissima est ratio, *q. d.* Hic mihi filius, tibi frater est; nuper vitiis diffluens, ideoque morti et gehennæ addictus. Jam pœnitens Deo, gratiæ, saluti et cœlo restituitur : quare illi non invidere et obmurmurare, sed me æque ac te cum tota familia epulari, congratulari et congaudere oportet. Jam Christus Pharisæis parabolam hanc sibi applicandam reliquit. « Hic enim, ait Theophylactus, scopus parabolæ est, propter Pharisæos obmurmurantes quod peccatores susciperet, docere quod, etiamsi justi simus, non repellendi sint peccatores, neque obmurmurandum, recipiente illos Deo. » Et paulo superius : « Dicit igitur per præsentem parabolam Dominus Pharisæis, quasi in hunc modum : Esto vos justi sitis, sicut filius ille beneplacens patri; obsecro vos justos et mundos, ne obmurmuretis in salute filiorum; est enim et ille filius. Itaque Pharisæorum mentem instruit, ut, etiamsi justi ipsi essent, et omnia mandata Dei perfecissent, gravatim ferre non deberent suscipi peccatores. »

# CAPUT DECIMUM SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus discipulos hortatur ad studium beneficentiæ et bonorum operum per duas parabolas. Prima est villici iniqui; secunda est divitis epulonis, vers. 19.*

1. Dicebat autem et ad discipulos suos : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum; et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius. 2. Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ; jam enim non poteris villicare. 3. Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco. 4. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. 5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo? 6. At ille dixit : Centum cados olei. Dixitque illi : Accipe cautionem tuam; et sede cito, scribe quinquaginta. 7. Deinde alii dixit : Tu vero, quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici. Ait illi : Accipe litteras

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tuas, et scribe octoginta. 8. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset; quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. 9. Et ego vobis dico : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. 10. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est. 11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis? 12. Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? 13. Nemo servus potest duobus dominis servire : aut enim unum odiet, et alterum diliget; aut uni adhærebit, et alterum contemnet; non potestis Deo servire et mammonæ. 14. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari; et deridebant illum. 15. Et ait illis : Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra; quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. 16. Lex et prophetæ usque ad Joannem : ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit. 17. Facilius est autem cœlum et terram præterire, quam de lege unum apicem cadere. 18. Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur; et qui dimissam a viro ducit, mœchatur. 19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso; et epulabatur quotidie splendide. 20. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, 21. cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat; sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus. 22. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. 23. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus; 24. et ipse clamans dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 25. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. 26. Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. 27. Et ait : Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei. 28. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. 29. Et ait illi Abraham : Habent Moysen et Prophetas; audiant illos. 30. At ille dixit : Non, pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. 31. Ait autem illi : Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

---

1. DICEBAT AUTEM ET AD DISCIPULOS SUOS : HOMO QUIDAM ERAT DIVES, QUI HABEBAT VILLICUM ; ET HIC DIFFAMATUS EST APUD ILLUM, QUASI DISSIPASSET BONA IPSIUS. — « Dicebat autem : » postquam Pharisæos murmurantes de pœnitentium receptione, ait Beda, tribus parabolis redarguit, quartam et quintam de eleemosyna danda et parcimonia sequenda, subjungit. Nam, ut ait Glossa : Pharisæi superbi et avari, uti pœnitentibus veniam, ita egentibus pecuniam negabant.

AD DISCIPULOS SUOS, — ad suos auditores, qui se ejus disciplinæ subdebant, etiamsi sua omnia non relinquerent, uti fecerant Apostoli. Ita Titus.

VILLICUM. — Græce, *œconomum*, id est magistrum vel præfectum domus; Arabicus, *administratorem*. Villicus ergo hic non erat villæ colonus, aut agricola, vel vinitor, sed totius substantiæ domus dominique sui, ac consequenter villæ, vel villarum ejus administrator et dispensator. Unde S. Hieronymus, *ad Algas.*, Quæst. VI, pro *villicus*, vel, ut in Græco, οἰκονόμος, vertit *dispensator*; pro *villicare*, vertit *dispensare*; et pro *villicatione*, *dispensatione*. Villicus ergo hic erat omnium heri sui bonorum, villarum et frugum administrator; ideoque villas et agros heri sui colonis et agricolis elocabat, uti patet ex sequent. Audi Varronem, lib. I *De Re rustica*, cap. II : « Villicus agri colendi causa constitutus, atque appellatur a villa; villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus et evehuntur, cum veniunt. A quo rustici etiam nunc quoque viam *Veham* appellant propter vecturas; et *Vellam*, non *Villam*, quo vehunt et unde vehunt. »

Quocirca S. Ambrosius moraliter notat dicitque : « In quo ipsi discimus, non ipsi esse domini, sed potius alienarum villici facultatum. » Et Theophylactus : « Primum hoc discimus, quod non sumus domini divitiarum, sed dispensatores alienarum rerum, ut illas bene dispensemus sicut ipse imperat. » Licet enim apud homines simus domini opum nostrarum, tamen respectu Dei, qui summus est dominus, earum sumus dispensatores : quia ipse eas nobis frugaliter et utiliter in nostros, et deinde in pauperum usus dispensandas tradidit, atque dispensationis earum exactam a nobis in morte et judicio rationem exiget. Hinc Apostolus, I *Cor.* IV, 1 : « Sic nos, ait, existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. » Omnes enim dotes omniaque bona quæ habemus, non nostra, sed Dei sunt, quia ea nobis dedit : quare illorum non sumus domini absolute, sed dispensatores; quia ea non ad libitum, sed ex voluntate et præscripto Domini Dei erogare et dispensare debemus. Habes ergo insigne ingenium, acre judicium, firmam memoriam, sapientiam, eloquentiam, etc. : illorum es villicus, non dominus, quia illa non tua sunt, sed Dei dona. Vide ut illis recte utare ad Dei voluntatem et honorem, ut ipsi de iis exactam, quam ipse a te reposcet, rationem reddere valeas. Audi S. Chrysostomum, in *Catena* : « Erronea opinio est, possideri a nobis ut dominis res hujus vitæ et ut bona propria. Sumus enim velut hospites et advenæ, quibus nunc discedendum est, et dispensatores alienorum : quare nobis villici humilitas et modestia assumenda est; nil enim est nostrum, sed omnia sunt datoris Dei. »

DIFFAMATUS EST. — Græce διεβλήθη, id est *accusatus est*; Arabicus, *delatus est* : unde « diabolus » idem est quod *accusator*, quia nos apud Deum accusat, sive vere, sive falso et per calumniam : ipse ergo est calumniator omnium operum nostrorum, *Apoc.* XII, 10. Hæc accusatio fit, ait Interlinearis, quando quis non exercet opera pietatis erga illos quibus debuit; non ergo de male factis duntaxat accusamur apud Deum, sed et de bonis quæ facere debuimus, omissis. Villicus enim nihil omittere debet, quod ad officium sibi commissum et heri utilitatem pertineat.

DISSIPASSET, — epulando, potando, ludendo, donando similibusque modis illicitis sibique vetitis.

2. ET VOCAVIT (dominus ejus, uti exponit Syrus) ILLUM, ET AIT ILLI : QUID HOC AUDIO DE TE (te dissipare, vel potius dissipasse bona mea)? REDDE RATIONEM VILLICATIONIS TUÆ. — Græce, *tuæ œconomiæ*; Arabicus, *tuæ administrationis* : scilicet quantum receperis, et quomodo illud expenderis.

JAM ENIM NON POTERIS VILLICARE. — Id est, ut S. Hieronymus, amplius enim dissipare et administrare meas opes et facultates non poteris; quia pro *jam*, Græce est ἔτι, id est amplius. Unde Arabicus, *quia tu non eris mihi amplius administrator*. « Jam » ergo idem est quod *amplius*, tam hic quam cap. XV, 19, et cap. X, 11, ac *Marci* cap. XII, 34.



Idem dicit Christus cuique in morte, scilicet : « Redde rationem villicationis tuæ, » id est tuæ vitæ, tui status, officii tibi commissi, tui temporis, tui ingenii cæterarumque dotum quas Deus tibi dedit, ut iis utaris ad ejus gloriam et tuam aliorumque salutem.

Climacus, *Gradu* 4, narrat Joannem (postea abbatem), cum ingrederetur monasterium, prima nocte vidisse quosdam per somnum, terribilem a se rationem exigere, nimirum debitum librarum auri centum; quare per triennium dedit se obedientiæ, patientiæ et injuriarum tolerantiæ : quo facto revelatum est ei decem libras ex debito esse sublatas : quare majori fervore austeritati, obedientiæ cæterisque virtutibus incumbens per tredecim annos iis exactis, vidit quosdam sibi apparentes, qui a Deo missi nuntiabant debitum omne illi esse remissum. Idem, Gradu 7 *De Luctu*, narrat mirum quid et terribile de Stephano abbate, qui in solitudine per 40 annos magna sanctitate vixerat in jejuniis, lacrymis, orationibus, adeo ut leopardum manu sua nutriret. Hic enim pridie quam moreretur, repente, inquit Climacus, animo obstupuit, apertisque oculis ad dexteram atque ad sinistram partem lectuli circumspiciebat; et quasi rationem quidam a se exigerent, cunctis qui adstabant audientibus, aiebat aliquando : « Ita sane, sic revera est, sed pro hoc tot annis jejunavi. » Aliquando vero : « Non certe, sed mentimini; hoc non feci. » Deinde rursus : « Vere me accusatis. » In quibusdam etiam aliquando aiebat : « Ita sane, et quidem ad hæc quid dicam non habeo, ideo misericordia est. » Et erat profecto spectaculum horrendum ac terrificum, invisibile illud sævissimumque judicium.

Stephano abbati morienti de peccata objecta.

3. AIT AUTEM VILLICUS INTRA SE : QUID FACIAM, QUIA DOMINUS MEUS AUFERT A ME VILLICATIONEM? FODERE NON VALEO, MENDICARE ERUBESCO. — Crimen dissipationis bonorum heri sui, villicus male sibi conscius tacite agnoscit, æque ac suam imprudentiam, quod illa abligurierit, nec in futuros usus recondiderit. Unde nil ei superest, nisi ut vel labore manuum, vel mendicando sibi victum paret : mendicare erubescit, laborare ob debilitatem vel desuetudinem nequit. Hæret ergo anxius, ac quo se vertat nescit. Vere S. Chrysostomus : « Impotentem esse in opere, ait, est vitæ inertis. »

Symbolice Glossa : « Post hanc vitam, ait, non est locus fodiendi compunctione terram animæ nostræ, ad ferendum fructum : est tunc etiam confusibile mendicare, ut fecerunt fatuæ virgines, imo inutile et impossibile. »

4. SCIO QUID FACIAM, UT, CUM AMOTUS FUERO A VILLICATIONE, RECIPIANT (debitores heri mei) ME IN DOMOS SUAS, — scilicet remittendo eis partem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

debitorum, ac eorum quantitatem imminuendo, eaque de re dando eis syngraphum, ut ipsi propter hanc meam in eos beneficentiam, licet fraudulentam et hero iniquam, vicissim me villicatione privatum benefice excipiant et alant.

5. CONVOCATIS ITAQUE SINGULIS DEBITORIBUS DOMINI SUI, DICEBAT PRIMO : QUANTUM DEBES DOMINO MEO? AT ILLE DIXIT : CENTUM CADOS OLEI. DIXITQUE ILLI : ACCIPE CAUTIONEM TUAM : ET SEDE CITO, SCRIBE QUINQUAGINTA.

CENTUM CADOS OLEI. — *Cadus*, vel, ut Græce est, batus, erat mensura liquidorum, sicut corus aridorum : licet autem batus major esset cado, sive metreta, ut vertit hic Syrus ; cadus enim 60, batus vero 72 continebat sextarios ; tamen subinde unum pro alio accipitur. Unde S. Hieronymus, in cap. XLV Ezech. : « Decima pars cori, ait, in liquidis vocatur batus, sive cadus. Corus autem, sive homer, continebat triginta modios : ita enim Noster vertit *Levitici* cap. XXVII, vers. 16, idemque colligitur ex Septuaginta, *Ezech.* cap. XLV, 11. Vide quæ de mensuris et ponderibus congessi in fine Pentateuchi.

ACCIPE CAUTIONEM TUAM : ET SEDE CITO, SCRIBE QUINQUAGINTA. — « Cautionem, » Græce γράμμα, id est scriptum, litteras, uti vertit Interpres, vers. 7; scilicet syngrapham, manu tua olim scriptam vel subscriptam, qua testatus es te debere hero meo centum cados. Vulgus *obligationem* vocat, id est litteras obligatorias : hæ vocantur cautio, quia per has cavetur creditori, ne debitor ei debitum negare possit. Sensus est, *q. d.* Syngrapham obligatoriam, qua olim mihi tradita testaris te hero meo debere centum cados olei, ecce tibi reddo : accipe ergo eam et lacera, ac pro ea scribe aliam, qua tantum fatearis te debere quinquaginta; ita herus doli nescius, a te tantum repetet 50, et alios 50 tibi servabis eosque mecum divides.

7. DEINDE ALII DIXIT : TU VERO, QUANTUM DEBES? QUI AIT : CENTUM COROS TRITICI. AIT ILLI : ACCIPE LITTERAS TUAS (cautionem, sive syngrapham tuam, de qua vers. 5), ET SCRIBE OCTOGINTA. — Corus, sive homer, continet decem ephi, ephi autem continet tria sata, id est tres modios, *Ezech.* XLV, 11. Corus ergo continebat 30 modios.

Symbolice S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXIV : « Quod autem, inquit, de centum cadis olei quinquaginta scribi fecit a debitore, et de centum coris tritici octoginta, ad nihil aliud valere arbitror, nisi ut ea quæ similiter in sacerdotes atque in Levitas Judæi, quisque operatur in Ecclesia, abundet justitia ejus super Scribarum et Pharisæorum, ut, cum illi decimas darent, isti dimidias dent : sicut non de fructibus, sed de ipsis bonis suis fecit Zachæus. Aut certe duplicet decimam, aut duas decimas dando superet impendia Judæorum. »

8. ET LAUDAVIT DOMINUS VILLICUM INIQUITATIS, QUIA PRUDENTER FECISSET : QUIA FILII HUJUS SÆCULI PRUDENTIORES FILIIS LUCIS IN GENERATIONE SUA SUNT. — « Dominus, » id est herus villici, tandem ejus ex servis vel aliunde resciens; non Christus Dominus, ut vult Erasmus; *q. d.* Herus villici laudavit villicum iniquum, quod prudenter sibi consuluisset, licet per fraudem et damnum heri. Laudavit autem non factum, utpote injustum, sed prudentiam, vel solertiam, industriam et ingenium subtile villici; sicuti cum ingeniosum audimus facinus, damnamus scelus, laudamus ingenium.

QUIA FILII HUJUS SÆCULI PRUDENTIORES FILIIS LUCIS (id est fidei, puta fidelibus et sanctis, hi enim opponuntur filiis tenebrarum sive sæculi) IN GENERATIONE SUA (hoc est in genere suo (1)) SUNT, — scilicet in temporalibus, et maxime in malis, v. g. dolis, fraudibus et malis artibus. Est hebraismus. Vere dixit vir sapiens : « In rebus temporalibus sumus Solones, in spiritualibus moriones; in terrenis lynces, in cœlestibus talpæ. » « Prudentiores sunt filii sæculi, » ait S. Augustinus, lib. II *De Genesi ad litteram*, cap. II, ad consulendum sibimet in posterum, quamvis fraude, non jure. Ratio a priori est, quia in hominibus viget sensus et cupiditas rerum terrenarum ; mens vero et spiritus languet, deprimitur et hebetatur, partim a corpore, partim a sensu et cupiditate, quo fit, ut mundani sequentes ductum sensus et cupiditatis, vivaciores et solertiores sint in temporalibus bonis sibi providendis, quam spirituales et sancti, qui ductum mentis et spiritus sequuntur, sint in spiritualibus sibi procurandis; spiritualia enim, cum sint recondita, nec oculis cernantur, vix mentem humanam feriunt.

Jam quod ad applicationem parabolæ attinet, nota scopum ejus in genere esse, ut dicatur contra avaros Pharisæos, ut docet Christus versu nono et decimo quarto, eisque vel aliis avaritiam extundat, ac doceat affectum ab amore divitiarum abstrahere, illasque in pauperes erogare. Monet enim hic Christus divites cæterosque omnes, ut meminerint se non esse pleno jure dominos, sed tantum dispensatores bonorum Dei; ideoque prudenter et sedulo illa expendant per eleemosynas, ut per eas peccata expient, ac Deo rationem villicationis suæ, id est universi christiani officii, et vitæ, æque ac opum et facultatum, exactam reddere possint; itaque ab eo laudari, præmiari et beari mereantur. Neque alia ratione villicus hic nobis imitandus proponitur : nam in Applicatio parabolæ.

(1) Id est a sui similibus, ejusdem farinæ, personæ indolis hominibus prudentiores habentur. Aliter Kuinoel, in h. l., qui εἰς τὴν γενεὰν vertit *inter suæ ætatis homines*, et sensum totius loci, cui ironiam inesse ait, ita constituit : *Sane homines rebus terrenis unice intenti, inter suæ ætatis homines, prudentiores* (fraudibus in divitiis acquirendis utuntur) *sunt quam homines Christiani*, qui a fraudibus in acquirendis bonis alieni sunt et esse debent. Ego vero ab ista istorum providentia vos dehortor; cohortor potius vos ut, futura prospicientes, justumque divitiis fallacibus statuentes pretium, earum curam studio bonorum cœlestium postponatis, vers. 9 — 12.



fraude et injustitia, quam hero intulit, neminem licite eum imitari posse clarum est.

Quocirca S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXIV, censet Christum hic argumentari a minori ad majus, *q. d.* Si villicus hic tam solerter in terra sibi providet de annona, multo magis pro vita æterna nos docet esse solertes, ut de meritis quibus in ea vivamus, simus solliciti. Rursum si hic villicus, licet fraudulentus et injustus, laudatus fuit ab hero ob hanc solertiam et providentiam, multo magis nos a Deo laudabimur, si per eleemosynam nulli damnum, sed commodum multis afferamus. Cætera sunt emblemata. Ita S. Augustinus, Euthymius, Maldonatus, Jansenius et alii. Audi S. Augustinum : « Si laudari potuit ille a domino qui fraudem faciebat, quanto amplius placent Domino Deo, qui secundum ejus præceptum illa opera faciunt? sicut etiam de judice iniquitatis, qui interpellabatur a vidua, comparationem duxit ad judicem Deum, cui nulla ex parte judex iniquus conferendus est. »

Docet ergo hæc parabola *primo*, divites tantum esse administratores opum suarum, atque a simili vel pari quemlibet hominem bonorum suorum, scilicet virium, ingenii, facundiæ aliarumque dotum non esse dominum, sed tantum esse dispensatorem. *Secundo*, quemque suis donis et dotibus a Deo acceptis uti illaque expendere debere juxta Dei Domini nostri voluntatem, ad ipsius honorem et gloriam. *Tertio*, quemque in die judicii non tantum malorum commissorum, sed et bonorum per negligentiam omissorum Christo judici exactam rationem redditurum esse : quare quisque videat ne quid mali admittat, vel boni omittat. Hic generalis est parabolæ scopus; particularis vero est is, quem subjicit Christus, vers. sequent., uti ibidem explicabo.

9. ET (id est *sic*, vel *simili parive modo*; τὸ enim *et* nectit simile simili, puta parabolam rei per eam significatæ) EGO VOBIS DICO : FACITE VOBIS AMICOS DE MAMMONA INIQUITATIS, UT, CUM DEFECERITIS, RECIPIANT VOS IN ÆTERNA TABERNACULA. — Est hæc postparabola sive applicatio parabolæ, significans particularem et præcisum ejus scopum, finem et fructum, *q. d.* Sicut audistis villicum, qui bona heri sui dissiparat, ideoque amovendus erat ab hero a villicatione sua, per opes iniquitatis, id est inique et injuste a se usurpatas et hero suo surreptas, eleemosynam fecisse debitoribus heri sui, ut amotus ab officio, ab iis in domum reciperetur et aleretur; sic et vos, qui opes dotesque vobis a Deo datas male iis utendo dissipastis, per *mammonam*, id est opes *iniquitatis*, id est iniquas, non ob rapinam et furtum, uti fuere illæ istius villici, sed alio titulo et respectu (quem mox explicabo), facite eleemosinam pauperibus, ut, cum per mortem defeceritis et amoti fueritis ab hac vita ejusque officiis, ipsi vos recipiant in æterna cœli tabernacula.

Ubi nota : Ludit Christus in voce « iniquitatis; » alio enim modo villicus habebat opes iniquitatis; villici enim iniquitas erat fraus, injustitia, furtum et rapina; nobis vero hæc opum iniquitas non est injustitia actualis, sed plane aliud uti jam dicam.

FACITE VOBIS AMICOS DE MAMMONA INIQUITATIS (1), — id est de opibus quæ iniquæ sunt, idque quadruplici sensu et causa : *Primo*, quia opes sæpe per iniquitatem, id est fraudes, usuras, injustos contractus, rapinas parentum, avorum, vel etiam proprias, corrogatæ sunt, juxta illud : « Omnis dives, aut iniquus, aut iniqui hæres, » quod citat S. Hieronymus, epistol. 150 *ad Hedibiam*, Quæst. I. Jam sæpe ignorat filius, vel nepos, hanc iniquitatem parentum vel avorum; aut certe nescit cui facienda sit restitutio : tunc ergo pauperibus illa restituere et erogare debet. Hinc S. Hieronymus, cap. VI in *Matthæi* : « Divitiæ, inquit, vocantur mammona, quia de iniquitate collectæ sunt, » quasi mammona derivetur ex מן *min*, id est *a*, et מונה *mona*, id est *violentia*, a radice ינה *iana*, id est *vim intulit*; licet verius derivetur a טמן *taman*, id est abscondit : inde etiam addito *mem* heemantico hebraice vocatur מטמון *matmon*, et chaldaice elisa littera ט *tet*, euphoniæ causa, *mammon* et *mammona*; *q. d. thesaurus absconditus*; solent enim opes et nummi abscondi. *Secundo*, divitiæ vocantur « iniquitatis, » sive iniquæ, id est infidæ et fallaces per hebraismum, quia vanæ sunt et mendaces, non veræ, non fideles et stabiles, sed illico possessorem deserunt et ad alium herum transeunt. *Tertio*, « iniquitatis, » quia divitiæ sunt materia et illecebræ fraudum, furtorum omnisque peccati, præsertim iniquitatis et injustitiæ. *Quarto*, « iniquitatis, » quia iniqui et impii putant eas solas esse divitias, non enim norunt divinas et cœlestes. Ita S. Augustinus, serm. 35 *De Verbis Domini*. Hasce omnes causas spectat hic Christus. Mammonæ etymon.

PORRO, Christus opes vocat « mammonam iniquitatis, » id est *Plutum*, qui a Gentilibus colebatur quasi deus divitiarum, *q. d.* Aurum vobis est quasi idolum, quod vos, o divites avari, amatis, et quasi adoratis; sed scitote illud idolum esse « iniquitatis, » id est vanum, mendax et falsum : illud ergo confringite et in pauperes erogate, ut illi Deum æternarum opum largitorem vobis concilient. Vide dicta *Matthæi* cap. VI, 24.

UT CUM DEFECERITIS (vita et officio dispensandi vestrum mammona, id est vestras opes : ita Theophylactus, Titus, Euthymius; unde Syrus vertit, *cum defecerit*, scilicet mammona a vobis, quod fiet in morte vestra), RECIPIANT VOS, — scilicet amici, quos vobis fecistis per mammonam ini-

(1) « Facite vobis amicos, » id est Deum vobis *amicum* reddite; legitur plurali numero *amicos*, quia respicitur dispensator ille, qui sibi sua prudentia plures *amicos* comparaverat. Christus parabolam applicans, ait : Tu fac tibi quoque *amicos*, nempe Deum.

quitatis eis erogatum, puta pauperes; hi enim, si sancti sunt et recepti in cœlum, eodem vos suis precibus et meritorum communicatione recipient: sin autem pauperes sint impii, in cœlum vos propter eleemosynæ meritum recipient, non ipsi, sed ii quorum est recipere, puta Christus, B. Virgo et sanctissimi Angeli. Sic enim Hebræi sæpe suppositum verbi subticent, quasi ex circumstantiis sat cognitum et manifestum (1).

Porro, Christus proprie de pauperibus probis et sanctis loqui videtur; quia scilicet, sæpe tales sunt pauperes, nimirum « pauperes censu, sed divites sensu, » gratia et spiritu; idque ne putent divites se beneficium dare, sed potius accipere a pauperibus: dant enim eis nummum, sed recipiunt cœlum. Unde S. Gregorius, lib. XXI *Moral.*, cap. XIV: « Debemus cogitare, ait, quod patronis potius nos recepturis in æterna tabernacula munera offerimus, quam egenis dona largimur. »

Rursum hinc disce pauperum esse cœlum, non tantum quod ipsi eo potiantur, sed quod et ipsi alios, scilicet benefactores suos, eodem introducant. Pauperes ergo sunt janitores cœli, juxta illud Christi: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » *Matth.* V. Vide ibi dicta. Idque habent non tam ex merito suo, quam ex dono singulari Dei. Ita S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXVIII: « Non propria potestate, quasi gratificando recipiunt, sed promissione atque permissione illius qui eos consilio præmonuit, ut sibi amicos facerent, et qui se ipsum pasci, vestiri, hospitio recipi, visitari in unoquoque minimorum suorum, liberatoris bonitate dignatus est. »

*Pauperes sunt cœli janitores.*

« Æterna tabernacula, inquit Theophylactus, pauperibus in Christo constituta sunt, in quæ possunt recipere eos qui hic ipsis amice de bonis, quæ sunt Dominica, largiuntur. Felix permutatio, cum temporaria permutantur æternis. » Quare Chrysostomus, in *Catena*: « Ars artium, inquit, peritissima, est eleemosyna, non enim nobis domos fabricat luteas, sed vitam æternam impendit.

10. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est: et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est. — Nota: Hæ et similes sententiæ proverbiales practicæ prudentiæ (uti dixi in *Prov.*) non semper, sed sæpe et communiter veræ sunt, ac significant vulgo homines ita judicare solere, et suorum servorum vel amicorum fidelitatem in magnis, primo in parvis prætentare.

*Modicum et minimum sunt bona temporalia: Magnum et majus spiritualia.*

Jam per *modica* et *minima* Christus intelligit bona temporalia, per *magna* vero vel *majora* intelligit bona spiritualia, tum gratiam facientia, tum gratis data, uti est munus evangelizandi, *q. d.* Ut non removeamini a villicatione spirituali, ut villicus ille iniquus a villicatione temporali amotus est, vers. 2; aut etiam ut ad eam admoveamini, si necdum admoti estis, curate ut vos primo probetis in recta administratione temporalium, ut scilicet ea per eleemosynas, juxta mentem Dei Domini vestri distribuatis in pauperes: sic enim explicat Christus versu sequenti. Hactenus enim egit, ac deinceps aget de laude eleemosynæ et avaritiæ fuga. Hoc est quod ait Paulus, I *Tim.* cap. III, 5: « Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? » Porro, Christus videtur hic taxare Pharisæos infidelitatis, tam in opum dispensatione, quam in doctrina legis divinæ populo tradenda, quodque ipsi ob avaritiam indigni sint suo gradu, quia infideliter eo funguntur praveque docent populum, uti vidimus *Matth.* V et XXIII, imo eum a vero Messia avertunt. Nam contra Pharisæos hæc dici, patet ex vers. 14.

Vers. 11. 11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis? — Arabicus contrarie et affirmative habet: *Si ergo fideles fuistis in bonis iniquitatis, quis credet vobis in veritate dicenda et docenda?* Sed videtur esse mendum typographi, ac pro *fuistis* legendum negative, *non fuistis*, ut legit Noster, Græcus et Syrus. Sensus est, *q. d.* Si avare et perperam opes caducas et fallaces erogatis in pauperes, « verum, » id est opes veras, scilicet spirituales et cœlestes, puta doctrinam legis, populi instructionem, fidei et cultus Dei curam ac propagationem, quis credet vobis? Mammonam enim vocat *iniquum*, id est fallacem, caducum et falsum, quia specie et fuco verarum opum homines fallit; nec enim mentem explet, et cito perit, ac facile a furibus aliove casu eripitur, illumque opponit mammonæ vero, id est divitiis spiritualibus, quæ sunt veræ et stabiles, pretiosæ et æternæ, quæ a nemine homini invito eripi possunt, uti docet Apostolus, I *Timoth.* VI, 7. Ita Theophylactus, Euthymius, Beda hic, ac S. Irenæus, Cyprianus, Cassianus, Gaudentius, quos citat et sequitur Maldonatus.

Vers. 12. 12. Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? — Idem fere dicit, sed alia parabola vel phrasi: mammonam, quem versu præcedenti vocavit *iniquum*, hic vocat *alienum*. Porro, opes temporales vocat alienas, *primo*, quia alienæ sunt a natura rationali et spirituali, qualis est homo, cum sint inanimes et corporales, puta æneæ, aureæ, argenteæ; quare non tam hominis, quam mundi sunt opes, quas homo a mundo uti accepit in vita, sic et in morte eidem reddet. *Secundo*, respectu Dei, quia a Deo illarum non tam domini et proprietarii, quam administratores et rerum alienarum dispensatores constituti sumus, ut eas aliis egentibus juxta Dei voluntatem partiamur. Ita Titus: « Opum copiam, inquit, alieni nomine designat, quandoquidem opibus affluere, si hominis naturam spectemus, ab homine alienum est. Si cui autem adsunt, extrinsecus et quasi per accidens advenerunt. » « Sunt, ait Ambrosius, alienæ ab hominum natura, quia non sunt homini perpetuæ, neque nobiscum nascuntur, neque nobiscum transeunt. » Et S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXV: « Alienas, inquit, appellat terrenas facultates, quia nemo eas secum moriens aufert. Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus, » I *Timoth.* VI, 7. Denique Euthymius: « Alienum nominat terrenas divitias, quippe quæ apud illum non permaneant, qui est eas assecutus. » Jam S. Hieronymus, epist. 151 *ad Algasiam*, Quæst. V, sic exponit, *q. d.* « Si carnales divitias, quæ labuntur, non bene dispensatis, veras æternasque divitias doctrinæ Dei quis credet vobis? Et si in iis quæ aliena sunt (alienum autem est a nobis omne quod sæculi est), infideles fuistis; ea, quæ vestra sunt et proprie deputata homini, quis vobis credere poterit? Unde corripit avaritiam, et dicit eum qui amat pecuniam, Deum amare non posse: igitur et Apostolis, si velint amare Deum, pecunias esse contemnendas. » Alium sensum magis genuinum mox in fine hujus versus subjungam.

*Opes vocantur alienæ. Primo.* — *Secundo.*

Quod vestrum est. — Ita vocat opes spirituales et bona cœlestia, quia hæc propria sunt homini, eumque sanctificant, perficiunt, beant et in cœlum ducunt, ac in æternum cum eo permanent. « Nostrum vocat cœlestes divitias, » ait Euthymius; similiter Theophylactus: « Nostræ sunt divitiæ cœlestes et divinæ, illic noster municipatus est, eo quod homo ad imaginem Dei est conditus: pecuniæ autem et possessiones alienæ sunt; nihil enim simile illi ex his. Divinorum autem bonorum fruitio et participatio Dei, nostra sunt. »

Dices: Homines magis amant propria, ideoque magis et fidelius ea custodiunt, quam aliena, quomodo ergo contrarium hic significat Christus? Respondeo: Vis argumenti Christi patet *primo*, in sensu parabolæ, qui est, *q. d.* Si in bonis temporalibus non fuistis fideles dispensatores, quomodo eritis in spiritualibus et cœlestibus? quis ergo cœlestia et divina vobis dare audebit? *Secundo*, eadem vis patet in ipsa parabola, quia in alienis rebus administrandis homines diligentiores et cautiores esse solent, quam in propriis, tum quia in res alienas minus juris et libertatis habent quam in suas; tum quia ex justitia ad id tenentur, cum scilicet res alienæ ipsorum curæ commissæ sunt: tunc enim si pereant, ipsi damnum domino illarum præstare et resarcire debent; res vero proprias custodire non tenentur ex justitia, sed tantum ex prudentia vel charitate: quare si per eorum imprudentiam vel negligentiam pereant, ipsis pereunt nec ulli alteri eam perditam restituere tenentur; tum denique quia majori infamiæ se exponunt in alieno, quam in suo: si enim alienum eis creditum pereat, vocabuntur in suspicionem non solum infidelitatis, sed et furti. Recte ergo argumentatur Christus, dicitque: Si in alieno fuistis infideles, quod vestrum est, quis dabit vobis? *q. d.* Si infideles fuistis in opibus temporaneis, quæ a vobis quasi alienæ sunt, erogandis in pauperes, Deus non dabit vobis opes cœlestes, quæ vestræ, id est vobis destinatæ, congruæ et propriæ sunt; qui enim aliena rapit aut perdit, sua perdere meretur. Nam ut solerter advertit Dionysius Carthusianus, de bonis vitæ dixit Christus versu superiore: « Quis credet, » seu committet, quia illis utendum est, ita ut reddenda sit de usu ratio; de bonis autem patriæ seu gloriæ, hic dicit: « Quis dabit, » quia his non est utendum, non sunt hæc ulterius referenda, nec proinde de eis reddenda ratio, sed semel datis intentissime fruendum atque inhærendum. Versum sequentem de serviendo Deo et mammonæ exposui *Matth.* VI, 24.

14. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari (Græce φιλάργυροι, id est amantes argenti), et deridebant illum. — Græce ἐξεμυκτήριζον, id est subsannabant quasi contracto naso; μυκτήρ enim est nasus; atque hic est gestus fastidientis, spernentis, vafre et callide irridentis, juxta illud Horatii, lib. I *Sermon. Satyr.* 6: Vers. 14

Ignotos naso suspendis adunco.

Tales sunt nasones, nasuti et nasicæ: unde Scipio a nasi magnitudine cognominatus est Nasica:

Et pueri nasum rhinocerotis habent.

Syrus: *Pharisæi autem, cum hæc omnia audissent, propterea quod essent amantes argenti, irridebant eum.* Sic et Arabicus.

15. Et ait illis: Vos estis qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra; quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. — « Justificatis, » id est justitiam præ vobis fertis, simulatis, ostenditis, jactatis, captatis; in externis cæremoniis religiosi et scrupulosi, in internis vero cupiditatibus effrænes et irreligiosi. Deus autem novit corda vestra plena esse hypocrisi, avaritia, superbia, gula, luxuria.

Quia quod hominibus altum est (id est splendidum, magnum, mirabile, qualis est exterior species, ficta modestia, simulata pietas et sanctitas, quam præ vobis fertis, o Pharisæi), abominatio est ante Deum. — *q. d.* Simulata vestra religio, o Pharisæi, plebi simplici est admirabilis, sed abominabilis Deo, qui internam vestram hypocrisin, superbiam, avaritiam, luxuriam, etc., clare introspicit, detestatur, abominatur et execratur.

Cætera quæ apud Lucam sequuntur usque ad vers. 19, hoc loco et tempore non sunt dicta a



(1) « Cum defeceritis, » Græce ὅταν ἐκλίπητε, scil. τὸν βίον, id est, *cum vitam reliqueritis, vita functi fueritis.* Pro ἐκλίπητε, in nonnullis libris legitur ἐκλίπῃ, scil. βίος, vel μαμωνᾶς τῆς ἀδικίας. Sed lectio ἐκλίπητε anteponenda est, et præstantissimo Griesbachii, Knappii et aliorum patrocinio commendatur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Christo, sed eo quem assignat Matthæus, illaque in diversa tempora distribuit, uti videre est *Matth.* xi, 12; v, 18; xix, 9, ubi ea explicui.

19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. — Notat S. Chrysostomus, homil. *De Divite et Lazaro*, hæc pertinere ad vers. 13 de laude eleemosynæ : quare post illa statim hæc Christus subjunxisse videtur; cætera vero intermedia eo loco pronuntiasse, quo extant apud Matthæum, ut dixi. Scripsit S. Chrysostomus hac de re quatuor insignes homilias *De Lazaro*, quæ extant in fine tom. II.

Divitis epulonis et Lazari vera historia.

Homo quidam. — Quæres, an hæc sit parabola, an vera historia? Respondeo esse veram historiam : *primo*, quia Christus eam non vocat parabolam, uti facere solet in parabolis, sed narrat quasi veram historiam; *secundo*, quia mendicus hic nominatur Lazarus, dives vero epulo vocatur *Nineusis*, ut habet Hebræorum traditio, ait Euthymius; *tertio*, quia damnatio et tormenta divitis ita plane hic narrantur, ut omnino videatur esse historia; *quarto*, quia in honorem hujus Lazari quasi Sancti, et leprosorum ulcerosorumque patroni, plures vetustæ variis in locis extant ecclesiæ, ac in primis Romæ extra urbem et portam Angelicam extat ecclesia et hospitale S. Lazari pro cura leprosorum; *quinto*, quia ita censent Tertullianus, S. Irenæus, S. Chrysostomus, S. Gregorius, Clemens Alexandrinus, Origenes, Ambrosius, Euthymius, quos citant et sequuntur Franciscus Lucas, Maldonatus, Barradius, Vincentius Regius et alii; licet S. Justinus, Theophylactus, Eucherius contrarium opinentur, scilicet hanc esse parabolam, non historiam; quia scilicet in hac historia quædam parabolica et symbolica ex hominum usu inferuntur, ut de lingua divitis, de gutta aquæ, de digito Lazari, etc.

Porro, dives hic videtur fuisse Judæus, ut ex vers. 24 et 31, ubi Mosen nominat et Abraham invocat, colligit Euthymius, qui et addit Hebræos tradere illum vixisse tempore Christi ideoque de eo Christum recentem hanc narrare historiam, ut magis percellat auditores, doceatque contemnere opes et delicias exiles et breves hujus vitæ.

Induebatur purpura et bysso. — Purpura pretiosa est et augusta : unde vestis erat regum et principum. « Purpura » ergo notat divitis in vestitu luxum, æque ac fastum, quod vestiretur ut rex vel princeps; « byssus » notat ejus delicias et mollitiem; byssus enim est genus lini candidissimi et mollissimi. Audi S. Gregorium, hom. 40 *in Evang.*: « Et sunt nonnulli, qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret quod dives, qui torquebatur apud inferos, bysso et purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa, nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior cæteris esse videatur. »

Et epulabatur quotidie splendide. — Græcum εὐφραινόμενος duo significat : primo, *gaudebat, et hilaris erat*; secundo, *epulabatur*. Unde Arabicus vertit, *et jucunde vitam ducebat quotidie, et splendide vivebat*. Utrumque faciebat dives; nimirum ad epulas lautas adhibebat musicos, parasitos, odores, tibias, citharas, tripudia, et quidquid gaudium augere poterat, in eo collocans suam felicitatem, nec cogitans de altera futura, ac forte eam non credens; vivebat enim ut atheus et epicureus, juxta illud : « Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. » Quales depingit Job, xxi, 12, dicens : « Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi : ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. » Porro S. Gregorius, lib. 1 *Moral.*, cap. iv, docet convivia sine culpa celebrari non posse. « Pene enim semper, inquit, epulas comitatur voluptas. Nam cum corpus refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Unde scriptum est : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Pene semper epulas loquacitas sequitur : cumque venter reficitur, lingua non refrænatur. Unde recte dives apud inferos aquam appetere describitur. » In conviviis ergo peccatur gula, lascivia, detractione, superbia, invidia, etc.

20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus. — Arabicus : *Et pauper erat, cujus nomen Lazarus : erat projectus ad portam illius, percussus ulceribus.*

Lazarus. — « Narratio, ait S. Ambrosius, magis videtur quam parabola, quando etiam nomen exprimitur. » Et Cyrillus, in *Catena* : « Refert, ait, traditio Judæorum, fuisse tum temporis Lazarum quemdam Hierosolymis, extrema pressum inopia et infirmitate, ideoque vocatus videtur Lazarus, quasi omnium ope et adjutorio indigens, et ad illam flagitandam expositus uti exponuntur ulcerosi mendici. Mendicus, substantia pauperrimus, sed patientia et virtute ditissimus. » Ita Chrysostomus, hom. 2 *ad Populum*. Lazarus enim hebraice dicitur לעזר *laazar*, id est *ad adjuvandum*, hoc est ad adjutorium postulandum palam expositus. Unde S. Chrysostomus et Augustinus : « Lazarus, inquiunt, idem est quod adjutus, » vel potius adjuvandus; Lazarus enim omnibus objiciens sua ulcera, reipsa clamabat : Fideles, videtis meam miseriam, adjuvate me.

Jacebat. — Græce ἐβέβλητο, id est projectus erat et porrectus extensusque, quasi spirans cadaver, quod se movere nequit; unde a bajulis movetur et projicitur ante fores divitum vel templorum. Jacebat abjectus, ait Titus, neglectus, prostratus, pro nihilo habitus, omni cura omnique humano præsidio prorsus destitutus, idque assidue et quotidie per singulos dies, « ut videret eum dives, ait S. Chrysostomus, ejusque miseriam observare posset et exiens et revertens. » « Qua in re, ait S. Gregorius, *hom.* 40, Dominus duo judicia explicuit, nimirum majorem divitis immisericordis damnationem et majorem Lazari miseri probationem et remunerationem. Quantas namque, inquit, hunc egenum et vulneribus obsessum, tentationes creditis in sua cogitatione tolerasse, cum ipse egeret pane, et non haberet etiam sanitatem, atque ante se divitem cerneret salutem et delicias habere cum voluptate; se dolore et frigore affici, illum gaudere conspiceret, bysso et purpura vestiri; se deprimi vulneribus, illum affluere acceptis rebus; se egere, illum nolle largiri? Quantus, putamus, fratres mei, tunc in corde pauperis tumultus tentationis fuit, cui certe ad pœnam sufficeret paupertas, etiamsi sanus fuisset; et rursum suffecisset ægritudo, etiamsi subsidium adesset? sed ut probaretur amplius pauper, simul hunc et paupertas et ægritudo tabefecit; atque insuper videbat procedentem divitem obsequentibus cuneis circumfulciri, et se in infirmitate et inopia a nullo visitari. »

Ulceribus plenus, — non solum pauper, sed etiam æger, ait S. Gregorius. Græce εἱλκωμένος, id est ulceratus, ulceribus plenus et refertus, instar leprosi. Unde multi censent Lazarum vere fuisse leprosum; qua de causa leprosi et leprosoria hunc S. Lazarum quasi patronum colunt et invocant, ab eoque Lazari et Lazaretta nuncupantur. Opponit summæ prosperitati divitis summam afflictionem Lazari : ille enim epulo erat ditissimus, hic mendicus egentissimus; ille purpura et bysso vestiebatur, hic sanie et ulceribus purpurabatur; ille quotidie epulabatur, hic fame conficiebatur.

21. Cupiens saturari de micis quæ (casu et temere) cadebant de mensa divitis, et nemo illi (non sub mensa divitis, ut aliqui pingunt, sed ante fores ejus jacenti) dabat : sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus, — ut pure ejus fruerentur, ait Franciscus Lucas, itaque dolore non modico afficiebant nudum et imbellem. Non solent canes, nisi invitati, hominis viventis ac vigentis corpus lambere : verum ad hunc jacentem accurrebant, tanquam ad projectum nudumque cadaver, ut saniem vel sanguinem lingerent, quo libenter vescuntur. Nec vero ipse eos valebat abigere, adeo erat fractus viribus, ait S. Chrysostomus. Lazarus ergo miserior erat cane, tum quia ut canis jacebat ad fores divitis, nec tamen gaudebat micis mensæ quas colligunt canes; tum quia canes eum lingendo cruciabant, ac ipse suo sanguine pascens canes, ab eis quasi devorabatur. Alioqui canes lambendo ulcera, si moderate id faciant, illa emundant et sanant. Unde S. Chrysostomus : « Feræ mites (canes) lambunt ulcera, inquit, quæ nullus dignabatur lavare et contrectare, » multo minus dives epulo. Nam, ut ait S. Ambrosius, sunt divites conditionis humanæ immemores, rident inopes, et egentibus insultant, et quorum misereri decet, his auferunt.



S. Chrysostomus, homil. 1 *De Lazaro*, novem atroces Lazari afflictiones et cruciatus enumerat.

Cruciatus Lazari novem.

Prima. *Prima*, inquit, fuit extrema ejus paupertas, ut nec micas divitis obtinere posset. Secunda. *Secunda*, gravis ægritudo; totus enim erat ulcerosus, totus exhaustus et tabidus, « ut ne canes quidem posset abigere; sed vivum cadaver jacebat, videns quidem eos accurrentes, nequaquam tamen valens depellere, usque adeo illi membra erant soluta, usque adeo erant arefacta morbo, usque adeo consumpta erant afflictione, » ait Chrysostomus.

Tertia. *Tertia*, quod ab omnibus, etiam illis qui ei assistere debebant, erat desertus.

Quarta. *Quarta*, quod jaceret ante fores divitis quotidie splendide epulantis : aspectus enim continuus felicitatis divitis augebat sensum et dolorem infelicitatis Lazari, « quod in medio tam multorum jacens ebrietati indulgentium, suaviter viventium, a nemine vel vulgarem curam nancisceretur, id reddebat sensum dolorum duriorem, magisque incendebat animi ægritudinem, » ait Chrysostomus.

Quinta. *Quinta*, erat crudelitas divitis, qui abundans rerum copia, Lazarum tamen tam miserum cernens, præteribat quasi lapidem, nec eum aspectu vel colloquio dignabatur.

Sexta. *Sexta*, quod nullum haberet ærumnæ socium; hæc enim societas solet levare ærumnæ gravitatem, juxta illud : « Jucundum est in pœna habere socium. »

Septima. *Septima*, quod illo ævo obscura erat resurrectionis fides et spes, quæ jam post Christum clara, mire fideles in doloribus sustentat et roborat.

Octava. *Octava*, quod hæc non semel, nec uno die, sed continuo per plures dies et septimanas pateretur.

Nona. *Nona*, quod jacturam famæ toleraret; multi enim censebant illum tanta pati ob ingentia scelera sua, quasi percussum a Deo; et tamen Lazarus velut alter Job, hæc omnia forti et invicto animo, quasi adamas sustinebat. Hæc et plura Chrysostomus.

Lazaro similis in doloribus et ulceribus, æque ac in patientia fuit S. Lydwina Schiedamensis, in Hollandia, quæ anno ætatis 14 in glaciem lapsa, costam fregit, indeque ægra triginta et amplius annos decubuit, variis et continuis doloribus a Deo immissis afflicta usque ad mortem, ut ei integram patientiæ coronam pertexeret. Lege Vitam ejus apud Surium. Nimirum voluit Deus Lazarum, Job, Tobiam, Lydwinam omnibus sæculis statuere ægrotis et afflictis in speculum et exemplar patientiæ.

22. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. — « Ut moreretur, » ex morbis, et doloribus ac rerum omnium inopia.

Et portaretur, — scilicet quoad animam separatam a corpore ulceroso, honorifice duceretur :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nec enim anima est gravis, ut portari debeat, ipsaque separata a corpore se loco movere sursumque ascendere potest.

*Ministerium Angelorum animas in cœlum ferre.* Nota hic Angelorum ministerium esse animas sanctas a corpore separatas ducere in cœlum. Idem patet ex Vitis Sanctorum; nam, ut ait S. Chrysostomus, conc. 2 *De Lazaro* : « Si civitatem civitate vertentes egemus deductoribus, multo magis anima a corpore divulsa, et ad futuram transiens vitam, opus habebit viæ ducibus? » Subjunxit : « Vidistis illum in vestibulo divitis; videte eumdem hodie in sinu Abrahæ; vidistis illum cum a canibus circumlingeretur, videte eumdem ab angelis stipatum; vidistis illum tum in paupertate, videte nunc eumdem in deliciis; vidistis illum in fame, videte in multa rerum affluentia; vidistis illum certantem, videte coronatum; vidistis labores, videte præmium, quotquot estis vel divites vel pauperes. »

In sinum Abrahæ, — ut hospitem Lazarum, apud hospitalem Abraham intuitus dives, osor hospitum haberet hoc ad confusionem suæ inhospitalitatis, ait Euthymius. Nam, ut ait S. Chrysostomus, homil. 3 *De Lazaro* : « Hospitalis erat Abraham : ut igitur redarguatur divitis inhospitalitas, propterea Lazarum cum illo videt. Ille etiam prætereuntes venabatur, et in domum pertrahebat suam : hic vero etiam intra domum jacentem despexit, cumque talem thesaurum haberet, salutis parandæ materiam præteribat quotidie, nec in quod oportebat usus est pauperis propinquitate. »

*Sinus Abrahæ quid?* Quæres, quis est sinus Abrahæ, et ubi situs? Respondet S. Augustinus, lib. IV *De Anima et ejus Origine*, cap. XVI : « Sinus Abrahæ est locus quietis, in quo post mortem recipiebantur, et etiamnum recipiuntur omnes imitatores fidei et pietatis Abrahæ : qui ante Christum limbus patrum, post Christum est cœlum, quod est paradisus Beatorum. » Unde Ecclesia S. Martino accinit : « Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur : Martinus hic pauper et modicus, cœlum dives ingreditur, hymnis cœlestibus honoratur. » Et S. Augustinus, lib. IX *Confess.*, cap. III, agens de morte Nebridii : « Ille, ait, vivit in sinu Abraham. Quidquid illud est, quod illo significatur sinu; ibi Nebridius meus vivit. » Et Ecclesia pro defunctis orat Deum, ut eos transferat in sinum Abrahæ, ac det illis requiem sempiternam, « quam olim, inquit, Abrahæ promisisti et semini ejus » (1).

Dicitur sinus Abrahæ *primo*, quia filii suavissime in sinu parentum quiescunt : omnes autem fideles et Sancti dicuntur et sunt filii Abrahæ, qui primus in fide et sanctitate præ omnibus excelluit : unde et in limbo patrum cæterorum videtur fuisse primus et princeps. Hinc S. Ambrosius : « In Abrahæ gremio, ait, quasi in quodam sinu quietis et sanctitatis recessu. » Et S. Augustinus, serm. 110 *De Temp.* : « In sinu Abrahæ, inquit, id est in secretum ubi erat Abraham, sinus erat, quia secretum erat. »

*Secundo*, quia Abrahæ promissa fuit benedictio *Se.* et beatitudo hæc, et fidelibus omnibus in ipso, ut patet *Genes.* XXII, 18.

*Tertio*, quia Abraham hospitalitate excelluit; *Tertio.* hinc ab eo quasi in sinum recipi meruit peregrinus et inops Lazarus, quem inhospitalis ille dives respuit. Rationem hanc reddit D. Petrus Chrysologus, *serm.* 42 : « Abraham, inquit, cœlestis convivii principem humanitas Deo impensa perfecit. Nam quia duos cum Deo terrenam suscepit ad mensam, *Genes.* XVIII, 8, Orientis et Occidentis populum mensam suscipiet ad cœlestem. » Unde S. Chrysostomus : « Non juxta Abraham, inquit, sed in sinu Abrahæ, ut illum palparet, ut illum refocillaret, ut illum quasi clementissimus teneret in sinu suo et recrearet. »

Quia ergo Lazarus in terra fuit pauperrimus et contemptissimus; hinc in cœlo evasit ditissimus et honoratissimus. Ita S. Chrysostomus, homil. 2 *ad Populum*. Idem, epist. *ad Olympiadem* : « Lazarus, inquit, propter solam infirmitatem, similem Patriarchæ (Abrahæ) adeptus est finem. » Et superius : « Non quod pauperibus sit misertus, non quod oppressis affuerit, non quod boni forte aliquid fecerit, sed quod januæ divitis pertulit exclusionem, et debilitatem, et canum linguas, et despectum contra se divitis. »

Porro Theologi passim docent limbum patrum *Ubi situs?* fuisse supra purgatorium et infernum. Franciscus Suarez probabiliter opinatur limbum hunc non ambire circumcirca totum infernum, sed per medium semicirculi, vel circuli imperfecti; ut scilicet relinquatur quasi os aliquod inferni liberum et apertum, per quod animæ e terra immediate descendant in infernum, alioqui enim limbum patrum transire deberent. Vide Abulensem in *Paradoxis*.

Sepultus est in inferno. — « Qui prius habuerat animam crapula sepultam et defossam in corpore, » ait S. Chrysostomus, concione 2 *De Lazaro* : « Non secus enim ille, inquit, quam si catena quadam temulentiæ ac ventris ingluvie victus esset, sic otiosam illam ac mortuam reddiderat. » Pergit Chrysostomus pathetice ad vivum metamorphosin divitis depingere, et oculis subjicere; « Hic mihi, inquit, considera mensas argento circumtectas, lectos, tapetia, ornamenta, quæ tota in domo sunt, omnia unguenta, aromata, vini meri copiam, eduliorum varietates, ciborum delicias, coquos, adulatores, stipatores, famulos, ac reliquam universam pompam, strepitumque extinctum, marcidumque factum : ubique cinis,

(1) « In sinum Abrahæ; » hæc formula originem suam debet consuetudini veterum Judæorum aliorumque Orientis populorum, ad cœnam accumbendi. In sinu alicujus recumbebat is qui ei proximus ad mensam accumbebat. Solebant autem in conviviis dilectissimi in sinu ejus recumbere qui convivii princeps esset. Constat præterea Judæos, ut omnino felicitatem summam, ita quoque gaudia alterius vitæ, convivii imagine depingere solitos esse.



ubique favilla et pulvis, lamenta et luctus, nemine succurrente, neque semel egressam animam revocante. Tunc declaratur quid possit aurum, quid possint copiosæ divitiæ : siquidem ex tam frequenti famulitio nudus abductus est, et solus, nihil ex tanta beneficentia secum ferre valens, sed desertus, indefensus ac neglectus : nullus eorum qui prius auxiliabantur, aderat erepturus a pœna ac supplicio; sed ab illis omnibus divulsus, solus in se recepit, ut illa non ferenda supplicia sustineret. » Denique Theophylactus : « Dicendo, inquit, quod sepultus sit, innuat obiter Dominus, quod et anima ejus locum infimum et caliginosum sortita fuerit. »

In inferno. — id est in Purgatorio, ait Jacobus Faber Stapulensis (censet ergo ipse epulonem salvatum esse, post purgationem gulæ in igne Purgatorii). Verum hoc est paradoxum, unde alii passim infernum damnatorum hic accipiunt, asseruntque divitem hunc esse damnatum, idque satis colligitur ex versu vigesimo tertio et vigesimo quarto, et maxime vers. 26, ubi dicitur chaos magnum inter Abraham et epulonem firmatum esse : « Ut hi, inquit, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. » Et hoc significat proprie *Infernus*, et Græcum ᾅδης, quod significat locum imum et summe tenebrosum; videtur enim ᾅδης dici quasi ἀΐδης, ab α privativo, et ἰδεῖν, id est videre, quod omni visu sit privatus omnisque lucis expers. « Infernus dicit locum supplicii, » ait Euthymius. Denique omnia sequentia evincunt epulonem sepultum in inferno damnatorum.

Dices : Nullum hic legitur peccatum divitis, nisi quod quotidie sit epulatus; atqui epulari est peccatum veniale duntaxat, ideoque non inferno, sed purgatorio expiandum.

Respondeo : Epulari per se tantum est peccatum veniale, sed ex adjunctis sæpe est mortale; quia sæpe conjungitur cum ebrietate, crapula, libidine, detractione, fastu, ac præsertim immisericordia et contemptu pauperum. In hæc incidere necesse est eum qui totus servit ventri; nec enim simul potest quis servire ventri et Deo, uti dixit versu decimo nono. Quod ipsum exemplo epulonis confirmat hic Christus. Epulo ergo ob hæc peccata, sed maxime ob neglectum Lazari, damnatus est : Lazaro enim in tam gravi famis et ulcerum necessitate, sub peccato mortali succurrere tenebatur, per cibum et medicinas; quod cum non fecerit, gehennæ se reum effecit; « siquidem et hoc rapina est, non impertiri de tuis facultatibus, ait S. Chrysostomus, concione 2 *De Lazaro*; nam spoliatio quædam dicitur, cum accepta detinemus. » Idem rursus : « Non quia dives fuerat, torquetur, inquit, sed quia misertus non fuit. » Sic et Nyssenus. Audi S. Hieronymum, epist. 34 *ad Julianum* : « Divitem purpuratum gehennæ flamma suscepit. Lazarus pauper et ulceribus plenus, cujus carnes putridas lambebant canes, et vix de micis mensæ locupletis miserabilem sustentabat animam, in sinu Abrahæ recipitur et tanto Patriarcha parente lætatur. Difficile, imo impossibile est, ut et præsentibus quis et futuris fruatur bonis, ut et hic ventrem et ibi mentem impleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, ut et in cœlo et in terra appareat gloriosus. »

Hinc S. Basilius, serm. 1 *De Jejunio* : « Time, inquit, delicias; epulo enim ille non ob injustitiam, sed ob mollem vitam ardet in inferno, quia molles sibi, aliis sunt duri et crudeles : adimunt enim pauperi necessaria, ut mollia et superflua dent ventri; » sicut hic epulo fecit, non tantum Lazaro, sed et cæteris pauperibus. « Etenim, inquit S. Chrysostomus, concione 3 hic *De Lazaro*, si illum perpetuo in vestibulo prostratum, quem quotidie semel atque iterum et sæpius videre cogebatur, foras prodiens ac domum rediens, non est commiseratus, erga quem casu obviorum flexus est unquam misericordia? » Permisit ergo eos fame, frigore, morbis emori. Sic hodie videre est nonnullos divites in conviviis profusos, et in pauperes contractos, ut in unum convivium insumant trecentos aureos, in pauperes vix regalem distribuant. Qui enim toti sibi student, alios negligunt; omnia enim conferunt in suas voluptates; gula enim est avarissima dicitque : Mihi totum, et tibi nihil.

23. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus — Græce additur, ἐν τῷ ᾅδῃ, id est *in inferno*. « Elevans oculos » vidit oculis, non corporis, sed mentis, revelante et ostendente Deo, « Abraham et Lazarum in sinu ejus, » jucunde quiescentem, honoratum et gaudentem. Ostendit ergo Deus epuloni sinum Abrahæ, in eoque Lazarum, « ut non tantum, ait S. Chrysostomus, *concione* 1, natura suppliciorum, sed etiam comparatione honoris illius intolerabiliorem haberet cruciatum. » Causam dat Euthymius : « Sicut enim Lazaro, cum in tot malis positus esset, calamitatum erat augmentum divitem intueri in tot bonis; ita nunc diviti degenti in tot miseriis additio suppliciorum est, videre Lazarum in tantis bonis. »

Porro S. Gregorius, *hom.* 40, et ex eo Glossa : « Credendum est, ait, ante judicium conspici ab injustis justos quosdam in requie, ut de illorum bono crucientur; justi vero semper in tormentis injustos intuentur, ut eorum gaudium crescat, dum malum conspiciunt quod misericorditer evaserunt. »

24. Et ipse clamans : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. — « Clamans : » « Quia magna pœna magnam vocem reddebat, » ait S. Chrysostomus.

Pater Abraham. — Abraham invocat quasi pa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

em. Erat enim Judæus, ideoque prognatus ex Abraham. Sermonem non direxit ad Lazarum, ait Theophylactus, quia erubescebat et putabat eum reminisci malorum.

Mitte Lazarum. — « Erras, miser, ait Chrysostomus, Abraham mittere non potest, sed suscipere : ecce dives indiget paupere; adveniente morte et soluto spectaculo hujus vitæ, omnes, larvis egestatis et divitiarum depositis, ex solis operibus dijudicantur, quinam vere sint divites, qui pauperes. » Rursum S. Chrysostomus : « Jam itaque, ait, supplex dives factus est pauperi, rebus brevi commutatis, et qui Lazarum, cum proximus esset, præteribat, nunc procul absentem invocat. » Commutationem hanc graphice depingit Isaias, cap. LXV, vers. 13 : « Ecce servi mei comedent, et vos esurietis, » etc. Vide ibi dicta.

Ut intingat extremum digiti sui in aquam (ad aliquod licet exiguum dolorum levamen et solamen), et refrigeret linguam meam. — Quæ quia olim arsit concupiscentia gulæ et jactantiæ, inquit Chrysostomus, et loquacitatis, ait Interlinearis, idcirco nunc ardet incendio gehennæ, quia « per quæ quis peccat, per hæc et torquetur, » *Sapient.* XI, 17.

Quia crucior in hac flamma — summis et ineffabilibus tormentis, tum ardoribus incendii, tum sitis ardentissimæ. Audi Chrysologum, *serm.* 124 : « Si te, inquit, jam possidet totus ignis inferni, si te flamma gehennæ complectitur, quare solius linguæ æstibus desideras subveniri? Quia magis, inquit, lingua uritur et ardet, quæ insultavit pauperi, quæ misericordiam denegavit. » Addit Salvianus, lib. III *ad Eccles.*, divitem optasse omnibus opibus suis redimere vel unam horam cruciatus sui : « Et quid dicam, inquit, voluisse, ut interminabile illud malum redimeret facultatibus suis! Plus dico aliquid : Voluerat omnem substantiam suam tradere, ut posset in flammis unius saltem horæ requiem comparare. Quomodo non quantolibet pretio mercari requiem præoptaret, qui parvam refrigerii guttam tam magno ambitu postulabat? »

« Apte, ait S. Augustinus, serm. 110 *De Tempore*, desideravit guttam, a quo ille micam; et quantum dilexit opulentiam, non invenit misericordiam; voluit subveniri fratribus suis semper vecors, sero misericors; nihil omnino quod postulavit, accepit. » Idem, *serm.* 227 : « Divitis purpurati fuge, frater, exemplum, cujus canes pauper Lazarus suis vulneribus pavit, et micas cadentes de mensa divitis non accepit. Sed post non longum temporis intervallum mutatæ sunt vices. Pauper beatitudinem emit mendicitate, et dives supplicium facultate : ille in Abrahæ gremio ab angelis elevatur, dives vero ad inferni profunda perducitur. Totum divitis corpus flammis gehennæ consumitur, et sola lingua amplius cruciatur. Ideo sine dubio in lingua majorem sentit ardorem; quia per eum superbe loquendo contempserat pauperem. Ipsa enim lingua, quæ noluerat dicere, ut eleemosyna pauperi donaretur, gravius gehennæ flammis exuritur. O dives! qua fronte quæris guttam, qui noluisti porrigere micam? juste nunc exigeres, si dedisses. » Et inferius : « Justo judicio vicem tibi reddo, quia judicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam. » Et S. Gregorius, *hom.* 40 : « Qui vulnerato pauperi mensæ suæ vel minima dare noluit, in inferno positus usque ad minima quærenda pervenit : nam et guttam aquæ petivit, qui micas panis negavit. » Et S. Basilius, in *Catena* : « Condignum, ait, præmium redditur diviti; vice lyræ sonantis, gemitus; vice potus, desiderium stillæ. »

Quæres, quomodo hic anima epulonis separata a corpore dicitur habere linguam, æque ac anima Lazari digitum, atque sitit ardetque, ac sitim digito Lazari per aquam relevari postulat.

*Primo*, Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. II, censet animam hominis esse corpoream : quare habere suam linguam, digitos et oculos. Verum hic est error; constat enim animam hominis esse spiritalem, ac purum merumque spiritum.

*Secundo*, Hugo Ætherianus, lib. II *De Regressu animarum ex inferis*, cap. XII, putat animas separatas habere quædam simulacra corporum et membrorum, sicut speculum habet simulacra objectorum; et hæc a Christo hic vocari membra. Sic et Joannes Huartus medicus, in *Examine ingeniorum*, censet animas pati ignem, quia habent simulacra membrorum, indeque sensationem.

*Tertio*, verum dico Christum loqui parabolice de epulone, quasi corpus et membra haberet, cum tamen sola anima mersus sit in infernum; voluit enim Christus integra supplicia et præmia hominum, quæ post diem judicii habituri sunt, ob oculos ponere, præsertim quia animæ supplicia non ita cognoscimus, nisi per supplicia corporis. Adde : voluit Christus congruam significare pœnam epulonis, scilicet eum qui lingua delicata peccarat, lingua pariter puniri. Denique ignis gehennæ virtute divina sicut adurit dæmones, sic et animas hominum, uti fuse docet S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. XXVIII et sequent. Addunt nonnulli ignem gehennæ in anima damnati producere sensationem et cruciatum similem illi quem haberet in corpore, v. g. in lingua, si illi esset unita; idque animæ in Purgatorio, dum vivis sua tormenta quasi corporea repræsentarent, ab iis rogatæ, subinde confessæ sunt. Cur enim Deus non posset facere ut sentiat anima sine corpore idem, vel simile, quod sentiebat in corpore, vel quod sentiret in corpore, si illud haberet? Omnis enim sensatio animæ, etiam dum est in corpore, non est in corpore, sed in ipsa anima; anima enim sentit, videt, audit, non corpus. Vide dicta II *Corinth.* IV, 16. Unde Franciscus Lucas : Hoc intelligendum est, inquit, tali pœna affectam fuisse epulonis animam, qualem sensisset si corpore mortali igni tradito, lingua sitim passa fuisset : affligitur enim anima imaginibus rerum a corpore tractis.

Denique hæc omnia parabolice tantum significant extremam divitis miseriam et cruciatum, nam alioqui nec Beati damnatos juvare possunt, aut volunt, cum sciant id esse contra æternum Dei decretum; nec damnati id rogare aut petere queunt, vel audent : sciunt enim chaos magnum et impermeabile inter se et Beatos firmatum esse, ut ait Abraham, vers. 26, licet contrarium sentire videatur Julius Firmicus, lib. *De Erroribus profanarum religionum.*

Porro, Abraham nulla miseri divitis movetur compassione, quia voluntati et justitiæ vindictæque divinæ plane se conformat. « Justorum beatitudinem, ait Glossa, non offuscat aspecta pœna reproborum; quia cum jam compassio miseriæ non erit, minuere bonorum lætitiam non valebit. » Et S. Gregorius, *homil.* 40 : « Justorum animæ, inquit, quamvis in suæ naturæ bonitate misericordiam habeant, jam tunc auctoris sui justitiæ conjunctæ tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur. »

25. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

Fili. — « Vide, ait S. Chrysostomus, Patriarchæ bonitatem, filium vocat; non tamen præbet auxilium ei qui se remedio privaverat. » « Nam, ut ait Nyssenus, quia non fuit misertus, idcirco non exauditur, nec ejus vocibus misertus est Abraham, imo nec Deus. »

Recordare quia recepisti. — Græci addunt σὺ, tu, ad majorem emphasin, *q. d.* Tu, cum epulareris, noluisti recordari Lazari, nec Dei, nec cœli, nec gehennæ; at nunc recordare epularum tuarum, quæ te ad tartara duxerunt. « Nam, ut ait S. Gregorius hic, *homil.* 40, ad pœnam suam ei et cognitio servatur, et memoria. Cognoscit enim Lazarum quem despexit, fratrum quoque suorum meminit, quos reliquit; » « ut de visa despecti gloria, ait Glossa, et de pœna inutiliter amatorum amplius torqueatur. » Abraham vero cognovit epulationes divitis, vel Lazaro « id ei indicante, aut angelis vel spiritu Dei revelante, » ait S. Augustinus, lib. *De Cura pro mort.*, cap. XIV. Hoc enim ad statum Abrahæ, utpote patris et patriarchæ Judæorum, pertinebat.

Recepisti bona. — Græca addunt σοῦ, id est *tua* : sic et Arabicus; scilicet terrena, quæ scilicet tu vera bona æstimabas, et quasi tua ambiebas, negligens cœlestia quasi remota et a te aliena. Ita S. Gregorius, *homil.* 40 : « Mali, inquit, in hac vita bona recipiunt. Omne enim suum gaudium, felicitatem transitoriam putant. » *Secundo*, « tua, » id est tuis paucis et parvis bonis operibus quasi mercedem debita. « Significatur enim, inquit Chrysostomus, divitem, si quid boni fecit, recepisse in hoc mundo; » Lazarum vero, si quid peccavit, dedisse pœnas, *q. d.* Tu pro paucis bonis recepisti modica hujus vitæ bona; Lazarus pro paucis peccatis recepit mala. Superest ergo ut Lazarus pro reliquis patientiæ virtutumque bonis, deinceps consolationem æternam; tu vero pro reliquis epulationum tuarum sceleribus, tormenta æterna recipias. Ita S. Gregorius, *hom.* 40 : « Mala Lazari, ait, purgavit ignis inopiæ, et bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vitæ. »

*Tertio*, « tua, » *q. d.* Tu accepisti portionem bonorum tuorum in hac vita, ergo nil amplius exspectes in futura : Lazarus vero non accepit portionem bonorum ejus vitæ, ergo ei debetur portio bonorum futuræ vitæ. Sic enim Deus sortes electorum et reproborum juste per justitiam distributivam distribuit, ut electis cœlestia et æterna bona, improbis et reprobis terrena et temporalia distribuat. Quare qui abundat opibus, deliciis, honoribus in terra, metuat se iis privandum in cœlo; qui vero in terra iis caret, eadem exspectet in cœlo. Id visione pulchra revelavit Christus S. Catharinæ Senensi : obtulit ei enim duas coronas, unam auream et gemmeam, alteram spineam, jussitque alterutram quam vellet eligere; sed hac lege, ut, si eligeret in hac vita spineam, in futura gemmeam acciperet; sin in hac vita gemmeam, in futura spineam exspectaret : mox illa spineam accepit capitique impressit : unde jam nacta est gemmeam in cœlo.

Inspice imaginem æternitatis, ubi ad palmam ducit crux, ad gladium voluptas.

Ad hæc Abrahæ verba exclamat S. Bernardus, in *Declamat.* : « Expergiscimini, ebrii, et flete; terribilis enim Deus in judiciis super filios hominum. Hæccine cruciatuum causa tota, quod in hoc sæculo bona recepit? ipsa plane. Neque enim ad hoc nos de paradiso voluptatis animadversio divina ejecisse videtur, ut alterum sibi hic paradisum adinventio humana pararet. Homo ad laborem natus, si laborem refugit, non facit ad quod natus est, ad quod venit in mundum. Quid respondebit ei qui misit eum, qui instituit ut laboraret? » Perurget idipsum, et causam assignat dum subdit : « Quid dicemus ad hæc, si talis finis, et tale judicium, ut extrema gaudii luctus occupet, numquid non præferenda sunt in hoc sæculo mala bonis? quippe, nec illa vera bona, nec illa vera mala esse manifestum. Vera potius sententia Salomonis : Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. »

Et Lazarus similiter mala, — scilicet ulcera, dolores, morbos, pauperiem, famem, sitim, etc., quæ epulo et similes mundani æstimant mala; cum Lazarus et Sancti ea æstiment bona, quia sunt materia virtutis, felicitatis et gloriæ. Ita S. Thomas, in *Catena*; Chrysostomus et alii : unde



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Arabicus vertit, *Lazarus fuit in afflictionibus suis.*

NUNC AUTEM HIC CONSOLATUR (non active, sed passive, id est consolationem et gaudium accipit), TU VERO CRUCIARIS — siti, verme, igne aliisque tormentis inexplicabilibus et æternis, quæ in vita non cogitasti, sed cogitare et timere debuisti; quia pro palatio splendido habes tartarum, pro epulis bufones et dracones, pro odoribus fœtores, pro amicis et parasitis dæmones tortores et irrisores, pro musicis planctum horribilem, pro luce et sole tenebras cimmerias, pro purpura flammam, pro bysso picem et sulphur, pro sociis damnatos, qui instar canum ringentes se mutuo mordent et lacerant. Denique omnes tui sensus, omnia membra, omnes animæ vires et potentiæ, quas voluptate opplesti, jam cruciatibus sibi propriis iisque horrendis torquentur, sine fine per omnia sæculorum sæcula.

26. ET IN HIS OMNIBUS (id est, præter hæc omnia; Græce, *super hæc omnia*) INTER NOS ET VOS CHAOS MAGNUM FIRMATUM EST, UT HI QUI VOLUNT HINC TRANSIRE AD VOS, NON POSSINT, NEQUE INDE HUC TRANSMEARE. — « Chaos » idem est quod confusio, miscella, incondita rerum congeries; Græce est χάσμα, id est hiatus, vorago, barathrum, quod Noster apte vocat chaos : quia, ut ait Hesiodus, chaos est confusa quædam ab initio unitas, hians patensque in profundum. Ex eo et χαίνω Græco, nos hiare dicimus. Tale chaos erat initio mundi, ut ostendi *Genes.* I, 1. Hinc patet sinum Abrahæ, id est limbum patrum, longe distare ab inferno damnatorum, qui est in centro terræ. Unde nonnulli censent utrimque interjacere Purgatorium et limbum puerorum morientium in peccato originali.

Forte etiam diviti epuloni a Deo ad majorem ejus cruciatum per visionem imaginariam ostensus fuit sinus Abrahæ, id est locus Beatorum in cœlo, ad quem paulo post mortem Christi Abraham et Lazarus cum Christo ascensuri erant. Inter cœlum enim stellatum et terram est spatium octoginta millionum milliarium, uti ex Clavio ostendi *Genes.* cap. I; jam concava cœli stellati superficies a convexa ejusdem superficie distat aliis octoginta millionibus milliarium : hæc vero convexa a cœlo empyreo longe amplius distat. Inter infernum ergo situm in centro terræ et cœlum empyreum, chaos et quasi spatium immensum et homini impermeabile interjacet. Simile et immensum interjacet chaos cruciantis semper æternitatis.

Audi S. Cyprianum, serm. *De Ascens. Dom.*, ad finem : « Immortales, inquit, miseri vivent inter incendia, et inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives, nec erit qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, et inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, et omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Non miserebitur ultra Deus, neque tunc audiet pœnitentes : sera erit illa confessio, et cum clausa fuerit janua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium. Semel Christus descendit ad inferos, ulterius non descendet. Non ultra videbunt Deum in tenebris sigillati. Irregressibilis erit illa sententia, et immutabile judicium, et stabit damnationis hujus immobile constitutum. » Unde recte admonet S. Bernardus, serm. 73 in *Cantica* : « Ergo tu et in medio gehennæ exspectato salutem, quæ jam facta est in medio terræ. Quam tibi somnias proventuram inter ardores sempiternos facultatem veniam promerendi, cum jam transiit tempus miserendi? non relinquitur tibi hostia pro peccatis, mortuo in peccatis. Non crucifigitur iterum Filius Dei. Mortuus est semel, non jam moritur. Non descendit ad inferos sanguis, qui effusus est super terram : biberunt omnes peccatores terræ : non est quod sibi ex eo vendicent dæmones ad restinguendos focos suos, sed neque homines socii dæmoniorum. »

Mystice : S. Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, per chaos hoc a Deo firmatum accipiunt immutabilem firmitatem conditionis et separationis Beatorum a damnatis a Deo decretam et sancitam. Ex Dei enim immobili decreto fit, ut damnati in inferno quasi in carcere ferreo et obserato compacti et conclusi sint, et in æternum a Deo, cœlo, angelis, Beatis totoque mundo separati, et quasi excommunicati sint, ut nihil ab ullo consolationis accipere queant : quæ ingens est eorum pœna et extrema desolatio et desperatio, *Apocal.* XX, vers. 1; *Matth.* V, vers. 25. Nam alioqui animæ separatæ, cum sint puri spiritus, æque ac angeli, omne chaos, omnia saxa, omnia corpora sua subtilitate penetrare et pervadere queunt. Unde S. Gregorius, *hom.* 4, et ex eo Interlinearis : « Inter divitem, ait, et pauperem chaos est, quia post mortem nequeunt merita mutari, ut damnati transeant ad sortem Beatorum, aut vice versa. » Euthymius : « Hiatum, inquit, magnum dicit firmissimum Dei præceptum, tanquam ad modum hiatus prohibens horum et illorum commixtionem. » Titus : « Indicat discrimen quod inter justos et peccatores intercedit : ut enim opposite sunt illorum voluntates et studia, ita impermutabilis quoque eorumdem est status. » S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXVIII : « Significat receptis in carcere per incommutabilitatem divinæ sententiæ, nullum auxilium misericordiæ posse præberi a justis, etiamsi velint illud præbere. »

Allegorice : Lazarus jacens ad januam divitis repræsentat Christum, « qui se ad aures superbissimas Judæorum, ait S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXVIII, incarnationis humilitate dejecit, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis. Et quærens ab eis vel minima opera justitiæ, quæ suæ mensæ, hoc est suæ potestati, per superbiam non usurparent : quæ opera misericordiæ atque humilitatis quamvis minima, etsi non disciplina et perseverantia vitæ bonæ, saltem interdum vel casu facerent, sicut micæ de mensa cadere solent. Ulcera passiones sunt Domini ex infirmitate carnis, quam pro nobis suscipere dignatus est. Canes ergo qui ea lingebant, Gentes sunt, quos homines peccatores et immundos dicebant Judæi; et tamen passiones Domini in Sacramentis corporis et sanguinis ejus, per totum orbem jam suavitate lambunt devotissima. Sinu Abrahæ intelligitur secretum Patris, quo post passionem resurgens, assumptus est Dominus : quo cum portatum ab angelis ideo dictum puto, quia ipsam receptionem, qua in secretum Patris abscessit, angeli annuntiaverunt discipulis intuentibus; dicendo enim : Quid statis, aspicientes in cœlum? quid aliud dixerunt, nisi ullo modo posse oculos hominum usque in illud penetrare secretum, quo ibat Dominus, cum in conspectu discipulorum ferretur in cœlum? »

Symbolice : idem S. Augustinus ibidem : « Dives epulo, inquit, sunt superbi Judæi, purpura et byssus est dignitas regni, epulatio est splendida jactantia legis; Lazarus, id est adjutus, Gentilis vel publicanus, qui tanto magis adjuvantur, quanto minus de suis viribus præsumunt; canes, homines nequissimi, qui laudant opera mala, quæ in se alius gemens detestatur : quinque fratres, Judæi sub lege, quæ quinque libris scripta. »

Huc accedit S. Gregorius, *homil.* 40 : « Lazarus, ait, est Gentilis populus; vulnerum ruptio, est peccatorum confessio; non dantur ei micæ divitis : Gentiles enim ad cognitionem legis superbi Judæi non admittebant : canes, prædicatores et doctores, qui dum instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt; Abrahæ sinus, secreta requies : videt ibi Lazarum dives; infideles enim super se in requie fideles attendunt, idque a longe, quia per meritum eo non attingunt; ardent in lingua, quia verba legis in ore tenuerunt, sed non servaverunt. »

Tropologice S. Ambrosius : « Lazarus pauper, ait, est vir Apostolicus, pauper in verbo, locuples in fide; micæ, sunt dogmata fidei; dives epulo, est hæreticus, qui divitibus abundat sermonibus; linguam enim habet loquacem, sed mentem insipientem et aridam. »

27. ET AIT : ROGO ERGO TE, PATER, UT MITTAS EUM IN DOMUM PATRIS MEI : 28. HABEO ENIM QUINQUE FRATRES, UT TESTETUR ILLIS, NE IPSI VENIANT IN HUNC LOCUM TORMENTORUM.

Verisimile est hæc parabolice dici, uti de lingua, digito et oculis, quibus carent animæ separatæ, dixi vers. 24. Porro, parabola hæc sumpta est ex communi hominum in hac vita usu, quo fratres miseri fratribus suis cautum cupiunt, ne in eamdem vel similem miseriam incidant. Ad hoc autem hic inducitur, ut perarguat homines mundanos, qui vulgo rident, aut parvi æstimant et imminuunt pœnas inferni, eo quod inde nemo eas narraturus ad nos redierit.

MITTAS EUM, — Lazarum resumpto corpore, ut is, utpote fratribus notus, atque oculatus omnium testis, imo occasio et causa, efficacius fratres moveat ad credendum et pœnitendum. Simul significatur divitem post mortem eguisse auxilio Lazari, quem in vita contempserat. »

Porro, quomodo animæ defunctorum viventibus appareant, vide S. Augustinum, lib. *De Cura pro mortuis*; Delrium, in *Magicis*, sub finem tom. I; Petrum Thyræum, *De Apparitionibus spirituum*.

UT TESTETUR ILLIS — quam graviter hic crucier ob meam epulationem. Rursum « testetur, » id est *contestetur illos*, id est graviter moneat et adjuret eos, ut ab epulatione desistant et pœniteant, « ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. »

Dices : Damnati in extrema sunt desperatione, odio Dei et hominum, atque omnes et omnia, etiam parentes et socios execrantur, nec cuipiam, etiam amico vel fratri bene volunt; quomodo ergo dives hic optat fratres suos evadere pœnas inferni? Respondeo *primo* : Damnati nullum bonum, puta nullum virtutis naturalis, vel supernaturalis actum elicere volunt, aut valent ex summo odio Dei omnisque boni, et ex desperatione; possunt tamen velle aliquod bonum naturale, v. g. ut parentibus et fratribus suis bene sit. Unde S. Chrysostomus, Ambrosius et Theophylactus putant divitem hunc vere et sincero animo voluisse consulere fratribus, huc enim inclinat naturalis cognatio et fratrum amor : natura enim eadem manet in damnatis; actus ergo hic est actus naturæ, non virtutis, quia in actu hoc non spectant honestatem virtutis, sive bonum honestum, sed bonum naturæ duntaxat, uti faciunt animalia suos fœtus nutriendo.

Respondeo *secundo* et melius, epulonem non tam fratribus, quam sibi voluisse consulere; malum enim fratrum æstimabat suum : nam damnatio fratrum ejus damnationem et tormenta auxisset, utpote qui eis epulationis fuerat occasio et causa. Ita S. Gregorius, Lyranus et alii. Addit Cajetanus epulonem ex superbia, qua tument damnati, hoc postulasse, ut ipse, si non in se, certe in fratribus suis, esset excelsus et beatus.

Porro « dives iste, ait S. Ambrosius, serus magister esse incipit, cum nec jam discendi tempus habeat, nec docendi. »

29. ET AIT ILLI ABRAHAM : HABENT MOYSEN ET PROPHETAS, AUDIANT ILLOS. — *q. d.* Habent scripta Mosis et Prophetarum, quæ eis in synagoga legunt et explicant Scribæ et Pharisæi. Jampridem enim Moses et Prophetæ erant mortui.

30. AT ILLE DIXIT : NON (scilicet, satis est ad Vers.
eos in epulatione inveteratos convertendum : vel non audient Mosen et Prophetas, utpote jam mortuos), PATER ABRAHAM; SED SI QUIS EX MORTUIS (resurgens) IERIT AD EOS, POENITENTIAM AGENT. — Loquitur de suo sensu suoque affectu et effectu. « Sicut ipse fuerat affectus, inquit Chrysostomus, sic opinionem habet et de fratribus suis. » Id quod clarius Titus declarans, scribit : « Cur di-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ves isthæc dicit? quia ipse Prophetas nullo prorsus fructu audiverat; quæ enim ab illis prodita exstabant ea propalam contempserat fabularumque loco habuerat. Ex qua re conjecturam faciebat, suos quoque fratres ita comparatos esse. Volebat enim ita dicere : Illi nunc ratiocinantur, ut quondam ego : nempe, quis inde aliquando rediit? quis ea quæ apud inferos sunt enarravit? Eapropter si quis ex mortuorum grege ad illos accederet, non denegarent illi fidem, verum dictis illius studiose intenderent. »

31. Ait autem (Abraham) illi : Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. — Dicent enim Lazarum resuscitatum esse phantasma, vel illusionem dæmonum; Scriptura autem Moysis et Prophetarum est divina, et auctam habet auctoritatem, summamque apud fideles (quales erant Judæi) est fidei et ponderis, juxta illud S. Petri, epist. II, cap. I, vers. 19 : « Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. » Verissimum id esse patet ex resuscitatione alterius Lazari et Christi ipsius; utramque enim calumniati sunt Judæi, nec ob eam in Christum credere voluerunt, *Lucæ* XVII. Simili modo Petrus, triennalis mortuus a S. Stanislao, Episcopo Cracoviensi, suscitatus, ut testimonium coram Boleslao rege perhiberet, sibi ab eo venditum fuisse agrum; eo perhibito, cum multi eum interrogarent de rebus alterius sæculi, nihil respondit, nisi hoc : « Habetis Moysen et Prophetas; non ad evangelizandum, sed ad testificandum missus sum. » Ita habet Breviarium Polonicum, die 13 maii. Dives ergo omnium quæ petiit tulit repulsam, quia scriptum est : « Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur, » *Proverb.* XXI, 13.

Mortuus triennalis resuscitatus.

Moraliter : ex hac parabola, vel potius historia, discimus *primo*, Deum distribuisse sortes hominum, ac fecisse ut hi sint divites, illi pauperes; quisque ergo sua sorte, in qua a Deo positus est, contentus vivat, ac pauperes per fortem inopiæ tolerantiam, divites vero per largam beneficentiam succurrendo pauperibus cœlum promereantur. Hac enim historia Christus vult probare id quod dixit vers. 9 : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. » Ideo enim dives ab Abraham et Lazaro non est receptus, quia non fecit eleemosynam.

*Secundo*, pauperes, mendicos, ulcerosos despici non debere, sed suscipi et juvari; quia, ut ait S. Gregorius, *hom.* 40; « Quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat, ac sæpe latet margarita in sterquilinio, » id est virtus et sanctitas latet in corruptibilitate corporis et abjectione paupertatis. Exemplum addit S. Gregorius S. Romulæ, quæ in paupertate et paralysi moriens, cum angelorum choro et concentu evecta est in cœlum. Additque : « Quotidie Lazarum si quærimus, invenimus quotidie Lazarum; et si non quærimus, cernimus. Ecce importune se pauperes offerunt, rogant nos, qui tunc pro nobis intercessores veniunt. Certe nos omnino rogare debuimus, sed tamen rogamur. Videte si negare debemus quod petimur, quando patroni sunt qui petunt. »

S. Romu[illegible]

*Tertio*, divites in suis divitiis non debere confidere, superbire, epulari et lascivire; utpote quæ caducæ et breves sunt, ac in morte relinquendæ : quare eis cor non apponant, sed in Deo illud figant, Deique amore in pauperes illas expendant. Plura vide apud S. Chrysostomum, homiliis quatuor *De Lazaro*, in fine tomi II; S. Gregorium, hom. 40 *in Evang.*; S. Augustinum, serm. 140 et 227 *De Tempore*.

# CAPUT DECIMUM SEPTIMUM

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, docet Christus cavendum esse scandalum pusillorum, dandam veniam peccanti, fidem accendam, ut possit transferre montes. Secundo, vers. 7, per parabolam, vel potius exemplum familiare, docet utlicet bona faciamus, tamen æstimemus nos servos inutiles, quia quod debuimus facere, fecimus. Tertio, vers. 11, curat decem leprosos, jubetque ut ostendant se sacerdotibus. Quarto, vers. 20, quærenti quando veniet regnum Dei? describit suum adventum ad judicium; aitque eum fore inopinatum, uti fuit diluvium tempore Noe, et incendium Sodomæ tempore Lot. Quare ad eum omnes sancte vivendo se comparare debere, quia ex eodem loco unus tunc assumetur, alter relinquetur.*

*Primam partem audivimus* Matth. XVIII, 7 et 21, et Matth. XVII, 19; *quartam*, Matth. XXIV, 23 et seq. *Superest ergo hic secunda et tertia explicandæ.*

1. Et ait ad discipulos suos : Impossibile est ut non veniant scandala; væ autem illi per quem veniunt. 2. Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis. 3. Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. 4. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me; dimitte illi. 5. Et dixerunt Apostoli Domino : Adauge nobis fidem. 6. Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare et transplantare in mare, et obediet vobis. 7. Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi : Statim transi, recumbe; 8. et non dicat ei : Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi donec manducem et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes? 9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat? 10. Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. 11. Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam. 12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe; 13. et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri. 14. Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. 15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, 16. et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens : et hic erat Samaritanus. 17. Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? 18. Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. 19. Et ait illi : Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit. 20. Interrogatus autem a Pharisæis : Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit : Non venit regnum Dei cum observatione; 21. neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. 22. Et ait ad discipulos suos : Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis. 23. Et dicent vobis : Ecce hic, et ecce illic. Nolite ire, neque sectemini. 24. Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo in ea quæ sub cœlo sunt, fulget : ita erit Filius hominis in die sua. 25. Primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac. 26. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit in diebus Filii hominis. 27. Edebant, et bibebant; uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem qua intravit Noe in arcam; et venit diluvium, et perdidit omnes. 28. Similiter sicut factum est in diebus Lot : edebant, et bibebant; emebant, et vendebant; plantabant, et ædificabant; 29. qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo, et omnes perdidit : 30. secundum hæc erit qua die Filius hominis revelabitur. 31. In illa hora, qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa; et qui in agro, similiter non redeat retro. 32. Memores estote uxoris Lot. 33. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam; et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam. 34. Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et alter relinquetur; 35. duæ erunt molentes in unum : una assumetur, et altera relinquetur; duo in agro : unus assumetur, et alter relinquetur. 36. Respondentes dicunt illi : Ubi Domine? 37. Qui dixit illis : Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ.



5. Et dixerunt Apostoli Domino : Adauge nobis fidem. — Dixerunt hoc Apostoli, postquam non potuissent ejicere dæmonium lunaticum, idque ob parvam eorum fidem, ut ait Christus : tunc ergo majorem petiverunt, dicentes : « Adauge nobis fidem, » ut patet ex hoc loco collato cum iis quæ dicit Matthæus, XVII, 19; utrobique enim Christus idem respondet, vim fidei ut grani sinapis tantam esse, ut transferat montes.

6. Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem sicut granum sinapis (quod parvum quantitate, potestate est magnum, ait Chrysostomus; insinuat ergo minimum fidei magna posse; et Beda : Fides perfecta, ait, est granum sinapis : in facie est humilis, in pectore fervens), dicetis huic arbori (vicinæ, quam ostendebat Christus) moro : Eradicare, et transplantare in mare, et obediet vobis. — Pro *moro*, Matthæus XVII, 19, habet mo[illegible]

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ves isthæc dicit? quia ipse Prophetas nullo prorsus fructu audiverat; quæ enim ab illis prodita exstabant ea propalam contempserat fabularumque loco habuerat. Ex qua re conjecturam faciebat, suos quoque fratres ita comparatos esse. Volebat enim ita dicere : Illi nunc ratiocinantur, ut quondam ego : nempe, quis inde aliquando rediit? quis ea quæ apud inferos sunt enarravit? Ea propter si quis ex mortuorum grege ad illos accederet, non denegarent illi fidem, verum dictis illius studiose intenderent. »

31. AIT AUTEM (Abraham) ILLI : SI MOYSEN ET PROPHETAS NON AUDIUNT, NEQUE SI QUIS EX MORTUIS RESURREXERIT, CREDENT. — Dicent enim Lazarum resuscitatum esse phantasma, vel illusionem dæmonum; Scriptura autem Mosis et Prophetarum est divina, et sanctam habet auctoritatem, summæque apud fideles (quales erant Judæi) est fidei et ponderis, juxta illud S. Petri, epist. II, cap. I, vers. 19 : « Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. » Verissimum id esse patet ex resuscitatione alterius Lazari et Christi ipsius; utramque enim calumniati sunt Judæi, nec ob eam in Christum credere voluerunt, Lucæ XVII. Simili modo Petrus, triennalis mortuus a S. Stanislao, Episcopo Cracoviensi, suscitatus, ut testimonium coram Boleslao rege perhiberet, sibi ab eo venditum fuisse agrum; eo perhibito, cum multi eum interrogarent de rebus alterius sæculi, nihil respondit, nisi hoc : « Habetis Moysen et Prophetas; non ad evangelizandum, sed ad testificandum missus sum. » Ita habet Breviarium Polonicum, die 13 maii. Dives ergo omnium quæ petiit tulit repulsam, quia scriptum est : « Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur, » Proverb. XXI, 13.

Mortuus triennalis resuscitatus.

Moraliter : ex hac parabola, vel potius historia discimus primo, Deum distribuisse sortes hominum, ac fecisse ut hi sint divites, illi pauperes; quisque ergo sua sorte, in qua a Deo positus est, contentus vivat, ac pauperes per fortem inopiæ tolerantiam, divites vero per largam beneficentiam succurrendo pauperibus cœlum promereantur. Hac enim historia Christus vult probare id quod dixit vers. 9 : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. » Ideo enim dives ab Abraham et Lazaro non est receptus, quia non fecit eleemosynam.

Secundo, pauperes, mendicos, ulcerosos despici non debere, sed suscipi et juvari; quia, ut ait S. Gregorius, hom. 40; « Quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat, ac sæpe latet margarita in sterquilinio, » id est virtus et sanctitas latet in corruptibilitate corporis et abjectione paupertatis. Exemplum addit S. Gregorius S. Romulæ, quæ in paupertate et paralysi moriens, cum angelorum choro et concentu evecta est in cœlum. Additque : « Quotidie Lazarum si quærimus, invenimus quotidie Lazarum; et si non quærimus, cernimus. Ecce importune se pauperes offerunt, rogant nos, qui tunc pro nobis intercessores veniunt. Certe nos omnino rogare debuimus, sed tamen rogamur. Videte si negare debemus quod petimur, quando patroni sunt qui petunt. »

[illegible]

Tertio, divites in suis divitiis non debere confidere, superbire, epulari et lascivire; utpote quæ caducæ et breves sunt, ac in morte relinquendæ : quare eis cor non apponant, sed in Deo illud figant, Deique amore in pauperes illas expendant. Plura vide apud S. Chrysostomum, homiliis quatuor De Lazaro, in fine tomi II; S. Gregorium, hom. 40 in Evang.; S. Augustinum, serm. 140 et 227 De Tempore.

# CAPUT DECIMUM SEPTIMUM

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, docet Christus cavendum esse scandalum pusillorum, dandam veniam peccanti, fidem augendam, ut possit transferre montes. Secundo, vers. 7, per parabolam, vel potius exemplum familiare, docet ut licet bona faciamus, tamen æstimemus nos servos inutiles, quia quod debuimus facere, fecimus. Tertio, vers. 11, curat decem leprosos, jubetque ut ostendant se sacerdotibus. Quarto, vers. 20, quærenti quando veniet regnum Dei? describit suum adventum ad judicium; aitque eum fore inopinatum, uti fuit diluvium tempore Noe, et incendium Sodomæ tempore Lot. Quare ad eum omnes sancte vivendo se comparare debere, quia ex eodem loco unus tunc assumetur, alter relinquetur.*

*Primam partem audivimus* Matth. XVIII, 7 et 21, et Matth. XVII, 19; *quartam*, Matth. XXIV, 23 et seq. *Superest ergo hic secunda et tertia explicandæ.*

1. Et ait ad discipulos suos : Impossibile est ut non veniant scandala; væ autem illi per quem veniunt. 2. Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projicia-



tur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis. 3. Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. 4. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me; dimitte illi. 5. Et dixerunt Apostoli Domino : Adauge nobis fidem. 6. Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare et transplantare in mare, et obediet vobis. 7. Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi : Statim transi, recumbe; 8. et non dicat ei : Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi donec manducem et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes? 9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat? 10. Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. 11. Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam. 12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe; 13. et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri. 14. Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. 15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, 16. et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens : et hic erat Samaritanus. 17. Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? 18. Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. 19. Et ait illi : Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit. 20. Interrogatus autem a Pharisæis : Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit : Non venit regnum Dei cum observatione; 21. neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. 22. Et ait ad discipulos suos : Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis. 23. Et dicent vobis : Ecce hic, et ecce illic. Nolite ire, neque sectemini. 24. Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo in ea quæ sub cœlo sunt, fulget : ita erit Filius hominis in die sua. 25. Primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac. 26. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit in diebus Filii hominis. 27. Edebant, et bibebant; uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem qua intravit Noe in arcam; et venit diluvium, et perdidit omnes. 28. Similiter sicut factum est in diebus Lot : edebant, et bibebant; emebant, et vendebant; plantabant, et ædificabant; 29. qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo, et omnes perdidit : 30. secundum hæc erit qua die Filius hominis revelabitur. 31. In illa hora, qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa; et qui in agro, similiter non redeat retro. 32. Memores estote uxoris Lot. 33. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam; et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam. 34. Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et alter relinquetur; 35. duæ erunt molentes in unum : una assumetur, et altera relinquetur; duo in agro : unus assumetur, et alter relinquetur. 36. Respondentes dicunt illi : Ubi Domine? 37. Qui dixit illis : Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ.

5. ET DIXERUNT APOSTOLI DOMINO : ADAUGE NOBIS FIDEM. — Dixerunt hoc Apostoli, postquam non potuissent ejicere dæmonium lunaticum, idque ob parvam eorum fidem, ut ait Christus : tunc ergo majorem petiverunt, dicentes : « Adauge nobis fidem, » ut patet ex hoc loco collato cum iis quæ dicit Matthæus, XVII, 19; utrobique enim Christus idem respondet, vim fidei ut grani sinapis tantam esse, ut transferat montes.

6. DIXIT AUTEM DOMINUS : SI HABUERITIS FIDEM SICUT GRANUM SINAPIS (quod parvum quantitate, potestate est magnum, ait Chrysostomus; insinuat ergo minimum fidei magna posse; et Beda : Fides perfecta, ait, est granum sinapis : in facie est humilis, in pectore fervens), DICETIS HUIC ARBORI (vicinæ, quam ostendebat Christus) MORO : ERADICARE, ET TRANSPLANTARE IN MARE, ET OBEDIET VOBIS. — Pro moro, Matthæus XVII, 19, habet [illegible]

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

Morus arbor [illegible] sapientissima; unde dicta? utrumque ergo dixit Christus. Allegorice morus dicitur quasi μῶρος, id est stulta arbor per antiphrasin, quia arborum est sapientissima; nam non emittit flores nisi transacto frigore, ne ab illo decutiantur. Morus ergo significat Evangelium crucis Christi, quod Gentilibus videtur stultitia, fidelibus autem est Dei virtus et sapientia, I *Cor.* II. Unde S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evangel.*, Quæst. XXXIX : « Dicant ergo, ait, illi servi per sinapis granum huic arbori moro, hoc est ipsi Evangelio crucis Dominicæ, per poma sanguinea, tanquam vulnera in ligno pendentia, victum populis præbituro : dicant ergo illi ut eradicetur de perfidia Judæorum, et in mare Gentium transferatur atque plantetur; hac enim domestica servitute esurienti et sitienti Domino ministrabunt. »

Sic et Beda : Morus, ait, cujus colore sanguineo fructus et virgulta rubent, est Evangelium crucis, quæ per fidem Apostolorum, de Judæis, ubi velut in stirpe generis tenebatur, verbis prædicationis eradicata, et in mari Gentium plantata est. Addit Glossa : Folia mori subjecta serpenti fili necem inferunt; sicut verbum crucis cuncta animæ noxia et venenata perimit. Ex adverso S. Ambrosius, Chrysostomus et Glossa per morum accipiunt diabolum, quem fides Christi expellit et in abyssum præcipitat. Audi S. Ambrosium : « Fructus ejus (mori) primum albet in flore, deinde jam formatus irrutilat, maturitate nigrescit. Diabolus quoque ex albenti angelicæ flore naturæ et potestate, rutilante prævaricatione dejectus, tetro inhorruit odore peccati. En tibi illum arbori moro dicentem : Eradicare, et jactare in mare; cum legionem ejicit ex homine, in porcos transire permittit; qui exagitati diabolico spiritu, se in maria demerserunt. »

Audi S. Chrysostomum, in *Catena* : Ut mori frondibus vermes (bombices, ex frondibus mori nentes sericum) aluntur, sic diabolus per cogitationes ab eis exortas, alit in nobis vermem perpetuum : sed hanc morum potest fides ab animabus evellere et in abyssum demergere.

Denique Arabicus pro *moro* vertit *sycamino*, id est sycomoro, de qua cap. XIX, 4. Porro, Christus vim fidei extollit, ut Apostolis ejus acuendæ et augmentum postulandi majus desiderium injiciat; volebat enim postulantibus augere fidem, qui postulandi mentem et desiderium eis injecerat. Unde et postea eis fidem adauxit, præsertim cum Spiritum Sanctum in eos misit in Pentecoste. Hinc et vi excellentis fidei tam mira et tot miracula patrarunt, totumque orbem converterunt. Quare ne in tantis operibus superbiant, et vane glorientur, Christus sequenti parabola docet eos humilitatem, ut dicant : Servi inutiles sumus.

Vers. 7. Parabola servi de agro colendo regressi. 7. QUIS AUTEM VESTRUM HABENS SERVUM ARANTEM AUT PASCENTEM (oves vel boves, uti legit S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, Quæst. XXXIX), QUI REGRESSO DE AGRO DICAT ILLI : STATIM TRANSI (intra in triclinium; Arabicus, *ascende*) ET RECUMBE, — et accumbe mensæ, comede, vires restaura. Retundit hic Christus vanam gloriam Apostolorum, ut fide excelsa, mira et stupenda patrantes, in iis non glorientur, sed Deo, cujus est propria, omnem operum gloriam ascribant. « Jactationis affectum evellit, ait Euthymius, qui boni operationem consequitur. » Servum, non mancipium, ut volunt hæretici, sed mercenarium, qui ultra operas pactas, vel ab hero præceptas, potest aliud servitium, ad quod non obligatur, hero impendere.

Ubi nota hæreticos hoc loco abuti contra bonorum operum merita; sed immerito. Nam hic servus vere mercedem diurnam, ei ex pacto debitam merebatur, ut patet, sed non merebatur ut herus ei gratias ageret; quia non solent heri servis, quibus mercedem laboris persolvunt, agere gratias; hæc enim aguntur operi gratuito et gratis præstito : agimus enim gratias pro beneficio, quod gratis nobis confertur : ergo et nos qui servi Dei sumus, per opera a Deo præcepta, si ea præstemus, meremur vitam æternam; sicut servus mercenarius laborans per diem meretur mercedem diurnam, ut patet *Marc.* IX, 41; *Matth.* X, 41; *Apoc.* XI, 18, et alibi : licet enim opera nostra, quatenus nostra sunt, sint parvi et quasi nullius pretii; tamen quatenus manant ex gratia Christi, ideoque Christi capitis nostri sunt opera; hinc magni sunt valoris et meriti, adeoque æternam gloriam merentur : gratia enim est semen gloriæ; præsertim quia Deus ex bonitate sua immensa, operibus nostris ex gratia Christi factis, gloriam sempiternam promittere dignatus est.

8. ET NON DICAT EI : PARA QUOD COENEM, ET PRÆCINGE TE, ET MINISTRA MIHI, DONEC MANDUCEM ET BIBAM, ET POST HÆC TU MANDUCABIS ET BIBES?

9. NUNQUID GRATIAM HABET SERVO ILLI, QUIA FECIT QUÆ EI IMPERAVERAT? — Id est, puto quod non gratias aget servo : « Quia servo incumbit necessitas ut faciat Domini mandata, » ait Theophylactus. Sic nobis incumbit necessitas faciendi omnia quæ præcepit Deus, et novis semper studiis augendi priora, ait Beda. Sensus ergo est, *q. d.*, ait S. Ambrosius : « Sicut tu non solum dicis servo tuo : Recumbe, sed exigis ab eo aliud ministerium, et gratias ei non agis; ita nec in te patitur Dominus unius usum esse operis aut laboris, quia dum vivimus, debemus semper operari. Ergo agnosce te esse servum plurimis obsequiis defœneratum. Non te præferas, quia filius Dei diceris : agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura; neque te jactes si bene servisti, quod facere debuisti. Obsequitur sol, obtemperat luna, serviunt angeli. »

10. SIC ET VOS, CUM FECERITIS OMNIA QUÆ PRÆCEPTA SUNT VOBIS, DICITE : SERVI INUTILES SUMUS, QUOD DEBUIMUS FACERE, FECIMUS. — « Væ enim nobis si non fecissemus, » inquit S. Bernardus, serm. 4 in Psalm. *Qui habitat.* Sic Apostolus I *Cor.* IX, 16, ait : « Væ mihi est si non evangelizavero, » quia Deus præcepit mihi ut evangelizem.

Cur servum inutilem se dicat is qui aliquid meruit. Objiciunt hæretici : Christus hic suos fideles vocat servos inutiles, ergo ipsi suis meritis nil merentur, imo nil boni faciunt, quia nil utilitatis afferunt. Respondeo, antecedens esse falsum. Christus enim su⁄e famulos non vocat inutiles, imo Matthæus, XXV, 23, ait : « Euge, serve bone et fidelis, quia sup²e pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui; » sed monet ut quisque fidelis se ipsum vocet servum inutilem, ad vitandam vanam gloriam, et ad majus humilitatis incrementum, æque ac meritum, ut docent S. Ambrosius et S. Chrysostomus, Theophylactus, Beda et passim alii : idque hoc sensu, non ficto et simulato, sed vero et sincero; quod scilicet implendo Dei præcepta duntaxat, nihil peculiare, nihil insigne, illustre et eximium fecerit, sed tantum id quod ex lege Dei facere debebat et ad quod sub pœna peccati obligabatur. Ideo ergo inutilis est et dicitur, quia sola præcepta complevit, consilia vero et opera supererogationis omisit, ut explicat ipse Christus, dicens : « Omnia quæ præcepta sunt; » et : « Quod debuimus facere, fecimus; » ac proinde talis communem tantum observationis præceptorum mercedem, non vero eximiam illam observationis consiliorum Evangelicorum gloriam, coronam et aureolam assequitur, ut ait Paulus, cujus verba mox citabo.

Porro, cum nos humiliter dicemus : « Servi inutiles sumus; » tunc dicet Christus : « Euge, serve bone et fidelis, » etc., ait S. Chrysostomus.

Unde S. Bernardus, tract. *De Præcepto et dispens.*, longiuscule ante finem, sic explicat : « Servi inutiles sumus, quæ facere debueramus, fecimus. Ac si dicat : Si solis contenti estis præceptis et traditionibus impositæ legis, et non sponte etiam perfectionis vos consiliis et suasionibus mancipatis, liberi quidem estis a debito, non tamen pro merito gloriosi; evasistis pœnam, sed non acquisistis coronam. »

Hoc est quod Apostolus gratis evangelizans, cum posset alimenta a fidelibus exigere, I *Cor.* cap. IX, vers. 15, vocat gloriam suam; nam ipse subdit : « Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit, etc. Quæ ergo merces mea (insignis et illustris?) ut Evangelium prædicans, sine sumptu (gratis) ponam evangelium. »

*Secundo*, etiam Paulus cæterique Apostoli et Religiosi observantes non tantum præcepta, sed et consilia Christi, vere dicere possunt : « Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. » *Primo*, quia Deo debemus animam, corpus, vitam et quidquid habemus, quod nunquam exsolvere possumus, quidquid boni agamus. Hoc enim debitum est infinitum, estque multiplex, sed maxime quadruplex. Primum est debitum



creationis; ex nihilo enim a Deo creati, totum quod sumus, debemus Deo creatori. Unde Plato in *Phædone* ait hominem esse unam e possessionibus Dei. Audi S. Bernardum, serm. *De Quadruplici debito* : « Ecce, ait, in januis est, qui fecit cœlum et terram, et creator tuus est, tu creatura; tu servus, ille dominus; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes, illi præcipue Domino, qui et te fecit, et benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis viribus serviendum, n⸗ ⸗orte indignationis oculo te respiciat et despiciat, et conterat in æternum. »

Secundum est debitum emptionis et redemptionis; Christus enim nos a morte, peccato et gehenna emit et redemit pretio sanguinis sui : sumus ergo servi emptitii, imo mancipia Christi. Unde Apostolus : « Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in cordibus vestris, » I *Cor.* VI, 20. Audi S. Bernardum, *serm.* jam citato : « Primo, inquit, Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro tua, et cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. » Addit deinde multa in hanc sententiam, quæ sic ad extremum concludit omnia : « Cum ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? » Idem Bernardus, tract. *De Dilig. Deo* : « Si totum me debeo, ait, pro me facto, quid addam jam pro refecto, et refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quam factus. Nam qui me semel et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto, et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura; nec tantum dura, sed et indigna. In primo opere me mihi dedit; in secundo se; et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus, me pro me debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? »

Tertium est, quia in baptismo abrenuntiantes Satanæ, nos totos mancipavimus obsequio Christi, in eoque ipse nos regenerans, fecit homines novos et divinos, qui essent templum Dei et Spiritus Sancti.

Quartum, quia ipse est principium et finis noster ultimus, ad quem omnes actiones dirigere debemus. Ipse enim promisit nobis cœlestem felicitatem et gloriam sempiternam, quæ non est alia quam visio et fruitio Dei. Vide Hieronymum Platum, lib. I *De Bono status relig.*, cap. II et IV, ubi septem titulos servitutis nostræ recenset, ob quos non sumus nostri juris, sed Dei et Christi.

His adde « inutiles servos » nos esse respectu Dei; Deo enim, utpote immenso, ditissimo et felicissimo, nil utilitatis afferre possumus. Unde S. Augustinus, in *Psal.* XXXIV : « Possideat te, inquit, ut possideas illum. Eris prædium ipsius, eris domus ipsius. Possidet ut prosit, possidetur

ut prosit. Numquid ut aliquid ei tu prosis? Nam dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. »

Rursum « inutiles, » quia in multis peccamus, ac sic multa opera nostra vel negligentia, vel vana gloria, vel alio vitio infecta sunt. Ad hæc actiones nostræ, si in se præcise, uti ab homine manant, spectentur, inutiles sunt ad promerendam Dei gratiam et gloriam, juxta illud Apostoli, I Corinth. cap. IV : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. » Ita S. Augustinus, cujus verba mox citabo. Denique actiones nostræ omnes valoris et meriti dignitatem habent a gratia et promissione Dei, atque nobis, non Deo utiles sunt. Unde Arabicus vertit, *equidem nos servi futiles sumus; fecimus enim quod nostra intererat.* Hinc rursum pro « inutiles, » Græce est ἀχρεῖοι, id est inutiles, irriti, infirmi, defatigati, inepti, inhabiles, vani, nullius bonæ frugis, hebetes, nequam. « Cum bonus sit Deus, ait Euthymius, servis tanquam mercenariis utitur, et servitutem eorum mercede rependit, ac debitum obsequium tanquam facinus egregium suscipit; et præmium tribuit, quod labores etiam excedat. » Similiter Cyrillus, in *Catena* : « Sic et Deus petit quidem a nobis famulatum jure servitii, verum quia clemens et bonus est, honores laborantibus pollicetur, et supereminet sudoribus subjectorum benevolentiæ magnitudo. Vincit namque bonitas ejus id quod justum et æquum est. » Hæc Cyrillus.

Id faciebant monachi Alpenses, ad quos ita scribit S. Bernardus, *epist.* 132 : « Inutiles vos reputatis, et humiles inventi estis. Recta facere et inutilem se reputare, apud paucos invenitur, et ideo multi admirantur. Hoc, inquam, hoc prorsus vos de illustribus reddit illustriores, sanctiores de sanctis, et ubicumque divulgatus est sermo iste, replevit omnia odore suavitatis. » Nam, ut idem ait, serm. 42 *in Cant.* : « Humilitas tanquam nardus spargit odorem suum, amore calens, devotione vigens, opinione redolens. »

Porro S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evangel.*, Quæst. XXXIX, aliter explicat; pro *inutiles* enim vertit, *supervacui*, id est qui expleto omni opere jam quasi vacui exspectant mercedem et gloriam sempiternam, quæ omnem laborem operumque valorem et dignitatem longe superat et transcendit. « Servi, ait, supervacui sumus, quod debuimus facere, fecimus, nihil in nobis operis restat : cursum consummavimus, agonem perfecimus; superest nobis corona justitiæ : omnia enim dici possunt de illa ineffabili perfruitione veritatis; et tanto magis omnia dici possunt, quanto minus aliquid digne dici potest : nam et lux est illuminatorum, et requies exercitatorum, et patria redeuntium, et esca indigentium, et corona vincentium, et quæcumque bona temporaliter transeuntia, per creaturarum partes error appetit infidelium veriora, et in æternum manentia, in creatore omnium, simul inventura est pietas filiorum. »

Hinc infert Theophylactus : « Si, ait, cum omnia mandata fecerimus, neque tunc debemus magnum quid sentire : quantum peccamus, cum maximam partem mandatorum non perficimus, et nihilominus extollimur? »

11. Et factum est, dum iret (e finibus Cæsareæ Philippi aut Paneadis, ut patet *Matth.* XVII, 21) in Jerusalem (ad festum Tabernaculorum, ut liquet *Joan.* cap. VII, vers. 2), transibat per mediam Samariam et Galilæam. — Hæ enim erant in recto itinere eunti a Cæsarea in Jerusalem. Samariæ meminit, ut suggerat rationem, quare inter decem leprosos a Christo, ut sequitur, curatos, unus fuerit Samaritanus : quia scilicet Christus transibat per Samariam, ac licet male a Samaritanis exceptus, imo hospitio exclusus in uno eorum vico, cap. IX, vers. 33, Samaritanum tamen curare voluit, ut pro maleficio rependeret beneficium. Vide Chronotaxin, quam Commentario huic præposui, n. 38.

Vers. 12. Decem leprosi sanati.

12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe. — « Cum ingrederetur, » id est cum jam esset ingressurus. Leprosi enim, tanquam immundi, non poterant ingredi urbes, oppida et castella, ne oppidanis suam lepram, æque ac immunditiem legalem (quæ in lege veteri contrahebatur ex contactu leprosi et immundi) afflarent; ut patet *Num.* V, 2; quare ante castellum occurrerunt Christo. Ita Theophylactus. Simili modo videmus jam leprosos non degere in urbibus, sed ante urbes erigi eis domum in via publica, in qua habitent, et eleemosynam a transeuntibus petant. « Decem viri leprosi, quos morbi communicatio adunaverat, » ait Euthymius, nam alioqui « Judæi non coutuntur Samaritanis, » *Joan.* IV, 9. Videntur hi decem leprosi conspirasse, ut simul Jesu occurrerent, ac communi voce sanitatem flagitarent, itaque quasi manu facta Jesu clementiam expugnarent. Porro in Judæa, æque ac in Ægypto abundant leprosi, ob ingentes regionis calores, ait Galenus.

Steterunt a longe, — quasi immundi, et extra cœtum mundorum, ne eum suo halitu inficerent, ablegati.

Tropologice : lepra est concupiscentia, hæresis et peccatum quodlibet, uti ostendi *Levit.* XIII et XIV, et *Matth.* VIII, 2.

Lepra quid.

Vide Guilielmum Ader medicum, lib. *De Ægrotis Evangelicis*, part. III, quæ est de elephantiasi, sive de lepra, ubi eam ex materia et causa efficiente sic definit : Lepra est morbus contagiosus totius corporis, sed maxime externarum partium, scilicet musculorum et cutis, ex humoris melancholici assatione, exustione et mala qualitate proveniens. Signa ejus æquivoca et generalia, ideoque minus certa dat sexdecim. *Primum*, inquit, est durities et carnium tubercula. *Secundum*, est color tenebrosus, quem medici vocant morphæatum. *Tertium*, pilorum casus et decidentia. *Quartum*, musculorum manus, maxime pollicis, consumptio et tabes : pollici enim tota manus innititur; unde inepte, inquit, pollice excisos, indeque animosa vi cordis carentes, timidosque vocant *poltruncos*, italice *poltroni*, gallice *poltrons*. *Quintum*, est stupor et abolitus sensus partium extremarum. *Sextum*, scabies et impetigines. *Septimum*, grandines et tubercula sub lingua, a retorrido calore humido ex humore crasso congesta, ut et illic varicosæ venæ : unde lingua intumescit. *Octavum*, ardor et cutis punctura ac prurigo. *Nonum*, cutis crispa, qualis est anserum. *Decimum*, unctuosa cutis, quæ aspersam aquam cito respuit. *Undecimum*, infebricitatio, sive quod febre careant. *Duodecimum*, si sint astuti, dolosi, mendaces et furiosi. *Decimum tertium*, insomnia cum pavore formidolosa. *Decimum quartum*, pulsus exilis et creber tardusque. *Decimum quintum*, sanguis arenosus, luridus, plumbeus et niger. *Decimum sextum*, urina alba et livida, quia cruda.

Lepræ signa æquivoca.

Lepræ sex alia signa univoca et propria.

Sex deinde univoca et propria, ideoque certa lepræ signa affirmat. *Primum*, est oculorum et aurium rotunditas : corrumpitur enim pyramidalis nativa in oculo figura, carne scilicet in osse lacrymali, ad radicem nasi jacente, siccitate marcida, et oculorum musculis contabescentibus, quorum deformitate in orbem fastigiatur oculi figura, ea denique de causa rotundantur aures, absumpta earum pinnula. *Secundum* signum est in superciliis, quorum depilatione et tuberibus simiarum faciem repræsentant leprosi. *Tertium*, est in dilatatione narium : quia nempe narium partes (quæ Rufo Ephesio alæ et pinnulæ dicuntur) exterius amplificantur et dilatantur, interius comprimuntur et subsidunt. Illud ab humorum influxu, hoc autem a carie, et interstitii narium putredine dependet. *Quartum*, in voce rauca, clangosa, et tubarum more sonora contingit, juxta illud :

> Classica raucisonos disclangit buccina bombos.

*Quintum*, est fœtor anhelitus totiusque corporis inde sapida olidaque aura. *Sextum*, est aspectus satyricus, horribilis et visus ingratus. Quo signo, cum figuræ depravatione, labrorum crassitie, narique firmitate judicarant antiqui medici Græci confirmatos leprosos. Denique in leproso membrorum extrema, putredine et carie exesa decidunt, omnis perit corporis nitor, prorsusque humana facies transit in satyricam, ut de leproso facile dicas quod de Satyro capto ad Apolloniam Plutarcus refert, qui αἰγὸς φωνῆς loquebatur.

Lepra inveterata et perfecta incurabilis et exitialis.

Subdit deinde lepram inveteratam et perfectam esse incurabilem et exitialem, ac hominem ad mortem deducere; moriuntur enim fatiscenti incendio, et depeculato vitæ genio, calore nempe vivido. Ad hæc humor melancholicus, ferinus et



acer corpus erodit : lepræ vero recentis et inchoantis hæc sunt remedia, inquit : nitrum, sal, helleborus, cedria, thus, iris, argentum vivum, et vinum viperinum, maxime a Galeno commendatum. Insuper melancholiæ expurgatio, diæta, id est victus ratio humori morbi contraria.

Hæc omnia et singula faciliter concionator accommodabit lepræ mysticæ, id est concupiscentiæ, peccato et hæresi; magna enim utrimque et clara est analogia et similitudo.

13. Et levaverunt (extulerunt clamantes, quia longe stabant, et quia valde desiderabant a lepra curari) vocem (unam et unanimem ex omnium ore prodeuntem) dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri, — ut nos morbo tam gravi et incurabili liberes. « Præceptor » hic non tam doctorem significat, quam dominum, qui servis suis præcipit et jubet ea quæ vult : Græce enim est ἐπιστάτα, id est præfecte, præses, cujus est regere et imperare; petunt enim non ut Christus eos doceat detque præcepta virtutis, sed ut præcipiat lepræ jubeatque eam facessere : sic et Hebraice *Rabbi* non tantum magistrum, sed et dominum virumque potentem et primarium denotat : unde Theophylactus interpretatur dominum curatorem, « id quod est, ait, putare illum prope esse Deum. » Sic Cicero, lib. III *De Oratore*, ait : « Neque disjuncti doctores, sed iidem erant vivendi præceptores atque dicendi. » Et *Philip.* II : « Hunc tu auctorem, præceptorem omnium consiliorum totiusque vitæ debuisses habere. »

Porro, Lucas passim Christum vocat ἐπιστάτα, ut patet cap. V, 5; cap. VIII, 24 et 45; cap. IX, 33 et 49. Pro quo Matthæus, cap. VIII, 25; cap. XVII, 4, et alibi habet κύριε, id est domine : unde patet hæc duo idem significare, scilicet Dominum. Sic Galli, Germani, Belgæ dominos suos vocant magistros : *mon maître, mein meister*.

14. Quos ut vidit (et se invocantes audivit; unde Theophylactus : Loco quidem, inquit, procul stant, oratione autem propinquant; « prope est enim Dominus omnibus invocantibus se in veritate, » *Psal.* CXLIV), dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus (*q. d.* Si ad eos eatis mihique obediatis, certo a lepra mea virtute et providentia curabimini). Et factum est, dum irent, mundati sunt. — Jussit Christus leprosos adire sacerdotes, non ut ab eis sanarentur, hoc enim erat impossibile, sed *primo*, ad honorem et observantiam ordinis sacerdotalis. *Secundo*, quia lex jubebat leprosos, si sanarentur, ostendere se sacerdotibus, ut per eos restituerentur urbi et templo, ac convictui hominum, *Levit.* cap. XXIV. Porro, habebant sacerdotes sua signa, ex quibus cognoscerent lepram esse vel non esse, qualia paulo ante recensui. *Tertio*, ut probaret leprosorum fidem et obedientiam; sciebant enim ipsi se esse leprosos, nec a sacerdotibus posse curari, sed tantum declarari lepram; vadunt tamen ad eos jussu Christi, certo sibi persuadentes se hac

Cur leprosos ad sacerdotes misit Christus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ratione a Christo curandos esse, antequam ad sacerdotes pervenirent. Nisi enim hoc sibi persuasissent, utique ad sacerdotes non ivissent; ibant enim, ut ab eis declararentur a lepra esse mundati. *Quarto*, ut Christus sacerdotes faceret testes miraculi sanationis a se facti, ut ipsi ex eo illum esse Christum agnoscerent (1).

Allegorice: voluit significare Christus mysticos leprosos, id est peccatores in lege nova, debere adire sacerdotes, ut in sacramento Pœnitentiæ a lepra peccati curentur et absolvantur. Sacerdotum enim legis novæ non est probare lepram, uti fuit in lege veteri, sed probatam purgare et expiare, ait S. Chrysostomus, lib. III *De Sacerdotio*.

ET DUM IRENT — certa fide et cæca obedientia, non dijudicantes de præcepto, ait Euthymius; Græce, *inter eundum*. Verisimile est, statim ut cœperunt ire, fuisse curatos, ut scirent se a Jesu curatos: unde et Samaritanus videns se curatum, illico regressus est Jesuque gratias egit. Sic solet Deus statim remunerari promptam fidem et obedientiam.

MUNDATI SUNT — a lepra, quæ apud Judæos summa erat immunditia, tam naturalis, quam legalis; præsertim quia lepra est contagiosa ac vicinos facit leprosos et immundos.

15. UNUS AUTEM EX ILLIS, UT VIDIT QUIA MUNDATUS EST (Græce ἰάθη, id est sanatus est), REGRESSUS EST (ex media via, reflectens iter ad Jesum suæ sanitatis auctorem), CUM MAGNA VOCE (exultante et jubilante) MAGNIFICANS DEUM, — qui per Jesum eum curarat.

16. ET CECIDIT IN FACIEM ANTE PEDES EJUS (ut profunde se humiliando summam ei reverentiam exhiberet) GRATIAS AGENS (*ei*, ut habent Græca et Syrus); ET HIC ERAT SAMARITANUS, — ideoque alienus et abhorrens a Judæis, ac schismaticus, ut mirum fuerit eum solum Jesu Judæo tam impense gratias egisse; cum cæteri leprosi gente et religione Judæi Judæum Jesum, a quo curati fuerant, negligerent, nec ei gratias pro tanto beneficio agerent.

17. RESPONDENS AUTEM JESUS, DIXIT: NONNE DECEM MUNDATI SUNT? ET NOVEM UBI SUNT? — Cur novem, æque ac decimus Samaritanus, ad me non redeunt, nec beneficium agnoscunt, nec mihi benefactori gratias agunt? nimirum novem hi, læti de sua sanitate, pergebant ad sacerdotes, ut ab eis declararentur mundi, itaque convictui hominum restituerentur, toti de se, parum de Jesu gloria solliciti: sic et hodie in aulis principum multi officia et beneficia captant, illasque assidue frequentant, sese humiliant, instant, obsecrant, donec obtineant; at ubi obtinuerunt, ad suos quasi cum præda avolant, nec amplius comparent; quos proinde Alphonsus, Aragonum rex, *vultures aulæ* nuncupabat, teste Panormitano, in ejus Vita.

18. NON EST INVENTUS QUI REDIRET, ET DARET GLORIAM DEO (confitendo, prædicando se a Deo per Jesum curatum a lepra, quæ erat ingens gloria Dei), NISI HIC ALIENIGENA, — id est nisi hic Samaritanus, alienus a gente et religione Judaica. Erant enim Samaritani gente Babylonii, Assyrii, Medi, etc., a Salmanasar translati in Samariam, IV *Reg.* XVII, 24. Syrus, *quare separati sunt, quin redierint daturi gloriam Deo, nisi iste qui est ex populo extraneo?* Hic repræsentat Gentiles qui credituri erant in Christum, illique gratias acturi, cum increduli Judæi eum essent spreturi. Ita videmus exteros sæpe esse gratiores indigenis, quia exteri magis admirantur exteros benefactores, ideoque eos magis colunt, quam indigenæ, qui familiares et concives suo benefactori, beneficium ab eo jure patriæ sibi deberi putant. Adde, pudet eos coram cive suo se humiliare, ac suam miseriam, a qua ab illo liberati sunt, agnoscere. Jure ergo eorum ingratitudinem hic incusat Christus, ac jure potuisset eis beneficium sanitatis præstitum adimere, ut in suam lepram relaberentur: sed noluit, quia tanta est ejus beneficentia, ut etiam ad ingratos se extendat. Malitiam ingratitudinis acriter perstringit S. Bernardus, serm. 51 *in Cant.*: « Ingratitudo, ait, inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. » Idem, serm. *De Septem Misericordiis*: « Peremptoria res, ait, est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego vobis, quoniam pro meo sapere nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, in hominibus conversionis, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ, et ubi fuerit illa, jam gratia accessum non invenit, locum non habet. »

19. ET AIT ILLI: SURGE, VADE: QUIA FIDES TUA TE SALVUM FECIT. — « Fides » qua credidisti me posse te sanare, imo reipsa sanaturum, si mihi obediendo pergeres ad sacerdotes. Hæc enim fides cooperata est sanitati tuæ: licet ego primarius sim sanitatis tuæ auctor, tamen volui ut ad eam quoque concurreret fides tua, quasi congrua dispositio; nisi enim credidisses, non fuisses a me sanatus.

SALVUM FECIT — a lepra, tum corporis, tum animæ, id est a peccatis: quare verisimile est leprosum hunc excitatum a Deo elicuisse actum contritionis de peccatis, ac per eum fuisse justificatum; insuper eum reliquisse schisma et sectam Samaritanorum, ac adhæsisse veræ religioni Judæorum; denique factum esse discipulum Jesu, ejusque baptismum recepisse; et Christianum effectum, Christi virtutem et miraculum ubique prædicasse, multosque ad eum convertisse. Ad hoc enim instigabat eum gratitudo, quæ hic a Christo celebratur.

(1) Animadvertit Wetstenius ad h. l., Jesum usum esse numero plurali τοῖς ἱερεῦσι, quoniam inter leprosos Samaritanus erat, quem eadem calamitas Judæis leprosis junxerat, qui adeo sacerdotem Samaritanum debebat adire. « Licet enim Jesus, ait Wetstenius, non probaret Samaritanorum cultum, non potuit tamen, quin circa quæstionem non de cultu Dei, sed ad medicinam et politiam pertinentem, singulos ad suos judices remitteret. »



20. INTERROGATUS AUTEM A PHARISÆIS: QUANDO VENIT REGNUM DEI? (regnum Israel jam collapsum, sed a Messia erigendum) RESPONDENS EIS, DIXIT: NON VENIT REGNUM DEI CUM OBSERVATIONE. — « Venit, » id est veniet, vel venire oportet. Est hebraismus, quia præsens ponitur pro futuro. Nota: quia Christus prædicabat, dicens: « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum; » idcirco Pharisæus hic, vel discendi avidus, vel potius irridendi causa, rogat, *q. d.* Tu, o Jesu, prædicas tuum regnum cœlorum, at quando illud veniet? quando te in eo regnantem videbimus? quando Israelem a Romanis subjugatum, per te respirantem, ac libertati redditum, felicem sub te rege vitam agere conspiciemus? Interrogant eum quando regnaturus esset, ait Euthymius, irridentes eum, ut qui vilis appareret: Christus tamen huic mansuete respondit: *primo*, breviter hoc versu et seq.; *secundo*, fuse vers. 22 usque ad finem capitis, de regno gloriæ in cœlis, cui prius regnum gratiæ in terris subordinatur; per gratiam enim imus ad gloriam. Ait ergo:

NON VENIT REGNUM DEI CUM OBSERVATIONE. — *q. d.* Regnum Dei et Messiæ non venit cum prævio apparatu, nec cum pompa externa militum, equorum, curruum, ut ex illa ipsum observare et certo præscire possitis, sicut regem certo adesse scitis, dum videtis prævium ejus comitatum, cum quali vos regnum Messiæ venturum putatis, et jam quasi proximum observatis. Non poterit observari, ait Glossa, quia non est corporale, ut putatis; sed spirituale, quod jam incepit. Quocirca Christus venit sine pompa, pauper et humilis, ut ostenderet regnum suum esse spirituale et divinum, non corporale et mundanum.

21. NEQUE DICENT: ECCE HIC, AUT ECCE ILLIC. ECCE ENIM REGNUM DEI INTRA VOS EST. — *q. d.* Non dicent: Ecce in Jerusalem est thronus regalis Christi, ecce ibi regnat in magnificentia, quasi alter Salomon; quia Christus non regnat in throno corporali, sed in anima spirituali, dum illam per gratiam suam regit et flectit ad omne bonum, sicque eam dirigit ad regnum cœleste. « Regnum enim Dei non est esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto, » *Rom.* XIV, 17; malo enim hæc omnia accipere de eodem, scilicet de primo Christi adventu, quo quasi rex regnat in animis fidelium per gratiam suam; sic enim omnia melius cohærent, licet aliqui accipiant de regno gloriæ, quod erit in secundo adventu, quod hoc sensu verum est, quia scilicet regnum gratiæ Christi dirigitur, tendit et perducit ad regnum gloriæ, quod etiam corpora justorum suo fulgore aliisque dotibus decorabit, ut ab omnibus notari et observari possit.

*Secundo*, hoc « regnum Dei intra vos est, » id est in vestra potestate est; si videlicet Christi fidem et gratiam amplecti illique cooperari velitis, quia, ut ait Titus, « in voluntatis arbitrio positum est accipere regnum Dei. »

*Tertio*, « regnum Dei intra vos est, » quia Christus Deus et rex, hoc regnum prædicans et largiens, inter vos versatur. Ita Theophylactus, quem audi: « Omnino regnum Dei est more angelorum vivere, quando nihil mundanum in animabus nostris versatur; non enim longo tempore, neque longa peregrinatione opus est, sed prope nos est et fides, et post fidem divina vita. Istud ipsum etiam Apostolus dicebat: Prope te verbum est in ore tuo, et in corde, hoc est verbum fidei, *Rom.* X, 8. Credere enim, et secundum fidem ambulare, sicut dignum est vocatione, intra nos est. Itaque Pharisæi irridebant Dominum; at ipse illos in risum convertit, ostendens quod ignorent rem, quæ intra se sit, et quæ valde facilis, si qui capere velint. Nunc enim, cum sim medius inter vos, potestis omnino regnum Dei capere, si creditis in me, et vultis juxta mandata mea vivere. »

22. ET AIT AD DISCIPULOS SUOS: VENIENT DIES QUANDO DESIDERETIS (legit Interpres, ἐπιθυμήσετε, jam legunt ἐπιθυμήσητε, id est desiderabitis) VIDERE UNUM DIEM FILII HOMINIS, ET NON VIDEBITIS. — *q. d.* Veniet tempus, illudque instat, quo ob fidem meam et Evangelii prædicationem, multa adversa, persecutiones, contradictiones, quin et Novatorum errores et hæreses patiamini, quoque angustiis corporis et animi pressi, nesciatis quid solatii vel consilii capere debeatis: quare tunc vel semel me videre, me consulere, a me doceri et consolari in tantis afflictionibus desiderabitis, sed frustra; nam postquam in cœlum ascendero, non amplius comparebo in terris. Quare tunc ex iis, quæ nunc a me auditis, vos docere, solari, dirigere debetis, donec in secundo meo ad judicium adventu, ad vos, id est vestros successores, redeam, eosque ab hæreticis, persecutoribus, tribulationibus omnibus liberem, et in regnum gloriæ meæ inducam. Dicit hoc Christus, tum ut prænuntiet persecutiones et difficultates eis obventuras, ut contra eas se obarment, ne ex inopinato earum incursu percellantur et animo cadant, vel a fide excidant; tum ut doceat ad regnum gloriæ non nisi per tribulationes iri; tum denique ut moneat eos studiose audire et notare omnia sua dicta et facta, dum præsentia ipsius fruuntur, utpote quam brevi non sint habituri et frustra desideraturi. Ita Theophylactus, Euthymius, Titus, Beda et alii.

23. ET DICENT VOBIS: ECCE HIC, ET ECCE ILLIC (est Christus; venient enim pseudoprophetæ, mentientes se esse Christos, vel a Christo missos): NOLITE IRE, NEQUE SECTEMINI — illos impostores eorumque rumores; Arabicus, *ne videatis, neque festinetis*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

24. NAM SICUT FULGUR CORUSCANS DE SUB COELO, IN EA QUÆ SUB COELO SUNT, FULGET : ITA ERIT FILIUS HOMINIS IN DIE SUA. — Syrus, *sicut enim fulgur fulgurat e cœlo, et omnia quæ sub cœlo sunt illuminat*; q. d. Sicut fulgur subito, celerrime, publice et manifeste ex cœlo in terram delabitur et effulgurat; sic et ego subito ac inopinate redibo ad judicium in vallem Josaphat, cum magno splendore ac gloria, ita ut omnes me videant et judicantem audiant. Quare tunc nulla mei observatione, vel signo aut indicio erit opus, quia omnibus in toto orbe conspicuus et gloriosus apparebo. Hæc et sequentia audivimus *Matth.* XXIV, 27 et seqq., ubi ea explicui.

25. PRIMUM AUTEM OPORTET ILLUM MULTA PATI, ET REPROBARI A GENERATIONE HAC. — Arabicus, *ante hoc enim recipiet passionem multam, et reprobabitur a generatione hac*; scilicet a natione hac pravorum Judæorum, ait Euthymius. Dicit hoc *primo*, ne Apostoli videntes eum pati et crucifigi, scandalizentur dubitentque an ipse sit Christus; *secundo*, ut cum morientem discipuli cernerent, ait Beda, quem glorificandum audierant, dolorem passionis, spe promissæ clarificationis mitigarent; *tertio*, ut eos prædicatione hac contra futura adversa obarmet; q. d., ait Theophylactus: Non admiremini, si evenerint vobis tam molesta, quæ vobis desiderium afferent dierum, quibus ego vobiscum sum. Nam et ego ipse, qui venturus sum sicut fulgur, prius passurus multa, reprobandusque ero, et ita in gloriam istam veniam; atque ita hoc vobis sit exstimulatio ad patientiæ virtutem; quia et vobis obveniet gloria ex periculis.

30. SECUNDUM HÆC ERIT, QUA DIE FILIUS HOMINIS REVELABITUR. — *q. d.* Subitus erit et inopinatus adventus meus ad judicium, uti fuit incendium Sodomæ et diluvium Noe. « Pulchre, ait Beda, dicit : Revelabitur, quia qui interim non apparens omnia videt, tunc apparens omnia judicabit : » sicut magister per cancellos videt omnia discipulorum facta in schola, nec tamen ab eis videtur, sed scholam ingrediens ab omnibus videtur, et singulorum facta castigat, vel laudat.

32. MEMORES ESTOTE UXORIS LOTH, — quæ periit, quia retrospexit, ait S. Ambrosius, ne scilicet sicut ipsa contra præceptum angeli respiciens retro ad Sodomam conflagrantem, versa est in statuam salis, sic et vos, contra hæc mea monita, redeatis ad vitam sæcularem hujus mundi, itaque cum eo pereunte et conflagrante, pereatis et conflagretis. Vide dicta *Genes.* XIX, 17, et *Sapient.* cap. X, vers. 7. Audi S. Augustinum, lib. *Quæst. Evang.*, Quæst. XLIII : « Quid significavit uxor Loth? eos qui in tribulatione retrospiciunt, et se a spe divinæ promissionis avertunt; et ideo statua salis facta est, ut admonendo homines ne hoc faciant, tanquam condiant cor eorum, ne sint fatui. »

35. IN ILLA NOCTE ERUNT DUO IN LECTO UNO : UNUS ASSUMETUR, ET ALTER RELINQUETUR. — Ex voce nocte quis colligat judicium universale a Christo peragendum noctu, ad majorem hominum terrorem; sed respondeo, quam vers. 31 vocavit diem, hic vocat noctem. *Primo*, quia dies judicii plurimis, puta omnibus reprobis, erit fatalis et calamitosissima; nox autem et caligo symbolum sunt calamitatis. *Secundo*, quia sicut nox claudit diem et tempus operandi, sic et dies illa claudet tempus bene agendi et merendi, juxta illud : « Venit nox in qua nemo potest operari, » *Joan.* cap. IX, vers. 4. Apte ergo dies judicii vocatur nox. Vers. 36

# CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, per parabolam viduæ sua importunitate extorquentis ab iniquo judice justitiam, docet semper esse orandum. Secundo, vers. 9, per parabolam Publicani pœnitentis, ideoque justificati præ superbo Pharisæo, docet humiles exaltari et superbos humiliari. Tertio, vers. 15, benedicit infantibus. Quarto, vers. 18, principi servanti præcepta Dei suadet consilia, ut, si velit esse perfectus, nudus nudum Christum sequatur. Petro deinde qui id fecerat, poscenti mercedem, promittit plura in hoc sæculo, et in futuro vitam æternam. Quinto, vers. 31, prædicit sibi instantem passionem, mortem et resurrectionem. Sexto, vers. 35, juxta Jericho cæcum illuminat.*

*Tertiam partem audivimus* Matth. XIX, 13; *quartam, ibid. vers.* 16; *quintam*, Matth. XX, 22; *sextam, ibid. vers.* 29. *Supersunt ergo prima et secunda hic explicandæ.*

1. Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare et non deficere,
2. dicens : Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et hominem
non reverebatur. 3. Vidua autem quædam erat in civitate illa, et veniebat ad eum, dicens :
Vindica me de adversario meo. 4. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit



intra se : Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor; 5. tamen quia molesta est mihi
hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me. 6. Ait autem Dominus :
Audite quid judex iniquitatis dicit : 7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum
clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? 8. Dico vobis, quia cito
faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in
terra? 9. Dixit autem et ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernaban-
tur cæteros, parabolam istam : 10. Duo homines ascenderunt in templum ut orarent :
unus Pharisæus et alter Publicanus. 11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus,
gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri; velut
etiam hic publicanus. 12. Jejuno bis in sabbato; decimas do omnium quæ possideo. 13. Et
Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare; sed percutiebat pectus
suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. 14. Dico vobis, descendit hic justifi-
catus in domum suam ab illo; quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humi-
liat, exaltabitur. 15. Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod cum
viderent discipuli, increpabant illos. 16. Jesus autem convocans illos, dixit : Sinite pueros
venire ad me, et nolite vetare eos : talium est enim regnum Dei. 17. Amen dico vobis :
Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. 18. Et interrogavit
eum quidam princeps, dicens : Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?
19. Dixit autem ei Jesus : Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus. 20. Man-
data nosti : Non occides : Non mœchaberis : Non furtum facies : Non falsum testimonium
dices : Honora patrem tuum et matrem. 21. Qui ait : Hæc omnia custodivi a juventute
mea. 22. Quo audito, Jesus ait ei : Adhuc unum tibi deest : omnia quæcumque habes
vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me. 23. His ille
auditis, contristatus est, quia dives erat valde. 24. Videns autem Jesus illum tristem fac-
tum, dixit : Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! 25. Facilius
est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. 26. Et
dixerunt qui audiebant : Et quis potest salvus fieri? 27. Ait illis : Quæ impossibilia sunt
apud homines, possibilia sunt apud Deum. 28. Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus
omnia, et secuti sumus te. 29. Qui dixit eis : Amen dico vobis, nemo est qui reliquit
domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei, 30. et non
recipiat multo plura in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam. 31. Assumpsit
autem Jesus Duodecim, et ait illis : Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur
omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. 32. Tradetur enim Gentibus, et
illudetur, et flagellabitur, et conspuetur; 33. et postquam flagellaverint, occident eum,
et tertia die resurget. 34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud abscon-
ditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur. 35. Factum est autem, cum appropin-
quaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. 36. Et cum audiret turbam
prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. 37. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus
transiret. 38. Et clamavit, dicens : Jesu fili David, miserere mei. 39. Et qui præibant,
increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat : Fili David, miserere mei.
40. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit
illum, 41. dicens : Quid tibi vis faciam? At ille dixit : Domine, ut videam. 42. Et Jesus
dixit illi : Respice, fides tua te salvum fecit. 43. Et confestim vidit, et sequebatur illum
magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

1. DICEBAT AUTEM ET PARABOLAM AD ILLOS (ut per illam ostendat), QUONIAM (quod) OPORTET SEMPER ORARE (Syrus, *ut omni tempore orarent*; sic et Arabicus) ET NON DEFICERE. — Capite præcedenti, in fine, dixerat Christus instare Apostolis et fidelibus persecutiones et tribulationes, in quibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

desideraturi essent videre Christum, ut ab eo auxilium et consilium peterent et acciperent. Nunc remedium contra omnia adversa eis suggerit, ac modum adeundi se, scilicet orationem : ipse enim orantes audit et exaudit, erudit, dirigit, roborat, etc.

Euchitæ volebant semper orare, nec unquam manibus laborare.

OPORTET SEMPER ORARE. — Hinc hæretici, dicti Euchitæ, volebant semper orare, nec unquam manibus laborare; sed stulte; scriptum est enim : « Si quis non vult operari, nec manducet, » II *Thessal.* III, 10. Dico ergo τὸ « semper » hic idem esse quod sedulo, perseveranter, diligenter, assidue, quantum per alia negotia licet, congruis temporibus, præsertim dum instat tentatio, persecutio et afflictio. Impossibile enim est, ut homo omni omnino tempore oret : nam aliquo tempore debet comedere, dormire, laborare, etc. Itaque τὸ « semper » hic significat orationis non continuationem, sed perseverantiam; scilicet ut opportunis temporibus vacemus orationi, nec ab ea desistamus, donec obtineamus id quo indigemus quodque postulamus. Unde explicans, subdit : « Et non deficere; » græce μὴ ἐκκακεῖν, id est non *defatigari*. Ratio est, quia tot incurrunt quotidie difficultates et ærumnæ, ut tota vita hominis videatur esse tentatio et militia. Quare cum homo sit infirmus et impotens ad eas superandum, debet auxilium et robur per orationem assiduam poscere a Deo, ne succumbat. Quare tota quasi vita Christiani debet esse oratio.

Rursum « semper, » id est frequenter, crebro, statis Ecclesiæ horis, atque ut nil facias, nisi præmissa oratione, quodque ad Dei gloriam non referas; sic vulgo dicimus de valde studioso : Hic juvenis semper studet, id est frequenter et diligenter studet. Ita Beda, qui et mystice addit : « Semper orat, qui semper secundum Deum operatur, » et Glossa : « Semper orat, qui semper bene agit. »

Porro « vult Dominus, ait S. Chrysostomus, te rogando accipere, quod impertiri desideras : quanta tibi felicitas concessa est, orationibus fabulari cum Deo, quod desideras postulare! Ad a et aures principum paucis patent, Dei vero omnibus volentibus. » Alludit ad *Eccli.* XVIII, 22 : « Non impediaris orare semper. » Hinc et Apostolus, *Ephes.* VI, 18 : « Orantes, ait, omni tempore; » et I *Thessal.* V, 17 : « Sine intermissione orate. » Vide quæ his tribus locis annotavi. Tanta enim est orationis vis et efficacia, tanti effectus ac fructus, ut nihil sit quod non impetret et evincat. Audi Climacum, *Gradu* 28, initio : « Oratio, si ipsius naturam seu qualitatem spectes, est familiaris conversatio et conjunctio hominis cum Deo; si autem vim seu efficaciam, mundi conservatio, Dei reconciliatio, mater lacrymarum et iterum filia, propitiatio peccatorum, pons tentationum, propugnaculum adversus impetum afflictionum, bellorum oppressio et extinctio, officium angelorum, omnium spirituum alimentum, futura lætitia, actio sempiterna, virtutum scaturigo, gratiarum divinarum conciliatrix. » Nec his contentus, longe plura et majora subjicit : « Profectus spiritualis, nutrimentum animæ, mentis illustratio, securis desperationis, spei demonstratio, tristitiæ solatio, divitiæ monachorum, thesaurus solitariorum, iræ diminutio, speculum Religiosi profectus, dimensionum index, status declaratio, futurorum significatio, gloriæ futuræ indicium. » Sic de S. Cæcilia (ejus hodie Romæ festum solemne celebramus) canit Ecclesia : « Evangelium Christi semper gerebat in pectore suo, et non diebus neque noctibus a colloquiis divinis et oratione cessabat. Cantantibus organis Cæcilia Domino decantabat, dicens : Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar. Valerianus (ejus sponsus) in cubiculo Cæciliam cum angelo orantem invenit. » Hac jugi oratione meruit ipsa angelo dari in tutelam virginitatis, conversionem Valeriani sponsi, Tiburtii ac aliorum quadringentorum, denique gloriosum cum omnibus martyrium.

S. Cæcilia oratione quanta meruit.

Vers. 2. [illegible]

2. DICENS : JUDEX QUIDAM ERAT IN QUADAM CIVITATE, QUI DEUM NON TIMEBAT, ET HOMINEM NON REVEREBATUR : — scilicet impius, injustus, crudelis et atheus, qui nec Dei vindictam, nec hominum obloquia metuebat, cui nec conscientia curæ erat, nec fama. Solent enim impii, qui Deum non timent, moveri pudore hominum, ne scelera palam admittant, ob quæ publice vilipendantur, et scelerati ac infames habeantur. At hic nec timore Dei, nec pudore hominum movebatur; quare ad omnis malitiæ verticem pervenerat, ait Theophylactus.

3. VIDUA AUTEM QUÆDAM ERAT IN CIVITATE ILLA, ET VENIEBAT AD EUM, DICENS : VINDICA ME DE ADVERSARIO MEO, — in lite et causa forensi. Græce, ἀπὸ τοῦ ἀντιδίκου μου, id est ab eo qui contra me litigat. « Vindica, » id est defende jus meum, et libera meam innocentiam, justitiam, substantiam et famam, quæ injuste ab adversario meo, utpote potente, in lite opprimitur. Non enim petit vindictam, sed justitiam, ut scilicet liberetur ab injusta violentia adversarii, sibique id quod jure debetur, reddatur.

4. ET NOLEBAT PER MULTUM TEMPUS (partim ob sævitiam et perversitatem suam, partim quia sperabat ab adversario magna munera et opes). POST HÆC AUTEM DIXIT INTRA SE : ETSI DEUM NON TIMEO, NEC HOMINES REVEREOR, — *q. d.* Licet iniquus sim, impudens et perfrictæ frontis.

5. TAMEN QUIA MOLESTA EST MIHI HÆC VIDUA, VINDICABO ILLAM (illius jus ab oppressione adversarii, illudque viduæ restituam), NE IN NOVISSIMO VENIENS SUGILLET ME. — Pro « in novissimo, » græce est εἰς τέλος, id est *in fine*, tandem, in novissimo tempore. Verum Euthymius, S. Augustinus et Beda vertunt, *in finem*, id est continue, assidue; Syrus, *omni tempore*; Arabicus, *semper*; *q. d.* Ne assidue veniens, mihi semper sit molesta.



SUGILLET ME. — Suggilio vel sugillo (utrumque enim dicitur) proprie idem est quod faciem contundo et lividam reddo : dicitur a sugendo, quasi dicas : Percutiendo succum, id est sanguinem, humorem et livorem ad frontem, oculos et genas velut sugendo deduco. Ita Ambrosius Calepinus. Hoc enim proprie significat Græcum ὑπωπιάζω, de quo dixi I *Corinth.* IX, vers. ult. S. Isidorus vero : Sugillare, inquit, dicitur, quasi « subgulare, » id est, de gula alicujus sanguinem sugere, uti faciunt viverræ et vulpes, quæ gallinarum gulam et guttur demordent, ut sanguinem earum exsugant.

« Sugillare » ergo proprie idem est quod caput verberibus obtundere, livore faciem dehonestare et sanguinis notis commaculare. Hinc metaphorice *primo*, idem significat quod clamoribus caput et aures obtundere, et sic multi hic accipiunt. Unde Syrus vertit, *ne mihi molestiam omni tempore exhibeat*; Arabicus, *ne semper ad molestandum me veniat*, *q. d.* Vindicabo jus viduæ, ne ipsa in finem sugillet me, id est suis lamentis mihi caput obtundat, ac suis ejulatibus, quasi verberibus, assidue frontem auresque meas feriat, flagellet et quasi lividas reddat. Unde S. Augustinus vertit, « ne me tædio afficiat. » Audi eum, lib. II *Quæst. Evangel.*, Quæst. XLV : « Viduæ assiduis interpellationibus cessit, ut eam vindicaret, ne sibi ab illa tædium fieret; nam hoc est quod ait : Ne veniens sugillet me. » Idem, epist. 121 *ad Probam*, cap. VIII : « Judicem iniquum, ait, sæpe interpellando flexit ad audiendum, non justitia, nec misericordia permotum, sed tædio superatum. » Sic et Beda, Euthymius, Franciscus Lucas et alii ex Græco : sicut ergo vidua hæc sua assiduitate et importunitate supplicandi vicit judicem, sic eadem nos vincimus Deum. Audi S. Chrysostomum, lib. II *De orando Deum*, ubi hanc parabolam pulchre exaggerat : « Quod non potuit metus, hoc potuit deprecatio : ac minæ quidem stultionis expectatio non commoverunt hominem ad justitiam; cæterum ubi prodiit vidua supplex, judicem ex feroci mansuetum reddidit. Quid igitur conjectaneum est de benigno Deo, si judicem crudelem adeo mansuetum reddidit vidua supplicans! » Addit Chrysostomus Christum hic velle ostendere summam esse orationis vim, ex eo quod etiam iniquos et immites judices flectat ad pietatem et misericordiam.

*Secundo*, « sugillare » metaphorice a corpore ad animum transfertur, et significat notam inurere, pudorem injicere, existimationem lædere, accusare; *q. d.* Bonam famam exuere, infamare, crimen impingere : unde Ulpianus : « Si famosa actio non sit, inquit, vel pudorem non sugillet. » Sic vulgo dicimus : Ille me sugillat, id est accusat et infamat : unde Vatablus vertit, « ne me vituperet. » Et hoc sensu videtur vertisse Noster « ne in novissimo veniens sugillet me, » *q. d.* Ne improbitate mea victa, tandem me infamet, et apud principem me accuset, itaque mihi negotium facessere non cesset, donec puniar et potestate mea a principe priver. Licet ergo impudens hic judex nec Deum, nec homines revereretur, timebat tamen sibi, et suo magistratui, ne ab officio judicandi a principe deponeretur, ac honore et lucro suo privaretur, ideoque viduæ jus suum reddidit.

Sic Trajanus Imperator ad bellum proficiscens, a vidua interpellatus, ut injustam cædem filii sui vindicaret, cum se id facturum respondisset, ubi e bello revertisset, a vidua audiit : « Aut jus dicito, aut Imperator esse desinito. » Quare equo descendit Trajanus, nec ante discessit, quam judicium viduæ per se ipsum perageret. Ita habet ejus Vita et ex ea Joannes Damascenus, *Oratione pro defunctis*, et Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii, lib. II, cap. XLIV. Ubi et addit S. Gregorium hac pietate Trajani commotum, pro eo orasse, eumque pœnis inferni liberasse; quod tamen Baronius, Bellarminus et alii fabulosum putant.

Allegorice : S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evangel.*, Quæst. XLV : Vidua, ait, est Ecclesia, quæ desolata videtur, donec Christus ejus sponsus e cœlo redeat ad judicium, qui nunc in secreto curam ejus gerit; illa vero cupit vindictam, ut omnes scilicet mali pereant, aut conversione ad justitiam, aut amissa potestate, ne piis noceant.

Tropologice : Vidua est anima, ait Theophylactus, quæ virum pristinum, id est diabolum, exclusit, ob hoc ei adversantem, quod ad Deum accedat. Judex est Deus; qui neminem timet, nec hominis personam accipit. Vidua ergo est omnis anima desolata et afflicta, quæ judicem, id est Deum, orat, ut ab adversario, id est ab hostibus suis, liberetur. Verum quia incongruum, imo indignum est, ut Deus comparetur judici iniquo et impio, ut recte ex Chrysostomo docet Euthymius, hinc potius dicendum est Christum hic argumentari, non a comparatione et similitudine, sed a minori ad majus; *q. d.* Si impius judex diuturnitate precum viduæ victus est, ut injustitiam verteret in justitiam, ac viduæ jus suum tribueret, quanto magis id faciet Deus, qui justissimus est, imo ipsa justitia, vindicans omnem injustitiam! Ita S. Augustinus loco citato, Chrysostomus, Theophylactus, idque mox patebit clare vers. 7.

6. AIT AUTEM DOMINUS : AUDITE QUID JUDEX INIQUITATIS DICIT.

7. DEUS AUTEM NON FACIET VINDICTAM ELECTORUM SUORUM, CLAMANTIUM AD SE DIE AC NOCTE, ET PATIENTIAM HABEBIT IN ILLIS? — « Deus autem, » omnis justitiæ dux, ait Theophylactus, judex et vindex. Unde David, *Psal.* XXXIII, 18 : « Clamaverunt justi, ait, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. » « Hic iniquus judex, ait S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evangel.*, Quæst. XLV, non ex similitudine, sed ex dissimilitudine adhibitus est, ut ostenderet Dominus, quanto certiores esse debeant, qui Deum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

perseveranter rogant fontem justitiæ atque misericordiæ, cum apud iniquissimum judicem, usque ad affectum implendi desiderii, valuerit perseverantia deprecantis. » Unde Arabicus vertit : *Audite quod dixit judex iniquitatis : Nonne ergo convenientius Deus vindicabit electos suos, qui vocant eum die ac nocte ?*

PATIENTIAM HABEBIT IN ILLIS ? — Græce μακροθυμῶν, id est, *longanimis* erit, puta lentus et tardus *in illis*, scilicet electis audiendis et vindicandis; *q. d.* Feretne Deus patienter et diu electos suos ab impiis assidue affligi, nec eos liberabit, vel impios puniet? Minime : hoc enim alienum est a Dei paterna in suos providentia, charitate et justitia. Syrus, *et protrahet spiritum suum in illos.* Alludit ad illud *Eccli.* cap. XXXV, vers. 21 et 22 : « Oratio humiliantis se penetrat nubes, » etc. Et : « Dominus non elongabit, sed judicabit justos, et faciet judicium, et fortissimus non habebit in illis patientiam. » Huic persimilis est locus *Apocal.* VI, 18, ubi animæ occisorum pro Christo clamant ad Deum, poscentes vindictam, audiuntque ab eo ut requiescant adhuc modicum, donec compleantur conservi eorum. Vide quæ illis locis annotavi.

Moralitas. Dignitas, necessitas et vis orationis.

Moraliter : vide hic quanta sit dignitas, necessitas et vis orationis. *Necessitas*, ut per eam ab omnibus tentationibus et tribulationibus, quibus ubique et semper circumdamur, liberemur; quare sicut corpus indiget anima, ut vivat naturaliter, sic anima indiget oratione, ut vivat spiritualiter; et sicut homo vivere non potest sine respiratione, sic nec sine oratione : orando enim emittit spiritum desiderii ad Deum, et ab eo vicissim recipit spiritum virtutis desideratæ, perinde ac homo respirando emittit veterem halitum, et novum attrahit ac immittit. *Dignitas*, quia per orationem colloquimur cum Deo, uti faciunt angeli. *Virtus*, quia per eam omnia adversa et dura superamus.

Audi S. Chrysostomum, lib. II *De orando Deum* : Oratio, ait, est caput omnis boni, et vitæ æternæ conciliatrix : « Quantæ dignitatis est, miscere cum Deo sermonem! Oratio nos sociat angelis : semper enim orare angelorum est opus, qui toti in Deum intenti, docent nos, dum oramus, ut humanæ naturæ obliviscamur, sed occupati mentis alacritate simul et tremore, nihil respiciamus rerum præsentium, sed existimemus nos in angelorum medio consistere, idemque sacrificium cum illis peragere. » Unde mox subjicit : « Quanta sapientia, quanta virtute, quanta prudentia, quanta bonitate, quanta sobrietate, quanta morum æquitate replet illos precatio et obsecratio! Proinde nequaquam aberravit a vero, si quis affirmet deprecationem esse causam omnis virtutis et justitiæ, neque quidquam eorum quæ conferunt ad pietatem, venire posse ad animum, cui non adsit deprecatio et obsecratio. » Subjungit deinde : « Sicut civitas quæ muris cincta non est, facile venit in potestatem hostium, propterea quod prorsus absit id quo fuerat hostium incursus arcendus : sic et animam non munitam precibus diabolus facile redigit in suam ditionem, nec multo negotio omni genere scelerum implet. Nam primum quidem ad animam precibus communitam non audet propius accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi deprecatio subministravit, magis vegetans animum, quam cibus vegetet corpora. » Et paulo post : « Uti piscis vita est aqua, ita tibi deprecatio. Oratio nos constituit templa Christi. » Idem, lib. I : « Sicut sol, ait, lucem præbet corpori, sic animæ lumen est precatio. Proinde si cæco damnosum est non intueri solem, quanto gravius damnum est homini Christiano, si non assidue deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat! Per quod etiam illud assequimur, ut et mortales et temporarii esse desinamus : natura quidem mortales, sed colloquio convictuque quem agimus cum Deo, ad immortalem vitam transeuntes. Necesse est enim, ut qui cum Deo familiaritatem habet, superior evadat et morte, et omnibus quæ corruptioni sunt obnoxia. » Auctor *Imperfecti*, hom. 13 *in Matth.* : « Sicut thymiama, ait, bene confectum delectat hominem odorantem, sic oratio justi suavis est ante Deum. » S. Laurentius Justinianus, lib. *De Ligno vitæ*, cap. IV *De oratione* : « Sicut, ait, certaminis bravium non assequitur, qui antequam ad metas attingat, deficit; sic orationis fructu privatur, quisquis in illa non extiterit importunus. »

8. VERUMTAMEN FILIUS HOMINIS VENIENS, PUTAS, INVENIET FIDEM IN TERRA. — « Veniens, » ad judicium universale, quando vel maxime liberaturus est electos suos, quos omnes omni ætate et sæculo jussit esse paratos et suspensos, ac patienter exspectare illum diem, ad eumque se parare orando et bene vivendo. Erit enim hic dies subitus et inopinatus, instar fulguris, ut dixit cap. XVII, 24. *Primo*, dat enim causam, cur semper sit orandum et in oratione perseverandum, quia scilicet per longam Christi absentiam, in multis fidelibus fides est defectura, ut non credant, vel certe tenuiter credant, et vix cogitent eum rediturum ad judicium. Quare, ne et in vobis, o dilecti et electi mei, fides deficiat, continuo orate, ut Deus fidem in vobis conservet et adaugeat, ut orando et bene operando vos digne ad meum secundum adventum comparetis. *Secundo*, Christus hic dat causam, cur multi in oratione non exaudiantur : scilicet quia fides eorum labascit, nec patienter in oratione persistunt, nec longanimitate adventum Domini, ut eos deceret, præstolantur.

*Tertio*, Theophylactus : Merito, ait, sermoni de oratione sermonem de fide connexuit, quia omnis orationis basis ac fundamentum est fides, etc., declarans interim paucorum fore tunc orare, quoniam fides in paucis invenietur. Sic et S. Augustinus, serm. 36 *De Verbis Domini secundum Lucam.*

*Quarto*, dicit hoc Christus, ut novum det eis stimulum ad semper orandum, *q. d.* Sensim magis magisque fides deficit, ideo increscunt scandala et persecutiones : quare contra eas oratione assidua vos obarmate, ne iis superemini. Ita S. Augustinus, tract. 36 *De Verbis Domini secundum Lucam*, qui cum dixisset fidem esse fontem orationis, subdit : « Ergo ut oremus, credamus; et ut ipsa non deficiat fides, qua oramus, oremus : fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. Etenim, ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait : Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Quid est in tentationem intrare, nisi de fide exire? In tantum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit. Et in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit. »

INVENIET FIDEM — perfectam, puta certa fiducia et charitate formatam. Hæc enim, ait S. Augustinus loco citato, vix invenitur in terra, cum alioqui fide imperfecta et quasi semimortua plena sit fidelium Ecclesia. Sola enim fides perfecta roborat hominem ad jugiter orandum et fortiter omnes tribulationes superandum. Et sic explicat se Christus, *Matth.* XXIV, 12, dicens : « Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum : qui autem perseveraverit in finem, hic salvus erit. »

Porro, id maxime fiet sub finem mundi, ante adventum Christi ad judicium, cum edent et bibent homines, dabuntque se voluptatibus, non cogitantes de judicio, ut dixit Christus, cap. XVII, 25 et seq. Beda : Cum Christus, inquit, apparuerit, magna erit raritas electorum, imo tunc fides orthodoxa in multis deficiet. « Surgent enim pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi, » *Matth.* XXIV, 24. Et, ut ait S. Petrus, *epist.* II, cap. V, 3 : « Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes : Ubi est promissio, aut adventus ejus? » *q. d.* Negabunt Christum rediturum ad judicium, cum jam ejus reditus instabit; causam subdunt : « Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ; » quasi dicant : Natura mundum constituit, eadem mundi cursum eodem tenore continet, et semper perpetuabit : non ergo est Deus, qui illum incidet, non est numen quod facta nostra judicabit et puniet.

9. DIXIT AUTEM ET AD QUOSDAM, QUI IN SE CONFIDEBANT TANQUAM JUSTI, ET ASPERNABANTUR CÆTEROS, PARABOLAM ISTAM, — quæ tamen vere potuit accidere; imo sæpe accidit ut parabola hæc simul sit historia. Est hic titulus parabolæ, significans quo scopo et fine parabola inducatur; scilicet ut retundat Pharisæorum præfidentiam, jactantiam et contemptum cæterorum.

CONFIDEBANT TANQUAM JUSTI. — Græce, πεποιθότας ἐφ' ἑαυτοῖς ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, id est persuasi et persuadentes sibi quod sunt justi.





Priori parabola Christus docuit unam orationis conditionem, scilicet perseverantiam; hic docet alteram, scilicet humilitatem : humilis enim oratio a Deo exauditur, superba respuitur, juxta illud : « Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet, non consolabitur, et non discedet, donec Altissimus aspiciat, » *Eccli.* cap. XXXV, 21. Vide ibi dicta. Porro, Patres cum versu præcedenti, puta cum fide, ita connectunt : S. Augustinus, serm. 36 *De Verb. Dom.* : Quia fides non est superborum, sed humilium, de humilitate contra superbiam parabolam subjicit. Theophylactus : Quia superbia, plusquam aliæ passiones vexat hominum mentes, crebrius de hac monet. Glossa : Ne quis ob proxime dicta, sibi de fide cognitione vel confessione blandiatur, ostendit a Deo non fidei verba, sed opera examinanda, inter quæ maxime regnat humilitas.

10. DUO HOMINES ASCENDERUNT IN TEMPLUM UT ORARENT : UNUS PHARISÆUS (Pharisaica superbia tumidus et turgidus), ET ALTER PUBLICANUS — humili confessione publicanum, id est peccatorem, se agnoscens veniamque deprecans. Vide dicta *Matth.* V, 46. Hinc publicani apud Judæos erant infames, ideoque a magistratibus publicis arcebantur, imo vocabantur *Parisim*, id est latrones publici : nam, ut ait Suidas ex Jamblico, « vita publicanorum aperta est violentia (ob exactiones et tributa injusta), impunita rapina, negotiatio nulla ratione constans, inverecunda mercatura. » Vers 10.

Parabola Pharisæi et publicani.

11. PHARISÆUS STANS, HÆC APUD SE ORABAT : DEUS, GRATIAS AGO TIBI QUIA NON SUM SICUT CÆTERI HOMINUM : RAPTORES, INJUSTI, ADULTERI; VELUT ETIAM HIC PUBLICANUS. — « Stans, » Judæi partim genuflexi orabant, partim stantes, cum longior esset oratio, sacrificium vel psalmodia : nec enim in templo sedes erant ad sedendum, nisi soli pontifici et regi, uti ostendi *Ezech.* XLVI, 2. Τὸ tamen *stans* additur hic, ut notet fastum Pharisæi, quod vultum erigeret in cœlum, quasi cum Deo disputaturus, vel rationem meritorum suorum initurus et exacturus; nam humilis viri, ait Theophylactus, est et aspectu humiliari; hic autem et habitu et gestu superbus agnoscitur. Unde Græce est σταθείς, id est *consistens, erectus*; Arabicus, *Pharisæus autem stabat orando.* Stabat ergo Pharisæus superbus, *primo*, quasi securus et confidens in suis meritis, quasi Deum ad judicium provocans; *secundo*, stabat primus, vel inter primos, prope altare; *tertio*, stabat cervice et vultu in cœlum erecto et fixo, quasi illud sibi esset debitum. Publicanus vero stabat *primo*, tremens et pavidus, confitens peccata sua; *secundo*, stabat a longe, scilicet procul ab altari, ultimus, vel inter ultimos; *tertio*, vultu in terram dejecto, non audens cœlum aspicere, timorem et pœnitentiam ipso situ et habitu præferens.

Nulla sedes olim in templo, nisi pro pontifice et rege.

Hinc allegorice Beda : Pharisæus, ait, est Judæorum populus, ex justificationibus legis ex-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tollens merita sua : Publicanus est Gentilis, confitens peccata sua apud se. Hoc nonnulli cum Syro referunt ad *stans*, *q. d.* Stans apud se, id est sibi innixus, sibi confisus, suis meritis insistens et incumbens. Syrus vertit, *secreto*. Melius Noster τὸ « apud se » jungit cum « orabat, » *q. d.* Secum in animo et mente orabat ; tumor enim in mente illum ita inflabat, ut nonnisi secum orare et loqui destinaret, coram aliis vero orare et loqui vix dignaretur. Orabat tamen more Pharisaico, voce externa, sed gravi, tumida, inflata. Unde S. Basilius, in cap. II *Isaiæ* : Orabat « apud se, » inquit, non apud Deum ; « rediit enim ad se, cum in superbiæ crimen inciderit. » Addo : « apud se, » quia Deus superbos tumide apud se orantes seque jactantes non audit.

ORABAT, — more suo ; quia revera non orabat Deum, sed seipsum laudabat. Audi S. Augustinum, serm. 36 *De Verbis Domini secundum Lucam* : « Quid rogaverit Deum, quære in verbis ejus, nihil invenies : ascendit orare, noluit Deum rogare, sed se laudare. Parum est non Deum rogare, sed se laudare, insuper et roganti (Publicano) insultare. »

GRATIAS AGO TIBI. — « Non reprehenditur, ait S. Augustinus, *serm.* 36 citato, quod Deo gratias agebat, sed quia nihil sibi addi cupiebat. Qui dicit : Ego me justum facio, pejor est Pharisæo qui superbe se justum dicebat ; sed inde tamen Deo gratias agebat. »

Audi S. Bernardum, tract. *De Grad. humil.* : « Gratias agit, non quia bonus, sed quia solus ; non tam de bonis quæ habet, quam de malis quæ in aliis videt. Nondum de suo trabem ejecerat, et festucas in oculis fratrum enumerat. Nam subdit : « injusti, raptores, » etc. Vide eumdem, serm. 13 in *Cant.*, ubi docet gratiarum actionem superbam et fictam displicere Deo.

QUIA NON SUM SICUT CÆTERI HOMINUM. — « Diceret saltem, ait S. Augustinus, non sum sicut multi homines. Quid est, *sicut cæteri homines*, nisi omnes homines, præter ipsum ? Ego, inquit, justus sum, cæteri peccatores ; » *q. d.* Ego solus sum justus, cæteri omnes sunt scelerati. Superbus enim, ut se summe extollat, summe alios contemnit et deprimit. Hæc est ejus φιλαυτία, qua ita sibi placuit, ut alii omnes displiceant.

S. Gregorius, lib. XXIII *Moral.*, cap. VII, in hoc Pharisæo notat quatuor species superbiæ. *Prima* est, cum quis bonum, v. g. virtutem, a se habere putat ; *secunda*, cum suis meritis illud tribuit ; *tertia*, cum putat se habere id quod non habet ; *quarta*, cum quis vult esse singularis, hincque alios despicit et vituperat : harum tres ultimæ in hac superba et ficta Pharisæi justitia clare elucent. Prima quoque in eo fuit, quia virtutem suam, non Deo, sed suo labori adscribebat, dicebatque cum Ethnico illo de Deo :

Det vires, det opes, animum mihi ego ipse parabo.

Omnino enim, ait Theophylactus, si credidisset, quod per gratiam (Dei) haberet aliena bona, non contempsisset alios, considerans quod etiam ipse nudus esset, quantum ad suam virtutem attinebat. »

VELUT ETIAM HIC PUBLICANUS. — Ecce, ex vicino publicano major est Pharisæo tumoris occasio, ait ex S. Augustino Interlinearis ; Syrus, *neque sicut hic publicanus* ; supple : sum publicus peccator. Ex superbia temere et falso judicat publicanum esse sceleratum, cum tamen ille jam esset pœnitens et justificatus. Peccat ergo *primo*, judicio temerario ; *secundo*, contemptu publicani ; *tertio*, convicio et contumelia, exprobrat enim publicano sua peccata. Audi S. Chrysostomum, in *Catena* : Non satiaverat ejus contemptum tota humana natura, sed et publicanum aggressus est. Multa autem mala facit, qui aliis conviciatur : *Primo*, audientem reddit pejorem ; si enim peccator est, lætatur invento criminis collega ; si justus, extollitur, de se magna putans. *Secundo*, Ecclesiæ communitatem lædit ; hanc enim vituperant, qui eum audiunt. *Tertio*, Deum blasphemari facit. *Quarto*, illum cui conviciatur, impudentiorem facit, et sibi adversarium. *Quinto*, se statuit pœnæ obnoxium. Multa mala facit qui aliis conviciatur.

Audi S. Bernardum, tract. *De Gradib. humil.* : « Pharisæus, dum in se singulariter exultat, aliis arroganter insultat. David autem aliter ; ait enim : Omnis homo mendax. Neminem excipit ne quem decipiat, sciens quia omnes peccaverunt, et omnes egent gloria Dei : Pharisæus se solum decipit, quem solum excipit, dum cæteros damnat. Propheta se non excipit a communi miseria, ne excipiatur a misericordia ; Pharisæus exsufflat misericordiam, dum dissimulat miseriam. Propheta affirmat tam de omnibus, quam de se : Omnis homo mendax ; Pharisæus confirmat de omnibus præter se : Non sum, inquiens, sicut cæteri hominum. »

Vers. 12. JEJUNO BIS IN SABBATO, — id est in hebdomade. Est synecdoche : a potiori enim die tota hebdomas vocatur *sabbatum*. Unde Arabicus, *jejuno duobus diebus in omni hebdomade*. Theophylactus asserit Pharisæos jejunare solitos feria secunda et quinta, sed nullum hujus rei citat auctorem (1).

DECIMAS DO OMNIUM QUÆ POSSIDEO. — *q. d.* Non solum do decimas fructuum terræ, quas lex præscribit, sed et majoris et spontaneæ religionis studio, do decimas omnium omnino rerum, ut carnium, ovorum, piscium, etc., ad quas lege non teneor. Taxaverat hic Pharisæus cæteros homines, quasi adulteros et injustos, quasi ipse solus esset castus et justus : castum esse se probat per jejunium, quod est mater castitatis ; justum, per decimas omnium. « Contra adulterium, ait Theophylactus, gloriatur de jejunio ; e deliciis enim petulantia. Contra rapinam vero et injustitiam, profert dationem decimarum omnium quæ possidebat : Tantum, inquiens, contrarius sum rapinæ et injustitiæ, ut etiam quæ mea sunt expendam. » Sic et S. Ephrem, in *Catena*.

(1) Idem asserit riteque probat Buxtorfius, in *Synagoga Jud.*, cap. IV et XXX.

Moraliter observat hic S. Gregorius, hom. 7 *in Ezech.* : « Pharisæus, ait, qui jejunium exhibuit, decimas dedit, Deo gratias retulit, quasi pene per circuitum suæ civitatis custodia vigilavit : sed quia unum in se foramen superbiæ non attendit, ibi hostem pertulit, ubi per negligentiam oculum clausit. » Idem Gregorius, in *Psalm.* II *Pœnitent.* : « In Pharisæi, ait, spiritu dolus fuit, qui magis videri, quam esse justus optavit. Dum ergo ea quæ clamare debuerat, tacuit ; miser quod sibi tacendum esset clamavit. Et per superbiam, si quæ in eo fuerant, minuit merita, qui humiliari contemnens, auxit peccata. »

Vers. 13. 13. ET PUBLICANUS A LONGE STANS, NOLEBAT NEC OCULOS AD COELUM LEVARE ; SED PERCUTIEBAT PECTUS SUUM, DICENS : DEUS, PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI. — Publicanus contumeliam sibi a Pharisæo illatam dissimulat, imo agnoscit, confitetur, et pœnitens veniam postulat, ideoque præ Pharisæo justificatur. Audi S. Chrysostomum, hom. *De Davide et Saule*, tom. V : « At Publicanus procul stans, non regessit contumeliam, neque vicissim dicit convicium, non protulit ista vulgaria verba : Tune audes mea facta reprehendere ? an non sum te melior ? referam tua peccata, faxoque ne unquam in hæc sacra conscendas atria. » Et post nonnulla : « Accepit probrum, et abluit probrum ; agnovit peccata, et deposuit peccata ; et criminum accusatio facta est illi criminum remissio, et hostis insciens factus est beneficus : quot labores erant Publicano subeundi, jejunando, humi dormiendo et vigilando, bona sua egenis impertiendo, longo tempore in sacco et cinere sedendo, ut illa tam multa peccata posset deponere ! At nunc cum nihil tale fecerit, simplici verbo omnem deposuit iniquitatem, ac probra conviciaque Pharisæi, qui videbatur illum contumelia afficere, pepererunt justitiæ coronam, idque sine sudoribus, sine laboribus et absque longi temporis mora. »

A LONGE STANS. — Longe ab altari et Sancto, quia se eo ob peccata indignum censebat ; non ita tamen longe, quia Pharisæus illum ostendere, et ille Pharisæum audire posset. « Cordis conscientia eum removebat, ait S. Augustinus, pietas applicabat. »

NOLEBAT (non audebat ex verecundia, humilitate et reverentia) NEC (vel, OCULOS AD COELUM LEVARE, — quasi se indignum æstimans, qui cœlum, ubi Deus gloriosus (quem peccatis suis offenderat) residet, aspiceret ; quare demissis in terram oculis, sese humiliabat. Ita S. Cyrillus, in *Catena*. Rursum « ad cœlum, » id est sursum, puta ad Sanctum Sanctorum, ubi Deus super propitiatorium et Cherubim sedebat : hoc enim situm erat in altiore loco montis Sion, atria vero in quibus orabant laici, sita erant in loco montis decliviore. Ita Franciscus Lucas.



Causam dat Theophylactus, quod se indignum censeret superna visione, qui se in terram dejecerat, et maluerat terrena bona spectare et quærere. Finalem causam dat S. Augustinus : « Ut aspiceretur (a Deo), inquit, non aspiciebat, respicere sursum non audebat : premebat conscientia, spes sublevabat. » Rursum hoc gestu significat se in familiam cœlestem peccasse, hoc est in angelos, quorum inspirationibus restitit ; in sanctos, quorum preces defraudavit ; in Deum ipsum, cujus præcepta violavit.

SED PERCUTIEBAT PECTUS SUUM, — in quo erat cor, id est voluntas, quæ omnium peccatorum sibi fuerat origo et causa : hanc ergo percutit et verberat, quasi ream, ut ab eo pœnas exigat, utque se propter eam plagis dignum ostendat, ait Euthymius ; cor quodammodo pungens et excitans, ait Theophylactus. Tunsio ergo pectoris signum est pœnitentiæ et cordis contriti. Unde hic fuit gestus olim confitentis et pœnitentis, ac etiamnum est. Hæc etiam Christianorum vetus et moderna est consuetudo, ut pectus noxium tundant. Audi S. Augustinum, serm. 8 *De Verbis Domini secundum Matthæum* : « In hoc ipso quod sonuit, Confiteor, pectora vestra tutudistis. Tundere autem pectus, quid est nisi arguere quod latet in pectore, et evidenti pulsu occultum castigare peccatum ? Quare hoc fecistis, nisi quia audistis : Confiteor tibi, Pater ? » Et inferius : « Ergo in confessione sui accusatio, Dei est laudatio. » Confitemur enim nos reos, Deum vero esse innocentem, justum et pium, ideoque ab eo veniam poscimus. Tundit ergo pœnitens pectus, ut peccatum extundat et expellat.

Tunsio pectoris igitur *primo*, est symbolum confessionis peccati, quod scilicet confitens fateatur peccati sui causam non esse aliam quam cor, appetitum et voluntatem suam in pectore latentem. *Secundo*, eadem symbolum est contritionis, indicat enim cor esse contusum et contritum. *Tertio*, eadem symbolum est satisfactionis et vindictæ, percutit enim pectus ut illud reum affligat et puniat. « Pœnas a seipso exigebat, ait S. Augustinus, serm. 36 *De Verbis Domini secundum Lucam*, et ideo Dominus confitenti parcebat. » Quocirca Isidorus Pelusiota in *Catena* : « Omnis, ait, qui propter peccata pectus percutit, Deum in tympano et choro laudare dicitur. Qui enim pectus et viscera sua compunctione percutit, et flebilium sermonum chorum adjungens, pœnitentiæ calamum in pyxidem mœroris lacrymarum nocturnarum infingit, morte Christi pro peccatoribus suscepta, non frustrabitur. »

DICENS : DEUS, PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI. — Brevis oratio, sed succulenta, sincera et efficax ; *q. d.* Fateor, o Domine, me magnum esse peccatorem, doleoque ex intimo corde quod peccatis Brevis, succulenta oratio, sed

meis gravissime tuam majestatem offenderim; ideo non aliud cogito, nisi peccata mea, quæ summe detestor, nec aliud a te peto, nisi ut ea mihi condones, gratiamque me emendandi et pœnitentiam seriam jugemque agendi largiaris. Ego enim me solum peccatorem summum esse æstimo et confiteor: unde mihi soli ignosci peto, nec de aliis, utpote me melioribus, cogito aut precor. Unde Arabicus vertit, *parce mihi, quia peccator sum*; non dicit: Peccans, sed: Peccator, quia non semel, sed sæpius peccaverat, quasi ex arte et habitu peccans, atque a conceptione et nativitate, peccatum primorum parentum contraxerat. « Mihi, » *q. d.* Non fortunæ, non seculis, non astris, non dæmoni, sed mihi omne peccatum, omnem culpam adscribo.

Vers. 14. 14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo, — id est præ illo; Græce, παρ' ἐκεῖνον, id est *ab illo*; alii legunt, παρ' ἐκεῖνον, id est *ad illum*, scilicet collatus et comparatus. Jam plerique codices legunt, ἢ γὰρ ἐκεῖνος, id est *quam enim ille*; Syrus, *magis, vel potius quam ille*. Sic quoque legit S. Augustinus, epist. 86 *ad Casulanum* et alibi: quia scilicet publicanus per veram humilitatem et pœnitentiam fuit justificatus. Pharisæus vero per suam fictam et superbam orationem magis peccatis fuit inquinatus. Unde Euthymius « ab illo » interpretatur, *non ille*. Est hebraismus; Hebræi enim מן *min*, id est *ab*, usurpant pro gradu comparativo, quem sæpe adhibent, cum unum alteri præponunt, sive per gradum boni melioris, sive per illius in uno affirmationem, et in altero negationem. Sensus ergo est, *q. d.* Publicanus justior Pharisæo domum rediit, qui eo injustior venerat in templum; justior, inquam, comparatione non directa et simplici, sed indirecta et negativa; quia scilicet ipse justus, Pharisæus vero injustus, imo injustior quam venerat, domum rediit. « Nam, ut ait Euthymius, « qui sese adeo justificaverat, adeo condemnatus est; et qui se adeo condemnaverat, justificatus est. » Et S. Paulinus, *epist.* 58: « Quod justitia ædificabat, inquit, superbia destruebat, etc. Ille in corde contrito, sui accusator accipitur, et obtinet veniam de confessis peccatis, propter gradum humilitatis, sancto illo Pharisæo (quales Judæi sancti sunt) reportante sarcinam peccatorum de jactantia sanctitatis. » Et S. Bernardus, serm. 3 *De Annuntiat.*: « Pharisæus vacuus rediit, quia plenitudinem simulavit. Nam Publicanus, qui exinanivit seipsum, qui vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem. » Audi S. Augustinum, serm. 36 *De Verbis Domini secundum Lucam*: « Quid miraris, si Deus ignoscit, quando ipse agnoscit? a longe stabat, sed eum Dominus de prope attendebat; excelsus enim Dominus humilia respicit: tremebat conscientia, spes sublevabat, percutiens pectus pœnas de se exigebat; ideo Dominus confitenti parcebat. » Et Chrysostomum: « Conjunctam cum superbia justitiam superat humilitas cum peccato; superbia enim facile justitiam deprimit, at humilitas peccati pondus superat. »

Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur (uti a Deo humiliatus et rejectus fuit superbus Pharisæus); et omnis qui se humiliat, exaltabitur, — uti ad Dei gratiam, ac adoptionem regni cœlorum exaltatus fuit humilis Publicanus. Ita Theophylactus: « Omnis, inquit, qui se exaltat, humiliabitur, Deo illum condemnante; qui autem se condemnando humiliat, exaltabitur a Deo justificante. » Hic ergo impletur illud Salomonis: « Ante ruinam exaltabitur cor, » « et ante gloriam humiliabitur, » ait Interlinearis. Vere S. Chrysostomus: « Humilitas, ait, latronem ante Apostolos in paradisum duxit: quod si humilitas juxta delicta tantum potest, quid poterit justitiæ conjuncta! et si fastus conjunctus justitiæ potest deprimere, quid faciet conjunctus peccato! » Et Optatus Milevitanus, lib. II *Contra Donat.*: « Meliora, ait, sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia. » S. Basilius, hom. *De Humilitate*: « Pharisæus, ait, justificationem amisit per superbiam, mercedem perdidit per confidentiam: temerarius infra humilem et peccatorem abjectus est, seipsum super ipsum extollens, et non Dei judicium exspectans, sed suum ipsius proferens. »

Rursum S. Chrysostomus, hom. 5 *De incomprehensibili Dei natura*, in Pharisæo et Publicano duplicem nos jubet considerare bigam, « quarum sub altera, inquit, virtus juncta sit cum superbia, sub altera peccatum cum humilitate: videbis enim bigam illam peccati virtute facile anteire, palmamque decursionis celerioris obtinere, non peccati pernicitate, sed conjugatæ humilitatis facultate. Contra, bigam alteram virtutis retardari et vinci, non imbecillitate virtutis, sed superbiæ mole ac pondere. Ut enim humilitas præ summa sua excellentia peccati superat pondus, atque in cœlum pervenit; sic superbia præ nimio suo pondere, ac intolerabili onere suæ molis prævalet, adeo ut etiam levissimam illam et supernam virtutem vincat, deorsumque versus facile detrahat. » Idem, hom. 15 et 45 in *Matth.*: « Sive orationem, sive jejunium, sive misericordiam, sive pudicitiam, sive aliud quid bonorum absque humilitate congreges, statim cuncta diffluunt, cunctaque depereunt. Quod etiam Pharisæo accidit, qui cum ad ipsum virtutis cacumen ascendisset, amittens simul universa, descendit: quia scilicet non habuit matrem bonorum: sicut enim superbia omnium malorum fons est, ita humilitas cunctarum origo virtutum. » Hucusque Chrysostomus. S. Bernardus, serm. 13 *in Cant.*: « Magna, inquit, et rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, et manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, et contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. Fidelis revera



famulus es, si te multa gloria domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat. » Idem S. Bernardus scripsit sermonem integrum in hæc Christi verba: « Omnis qui se exaltat, humiliabitur. » Denique præclare S. Leo, *ad Dioscorum*: « Tota, ait, Christianæ sapientiæ disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus ab utero matris usque ad supplicium crucis omni fortitudine elegit et docuit. » Plura hac de re dixi *Eccli.* x, in fine.

15. Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret, — et tangendo benediceret. Doctrinam humilitatis Christus suo confirmat exemplo. Unde Glossa: « Humili, inquit, magistro afferuntur infantes, ut ostendatur innocens et simplex ætas ad gratiam pertinere. »

16. Sinite pueros venire ad me, etc., talium est enim regnum Dei. — Arabicus, *quia regnum Dei est eorum, qui similes sunt eis*, non in infantia, sed in innocentia, simplicitate, humilitate, etc. Unde Beda: « Non dicit: illorum, sed: talium, mores designans, non ætatem. » Et S. Ambrosius: « Non pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur; non enim est virtus non posse peccare, sed nolle. » Cætera explicui *Matth.* xix, 13 et seq.

35. Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat. — De hoc cæco a Christo illuminato dixi *Matth.* xx, 29.

# CAPUT DECIMUM NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus ingrediens domum Zachæi, illi affert salutem. Secundo, vers. 12, dat parabolam viri nobilis, qui suas minas inter servos distribuit, ab eisque earum lucrum reposcit. Tertio, vers. 29, in die Palmarum Jerusalem cum triumpho et acclamatione Hosanna, quasi Messias rex ingreditur, ejusque excidium per Titum prævidens deflet.*

1. Et ingressus perambulabat Jericho. 2. Et ecce vir nomine Zachæus, et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives; 3. et quærebat videre Jesum, quis esset, et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. 4. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. 5. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. 6. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. 7. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset. 8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. 9. Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est; eo quod et ipse filius sit Abrahæ. 10. Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. 11. Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Jerusalem; et quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur. 12. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. 13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiamini dum venio. 14. Cives autem ejus oderant eum, et miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. 15. Et factum est ut rediret accepto regno; et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. 16. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. 17. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. 18. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. 19. Et huic ait: Et tu, esto super quinque civitates. 20. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario. 21. Timui enim te, quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti. 22. Dicit ei: De ore tuo te judico, serve nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

meis gravissime tuam majestatem offenderim; ideo non aliud cogito, nisi peccata mea, quæ summe detestor, nec aliud a te peto, nisi ut ea mihi condones, gratiamque me emendandi et pœnitentiam seriam jugemque agendi largiaris. Ego enim me solum peccatorem summum esse æstimo et confiteor: unde mihi soli ignosci peto, nec de aliis, utpote me melioribus, cogito aut precor. Unde Arabicus vertit, *parce mihi, quia peccator sum*; non dicit: Peccans, sed: Peccator, quia non semel, sed sæpius peccaverat, quasi ex arte et habitu peccans, atque a conceptione et nativitate, peccatum primorum parentum contraxerat. « Mihi, » *q. d.* Non fortunæ, non sociis, non astris, non dæmoni, sed mihi omne peccatum, omnem culpam adscribo.

Vers. 14. 14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo, — id est præ illo; Græce, παρ' ἐκεῖνον, id est *ab illo*; alii legunt, παρ' ἐκεῖνον, id est *ad illum*, scilicet collatus et comparatus. Jam plerique codices legunt, ἢ γὰρ ἐκεῖνος, id est *quam enim ille*; Syrus, *magis, vel potius quam ille*. Sic quoque legit S. Augustinus, epist. 86 *ad Casulanum* et alibi: quia scilicet publicanus per veram humilitatem et pœnitentiam fuit justificatus. Pharisæus vero per suam fictam et superbam orationem magis peccatis fuit inquinatus. Unde Euthymius « ab illo » interpretatur, *non ille*. Est hebraismus; Hebræi enim מִן *min*, id est *ab*, usurpant pro gradu comparativo, quem sæpe adhibent, cum unum alteri præponunt, sive per gradum boni melioris, sive per illius in uno affirmationem, et in altero negationem. Sensus ergo est, *q. d.* Publicanus justior Pharisæo domum rediit, qui eo injustior venerat in templum; justior, inquam, comparatione non directa et simplici, sed indirecta et negativa; quia scilicet ipse justus, Pharisæus vero injustus, imo injustior quam venerat, domum rediit. « Nam, ut ait Euthymius, « qui sese adeo justificaverat, adeo condemnatus est; et qui se adeo condemnaverat, justificatus est. » Et S. Paulinus, *epist.* 58: « Quod justitia ædificabat, inquit, superbia destruebat, etc. Ille in corde contrito, sui accusator accipitur, et obtinet veniam de confessis peccatis, propter gradum humilitatis, sancto illo Pharisæo (quales Judæi sancti sunt) reportante sarcinam peccatorum de jactantia sanctitatis. » Et S. Bernardus, serm. 3 *De Annuntiat.*: « Pharisæus vacuus rediit, quia plenitudinem simulavit. Nam Publicanus, qui exinanivit seipsum, qui vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem. » Audi S. Augustinum, serm. 36 *De Verbis Domini secundum Lucam*: « Quid miraris, si Deus ignoscit, quando ipse agnoscit? a longe stabat, sed cum Dominus de prope attendebat; excelsus enim Dominus humilia respicit: tremebat conscientia, spes sublevabat, percutiens pectus pœnas de se exigebat; ideo Dominus confitenti parcebat. » Et Chrysostomum: « Conjunctam cum superbia justitiam superat humilitas cum peccato; superbia enim facile justitiam deprimit, at humilitas peccati pondus superat. »

Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur (uti a Deo humiliatus et rejectus fuit superbus Pharisæus); et omnis qui se humiliat, exaltabitur, — uti ad Dei gratiam, ac adoptionem regni cœlorum exaltatus fuit humilis Publicanus. Ita Theophylactus: « Omnis, inquit, qui se exaltat, humiliabitur, Deo illum condemnante; qui autem se condemnando humiliat, exaltabitur a Deo justificante. » Hic ergo impletur illud Salomonis « Ante ruinam exaltabitur cor, » « et ante gloriam humiliabitur, » ait Interlinearis. Vere S. Chrysostomus: « Humilitas, ait, latronem ante Apostolos in paradisum duxit: quod si humilitas juxta delicta tantum potest, quid poterit justitiæ conjuncta! et si fastus conjunctus justitiæ potest deprimere, quid faciet conjunctus peccato! » Et Optatus Milevitanus, lib. II *Contra Donat.*: « Meliora, ait, sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia. » S. Basilius, hom. *De Humilitate*: « Pharisæus, ait, justificationem amisit per superbiam, mercedem perdidit per confidentiam: temerarius infra humilem et peccatorem abjectus est, seipsum super ipsum extollens, et non Dei judicium exspectans, sed suum ipsius proferens. »

Rursum S. Chrysostomus, hom. 5 *De incomprehensibili Dei natura*, in Pharisæo et Publicano duplicem nos jubet considerare bigam, « quarum sub altera, inquit, virtus juncta sit cum superbia, sub altera peccatum cum humilitate: videbis enim bigam illam peccati virtute facile anteire, palmamque decursionis celerioris obtinere, non peccati pernicitate, sed conjugatæ humilitatis facultate. Contra, bigam alteram virtutis retardari et vinci, non imbecillitate virtutis, sed superbiæ mole ac pondere. Ut enim humilitas præ summa sua excellentia peccati superat pondus, atque in cœlum pervenit; sic superbia præ nimio suo pondere, ac intolerabili onere suæ molis prævalet, adeo ut etiam levissimam illam et supernam virtutem vincat, deorsumque versus facile detrahat. » Idem, hom. 15 et 45 *in Matth.*: « Sive orationem, sive jejunium, sive misericordiam, sive pudicitiam, sive aliud quid bonorum absque humilitate congreges, statim cuncta diffluunt, cunctaque depereunt. Quod etiam Pharisæo accidit, qui cum ad ipsum virtutis cacumen ascendisset, amittens simul universa, descendit: quia scilicet non habuit matrem bonorum: sicut enim superbia omnium malorum fons est, ita humilitas cunctarum origo virtutum. » Hucusque Chrysostomus. S. Bernardus, serm. 13 *in Cant.*: « Magna, inquit, et rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, et manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, et contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. Fidelis revera



famulus es, si te multa gloria domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat. » Idem S. Bernardus scripsit sermonem integrum in hæc Christi verba: « Omnis qui se exaltat, humiliabitur. » Denique præclare S. Leo, *ad Dioscorum*: « Tota, ait, Christianæ sapientiæ disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus ab utero matris usque ad supplicium crucis omni fortitudine elegit et docuit. » Plura hac de re dixi *Eccli.* x, in fine.

15. Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret, — et tangendo benediceret. Doctrinam humilitatis Christus suo confirmat exemplo. Unde Glossa: « Humili, inquit, magistro afferuntur infantes, ut ostendatur innocens et simplex ætas ad gratiam pertinere. »

16. Sinite pueros venire ad me, etc., talium est enim regnum Dei. — Arabicus, *quia regnum Dei est eorum, qui similes sunt eis*, non in infantia, sed in innocentia, simplicitate, humilitate, etc. Unde Beda: « Non dicit: illorum, sed: talium, mores designans, non ætatem. » Et S. Ambrosius: « Non pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur; non enim est virtus non posse peccare, sed nolle. » Cætera explicui *Matth.* xix, 13 et seq.

35. Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat. — De hoc cæco a Christo illuminato dixi *Matth.* xx, 29.

# CAPUT DECIMUM NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus ingrediens domum Zachæi, illi affert salutem. Secundo, vers. 12, dat parabolam viri nobilis, qui suas minas inter servos distribuit, ab eisque earum lucrum reposcit. Tertio, vers. 29, in die Palmarum Jerusalem cum triumpho et acclamatione Hosanna, quasi Messias rex ingreditur, ejusque excidium per Titum prævidens defiet.*

1. Et ingressus perambulabat Jericho. 2. Et ecce vir nomine Zachæus, et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives; 3. et quærebat videre Jesum, quis esset, et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. 4. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. 5. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. 6. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. 7. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset. 8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. 9. Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est; eo quod et ipse filius sit Abrahæ. 10. Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. 11. Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Jerusalem; et quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur. 12. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. 13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiamini dum venio. 14. Cives autem ejus oderant eum, et miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. 15. Et factum est ut rediret accepto regno; et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. 16. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. 17. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. 18. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. 19. Et huic ait: Et tu, esto super quinque civitates. 20. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario. 21. Timui enim te, quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti. 22. Dicit ei: De ore tuo te judico, serve nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et

metens quod non seminavi : 23. et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego
veniens cum usuris utique exegissem illam ? 24. Et astantibus dixit : Auferte ab illo
mnam, et date illi qui decem mnas habet. 25. Et dixerunt ei : Domine, habet decem mnas.
26. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit; ab eo autem qui non
habet, et quod habet auferetur ab eo. 27. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt
me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me. 28. Et his dictis, præcedebat
ascendens Hierosolymam. 29. Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage et Betha-
niam, ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos. 30. dicens : Ite in cas-
tellum quod contra est; in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui
nemo unquam hominum sedit : solvite illum, et adducite. 31. Et si quis vos interroga-
verit : Quare solvitis? sic dicetis ei : Quia Dominus operam ejus desiderat. 32. Abierunt
autem qui missi erant, et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum. 33. Solventibus
autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos : Quid solvitis pullum ? 34. At illi dixe-
runt : Quia Dominus eum necessarium habet. 35. Et duxerunt illum ad Jesum. Et jac-
tantes vestimenta sua super pullum, imposuerunt Jesum. 36. Eunte autem illo, substerne-
bant vestimenta sua in via. 37. Et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti,
cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus,
quas viderant, virtutibus, 38. dicentes : Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax
in cœlo, et gloria in excelsis. 39. Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum :
Magister, increpa discipulos tuos. 40. Quibus ipse ait : Dico vobis, quia si hi tacuerint,
lapides clamabunt. 41. Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam, dicens :
42. Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi! nunc autem
abscondita sunt ab oculis tuis. 43. Quia venient dies in te; et circumdabunt te inimici tui
vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique; 44. et ad terram prosternent
te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem; eo quod
non cognoveris tempus visitationis tuæ. 45. Et ingressus in templum, cœpit ejicere ven-
dentes in illo, et ementes, 46. dicens illis : Scriptum est : Quia domus mea domus ora-
tionis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. 47. Et erat docens quotidie in
templo. Principes autem Sacerdotum, et Scribæ, et Principes plebis quærebant illum per-
dere; 48. et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, au-
diens illum.

1. Et ingressus perambulabat Jericho. — Alludit pergitque in narratione itineris Jesu; de eo enim dixit cap. præced., vers. 35 : « Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, » etc. Christus enim juxta Jericho illuminavit cæcum, mox in ipsa Jericho Zachæum convertit : nullus enim locus, nullum iter, nullum temporis momentum Christi fuit otiosum; sed omnia heroicis signata virtutibus, beneficiis et miraculis, ut nos idem facere doceret.

2. Et ecce vir nomine Zachæus. — Hoc nomen fuit quasi omen futuræ justificationis et purificationis. *Zachæus* enim hebr. idem est quod *purus*, limpidus, justus.

Princeps publicanorum, — qui scilicet sub se habebat plures publicanos, id est exactores vectigalium, quæ Romani et Tiberius Cæsar Judæis invitis imposuerant. Unde publicani Judæis erant invisi et infames, ac פריצים *parisim*, id est latrones, vocabantur. Hebr. ille princeps vocabatur *Gabba* (unde nomen *Gabella*) et publicani vocabantur *Gabbaim*, teste Angelo Caninio in *Nom. Hebraicis novi Testamenti*.

Et ipse dives. — Solent enim principes publicanorum eligi non nisi divites, ut magnas pecuniæ summas principi, dum indiget, prænumerare possint, ac defectus publicanorum sibi subditorum in multis supplere. Addit hoc Lucas, ut magis Christi gratiam et Zachæi virtutem illustret; quod scilicet opes amplas quas habebat, vocatione et amore Christi reliquerit, et in pauperes distribuerit.

3. Et quærebat videre (Arabicus, *intelligere*) Jesum, quis esset. — *q. d.* Laborabat et satagebat, ut Jesu personam de facie nosset, quam ex fama virtutum et miraculorum tam celebrem audiverat. Cupimus enim viros fama celebres videre, et ex facie nosse. Sed Zachæus, præter naturale desiderium, agebatur etiam supernaturali, ex impulsu Spiritus Sancti, desiderans videlicet videre Jesum, ut ab eo a peccatis absolveretur, justificaretur et sanctificaretur. « Cupit, ait S. Chrysostomus, hom. *De Zachæo*, nosse aspectu, quem intuitus fuerat sensu; videre facie, quem viderat mente; contemplari præsentem, quem nunquam viderat operantem; ut amor Christi Zachæi corde conceptus, etiam oculorum visibus saginaretur. »

Parvi solent esse magnanimi.

Et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat, — sed animo celsus. Parvi enim, teste Aristotele in *Physiognom.*, solent esse magnanimi, quia virtus animi in parvo corpore contracta stringitur et acuitur, quæ in magno dispergitur. Unde illud :

> Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Unde multi heroum et sanctorum fuerunt statura parvi, uti ostendi *Zachar.* IV, 10, et *Eccli.* XI, 3, ad illa : « Brevis in volatilibus apis; et initium dulcoris habet fructus ipsius. » In minimis enim maxime elucet summa Dei majestas, vis et magnitudo.

Præ turba. — Turba, inquit S. Cyrillus, est imperitæ multitudinis confusio, quam transcendere oportet, si velis Christum aspicere.

Vers. 4. 4. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum : quia inde (illac) erat transiturus. — Quæres, quæ et qualis est arbor sycomorus, vel, ut Græci nonnulli invertunt, *morosycus* : hebr. vocatur *sicma*, indeque a Septuaginta et Thodot., *Amos* VII, 14, vocatur *sycaminus*. Respondetur : illam frequentem esse in Judæa, ut patet III *Reg.* X, 27, et *Amos* VII, atque esse illam quæ a Plinio, lib. XIII, cap. VII, dicitur ficus Ægyptia; ac ab Aquila et Symmacho, *Amos* cap. VII, et Dioscoride, lib. *De Materia medicinali*, cap. CXLIV, Græce appellatur *sycomorus*, id est ficus fatua, seu insipida; sed a Theophrasto, lib. IV *De Plantis*, cap. II, et aliis, dicitur sycomorus, quasi ficus morus; quia scilicet fructus habet similes ficui, folia vero similia moro. Unde Lucas hic in Græco eam vocat συκομωρέα : μωρέα autem proprie est morus arbor.

Sycomorus quænam arbor sit.

Hinc patet *primo*, sycomorum aliam esse arborem a caprifico (id liquet ex Dioscoride, loco jam citato); est tamen illa huic similis. Unde Theophylactus et Euthymius hic pro *sycomorum* legunt *caprificum*. Patet *secundo*, sycomorum Græce scribi in penultima tam per *omicron*, quam per *omega*, adeoque illam habere communem, id est tam brevem, quam longam; tum quia μωρός, id est fatuus, scribitur per ω; tum quia morus arbor Græce scribitur tam per ω, quam per ο, ut patet ex Lexico Hesychii et cæterorum, atque ex Luca hic. Unde Poeta :

> Cornaque et in duris hærentia mora rubetis,

ubi o in *mora* quasi ω longum facit. Idque liquet ex etymo. Dicta est enim arbor *morus*, non a Latino *mora*, ut aliqui volunt (*mora* enim non potest esse etymon Græci μωρέα, sed a Græco μωρός, id est fatuus, per antiphrasin, quasi minime fatua; sicut Thomas Morus, Angliæ Cancellarius, Anglorum fuit sapientissimus. Est enim morus arborum prudentissima, ut ait Plinius, lib. XVI, cap. XXV, quia lædi se a frigore non sinit, nec nisi plane eo peracto germen emittit; sed dum incipit, in tantum germinatio erumpit, ut una nocte eam peragat, etiam cum strepitu, licet alii morum nuncupatam putent, eo quod fructus nigros producat; μαῦρον enim est nigrum, unde Mauri vocantur nigri. Hinc etiam Horatius, lib. II *Sermonum*, satyra IV :

> Ille salubres
> Æstates peraget, qui nigris prandia moris
> Finiet.

Mystice : Sycomorus est crux Christi ejusque doctrina, quæ Gentibus et terrenis hominibus visa est fatua meraque stultitia, sed Zachæo et fidelibus visa fuit sapientia et virtus Dei, I *Cor.* II. Hinc et arbor vetita, e qua Adam comedens, se et posteros perdidit, a multis putatur fuisse ficus, ut dixi *Genes.* II, 9. Fuit utique ficus, ac fatua, quia sub modico melle et dulcedine, continuit fel et amaritiem peccati, mortis et gehennæ, quam proinde Christus expiare debuit felle et amaritie crucis et passionis suæ. Hinc μῶρος Græcis non tantum arborem morum, sed et cruciatum, mortem et cædem significat.

Tropologice : Sycomorus docet nos amplecti illa quæ stulta sunt mundo, ut sapiamus Deo. Audi S. Gregorium, lib. XXVII *Moral.*, in fine : « Relinquamus noxiam sapientiam, ut discamus laudabilem fatuitatem, etc. Pusillus Zachæus sycomorum subiit, et Dominum vidit, quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Pusillitatem namque nostram ad videndum Dominum turba præpedit, quia infirmitatem humanæ mentis, ne lucem veritatis intendat, curarum sæcularium tumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus, si provide eam, quæ divinitus percipitur, stultitiam mente tenemus. » Particulatim deinde ipsum explicat : « Quid enim in hoc mundo stultius, quam amissa non quærere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere, imo et adjunctis aliis patientiam præbere? Quasi enim sycomorum nos ascendere Dominus præcipit, cum dicit : Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Et rursum : Si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi et alteram. Per sycomorum Dominus transiens cernitur, quia per hanc sapientem stultitiam, etsi necdum ut est solide, jam tamen per contemplationis lumen Dei sapientia quasi in transitu videtur. »

Theophylactus autem sic : Super sycomorum, id est super voluptatis dulcedinem, quæ signifi-

...itur per ficum, ascendimus, inquit, per pœnitentiam, descendimus vero per humilitatem.

5. Et cum venisset ad locum (sycomori) suspiciens Jesus, vidit illum, et dixit ad eum : Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. — Ardorem sui videndi in Zachæo compensat Christus plena exhibitione et præsentia. Ideo enim ardorem istum Zachæo inspiraverat, ut illum domum ejus ingrediendo expleret; imo ideo illac transibat Christus, ut ardorem hunc excitaret, et propter eum apud Zachæum hospitaretur, totamque ejus domum benediceret ac salvaret. Ipse enim quasi Salvator mundi venerat ad hoc, ut peccatores sanctificaret. « Nam, etsi vocem invitantis Jesus non audierat, ait S. Ambrosius, viderat tamen affectum. »

Quærenti ergo Zachæo Christum videre, Christus ei se non tantum videndum, sed et fruendum obtulit, adeoque domi ejus, præ cæteris omnibus commorari voluit.

Moraliter : disce hic desiderare Christum, Christique alloquium internum et gratiam : mox enim Christus se tibi offeret et desiderium tuum explebit; quoque majus fuerit desiderium, eo majus erit ejus alloquium; nam, ut ait Ecclesiasticus, cap. xv, Sapientia (Christus) Deum timenti et desideranti « obviabit, quasi mater honorificata, cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. » Et cap. xxiv : « Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini; spiritus enim meus super mel dulcis. » Et Christus ipse : « Si quis sitit, inquit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, » *Joan.* cap. vii.

« Vidit ergo illum » oculis luminibusque corporis, et magis mentis, quibus animum Zachæi illustravit, ut cognosceret ipsum esse Salvatorem, qui peccata pœnitentibus remitteret, eisque salutem, id est justitiam, gratiam et gloriam conferret. Aspectus ergo Jesu non est sterilis et otiosus, sed efficax et operosus; solo enim aspectu homines ad sui amorem pellicit (multo magis quam lynx visu) convertit, immutat et salvat. Hinc, ut ait S. Basilius, vidit Jesus animam Zachæi, promptissime annitentem ad sancte vivendum.

Quia hodie in domo tua oportet (ex meo decreto, liberalitate et charitate, qua te et tuos domesticos prosequor, voloque salvare) me manere. — Zachæus, ait Titus, solam Jesu visionem desiderabat, sed qui novit plus facere, quam quærimus, dedit ei super id quod exspectabat; Christus enim sua munificentia supplicum preces excedit et vota. » Promittit Christus, ait Chrysostomus, hom. *De Zachæo*, se ad ejus domum venturum, cujus desiderantis jam possederat animum. »

6. Et festinans descendit (en promptam Zachæi obedientiam, quæ meruerit salutem), et excepit illum gaudens. — Quia hospitio excepit Salvatorem, ab eoque salutem recepit; ubi enim hospitatur Salvator, ibi et salus. « Gaudens, ait Euthymius, quod non solum eum vidisset, uti optaverat, sed quod etiam ab ipso vocatus fuisset, quodque ipsum suscepisset; quod nunquam speraverat. »

7. Et cum vidissent omnes (Pharisæi et Judæi eorum asseclæ, qui publicanos quasi scelestos oderant), murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset. — Publicani enim a Judæis habebantur impii, injusti, scelerati, et sæpe tales reipsa erant. Nonnulli « peccatorem » interpretantur Gentilem et idololatram. Talem enim fuisse Zachæum censent Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, Ambrosius, Beda, et ex his Maldonatus. Unde et Zachæus restitutionem tantum injuste exactorum, quæ juris est naturæ, commemorat, de nullis vero legis Mosaicæ præceptis loquitur. Audi S. Chrysostomum, serm. *De Zachæo* : « Filius Abrahæ Zachæus fide, non genere; merito, non sobole; devotione, non stirpe. » Verum contrarium æque probabile est, et forte probabilius, scilicet Zachæum fuisse Judæum, non Gentilem : *primo*, quia, vers. 9, vocatur « filius Abrahæ; » *secundo*, quia Christus tantum cum Judæis versatus est; missus enim erat ad oves Israel, quæ perierunt; unde a Paulo, *Rom.* xv, 8, vocatur « minister circumcisionis, » id est circumcisorum, puta Judæorum; *tertio*, quia Zachæus est nomen Hebræum : *quarto*, quia Pharisæi hoc non tacuissent, sed in faciem Christo objecissent : Quomodo tu te venditas pro Messia, qui cum impiis Gentibus versaris, cum Messias solis Judæis sit promissus? Ita Jansenius et alii.

8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. — Non dubium est Christum more suo, mox ut ingressus est domum Zachæi, cœpisse docere et hortari tam Zachæum, quam domesticos ejus ad fidem et pœnitentiam, ac, si de peccatis pœniterent, promisisse eis gratiam, justitiam et salutem; insuper eos adhortatum esse ad opum mundique contemptum, ut paupertatem et perfectionem Evangelicam se sequendo amplecterentur, ac sua in pauperes distribuerent, ut thesaurum in cœlis et centuplum in hac vita reciperent. Subticet quidem hæc Lucas brevitatis studio, et ex sequentibus, atque ex iis quæ sæpius, ac præsertim paulo ante, cap. xviii, vers. 22, de Christi consuetudine docendi et prædicandi narravit, ea intelligenda reliquit. Nam hisce Christi sermonibus, per internam Christi gratiam, Zachæus plane ad fidem, pœnitentiam, paupertatem, ac opum mundique contemptum conversus, dixit Christo :

Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus. — Alterum ergo dimidium reservat non sibi, sed ut injuste fraudata aliis restituat : Subdit enim : « Et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. » *Do, reddo*, id est dare, reddere juxta tuam doctrinam et exhortationem, ex nunc firmiter decerno, constituo et addico. Unde ob hoc pœnitentis Zachæi efficax propositum, Christus quasi præmium subjecit : « Hodie salus domui huic facta est. » Ita S. Ambrosius, Beda, Euthymius hic; Tertullianus, libro IV *Contra Marcion.*; Fulgentius, epist. *ad Gallam*. Est Hebraismus similis illi Pharaonis, *Exodi* v, 10 : « Non do vobis paleas, » id est decerno jubeoque, ut amplius vobis non dentur paleæ. Et *Matth.* xxvi, 18 : « Apud te facio (id est facere volo, destino) pascha. » S. Cyprianus tamen, tract. *De Opere et Eleemosyna*, τὸ *do* et *reddo* per præteritum exponit, scilicet per *dedi, reddidi*, quasi jam ante, ex aliis Christi prædicationibus, quas Zachæus audierat, conversus fuerit.

Et si quid aliquem defraudavi. — Græce ἐσυκοφάντησα, id est per sycophantiam, fraudem, calumniam, similemve malam artem extorsi. Fatetur fraudationis culpam Zachæus, sed modicæ : nam cum pro simplo fraudato reddat quadruplum ex altero bonorum suorum dimidio, sequitur eum octavam tantum partem bonorum suorum fraude acquisivisse, ut si habeat octo millia aureorum, mille duntaxat essent fraude parta; reliqua ergo septem millia vel hæreditate, vel justa ratione erant ab eo comparata.

Vide hic subitam miramque conversionem Zachæi, per potentem Christi gratiam, qua ipse illico non tantum pœnituit, sed et bonis omnibus, quibus antea addictus erat, se abdicare decrevit; dimidium enim pauperibus, dimidium restitutioni addixit. Quare subito amplexus est consilium paupertatis Evangelicæ, ut omnibus relictis, pauperem Christum pauper sequeretur, ac vel mendicato, vel labore manuum victum sibi pararet. Unde S. Chrysostomus, hom. *De Zachæo* : « Audi mirabile, inquit, nondum didicit, et obedit : nempe Salvator justitiæ radiis nequitiæ caliginem fugavit. » Et Beda : « Ecce, inquit, camelus deposita sarcina per foramen acus transit, id est relicto divitiarum amore, benedictionem Dominicæ susceptionis accipit. Hæc est enim sapiens illa stultitia, quam de sycomoro publicanus, quasi fructum vitæ legerat, rapta reddere, propria relinquere, visibilia contemnere. » Et Theophylactus : « Vides, ait, alacritatem, non parce seminare cœpit, neque pauca quædam dedit, sed totam vitam. » Unde S. Bernardus, serm. 1 *in festo omnium Sanctorum*, suos Religiosos alloquens : « Zachæus, inquit, cujus laus est in Evangelio, dimidium bonorum suorum dedit pauperibus; sed ego multos Zachæos hic video, qui nihil sibi ex omnibus reliquere. Quis mihi scribet hoc Evangelium de Zachæis istis? imo de Petris istis? quis fiducialiter loquatur : Domine, ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te? sed scriptum est jam in Evangelio æterno, in libro vitæ scriptum est et signatum. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. »

Reddo. — id est decerno et firmiter propono reddere, nec dubium quin ipse efficax hoc propositum statim reipsa executus sit et in opus contulerit. « Alterum enim, ait S. Ambrosius, non sat, nec habet gratiam liberalitas, si injuria perseverat; quia non spolia, sed dona quæruntur. » Nam, ut inquit S. Augustinus, *epist.* 54, « Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. »

Quadruplum. — Non quasi lege naturæ, vel Mosaica tenear reddere quadruplum, cum ad simplum duntaxat utraque me obliget, sed ex ferventi charitate et pœnitentia, hunc heroicum, magnumque et superabundantem restitutionis et justitiæ actum edere constituo; quia hoc quadruplum conforme est legi, quæ, *Exodi* xxii, 1, furem ovis a judice condemnari jubet ad restitutionem quatuor ovium. Dicit hoc Zachæus, non ex jactantia et ostentatione, sed partim ex fervore a Christo et Spiritu Sancto sibi indito; partim ut retundat calumniam Scribarum Christo objicientium; quod ad se peccatorem divertisset ostendit enim se jam non esse peccatorem, sed pœnitentem, justum, imo justis justiorem et sanctum.

Tropologice : S Chrysostomus, hom. 78 *in Matth.*, docet domum animæ ornandam esse eleemosyna et justitia, uti ornavit Zachæus, si Christum in ea hospitio excipere velimus.

9. Ait Jesus ad eum, — ad ejus verba respondens; ita tamen ut non tam ad eum, quam ad discipulos turbamque circumstantem vultum vocemque dirigeret. Similis enallage personæ est *Rom.* x, 2; *Psal.* xxxiii et alibi (1).

Quia (quod) hodie salus domui huic facta est. — « Ejecta perditione, ait Euthymius, quæ in ea morabatur, propter avaritiam et injustitiam; » Arabicus, *hodie convenit salus habitatoribus hujus domus*, *q. d.* Quia Zachæus tantum pœnitentiæ, emendationis, eleemosynæ, restitutionis fervorem et spiritum, illi a me exterius docente, et interius mentem commovente inditum, ostendit; hinc salutem, id est gratiam et justitiam eximiam, adipiscitur; ut, si in ea perseverarit, salutem et gloriam æternam consequatur, quam ex nunc hodie illi addico et promitto.

Domui huic. — Hinc liquet quod, Zachæo credente et converso ad Christum, omnes ejus domestici, heri sui exemplo et imitatione, in Christum crediderint, pœnituerint, justificati et sanctificati sint.

Porro, Zachæus a Christo conversus, post ejus mortem et ascensionem, assecla fuit S. Petri et ab eo ordinatus fuit Cæsareæ Palæstinæ Epis-

(1) Igitur πρὸς αὐτὸν hic reddi debet : *de eo, respectu ejus*, qua ratione præpositio πρὸς haud raro occurrit.

copus, uti narrat S. Clemens, lib. I et III *Recog.*

Eo QUOD ET IPSE SIT FILIUS ABRAHÆ. — Quia scilicet imitatus est fidem, justitiam et sanctitatem Abrahæ; bona enim sua partiendo, ait Beda, pauperibus reliquit, ut ille terram et domum paternam. Ait vero: « Et ipse, » significans non solum justos, sed et eos qui ab injustitia resipiscunt, ad promissionis filios pertinere. Sic et Tertullianus, libro IV *Contra Marc.*; Cyprianus et alii superius citati. Audi S. Chrysostomum, hom. *De Zachæo*, quæ est ultima tomi II : « Zachæus totum quod habuit obtulit, qui patrimonii partem reddendis fraudibus reservavit; sed Abraham Domino filium, Zachæus substantiam obtulit. Ille hæredem, hic hæreditatem donavit; ille immolandum solum quod habuit pignus exhibuit, hic patrimonii substantiam Domino immolavit. Unde recte Abrahæ filius Zachæus nuncupatur, dum ordinem gloriæ paternæ exequitur. »

Rursum Zachæus fuit « filius Abrahæ, » quia Judæus et ex Abraham prognatus, quasi Christus Pharisæis murmurantibus, quod ad Zachæum publicanum divertisset, respondeat dicatque: Non est quod idcirco murmuretis, quia Zachæus est Israelita, et in Abraham patriarcha et patre suo jus proximum habet ad Messiam et salutem. Quare a me Messia, quia publicanus, negligi non debuit, sed quia pœnitens, suscipi et benedici.

Allegorice et tropologice: singulas hujus historiæ partes cuilibet fideli et sancto ita adaptat Beda: Zachæus, id est purus et justificatus, significat credentem ex Gentibus populum, qui temporalium occupatione depressus erat et minimus; voluit videre Christum intrantem Jericho, id est fidem quam Christus mundo attulit, participare; turba est vitiorum consuetudo, quam obstantem transcendit, terrena relinquendo et crucis arborem ascendendo. Sycomorus alta arbor, unde et celsa nuncupatur, et ficus fatua dicitur; irridetur scilicet ab incredulis crux ut fatua, sed alit credentes ut ficus. Ascendit pusillus, cum quilibet humilis clamat: « Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. » Venit eo Dominus, per prædicatores scilicet ad populum nationum; « vidit, » id est per gratiam elegit; manet in domo pusilli Zachæi, id est in humilium nationum corde quiescit; descendit iste de sycomoro: et si enim cognovimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus; et si enim mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.

Porro, Ecclesia hoc de Zachæo Evangelium apposite legit in dedicatione ecclesiarum. *Primo*, quia Christus in eo ait: « Hodie salus domui huic facta est, » quod recte competit ecclesiis, cum dedicantur; dedicatio est enim quasi salus ecclesiæ; per illam enim ecclesia dedicatur ad multorum, qui in ea per prædicationem, orationem, contritionem, confessionem et absolutionem justificandi sunt, salutem. *Secundo*, ait Christus: « Hodie in domo tua oportet me manere. » Simili enim modo Christus manet in ecclesia dedicata, per venerabile Eucharistiæ sacrificium et Sacramentum. Per dedicationem enim ecclesia fit domus Dei et habitaculum Christi. *Tertio*, quia materialis ecclesia typus est spiritualis ecclesiæ, scilicet animæ fidelis, in qua magis habitare desiderat Christus, perinde atque hic ipse magis in anima, quam in domo Zachæi commorari optabat, juxta illud: « Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui est in vobis, » I *Cor.* VI, 19. Et mox: « Glorificate et portate Deum in corpore vestro. »

10. VENIT ENIM FILIUS HOMINIS QUÆRERE ET SALVUM FACERE QUOD PERIERAT. — *q. d.* Non mirum quod Christus Zachæum, publicanos et peccatores adierit, converterit, salvarit, quia ad hoc missus erat a Patre et ad hoc ipse venerat in mundum. Sicut ergo peritia et virtus excellentis medici in eo ostenditur, si morbos inveteratos, incurabiles et desperatos curet; ita virtus summa Christi archiatri enituit in curandis animi morbis, per naturam insanabilibus, qualis est avaritia in publicanis. Hinc Zachæum publicanum non tantum ad avaritiæ, sed et opum omnium contemptum, ac ad amplexandam paupertatem Evangelicam traduxit. Hinc et Matthæum publicanum vocavit et creavit Apostolum. Similis fuit conversio et mutatio Petri publicani, sive Telonarii, uti narrat Leontius in Vita S. Joannis Eleemosynarii. Hic enim Petrus avarissimus erat, ut pauperes inter se certarent, quis ab eo extorquere posset eleemosynam. Obtulit se unus, qui ostendendo Petro suam inopiam, panem illi extorsit. Indignans enim Petrus eum sibi offerri, panem illi ad caput projecit: sequenti nocte, Petrus per visum vidit se rapi a nigris Æthiopibus ad tribunal Christi, ac in bilance merita sua et demerita appendi. Cumque sinistræ lancis demerita præponderarent, vidit in dextra lance panem, quem pauperi projecerat, positum, fere æquiponderare lanci sinistræ, sibique dici: « Vade, operare, et huic pani lancique plura adjice. » Mox evigilans, vimque eleemosynæ agnoscens, omnia sua in pauperes distribuit, ac tandem se ipsum a famulo jussit vendi Hierosolymæ triginta nummis, et pretium dari pauperibus, ut instar Christi se summe humiliaret ac per charitatem totum in pauperes expenderet. Quare Christus semel et iterum illi apparens, se omne hoc pretium recepisse testatus est. Tandem vir tantus a peregrinis Hierosolymam proficiscentibus, in convivio de more hero suo et convivis serviens agnitus, illico fugit, ac ostiario surdo et muto usum aurium et linguæ restituit, dum ab eo reserari ostium ad fugam postulavit et impetravit.

Petri publicani avaritia mira conversio.

11. HÆC ILLIS AUDIENTIBUS, ADJICIENS DIXIT PARABOLAM, EO QUOD ESSET PROPE JERUSALEM: ET QUIA EXISTIMARENT QUOD CONFESTIM REGNUM DEI MANIFESTARETUR. — Christus enim sæpe regni sui mentionem fecerat, illudque suis promiserat: unde Apostoli sperabant id nunc futurum, eo quod pergeret Hierosolymam, quæ erat metropolis Judææ, fueratque regia Davidis, Salomonis cæterorumque regum. Putabant ergo Christum pari modo in Hierosolyma regnum suum inchoaturum, ac se velut Christi familiares, ejus fore participes, eique inter primos cum eo regnaturos. Augebat spem celebritas et gloria Christi, tot recentibus miraculis, ac nominatim stupenda Zachæi conversione, inclarescens et effulgurans. Ex hac spe et suspicione, paulo post Jesu ingrediente Jerusalem, Apostoli eum asino imposuerunt, ac turbæ eidem quasi Messiæ regi in Jerusalem jam inaugurando acclamarunt: « Benedictum quod venit regnum patris nostri David: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, » infra vers. 38. Christus ergo, ut hanc opinionem eis eximat, parabolam sequentem inducit, qua significat se prius a Judæis occidendum, ac deinde resurrecturum et gloriose per fidem in toto orbe regnaturum.

Vers. 12.

12. HOMO QUIDAM NOBILIS (Syrus, *filius magni stemmatis*) ABIIT IN REGIONEM LONGINQUAM ACCIPERE SIBI REGNUM, ET REVERTI (1). — Hic « nobilis » est Christus qua homo. Nam, ut ait S. Basilius in *Catena*: « Christus nobilis est, non solum secundum deitatem, sed etiam secundum genus humanum, ex semine David secundum carnem exortus, » juxta illud, quod de Filio hominis vidit audiitque Daniel, cap. VII, 14: « Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum. » Addit ibidem Eusebius: « Nondum se regem appellat, quia in prima apparitione nondum regia fungebatur potestate. » Licet enim Christo, ab initio incarnationis suæ, debitum esset hoc regnum ob unionem hypostaticam cum Verbo, tamen ipse illud passione et morte in cruce mereri voluit, nec nisi post resurrectionem illius possessionem adire, juxta illud cap. XXIV, 26: « Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? » Christus ergo abiit « in regionem longinquam, » dum quadragesimo die a morte et resurrectione abiit in cœlum, ubi adiit possessionem regni sui, ut scilicet sit Rex totius mundi, regnetque in terra, æque ac in cœlo. Ita Theophylactus, Titus, Euthymius et alii. E cœlo vero revertetur Christus in terram ad diem judicii, tum ut regnum hoc visibiliter omnibus hominibus ostendat; tum ut quasi rex omnium tam electorum, quam reproborum, sibi infidelium et inobedientium, judicium extremum peragat; tum ut electos suos in regnum cœleste inducat, eosque gloriæ suæ participes efficiat, juxta illud quod in ascensione Christi Apostolis indicarunt angeli, *Actorum* I, vers. 11: « Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. » Tunc ergo redibit Christus, ut regnum terræ regno cœli conjungat, ostendatque se terræ et cœlo dominari, utque fideles suos e terra in regnum cœleste transferat.

Parabola [illegible] decem mnarum [illegible]

13. VOCATIS AUTEM SERVIS SUIS, DEDIT ILLIS DECEM MNAS, ET AIT AD ILLOS: NEGOTIAMINI DUM VENIO, — ut lucrum meum æque ac vestrum augeatis. « Decem, » id est omnibus servis suis; unicuique enim unam dedit mnam, ut patet ex seq. Decem mnas ergo totidem servis dedit. Denarius enim, ait Euthymius, symbolum est multitudinis et universitatis; post denarium enim reditur ad unitatem cæterosque numeros, ex quibus denario adjunctis, sequentium omnium fit compositio, ordo et numerus.

MNAS. — Hebr. et Græce *mna*, idem est quod *mina*, a rad. מנה *mana*, id est numeravit, unde *mane, thecel, phares*, Daniel. V. Mina autem erat duplex: Attica, quæ continebat drachmas centum: drachma est julius Romanus, sive regalis Hispanicus; drachma enim est octava pars unciæ: duodecim faciunt libram communem, sedecim majorem, quare mina Attica argenti continet centum julios, id est decem aureos Romanos; mina vero auri continet centum coronatos aureos, teste Budæo libro *De Asse.* Hebræa vero mina erat duplo major: Attica enim continebat unam libram, Hebræa vero libras duas cum dimidia. Ezechiel, cap. XLV, 12, ait minam continere 60 siclos, id est 240 drachmas; siclus enim erat tetradrachmus, continebat enim quatuor drachmas. Mina ergo auri Hebræa continebat 240 aureos, argenti vero 240 julios, sive regales. S. Matthæus, cap. XXV, eamdem narrans parabolam, pro *mina* habet talentum, quod apud Hebræos continebat minas Hebræas 60. Potuit Christus utrumque nominare, præsertim si parabolam variando nonnihil (ut fieri solet) repetierit.

NEGOTIAMINI DUM VENIO. — Christus vult nos continuo minis suis, id est talentis, donis, gratiis suis, quas ipse nobis dedit negotiari, ut nobis operum et meritorum lucrum assidue augeamus. Vetat ergo nos otiari: quare tota vita nostra debet esse non otium, sed negotium lucri spiritualis continuum. « Quod profecto negotium, ait S. Gregorius, lib. I, epist. 39 *ad Dominicum*, tunc vere nos agimus, si vivendo et loquendo proximorum animas lucramur; si infirmos quosque cœlestis regni gaudia prædicando, in superno amore roboramus; si protervos ac tumidos, gehennæ supplicia terribiliter insonando, flectimus; si nulli contra veritatem parcimus; si supernis amicitiis dediti, humanas inimicitias non timemus. » Paulo post vero addit: « Sed ad hoc ego pondus meæ infirmitatis expavesco, et quod accepto regno paterfamilias redeat, rationem nobiscum positu-

(1) Hujus parabolæ ratio, ut animadvertit Kuinoel in h. l., repetenda est ex moribus post Herodis tempora in Judæa receptis, reges nimirum Judæorum, non tam jure natalium, quam potius beneficio imperatorum Romanorum regnare. Quæ de legatione, vers. 14, multaque alia ad ornatum parabolæ pertinent.

ea aspicio, sed qua eum mente sustineo, cui de suscepto negotio, animarum lucrum aut nullum, aut pene nullum reporto? » Hæc ille, quo humilior, eo major.

Vers. 14. 14. CIVES AUTEM EJUS ODERANT EUM (« cives; » Syrus, *filii civitatis ejus*, quia Scribæ et Judæi oderant Jesum, quod vitia eorum taxaret), ET MISERUNT LEGATIONEM (legatos) POST ILLUM DICENTES (legatis suis) : NOLUMUS HUNC (Jesum pauperem, vilem et fabri filium) REGNARE SUPER NOS. — Id impletum est post mortem, resurrectionem et ascensionem Christi in cœlum; cum miserunt Saulum Damascum, ut omnes in Christum credentes caperet, fidemque, nomen et regnum Christi exterminaret. Item cum idem S. Petrum et Apostolos incarcerarunt et flagellaverunt, S. Stephanum lapidarunt, S. Jacobum occiderunt cæterosque Christianos persecuti sunt, ut patet ex *Actis Apostolorum*, et etiamnum persequuntur.

Vers. 15. 15. ET FACTUM EST UT REDIRET ACCEPTO REGNO.— Syrus et Arabicus, *cumque accepisset regnum, et reversus fuisset.* « De secundo adventu est hic sermo, ait Euthymius, quando revertetur cum potestate magna et gloria, sedebitque super sedem gloriæ suæ : nam tunc rationem ponens, reddet unicuique juxta opera sua. » Sic et S. Augustinus, Theophylactus, Beda et reliqui. Cætera exposui *Matth.* XXV, 19.

Vers. 16. 16. MNA TUA DECEM MNAS ACQUISIVIT. — Græce [illegible], id est operata est, sicut semen unum tritici seminatum in agro, virtute sua sugens succum e terra, eumque in se convertens, in messe producit decem, imo 30 et 60 semina granaque tritici. Unde Arabicus vertit, *mna tua facta est in decem.* Non dicit : Ego acquisivi, sed : « Mna tua acquisivit; » quia esto ad bonum opus concurrat libertas et cooperatio arbitrii nostri, tamen tota vis et virtus operandi divina est a gratia, non a libero arbitrio : ab hoc enim opus habet duntaxat, quod sit liberum; a gratia vero habet quod sit supernaturale, Deo gratum et meritorium. Unde Paulus : « Gratia Dei sum, inquit, quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum, » I *Cor.* XV, 10.

Vers. 17. 17. ET AIT ILLI : EUGE, SERVE BONE, QUIA IN MODICO (in una mina expendenda) FUISTI FIDELIS, ERIS POTESTATEM HABENS SUPER DECEM CIVITATES. — Id est, pro una mina centum, adeoque mille et mille, imo regimen unius provinciæ sive decapoleos, puta decem civitatum et plurium recipies, *q. d.* Pro parvo labore et cura in terra, magna, imo maxima et ineffabilia in cœlo præmia referes, ac præsertim præeris iis in quos tua Dei dona in terra expenderis, quosque ad Christum converteris, vel in fide et virtute promoveris. Causam dat S. Ambrosius : « Nam sicut angeli præsunt, ita et hi qui vitam meruerunt angelorum. » Ac pressius Beda : « Esto, inquit, potestatem habens super decem civitates, hoc est abundantiorem felicitatem atque honorem sortieris in cœlis, et pro omnibus, ac ab omnibus, quibus fuisti cooperator salutationis, glorificaberis in supernis. Nam et post judicium manebit in beatis ordo dignitatis, ac congruæ ad invicem honorationis. Unde dicit Apostolus : *Quæ est spes nostra ac gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus?* » I *Thessal.* II, 19.

18. ET ALTER VENIT, DICENS : DOMINE, MNA TUA FECIT QUINQUE MNAS. — Hic patet usus liberi arbitrii, et quantum faciat ejus strenua cum gratia cooperatio. Nam prior cum una mina strenue negotians et cooperans, lucratus fuit decem minas, vers. 16, hic vero lentius et remissius cooperans, ex una mina lucratus est quinque minas duntaxat. Vers. 18

19. ET HUIC AIT : ET TU, ESTO SUPER QUINQUE CIVITATES. — « Conformiter ad mensuram studii cujusque, ait Euthymius, mensuratur et honor et beneficium. »

ET ALTER VENIT, DICENS : DOMINE, ECCE MNA TUA, QUAM HABUI REPOSITAM IN SUDARIO (1). — Tibi integram, sed sine lucro, et non auctam vel multiplicatam, restituo. Pecuniam in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere, ait Beda.

27. VERUMTAMEN INIMICOS MEOS ILLOS (Judæos cives meos), QUI NOLUERUNT ME REGNARE SUPER SE, ADDUCITE HUC (ad tribunal meum, super vallem Josaphat et Jerusalem), ET INTERFICITE ANTE ME. — Græce, *jugulate in conspectu meo.* Alludit ad reges victores, qui rebelles suos debellatos mactant et jugulant : per jugulationem hanc significat Judæorum cæterorumque Christi hostium extremum judicium et condemnationem ad æternam in gehenna mortem, sed vivam et vitalem, ut scilicet mortiferis pœnis et incendiis jugiter torqueantur et nunquam moriantur. Alludit ad Titum, qui devictos Judæos jugulavit. Sed per hoc ad litteram præcise intelligit Judæorum condemnationem et gehennam; hanc enim eis irrogabit, cum e cœlo redierit ad judicium, ut Judæos reprobosque judicet et damnet.

28. ET HIS DICTIS, PRÆCEDEBAT (ex Jericho et domo Zachæi) ASCENDENS HIEROSOLYMAM, — ut ibi dicta sua de passione, cruce, morte, indeque resurrectione, regno, gloria et judicio ipso facto et reipsa implere inciperet. Præibat autem Apostolis ab hoc itinere abhorrentibus, quasi dux et antesignanus, ut ostenderet se hilariter et fortiter ire ad mortem, imo quasi mortem ad duellum provocare; per mortem enim iturus erat in regionem longinquam, puta in cœlum, ad capessendum regnum cœleste et æternum. Vers. 28

(1) Σουδάριον, *sudarium*, vox origine Latina, proprie notat *linteum quo sudor faciei abstergitur;* e lingua Latina migravit in Græcam Syriacamque, ita ut his in linguis latiori sensu adhiberetur, et significaret *linteum quo aliquid* (v. g. mortui caput) *velatur et absconditur* (v. g. argentum).



37. LAUDARE DEUM, etc. (dicentes : « Hosanna filio David; » vide dicta *Matth.* XXI, 9) SUPER OMNIBUS, QUAS VIDERANT, VIRTUTIBUS. — Græce δυνάμεων, id est factis potentibus, maxime ob recentem Lazari a morte resuscitationem; ob hanc enim venit ei turba obviam, ut ait Joannes, XII, 18. Ita Beda.

38. DICENTES : BENEDICTUS, QUI VENIT REX IN NOMINE DOMINI, — puta rex noster Messias, sive Christus, a Deo missus ad nos salvandos et beandos.

PAX IN COELO (supple : *sit,* ut scilicet per Christum pax fiat inter nos ac Deum, et angelos nobis ob peccata offensos, ideoque), GLORIA (sit Deo, IN EXCELSIS — cœlis habitanti. Audi Bedam : « Rex dicitur, non ad exigendum tributum, vel ferro exercitum armandum, hostesque visibiliter debellandos; sed quia mentes regat et in regnum cœlorum credentes perducat. » Causam subdit Beda : « Quia Christus in carne totius mundi propitiatio illuxit, pulchre sibi invicem in laudes ejus concinunt cœlestia, id est angeli, qui eo nascente cantarunt, et terrena, id est homines, qui laudant, cum se cœlo redditurus esset. » Et Theophylactus : « Significatur, ait, evanuisse bellum antiquum, quo Deo adversabamur, et laudari ab angelis Deum in tali reconciliatione; et quidem hoc ipsum quod Deus ambulat in territorio nostro, significat ipsum nobiscum habere concordiam. »

Vers. 41. 41. ET UT APPROPINQUAVIT, VIDENS CIVITATEM (Jerusalem), FLEVIT SUPER ILLAM. — Ut viscera charitatis erga eam ostenderet, quam scilicet sibi cordi et curæ esset Judæorum salus, ad hanc enim a Patre missus erat ad Judæos, quasi Messias et Salvator. « Flevit » ergo inter gaudia triumphi et inter faustas gratulantium, et Hosanna vociferantium acclamationes; ut hæc gaudia injecto quasi felle temperaret. Deflevit autem Hierosolymitanorum tum cæcitatem, obdurationem et ingratitudinem, quod se Messiam et Salvatorem recipere nollent; tum Dei in eos vindictam et gentis suæ excidium per Titum; tum quod videret labores et dolores suos pro iis susceptos, frustrari et irritos cadere. Hæc tria enim Christo lacrymas excusserunt ex doloris vehementia. Ita S. Cyrillus, Beda, Theophylactus et alii.

Tropologice Origenes : Christus, inquit, beatitudines omnes [illegible] firmavit exemplo; dixerat : Beati flentes, itaque flet.

42. DICENS : QUIA (quod) SI COGNOVISSES (cognosceres) ET TU (sicut ego cognosco, ait S. Gregorius, *hom.* 39; Beda et alii), ET QUIDEM IN HAC DIE TUA (qua ingredior ad te, quasi Messias rex tuus ad tuam salutem, ut te salvem et beem in æternum, juxta oraculum Zachariæ, cap. IX) QUÆ AD PACEM TIBI. — Refer ad *cognovisses, q. d.* Si cognovisses ea (Græce enim est τὰ) quæ ad tuam pacem, id est ad tuum bonum, salutem et felicitatem faciunt, scilicet pœnitentiam et fidem in me, quam tibi per triennium prædicavi : si audii : utique fleres, sicut ego fleo, tua scelera, et tuam præteritam cæcitatem et obstinationem. Euthymius supplet : *Nequaquam perires;* alii : *Aliter te gereres, me audires et in me crederes.* Hinc Syrus vertit, *nempe si tu nosses ea quæ sunt ad pacem tuam vel salutem isto die tuo;* Arabicus, *si cognovisses et tu et in hac die, quantum est tibi in ea pacis.* Pax Hebræis prosperitatem, salutem, felicitatem omneque bonum tam corporis quam animi significat.

Est aposiopesis, significans vehemens Christi *pathos* doloris, æque ac indignationis; exprobrat enim Christus ingratæ urbi suam infidelitatem, obstinationem, ingratitudinem. Hoc pathos in Christo tantum fuit, ut ei vocem intercluserit, ideoque per aposiopesim, cum silere id quod dixi, coegerit. « Consueverunt enim, ait Euthymius, flentes verba præ affectus vehementia abrumpere. » Rursum magnum est pathos in voce *et tu* : tu, o filia Sion, a me adeo amata, honorata, locupletata, edocta, quomodo me non agnoscis, imo me ut falsum Messiam rejicis, persequeris, damnas, occidis, et crucifigis? Ego enim propter te e cœlo in terram descendi, propter te in Bethlehem juxta Jerusalem natus sum, propter te triginta quatuor annos in continuo labore, dolore, paupertate vixi. Triennium totum tuos vicos et castella obeundo, prædicavi et docui, tuos leprosos, ægros, dæmoniacos sanavi, tuos mortuos vitæ restitui. Tu ergo, filia Jerusalem, filia adeo a me dilecta, cur me tui tam amantem non redamas, sed velut hostem spernis et perimis? veniet, et brevi veniet, dies illa magna Dei, qua sero perfidiam tuam agnosces ac tuam cæcitatem frustra deplorabis. Hæc est dies tua, in qua opibus, deliciis, pompis tuis vane exultas. Veniet mox dies mea, imo dies Dei, qua te acerrime castigabit, et funditus exscindet, in qua inconsolabiles et perennes fundes acerbissimi doloris lacrymas.

Simile est pathos in illo Christi ad Judam proditorem : « Tu vero unanimis, dux meus et notus meus, etc. » Sic et Julius Cæsar, cum a 23 Senatoribus in curia necaretur, inter eos videns et Brutum suum : « Tu etiam, fili mi, inquit, in necem meam ruis, » meam, inquit, qui tibi quasi pater extiti? Ita Suetonius in ejus Vita, cap. LXXXII. Kai σὺ τέκνον

Maldonatus pro τὰ, id est *quæ*, legit τῇ, id est *hac*, scilicet ἡμέρᾳ, id est *die, q. d.* Si cognosceres in hac die, in qua omni frueris pace, prosperitate et rerum abundantia, quod inimici obsidione te cingent, capient et exscindent; subaudi : utique amarissime mecum fleres.

Tropologice S. Gregorius, *hom.* 39 : « Suam hic diem, inquit, habet anima perversa, quæ transitorio gaudet in tempore. Cui ea quæ adsunt, ad pacem sunt; quia dum rebus temporalibus lætatur, [illegible]

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

voluptate resolvitur, dum nulla pœnæ venturæ formidine terretur, pacem habet in die sua, quæ grave damnationis scandalum in die habebit aliena: ibi enim affligenda est, ubi justi lætabuntur, et cuncta quæ modo ei ad pacem sunt, tunc in amaritudinem rixæ vertentur; quia rixari secum incipiet, cur damnationem, quam patitur, non expavit, cur a prospiciendis malis sequentibus oculos mentis clausit. »

NUNC AUTEM ABSCONDITA SUNT AB OCULIS TUIS, — « quod de industria scire nolueris, ait Titus, et Eusebius in *Catena*. Notat, ait, suum adventum ad pacem totius mundi factum, quem isti, quia recipere noluerunt, dicuntur eis fuisse absconditum. Abscondita ergo Judæis fuit Christi incarnatio, prædicatio, passio, resurrectio, æque ac sua perfidia, cæcitas, ingratitudo, ideoque sua vindicta et excidium per Titum; *q. d.*, ait S. Gregorius, *hom.* 39: « Si mala imminentia videres, læta in præsentibus prosperis non esses. »

Tropologice, iisdem S. Gregorius: « Anima perversa, inquit, dum in præsentis vitæ oblectationibus se deserit, quid aliud quam clausis oculis ad ignem vadit? Unde bene scriptum est: In die bonorum ne immemor sis malorum. Et inde per Paulum dicitur: Qui gaudent, tanquam non gaudentes sint; quia et si qua est præsentis temporis, ita est agenda lætitia, ut nunquam amaritudo sequentis judicii recedat a memoria, quatenus dum mens pavida extremæ ultionis timore transfigitur, quantum nunc præsens lætitia, tantum post ira subsequens temperetur. »

1. 43. QUIA VENIENT DIES IN TE (tibi), ET CIRCUMDABUNT TE INIMICI TUI VALLO, ET CIRCUMDABUNT TE. — Græce, *circumdabunt inimici tui vallum tibi, et cingent te circumcirca*, ut nullus tibi sit locus effugii; Arabicus, *profecto venient dies* (in quibus) *inimici tui projicient vexilla tua, et circumdabunt te*. Vallum est munimentum castrorum, quod ex vallis, id est palis fit, aggesta simul terra, cespitis et lapidum copia; unde et agger dicitur. Quam vere id prædixerit Christus, testatur Josephus, qui, lib. VI, cap. VII et XIII *Belli*, narrat Titum et Romanos circa Jerusalem tres aggeres erexisse, deinde solius tridui spatio totam urbem muro cinxisse: per circuitum enim urbis murum 39 stadiorum extruxisse, ut nulli pateret exitus, vel transitus.

Alludit Christus ad illud *Isaiæ*, cap. XXIX, 1 et seq.: « Væ Ariel, Ariel, civitas quam expugnavit David, etc. Et circumvallabo Ariel, et erit tristis, et mœrens, et erit mihi quasi Ariel. » Vide ibi dicta. Jerusalem enim, quæ prius fortis erat et invicta, erat quasi Ariel, id est leo Dei: nunc a me deserta et excidio Romanis tradita, erit quasi aries justitiæ et vindictæ divinæ immolatus. Ita Eusebius, Cyrillus et Theodoretus in *Isaiæ* cap. XXIX, 1.

ET COANGUSTABUNT TE. — Ad tantas famis et ærumnarum angustias redigent, ut et matres filios suos vorent: vide Josephum, lib. VI *Belli*, cap. XIV et seq.

44. ET AD TERRAM PROSTERNENT TE (Græce ἐδαφιοῦσι, id est solo æquabunt) (1), ET FILIOS TUOS, QUI IN TE SUNT, ET NON RELINQUENT IN TE LAPIDEM SUPER LAPIDEM. — Id est funditus destruent te. Est hyperbole; neque enim Romani fuere tam curiosi, vel otiosi, ut nullum lapidem super alium relinquerent. « Hoc quoque, ait S. Gregorius, *hom.* 39, ipsa jam ejusdem civitatis transmigratio testatur, quia dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam fuerat Dominus crucifixus, prior illa Jerusalem funditus est eversa; » mons enim Calvariæ modo situs est in medio novæ Jerusalem.

EO QUOD NON COGNOVERIS TEMPUS VISITATIONIS TUÆ. — « Tempus visitationis, ait Titus, illud vocat, quo ipse e cœlo lapsus, eam visitavit multaque inter visitandum divina documenta tradidit, ac plurima tandem stupenda miracula in ea patravit. » Et Theophylactus: « Visitationis tuæ, hoc est mei adventus, quando veni, ut inviserem te et salvarem. » Et Euthymius: « Quia non agnovisti tempus curæ tuæ; tempus namque peregrinationis meæ erat tempus curæ salutis tuæ. »

Tropologice: Hæc omnia, ait S. Gregorius, *hom.* 39, in morte contingunt animæ quæ voluptatibus carnis servivit. Tunc enim dæmones undique eam cingunt, tentant, coangustant et ad tartara rapiunt. Tunc omnis illa lapidum, id est cogitationum suarum, constructio dissipatur, eo quod non cognoverit tempus visitationis suæ, quo Deus eam per prædicatores, confessarios, magistros et per internas inspirationes monuit, ut vitam emendaret et saluti suæ consuleret. Exempla horrenda Chrysaorii, Theodori, Theodorici regis et aliorum recenset S. Gregorius, lib. IV *Dial.*, cap. XXX, XXXVIII, XLVI, LII et seq.

(1) Revera ea notio inest verbo ἐδαφίζειν, sed forsan in hoc orationis contextu præferenda est generalior verbi notio *ad terram prosternere*, et ex adjuncto *solo allidere*, cum hæc et urbi et τοῖς τέκνοις apprime conveniat. Itaque ἐδαφίζειν in genere c. 1. notat *ad terram prosternere*, sed speciatim, si ad urbem refertur, *solo æquare*; si ad τέκνα (filios tuos), solo allidere. Nam quamvis per τέκνα vulgo intelligant *incolas Hierosolymitanos*, sunt tamen qui merito arbitrantur proprium vocabuli significationem esse retinendam hic, ita ut intelligantur *infantes, parvuli*, adeoque respiciatur ad morem illum apud populos Orientis militarem, parvulos muro vel petra allidendi.



# CAPUT VIGESIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus Scribis quærentibus qua auctoritate prædicaret, opponit testimonium Joannis Baptistæ de se testificantis, quod a Deo ad prædicandum missus esset. Secundo, vers. 9, eis proponit parabolam vineæ, et colonorum ejus iniquorum. Tertio, vers. 22, iisdem se tentantibus an liceat tributum dari Cæsari, respondit:* Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. *Quarto, vers. 27, Sadducæos negantes resurrectionem redarguit, illamque eis e Scriptura probat. Quinto, vers. 42, eis demonstrat Messiam esse Deum, eo quod David,* Psal. CIX, *cum vocet Dominum. Denique eorum vitia taxat, populumque monet ne illa imitentur.*

*Hæc omnia audivimus* Matth. XXI *et* XXII, *ubi ea explicui.*

1. Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo, et evangelizante, con-
venerunt principes Sacerdotum, et Scribæ cum senioribus, 2. et aiunt dicentes ad illum:
Dic nobis in qua potestate hæc facis? aut: Quis est, qui dedit tibi hanc potestatem?
3. Respondens autem Jesus, dixit ad illos: Interrogabo vos et ego unum verbum. Respon-
dete mihi: 4. Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? 5. At illi cogitabant
intra se, dicentes: Quia si dixerimus: De cœlo, dicet: Quare ergo non credidistis illi?
6. Si autem dixerimus: Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos: certi sunt enim
Joannem prophetam esse. 7. Et responderunt se nescire unde esset. 8. Et Jesus ait illis:
Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio. 9. Cœpit autem dicere ad plebem para-
bolam hanc: Homo plantavit vineam, et locavit eam colonis; et ipse peregre fuit multis
temporibus. 10. Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi.
Qui cæsum dimiserunt eum inanem. 11. Et addidit alterum servum mittere. Illi autem
hunc quoque cædentes, et afficientes contumelia, dimiserunt inanem. 12. Et addidit ter-
tium mittere; qui et illum vulnerantes ejecerunt. 13. Dixit autem dominus vineæ: Quid
faciam? mittam filium meum dilectum; forsitan, cum hunc viderint, verebuntur. 14. Quem
cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, ut
nostra fiat hæreditas. 15. Et ejectum illum extra vineam occiderunt. Quid ergo faciet illis
dominus vineæ? 16. Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis. Quo audito,
dixerunt illi: Absit. 17. Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc, quod scriptum
est: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? 18. Omnis
qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur; super quem autem ceciderit, commi-
nuet illum. 19. Et quærebant principes Sacerdotum et Scribæ mittere in illum manus illa
hora, et timuerunt populum: cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.
20. Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in ser-
mone, ut traderent illum principatui et potestati præsidis. 21. Et interrogaverunt eum,
dicentes: Magister, scimus quia recte dicis et doces; et non accipis personam, sed viam
Dei in veritate doces: 22. licet nobis tributum dare Cæsari, an non? 23. Considerans
autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis? 24. Ostendite mihi denarium.
Cujus habet imaginem et inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Cæsaris. 25. Et ait
illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. 26. Et non potuerunt
verbum ejus reprehendere coram plebe; et mirati in responso ejus, tacuerunt. 27. Acces-
serunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, et interrogaverunt
eum, 28 dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicujus mortuus fuerit

habens uxorem, et hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, et suscitet semen fratri suo. 29. Septem ergo fratres erant; et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis. 30. Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio. 31. Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem, et non reliquerunt semen, et mortui sunt. 32. Novissime omnium mortua est et mulier. 33. In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? Siquidem septem habuerunt eam uxorem? 34. Et ait illis Jesus : Filii hujus sæculi nubunt, et traduntur ad nuptias; 35. illi vero qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores; 36. neque enim ultra mori poterunt : æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. 37. Quia vero resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob. 38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum : omnes enim vivunt ei. 39. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei : Magister, bene dixisti. 40. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare. 41. Dixit autem ad illos : Quomodo dicunt Christum filium esse David? 42. Et ipse David dicit in libro Psalmorum : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, 43. donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? 44. David ergo Dominum illum vocat; et quomodo filius ejus est? 45. Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis : 46. Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis; 47. qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

36. ÆQUALES ENIM ANGELIS SUNT, — (Arabicus, *sunt velut angeli Dei*; Syrus, *sunt instar angelorum* : sic fere et Ægyptius, Persicus et Æthiopicus), in cælibatu, in immortalitate, in gloria : sicut ergo angeli non nubunt, non generant, sic nec Beati, quia ipsi per se immortales et gloriosi, in omne ævum perennabunt : generatio enim in hac vita quæritur ob mortem, ut pater moriens, in filio quem vivum relinquit, quasi superstes vivat et perennet. Unde S. Cyrillus : « Sicut angeli, inquit, non sunt per generationem propagati, ita his qui resurgunt non est opus nuptiis. » Et S. Chrysostomus, cap. XXII, in *Matth.* : « Hic ducuntur uxores, inquit, ut nascendo suppleatur quod moriendo minuitur; illic autem mors non erit, et consequenter nec nuptiæ, » nec uxores, nec generatio.

ET FILII SUNT DEI, CUM SINT FILII RESURRECTIONIS. — « Filii Dei » dicuntur, ait Theophylactus, qui per resurrectionem regenerantur, non tantum per gratiam, sed etiam per gloriam, ut Deo sint simillimi, juxta illud I *Joan.* III : « Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est : » unde tunc quasi filii adibunt hæreditatem Dei Patris.

Hinc et dicuntur « filii resurrectionis, » quia ex resurrectione, quasi rursum nasci ad novam, divinam et beatam vitam videbuntur. Ita Theophylactus.

*Secundo*, erunt « filii resurrectionis, » id est digni resurrectione : nam vox *filius*, cum additur genitivo præmii vel pœnæ, apud Hebræos significat reum, dignum, vel destinatum ad talem pœnam vel præmium : sic dicuntur *filii mortis* et *gehennæ*, id est rei mortis et gehennæ; *Filii regni et resurrectionis*, id est digni regno cœlesti et resurrectione Beatorum.

40. ET AMPLIUS NON AUDEBANT EUM QUIDQUAM INTERROGARE, — scilicet Sadducæi; nam Pharisæi rursum eum interrogarunt, quodnam esset maximum mandatum, ut patet ex *Matth.* cap. XXII, vers. 35.



# CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus asserit viduam dantem duo minuta plus cæteris dedisse. Mox, vers. 7, dat signa prævia excidio, tam urbis (Hierosolymæ) quam orbis. Eadem signa narravit* Matthæus, cap. XXIV, *ubi ea explicui. Quocirca, vers. 34, omnes adhortatur, ut vigilent in orationibus, ac sobrie, pie justeque vivant, et ad diem judicii se comparent.*

1. Respiciens autem, vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites. 2. Vidit autem et quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. 3. Et dixit : Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit. 4. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei, hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit. 5. Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit : 6. Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. 7. Interrogaverunt autem illum, dicentes : Præceptor, quando hæc erunt, et quod signum cum fieri incipient? 8. Qui dixit : Videte ne seducamini; multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum; et tempus appropinquavit : nolite ergo ire post eos. 9. Cum autem audieritis prælia, et seditiones, nolite terreri; oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. 10. Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum. 11. Et terræ motus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et fames, terroresque de cœlo, et signa magna erunt. 12. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, et persequentur, tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et præsides propter nomen meum : 13. continget autem vobis in testimonium. 14. Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis. 15. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. 16. Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis; 17. et eritis odio omnibus propter nomen meum; 18. et capillus de capite vestro non peribit. 19. In patientia vestra possidebitis animas vestras. 20. Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus; 21. tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; et qui in medio ejus, discedant; et qui in regionibus, non intrent in eam. 22. Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. 23. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus : erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic. 24. Et cadent in ore gladii; et captivi ducentur in omnes Gentes, et Jerusalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora nationum. 25. Et erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, et fluctuum, 26. arescentibus hominibus præ timore, et exspectatione, quæ supervenient universo orbi; nam virtutes cœlorum movebuntur; 27. et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate. 28. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. 29. Et dixit illis similitudinem : Videte ficulneam et omnes arbores : 30. cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. 31. Ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. 32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. 33. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. 34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illa : 35. tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis. 37. Erat autem diebus docens in templo; noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. 38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

Vers. 18. 18. Et capillus de capite vestro non peribit. — « Quia dura sunt, ait Gregorius, *hom.* 35, quæ prædicantur de afflictione mortis, protinus consolatio subditur de gaudio resurrectionis, cum dicitur : Capillus de capite vestro non peribit. Scimus, fratres, quia caro incisa dolet, capillus incisus non dolet. Ait ergo martyribus suis : Capillus de capite vestro non peribit; videlicet aperte dicens : Cur timetis, ne pereat quod incisum dolet, quando et illud in vobis perire non potest, quod incisum non dolet? »

Resurgemus cum quatuor humoribus, cum capillis, barba, unguibus. Ex hisce Christi verbis collige, nos resurrecturos non tantum cum quatuor humoribus, puta sanguine, pituita, bile atra et flava, quod quidam viri docti negarunt; sed etiam cum capillis, barba, unguibus. Ita docet S. Augustinus, lib. XXII *De Civitate Dei*, cap. XIX et XX; S. Bonaventura, in IV, dist. 44, art. 1, Quæst. II ad 3; D. Thomas, in *Supplem.*, Quæst. LXXX, art. 2; Richardus, in IV, dist. 44, art. 1, Quæst. III; Magister, in IV, dist. 44; Dominicus Soto, in IV, dist. 44, art. 2. Probant ex illo *Matth.* x : « Capilli capitis vestri omnes numerati sunt; » et ex hoc loco *Lucæ* : « Capillus de capite vestro non peribit : » « non longitudine, sed numero, » ait Augustinus.

*Secundo*, ratione, quia resurgent corpora sine deformitate, cum suo ornatu et decore; ornatus autem capitis est coma, oris barba, digitorum ungues; et si quis eis careret, deformis esset.

Dices, illa sunt excrementa membrorum : hæc autem tollentur, ut patet de urina, sudore, etc. Respondeo : Urina et sudor sunt mere excrementa; capilli autem et ungues, licet excrementa eatenus dici possint, quatenus excernuntur a membris, quia tamen ab iis excernuntur ad sui tutelam et decorem, hinc potius ornamenta dicenda sunt, quam excrementa. Simili modo excernuntur pori et pellis, a carne; pituita et cholera, a sanguine, quæ tamen excrementa dici nequeunt.

Vers. 19. 19. In patientia vestra possidebitis animas vestras. — Patientia ergo est possessio animæ, primo, quia patiens dominatur animo, eumque in pace moderatur, flectit et regit quocumque ei libet; *secundo*, quia nemo potest custodire spem futuræ vitæ, ait S. Augustinus, nisi qui patientiam habuerit in laboribus hujus vitæ; *tertio*, S. Gregorius, hom. 35 *in Evang.* : « Idcirco, inquit, possessio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium custosque virtutum patientia est. Per patientiam vero possidemus animas nostras, quia dum nobis ipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus. Patientia vero est aliena mala æquanimiter perpeti : contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Nam qui sic proximi mala portat, ut tamen tacitus doleat, et tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, sed ostendit. » Et inferius : « *Prov.* cap. XVI, ait Salomon : Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Minor est ergo victoria urbes expugnare : quia extra sunt, quæ vincuntur. Majus autem est, quod per patientiam vincitur : quia ipse a se animus superatur, et semetipsum sibimetipsi subjicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ sternit. » Subdit S. Gregorius exemplum Stephani abbatis, « qui reddebat contumeliis gratias, damnum putabat lucrum, adversarios æstimabat adjutores. » Unde in morte ejus visi sunt angeli, qui animam ejus in cœlum duxerunt.

Impatiens animam non possidet, sed possidetur a vitio iræ et vindictæ, ac consequenter a Satana. Porro, non alii nisi vehementer amantes, veram possunt obtinere patientiam, uti obtinuere ferventes Martyres, S. Ignatius, S. Laurentius, S. Sebastianus, S. Vincentius, etc. Quocirca Trajanus Imperator, qui sua sententia causam dedit martyrio S. Ignatii, dixit : « Nulla gens pro Deo suo tanta tolerat, atque Christiana. » Audi S. Gregorium, lib. V *Moral.*, cap. XIII : « Quid est enim animas possidere, nisi perfecte in omnibus vivere, cunctisque mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur patientiam tenet, animam possidet, quia inde contra adversa omnia fortis efficitur; unde sibi et seipsum vincendo dominatur. Et quo se laudabiliter frangit, infractum se fortiter exerit; quia cum in suis se voluptatibus superat, sese ad contraria invictum parat. » Idem, lib. IX, epist. 39 *ad Theoctister.* : « In patientia vestra, inquit, possidebitis animas vestras. Pensate, quæso, ubi erit patientia, si deest quod toleretur. Ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit. Boni enim si sine malis fuerint, perfecte esse boni non possunt, quia minime purgantur; ipsa autem malorum societas bonorum purgatio est. »

Quocirca Theodorus Studita, *serm. Catech.* 49 : « Tolerantia, inquit, summa virtutum perfectio est. » Hinc, ut ait Lucanus, lib. IX :

Serpens, sitis, ardor, arenæ
Dulcia virtuti. Gaudet patientia duris.

Denique in patientiam omnis virtutum chorus



influit, ut ipsa videatur virtutum omnium esse complexio. Audi Senecam, *epist.* 67 et seq. : « Cæterum illic fortitudo est, cujus patientia et perpessio et tolerantia rami sunt. Illic est prudentia, sine qua nullum initur consilium, quæ suadet quod effugere non possis, fortissime ferre. Illic est constantia, quæ dejici loco non potest, et propositum nulla vi extorquente dimittit. Illic est individuus ille comitatus virtutum. » Vide dicta *Jacobi* I, 4, ad illa : « Patientia opus perfectum habet. »

Vers. 34. 34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ; et superveniat in vos repentina dies

Crapula quid? illa. — « Crapula » est, quando ex vinolentia vel ebrietate caput tremit, vertigine agitatur, gravatur, luctatur, fluctuat, dolet, ructat, vomit, etc. Omnia enim vini potusque damna significat « crapula. » Unde Galenus, in *Aphorismis*, scribit omnem noxam a vino factam, a Græcis vocari κραιπάλην, id est crapulam; παρὰ τὸ κάρηνον, id est caput; πάλλεσθαι, id est concuti. Proprie autem crapula dicitur de gravedine, et noxis jam dictis ex hesterna ebrietate : unde Plato in *Sympos.* : Crapulam sentiens, inquit, ex potitatione hesterna. Hinc Arabicus pro *crapula* vertit, *satietate*; et S. Basilius, in *Catena* : Ebrietas, ait, est nimius vini usus; crapula vero anxietas et nausea, quæ est in ebrietate.

Ebrietas quid? Et ebrietate. — Ebrietas est intemperantia potus, præsertim cum tanta est, ut homini usum rationis adimat : tunc enim proprie et perfecte quis dicitur ebrius, cum bibendo sibi usum rationis aufert, ideoque peccat mortaliter, ut docent S. Thomas, Angelus, Sylvester, Navarrus, Toletus, Lessius, Bonacina cæterique Doctores casuum.

Vetat ergo intemperantiam potus hic Christus, quia illa animum in potu submergit, ut non nisi vina cogitet, somnolentum efficit, stupidum et insensibilem, ut ebrius ea quæ salutis sunt perpendere nequeat; adeoque non tam homo rationalis, quam irrationale pecus et brutum esse videatur.

Et curis hujus vitæ, — quæ animum absorbent mentemque demergunt, ait Euthymius, nec sinunt hominem de salute animæ cogitare. « Vitæ hujus curæ, ait Titus, crapula item et ebrietas homini intellectum adimunt, fidem obscurant, et earum rerum quæ sunt utiles ac necessariæ, oblivionem inducunt; » plane enim mentem distrahunt, occupant et ad terrena curanda rapiunt; unde Arabicus vertit, *et sollicitudine rerum mundi*.

35. Tanquam laqueus enim superveniet (illaqueabit) in omnes qui sedent (habitant, commorantur) super faciem omnis terræ. — *Primo*, enim sicut laqueo quasi ex insidiis capiuntur aves incautæ, sic et in die judicii capientur homines voluptuarii. *Secundo*, sicut laqueus aves strangulat, sic et dies judicii peccatores suffocabit. *Tertio*, sicut laqueus semper retinet id quod semel cepit, ait Interlinearis; sic et sententia data a Christo judice, erit perpetua, semperque hominem judicatum vel in cœlo glorificabit, vel in gehenna cremabit. Vers. 35. Laqueus comparatur judicio.

36. Vigilate itaque, omni tempore (opportuno, id est diligenter, frequenter, perseveranter) orantes, ut digni habeamini (Arabicus, *ut corroboremini in fuga*) fugere (Græce ἐκφυγεῖν, id est effugere) ista omnia, quæ futura sunt, et stare (securi, confidentes, læti) ante Filium hominis, — juxta illud *Sapient.* V : « Stabunt justi in magna constantia. » Qui ergo vigiliis, orationibus et bonis operibus assidue vacant, hisce non erit dies ille laqueus, sed festivus, inquit Theophylactus. Vers. 36.

37. Erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur (Arabicus, *habitabat*) in monte, qui vocatur Oliveti, — eo quod oleis et olivis abundaret. Diem ergo Christus dabat prædicationi et proximo; noctem vero orationi, sibi et Deo : quare parum dabat quieti et somno. Idem faciebat S. Paulus, S. Dominicus, S. Franciscus, noster Xaverius aliique similes. « Noctu, ait Theophylactus, secedebat in montem, monstrans nobis quod oporteat nocte quidem per quietem colloqui cum Deo, die autem morem gerere et prodesse hominibus. » Unde Beda : « Quod verbis præcipit, inquit, confirmat exemplis; nam impendente suæ tempore passionis, doctrinæ, vigiliæ et precibus instat, eos pro quibus passurus erat, vel verbo ad fidem provocans, vel Patri oratione commendans. » Vers. 37.

38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum. — « Manicabat » (Græce ὤρθριζε, id est *mane veniebat, mane ibat*); unde Emmanuel Sa censet legendum *manitabat*; sed Roman. hic et alibi legunt, *manicabat*. Sicut enim a Græco ὄρθρον, dicitur ὀρθρίζειν, sic a Latino *mane* dicitur *manicare*; mane enim clarum veteres dicebant, ait Nonius. Servius vero : « Manum, inquit, antiqui bonum dicebant; unde et mane dicitur : quid enim melius? » Mane enim vigent sensus : ideoque mane, quasi optima et prima pars diei, Deo est danda. Vers. 38.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

# CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

***Describit Judæ proditionem, mox ultimam Christi cœnam, in eaque Eucharistiæ institutionem, ac contentionem Apostolorum de primatu a Christo repressam, atque negationem Petri a Christo prædictam. Inde, vers. 39, inchoat passionem Christi : narrat enim ejus orationem et sudorem sanguineum in horto, Petri defensionem, et mox negationem, Christi alapas, illusiones, ac denique condemnationem ejusdem.***

1. Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha; 2. et quærebant principes Sacerdotum et Scribæ, quomodo Jesum interficerent : timebant vero plebem. 3. Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim; 4. et abiit, et locutus est cum principibus Sacerdotum, et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. 5. Et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare. Et spopondit. 6. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis. 7. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. 8. Et misit Petrum et Joannem, dicens : Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. 9. At illi dixerunt : Ubi vis paremus? 10. Et dixit ad eos : Ecce, introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans; sequimini eum in domum, in quam intrat, 11. et dicetis patrifamilias domus : Dicit tibi Magister : Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? 12. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, et ibi parate. 13. Euntes autem, invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha. 14. Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo. 15. Et ait illis : Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. 16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. 17. Et accepto calice gratias egit, et dixit : Accipite, et dividite inter vos. 18. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. 19. Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem. 20. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. 21. Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. 22. Et quidem Filius hominis secundum quod definitum est, vadit; verumtamen væ homini illi, per quem tradetur. 23. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. 24. Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. 25. Dixit autem eis : Reges Gentium dominantur eorum; et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. 26. Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator. 27. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. 28. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. 29. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, 30. ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo; et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. 31. Ait autem Dominus : Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; 32. ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. 33. Qui dixit ei : Domine, tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire. 34. At ille dixit : Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis : 35. Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? 36. At illi dixerunt : Nihil. Dixit ergo eis : Sed nunc qui



habet sacculum, tollat, similiter et peram; et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium. 37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me : Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent. 38. At illi dixerunt : Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis : Satis est. 39. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli. 40. Et cum pervenisset ad locum, dixit illis : Orate ne intretis in tentationem. 41. Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis; et positis genibus orabat, 42. dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. 43. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. 44. Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. 45. Et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia. 46. Et ait illis : Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem. 47. Adhuc eo loquente, ecce turba; et qui vocabatur Judas, unus de Duodecim, antecedebat eos; et appropinquavit Jesu ut oscularetur eum. 48. Jesus autem dixit illi : Juda, osculo Filium hominis tradis? 49. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio? 50. Et percussit unus ex illis servum principis Sacerdotum, et amputavit auriculam ejus dexteram. 51. Respondens autem Jesus, ait : Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. 52. Dixit autem Jesus ad eos qui venerant ad se, principes Sacerdotum, et magistratus templi, et seniores : Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus? 53. Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me; sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. 54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis Sacerdotum : Petrus vero sequebatur a longe. 55. Accenso autem igne in medio atrii et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. 56. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat. 57. At ille negavit eum, dicens : Mulier, non novi illum. 58. Et post pusillum alius videns eum, dixit : Et tu de illis es. Petrus vero ait : O homo, non sum. 59. Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens : Vere et hic cum illo erat, nam et Galilæus est. 60. Et ait Petrus : Homo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantavit gallus. 61. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat : Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis. 62. Et egressus foras Petrus flevit amare. 63. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. 64. Et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus; et interrogabant eum, dicentes : Prophetiza, quis est qui te percussit? 65. Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum. 66. Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, et principes Sacerdotum, et Scribæ, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes : Si tu es Christus, dic nobis. 67. Et ait illis : Si vobis dixero, non credetis mihi; 68. si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. 69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. 70. Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei? Qui ait : Vos dicitis, quia ego sum. 71. At illi dixerunt : Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus.

Vers. 6. Christum vendidit Judæis feria quarta. 6. ET QUÆREBAT OPPORTUNITATEM UT TRADERET ILLUM SINE TURBIS. — Judas vendidit Christum Judæis feria quarta, sive die mercurii : mox die sequenti, puta feria quinta, sive die jovis, illum eis tradidit. Unde sequitur : « Venit autem dies azymorum. » Vide quam festina fuerit Judæ improbitas, æque ac astuta et callida : sciebat enim Christum de more celebraturum Pascha die sequenti Hierosolymæ; quare tunc commodissimum fore cum tradere Hierosolymorum principibus.

20. HIC EST CALIX NOVUM TESTAMENTUM IN SANGUINE MEO. — Vers. 20. Hoc est, hic calix est instrumentum authenticum, et quasi charta tabulaque testamentaria, in qua scriptum et consignatum est novum meum testamentum de danda vobis mea hære-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

civitate cœlesti; scriptum, inquam, non atramento, sed sanguine meo. Vide dicta I *Cor.* XI, 25.

25. ET QUI POTESTATEM HABENT SUPER EOS, BENEFICI VOCANTUR. — Græce εὐεργέται, id est *benefici*. Est enim hic titulus honoris et laudis, qui principibus defertur, quod benefici esse soleant, vel debeant.

Hinc olim proprium regis epithetum erat *bonus*. Virgilius, I *Æneid.*, de Aceste, rege Siciliæ :

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes.

Martialis de suo Domitiano :

Et bonus æthereo lætatur nectare Cæsar.

Et iterum, lib. XII *Epigr.* ex emendatis, de Nerva Trajano :

Temporibusque malis ausus es esse bonus.

Horatius, IV *Carm.*, ode 5 :

Divis orte bonis optime Romule.

Homerus nihil aliud in rege desiderabat, nisi ut esset fortis in hostes, et bonus in cives. Inde etiam Deus, Rex regum, proprio epitheto dicitur Optimus Maximus. Sic apud Plutarchum *de Iside et Osiride* dicitur Bacchus πανάγαθος, id est valde bonus. Imo præsidum epithetum erat *optimus*. Unde Paulus Felicem præsidem cognominat *optimum*, *Act.* XXIII. Vide ibi dicta.

26. VOS AUTEM NON SIC : SED QUI MAJOR EST IN VOBIS, FIAT SICUT MINOR. — Arabicus, *major ex vobis fiat sicut minimus*, q. d. Qui vult inter vos esse maximus, fiat minimus, hac ratione fiet maximus.

Moraliter, disce hic paradoxum Christi mundo incredibile, sed in se verissimum et experientia certissimum, nimirum viam ad celsitudinem esse sui abjectionem. Vis esse major? fias minor. Hanc enim viam æterna lege sanxit fixitque Deus, ideoque primus eam Christus inivit, ut nos per eamdem eum sequeremur. Ipse enim semetipsum exinanivit et humiliavit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, » *Philip.* II.

Quocirca S. Franciscus, magnus Christi admirator et imitator, sese ad infirma abjecit, omniumque voluit esse pauperrimus et vilissimus. Hinc cuidam Sancto visa est in cœlo sedes altissima et splendidissima, ac roganti cujusnam illa foret, responsum est : « Hæc sedes magni unius e ruentibus angelis fuit, et nunc humili servatur Francisco, » uti refert S. Bonaventura in ejus Vita, cap. VI. Idem fratres suos voluit vocari Minores : Ne, inquit, majores fieri præsumant. Ejus assecla, S. Franciscus de Paula, sui ordinis socios non Minores, sed Minimos nuncupari jussit. Quocirca B. Magdalena de Pazzi, nuper inter Beatas relata a S. D. N. Urbano Octavo, hoc a Deo dogma accepit : « Esto ordinis Minimorum, et Minimorum minima, » ut tantum contendas esse minima, quantum mundani contendunt esse maximi. S. Elisabeth, filia Andreæ, regis Hungariæ, et uxor Landgravii Hassiæ, ad ima se demittebat, ut leprosis, ulcerosis, saniosis, quos ancillæ ejus horrebant, ipsa jucundissime serviret, saniem et ulcera suis manibus extergeret, vermes eximeret, cibum in os ingereret, cumque amici ei objicerent hæc persona et statu ejus indigna esse, ideoque illam principatu pulsam in magna egestate vivere, respondebat se, si quod genus vitæ vilius sciret et abjectius, illud electuram, ut Christo Domino, qui ex primo se fecit imum et novissimum virorum, ut ait Isaias, cap. LIII, ad nostrum exemplum, ut illud imitemur, magis se assimilaret et conformaret; in hoc enim consistit apex virtutis et perfectionis Christianæ. Idem dictitabat et factitabat S. Hedwigis, Ducissa Poloniæ, matertera S. Elisabethæ, ejusque neptis S. Elisabetha, regina Portugalliæ. Quocirca S. Paulinus, Nolæ Episcopus, vendidit se in servum pro filio viduæ, ut Christum imitaretur et virorum novissimum se efficeret. Idem fecit Petrus Telonarius, uti narratur in Vita S. Joannis Eleemosynarii. Hoc est quod docet Sapiens : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Domino invenies gratiam, » *Eccli.* III, 20. Vide ibi dicta.

B. Magdalena de Pazzi.

S. Elisabeth.

S. Hedwigis.

S. Paulinus.

29. ET EGO DISPONO VOBIS, SICUT DISPOSUIT MIHI PATER MEUS REGNUM. — *q. d.* Sicut Pater meus cœlestis per humilitatem et crucem, perque tot labores et dolores mihi decrevit et paravit regnum cœleste et æternum; ita et ego vobis idem « dispono, » id est decerno, præparo, et vadens ad mortem nunc quasi testamento lego (hoc enim est Græcum διατίθεμαι, unde διαθήκη, id est testamentum), ut per similem humilitatem, crucem, labores et dolores, simile, imo idem, regnum meum in cœlo ineatis, ac proinde jam non disputetis quis inter vos sit major, sed quis sit minor, ut quisque studeat alium superare sui abjectione et humilitate; qui enim hoc fecerit, primus et maximus erit in regno meo cœlesti.

30. UT EDATIS ET BIBATIS SUPER MENSAM MEAM IN REGNO MEO. — *q. d.* Sicut rex principibus sibi familiarissimis concedit mensæ suæ communionem, eosque mensæ suæ suarumque dapum convivas facit; aliis vero minoribus nobilibus aliam mensam minorem assignat : sic ego in cœlo vos, o Apostoli, principes et primores regni mei mihi proxime adsciscam, et quasi mensæ meæ, lancisque regalis convivas intimos adhibebo. Simili enim modo ostendit primos celeberrimosque Apostolos primis honoribus apud immortalem Regem potituros, ait Euthymius, Titus et Theophylactus. Est catachresis, qua cœlestis gloriæ deliciæ et honores sæpe in Scriptura comparantur conviviis epulisque cibi et potus, ac primis



in mensa cum rege consessibus, quia homines carnei hæc maxime sapiunt et capiunt, spiritalia vero æstimare nesciunt; et quia cibus et potus nobis incorporantur fiuntque nostra, uti in cœlo per visionem beatificam aliasque dotes gloriosas Deus nobis quasi incorporabitur fietque noster.

31. AIT AUTEM DOMINUS : SIMON, SIMON (Petre), ECCE SATANAS EXPETIVIT VOS UT CRIBRARET SICUT TRITICUM. — « Cribraret, » id est vexaret, affligeret, agitaret, disjiceret, sicut in cribro triticum agitatur, ut illud a paleis et pulvere emundetur. Sic Satan petiit a Deo ut cribraret et affligeret Job, cap. I, ac impetravit. Idem fecit hic Petro et Apostolis, ac ex parte obtinuit, dum Judæos commovit ut comprehenderent Christum; tunc enim Apostoli metuentes et ipsi comprehendi, fugerunt et dispersi sunt. Apposite tentatio comparatur cribro et cribrationi, quia sicut in hoc grana tritici secernuntur a paleis; grana enim remanent in cribro, paleæ vero leves cribro agitatæ avolant et disperguntur in ventum : sic prorsus fideles et sancti in tentatione manent constantes, impii vero deficiunt et avolant.

32. EGO AUTEM ROGAVI (Deum Patrem) PRO TE (quia te destino caput principemque Apostolorum et Ecclesiæ meæ), UT NON DEFICIAT FIDES TUA, — qua credis me esse Christum, redemptorem et salvatorem mundi.

Duo Petri privilegia.

Nota, Christum hac oratione Petro, præ cæteris Apostolis, duo insignia privilegia postulasse et impetrasse. Primum fuit personale, ut scilicet ipse Petrus nunquam fidem in Christum amitteret. Respicit enim Christus ad cribrationem versus præcedentis, id est tentationem comprehensionis suæ, in qua cæteri Apostoli velut paleæ e Christo avolarunt, fidem amiserunt, et huc illuc dispersi fugerunt. Petrus vero, etsi Christum ad horam ore negarit et charitatem amiserit, ejus tamen fidem corde retinuit. Ita S. Chrysostomus, homil. 38 *in Matth.*; S. Augustinus, lib. *De Corrept. et gratia*, cap. VIII; Theophylactus et alii hic. Hoc probabile est, at non certum : nam Franciscus Lucas et alii censent Petrum tunc tam fidem, quam charitatem perdidisse, idque ex vehementi turbatione et pavore, sed ad modicum tempus duntaxat, adeo ut mox renata fides vividius in eo revixerit : hinc censetur non defecisse, id est non esse evulsa funditus, aut radicitus extirpata, imo turbata potius quam ad tempus mortua tunc fides Petri.

Alterum et certum privilegium fuit commune Petro cum omnibus ejus successoribus, ut scilicet ipse et cæteri Pontifices Romani (Romæ enim Petrus, Christo ita volente, cathedram Pontificiam statuit et stabilivit) nunquam publice a fide deficerent, sic ut Ecclesiam docerent hæresin vel errorem aliquem qui sit contra fidem. Ita S. Leo, serm. 2 *De natali SS. Petri et Pauli*; S. Cyprianus, lib. I, epist. 3 *ad Cornelium*; Lucius I, Felix I, Agatho, Nicolaus I, Leo IX, Innocentius III, Bernardus et alii, quos citat et sequitur Bellarminus, lib. I *De Romano Pontifice*.

Opus enim fuit ut Christus sapientissima sua providentia Ecclesiæ suæ, quæ semper a diabolo cribratur et tentatur, non tantum tempore Petri, sed omni deinceps futuro usque ad finem mundi prospiceret de oraculo veræ fidei, quod ipsa in omni fidei dubio consulere, et a quo in fide instrui et confirmari posset : alioqui enim Ecclesia in fide posset errare; quod absit. Est enim ipsa, ut ait Paulus I *Tim.* III, 15, « columna et firmamentum veritatis. » Hoc ergo Ecclesiæ oraculum est Petrus omnesque succedentes Romani Pontifices. Quare hæc Christi promissio facta Petro ejusque successoribus, maxime spectat ad tempus quo Petrus Christo superstes cœpit esse caput Ecclesiæ, scilicet illico post mortem Christi.

ET TU (*q. d.* Tu ergo) ALIQUANDO CONVERSUS — a cribratione Satanæ, id est ab ejus tentatione et a peccato, quo me paulo post negabis : per hoc enim eris aversus a me meaque gratia et charitate, ita Euthymius, Theophylactus, Jansenius, Franciscus Lucas et alii.

Nonnulli τὸ *conversus* accipiunt pro *iterum*; ita Beda, *q. d.* Tu, o Petre, iterum confirma in fide fratres tuos Apostolos post mortem meam, quos ego jam vivens voce mea confirmo. Sic enim Hebræi sæpe verba sumunt pro verborum adverbiis. Sic *Psal.* LXXXIV, 7, dicitur : « Deus, tu conversus vivificabis nos; » *conversus*, id est rursum, denuo, ita Genebrardus.

CONFIRMA (in fide, de qua præcessit) FRATRES TUOS, — et consequenter meos. Mira hic Christi dignatio, qua Apostolos non vocat filios, etsi eos Deo spiritualiter genuisset, sed « fratres, » tum quia Christus qua homo, omnium hominum erat frater, utpote consors ejusdem naturæ humanæ; tum quia Apostoli in apostolatu et prædicatione Evangelii, erant quasi fratres et collegæ Christi. Idem enim agebant quod Christus. Hinc colligunt Patres citati et Doctores Petrum a Christo fuisse præpositum cæteris Apostolis, ac consequenter totius Ecclesiæ factum esse principem et caput, ut eamdem in fide et religione Christi instrueret, perficeret et confirmaret.

36. SED NUNC QUI HABET SACCULUM (marsupium pecunia plenum) TOLLAT, SIMILITER ET PERAM — Vers. 36
cibo plenam, ut se in instante persecutione alat, quia illam nusquam inveniet, eo quod homines a me quasi vincto et reo, et consequenter a vobis meis discipulis fugient, quasi a sceleratis et damnatis.

ET QUI NON HABET (gladium, ut sequitur (1)), VENDAT TUNICAM SUAM, ET EMAT GLADIUM. — Verba hæc Christi sunt non imperantis tolli sacculum et

(1) Durius multis videtur *qui non habet* referri ad *gladium*. Igitur « qui non habet, » id est, qui pauper est, cui non tantum pecuniæ suppetit, ut gladium sibi possit emere, vendat pallium suum (vestem superiorem), ut habeat quo gladium emat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

peram, ac vendi tunicam ut ematur gladius; nam paulo post Petrum stringentem gladium inhibuit, sed prænuntiantis instantem sibi et Apostolis persecutionem acerrimam, quæ tanta erit, ut cibus et gladius ad tutelam vitæ ipsorum comparanda esse videantur homini, rem reique difficultatem humana prudentia æstimanti. Sensus ergo est, *q. d.* Hactenus vobis, o Apostoli mei, omnia fuere secunda et prospera. Cum enim misi vos evangelizatum sine sacculo, pera et gladio, plurimi benigne vos exceperunt, aluerunt, defenderunt, ut vobis sacculo, pera et gladio non foret opus. At jam mihi et vobis tanta instat persecutio, tantum vitæ periculum, ut secundum humanam prudentiam videatur necessarium sibi et suæ vitæ consulere, ac per sacculum et peram de annona, per gladium de tuenda vita cuique prospicere, ideoque vendere tunicam, ut gladium comparet, quo vitam tueatur. Mihi tamen divina prudentia, ac Dei Patris consilio et decreto rem metienti, nullo horum est opus, quia ut Dei Patris voluntati me conformem, ultro vado ad crucem et mortem, ac persecutoribus me crucifixuris sponte offero. Ita S. Chrysostomus, hom. 85 *in Matth.*, et ex eo Theophylactus hic, Jansenius, Maldonatus et alii, et patet ex sequent. Pulchre S. Ambrosius: « O Domine, inquit, cur me jubes emere gladium, qui ferire prohibes, nisi forte ut parata sit defensio, et videaris potuisse vindicare, sed noluisse (1). »

38. At illi dixerunt : Domine, ecce duo gladii hic. — Non satis intellexerunt Apostoli Christi mentem, phrasim et catachresin. Christus enim non emendos gladios, sed instans periculum significari voluit. Christus vero noluit Apostolis mentem suam explicare, sed dissimulavit, dicens: « satis est; » idque hoc fine, ut permitteret hos gladios a Petro et Apostolis ferri, unoque eorum Malcho aurem præscindi, quam ipse mox restitueret et sanaret; itaque ostenderet se non vi coactum, sed charitate adactum libere et libenter pati ac mori. Censent aliqui hos gladios non fuisse militares, sed rusticos vel potius magnos laniorum cultros, quibus Apostoli usi fuerant ad jugulationem, immolationem et divisionem agni paschalis. Ita S. Chrysostomus, de quo plura *Matth.* xxvi.

39. Et egressus (e cœnaculo montis Sion) ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. —

(1) Apposite Wetstenius ad h. l. : « Hæc verba nihil aliud continent, quam prædictionem instantium periculorum, quæ opponuntur securitati prioris temporis. Solent autem Prophetæ tempora periculosa metaphorice significare, repræsentando ea quæ homines vulgo, ut periculum caveant, tunc faciunt. » Itaque imagine hac : Armis opus erit, omnino sententia exprimitur hæc : Pericula et insidiæ vobis imminent. Verba autem *qui non habet*, cum antecedentibus ita cohærent : in posterum vobis comparanda sunt omnia iter facientibus, vitamque periculorum plenam agentibus, necessaria, v. g. crumena, pera, et vel pauperrimis gladius.

Causam dat Beda : Tradendus, inquit, a discipulo Dominus, consueti secessus locum, quod facillime reperiri possit, adit. Ubi sunt ergo, qui eum mortem timuisse, invitumque contendunt esse crucifixum? Solebat enim Christus hisce ultimis vitæ suæ diebus, per diem prædicare in templo, noctu vero secedere in montem Oliveti orationis causa, idque sciebat Judas, utpote Apostolus et comes Christi : quare in montem hunc venit cum satellitibus, ibique eis Christum prodidit et tradidit.

43. Apparuit autem illi angelus de coelo, confortans eum. — « Apparuit, » in corpore assumpto, visibiliter, ut sua specie et voce oculos auresque Christi pavidas confortaret. Putat Jansenius angelum hunc in singulis, puta in ternis Christi orationibus apparuisse, ideoque ter eum confortasse, ut doceret Deum orantes semper exaudire, eisque jugiter aliquam gratiam et robur impertiri. Probabilius Franciscus Lucas et alii censent angelum in tertia et ultima Christi oratione duntaxat apparuisse, eumque confortasse; cum scilicet, ut subdit Lucas, Christus in agonia factus prolixius et intentius orans, sudavit sanguinem, ut doceret esse perseverandum in oratione, ac fructum perseverantiæ esse consolationem Dei et visionem angelorum : nam post hanc consolationem Patris factam ab angelo, videtur agonia Christi transisse, nec Christus amplius orasse, sed fortiter ad mortem se comparasse.

Angelus hic fuit Gabriel, ait Gabriel Vasquez I *part.*, tom. II, disp. 244, n. 3. Gabriel enim nomen habet a fortitudine; Gabriel enim dicitur, quasi *geber el*, id est *vir Dei*, vel quasi *gebora el*, id est *fortitudo Dei*; quia ipse habet officium confortandi homines infirmos, afflictos et pusillanimes; confortavit autem Christum, non corroborando ejus infirmitatem, sed eximiam ejus fortitudinem collaudando. Idem censet Ludovicus de Ponte in *Medit. de Agonia Christi in horto*; quia Gabriel, inquit, fuit legatus et internuntius œconomiæ Christi, ut Incarnationis, *Lucæ* I, 26, ac hebdomadum Danielis, quæ designant tempus nativitatis Christi, *Dan.* IX, 21.

Alii tamen, ut Franciscus Lucas, putant angelum hunc fuisse Michaelem; hic enim est summus angelus, quem decebat summo Deo, puta Christo, hoc officium præstare.

Confortans eum, — præmissa Christi laude, et adoratione debita, ait Titus. Confortabat autem Christum exterius loquendo, et proponendo ei Patris voluntatem et gloriam, item fructum uberem, tum Christo, tum hominibus, tum angelis ex passione sua proventurum. Nam non poterat angelus interius in anima Christi operari, nec immutare immediate interiores Christi potentias. Unde sicut exterius tantum a diabolo tentari potuit Christus, sic ab angelo exterius tantum confortari, non tamen doceri vel illuminari; ipse enim præ angelis, a primo instanti conceptionis suæ plenus erat sapientia et scientia. Ita Scholastici cum D. Thoma, III *part.*, *Quæst.* XII, art. 4. Dixit ergo angelus hic Christo hæc vel similia : O Christe, Domine mi, virorum fortissime, tua oratio gratissima accidit Patri tuo, quia non obstante naturali mortis horrore et mœrore, te per omnia resignas Patris voluntati, ut mortem ab eo tibi decretam fortiter subeas. Depone igitur horrorem hunc et mœrorem, quem sponte tibi accersivisti; pristinum ergo animum roburque resume, ac viriliter aggredere opus redemptionis humanæ, quo summe Dei gloriam celebrabis, angelos lætificabis, homines ex inferno redimes eosque ad gloriam cœlestem reduces. Proposito tibi gaudio crucem sustine, futurus auctor et consummator fidei plurimorum, *Hebr.* XII, 2. Sic efficies ut SS. Petrus, Paulus, Laurentius, Vincentius, Agnes, Cæcilia plurimique alii martyres et virgines, quasi viri, viragines et heroes generosi, fortiter pro Deo subeant martyria, utque fideles sanctique cæteri de carne, mundo et dæmone gloriose triumphent. Scio quidem te id facturum etiam non monente me, neque opus tibi esse Domino meo confirmatione mea, qui a teipso confirmor, ut sim et vivam : sed ut gratum tibi sit hoc ministerium meum, quod Deo Patre tuo jubente dispensative exhibeo, etiam atque etiam oro.

Hinc Theophylactus angelum ita Christo locutum opinatur : « Domine, tua est virtus : tu enim potes contra mortem et infernum genus humanum liberare. »

44. Et factus in agonia, prolixius orabat : et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. — Τὸ *et* Hebræo more est causale, idemque valet quod *quia*, *q. d.* Ideo confortavit eum angelus, quia Christus in agonia factus, oransque prolixius sudabat sanguinem; tunc enim videbatur egere confortatione, eamque mereri; itaque hic fuit rei gestæ ordo. Christus primo et secundo jam oraverat, sed nullam senserat Dei opem : quare instante jam sua comprehensione, permittens agoniam, id est vehementiorem passionis horrorem et angorem in se oriri, sudavit sanguinem, unde ad eum vincendum tertio vehementius oravit, ut doceret, crescente tentatione, nos pariter intendere debere orationem. Quocirca tunc illico apparuit ei angelus confortans eum, quo facto desiit orare, æque ac pavere et mœrere, ac suppressa et superata agonia animose sese ad passionem composuit, ultroque Judæ proditori obviam prodiit.

Prolixius. — Græce ἐκτενέστερον, id est *extensius et intensius*. Extensius, quia fuit hæc tertia Christi oratio, ut patet ex Matthæo et Marco, in qua pariter videtur Christus diutius hæsisse. Intensius, quia intendente se angore, ad eum superandum intendit Christus pariter mentis in orando contentionem, ac intensiore affectu et ardore oravit. Lucas enim trinam Christi orationem, quam narrant Matthæus, per compendium una complexus est; quare quædam de illa narrat, quæ in prima et secunda, quædam quæ in tertia oratione illi acciderunt.

Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis (Græce καταβαίνοντος, id est descendentes, decurrentes, scilicet guttæ, sed eodem redit sensus) in terram. — « Guttæ, » Græce θρόμβοι, id est grumi, ut vertit Syrus, sive crassæ guttæ, et, ut legit Irenæus, globi sanguinis; Arabicus, *et factus est sudor ejus velut sanguis distillans, descendens in terram.*

Nota *primo*, quidam codices olim nil habuerunt de hoc Christi sudore sanguineo, teste S. Hilario, lib. X *De Trinitate*, et S. Hieronymo, lib. II *Contra Pelagian.*, scilicet ne Christo animi infirmitatem et dolorem tribuant, sed jam communiter omnes codices Græci, Latini, Syri, Arabici, idipsum habent : quare verum est id esse legendum, juxta definitionem Concilii Tridentini, sess. 4.

Nota *secundo*, Christum dici sudasse sanguinem, non improprie, proverbialiter et hyperbolice, sicut de eo qui vehementer angitur et affligitur, dicimus eum sudare sanguinem, uti explicant Euthymius et Theophylactus, sed vere et proprie : quare τὸ *quasi* hic non similitudinem, sed veritatem denotat. Ita SS. Hilarius, Hieronymus, Augustinus et passim alii : unde Æthiopicus clare vertit, *et factus est sudor ejus sicut sudor sanguinis defluens in terram.* Consentit Persicus. Hinc S. Athanasius, lib. VI *ad Theophilum*, qui est *De Beatitudine Filii Dei*, anathema dicit eis qui Christum negant sudasse verum sanguinem. Porro, in vehementi angore naturaliter hominem posse sudare sanguinem, docet Aristoteles, lib. III *De Histor. animal.*, cap. XIX, præsertim in eo qui delicato, poroso et raro est corpore, ac subtiliorem habet sanguinem, qualis fuit Christi. Sudor enim nihil aliud est nisi serum, sive pars aquosa sanguinis; cum sero autem etiam subtilior sanguis ex ingenti anxietate in porosis facile excernitur. Angor enim inflammat et extenuat sanguinem, et poros aperit, itaque per eos illum excernit, maxime si jam exsudarit omnem, vel quasi omnem propriam sudoris materiam, sicut ubera, deficiente lacte, si quis ea sugat, dant sanguinem. Unde Cajetanus censet Christum sudasse sanguinem, eo quod jam exsudasset humorem, qui solet verti in sudorem. Porro, vox « sicut guttæ » significat non purum fuisse sanguinem, sed mixtum, quo scilicet sudor cum sanguine misceretur. Ita Suarez, III *part.*, *Quæst.* XLVI, art. 8, disp. 34, sect. 2.

Nota *tertio*, hunc sudorem sanguineum in Christo manasse, non tam ex tristitia et angore, quam ex actu fortitudinis et audaciæ, quo deliberata et efficaci voluntate, æque ac actu appetitus sensitivi a voluntate imperato, generose mortem et omnes dolores, qui vivacissime ima-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ginationi ejus repræsentanbatur, amplectebatur, et naturalem mortis dolorumque horrorem superabat; et hinc agonia Christi proveniebat, scilicet ex vehementia resistentiæ et orationis, uti innuit hic Lucas. Quocirca ex angore quidem, sed magis ex actu fortitudinis, heroice angori resistentis, naturaliter secutum fuit hoc sanguinis in Christo profluvium. Dices : Nemo naturaliter sudat grumos sanguinis. Respondeo, Christum sudasse tantum subtilem sanguinem, sed copiose, ita ut is veniens ad extremas corporis partes, et per se, et propter acrem frigidum in grumos condensatus sit. Ita Suarez, loco jam citato.

Nota *quarto*, causas finales et morales hujus sudoris fuisse plures. *Prima* fuit, ut acerbitatem doloris, et magis vehementiam amoris sui erga nos ostenderet, atque in nobis excitaret spem, amorem et sui imitationem. Sicut enim vehementia ignis facit, ut in distillatione aqua e rosis emanet, sic vehementia amoris fecit, ut ex corpore Christi sanguis stillaret. *Secundo* : Christus hunc sanguinem, ac seipsum cum sanguine in holocaustum et victimam pro peccatis nostris Deo Patri obtulit. Sanguinem enim ex oculis, facie, pectore, manibus pedibusque sudabat, illique lacrymas cum suspiriis et precibus intensis miscebat. Unde S. Bernardus, serm. 3 *in Dominica Palmarum*, agens de hac oratione Christi in horto : « Ubi quidem, inquit, non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videtur, ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius lacrymis corporis purgaretur; » nimirum Christi amor non contentus aqueis oculorum lacrymis, voluit sanguineis totius corporis lacrymis peccata nostra deflere et abluere; et hæ Christi lacrymæ apud Deum Patrem fuere efficacissimæ. Vocalis est enim sanguis Christi, teste Irenæo, lib. V, cap. I, magisque loquitur et clamat, quam sanguis Abel, *Hebr.* cap. XII, 24. Sanguis enim Abel clamat vindictam, sanguis vero Christi misericordiam.

Symbolica causa fuit, ut significaret Christus de toto corpore suo, quod est Ecclesia, emanaturas Martyrum passiones, ait S. Augustinus in *Sentent.*, sent. 68. Rursum Christi sanguis defluxit in terram, ut significaretur terrenos homines sanguine Christi irrigandos, ait Beda.

45. ET CUM SURREXISSET AB ORATIONE, ET VENISSET AD DISCIPULOS SUOS, INVENIT EOS DORMIENTES PRÆ TRISTITIA. — Tristitia enim cor contrahit, impeditque ne illud spiritus vitales subtiles ad caput emittat, quare vapores atri et crassi cerebrum invadunt, qui somni sunt causa. Porro hic est hysteron proteron. Hæc enim contigerunt ante sudorem sanguineum : hic enim accidit in tertia Christi oratione, illa vero facta sunt in prima, ut patet ex Matthæo et Marco. Causa est, quia Lucas trinam Christi orationem conflat in unam; quare commiscet ea quæ diverso tempore in tribus Christi orationibus facta sunt, perinde ac si in una eademque peracta fuissent. Post primam ergo orationem Christus visitans Apostolos inveniensque eos dormientes, dixit id quod sequitur :

46. ET AIT ILLIS : QUID DORMITIS? SURGITE, ORATE, NE INTRETIS IN TENTATIONEM. — Vide dicta *Matth.* XXVI, 27.

# CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Prosequitur Christi passionem, narratque Judæorum contra eum accusationem, Herodis illusionem, Pilati flagellationem, condemnationem, crucifixionem, Josephi sepulturam : quæ fere omnia audivimus Matth.* cap. XXVII.

1. Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. 2. Cœperunt autem illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. 3. Pilatus autem interrogavit eum, dicens : Tu es rex Judæorum? At ille respondens, ait : Tu dicis. 4. Ait autem Pilatus ad principes Sacerdotum, et turbas : Nihil invenio causæ in hoc homine. 5. At illi invalescebant, dicentes : Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc. 6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. 7. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Hierosolymis erat illis diebus. 8. Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde : erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. 9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. 10. Stabant autem principes Sacerdotum et Scribæ constanter accusantes eum. 11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo; et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. 12. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die; nam antea inimici erant ad invicem. 13. Pilatus autem, convocatis principibus Sacerdotum, et magistratibus, et plebe, 14. dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. 15. Sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. 16. Emendatum ergo illum dimittam. 17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum. 18. Exclamavit autem simul universa turba, dicens : Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam; 19. qui erat, propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium, missus in carcerem. 20. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum. 21. At illi succlamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. 22. Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo; corripiam ergo illum, et dimittam. 23. At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur; et invalescebant voces eorum. 24. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. 25. Dimisit autem illis eum qui, propter homicidium et seditionem, missus fuerat in carcerem, quem petebant; Jesum vero tradidit voluntati eorum. 26. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa, et imposuerunt illi crucem portare post Jesum. 27. Sequebatur autem illum multa turba populi et mulierum, quæ plangebant et lamentabantur eum. 28. Conversus autem ad illas Jesus, dixit : Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. 29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. 30. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos. 31. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? 32. Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. 33. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum, et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris. 34. Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes. 35. Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis, dicentes : Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus. 36. Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei, 37. et dicentes : Si tu es rex Judæorum, salvum te fac. 38. Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris Græcis, et Latinis, et Hebraicis : Hic est rex Judæorum. 39. Unus autem de his qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos. 40. Respondens autem alter increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. 41. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit. 42. Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. 43. Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso. 44. Erat autem fere hora sexta, et tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam. 45. Et obscuratus est sol; et velum templi scissum est medium. 46. Et clamans voce magna Jesus ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit. 47. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens : Vere homo justus erat. 48. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. 49. Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes. 50. Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus et justus : 51. hic non consenserat consilio et actibus eorum, ab Arimathæa civitate Judææ, qui exspectabat et ipse regnum Dei. 52. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu; 53. et depositum involvit sindone, et posuit eum in mo-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

numento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat 54. Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat. 55. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus. 56. Et revertentes paraverunt aromata, et unguenta; et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

39. UNUS AUTEM DE HIS QUI PENDEBANT (a sinistro latere Christi) LATRONIBUS, BLASPHEMABAT EUM, DICENS : SI TU ES CHRISTUS (Salvator mundi), SALVA TEMETIPSUM ET NOS, — ut nos a cruce liberes, ac vitæ et libertati restituas. Voluit Christus atrocissima pati, idque ab omni genere hominum, ideoque irrideri et blasphemari, non tantum a Scribis et Judæis, sed et ab ipso latrone, supplicii sui socio, quod longe erat acerbius : latro enim hic animam agens debuisset Christo compati ac cogitare de salute animæ suæ, eamque a Christo postulare; ut et nos ad scommata, irrisiones et subsannationes taceamus, et mente patientiam, ore silentium præferamus.

40. RESPONDENS AUTEM ALTER (pendens a dextera Christi, ut habet traditio) INCREPABAT EUM DICENS : NEQUE TU TIMES DEUM, QUOD IN EADEM DAMNATIONE (Græce κρίματι, id est judicio, supplicio crucis cum Christo mecum) ES. — Syrus, *etiam non a Deo, non times tu? q. d.* Esto Scribæ et Judæi liberi et validi non timeant Deum, ideoque subsannent Christum; tu tamen, qui in cruce torqueris et ad mortem tendis, deberes timere Deum, ne te paulo post mortem acriter puniat, eo quod tam sacrilege Christum ejus blasphemes. Significat ergo hic latro se timere Deum : « Initium autem sapientiæ (et salutis) timor Domini, » *Eccli.* I, 28, nec tantum se timere Deum, sed et socium latronem ad eumdem timorem exhortari, *q. d.* Esto Judæi rideant Christum, tuum tamen est timere Deum, tum quia in eadem es damnatione, id est pœna crucis ad quam juste damnatus es; Christus vero innocens injuste; ac proinde decet te potius socii tui in pœna, præsertim innocentis, misereri quam conviciari; tum quia debes te ad mortem componere, et ad judicium Dei, ubi hujus tuæ blasphemiæ rationem reddes et acrem gehennæ vindictam subibis. Porro, dicendo : « Neque tu times Deum, » videtur Christum denotare eumque confiteri esse Deum, *q. d.* Time vindictam Christi, quem blasphemas, quia ipse non tantum est homo, sed et Deus; hoc enim ipsum a Christo illuminatum credidisse, mox patebit. Ita S. Ambrosius et Eusebius, quorum verba recitabo.

41. ET NOS QUIDEM JUSTE (damnati versamur in hac damnatione, id est pœna crucis), NAM DIGNA FACTIS RECIPIMUS (en actum profundæ publicæque contritionis, confessionis et pœnitentiæ quo priora scelera expiavit) : HIC VERO NIHIL MALI GESSIT. — Græce, *nihil ἄτοπον*, id est absonum, indecens, incongruum, nihil quod vel leviter reprehendi aut culpari posset. En libera publicaque confessio, ac testimonium innocentiæ Christi, quod latro hic dat Christo coram Scribis et principibus, qui Christum damnarant, nil veritus eorum iram et furorem.

42. ET DICEBAT AD JESUM : DOMINE, MEMENTO MEI CUM VENERIS IN REGNUM TUUM, — cœleste et divinum, ad quod tendis per mortem crucis, ut mox a morte illud ineas, tuosque in illud introducas : quare te obsecro ut et me in illud tecum inducas; ideoque peccatorum omnium, quorum me summe pœnitet, veniam a te supplex deposco, ac pro satisfactione tormenta hæc crucis, in eaque mortem quam libenter subeo, tibi offero : quare totum me tibi resigno, dedico, consecro. Utinam pro te tuique fide et amore hæc et plura tormenta pati mihi concederetur. Hæc enim ejus verba significant vivam et ardentem ejus fidem, spem, charitatem, devotionem, humilitatem, patientiam, contritionem cæterasque virtutes.

Moraliter : disce hic vim, efficaciam et celeritatem gratiæ Christi, quæ in ipsa cruce ex latrone fecit virum sanctum, imo sanctissimum. Mira fuit conversio S. Magdalenæ, mira S. Pauli, sed magis mira hujus latronis; quia S. Magdalena audierat dicta et miracula Christi, S. Paulus eum e cœlo verberantem sentiebat; latro vero in ipsa cruce, ubi Christus infame et atrox latronum supplicium patiebatur, fuit ad eum conversus per heroicos fidei, charitatis, devotionis, etc., actus. Addunt S. Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, in *Matth.* cap. XXVII; Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* 13; Origenes, tract. 35 *in Matth.*, hunc latronem prius cum socio blasphemasse Christum : nam SS. Matthæus et Marcus dicunt in plurali *latrones* improperasse Christo; licet probabilius S. Augustinus, Epiphanius, Anselmus et alii cum Suarez contrarium sentiant, censeantque per synecdochen *latrones* vocari unum e latronibus, nam Lucas diserte ait unum blasphemasse, alterum confessum esse Christum. Si prius blasphemavit, magis mira fuit ejus conversio, qua subito blasphemias convertit in confessionem et laudem Christi. Unde exclamat S. Augustinus : « Hæc mutatio latronis dexteræ Excelsi est »(1).

(1) Kuinoel, ad h. l., haud improbabiliter opinatur hunc hominem, antequam in vincula conjiceretur, Jesum docentem audivisse. Quod vero deinde asserit eumdem non fuisse *latronem* proprie dictum, nec aliud scelus commisisse, nisi quod, excitato a Barabba tumultu, tanquam hujus socius comprehensus fuerit, mera est conjectura, omni fere argumento destituta, quanquam vocabulum λῃστής, *rebellem* quoque ac *seditiosum* nonnunquam indicat.



Quæres, qua ratione fuit conversus? Respondeo : Exterius per exempla virtutum quæ in Christo cernebat, eximiæ scilicet charitatis, qua illum pro inimicis orantem audierat, patientiæ, fortitudinis, modestiæ, religionis ac virtutum omnium. Ita Theophylactus hic, et Euthymius, cap. XXVII *in Matth.* Interius vero per raram et peculiarem miraculosam Dei motionem et illustrationem, qua cognovit Christum esse innocentem, et alterius regni regem, et supremum dominum, in cujus potestate esset hominem etiam mortuum beare : quare ipsum esse Messiam, Dei Filium et Salvatorem mundi. Ita S. Leo, serm. 2 *De Passione* : « Quæ, inquit, istam fidem exhortatio persuasit, quæ doctrina imbuit, quis prædicator accendit? non viderat prius acta miracula, cessaverat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum; ea ipsa quæ mox erant gerenda, non aderant; et tamen Dominum confitetur et Regem, quem videt supplicii sui esse consortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipsa responsum. » Nota hic illa verba : « ea ipsa quæ mox erant gerenda, non aderant; » videtur enim illis tacite reprehendere id quod apud Hieronymum in cap. XXVII *Matth.* reperimus scriptum, « sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, et ingruentibus tenebris, unum latronem cœpisse credere et confiteri Jesum. » Quam sententiam pene iisdem verbis habet Chrysostomus, hom. 2 *De Cruce et Latrone*, et significat Origenes, tract. 34 *in Matth.*

Sed mirum est hos Patres non animadvertisse hanc sententiam pugnare cum Evangelio, quia, exceptis tenebris, cætera signa acciderunt mortuo jam Christo (ut plane ex Evangelio constat), cum tamen ex eodem Evangelio perspicuum sit latronem conversum esse vivente Christo : solis autem defectio et tenebræ post latronis conversionem a Luca narrantur. Eamdem vero cum S. Leone sententiam docet S. Cyrillus, *Catech.* 13, dicens : « Quæ virtus te illuminavit, o latro? quis te docuit adorare contemptum, et simul cruci affixum? O lumen perpetuum illuminans obscuratos! » Eamdem fuse prosequitur S. Augustinus, serm. 13 *De Tempore*; S. Chrysostomus, hom. *De Latrone*, et serm. 1 *De Cruce et Latrone*. Ita Suarez, qui et addit fieri potuisse ut latro, antequam incarceraretur, Christum prædicantem audierit, miracula conspexerit vel audierit, et forte in ipsum crediderit. Addit S. Vincentius Ferrerius, serm. *De Bono latrone*, eum conversum umbra Christi, cum scilicet sole gyrante umbra crucis Christi eum contigit. Sic enim umbra S. Petri sanabat infirmos, *Act.* III. Addunt alii B. Virginem stetisse mediam inter hunc latronem et Christum, ac illi gratiam impetrasse et morienti Christum reipsa crucifixum exhibuisse, uti morientibus solet crucifixus proponi. Adde, ipsum vidisse cœlum solemque obscurari, ac diem in noctem verti, ob Creatoris sui crucem et mortem.

Porro, sanctitas hujus latronis liquet ex eximia ejus fide, spe et charitate : *fide*, qua credidit in Christum velut Regem regum, quem videbat ut vilissimum hominem, imo ut latronem crucifixum; *spe*, qua a Christo petit ut ad regnum ejus admittatur; *charitate*, qua socium latronem Christum blasphemantem corripit, Christi innocentiam palam coram Judæis et hostibus infensissimis confitetur et propugnat, cum cæteri omnes etiam Apostoli, præ metu diffugissent et Christum deseruissent. Heroica ergo ejus fuit confessio. Unde S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.*, cap. XIII : « In cruce, ait, clavi manus pedesque ligaverant, nihilque in eo pœnis liberum, nisi cor et lingua remanserat. Inspirante Deo totum illi obtulit, quod in se liberum invenit, ut corde crederet ad justitiam, ore confiteretur ad salutem. In corde autem fidelium tres summopere manere virtutes testatur Apostolus, fidem, spem et charitatem, quas cunctas subito repletus gratia et accepit latro, et servavit in cruce. »

Exclamat S. Augustinus, serm. *De feria* III *Paschatis*, et lib. I *De Anima et ejus origine*, cap. IX : « Huic fidei quid addi possit, ignoro. Si titubaverunt, qui viderunt Christum mortuos suscitantem, credidit ille, qui videbat eum secum in ligno pendentem. Vere non invenit Christus tantam fidem in Israel, imo nec in universo mundo. » S. Chrysostomus : « Priusquam, ait, sibi quidquam petat, curat socium lucrari : quæ insignis est charitas. » Imo nonnulli latronem hunc vocant martyrem, ut S. Cyprianus, epist. *ad Fabian.*, eumque asserit suo sanguine baptizatum, idque repetit serm. *De Cœna*, et serm. *De pass. Dom.*, ubi ait : « Sic in cruce latro confitens non tantum indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus, præmissus est in paradisum, et factus est particeps regni, per confessionem factus collega martyrii. » Quam Cypriani sententiam refert S. Augustinus, lib. I *De Anima et ejus origine*, cap. IX, et lib. IV *De Baptismo*, cap. XXII, ubi ait latroni non opus fuisse baptismo vel martyrio, sed sola contritione potuisse salvari. Priori vero loco ait quod, licet latro non sit mortuus pro Christo, tamen apud Deum tantum valuisse, quod confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus, atque ita inventa est in eo mensura martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt qui futuri erant Martyres.

Rursum D. Augustinus, serm. 120 *De Tempore* : « Latro, inquit, nondum vocatus, et jam electus : nondum famulus, et jam amicus; nondum discipulus, et jam magister, atque ex latrone confessor; quia etsi pœna cœperat in latrone, novo genere consummatur in martyre. » Idem, lib. *De Anima et ejus origine*, cap. IX, in VII tom. : « Latro, inquit, tantum valuit confessus Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. » S. Hieronymus, epist. 13 *ad Paulinum* : « Latro, inquit, crucem mutat paradiso, et facit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

homicidii pœnam martyrium.» Drogo, episcopus Ostiensis, tract. *De Sacram. Dominicæ passionis* (extat tomo II *Biblioth. SS. Patrum*), eumdem vocat martyrem.

Porro, nonnulli hanc rationem martyrii ejus probabilem asserunt, scilicet Judæos, audientes ejus confessionem Christi, qua ipsorum facta et condemnationem Christi damnabat, ira et furore percitos in illum sæviisse, ac immaniter crura confregisse, ut habent Evangelistæ, itaque mortem illi acerbiorem reddidisse eamque accelerasse, ac proinde martyrem effecisse. Hinc et S. Hilarius, lib. X *De Trinit.*, eumdem vocat martyrem : «Martyri, inquit, suo paradisum promittens.» *Martyri*, id est testi, quia latro in cruce protestatus est suam fidem et spem in Christum; alioqui ipse ob passionem suam proprie et præcise non fuit martyr, quia passus est pro suis sceleribus, non pro Christo; nisi dicas Judæos ipsi propter hanc confessionem, mortem aggravasse et accelerasse uti jam indicavi.

Latronis elogia. Denique Arnaldus (alii Renaldum vocant) abbas, tract. 9 *De Septem Verbis Christi in cruce*, in *Biblioth. SS. Patrum*, asserit latronem hunc evectum in cœlos, sedem super angelos omnes, super Cherubinos et Seraphinos, ac ipsum Luciferi thronum occupasse. Vide nostrum P. Stephanum Binettum, lib. *De Bono latrone*, ubi eum vocat Archangelum paradisi, primogenitum Christi crucifixi filium, martyrem, apostolum et prædicatorem totius mundi, utpote qui e cathedra crucis Christum toti orbi prædicarit. Paulus, inquit, loquitur ut Cherubim, latro amat ut Seraphim. Audi nunc de eodem elogia Patrum.

S. Chrysostomus, hom. *De Cruce et Latrone* : «Iste latro, ait, de ligno mercatur salutem. Hic latro furatur cœleste imperium, vim facit majestati.» Et inferius : «Nullum ante latronem invenies repromissionem paradisi meruisse, non Abraham, non Isaac, non Jacob, non Mosen, nec Prophetas, nec Apostolos; sed ante omnes reperies latronem.» Deinde fidem latronis confert et præfert fidei Abrahæ, Isaiæ, Ezechielis, Mosis, eo quod non in templo, non in solio et gloria, uti illi, sed in cruce et tormentis Christo crediderit. «Videt, ait, in tormentis et tanquam in gloria adorat. Videt in cruce, et rogat quasi in cœlis sedentem. Videt condemnatum, et regem invocat, dicens: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Crucifixum vides, et regem prædicas; ... ligno pendere cernis, et cœlorum regna meditaris. O admiranda latronis conversio!»

S. Ambrosius, *serm.* 45 : «Illud, ait, ad gratiam ejus (latronis) majori est meriti, quod Christum in cruce credidit, et passio quæ aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit : recte ergo mercatur paradisum, qui crucem Christi non putavit esse scandalum, sed virtutem.» Et inferius, *serm.* 50 : «Cernat licet ejus hiantia vulnera, spectet ipsius sanguinem profluentem, Deum tamen credit, quem reum nescit; justum fatetur, quem non meminit peccatorem.» Et mox : «Intellexit enim quod pro alienis peccatis has plagas susciperet, pro alienis sceleribus hæc vulnera sustineret; et scivit quod illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi vulnera, sed latronis; atque ideo plus amare cœpit, postquam in corpore ejus sua vulnera recognovit.» Et pluribus interjectis : «Magna plane est et admirabilis fides, quæ Christum crucifixum glorificari magis credidit, quam puniri. In hoc enim totius forma salutis est. Salvatorem tunc majestatis dominum cognoscit, cum videtur humilitatis patientia cruciari. Præcessit devotione, qui præcessit et præmio; prior enim latro ad paradisum, quam Apostoli pervenerunt.»

Eusebius Emissenus (vel quisquis est auctor; stylus enim Latinum arguit auctorem, non Græcum, vel Syrum, qualis fuit Eusebius), homil. *De Latrone beato* : «Quam singularis, inquit, et quam stupenda devotio; sub illo tempore credidit reus, quo negavit electus. Laudabilius hoc itaque in latrone ac magnificentius fuit, quod hominem addictum, et inter extrema deficientem supplicia Dominum credidit, quam si inter virtutum opera credidisset : non itaque sine causa tantum meruit.» Causam subdit : «Illuminaverat, credo, nascentem fidem latronis, jam credentis in Christum, propius corporea divinitas, quæ se largius sub momento illo peragendæ redemptionis infuderat.» Et mox : «Non dixit : Si Deus es, de supplicio præsenti eripe me; sed magis : Quia Deus es, de futuro judicio libera me; prædicat sæculis judicem regemque sæculorum, etc., etsi pœna cœperit in latrone, novo genere consummatur in martyre.»

Porro latro hic pœnitens a S. Athanasio, serm. *in Parasceve*, vocatur *Evangelista* : «Tanquam latro, inquit, crucifixus es, o bone, et repente Evangelista evasisti.» A S. Chrysostomo, serm. *in Parasceve*, vocatur *Propheta*, hoc est prædicator et enarrator magnitudinis Christi : «O potentiam Jesu, inquit, latro jam Propheta est, et e cruce prædicat.» Idem ibidem eum vocat *prædonem et raptorem paradisi* : «Vidisti, inquit, quomodo neque in cruce artis suæ obliviscitur, sed per ipsam confessionem prædatur regnum.» Unde Sedulius, carm. 5 *Pasch.* :

> Abstulit ipse suis cœlorum regna rapinis.

A S. Cyrillo, lib. II *De Adorat.*, et a B. Petro Damiano, serm. *De Exalt. S. Crucis*, nuncupatur, *primitiæ crucis Christi et credentium*. A Drogone, *De Sacr. Domin. pass.*, indigitatur *Petrus in cruce* : «Tu, inquit, Petrus in cruce fuisti; et Petrus in domo Caiphæ latro,» quia Christum negavit, quem latro in cruce confessus est coram omni populo. A S. Cypriano (vel quisquis est auctor), serm. *De Pass.*, nominatur «collega martyrii Christi.» Ab Arnoldo, abbate Bonæ Vallis, tract. 2 *De*



*Christi* : «collateralis Christi, et præcursor ejus victoriæ.» A S. Chrysostomo, hom. *De Cæco nato* : «advocatus Christi,» quia eum contra Judæos quasi advocatus defendit. Ab Anastasio Sinaita, lib. V *Hexam.* : «volucris cœli, magna aquila per aerem volans in paradisum.» Plura ejus elogia conglomerat S. Athanasius, serm. citato *in Parasc.*, ubi inter alia ait : «O latro, Petri commilito, Judæorum accusator! O latro, regni mercator, paradisi custos! O latro, crucis velut corollarium, tibi cœlum afficiens! O latro, quomodo homines regnum quasi furto auferant, instruens! O latro, postremus veniens, sed primus coronatus! O latro, vehemens Judæ accusator! O latro, Apostolorum symmysta, juste Christum coemens!» Audi S. Paulinum, in *Celsi pueri Panegyr.* :

> Mœror abi, discede pavor, fuge culpa, ruit mors,
> Vita resurrexit, Christus in astra vocat,
> Morte mea functus, mihi mortuus, et mihi victor,
> Ut mors peccati, sit mihi vita Dei.
> Denique servatum jam de cruce duxit aperto
> Limite latronem, qua paradisus adest.

Roganti pro peccatore pœnitente qui confessarii copiam non habebat, respondit Christus S. Brigittæ in hæc verba : «Ille plorat quod non habet auditorem confessionis suæ. Dic ei quod sufficit voluntas. Nam quid profuit latroni in cruce? Nonne voluntas bona? Aut quid aperuit cœlum, nisi voluntas volendi bona et audiendi mala? Quid vero facit infernum, nisi voluntas mala et affectus inordinatus?» Ita habetur lib. VI *Revelat. S. Brigittæ*, cap. CXV. Plura vide apud nostrum Theophilum Raynaudum, in erudito opere quod *De Metamorphosi latronis in Apostolum* conscripsit, ubi, cap. XVII, mellificium tropologicum per Christianas apes, sancti latronis virtutum prata carpentes, conficit et contexit.

Vers. 43. Mecum eris in Paradiso. Comment. 43. ET DIXIT ILLI JESUS : AMEN DICO TIBI : HODIE MECUM ERIS IN PARADISO, — id est, in loco voluptatis, ubi scilicet sis in beatitudine et visione Dei beatifica, *q. d.* Hodie te felicem in perpetuum efficiam, hodie te regem in regno gloriæ divinæ mecum regnantem constituam. Et hoc videntur velle Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* 13; S. Chrysostomus, hom. 2 *De Cruce et Latrone*; Nyssenus, serm. *De Resurrectione*; S. Augustinus, tract. 111 *in Joan.*, qui *in paradiso*, explicat *in cœlo*, id est in beatitudine cœlesti. Certum enim est Christum cum latrone, die illo quo obiit, non ascendisse in cœlum, sed descendisse ad limbum patrum (unde S. Augustinus, lib. XII *De Genes. ad litt.*, cap. XXXIV, et Maldonatus per *paradisum* hic accipiunt sinum Abrahæ), ibique eis visionem divinitatis suæ impertivisse, itaque eos beasse, quare tunc Christus rerum sortes mutavit; fecit enim ut limbus esset paradisus, ut inferi essent superi, ut infernus esset cœlum; ubi enim est Christus, ibi est paradisus; ubi est visio Dei et beatitudo, ibi est cœlum.

Nam quod Euthymius aliique Græci hic, negantes animas Sanctorum ante diem judicii videre Deum esseque beatas, per *paradisum* intelligunt terrestrem, ad quem raptus fuit Henoch, verum esse nequit. De fide enim est, Christum mox a morte in infernum, puta ad limbum patrum, descendisse; non vero ivisse ad paradisum terrestrem. Adde, incertum est an paradisus terrestris post diluvium adhuc supersit, et esto superesset, ille non animarum, sed corporum duntaxat lætum et felix est habitaculum. Quare ex hoc loco contra Græcos, et contra Calvinum aliosque Novatores liquet animas Sanctorum plene a peccato purgatas non dormire usque ad diem judicii, sed illico videre Deum, illaque visione beari.

Moraliter : Nota hic liberalitatem Christi, qui supplicum preces excedit et vota. Petierat latro ut Christus existens in regno sui meminisset duntaxat; at Christus eodem die illi regnum promittit, ut in eo quasi rex secum regnet. «Hodie, ait Eusebius Emissenus, homil. *De Latrone beato*, quasi dicat : Quid me, o fidelis meus comes, et unicus tanti testis triumphi tantopere exorandum putas, ut in die judicii mei meminerim tui? hodie mecum eris in paradiso.» Et mox : «Positus in patibulo (Christus) velut arbiter in medio damnatorum negantem repulit, suscepit confitentem : hunc deputat regno, illum relinquit inferno. Post hæc ergo credamus in majestate judicaturum, quem jam in cruce videmus exercere judicium.» Hæc ergo est suavissima Christi ad latronem responsio, quam merito S. Fulgentius, *Sermon. nov.* 60, vocat «Christi testamentum, calamo crucis conscriptum.»

Denique nomen hujus beati latronis fertur fuisse Dismas; hoc enim nomine S. Dismæ latronis nonnulla sacella ei erecta reperiuntur. Catalogo Sanctorum adscriptus est in Martyrologio die 25 martii; illo enim die passus videtur, ac consequenter Christus. Sic enim in eo legimus : «Hierosolymis commemoratio sancti latronis, qui in cruce Christum confessus, ab eo meruit audire : Hodie mecum eris in paradiso.» Nomen latronis.

46. PATER, IN MANUS TUAS COMMENDO (Arabicus, *pono*; Tertullianus, lib. *Contra Praxeam*, cap. XXV, *depono*, *q. d.* Depositum trado; hæc enim significat παρατίθεμαι, unde παραθήκη, est depositum. Idem significat Hebr. אַפְקִיד *aphkid*, quod Noster vertit, *commendo*, scilicet tanquam depositum, ut illud mihi custodias et suo tempore restituas) SPIRITUM MEUM. — S. Athanasius, lib. *De Humana Christi natura contra Apoll.*, sub initium : «Cum in cruce, inquit, dicit : Pater, in manus tuas depono spiritum meum, in eo omnes homines apud Patrem deponit ac commendat, per ipsum, et in ipso vivificandos : membra enim sumus, et membra ista multa unum corpus sunt, quod ipsum Ecclesia est; omnes ergo in se Deo commendat.» Christus igitur, juxta S. Athanasium, homines vocat suam animam et spiritum : quantum ergo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

animabus lucrandis et salvandis incumbere debemus, ut Christo quasi servemus suam animam et spiritum? Sic Paulus *ad Philem.* Onesimum vocat « sua viscera. »

« Tradidit animam suam manibus genitoris, inquit Cyrillus, lib. XI *in Joan.*, cap. XXXVI, ut ab illa et per illam facto initio, certam hujus rei spem habeamus, firmiter credentes in manibus Dei nos post mortem futuros. » Sic et Victor Antiochenus, *in Marcum* : « Hæc quoque Christi commendatio, ait, in animarum nostrarum commodum cedebat : quippe quas ille a corpore quod inhabitaverant absolutas, quasi quoddam depositum in Dei viventis manus ea oratione tradebat. » Et Euthymius : « Et hoc nobis effecit Dominus, ait, ne deinceps justorum animæ descenderent in infernum, sed magis ad Deum ascenderent. » Citat Christus *Psalm.* XXX, 6, ubi David afflictus, et in mortis periculo constitutus, tam in sua, quam in Christi persona ait oratque : « In manus tuas commendo spiritum meum. » Unde eumdem versum et psalmum quotidie usurpat canitque Ecclesia in Completorio sub noctem, ut doceat nos, quando imus cubitum, animam Deo commendare, quia noctu multa ex catarrho, suffocatione, apoplexia, etc., mortis subitaneæ occurrunt pericula. Eumdem versum usurpant moribundi, uti usurpavit S. Nicolaus, S. Ludovicus, rex Franciæ, et S. Basilius, idque præsentibus angelis a quibus abducebatur, teste Nazianzeno, orat. *in S. Basil.* ; quin et Stephanus dicens : « Domine Jesu, suscipe spiritum meum. » Hoc enim versu testamur : *primo,* nos animam in nativitate accepisse, non a patre vel matre, sed a solo Deo, ideoque nos illi eamdem, quasi creaturam ipsi propriam reddere ; *secundo,* nos credere animam in morte non interire, sed esse superstitem et immortalem, ac ad Deum, qui eam creavit et judicabit, redire ; *tertio,* nos credere carnis resurrectionem : morientes enim Deo commendamus animam, ut ipse eam quasi depositum servet et in resurrectione corpori nostro restituat ; *quarto,* nos in agone ultimo, quem acerrimum cum dæmone subimus, in morte implorare Dei opem, ut ei animam resignantes dæmonem superemus de eoque triumphemus : unde multorum est sententia, dæmonem proprium cuique

Versus *In manus tuas, etc.,* usurpatus moribundis.

adversarium, eidem moribundo horribili specie apparere, eumque ad desperationem aliaque scelera sollicitare, uti apparuit S. Martino et aliis, non tamen omnibus. Idipsum sentire videtur S. Ephrem, serm. *in eos qui in Christo obdormiunt* ; S. Chrysostomus, hom. 34 *in Matth.*, et alii quos citat noster Lorinus, *Eccles.* cap. VIII, 8. Idem de Christo sentiunt multi. Unde Eusebius, lib. X *Demonstr.*, cap. ult., illud Christi dictum : « Tauri pingues obsederunt me, » *Psalm.* XXI, 13, intelligit de dæmonibus, quos Christus in cruce viderit hiante rictu sibi quasi reo et scelesto insultantes de crucifixione et instante morte. Favet illud *Habacuc,* cap. III, 5 : « Egredietur diabolus ante pedes ejus. » Et illud Christi : « Venit princeps mundi, et in me non habet quidquam » *Joan.* XIV, 30. Deponit ergo spiritum in manu Dei, certus quod nemo ex ea possit illum rapere. Fidissimus enim et fortissimus depositarius est Deus. Ita S. Hieronymus, in *Psalm.* XXX, 6, : « In manus tuas commendo spiritum meum, hoc est, inquit, in potestatem tuam commendo animam meam. Hoc exemplum accepit Ecclesia a Christo. Hoc et S. Stephanus fecit. Hoc et Sancti orant, quando exeunt de corpore, ut illud : Fideli creatori commendant animas suas in benefactis. Hoc in cruce positus Dominus dixit, quod in Patris manus spiritum commendaverit, cito eum ipso resuscitante sumpturus. »

Symbolice : Didymus, in *Catena, psalm.* XXX : Triplex est spiritus, inquit, primus cogitatio nostra, secundus anima, tertius conscientia, quæ tria Deo commendare debemus.

ET HÆC DICENS EXPIRAVIT. — Syrus, *hoc dixit, et finiit,* scilicet vitam ; Arabicus, *et cum dixisset hoc, tradidit spiritum* in manus Patris, uti dixerat. Fuit ergo hoc certum signum, ipsum esse Filium Dei Patris ab ipso inclamati, ac Patrem clamorem Filii exaudisse spiritumque ejus suscepisse. Cum enim dixisset : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, » tunc demum mori permisit ut ad se accederet, ait Euthymius in cap. XXVII *Matth.*, utpote certo sciens Patrem spiritum suum in manus suas traditum, quasi depositum secure servaturum, eique tertio die in resurrectione redditurum : quare hac spe certus, lætus et alacer tradidit Patri spiritum.



# CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus resurgens apparet piis feminis. Secundo, vers. 13, duobus discipulis euntibus in Emmaus. Tertio, vers. 30, duodecim Apostolis in cœnaculo Jerusalem. Quarto, vers. 50, ascendit in cœlum. Primam partem explicui* Matth. XXVIII; *quartam,* Actor. I : *supersunt ergo secunda et tertia hic explicandæ.*

1. Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata; 2. et invenerunt lapidem revolutum a monumento. 3. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. 4. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. 5. Cum timerent autem, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas : Quid quæritis viventem cum mortuis? 6. Non est hic, sed surrexit; recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, 7. dicens : Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. 8. Et recordatæ sunt verborum ejus. 9. Et regressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus. 10. Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. 11. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista; et non crediderunt illis. 12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum; et procumbens vidit linteamina sola posita, et abiit secum mirans quod factum fuerat. 13. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus. 14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. 15. Et factum est, dum fabularentur, et secum quærerent; et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis; 16. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. 17. Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? 18. Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? 19. Quibus ille dixit : Quæ? Et dixerunt : De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo; 20. Et quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes, et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. 21. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel; et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt 22. Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum; 23. et, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. 24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum; et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt. 25. Et ipse dixit ad eos : O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ : 26. Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? 27. Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. 28. Et appropinquaverunt castello, quo ibant; et ipse se finxit longius ire. 29. Et coegerunt illum, dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit cum illis. 30. Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. 31. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum; et ipse evanuit ex oculis eorum. 32. Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? 33. Et surgentes eadem hora



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

animabus lucrandis et salvandis incumbere debemus, ut Christo quasi servemus suam animam et spiritum? Sic Paulus *ad Philem.* Onesimum vocat « sua viscera. »

« Tradidit animam suam manibus genitoris, inquit Cyrillus, lib. XI *in Joan.*, cap. XXXVI, ut ab illa et per illam facto initio certam hujus rei spem habeamus, firmiter credentes in manibus Dei nos post mortem futuros. » Sic et Victor Antiochenus, *in Marcum* : « Hæc quoque Christi commendatio, ait, in animarum nostrarum commodum cedebat : quippe quas ille a corpore quod inhabitaverant absolutas, quasi quoddam depositum in Dei viventis manus ea oratione tradebat. » Et Euthymius : « Et hoc nobis effecit Dominus, ait, ne deinceps justorum animæ descenderent in infernum, sed magis ad Deum ascenderent. » Citat Christus *Psalm.* XXX, 6, ubi David afflictus, et in mortis periculo constitutus, tam in sua, quam in Christi persona ait oratque : « In manus tuas commendo spiritum meum. » Unde eumdem versum et psalmum quotidie usurpat canitque Ecclesia in Completorio sub noctem, ut doceat nos, quando imus cubitum, animam Deo commendare, quia noctu multa ex catarrho, suffocatione, apoplexia, etc., mortis subitaneæ occurrunt pericula. Eumdem versum usurpant moribundi, uti usurpavit S. Nicolaus, S. Ludovicus, rex Franciæ, et S. Basilius, idque præsentibus angelis a quibus abducebatur, teste Nazianzeno, orat. *in S. Basil.*; quin et Stephanus dicens : « Domine Jesu, suscipe spiritum meum. » Hoc enim versu testamur : *primo*, nos animam in nativitate accepisse, non a patre vel matre, sed a solo Deo, ideoque nos illi eamdem, quasi creaturam ipsi propriam reddere; *secundo*, nos credere animam in morte non interire, sed esse superstitem et immortalem, ac ad Deum, qui eam creavit et judicabit, redire; *tertio*, nos credere carnis resurrectionem : morientes enim Deo commendamus animam, ut ipse eam quasi depositum servet et in resurrectione corpori nostro restituat; *quarto*, nos in agone ultimo, quem acerrimum cum dæmone subimus, in morte implorare Dei opem, ut ei animam resignantes dæmonem superemus de eoque triumphemus : unde multorum est sententia, dæmonem proprium cuique adversarium, eidem moribundo horribili specie apparere, eumque ad desperationem aliaque scelera sollicitare, uti apparuit S. Martino et aliis, non tamen omnibus. Idipsum sentire videtur S. Ephrem, serm. *in eos qui in Christo obdormiunt*; S. Chrysostomus, hom. 34 *in Matth.*, et alii quos citat noster Lorinus, *Eccles.* cap. VIII, 8. Idem de Christo sentiunt multi. Unde Eusebius, lib. X *Demonstr.*, cap. ult., illud Christi dictum : « Tauri pingues obsederunt me, » *Psalm.* XXI, 13, intelligit de dæmonibus, quos Christus in cruce viderit hiante rictu sibi quasi reo et scelesto insultantes de crucifixione et instante morte. Favet illud *Habacuc*, cap. III, 5 : « Egredietur diabolus ante pedes ejus. » Et illud Christi : « Venit princeps mundi, et in me non habet quidquam » *Joan.* XIV, 30. Deponit ergo spiritum in manu Dei, certus quod nemo ex ea possit illum rapere. Fidissimus enim et fortissimus depositarius est Deus. Ita S. Hieronymus, in *Psalm.* XXX, 6, : « In manus tuas commendo spiritum meum, hoc est, inquit, in potestatem tuam commendo animam meam. Hoc exemplum accepit Ecclesia a Christo. Hoc et S. Stephanus fecit. Hoc et Sancti orant, quando exeunt de corpore, ut illud : Fideli creatori commendant animas suas in benefactis. Hoc in cruce positus Dominus dixit, quod in Patris manus spiritum commendaverit, cito eum ipso resuscitante sumpturus. »

Symbolice : Didymus, in *Catena, psalm.* XXX : Triplex est spiritus, inquit, primus cogitatio nostra, secundus anima, tertius conscientia, quæ tria Deo commendare debemus.

Et hæc dicens expiravit. — Syrus, *hoc dixit, et finiit*, scilicet vitam ; Arabicus, *et cum dixisset hoc, tradidit spiritum* in manus Patris, uti dixerat. Fuit ergo hoc certum signum, ipsum esse Filium Dei Patris ab ipso inclamati, ac Patrem clamorem Filii exaudisse spiritumque ejus suscepisse. Cum enim dixisset : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, » tunc demum morti permisit ut ad se accederet, ait Euthymius in cap. XXVII *Matth.*, utpote certo sciens Patrem spiritum suum in manus suas traditum, quasi depositum secure servaturum, eique tertio die in resurrectione redditurum : quare hac spe certus, lætus et alacer tradidit Patri spiritum.



# CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus resurgens apparet piis feminis. Secundo, vers. 13, duobus discipulis euntibus in Emmaus. Tertio, vers. 30, duodecim Apostolis in cœnaculo Jerusalem. Quarto, vers. 50, ascendit in cœlum. Primam partem explicui* Matth. XXVIII; *quartam*, Actor. I : *supersunt ergo secunda et tertia hic explicandæ.*

1. Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata; 2. et invenerunt lapidem revolutum a monumento. 3. Et ingressæ non
invenerunt corpus Domini Jesu. 4. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto,
ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. 5. Cum timerent autem, et declinarent
vultum in terram, dixerunt ad illas : Quid quæritis viventem cum mortuis? 6. Non est
hic, sed surrexit; recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset,
7. dicens : Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et cruci-
figi, et die tertia resurgere. 8. Et recordatæ sunt verborum ejus. 9. Et regressæ a monu-
mento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus. 10. Erat autem Maria
Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad
Apostolos hæc. 11. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista; et non credide-
runt illis. 12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum; et procumbens vidit lin-
teamina sola posita, et abiit secum mirans quod factum fuerat. 13. Et ecce duo ex illis
ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine
Emmaus. 14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. 15. Et fac-
tum est, dum fabularentur, et secum quærerent; et ipse Jesus appropinquans ibat cum
illis; 16. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. 17. Et ait ad illos : Qui
sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? 18. Et respondens
unus, cui nomen Cleophas, dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cogno-
visti quæ facta sunt in illa his diebus? 19. Quibus ille dixit : Quæ? Et dixerunt : De Jesu
Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo;
20. Et quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes, et principes nostri in damnationem
mortis, et crucifixerunt eum. 21. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus
Israel; et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. 22. Sed et
mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum;
23. et, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse,
qui dicunt eum vivere. 24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum; et ita inve-
nerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt. 25. Et ipse dixit ad eos :
O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ : 26. Nonne
hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? 27. Et incipiens a Moyse, et
omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. 28. Et
appropinquaverunt castello, quo ibant; et ipse se finxit longius ire. 29. Et coegerunt
illum, dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et in-
travit cum illis. 30. Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit,
ac fregit, et porrigebat illis. 31. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum; et ipse
evanuit ex oculis eorum. 32. Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in
[nobis], dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? 33. Et surgentes eadem hora

regressi sunt in Jerusalem; et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant, 34. dicentes : Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. 35. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. 36. Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dicit eis : Pax vobis; ego s ım, nolite timere. 37. Conturbati vero, et conterriti, existimabant se spiritum videre. 38. Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? 39. Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum; palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. 40. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. 41. Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid, quod manducetur? 42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. 43. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. 44. Et dixit ad eos : Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. 45. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. 46. Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die; 47. et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. 48. Vos autem testes estis horum. 49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. 50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam; et elevatis manibus suis benedixit eis. 51. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. 52. Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno; 53. et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen.

1. Una autem sabbati. — « Una, » id est prima die post sabbatum, puta Dominica, qua Christus resurrexit. Vide dicta *Matth.* xxviii, 1.

Vers. 10. S. Johanna, uxor Chusæ. S. Serena, uxor Diocletiani. S. Tryphonia, uxor Decii. S. Licinia, uxor Maximini.

10. Johanna, — uxor Chusæ, procuratoris Herodis, Christi discipula, cujus hostis et illusor erat Herodes. Sic S. Serena, uxor Diocletiani Imperatoris, persecutoris Christi, ejusque filia S. Anthemia, et neptis S. Susanna, virgines, adeo Christum coluerunt, ut omnes a marito et patre Diocletiano martyrio laureatæ sint. Sic et S. Tryphonia uxor fuit Decii Imperatoris persecutoris, ac utriusque filia S. Cyrilla Christo virginitatem vovit, et pro eo martyr occubuit. S. Licinia, Licinii Imperatoris soror vel filia, ac Maximini Imperatoris persecutoris uxor, a S. Catharina virgine et martyre ad Christum conversa, eidem in martyrio consors fuit et socia. Horum omnium vitam eleganter descripsit R. D. Joannes Tomcus, antistes Bosnensis, Romæ mihi familiaris, in *Sanctis Regibus*

S. Flavia Domitilla, neptis Domitiani.

*Illyricanis*. Sic et S. Flavia Domitilla, neptis Domitiani Imperatoris, ab eodem martyrii lauream adepta est. Ita e spinis Deus elicit rosas; nimirum voluit ipse maritos per uxores, reges per reginas vincere et confundere, tum hic, tum in die judicii.

Vers. 13. Historia duorum discipulorum euntium in Emmaus.

13. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die (Dominica Paschatis, qua Christus resurrexit) in castellum (Græce κώμην, id est vicum, pagum; unde Marcus, cap. xv, vocat *villam*) quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus. — « Duo. » Hi duo iidem sunt cum illis de quibus ait Marcus, cap. xvi, 11 : « Post hæc autem duobus ex illis ambulantibus, ostensus est in alia effigie euntibus in villa. » Ita passim Interpretes, uno excepto Euthymio, qui censet diversos esse et diversam Christi apparitionem, idque probat ex eo quod subdit Marcus : « Et illi euntes nuntiaverunt cæteris, nec illis crediderunt; » cum tamen Lucas hic, vers. 34, de suis hisce dicat, credidisse eis Apostolos, « Dicentes quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. » Sed respondeo plerosque credidisse, aliquos tamen non credidisse, uti patet de Thoma.

Quæres, quinam fuerint hi duo? Respondeo : Certum est ex vers. 18 unum fuisse Cleopham; quis fuerit alter incertum est. S. Ambrosius censet fuisse *Amaon*, a loco ita dictum, ut videtur, quasi incola et civis fuerit Emmaus, quo tendebant; Origenes, initio *Comment. in Joan.*, eum vocat *Simeonem*; S. Epiphanius, *hæresi* 23, nominat *Nathanaelem*, de quo *Joan.* i. Alii plerique censent fuisse *Lucam*. Ita Theophylactus hic, S. Gregorius, præfat. *in Job*, cap. ii; Dorotheus, Nicephorus et Metaphrastes in Vita Cleophæ. Verum Lucas non videtur Christum vidisse in carne, sed post ejus mortem fuisse conve ...., ut patet ex Evangelii ejus procemio.

Ex illis (discipulis Christi) ibant, — tum negotiorum, tum animi causa, ut mœstitiam et dolorem ex Christi magistri sui tam atroci et infami morte conceptum diverterent et lenirent.

Stadiorum sexaginta. — Stadium est octava pars milliaris, sive mille passuum, stadium enim



continebat 125 passus. Ergo stadia 60 faciunt septem milliaria Italica et semis, id est leucas Gallicas unius horæ circiter tres; nam una leuca continet circiter tria milliaria Italica. Ita Beda : « Stadium, ait, quo Græci, auctore, ut dicunt, Hercule viarum spatia mensurant, octava est pars milliaris : et ideo sexaginta stadia septem millia passuum et quingentos significant. »

Dictum stadium ἀπὸ τῆς στάσεως, hoc est a statione, quod Hercules eo spatio uno spiritu decurso constitisset : inde dictum stadium athletarum et cursorum; hi enim stadio Olympico, Romano, Corinthio, etc., decurrebant, et cursu certabant. Vide Gellium, lib. I, cap. i.

Nomine Emmaus. — Græce Ἐμμαοῦς, est trisyllabum; unde dicitur Emmaus, Emmauntis; sicut Trapezus, Trapezuntis; Jericus, Jericuntis. Emmaus tempore Christi erat vicus, ex quo oriundum fuisse Cleopham tradit S. Hieronymus in *Locis Hebr.*, ideoque eo familiæ causa profectus hic fuisse videtur. Porro *Emmaus*, si initio per *aleph* scribatur, Hebr. idem est quod *pavor*, vel *terror consilii*; sin per *chet*, idem est quod *calor consilii*, ait Pagninus in *Nom.* : utrumque huic loco convenit; nam hi duo pavido fuere animo, sed a Christo inflammati, pavorem verterunt in calorem, atque valido Christi amore arserunt. Alii Ἀμμαοῦς, scribentes per *ain*, idem esse censent quod עם מאוס *am maus*, id est *populus reprobatus*, ad quem hi duo tendebant per suam diffidentiam et dubitationem; sed a Christo reducti, remissi sunt ad electos Apostolos in Jerusalem.

Porro Emmaus postea a Romanis, capta Hierosolyma et devictis Judæis, aucta factaque trophæum, dicta est Nicopolis, id est victoriæ civitas (1). De qua audi quid scribat Sozomenus, lib. V *Hist.*, cap. xxi : « Ante hanc civitatem, circa trivium in quo Christus una cum Cleopha post resurrectionem ambulans, in alium se vicum properare simulavit, salubris quidam fons est, in quo passiones suas abluunt et homines, et alia animantia variis morbis laborantia. Ferunt enim Christum ex itinere alicunde una cum discipulis venisse ad eum fontem, ibique pedes abluisse, et ex eo tempore aquam illius medicinam factam esse morborum. » Addit deinde simile de arbore, quæ juxta Hermopolim Christum fugientem in Ægyptum inclinando se adorarit, cujus folia, fructus et cortices multis morbis medentur.

14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. — De Christi magistri sui passione, cruce, morte, sepultura, de tanti viri et Prophetæ tam indigna nece dolentes, quodque eum non amplius essent visuri; de ejus enim resurrectione et redemptione Israel per eum facienda plane desperabant.

15. Et factum est, dum fabularentur, et secum quærerent; et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis. — Docet hic Jesus se adesse iis qui de ipso loquuntur : loquamur ergo de Jesu, et Jesus pariter sese insinuabit nobis nostrisque colloquiis, si non corporaliter, certe spiritualiter per suam gratiam et spiritum, quo nos accendet. Hoc enim ipse promisit, dicens : « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, *Matth.* xviii, 20. Qui ergo de rebus bonis loquuntur, in medio sui habent Jesum; qui de malis, Luciferum : cujus rei experientia et effectus clari sunt.

16. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. — Quæres, qua ratione id sit factum? Respondet *primo*, Dionysius Carthusianus, et favet S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. ix, quod percussi fuerant cæcitate, æque ac Sodomitæ, *Genes.* xix, 11. Verum id proprie dici nequit; videbant enim ipsi Christum, et cum eo loquebantur, sed eum non agnoscebant. *Secundo*, Cajetanus censet id factum per interiorem exstasin, sive abstractionem et distractionem phantasiæ duorum discipulorum. Sed repugnat Marcus, dicens cap. xvi : « Ostensus est in alia effigie. » Unde *tertio*, S. Augustinus, *epist.* 99, Quæst. VIII, opinatur id factum per immutationem faciei Christi, quoad lineamenta et figuram, aut certe colorum et lucis, uti contigit in transfiguratione Christi. Verum hoc non satis congruit dignitati corporis gloriosi, quod stabile est, immortale et inalterabile. *Quarto* ergo, idem S. Augustinus idipsum retractans, lib. III *De Consens. Evang.*, cap. xxv, ait a dæmone oculis discipulorum impressum fuisse humorem, vel nebulam et caliginem, qui oculos eorum obscurans, faciebat ne Christum agnoscerent. Verum omnino hæc actio et hoc opus videtur fuisse Christi, non dæmonis, uti et fuit illud, quo apparuit Magdalenæ, specie hortulani.

Vers. 16. Cur Christum non agnoscebant duo discipuli?

Dico ergo id factum ex eo quod corpus Christi in se, licet idem et immutatum manens, tamen quia Verbo unitum erat, et quia gloriosum, potestatem habebat uti se occultandi ac retinendi species sui corporis, ne ad oculos aliorum diffunderentur, sic et visum intuentium immutandi, eo modo quo ipsi libuerit, idque vel divaricando et diverso modo imprimendo species, vel medium immutando, uti faciunt specula, vel ipsum etiam visus organum immutando. Hoc est enim quod ait Lucas : « Oculi eorum tenebantur » a Jesu, ne officio suo fungi possent, perinde ac si velamine quopiam obducti fuissent : unde postea statim ut voluit Jesus, eum agnoverunt. Idem et multo magis dico de auribus et auditu, scilicet Christum a discipulis non fuisse agnitum ex voce, quia multo facilius est mutare vocis sonum, ac modum exprimendi et pronuntiandi : imo naturaliter id fieri potest, et a multis fit, qui aliter movendo labia, linguam, palatum, aliterque

(1) Rectius multi duo loca nomine Emmauntes distinguunt in Judæa : alterum, oppidum nobile, postea Nicopolis dictum, 140 circiter stadiis ab urbe distabat; alterum vicus erat ejusdem nominis 60 duntaxat distans ab Hierosolymis. — Vid. Relandi *Palæstina*, p. 309 et 427.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

..tiendo et colligendo aerem, mutant naturalem vocis sonum, ut alius a solito esse videatur. Ita D. Thomas, III *part., Quæst.* LIV, art. 1, ad 3; Suarez et alii ibidem.

Porro causæ, cur Christus alia forma his discipulis apparuit, fuere variæ : *Prima*, quia Christus et angeli, cum apparent hominibus, tales apparent, quales sunt ii quibus apparent. Christus ergo peregrinantibus hisce se conformans, quasi peregrinus apparuit; dubitantibus de se, quasi alienus et incognitus. Ita S. Augustinus, lib. III *De Consens. Evang.*, cap. XXXV, et S. Gregorius, hom. 23 *in Evangelium*, quem audi : « Hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi namque apud semetipsos intus et amabant et dubitabant; eis autem Dominus et foris præsens aderat, et quis esset non ostendebat. De se ergo loquentibus præsentiam exhibuit, sed de se dubitantibus cognitionis suæ speciem abscondit : verba quidem contulit, duritiem intellectus increpavit, sacræ Scripturæ mysteria, quæ de seipso erant, aperuit; et tamen quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat a fide, se ire longius finxit. »

Cur Christus in alia effigie duobus discipulis apparet?

*Secunda*, ne, si illico clare se discipulis ostenderet, eos novitate resurrectionis percelleret, ideoque ipsi non Christum, sed phantasma se videre putarent, itaque de resurrectione ejus dubii remanerent. Jam autem diu cum eis colloquens, ac tandem se manifestans, omne eis de resurrectione sua dubium exemit.

*Tertia*, « ut ulcus suum (suæ dubitationis et tristitiæ) discipuli aperirent, et pharmacum susciperent, » ait Theophylactus; si enim subito dixisset se esse Christum, discipuli non fuissent ausi dicere se de eo ejusque resurrectione dubitare.

*Quarta*, ut specie et habitu suo ostenderet nos in hac vita esse viatores, ac tendere ad patriam cœlestem; quare ad illam quasi peregrinos assidue suspirare et totis viribus contendere debere. Quocirca S. Franciscus, cum quadam vice in die Paschæ moraretur in monasterio, nec essent a quibus mendicaret, memor Christi, qui discipulis euntibus in Emmaus hoc ipso die in specie peregrini apparuit, ab ipsis Fratribus eleemosynam petiit, ut peregrinus et pauper : quam cum accepisset, humiliter sacris eos informavit eloquiis, quod transeuntes per mundi desertum, tanquam peregrini et advenæ, verique Hebræi pascha Domini, hoc est transitum ex hoc mundo ad Patrem, in paupertate spiritus continue celebrarent. Porro peregrini leges sunt, sub alieno tecto colligi, sitire ad patriam, pacifice transire. Ita habent *Chronica Ordinis S. Francisci*.

17. ET AIT AD ILLOS : QUI SUNT HI SERMONES, QUOS CONFERTIS AD INVICEM AMBULANTES, ET ESTIS TRISTES? — Græce σκυθρωποί, id est vultu tristi, mœsto, tetrico : sciebat Christus tristitiæ causam, sed interrogat ut ipsimet eam detegant, ut deinde illi medeatur illamque eis eximat, *q. d.* Proxime vos sequens, audivi vestros sermones, at non satis eos intellexi. Audivi enim vos loqui de quodam Hierosolymis occiso, edicite ergo quis ille sit, quæ fuerit ejus cædes et qua de causa.

18. ET RESPONDENS UNUS, CUI NOMEN CLEOPHAS, DIXIT EI : TU SOLUS PEREGRINUS ES IN JERUSALEM, ET NON COGNOVISTI QUÆ FACTA SUNT IN ILLA HIS DIEBUS? — « Cleophas » fuit hic frater S. Josephi, sponsi B. Virginis, ac pater S. Jacobi et Judæ Apostolorum, atque avus S. Jacobi Majoris et S. Joannis Apostolorum. Hi enim nati sunt ex matre Salome, quæ fuit filia Cleophæ. Vide dicta *Lucæ* cap. III, 23.

De Cleopha ita scribit Helecas, Episcopus Cæsaraugustanus in Additionibus ad *Chronicon L. Dextri et M. Maximi* : « Alphæus, qui et Cleophas, unus de 70 discipulis, ut docet S. Hieronymus, et frater Josephi, sponsi B. Virginis, in castello Emmaunte pro Christo a Judæis occiditur. » Fuit ergo martyr. Unde de eo sic legimus in *Martyrologio Romano*, ad diem 25 septembris : « In castello Emmaus natalis B. Cleophæ, Christi discipuli, quem tradunt in eadem domo, in qua mensam Domino paraverat, pro confessione illius a Judæis occisum, et gloriosa memoria sepultum. » Plura de eo vide apud Dorotheum, in *Vitis Patriarcharum*.

Denique Cleophas, Græce Κλεόπας, idem est quod *gloria omnis*, ait Pagninus; κλέος enim est *gloria*, πᾶς, *omnis* : Judæi enim ab Alexandro et Græcis subacti Græca nomina assumpserunt. Hebr. vero *Cleophas* idem est quod *concionem* vel *Ecclesiam multiplicans*; קהלה *kehala* enim est concio, cœtus, Ecclesia, פוש *pus* multiplicari. Cleophas enim multos filios et filias, nepotes et neptes dedit Ecclesiæ Christi.

TU SOLUS PEREGRINUS (advena, hospes, externus) ES IN JERUSALEM? — Græce παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλήμ, quod Theophylactus et Euthymius vertunt, *habitas in Jerusalem*; alii, *peregrinaris in Jerusalem* (1). Sensus est, *q. d.* Tu solus ita peregrinus es in Jerusalem, ut non cognoveris quæ hisce diebus in illa facta sunt, circa Jesum Nazarenum, ut roges quis et qualis sit ille occisus et crucifixus de quo tristes sermocinamur? Omnes enim id norunt, ubique non alius quam de Jesu crucifixo est sermo : quomodo tu solus id ignoras?

19. QUIBUS ILLE DIXIT : QUÆ? (Pressius urget Christus, ut ulcus suum particulatim aperiant, et dolorem de Jesu crucifixo ac dubium de ejus resurrectione detegant) ET DIXERUNT : DE JESU NAZARENO, QUI FUIT VIR PROPHETA, POTENS IN OPERE ET SERMONE, CORAM DEO ET OMNI POPULO. — « Prophetam magnum fatentur, ait Beda, Filium Dei tacent, vel nondum perfecte credentes, vel solliciti ne inciderent in manus Judæorum persequentium, quia nesciebant quis esset cum quo loquebantur, quod verum credidere celantes : » nam, vers. 21, aiunt se credidisse ipsum, quasi Messiam Dei Filium, redempturum Israel.

(1) Verba hæc igitur exponas : vel, *tu, cum incola sis urbis Hierosolymitanæ, unus nescis?* vel, *tune solus es inter peregrinos Hierosolymæ versantes, qui nesciat quæ evenerint?* Nisi mavis, quod placet, παροικεῖς accipere in sensu formulæ, *in urbe sua hospitem esse*, ut Cicero, *pro Rabirio*, 28 : « Adeone hospes hujusce urbis, adeone ignarus es disciplinæ, consuetudinis nostræ, ut hæc nescias? »



POTENS IN OPERE ET SERMONE, — id est efficax in prædicando, æque ac operando tot tantasque heroicas virtutes, æque ac miracula. Talis sit Christianus, præsertim sacerdos, Religiosus, prædicator, scilicet potens in opere et sermone, ut bona quæ prædicat opere præstet, priusque doceat exemplo quam verbo.

20. ET QUOMODO EUM TRADIDERUNT (Pilato præsidi) SUMMI SACERDOTES, ET PRINCIPES NOSTRI IN DAMNATIONEM MORTIS, ET CRUCIFIXERUNT EUM. — Non addunt injuste id eos fecisse, licet ipsi ita sentirent et crederent, ne, si peregrinus hic sit explorator, eos apud principes accuset quasi rebelles et tumultuarios, ac apud eos mortis reos peragat.

21. NOS AUTEM SPERABAMUS QUIA (quod) IPSE ESSET REDEMPTURUS ISRAEL — a servitute Gentium, puta Tiberii Imperatoris et Romanorum, *q. d.* Sperabamus ipsum esse Messiam, qui regnum Judææ collapsum restitueret, et in pristinam vel majorem dignitatem quam habuit sub Davide et Salomone, eveheret. At nunc videntes eum tam dire a Judæis occisum, non quidem omnino de eo desperamus; sed tamen parum speramus; mors enim ejus hanc spem valde imminuit et infregit. Ecce hoc est eorum ulcus, hæc diffidentia, hæc fluctuatio inter spem et desperationem, quam Christus ab eis audire cupiebat, ut sanaret. « O discipuli, sperabatis; ergo jam non speratis, ait S. Augustinus, serm. 140 *De Temp.* Ecce Christus vivit, spes mortua est in vobis. » Et mox : « In via cum illis tanquam comes ambulabat, et ipse dux erat. »

ET NUNC SUPER HÆC OMNIA, TERTIA DIES EST HODIE QUOD HÆC FACTA SUNT. — Christus enim feria sexta crucifixus est, a qua dies Dominica, qua resurrexit, erat tertia. Est aposiopesis : discipuli enim dubii, anxii et perplexi nesciunt quid de Christo sentire et dicere debeant, quasi dicant : Jesus vivens dixit se die tertia a morte resurrecturum; ecce hodie est dies tertia, qua necdum eum resurrexisse cognovimus, an vero resurrexerit, vel adhuc resurrecturus sit, ignoramus. Hærent enim dubii, inter spem et metum fluctuantes. « Hæc quasi dubitantes dicunt, ait Theophylactus, et videntur mihi viri in valde ambigua esse sententia, et neque valde discredere, neque recte credere. Etenim dicendo : Speravimus quod redempturus sit Israel, incredulitatem indicant; quod autem dicunt esse diem tertium, hominum est qui probe recordentur quod dixerit eis : Die tertia resurgam. » Et rursus paulo post : « Et omnino si considerentur, sermones humani sunt, et magnam dubitationem habent, et hominum perplexorum. »

22. SED ET MULIERES QUÆDAM EX NOSTRIS TERRUERUNT NOS, QUÆ ANTE LUCEM FUERUNT AD MONUMEN- Vers. 22.
TUM; 23. ET NON INVENTO CORPORE EJUS, VENERUNT, Vers. 23.
DICENTES SE ETIAM VISIONEM ANGELORUM VIDISSE, QUI DICUNT EUM VIVERE.

« Terruerunt, » Græce ἐξέστησαν, id est *stupefecerunt nos*, ita Tigurina; vel *attonitos nos reddiderunt*, ita Vatablus. Magis enim hic significatur discipulorum admiratio et stupor, quam timor quæ orta fuit ex eo quod mulieres non invenissent corpus Jesu, ac vidissent angelos qui dicebant eum resurrexisse; omnia enim hæc, quia nova, inaudita et supernaturalia, eos sacro horrore et timore, sive stupore percellebant, ac eorum incredulitatem et diffidentiam concutiebant, ait Theophylactus, eosque in fidem et spem resurrectionis Christi erigebant : luctabatur ergo in eis timor cum spe, ac inter utrumque dubii fluctuabant.

24. ET ABIERUNT QUIDAM (Petrus et Joannes, *Joan.* XX, vers. 3) EX NOSTRIS AD MONUMENTUM, ET ITA INVENERUNT SICUT MULIERES DIXERUNT (scilicet corpus Jesu non esse in sepulcro, quod nobis dat aliquam spem ipsum resurrexisse); IPSUM VERO (Jesum redivivum) NON INVENERUNT, — aut viderunt, quod nobis auget metum eum non resurrexisse. Proferunt argumenta tam spei, quam metus, quibus significant se inter utrumque ambiguos hærere et dubios fluctuare.

25. ET IPSE DIXIT AD EOS : O STULTI, ET TARDI CORDE AD CREDENDUM IN OMNIBUS (id est omnibus, vel omnia; ב enim Hebræis significat *beth* contracto) QUÆ LOCUTI SUNT PROPHETÆ, — de mea uti morte et cruce, sic et resurrectione.

STULTI. — Græce ἀνόητοι, id est sine mente, amentes, carentes sensu et intellectu, *insensati*, uti vertit Noster, *Galat.* III, 1. Acribus hisce verbis et cognominibus Christus, quasi magister, pungit et castigat discipulorum ruditatem et tarditatem credendi suam resurrectionem tam clare a se et Prophetis prædictam. Hoc enim præceptori in discipulos hebetes licet, ut eos hac objurgationis acrimonia, ad res altas et difficiles exactius considerandum et intelligendum stimulet et exacuat, uti dixit Matthæus, V, 22. Hoc enim stimulo eget natura nostra caduca et hebes, ut ad supernaturalia credenda sperandaque se libret et elevet, in iisque firmiter se roboret et confirmet.

26. NONNE HÆC OPORTUIT PATI CHRISTUM, ET ITA INTRARE IN GLORIAM SUAM? — « Gloriam » vocat gloriosam suam resurrectionem, ascensionem in cœlum, missionem Spiritus Sancti, exaltationem super omnem creaturam, adorationem nominis sui, religionem et cultum sui per totum orbem, regnum æternum in universo cœlo et terra.

OPORTUIT. — Syrus, *futurum erat*; Arabicus,

*nonne hoc erat futurum, ut Christus susciperet has passiones, et intraret gloriam suam?* « Oportuit » ergo Christum per crucem ire ad gloriam; *primo*, quia id prædixerant Prophetæ; *secundo*, quia ita decreverat Deus Pater ab æterno; *tertio*, quia hoc exigebat nostra redemptio, ut ejus pretium morte in cruce persolveret; *quarto*, quia decebat tantam gloriam tanto labore et dolore, quasi merito comparari; *quinto*, quia oportebat Christum quasi ducem exemplo præire Martyribus, Apostolis, Confessoribus, Virginibus Sanctisque omnibus, qui per multas tribulationes tendunt ad cœlum. Sensus est, *q. d.* Vos, o discipuli, vestramque de mea resurrectione fidem et spem turbavit et infregit mea passio, mors et crux, ideoque dixistis: « Sperabamus; » sed temere et sine causa : nam hæc potius vos in vestra fide et spe roborare et confirmare debuisset, quia non est alia via ad resurrectionem, nisi per mortem; nec ad gloriam, nisi per passionem et crucis ignominiam.

27. ET INCIPIENS A MOYSE ET OMNIBUS PROPHETIS (*q. d.* Pergensque per omnes Prophetas : est hebraismus), INTERPRETABATUR ILLIS IN OMNIBUS SCRIPTURIS QUÆ DE IPSO ERANT. — Est metathesis, sive transpositio verborum, quæ sic ordinanda est : « Interpretabatur illis (pleraque, non omnia; hoc enim operosum et prolixum fuisset) quæ de ipso erant in omnibus Scripturis. »

28. ET APPROPINQUAVERUNT CASTELLO (Emmauntis) QUO IBANT; ET IPSE SE FINXIT LONGIUS IRE. — « Finxit, » quia, licet Jesus ita componeret gressus suos, quasi longius ire vellet, revera tamen longius ire nolebat; cupiebat enim ab eis detineri : volebat enim hac fictione tantum excitare in discipulis virtutem hospitalitatis, per quam digni fuerunt, quibus se ipse in mensa patefaceret; fictio tamen hæc non fuit mendacium, quia revera volebat longius ire, et reipsa longius ivisset, casu quo eum discipuli non detinuissent; verum quia ab illis se detinendum sciebat, hoc respectu nolebat longius ire, sed hoc fingebat, vel, ut Græce est, προσεποιεῖτο, id est *præ se ferebat*; Arabicus, *et ipse erat in existimatione eorum, quod iret in locum distantiorem.* Unde S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evangel.*, Quæst. LI : « Cum, inquit, fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. » Et inferius : « Fictio ergo quæ ad aliquam veritatem refertur, figura est; quæ non refertur, mendacium est. » Et S. Gregorius, hom. 23 in *Evang.* : « Fingere namque, inquit, componere dicimus, unde et compositores luti figulos vocamus. Nihil ergo simplex veritas per duplicitatem fecit, sed talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente. Probandi autem erant si hi qui eum, etsi necdum ut Deum diligerent, saltem ut peregrinum amare potuissent. »

29. ET COEGERUNT ILLUM. — « Ex quo exemplo colligitur, ait S. Gregorius, *hom.* 23, quia peregrini ad hospitium non solum invitandi sunt, sed etiam trahendi. » Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 140 *De Temp.* : « Tene hospitem, si vis agnoscere Salvatorem; quod tulerat infidelitas, reddit hospitalitas. »

DICENTES : MANE NOBISCUM, QUONIAM ADVESPERASCIT, ET INCLINATA EST JAM DIES. — id est vergit ad occasum, sed non adeo, sicut ipsi exaggerant, ut Christum tam gratum et suavem in colloquiis hospitem detineant : nam mox ipsi ex Emmaus eodem die regressi sunt in Jerusalem, per stadia sexaginta, quod est iter trium horarum.

Hæc verba jugiter per omnem vitam in corde et ore habebat Cardinalis Hosius, ac præsertim jam moriturus sumpta S. Synaxi, crebro iterans : « Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit; » ac revera mansit cum eo Dominus, et magna miraque per eum in Polonia, Germania, Italia operatus est, quæ tribus libris de ejus Vita scriptis enarrat Stanislaus Rescius, ac denique ei hoc dat elogium :

[illegible]

> Religionis Atlas, vox et manus altera Pauli,
> Mors Lutheri, cœli janitor, orbis amor.

30. ET FACTUM EST, DUM RECUMBERET CUM EIS, ACCEPIT PANEM, ET BENEDIXIT, AC FREGIT, ET PORRIGEBAT ILLIS. — « Benedixit, » convertendo panem in corpus suum, uti fit in consecratione Eucharistiæ. Hunc enim consecrasse hic Christum, licet nonnulli cum Jansenio negent, probatur *primo*, quia eodem modo Matthæus, Marcus et Lucas loquuntur de institutione Eucharistiæ, quo Lucas de pane hoc. *Secundo*, quia benedictio hæc non videtur fuisse initio cœnæ : voluit enim Christus evanescere ex oculis discipulorum, non initio mensæ, sed cœnare cum ipsis, ne videretur esse phantasma. Fuit ergo in medio, vel potius in fine cœnæ : fuit igitur benedictio hæc non communis, quæ præmittitur mensæ, sed sacra et Eucharistica. *Tertio*, id patet ex effectu, quia discipuli occultatum huc usque Christum statim agnoverunt ex hoc pane benedicto et manducato. *Quarto*, ita censent Patres, S. Augustinus, lib. III *De Consensu Evang.*, cap. XXV; Beda, Theophylactus, Glossa, Maldonatus, Franciscus Lucas et alii hic. Audi Auctorem *Imperfecti* apud S. Chrysostomum, *hom.* 17 : « Dominus in via, inquit, non solum benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleophæ et socio ejus. Quod autem de manu porrigatur, non solum sanctificatum, sed etiam sanctificatio est, et sanctificat accipientem. » Et S. Augustinus, serm. 140 *De Temp.* : « Ubi voluit Dominus agnosci? in fractione panis : securi sumus, panem frangimus et Dominum agnoscimus : noluit agnosci nisi ibi : propter nos, qui non eum visuri eramus in carne, et tamen manducaturi ejus carnem. » Denique S. Hieronymus, *epist.* 27, quæ est *Epitaphium Paulæ*, cap. III : « Repetitoque itinere, ait, Nicopolim (profecta est), quæ prius Emmaus vocabatur,



apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in ecclesiam dedicavit. » In ecclesia enim conficitur Eucharistiæ sacramentum et sacrificium.

Usus unius speciei in Eucharistia hic probatur.

Unde ex hoc loco pariter probatur usus unius speciei in Eucharistia; nam Christum hic non consecrasse nec dedisse calicem, patet, quia statim post porrectionem panis benedicti, aperti sunt oculi discipulorum, Jesumque agnoverunt. Quocirca ipse illico evanuit. Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Beda et alii.

31. ET APERTI SUNT OCULI EORUM, ET COGNOVERUNT EUM. — Ecce hæc est virtus, hic effectus Eucharistiæ, ut oculos mentis aperiat et illuminet ad cognoscendum Jesum et penetrandum res cœlestes et divinas. « Magnam enim et indicibilem vim habet caro Domini, » ait Theophylactus. Unde S. Augustinus, serm. 140 *De Temp.* : « Quisquis fidelis es, inquit, consolatur te fractio panis, absentia Domini non est absentia. Habeto fidem, et tecum est quem non vides. »

Tropologice, S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.* : « Hospitalitatis officio, ait, ad Christi cognitionem pervenitur. » Gregorius, in *homil.* : « Qui audita vult intelligere, quæ intellexit opere compleat. Ecce Dominus cum loqueretur, non est cognitus; cum pascitur, cognosci dignatus est. » Glossa : « Veritas melius operando, quam audiendo intelligitur; nec agnoscunt Christum nisi participes corporis ejus; id est Ecclesiæ, cujus unitatem commendat Apostolus in Sacramento panis, dicens : *Unus panis, unum corpus multi sumus,* » I *Cor.* X, 17.

ET IPSE EVANUIT EX OCULIS EORUM. — Græce ἄφαντος ἐγένετο, id est *invisibilis factus est*; Arabicus, *absconditus est ab illis.* Erat ergo Christus præsens discipulis, sed eis invisibilem se fecit : hoc enim possunt facere dæmones in suis sagis, et multo magis id potest Christus et Beati in corpore glorioso, uti passim docent Theologi, idque constat ex apparitionibus Christi post resurrectionem; apparens enim iis illico evanuit. Perperam ergo id negat Calvinus, qui proinde vertit, *subduxit se*, sed inepte; nil enim tale significat Græcum ἄφαντος. Negat autem id Calvinus subdole, ne cogatur fateri Christum esse in Eucharistia, sed absconditum et invisibilem.

Causa, cur illico ut agnitus fuit a discipulis, evanuerit, fuit, *prima*, ut ostenderet se resurrexisse esseque gloriosum. Dos enim corporis gloriosi est, quod possit apparere, vel se abscondere, prout ei libuerit. Evanescere ergo fuit novum argumentum, quo Christus probavit et confirmavit suam resurrectionem.

*Secunda*, ut indicaret se per resurrectionem jam mutasse statum vitæ in statum gloriæ, ac proinde jam non cum hominibus familiariter conversari, sed cum Deo et angelis.

*Tertia*, ut doceret reverentiam quam debemus Christo et Beatis in cœlo; Christo enim glorioso debemus adorationem latriæ, Beatis duliæ.

*Quarta*, ut discipuli statim redirent ad Apostolos de Christi morte afflictos, eosque solarentur nuntiando Christum resurrexisse sibique apparuisse. Unde sequitur :

32. ET DIXERUNT AD INVICEM : NONNE COR NOSTRUM ARDENS ERAT IN NOBIS, DUM LOQUERETUR IN VIA, ET APERIRET (explicaret) NOBIS SCRIPTURAS? — « Ardens erat : » Euthymius, « incendebatur, saliebat, movebatur et vibrabatur. » Hoc erat novum et certum signum Christi redivivi; Christus enim ita loquitur exterius, ut interius corda amore divino succendat, quod nec Aristoteles, nec Plato, nec sapientes mundi facere possunt; unde eorum doctrina et lectio est arida et frigida, ac hominem aridum, sterilem frigidumque relinquit. Imitentur Christum S. Scripturæ interpretes cæterique doctores, ut interpretando et docendo, non solum auditorum lectorumque intellectum illuminent, sed et corda inflamment; nec tantum sint Cherubim, sed et Seraphim, qualis inter alios fuit S. Franciscus, ac ejus asseclа S. Bonaventura, qui proinde Doctor Seraphicus appellatur. Hoc est quod ait David : « Ignitum eloquium tuum vehementer, » *Psalm.* CXVIII, 140; et Salomon : « Omnis sermo Domini ignitus, » *Prov.* XXX, 5; et Moyses : « In dextera ejus ignea lex, » *Deuter.* XXXIII, 2; et Christus : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » *Lucæ* XII, 49. Talis fuit Joannes Baptista, de quo Christus : « Ille, inquit, erat lucerna ardens et lucens, » *Joan.* V, 35; et Elias, de quo Ecclesiasticus, cap. XLVIII, 1 : « Surrexit, ait, Elias propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. » Vide ibi dicta. Simus ergo Ignatii, imo igniti et ignei asseclæ et præcones Christi, juxta illud *Ezechiel.* I, 13, de Cherubinis : « Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum. » Et mox : « Ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis (1). »

33. ET SURGENTES (illico a mensa necdum finita, ideoque necdum saturi) EADEM HORA (eodem momento), REGRESSI SUNT IN JERUSALEM; ET INVENERUNT CONGREGATOS UNDECIM. — Erant decem duntaxat; Thomas enim aberat, et Judas se suspenderat : dicuntur tamen « undecim, » quia jam totum collegium Apostolorum vocabatur et erat undecim virorum, quod hic majori ex parte erat collectum. Sic triumviri et septemviri dicuntur congregati, etiamsi unus vel alter desit.

(1) Optime Kypkius notat ad h. l. discipulos de industria non addidisse quonam affectu animi ipsorum incaluerint, ut indicarent se pluribus affectibus fervidioribus simul agitatos fuisse : affectu *amoris* erga hominem oracula Prophetarum tam dextre explicantem; *desiderii*, consortio et doctrina hujus hominis diutius fruendi; *spei*, cum crederent fere veras hujus doctoris a quo de Christi resurrectione edocti erant; *gaudii* denique, cum ea quæ is de resurrectione Christi docuerat, vera esse optarent, et de iisdem ut veris insigniter lætarentur.

REGRESSI SUNT. — Græce ὑπέστρεψαν, id est redierunt celeriter, pleni alacritate et gaudio.

ET EOS QUI CUM ILLIS ERANT. — id est cæteros Christi discipulos, qui tum Hierosolymis cum Apostolis commorabantur.

34. DICENTES QUOD SURREXIT DOMINUS VERE, ET APPARUIT SIMONI. — Petro ergo quasi pœnitenti ac lapso, et quasi principi Apostolorum primo apparuit Christus, antequam appareret his duobus discipulis et cæteris Apostolis, ut patet ex vers. 36. Ita S. Augustinus, lib. III *De Consensu Evangeliorum.*

35. QUOMODO COGNOVERUNT EUM IN FRACTIONE PANIS. — Ita solet Lucas appellare Eucharistiam, æque ac Paulus, I *Corinth.* X: « Panis quem frangimus, inquit, nonne participatio corporis Domini est? »

36. DUM AUTEM HÆC LOQUUNTUR, STETIT JESUS IN MEDIO EORUM, ET DIXIT EIS: PAX VOBIS: EGO SUM, NOLITE TIMERE. — « In medio, » ut esset omnibus conspicuus, ait Euthymius, tanquam pastor in medio ovium dissipatarum, ut eas sibi circumcirca adunaret, *Ezech.* cap. XXXIV, 12.

PAX VOBIS. — Hæc erat Hebræorum usitata salutatio, qua nomine pacis, omnem prosperitatem omneque bonum salutis apprecabantur. Hic autem Christus proprie pacem Apostolis apprecatur et affert, quæ opponatur pavori et turbationi mentis, qua laborabant Apostoli ob mortem Christi; perplexi enim erant quid post eam, tam de se, quam de Jesu esset futurum. Hæc omnia hic exemit eis Christus, pacemque eis impertit. Ipse enim est pax omnium, ait S. Cyrillus, lib. XII *in Joan.*, cap. LIV. Unde S. Chrysostomus, in cap. XXVIII *Matth.*: « Molestias, ait, omnes dissolvens, crucis merita colligit, quæ sunt pax, quia omnia impedimenta sublata sunt et trophæum clarissimum statuit. »

37. CONTURBATI VERO ET CONTERRITI, EXISTIMABANT SE SPIRITUM VIDERE, — eo quod viderent Jesum januas clausas penetrasse, et ex improviso se sistere in medio eorum. Unde S. Ambrosius: « Etsi Petrus, inquit, de resurrectione crediderat, turbari tamen potuit, cum videret quod se Dominus cum corpore, in ea quæ vestibulis obseratis et obstructis erant septa parietibus, improvisus infunderet. »

38. ET DIXIT EIS: QUID TURBATI ESTIS, ET COGITATIONES ASCENDUNT (oriuntur, vobis permittentibus et indulgentibus) IN CORDA VESTRA? — « Cogitationes istæ, ait Augustinus, serm. 69 *De Diversis*, terrenæ sunt; si enim cœlestes essent, descenderent in cor, non ascenderent: » ascendunt ergo e terra, id est e corde terreno, ideoque timido, exili et pavido. Porro, Christus hic ostendit se esse cardiognosten, hoc est cordium et turbationis eorum cognitorem, ideoque Deum, ait Titus et Euthymius.

39. VIDETE MANUS MEAS ET PEDES, QUIA EGO IPSE SUM; PALPATE ET VIDETE, QUIA SPIRITUS CARNEM ET OSSA NON HABET, SICUT ME VIDETIS HABERE. — *q. d.* Si aspectui non creditis, tactui credite. Probent sibi manus vestræ si mentiuntur oculi vestri, ait S. Augustinus, serm. 69 *De Diversis.* Tactus enim visu est solidior et certior. « Palpate » ergo, Græce ψηλαφήσατε, id est contrectate me, totumque meum corpus, ut illud solidum, reale, verum ac genuinum esse ipso tactu sentiatis. Hinc patet corpus gloriosum Christi et Beatorum esse subtile quidem, per effectum spiritualis potentiæ, palpabile autem per veritatem naturæ, ait S. Gregorius.

[illegible] Quæres *primo*, qua ratione corpus Christi (et Beatorum) post resurrectionem gloriosum, ideoque subtile et penetrabile, possit simul esse palpabile? Nota hæc tria in corpore esse distinguenda: *primo*, quod corpus non cedat, sive quod alteri corpori resistat; *secundo*, quod sentiatur; *tertio*, quod palpetur. Cœli enim corporei resistunt aliis corporibus, non tamen sentiuntur proprie: ignis vero sentitur, non tamen resistit, nec palpatur. Resistit ergo corpus cum alteri se opponit, nec ab eo se penetrari sinit, sive id faciat ratione suæ indivisibilitatis, ut cœlum; sive ratione suæ duritiei et densitatis, ut ferrum et alia. Sentitur vero, cum per calorem, frigus, mollitiem, asperitatem et alias qualitates tactiles, sensum tactus immutat, aut ei speciem intentionalem imprimit. Denique palpatur corpus, teste D. Thomas III *part.*, *Quæst.* LIV, art. 3, ad 2, cum utrumque habet, id est cum resistit ratione suæ densitatis, et simul sentitur esse molle, asperum, lene, durum, rarum, spissum, aliasque similes dispositiones tactiles habere, quæ variæ sunt in variis membris, secundum quas varie palpantur et contrectantur. Unde S. Gregorius, *hom.* 26: Quod palpatur, ait, necesse est corrumpi, scilicet naturaliter, quia hoc signum est illud constare quatuor elementis ac qualitatibus contrariis. Dico *naturaliter*; quia supernaturaliter corpus gloriosum incorruptibile est, et tamen palpabile. Unde subdit S. Gregorius: « Sed miro modo atque inæstimabili, Redemptor noster et incorruptibile post resurrectionem et palpabile corpus exhibuit, ut monstrando incorruptibile, invitaret ad præmium, et præbendo palpabile, firmaret ad fidem. Et incorruptibilem se ergo et palpabilem demonstravit, ut profecto esse post resurrectionem ostenderet corpus suum et ejusdem naturæ et alterius gloriæ. »

At qua ratione id fecit Christus? Dico *primo*: Corpora gloriosa habent dotem subtilitatis, per quam possunt non resistere alteri corpori, illudque penetrare; habent *secundo*, dotem ut possint non sentiri tactu, sicut habent ut possint non videri, ut paulo ante dixi: hæc utraque dos est illis libera; unde ea utuntur, aut non utuntur, prout eis libuerit.

Dico *secundo*: Consequenter corpora gloriosa cum volunt, sunt palpabilia, aut non palpabilia:



si enim velint resistere et sinere se sentiri et contrectari, sunt palpabilia; si alterutrum nolint, id est si nolint resistere, sed velint sentiri; aut si nolint sentiri, sed velint resistere, uti cœli; aut si velint nec resistere, nec sentiri, non sunt palpabilia. Ita Suarez, III *part.*, *Quæst.* LIV, art. 3.

An palpatio Christi, comestio, etc., fuerit sufficiens argumentum resurrectionis?

Quæres *secundo*, an hæc Christi palpatio, comestio et similia fuerint sufficiens argumentum resurrectionis Christi? Respondeo, non fuisse omnino physice certum; nam etiam angeli in corpore assumpto palpati fuerunt ab Abraham, Lot et aliis: fuit tamen certum certitudine morali et humana: *primo*, quia propter hanc causam voluit Christus diu inter Apostolos versari, et per omnes sensus disciplinæ, scilicet auditum, visum, tactum, qui hominibus certissimi habentur, manifestari in resurrectione, uti et in morte; *secundo*, quia ad Dei providentiam pertinebat hæc tot signa non permittere, et fucum, si quis fuisset, detegere; agebatur enim de vero Messia ejusque nova religione, et præcipuo ejus puncto, id est resurrectione confirmanda; *tertio*, quia cum his signis juncta miracula Christi et prophetiæ de Christo, faciebant rem omnino certam et credendam. Ita D. Thomas, III *part.*, *Quæst.* LV, art. 6.

Igitur eadem Christi forma, figura, loquela, vultus, vulnera, tactus, esus, potus, progressus, conversatio, asseveratio, prædictio, miracula, testimonia angelorum, oracula Prophetarum; hæc omnia, inquam, in unum collecta et conglobata, certo demonstrabant eum vere resurrexisse.

40. ET CUM HOC DIXISSET, OSTENDIT EIS MANUS ET PEDES — « perforatos, qui clavorum adhuc ferebant foramina, » ait Euthymius, idque patet ex *Joannis* XX, 27, ubi Christus ait Thomæ: « Infer digitum tuum huc, et vide manus meas (perforatas), et affer manum tuam, et mitte in latus meum » lancea in cruce transf[illegible]um. Hæc enim quinque vulnera, aut potius v[illegible]rum cicatrices et stigmata, quasi victoriæ [illegible] morte, peccato, diabolo et gehenna in cruce partæ trophæa, Christus in corpore suo glorioso remanere voluit, ac cœlo inferre, ait S. Ambrosius, « ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet; » atque, ut ait Beda, « qui regna mortis destruxit, signa mortis obliterare noluit. » Sic etiam in cœlo SS. Martyres cicatrices vulnerum suorum, quasi martyrii sui triumphos ostentabunt. Nam, ut ait S. Augustinus, lib. XXII *De Civitate Dei*, cap. XX: « N[illegible] deformitas in eis, sed dignitas erit, et quædam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit: non sunt deputanda vel appellanda vitia, virtutis indicia. »

An Apostoli revera tetigerint manus et pedes Christi perforatos?

Quæres an revera discipuli post resurrectionem palparint et tetigerint manus et pedes Christi perforatos?

Respondeo nihil in hac re esse certi, quia Scriptura id non enarrat. Probabile tamen est aliquos palpasse et tetigisse, præsertim illos qui magis de resurrectione Christi dubitabant, tum quia hi in dubio hoc rei veritatem tactu explorare cupiebant, seque certos reddere, an vere hic esset Jesus, et a morte redivivus, non vero illusio vel phantasma; hoc enim magni intererat ad veram in Christum fidem et spem; tum quia Christus se eis palpandum obtulit, imo jussit ut palparent, ut omne eis dubium eximeret; tum quia Christus palpationem hanc voluit esse argumentum certum, probans suam resurrectionem non tantum Apostolis, sed et eorum posteris, ut scilicet Apostoli possent prædicare Gentibus Christum vere resurrexisse. Id ita esse docet S. Joannes, *epist.* I, cap. I, vers. 1: « Quod vidimus, inquit, oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, etc., annuntiamus vobis. » Ita Didymus ibidem, S. Augustinus, serm. 18 *De Verbis Domini*; S. Leo, *epist.* 97, cap. III, et alii.

41. ADHUC AUTEM ILLIS (plerisque illorum, non omnibus) NON CREDENTIBUS, ET MIRANTIBUS PRÆ GAUDIO, DIXIT: HABETIS HIC ALIQUID QUOD MANDUCETUR? — Τὸ *præ gaudio*, refer ad *non credentibus* potius quam ad *mirantibus*, ut patet ex Græco, Syro et Arabico. Græcus enim habet, *adhuc non credentibus illis præ gaudio, et mirantibus*; Syrus, *cumque adhuc non crederent præ gaudio suo, et mirarentur*; Arabicus clare et exacte, *cum ipsi essent increduli præ gaudio et admiratione.* Ex parte enim credebant discipuli ex palpatione Jesum resurrexisse, et verum corpus resumpsisse; verum alia ex parte, præ admiratione rei tam novæ et insolitæ, ac præ magnitudine gaudii, non plane credebant, nec poterant sibi certo et firmiter persuadere hunc esse ipsissimum Jesum, paulo ante crucifixum et jam redivivum. Magnitudo gaudii oriebatur ex credulitate, qua ex parte convicti, visu, voce et tactu Jesu, credebant ipsum vere esse Jesum; eadem tamen gaudii magnitudo faciebat ut id ipsum firmiter credere non possent. Experimur enim in nobis, cum lætissimi afferuntur nuntii, iique a viris gravibus afferuntur, nos ingenti gaudio affici, ideoque needum certam adhibere fidem, eo quod res nuntiata sit ingens, nova, mira, insolita, summeque optata, ideoque nostram fidem et spem exsuperans, ne, si postea falsa esse deprehendatur, nos falsitate delusos cernamus, et tantum de ea doleamus, quantum antea gavisi fuimus. Summum enim gaudium, si res ob quam gaudemus falsa deprehendatur, in summum vertitur mœrorem: quare hoc gaudium temperamus et suspendimus, donec certiores nuntii vel argumenta de rei veritate suggerantur. Ita se res habuit hic in Apostolis, nam obscurabat et impediebat judicium illorum vehemens gaudium, ait Vatablus.

HABETIS ALIQUID QUOD MANDUCETUR? — Christus apparuit discipulis accumbentibus ad mensam et cœnantibus, ut patet *Marci* XVI, 13. Illi, viso Jesu, mox ex reverentia surrexerunt e mensa,

illique occurrerunt gaudentes et stupentes, ideoque dubitantes. Quare Jesus se eis palpandum dedit; sed, cum nec sic omnino crederent, petiit cibum quem videbat in mensa, ut coram eis manducaret, itaque se redivivum esse ostenderet.

42. AT ILLI OBTULERUNT ILLI PARTEM PISCIS ASSI, ET FAVUM MELLIS. — Vide hic frugalitatem Apostolorum : non enim aliud obsonium habebant, quam piscem et favum, qui pauperum est cibus; si enim carnes assas vel elixas habuissent, utique quod melius erat, Christo obtulissent. Piscibus ergo quasi piscatores vescebantur : eadem frugalitatis causa prisci non carnibus, sed piscibus se cibabant, ut patet ex Athenæo, lib. *De Cœnis Sapientum*, imo ante diluvium nullus carnium erat usus et esus, sed piscium, ut ostendi *Genes.* IX.

Symbolice Beda : Piscis assus, inquit, est Christus passus : latere enim dignatus est in aquis generis humani, et capi laqueo mortis nostræ, et quasi tribulatione assari tempore passionis; sed favus mellis extitit in resurrectione, mel in cera, divinitas in humanitate. Et Theophylactus : Manducavit partem piscis assi; naturam enim humanam, in hujus vitæ mari natantem assans igne propriæ deitatis, ejusque humiditatem exsiccans, a profundis undis extractam fecit escam divinam cibumque suavem : quod significat favus mellis. Vel piscis assus est vita activa, consumens nostram humiditatem laborum prunis; favus mellis est contemplatio dulcis eloquiorum Dei. Et Gregorius Nyssenus : Legale pascha, ait, cum amaritudine edebatur, post resurrectionem vero cibus favo mellis dulcoratur.

Tropologice : Qui hic assantur tribulationibus pro Deo, ait Glossa, vera postea dulcedine satiabuntur.

Aliam causam tropologicam, cur Christus assum piscem comederit, dat Anonymus, in *Catena Græca*. Naturæ enim humanæ, inquit, humiditatem, cui propter vitæ incontinentiam piscis instar immersa erat, Dei Verbum tanquam ignis quidam novus et inaccessus, per ineffabilem carnis unionem exsiccans quasi et assans, ab omni cum passionum commixtione liberavit. Hancque dispensationem tam suaviter adimplevit, ut sibi cibum suavem effecerit; salus enim hominum cibus Dei est. Unde Christus mox post comestum piscem et favum, insufflans in Apostolos, dedit eis Spiritum Sanctum ad remittendum peccata, ut patet *Joan.* XX, 22 : « Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt. »

43. ET CUM MANDUCASSET CORAM EIS, SUMENS RELIQUIAS DEDIT EIS. — Græce, *et sumens coram eis, manducavit*. Vera fuit hæc manducatio Christi. Erat enim vitalis actio, qua cibus a Christo animato et redivivo, vi animæ vegetantis vitaliter trajiciebatur in stomachum, cujusque calore concoqui poterat. Secus est in angelis, dum corpus assumunt; hi enim videntur comedere, sed revera non comedunt, quia nec verum habent corpus aut stomachum, nec vitaliter in eum cibum trajiciunt, quia non vivunt in corpore, nec enim illud informant et animant : trajiciunt ergo cibum in stomachum aereum, perinde ac si nos cibum trajiciamus in saccum aliquem laneum vel lineum. Unde Raphael, *Tobiæ* XII, 19 : « Videbar quidem, inquit, vobiscum manducare et bibere; sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. » Christus tamen non fuit hoc cibo nutritus, sed in stomacho illum totum vel annihilavit, vel in aerem aliamque materiam convertit et dispersit. Ita Theophylactus : « Comedens, ait, divina quadam virtute consumendo quod comedebat. » Sic et S. Augustinus, *epist.* 49, ubi dat simile : « Aliter, inquit, absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius candens; illa indigentia, iste potentia; » sic et D. Thomas ac Scholastici.

SUMENS RELIQUIAS DEDIT EIS, — tum ne perirent; tum ut reliquias has comederent Apostoli, itaque dicere possent se cum illo ex eodem cibo comedisse; tum ut ipsi reliquias has ostenderent incredulis, ac ex eis Christum comedisse asserendo, illum resurrexisse iisdem persuaderent. Hæc verba jam desunt in Græco et Syro. Verum illa olim in Græco extitisse, liquet ex nostro Interprete et Arabico, qui habet, *et accepit reliquias et dedit illis*.

44. HÆC SUNT VERBA, QUÆ LOCUTUS SUM AD VOS, CUM ADHUC ESSEM VOBISCUM, QUONIAM NECESSE EST IMPLERI OMNIA QUÆ SCRIPTA SUNT IN LEGE MOYSI, ET PROPHETIS, ET PSALMIS DE ME. — « Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, » quibus scilicet prædixi me sic passurum, in cruce moriturum et die tertia resurrecturum, uti jam reipsa factum videtis. Agnoscite ergo me verum esse Prophetam et Messiam, utpote cujus oraculis ad amussim respondet rerum eventus. Aut : « Hæc sunt verba, » id est hæ sunt res, quas uti locutus sum et prædixi vobis, ita jam vos re ipsa perfectas et completas videtis : res istæ sunt mea passio, crucifixio, mors et resurrectio, ut sit metonymia qua sæpe verbum pro re verbo significata sumitur. Porro, res istæ non debent vobis, o Apostoli, videri novæ et inopinatæ, quia non solum a me, sed et olim a Moyse, Prophetis et Davide, in Psalmis prædictæ et prænuntiatæ sunt, ut sequitur.

Nonnulli censent Lucam hic uti anticipatione; putant enim Christum hæc dixisse non in Dominica Resurrectionis, sed in die Ascensionis : tunc enim jussit eos manere in Jerusalem usque ad adventum Spiritus Sancti (uti hic jubet vers. 49), ut patet *Act.* I, 4. Unde et de ascensione Christi mox agit Lucas, vers. 50, nisi quis dicat utroque die, adeoque sæpius Christum hæc Apostolis inculcasse, ad eorum fidem æque ac memoriam confirmandam.

45. TUNC APERUIT EIS (Græce αὐτῶν, id est eorum; ita Syrus et Arabicus) SENSUM (Græce νοῦν, id est mentem), UT INTELLIGERENT SCRIPTURAS. — *q. d.* Tunc illuminavit eorum mentem, ut oracula Prophetarum de Christi morte, cruce et resurrectione, hucusque ab eis non intellecta, intelligerent, sicut fecerat duobus discipulis euntibus in Emmaus, quibus in via interpretabatur Scripturas quæ de ipso erant, vers. 27 præced. : « Et incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. » Patet ex vers. 46, qui sequitur.

Egit hoc Christus, tum ut ex illis Apostolos in fide suæ passionis et resurrectionis solidaret, tum ut ipsos ejusdem fidei doctores et prædicatores efficeret. Horum enim est sanctam Scripturam populo explicare. Porro, Christus id ipsum hic fecit inchoate, perfecit autem in Pentecoste, cum in eos misit Spiritum Sanctum, qui eis notitiam uti linguarum, sic et Scripturarum pleniorem indidit.

S. Scriptura non est omnibus legentibus facilis et clara.

Hinc patet *primo*, sanctam Scripturam non esse omnibus legentibus, etiam laicis et rudibus, apertam et claram, uti volunt hæretici; *secundo*, eamdem non esse interpretandam ex proprio sensu, ut iidem contendunt; sed ex spiritu Dei, quem Christus hic dedit Apostolis, hi Ecclesiæ, Ecclesia autem eumdem nobis tradidit. Quocirca S. Paulus docet Deum in Ecclesia posuisse doctores, et inter gratias gratis a Deo datas, I *Corinth.*, cap. XII, numerat « interpretationem sermonum; » hac de causa erant olim in Ecclesia interpretes, quorum officium vide apud Baronium, tom. I, pag. 394.

46. ET DIXIT EIS : QUONIAM (quod, quæ particula hic per pleonasmum more Hebræo redundat) SIC SCRIPTUM EST (*Isaiæ* LIII, *Psal.* XXI et alibi), ET SIC OPORTEBAT CHRISTUM PATI, ET RESURGERE A MORTUIS TERTIA DIE. — Ecce in hisce fidei articulis aperuit Christus Apostolorum sensum et mentem, ut sacras Scripturas de eis prophetantes intelligerent.

47. ET PRÆDICARI IN NOMINE EJUS POENITENTIAM ET REMISSIONEM PECCATORUM IN OMNES GENTES. — « In nomine ejus, » id est *primo*, auctoritate ejus, scilicet Christi; *secundo*, jussu Christi; *tertio*, vice Christi, ut scilicet Christi prædicationem de pœnitentia et remissione peccatorum per fidem danda, Apostoli prosequerentur et propagarent per omnes Gentes; *quarto*, « in nomine, » id est in virtute et efficacia meritorum et mortis Christi : nulli enim nisi per hæc Deus dat spiritum pœnitentiæ et remissionis peccatorum.

INCIPIENTIBUS AB JEROSOLYMA — vobis scilicet, o Apostoli, prædicatoribus; *q. d.* Vos, o Apostoli, incipite prædicare in Jerusalem, et ex ea pergite ad omnes Gentes.

INCIPIENTIBUS. — Legit interpres ἀρξαμένων, jam legunt ἀρξάμενον, id est *incipientem*, id est incipiente, hoc est incipiendo a Jerusalem, ut sit atticismus; Syrus, *exordium erit a Jerusalem*.

Cur a Jerusalem cœpit prædicatio Evangelii.

Causa fuit : *Prima*, quia in Jerusalem florebat Synagoga, ibique prædicante Christo cœpit Ecclesia : ibi enim vetus Ecclesia in novam a Christo est transfusa, juxta illud *Isaiæ* : « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Et cap. LX, vers. 1 : « Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est, etc. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. » *Secunda*, quia Judæis a Prophetis promissus fuerat Christus, ejusque fides, prædicatio, salus et gratia : Judæorum autem metropolis erat Jerusalem. *Tertia*, quia David et Salomon regnarant in Jerusalem; Christus autem eorum filius regnum eorum collapsum restituere venerat, sed alio modo sublimiore, scilicet spirituali, per fidem et gratiam : ergo in Jerusalem illud ordiri oportebat. Plures causas recensui *Act.* I, 4.

48. VOS AUTEM TESTES ESTIS HORUM. — Hæc et sequentia de ascensione Christi fusius narrat Lucas, *Act.* I, 4 et sequentibus, ubi ea explicui.

49. ET EGO MITTO PROMISSUM PATRIS MEI IN VOS. — *q. d.* Post paucos dies in Pentecoste mittam vobis Spiritum Sanctum, qui hæc et plura clarius vos docebit, atque roborabit ad libere et efficaciter illa prædicandum per omnes gentes.

VOS AUTEM SEDETE IN CIVITATE (Jerusalem) QUOADUSQUE INDUAMINI VIRTUTE (Græce δυνάμει, id est vi, robore) EX ALTO. — *q. d.* Donec e cœlo mittam in vos Spiritum Sanctum, qui undique vos induet et imbuet spiritu et robore cœlesti, sicut miles undique induitur et tegitur lorica cæterisque armis, ut sic toto corpore menteque obarmati, nullum in mente timorem, tarditatem, torporem sentiatis; sed constantes, intrepidi, ferventes, celeres et agiles pergatis prædicatum per totum orbem, atque omnes gentes, reges, tyrannos, sapientes, etc., mihi meæque fidei potenter subjugatis. Nam, ut ait S. Chrysostomus, in *Catena* : « Sicut milites invasuros multos dux exire non sinit, donec armati sint (ne inermes hostium gladiis trucidentur); sic et Christus discipulos ante Spiritus adventum ad conflictum egredi non permittit. »

Unde tropologice, S. Gregorius, III *part. Pastor.*, admonit. 26 : « In civitate, ait, considemus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exterius evagemur, ut, cum virtute divina perfecte induimur, tunc quasi a nobismetipsis foras etiam alios instruentes exeamus. »

Vers. 50

Bethania quantum distans a Jerusalem.

50. EDUXIT AUTEM EOS FORAS IN BETHANIAM, — et inde in montem Oliveti, ex quo in cœlum ascendit. Bethania quindecim stadiis distabat a Jerusalem, et in medio erat mons Oliveti : perrexit tamen Christus prius in Bethaniam, ut Lazaro, Marthæ et Magdalenæ hospitibus suis valediceret, eosque secum in montem Oliveti adduceret, ut suæ ascensionis essent spectatores gloriæque ac triumphi participes.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et elevatis manibus suis (in cœlum, quasi a Deo poscens benedictionem efficacem dandam discipulis), benedixit eis, — formans signum crucis super eos, uti censet Dionysius Carthusianus, Franciscus Lucas et alii, ac Suarez, III *part., Quæst.* LVIII, art. 4, disp. 52, sect. 2. Imo S. Hieronymus, in *Isaiæ* LXVI, 19 : « Et ponam in eis signum. Hoc, inquit, nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, sive in nostris frontibus posuit, ut libere diceremus : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. » Crux enim est signum Christi, quod nobis est fons omnis benedictionis et gratiæ. Quocirca a Christo et Apostolis manavit traditio, ut, dum cui benedicimus, manibus in formam crucis deductis id faciamus.

Porro, Christus hic abiturus a suis discipulis, docet nos, ut, cum a nostris subditis, etc., abimus, eis benedicamus, et signo crucis super eos formato a Deo benedictionem ei apprecemur. Ita Theophylactus.

52. Et ipsi adorantes (Græce προσκυνήσαντες, id est *cum adorassent*), regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno. — Gaudebant enim, tum quia videbant Christum magistrum suum tam glorioso triumpho in cœlum conscendere; tum quia Christus eis promiserat Spiritum Sanctum, eumque læti, avide et certo exspectabant; tum quia post labores prædicationis sperabant se simili modo in cœlum a Christo recipiendos. Hoc enim ipse eis promiserat, *Joan.* XIV, 31.

53. Et erant semper in templo, laudantes et benedicentes (id est gratias agentes pro tantis Christi gratiis, donis et beneficiis) Deum. Amen. — « Semper, » scilicet post adventum Spiritus Sancti in Pentecoste; nam ante eum pavidi metu Judæorum domi se continebant. Aut « semper, » id est frequenter, assidue adibant templum, ut in eo Deum orarent, laudarent et gratias agerent : nam alloqui, ex *Act.* I, 13, constat eos habitasse in domo, puta in cœnaculo, in quo Christus ultimam cœnam celebraverat : sed hoc cœnaculum vicinum erat templo : ex eo ergo facile et crebro adibant templum, et domum redibant. « Inter laudum devotiones, promissum Spiritus Sancti adventum promptis per omnia paratisque cordibus exspectant, » ait V. Beda. Qui et hoc bene annotat, Lucam, qui Evangelium suum a ministerio templi per sacerdotium Zachariæ cœpit, pulcherrime hoc in templi devotione complere, cum Apostolos inibi, ministros videlicet novi sacerdotii futuros, non in victimarum sanguine, sed in laude Dei et benedictione conclusit.

Moraliter : Apostoli et discipuli Christi hic nos suo exemplo docent assidue laudare Deum, ut tota vita christiani sit laus continua Christi. Ita inchoamus vitam Beatorum, quibus perpetuo laudare Deum est juge otiosum negotium, et negotiosum otium, uti sæpius ostendi in *Apoc.* IV, V et VII. « Beati qui habitant in domo tua, Domine in sæcula sæculorum laudabunt te. »

# CORNELIUS A LAPIDE.

## COMMENTARII

IN

# SANCTI JOANNIS

# EVANGELIUM.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et elevatis manibus suis (in cœlum, quasi a Deo poscens benedictionem efficacem dandam discipulis), benedixit eis, — formans signum crucis super eos, uti censet Dionysius Carthusianus, Franciscus Lucas et alii, ac Suarez, III *part., Quæst.* LVIII, art. 4, disp. 52, sect. 2. Imo S. Hieronymus, in *Isaiæ* LXVI, 19 : « Et ponam in eis signum. Hoc, inquit, nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, sive in nostris frontibus posuit, ut libere diceremus : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. » Crux enim est signum Christi, quod nobis est fons omnis benedictionis et gratiæ. Quocirca a Christo et Apostolis manavit traditio, ut, dum cui benedicimus, manibus in formam crucis deductis id faciamus.

Porro, Christus hic abiturus a suis discipulis, docet nos, ut, cum a nostris subditis, etc., abimus, eis benedicamus, et signo crucis super eos formato a Deo benedictionem eis apprecemur. Ita Theophylactus.

52. Et ipsi adorantes (Græce προσκυνήσαντες, id est *cum adorassent*), regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno. — Gaudebant enim, tum quia videbant Christum magistrum suum tam glorioso triumpho in cœlum conscendere; tum quia Christus eis promiserat Spiritum Sanctum, eumque læti, avide et certo exspectabant; tum quia post labores prædicationis sperabant se simili modo in cœlum a Christo recipiendos. Hoc enim ipse eis promiserat, *Joan.* XIV, 31.

53. Et erant semper in templo, laudantes et Vers. 53
benedicentes (id est gratias agentes pro tantis Christi gratiis, donis et beneficiis) Deum. Amen. — « Semper, » scilicet post adventum Spiritus Sancti in Pentecoste; nam ante eum pavidi metu Judæorum domi se continebant. Aut « semper, » id est frequenter, assidue adibant templum, ut in eo Deum orarent, laudarent et gratias agerent : nam alloqui, ex *Act.* I, 13, constat eos habitasse in domo, puta in cœnaculo, in quo Christus ultimam cœnam celebraverat : sed hoc cœnaculum vicinum erat templo : ex eo ergo facile et crebro adibant templum, et domum redibant. « Inter laudum devotiones, promissum Spiritus Sancti adventum promptis per omnia paratisque cordibus exspectant, » ait V. Beda. Qui et hoc hic annotat, Lucam, qui Evangelium suum a ministerio templi per sacerdotium Zachariæ cœpit, pulcherrime hoc in templi devotione complere, cum Apostolos inibi, ministros videlicet novi sacerdotii futuros, non in victimarum sanguine, sed in laude Dei et benedictione conclusit.

Moraliter : Apostoli et discipuli Christi hic nos suo exemplo docent assidue laudare Deum, ut tota vita christiani sit laus continua Christi. Ita inchoamus vitam Beatorum, quibus perpetuo laudare Deum est juge otiosum negotium, et negotiosum otium, uti sæpius ostendi in *Apoc.* IV, V et VII. « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. »

# CORNELIUS A LAPIDE.

## COMMENTARII

IN

# SANCTI JOANNIS

# EVANGELIUM.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# COMMENTARIUS

IN

# ANGELIUM S. JOANNIS.

## ARGUMENTUM.

S. Joannes Apostolus, filius Zebedæi et Salomes, frater S. Jacobi Majoris, in Asia græce scripsit hoc Evangelium (1), sub finem vitæ, post reditum ex exilio in Pathmos, ubi scripserat Apocalypsin, uti ostendi procemio *in Apocalypsin*.

Causa scribendi fuit duplex : Prior, ut Ebionem et Cerinthum hæreticos jam tum subnascentes, qui negabant Christi divinitatem, cumque merum esse hominem docebant, confutaret. Posterior, ut ea quæ Matthæus, Marcus et Lucas de Christo omiserant, suppleret. Unde Joannes plene prosequitur acta Christi primo prædicationis suæ anno, quæ alii tres fere prætericrunt (2).

Audi S. Hieronymum, procemio *in Matth.* :

« Ultimus Joannes Apostolus et Evangelista, quem Jesus amavit plurimum; qui supra pectus Domini recumbens, purissima doctrinarum fluenta potavit, et qui solus de cruce meruit audire : Ecce mater tua. Is cum esset in Asia, et tunc jam hæreticorum semina pullularent, Cerinthi, Ebionis et cæterorum, qui negant Christum in carne venisse, quos et ipse in epistola sua Antichristos vocat, et Apostolus Paulus frequenter percutit; coactus est ab omnibus pene tunc Asiæ Episcopis, et multarum Ecclesiarum legationibus, de divinitate Salvatoris altius scribere; et ad ipsum, ut ita dicam, Dei Verbum, non tam audaci quam felici temeritate prorumpere. Unde et Ecclesiastica narrat historia, cum a fratribus cogeretur ut scriberet, ita facturum se respondisse, si indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur : quo expleto, revelatione saturatus, illud procemium e cœlo veniens eructavit : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. »

Ergo scripsit S. Joannes Evangelium, prævio communi Ecclesiæ jejunio. Addunt alii, præviis tonitruis et fulguribus, quasi alter Moses, qui legem a Deo excipit cum tonitruo, fulmine et terræ motu, *Exod.* XIX. Ipse enim a Christo indigitatus est *Boanerges*, id est filius tonitrui, ac ut talis novum legis novæ exordium intonuit : « In principio erat Verbum. » Ita ex Metaphraste et aliis Baronius, tom. I, sub initium anni Christi 99, ubi pariter docet Joannem scripsisse Evangelium hoc anno Christi 99, post ejus ascensionem 66, qui fuit post excidium Hierosolymæ per Titum 27, Nervæ Imperatoris primus, cum jam fides Christi et Ecclesia ubique per provincias increbresceret, et inclaresceret magno fidelium numero, ac majore virtute et robore Martyrum.

Igitur sicut Isaias cæteros Prophetas, ita Joannes cæteros Evangelistas sublimitate superat : quare, licet cæterorum tempore sit postremus, dignitate tamen et perfectione est primus. Unde et aquilæ cæteris avibus supervolitanti comparatur, *Ezech.* I, *Apocal.* IV. Dignitas hæc ejus, su-

(1) Ad nostram usque ætatem nulla non modo S. Patrum, sed neque hostibus Christianorum acerrimis, dubitatio unquam suborta est de Joannis Evangelii *authentia*. Verum haud ita pridem e Protestantibus extitere, hosque inter Bretschneiderus, opere cui titulus : *Probabilia de evangelii et epistolarum Joannis apostoli indole et origine*, qui hoc opus suo auctori abjudicatum inter vetustiora amandare tentarunt. Hos refutatos reperies apud Kuinoel, *Proleg. in Joan.*, §2; et Hug, *Einleit. in d. Schrift. des N. T.* II Th., §§ 37, 60; argumenta vero positiva quibus Joanni quartum Evangelium merito ascribi statuitur, extant apud Patritium, op. cit. lib. 1, cap. IV, *Quæst.* I.

(2) Hæc P. Patritius de Joannis consilio in Evangelio conscribendo : 1° Joannis consilium [illegible] potius quam *historicum* fuisse patet, tum ex eo quod sermonibus documentisque Christi fere totius, rerum ab eo gestarum maximam partem omittat; tum ex eo quod testimonia Scripturarum depromat ad probanda quæ edisserit. 2° Aliis quam Judæis librum suum destinavit : in hoc enim nullam reperias ex Christi parabolis, cujus sermonis genere Judæi delectabantur; nullam fere ex invectionibus quibus Christus Pharisæos impetere solebat; nullam Scribarum, aut Davidis mentionem. Contra, voces et loca Judæis notissima græco vocabulo apposito explicantur, aut tanquam legentibus ignota diligentius definiuntur; de suis popularibus, Judæis scilicet, Joannes loqui videtur non secus ac de gente lectoribus extranea, dicens οἱ Ἰουδαῖοι, ubi alii Evangelistæ uti solent vocabulis [illegible], οἱ [illegible]. 3° Peculiari quadam ratione Christi præ Joanne Baptista excellentiam demonstrare sibi sumpsisse videtur; cf. *Joan.* I, 8, 15, 37; III, 32; V, 34; X, 41. 4° Igitur summa Joannis consilii fuit ut adversus Nicolaitas, Gnosticos, Cerinthianos, Docetas, Discipulos Joannis Baptistæ, etc., probaret Jesum esse Christum Filium Dei.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

[illegible] excellentia, ac consequenter obscuritas, ex tribus maxime capitibus æstimari potest. *Primum* est materia et argumentum : S. Joannes enim solus ex professo agit de Christi divinitate, de Verbi origine, æternitate, generatione ac spiratione Spiritus Sancti, de Sanctissima Trinitate, deitatis unitate, relationibus, attributis divinis, etc. Matthæus vero, Marcus et Lucas humanitatis Christi mysteria et gesta recensent. Unde ex S. Joanne Patres omnia pene argumenta contra Arianos, Servetianos, Nestorianos, Eutychianos similesque hæreticos; Doctores vero Scholastici totam materiam de S. Trinitate deque Deo trino et uno hauserunt.

*Secundum* est ordo temporis. Scimus Ecclesiam instar auroræ et solis, sensim successu temporum, crevisse ad perfectum diem cognitionis mysteriorum fidei. Hinc scriptores hagiographi novi Testamenti, puta Apostoli et Evangelistæ, longe clarius et luculentius de iis scribunt, quam Moses et Prophetæ veteris Testamenti. Inter eos autem ultimus omnium est S. Joannes; ultimum ejus opus est Evangelium, uti docent Patres et interpretes. Ultimam ergo manum et coronidem Evangeliis et Bibliis hoc Evangelio S. Joannes imposuit.

Tertio. Joannes habet dotes omnium Sanctorum.

*Tertium* est auctor; S. Joannes enim unus omnium Sanctorum laureas meruit et obtinuit. Ipse vocatur et revera est Theologus, imo Theologorum vertex, ipse Propheta, ipse Apostolus, ipse Evangelista, ipse Sacerdos, ipse Pontifex, ipse Hierarcha, ipse Virgo, ipse Martyr; sed quia virgo, illæsus supersuit, ac ferventi oleo immersus, illo nec uri nec lædi potuit. Joannem esse Theologum liquet ex Apocalypsi, quæ Græce inscribitur *Apocalypsis S. Joannis Theologi*. Ipsum esse Prophetam in Apocalypsi nemo ignorat; Evangelista est in Evangelio; Apostolus in tribus Epistolis Canonicis quas conscripsit. Eumdem virginem fuisse esseque perpetuum, veteres omnes tradunt, ac nominatim vetustissimus Tertullianus, lib. *De Monogamia*, et S. Hieronymus, lib. 1 *Contra Jovin.* Quocirca ipse tum aliarum virtutum, tum præsertim virginitatis merito, evasit discipulus ille quem diligebat Jesus, Benjaminus Christi, qui in ultima cœna Domini super pectus ejus recubuit, cui moriens quasi virgini virginem matrem commendavit. Nimirum « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, » ait ipsa Veritas, *Matth.* v. Videbunt, inquam, in hac vita per fidem et contemplationem, in futura per speciem et visionem.

Unigenitus ergo, qui est in sinu Dei Patris, S. Joanni, velut castissimo sibique amicissimo, in sinu suo recumbenti enarravit secreta et sacramenta divinitatis, abscondita a constitutione mundi. Joannes eadem hæc nobis enarravit, ac quasi filius tonitrui, ceraunius et fulmineus totum orbem Verbi divinitate, velut coruscante fulmine collustravit, ejusdemque ignea charitate inflammavit. Testis sit vel unicus ille sermo longissimus et ultimus Christi a cœna, cap. XIII et seq., qui non nisi amoris divini ardores spirat et eructat. « Joannes, ait S. Epiphanius, *hær.* 73, vere tonitrui filius per propriam suam grandiloquentiam, velut ex quibusdam nubibus a sapientiæ ænigmatibus, piam nobis de filio intelligentiam persuasit. » S. Hieronymus, epist. 85 *ad Evagrium* : « Clangit, ait, tuba, filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit. »

Plura de eo vide hic apud S. Cyrillum, S. Augustinum et S. Chrysostomum, prœmio *in Joannem*. Imo S. Chrysostomus audet dicere Joannem per Evangelium docuisse angelos secreta Verbi incarnati, quæ prius ignorabant, adeoque ipsum doctorem fuisse Cherubinorum et Seraphinorum, idque probat ex illo Pauli, *Ephes.* III : « Ut innotescat principatibus et potestatibus, in cœlestibus, per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei. » « Si igitur, inquit Chrysostomus, principatus et potestates, Cherubimque et Seraphim hæc per Ecclesiam didicerunt, plane constat ipsos angelos summa cum attentione ejus sese auditores exhibere. Quippe idcirco non parum honoris consequimur, quod nobiscum angeli discant quæ nesciunt » (1).

Narrat S. Gregorius Nyssenus, frater S. Basilii, in Vita S. Gregorii Thaumaturgi, ipsum, cum Origenis fuisset discipulus, ac jam Neocæsareæ creatus foret Episcopus, dum jam Origenistæ errores suos spargerent et semina Arianismi jacerent, circa doctrinam doctrinæque modum fluctuare cœpisse : quare Deum ejusque matrem pro ope et luce suppliciter invocasse : nec incassum. In somnis enim apparuit ei B. Virgo cum S. Joanne, quæ eidem præceptorem dedit ipsum S. Joannem : quare S. Joannes Symbolum Thaumaturgo tradidit, quod celebrat V Synodus Œcumenica et tota Orientalis Ecclesia : quo Symbolo pleraque divinissima Evangelii sui mysteria, præsertim de Verbo Patri homousio, limpidissime explicat et pertractat. Extat hoc Symbolum apud Baronium et alios in Vita Thaumaturgi. Idem et nos ab utroque identidem supplices efflagitemus. Plura de S. Joanne dixi

(1) De operis Johannei indole hæc habet Kainoel notatu haud indigna : « Joannes est multo magis historiæ scriptor pragmaticus, quam Evangelistæ reliqui. Isti enim nude fere et simpliciter res gestas exponunt, atque perraro narrationibus suis animadversiones injiciunt, quæ ad lectoris judicium regendum faciant. Johannes vero perquam frequenter narrationibus animadversiones, judiciumque suum inseruit. Attulit quæ de natura et situ locorum lectoribus cognitu necessaria judicaret; ingenium et mores temporis atque hominum illustravit; notavit, cur hæc vel illa res facta sit, cur hunc vel illum eventum habuerit. Neque historiæ tantum, rebus gestis atque eventis; sed etiam sermonibus a Christo habitis, in primis sententiis, quæ vel obscuritatis aliquid, vel offensionis, vel pondus magnum habere viderentur, interpretamenta sua adjecit, etc. »



[illegible] in *Apocal.*, et *in epist.* I S. Joannis.

Denique S. Joanni Chrysostomo in monasterio degenti apparuit S. Petrus, porrigens illi claves, et S. Joannes tradens illi librum Evangelii ; atque ita S. Petrus eum Pontificem, S. Joannes eum doctorem et concionatorem cœlestem creavit et auctoravit; unde *Chrysostomus*, id est *os aureum*, cognominari meruit. Ita habet ejus Vita.

# CANONES EVANGELIO S. JOANNIS

## LUCEM AFFERENTES FACEMQUE PRÆFERENTES.

### PRIMUS.

Joannes stylum habet sibi proprium et peculiarem, a cæteris Evangelistis et scriptoribus hagiographis plane diversum. Ut aquila enim nunc se supra omnes attollit; nunc quasi ad prædam in terram se demittit, et simplicium captui ruditatique se attemperat, ac simplex est, virgineus, planus et candidus. Nunc sapit ut Cherubim, nunc ardet et accendit ut Seraphim. Ratio est, quod Joannes fuerit simillimus Christo [illegible]que dilectissimus, ac vicissim summe eum diligens; unde in ultima Christi cœna in pectore ejus recubuit. Ex illo ergo suxit Christi indolem, sapientiam, candorem, æque ac ardorem. Quare dum Joannem intueris, legis, audis, Christum te intueri, legere, audire cogita; Christus enim suum spiritum, suosque mores et amores in Joannem transfudit.

### SECUNDUS.

Joannes, licet omnium consensu in Græcia, Græcis, græce scripserit Evangelium, tamen, quia ipse genere et gente, ac primævæ nativæque linguæ amore, æque ac elegantia erat Hebræus; hinc magis Hebræis quam Græcis phrasibus et idiotismis præ aliis abundat : unde bilingui, imo trilingui cognitione hic opus est; scilicet ut noris hebraice, græce et latine. Sic hebraizat, dum sæpe τὸ *et* sumit pro *sicut*, uti passim facit Salomon in proverbiis, ubi simile simili comparat per copulam *et*, quæ proinde similitudinis est nota, idemque valet quod *sicut*. Græcizat vero, dum *forsitan* sumit pro *utique*; Græcum enim ἄν notat assertionem, non dubitationem, *Joan.* VIII, 19. Sic *non posse* sumit pro *nolle*, *Joan.* VIII, 43. Sic Hebræum *amen* semper geminat et duplicat, dicens : *Amen, amen*, cum cæteri Evangelistæ simplex unumque duntaxat ponant *amen*. Causas hujus diversitatis vestigabo cap. III, 2.

### TERTIUS.

Joannes Christi disputationibus cum Judæis, et concionibus magis quam rebus ab eo gestis recensendis incumbit. Non quod omnes Christi disputationes et conciones enarret, sed quod celebriores et majoris momenti, præsertim illas quibus Christus probabat se Deum esse æque ac hominem, in compendium redigat.

### QUARTUS.

Apud Joannem Christus nunc ut homo, nunc ut Deus loquitur; idque solerter ex adjunctis et circumstantiis distinguendum et secernendum est.

### QUINTUS.

Cum Christus apud Joannem dicit sæpius se nihil facere aut loqui ex seipso, vel se non facere aut dicere hoc illudve, sed Patrem, id intelligi debet originaliter et solum, *q. d.* Ego solus neque qua homo hæc confingo, neque qua Deus primus eorum sum auctor; sed Deus Pater, qui cum essentia sua divina communicat mihi omniscientiam et omnipotentiam operandi quidvis, quantumvis arduum, sublime, paradoxum et divinum.

### SEXTUS.

Licet Apostoli aliique Sancti miracula quoque patrarint, Christus tamen apud Joannem, sæpe ex miraculis a se factis probat se esse Messiam et Deum; idque recte et efficaciter : *primo*, quia ipse ad hoc probandum illa directe adhibebat. Miraculum enim, quasi opus Dei et vox realis primæ veritatis, est certum testimonium ejus rei, ad quam adhibetur et inducitur. *Secundo*, quia Christus illa faciebat propria virtute suaque auctoritate et imperio, quod facere non potuisset, nisi ipse fuisset Deus ex Deo. Ita enim illa faciebat, ut viderentur ab eo quasi ex Deo, et quasi ex primo miraculorum fonte manare. Sancti autem miracula patrant non sua auctoritate, sed invocatione nominis Dei vel Christi. *Tertio*, quia plura et magis varia fecit Christus, quam cæteri Sancti ante vel post ipsum. Adde, illa fuisse facta a Christo, quæ ab Isaia aliisque Prophetis prædicta sunt, fore indices et notas Messiæ, sive Christi, ut patebit cap. XI, vers. 4.

### SEPTIMUS.

Matthæus, Marcus et Lucas maxime scribunt acta ultimi et penultimi anni prædicationis Christi, scilicet ea quæ egit post incarcerationem S. Joannis Baptistæ : Joannes vero in suo Evangelio, præcipue duorum præcedentium prædicationis Christi annorum historiam pertexit; atque per hoc multæ solvuntur antilogiæ, quibus Joannes cæteris tribus videtur adversari. Ita S. Augustinus hic in *Prœmio*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### OCTAVUS.

*In S. Joanne particulæ valde expendendæ.*

In Joanne magna sæpe est vis et obscuritas in adverbiis et conjunctionibus causalibus illativis, continuativis et cæteris similibus, ut aliquando una ex eis particula integrum sententiæ sensum contineat et ostendat. Quocirca illæ valde ri-mandæ et expendendæ sunt, ut suis quibusque locis demonstrabo.

### NONUS.

*Ut, propterea, propter quod, quomodo accipiendæ?*

Voculæ *ut*, *propterea*, *propter quod*, et similes, non semper causam aut finem intentum significant, sed sæpe consequentiam et eventum duntaxat, sive id quod consecutum est; præsertim si eventus certo prævisus sit, ideoque aliter jam evenire non possit. Id patet *Joan.* XII, 38 et 39, ubi ait: « Non credebant in eum, ut sermo Isaiæ impleretur. » Et mox : « Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum. » Causa enim cur Judæi nollent Christo credere, non fuit prædicatio Isaiæ, qua prædixit eos non credituros, sed Judæorum duritics et malitia, quæ prædictionem Isaiæ quasi objectum et causa præcessit. Ideo enim prædixit Isaias Judæos non credituros, quia revera ipsi ex sua malitia et obstinatione non erant credituri Christo. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius ibidem.

### DECIMUS.

*Per Judæos quinam intelligendi?*

Joannes per Judæos nunc solos principes, nunc solum populum intelligit; ideoque Judæos nunc Christo adversos, nunc faventes inducit, quia favebat Christo populus, adversabantur vero principes. Id patet cap. VII, vers. 11 et 13; cap. XIII, vers. 31; cap. IX, vers. 23.

### UNDECIMUS.

*Præsens tempus verbis quomodo intelligendum?*

Per hebraismum sæpe præsens tempus non actum in effectum exeuntem, sed naturæ vim, sive actum agentis significat, etiamsi ejus effectus a passo, aut aliunde impediatur. Sic, cap. I, 9, ait Christum suo adventu illuminasse mundum, scilicet quantum erat ex ipso. Nam multi, ut Judæi, lumen hoc recipere noluerunt, uti mox subdit, sed in suis infidelitatis tenebris permanserunt.

### DUODECIMUS.

Voculæ *quasi*, *sicut*, et similes, quia respondent Hebræo *caph*, non semper similitudinem, sed aliquando ipsam veritatem denotant, ut cap. I, vers. 14: « Vidimus gloriam quasi unigeniti, » id est vere unigeniti, *q. d.* Vidimus gloriam talem et tantam, qualis et quanta decebat eum qui vere erat unigenitus Filius Dei Patris. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius ibidem.

### DECIMUS TERTIUS.

Joannes more Hebræo verba nunc sumit in actu inchoato, ut significent incipere opus; nunc in continuato, ut significent pergere in opere et crescere; nunc in perfecto, ut significent opus esse completum. Unde non mirum, si quandoque id quod crescit aut perficitur, ita fieri dicatur ac si jam primum inciperet, et vice versa. Actus inchoati exemplum est cap. XVI, vers. 6, ubi Petrus Christo volenti pedes sibi lavare resistens, ait : « Domine, tu lavas mihi pedes? » *Lavas*, id est, lavare vis, lavare paras et incipis! Actus continuati exemplum est cap. II, vers. 11, ubi, viso miraculo conversionis aquæ in vinum in Cana Galilææ, subjicitur. « Et crediderunt in eum discipuli ejus : » *crediderunt*, id est credere perrexerunt, in fide creverunt et confirmati sunt; nam jam ante crediderant in Christum; nisi enim credidissent, non fuissent eum secuti, nec ejus disciplinæ se tradidissent. Et cap. IV, vers. 53, ubi regulus viso miraculo, quo Christus filium ejus moribundum vitæ restituerat, dicitur credidisse in eum, id est in fide Christi profecisse, seque corroborasse. Nam nisi jam ante in eum credidisset, utique eum non adiisset, nec sanationem filii ab eo postulasset. Actus perfecti exemplum est cap. XI, vers. 15, ubi Christus sub finem vitæ suscitaturus Lazarum ait: « Gaudeo propter vos, ut credatis, » hoc est ut in fide mea per hoc miraculum meum et maximum plane perficiamini. Et cap. XX, vers. 17, Jesus post resurrectionem apparens Magdalenæ ad pedes ejus provolutæ, ait : « Noli me tangere, » id est noli in tactu pedum meorum hærere et desidere, sed vade cito, ac nuntia Apostolis de mea morte mœstissimis me resurrexisse.

### DECIMUS QUARTUS.

Joannes, more Hæbræorum, id quod per affirmationem dixit, iterum per negationem contrarii asserit, iterat et confirmat, præsertim ubi res est gravis notanda et multis dubia, ut valida confirmatione indigeat. Sic *Joannis* I, 20, Joannes Baptista rogatus a Judæis, an ipse esset Christus, « confessus est, et non negavit; et confessus est, quia non sum ego Christus; » et vers. 3 : « Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. »

### DECIMUS QUINTUS.

Gaudet Joannes Christum appellare vitam et lucem, ob causas quas afferam cap. I, vers. 4 et seq. Ad hæc similes et alias peculiares habet phrases. *Judicium* enim sæpe vocat condemnationem quæ in judicio sit, per metalepsin; alibi *judicium* vocat arcana Dei judicia et decreta, quia justa. *Demonstrat*, sumit pro exhibet, dat, donat. *Tenebras* vocat peccata; *filios lucis* vocat sanctos; *veritatem* vocat id quod verum, justum et rectum est; *Operamini cibum*, cap. VI, vers. 27, id est comparate cibum. Crebro utitur verbo *manendi* : unde dicit nos per amorem in Deo manere, et Deum in nobis. Cap. VI, asserit se



et carnem suam esse panem, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. Cap. VII, vers. 37 : *Si quis sitit, ait, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, etc., flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Cap. VIII, interrogatus a Judæis : *Quis es tu?* respondit : *Principium qui et loquor vobis.* Cap. X, comparat se pastori bono, fideles ovibus. Cap. XI, suscitans Lazarum, ait se esse resurrectionem et vitam. Ibidem Joannes Caipham prophetasse de morte Christi asseverat. Cap. XIII, asserit Jesum suos in finem dilexisse, ideoque iturum ad mortem eis pedes lavisse. Cap. XIV : *Ego*, inquit, *sum via, veritas et vita. Pater in me est, et ego in Patre.* Ibidem Spiritum Sanctum promittens, eum vocat *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Cap. XV : *Ego*, inquit, *sum vitis vera, vos palmites, quia sine me nihil potestis facere.* Cap. XVI et seq., vult nos unum esse cum Deo et cum proximis. Sic Interpres *signavit* sumit pro *apposito sigillo confirmavit* hoc enim est Græcum ἐσφράγισεν, cap. VI, 27.

### DECIMUS SEXTUS.

*Christum aliqua dixisse quæ ipse S. Joannes non narravit, brevitati.*

S. Joannes asserit Christum quædam prius dixisse, cum tamen prius non narrarit, ubi et quando ea dixerit : brevitati enim studens, sat habuit semel ea narrare, ne, si prius ea narrasset, cogeretur postea eadem repetere. Sic cap. XI, ait Martham dixisse Magdalenæ : *Magister adest, et vocat te*; et tamen prius non narravit Christum jussisse Marthæ, ut vocaret Magdalenam, quia cum recenset Martham jussu Christi vocasse Magdalenam, hoc ipso sat indicat Christum prius jussisse illi ut sororem vocaret. Ibidem Christus ait Marthæ : *Nonne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei?* et tamen prius non narravit Christum hoc dixisse. Sic cap. VI, vers. 36, ait Christus : *Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et non creditis*, et tamen nusquam antea recensuit, quod idipsum dixerit Christus.

### DECIMUS SEPTIMUS.

Miracula Christi, quæ solus Joannes commemorat, sunt hæc : Conversio aquæ in vinum in Cana Galilææ, cap. II; Prior expulsio vendentium e templo, ibidem vers. 15; Filii reguli infirmi sanatio, cap. III, 47; Paralytici ad Probaticam piscinam curatio, cap. V, vers. 1 et seq.; Cæci nati illuminatio, cap. IX, vers. 1 et seq.; Lazari a morte suscitatio, cap. XI, vers. 1 et seq.; Prostratio Judæ et satellitum in terram, cum venirent ut caperent Jesum, cap. XVIII, vers. 6; Effluxio sanguinis et aquæ e latere Christi jam mortui, et lancea perfossi, cap. XIX, vers. 34; Potestas remittendi peccata per insufflationem Spiritus Sancti data Apostolis post resurrectionem, XX, 22; Multiplicatio piscium Apostolis piscantibus, XXI, 6.

## INTERPRETES.

In Evangelium S. Joannis commentati sunt permulti, ac præcipui Patrum Græcorum et Latinorum. E Græcis post Origenem, qui in Joannem elucubravit 32 tomos sive libros, præclare doc-teque scripsit S. Cyrillus, Patriarcha Alexandrinus, qui sane præ aliis didacticus est, solers, acutus et genuinus in sensu litterali consignando. Porro, S. Cyrillus Joannis Evangelium pertractavit duodecim libris; sed quatuor medii, scilicet quintus, sextus, septimus et octavus injuria temporum interciderunt. Supplevit eos Judocus Clictovæus, Doctor Parisiensis. Cum ergo audis citari quintum, sextum, septimum et octavum hic librum Cyrilli, scito non esse Cyrilli, sed Clictovæi, quod multos etiam viros doctos fefellit. Porro, librum quintum et sextum Cyrilli, Græce exaratum, in Chio insula nuper invenit Collegii Societatis Jesu ibidem Rector, qui eosdem Panormum in Siciliam transtulit, unde eos secum Romam, ad Romanum Collegium nostrum advexit R. P. Joannes Baptista Jattinus, in eodem Mathematicæ professor, qui et eosdem in Latinum convertit; quæruntur ab eo cæteri duo, septimus et octavus, ut omnes latinitate donatos in lucem edat; quinto et sexto Romæ usus sum, eosque subinde citabo; plene enim redolent doctrinam, stylum et ingenium S. Cyrilli.

*Origenes. — S. Cyrillus Alexandrinus. — Judocus Clictovæus S. Cyrilli libros deperditos supplevit.*

*Secundus* est S. Chrysostomus, qui ut paulo ante dixi, a S. Joanne librum Evangeliorum accipiens, ejus ut videtur instinctu, in illud scripsit homilias 87. Extant tomo III operum ejusdem. *S. Chrysostomus.*

*Tertius* est Theophylactus, *quartus* Euthymius, qui duo more suo S. Chrysostomi sunt asseclæ et quasi discipuli; sed Theophylactus est fusior et luculentior; Euthymius brevior, qui et expresse se sua ex S. Chrysostomo, Origene, S. Basilio et Nazianzeno collegisse fatetur. *Theophylactus. Euthymius.*

*Quintus* est Nonnus Panopolitanus, Ægyptius eloquentissimus, qui virginem Theologum, hoc est Joannem Evangelistam, versibus heroicis est interpretatus, ait Suidas. Sixtus Senensis eum inter Græcos Christianorum præcipuum numerat, cujus et (inquit) feruntur *Dionysiacōn*, lib. XLVIII, heroice conscripti : alto cothurno incedit instar Homeri. At, licet Nonni interpretatio proprie tantum sit paraphrasis, tamen multis in locis Evangelii sensum per epitheta indicat et illustrat. Nonni paraphrasin græco-latinam edidit notisque illustravit P. Nicolaus Abramus a Societate Jesu, esto primus eam Aldus Manutius ediderit, ac post eum Franciscus Nansius. *Nonnus Panopolitanus.*

E Latinis *primus* et præcipuus Evangelii S. Joannis interpres est S. Augustinus, qui illud

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN — DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ordine prosequitur per tractatus 124. Exstant tomo IX operum ejusdem.

*Secundus* est Venerabilis Beda, qui S. Augustinum passim et subinde ad verbum consectatur.

*Tertius* est auctor Glossæ. Ubi adverte in Glossa communi triplicem contineri Glossam. Prima est interlinearis, quæ inter lineas textus sanctæ Scripturæ inseritur, ideoque breviter, sed p[illegible]tim, multa docte et utiliter tangit. Secunda [illegible] nalis, quæ ad marginem textus sanct[illegible] collocatur, et vocatur Glossa ordin[illegible]; quæ huic subnectitur, est Glossa Nicolai Lyrani. Primæ Interlinearis auctorem esse Anselmum Laodunensem, cognomento Scholasticum, censet Sixtus Senensis, Franciscus Ribera et alii. Anselmus hic floruit anno Domini 1110.

Secundæ Glossæ, scilicet Ordinariæ, idem Sixtus, Ribera et alii auctorem faciunt Strabum, monachum Fuldensem, auditorem Rabani Mauri, sub annum Domini 820, qui eam ex Rabano, S. Gregorio aliisque Patribus conflavit.

Tertia auctorem suum præfert Nicolaum de Lyra, sic dictum a Lyra, vico Normanniæ, qui, genere et gente Judæus, conversus ad Christum et S. Francisci Ordinem ingressus, docuit Theologiam Scholasticam, anno Domini 1320, vir doctus et linguæ Hebraicæ peritus. Hic Glossam illo tempore insignem scripsit, qua Joannem et cæteros hagiographos ad litteram explicat, adeo ut de eo vulgi ore olim tritum fuerit « Nisi Lyra lyrasset, nostri Theologi non saltassent. » Verum hoc in Lyrano notandum et cavendum, quod ipse suæ genti et Rabbinis, maxime R. Salomoni, qui magnus est fabulator, plus æquo, etiam in næniis et fabellis Judaicis, subinde indulgeat et consentiat.

Posterioribus sæculis, et præsertim nostro hoc omnium eruditissimo, plures in S. Joannem commentati sunt. Præ aliis excellunt Joannes Maldonatus e Societate Jesu, qui fusus est, acutus, elegans et doctus; Cornelius Jansenius, qui exactus, solidus et genuinus; Franciscus Toletus, qui acri judicio sapidus est et pulcher, præsertim in applicandis metaphoris et similitudinibus, earumque analogiis, v. g. cur Christus vocetur vitis, panis, vita, lux, ostium, pastor; cur Spiritus Sanctus nuncupetur aqua viva, columna, ignis, etc. Sebastianus Barradius litteram recte tangens, et moralia miscens, concionatoribus dicendi materiam et spiritum subministrat. Franciscus Lucas totus litteralis est, sed litteram ad pios affectus traducit. Franciscus Ribera brevis, sed more suo rarus et eruditus : posthumus est, et post mortem Riberæ in lucem editus.

Ex hæreticis in S. Joannem scripsere Martinus Bucerus, Wolfgangus Musculus, Bullingerus, Brentius, Calvinus ac Theodorus Beza; e quibus omnibus Augustinus Marloratus Catenam consarcinavit, quam in Belgio perlegi et confutavi.

---

SANCTUM

# JESU CHRISTI EVANGELIUM

## SECUNDUM JOANNEM.

Hic est titulus in Codicibus Græcis et Latinis; in Syriacis hic est : *Evangelium Sanctum præconium Jouchanon* (Joannis), *quod locutus est et prædicavit Ionice* (Græce) *Ephesi*; in Arabicis hic est : *Evangelium Sancti magni discipuli, Apostoli Joannis, filii Zebedæi, dilecti Domino nostro Jesu Christo.*

## CAPUT PRIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Describit Verbi æterni originem, et ex Deo Patre generationem, omnipotentiam, omniscientiam, ac tandem vers. 14, Incarnationem, et gratiæ plenitudinem. Secundo, vers. 19, testimonium quod Joannes Baptista Judæis interrogantibus dedit de Jesu; scilicet ipsum esse Messiam et Agnum, qui tollit peccatum mundi. Tertio, vers. 37, narrat duos Joannis discipulos visitasse Christum, e quibus unus Andreas fratrem suum Simonem adduxit ad Christum, cui Christus :* Tu, ait, vocaberis Cephas, *id est Petrus. Quarto, vers. 43, ad sui sequelam vocat Philippum, hic Nathanaelem ad Christum adducit, qui ei secreta sua sub ficu facta pandens, ab eo agnoscitur esse Messias. Unde Christus ei promittit majora, scilicet, quod visurus sit angelos e cælo ad se descendentes et ascendentes.*

1. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. 2. Hoc
erat in principio apud Deum. 3. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil,
quod factum est. 4. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum; 5. et lux in tenebris lucet,
et tenebræ eam non comprehenderunt. 6. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joan-
nes. 7. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crede-
rent per illum. 8. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. 9. Erat lux
vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 10. In mundo erat,
et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. 11. In propria venit, et
sui eum non receperunt. 12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios
Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : 13. qui non ex sanguinibus, neque ex volun-
tate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. 14. Et Verbum caro factum est,
et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum
gratiæ et veritatis. 15. Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens : Hic erat,
quem dixi : Qui post me venturus est, ante me factus est : quia prior me erat. 16. Et de
plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia. 17. Quia lex per Moysen data
est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. 18. Deum nemo vidit unquam : unige-
nitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. 19. Et hoc est testimonium Joannis,
quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent
eum : Tu quis es? 20. Et confessus est, et non negavit; et confessus est : Quia non sum
ego Christus. 21. Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu? Et dixit : Non sum.
Propheta es tu? Et respondit : Non. 22. Dixerunt ergo ei : Quis es, ut responsum demus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ordine prosequitur per tractatus 124. Exstant tomo IX operum ejusdem.

*Secundus* est Venerabilis Beda, qui S. Augustinum passim et subinde ad verbum consectatur.

*Tertius* est auctor Glossæ. Ubi adverte in Glossa communi triplicem contineri Glossam. Prima est interlinearis, quæ inter lineas textus sancti Scripturæ inseritur, ideoque breviter, sed p[illegible], multa docte et utiliter tangit. Secunda [illegible]nalis, quæ ad marginem textus sanc[illegible] collocatur, et vocatur Glossa ordin[illegible]; quæ huic subnectitur, est Glossa Nicolai Lyrani. Primæ Interlinearis auctorem esse Anselmum Laudunensem, cognomento Scholasticum, censet Sixtus Senensis, Franciscus Ribera et alii. Anselmus hic floruit anno Domini 1110.

Secundæ Glossæ, scilicet Ordinariæ, idem Sixtus, Ribera et alii auctorem faciunt Strabum, monachum Fuldensem, auditorem Rabani Mauri, sub annum Domini 820, qui eam ex Rabano, S. Gregorio aliisque Patribus conflavit.

Tertia auctorem suum præfert Nicolaum de Lyra, sic dictum a Lyra, vico Normanniæ, qui, genere et gente Judæus, conversus ad Christum et S. Francisci Ordinem ingressus, docuit Theologiam Scholasticam, anno Domini 1320, vir doctus et linguæ Hebraicæ peritus. Hic Glossam illo tempore insignem scripsit, qua Joannem et cæteros hagiographos ad litteram explicat, adeo ut de eo vulgi ore olim tritum fuerit : « Nisi Lyra lyrasset, nostri Theologi non saltassent. » Verum hoc in Lyrano notandum et cavendum, quod ipse suæ genti et Rabbinis, maxime R. Salomoni, qui magnus est fabulator, plus æquo, etiam in næniis et fabellis Judaicis, subinde indulgeat et consentiat.

Posterioribus seculis, et præsertim nostro hoc omnium eruditissimo, plures in S. Joannem commentati sunt. Præ aliis excellunt Joannes Maldonatus e Societate Jesu, qui fusus est, acutus, elegans et doctus; Cornelius Jansenius, qui exactus, solidus et genuinus; Franciscus Toletus, qui acri judicio sapidus est et pulcher, præsertim in applicandis metaphoris et similitudinibus, earumque analogiis, v. g. cur Christus vocetur vitis, panis, vita, lux, ostium, pastor; cur Spiritus Sanctus nuncupetur aqua viva, columna, ignis, etc. Sebastianus Barradius litteram recte tangens, et moralia miscens, concionatoribus dicendi materiam et spiritum subministrat. Franciscus Lucas totus litteralis est, sed litteram ad pios affectus traducit. Franciscus Ribera brevis, sed more suo rarus et eruditus : posthumus est, et post mortem Riberæ in lucem editus.

Ex hæreticis in S. Joannem scripsere Martinus Bucerus, Wolfgangus Musculus, Bullingerus, Brentius, Calvinus ac Theodorus Beza; e quibus omnibus Augustinus Marloratus Catenam consarcinavit, quam in Belgio perlegi et confutavi.

SANCTUM

# JESU CHRISTI EVANGELIUM

## SECUNDUM JOANNEM.

Hic est titulus in Codicibus Græcis et Latinis; in Syriacis hic est : *Evangelium Sanctum præconium Jouchanon* (Joannis), *quod locutus est et prædicavit Ionice* (Græce) *Ephesi*; in Arabicis hic est : *Evangelium Sancti magni discipuli, Apostoli Joannis, filii Zebedæi, dilecti Domino nostro Jesu Christo.*

## CAPUT PRIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Describit Verbi æterni originem, et ex Deo Patre generationem, omnipotentiam, omniscientiam, ac tandem vers. 14, Incarnationem, et gratiæ plenitudinem. Secundo, vers. 19, testimonium quod Joannes Baptista Judæis interrogantibus dedit de Jesu; scilicet ipsum esse Messiam et Agnum, qui tollit peccatum mundi. Tertio, vers. 37, narrat duos Joannis discipulos visitasse Christum, e quibus unus Andreas fratrem suum Simonem adduxit ad Christum, cui Christus :* Tu, ait, vocaberis Cephas, *id est Petrus. Quarto, vers. 43, ad sui sequelam vocat Philippum, hic Nathanaelem ad Christum adducit, qui ei secreta sua sub ficu facta pandens, ab eo agnoscitur esse Messias. Unde Christus ei promittit majora, scilicet, quod visurus sit angelos e cælo ad se descendentes et ascendentes.*

1. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. 2. Hoc
erat in principio apud Deum. 3. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil,
quod factum est. 4. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum; 5. et lux in tenebris lucet,
et tenebræ eam non comprehenderunt. 6. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joan-
nes. 7. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crede-
rent per illum. 8. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. 9. Erat lux
vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 10. In mundo erat,
et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. 11. In propria venit, et
sui eum non receperunt. 12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios
Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : 13. qui non ex sanguinibus, neque ex volun-
tate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. 14. Et Verbum caro factum est,
et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum
gratiæ et veritatis. 15. Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens : Hic erat,
quem dixi : Qui post me venturus est, ante me factus est : quia prior me erat. 16. Et de
plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia. 17. Quia lex per Moysen data
est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. 18. Deum nemo vidit unquam : unige-
nitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. 19. Et hoc est testimonium Joannis,
quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent
eum : Tu quis es? 20. Et confessus est, et non negavit; et confessus est : Quia non sum
ego Christus. 21. Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu? Et dixit : Non sum.
Propheta es tu? Et respondit : Non. 22. Dixerunt ergo ei : Quis es, ut responsum demus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

his qui miserunt nos? quid dicis de teipso? 23. Ait : Ego vox clamantis in deserto : Diri-
gite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. 24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.
25. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus,
neque Elias, neque Propheta? 26. Respondit eis Joannes, dicens : Ego baptizo in aqua;
medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. 27. Ipse est, qui post me venturus est,
qui ante me factus est : cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.
28. Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. 29. Altera die
vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait : Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum
mundi. 30. Hic est de quo dixi : Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me
erat; 31. et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua
baptizans. 32. Et testimonium perhibuit Joannes, dicens : Quia vidi spiritum descenden-
tem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum. 33. Et ego nesciebam eum; sed qui
misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem,
et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. 34. Et ego vidi, et testi-
monium perhibui, quia hic est Filius Dei. 35. Altera die iterum stabat Joannes, et ex dis-
cipulis ejus duo. 36. Et respiciens Jesum ambulantem, dixit : Ecce agnus Dei. 37. Et au-
dierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum. 38. Conversus autem Jesus,
et videns eos sequentes se, dicit eis : Quid quæritis? Qui dixerunt ei : Rabbi (quod dicitur
interpretatum, Magister), ubi habitas? 39. Dicit eis : Venite, et videte. Venerunt, et vide-
runt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo : hora autem erat quasi decima. 40. Erat
autem Andreas, frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant a Joanne, et secuti
fuerant eum. 41. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, et dicit ei : Invenimus Mes-
siam (quod est interpretatum Christus). 42. Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum
Jesus, dixit : Tu es Simon, filius Jona : tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.
43. In crastinum voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum. Et dicit ei Jesus : Se-
quere me. 44. Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreæ et Petri. 45. Invenit
Philippus Nathanael, et dicit ei : Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetæ, invenimus
Jesum filium Joseph a Nazareth. 46. Et dixit ei Nathanael : A Nazareth potest aliquid boni
esse? Dicit ei Philippus : Veni, et vide. 47. Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, et dicit
de eo : Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. 48. Dicit ei Nathanael : Unde me nosti?
Respondit Jesus, et dixit ei : Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.
49. Respondit ei Nathanael, et ait : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. 50. Respon-
dit Jesus, et dixit ei : Quia dixi tibi : Vidi te sub ficu, credis : majus his videbis. 51. Et
dicit ei : Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et angelos Dei ascendentes et
descendentes supra Filium hominis.

1. IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, ET VERBUM ERAT APUD DEUM, ET DEUS ERAT VERBUM (1). — Sic Syrus, Ægyptius, Æthiopicus, Persicus et Arabicus; nisi quod hic secundo et tertio loco addat articulum, dicens : « Et illud Verbum erat apud Deum, et Deus erat illud Verbum. » Porro, Æthiopicus habet *cal*, id est Verbum; sic et cæteri omnes : quare minus recte Erasmus et Novantes pro *Verbum* vertunt *sermo*, de quo mox plura.

Orditur Joannes a divinitate Verbi : *primo*, quia hoc rectus ordo, et plena historia de Christo exigebat, ut scilicet prius generationem ejus divinam et æternam, deinde humanam et temporalem enarraret; *secundo*, quia tempore S. Joannis, obortæ fuere hæreses Cerinthi et Ebionis negantium Christi divinitatem, quæ etiamnum in nostris Transylvanis Arianis, Polonis Ebionitis, ac Syris Nestorianis perdurant. Ita S. Chrysostomus, Hieronymus, Epiphanius, Irenæus, et ex iis Maldonatus.



Similiter orditur Moses genesin mundi, dicens : « In principio creavit Deus cœlum et terram. » Orditur ergo Moses a creatione mundi, Joannes vero longe altius a Verbi æternitate. Moses assignat principium temporis, quo Deus omnia fecit; Joannes assignat principium, quod erat ab æterno, quando erat Verbum, per quod in tempore omnia a Deo facta sunt. Joannes ergo hoc Mosis exordium supponens, supplens et præveniens principium creationis mundi, longe anterius Verbi ipsius, quando (ut ita dicam) esse cœpit, dat principium. Quocirca Tertullianus, lib. *Contra Hermogenem*, vere asserit Evangelium veteris Testamenti esse supplementum.

Alludit S. Joannes ad *Eccles.* XXIV, 5 : « Ego (Sapientia æterna) ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. » Et *Prov.* VIII, 22 : « Dominus possedit (Septuaginta ἔκτισε id est *condidit*; S. Ambrosius, lib. III *De Fide*, cap. IV, *creavit*) me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio; » ubi Septuaginta vertunt : « Dominus condidit me principium viarum suarum in opera sua : ante sæculum fundavit me in principio, antequam terram faceret et abyssos constitueret; » Aquila : « Dominus possedit me ab initio opificiorum suorum; » Symmachus : « Dominus possedit me principium viarum suarum, ante opificium suum; » Theodoretus : « Dominus possedit me ante opificium ejus; a tunc, et ex tunc, ante sæculum præparata sum. » Vide ibi dicta.

IN PRINCIPIO. — Hoc est *primo*, in Patre æterno, ait S. Cyrillus et Origenes; nam mox Joannes, vers. 14, ait Verbum esse in sinu Patris. *Secundo*, simplicius S. Augustinus, Beda et S. Hilarius, « in principio, » scilicet mundi vel temporis, etiam imaginarii, illius scilicet quod ante mundum imaginari potes, ab æterno fluxisse; *q. d.* Verbum non est factum in principio temporis, etiam imaginabilis et antiquissimi, sed jam tum erat, quia non est factum, sed genitum ab æterno. *Tertio*, simplicissime idem S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus et S. Basilius in hæc verba S. Joannis, « in principio, » id est ante omnia, vel ab initio omnis durationis et æternitatis, ab omni æternitate, longissime ante angelos, homines omnesque res creatas erat Verbum. Principium enim verum hic accipit S. Joannes, non imaginarium, æque ac Moses, *Gen.* I, 1, ac Salomon, *Proverb.* VIII, 22. Unde Patres omnes ex hoc loco probant veram Christi divinitatem et æternitatem. Hoc exordium statim S. Joannes opponit Ebioni, qui aiebat Christum incepisse post partum Virginis, nec ante eum extitisse. Ita Cyrillus. Hinc Nonnus τὸ « In principio » quintupliciter exponit per quinque epitheta, quorum unum ex altero ordine sequitur. « In principio, » inquit, id est *primo*, intemporaneum; *secundo*, Patri coævum; *tertio*, Patri natura æquale; *quarto*, incomprehensibile; *quinto*, ineffabile. Quatuor ex primo consequuntur. Audi Nonnum :

> Ἄχρονος ἦν, ἀκίχητος, ἐν ἀῤῥήτῳ λόγος ἀρχῇ,
> Ἰσοφυὴς, γενετῆρος ὁμήλικος, υἱὸς ἀμήτωρ,

hoc est :

> Sine tempore erat, incomprehensibile, in ineffabili Verbum principio,
> Æqualis naturæ, Patri coævum, filius sine matre.

Dices : Æternitas est duratio infinita, carens principio et fine; cur ergo hic datur ei principium? Respondeo : Causa est, infirmitas humani intellectus, qui non potest æternitatem comprehendere, nec distincte concipere, nisi per comparationem ad tempus, ideoque concipit æternitatem esse durationem, quæ omni tempori præsenti, futuro et præterito, non tantum vero, sed et imaginario coexistit, imo omne tempus prævenit et antecedit. Sensus ergo est, *q. d.* In principio, id est ante omne tempus, etiam quod mente imaginari, fingere et concipere potes, erat Verbum : finge milliones millionum annorum, quotquot mente concipere vales; ante omnes illos et infinitos quos semper adjicere potes, erat Verbum. Hac de causa S. Joannes quater repetit Τὸ *erat* : « In principio, ait, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum : » ut quodcumque tempus cogites, scias quod in illo jam erat Verbum; quodcumque ævum concipias, scias quod in illo erat Verbum; quodcumque sæculum mente anticipes, scias quod in illo jam erat Verbum. Sic ergo *principium* hic sumitur respective; dicit enim respectum ad omnia tempora, eo quod illa longe antecedat. Sicut enim tota quantitas et immensitas Dei est in quolibet loco et spatio, imo in quolibet ejus puncto, et tamen illa ambit omnia spatia et loca, etiam illa quæ supra cœlos imaginari possumus : sic etiam æternitas Dei, quæ tota est in uno nunc, sive in uno puncto durationis temporis, ambit et complectitur omne tempus præteritum, præsens et futurum, ac omne illud longe superat, antecedit et transcendit; et hoc volumus significare, dum

*Cur æternitati datur hic principium?*

*Erat quater repetitur. Cur?*

(1) Sententiarum nexum ac seriem in ex toto Evangelii Joannis, optime dat P. Patritius, op. cit. lib. III, dissert. VIII, n. 2, cujus hæc sunt verba paulum contracta : Exponit Joannes primo Verbi divini æternitatem : *In principio erat Verbum*; tum distinctam a Patre ὑπόστασιν : *et Verbum erat apud Deum*; quam denique Verbum habet cum Patre ὁμοουσιότητα : *et Deus erat Verbum*, vers. 1. Tum tria hæc simul collecta in unam sententiam demum affirmat, vers. 2. Deinde Verbum hoc causam rerum omnium esse dicit, tum naturalium, tum supernaturalium, præsertim vero fidei et gratiæ, vers. 3, 4, 5. Continuo horum testem nominat J. Baptistam, edicitque quanti hujus auctoritas facienda sit, quippe qui *fuit missus a Deo ipso*, *ut testimonium perhiberet*, vers. 6, 7; admonet tamen quod necesse habebat pro suo instituto, de cavendo eorum errore qui Baptistæ ea quæ unius Verbi propria sunt, tribuebant, vers. 8. Resumpta porro narratione de Verbo, ejus inter homines adventum, Ejusque adventus causam atque successum, demum ipsius Verbi ἐνσάρκωσιν summatim perstringit, semet ipse primo testem oculatum adhibens una cum cæteris, et Joan. Baptistam, vers. 9-16. Quæ denique bona *Verbum caro factum* nobis attulerit, paucis commemorat, vers. 16, 17; ac postremo, quo prævertat dubitationem, unde divina hæc mysteria cognoverit, nam *Deum nemo vidit unquam*, ipsius Verbi testimonio dicta comprobat, vers. 18.

S. Joannes … eum fuisse in principio.

Rursum mens nostra per hanc comparationem principii, sive æternitatis ad tempus quodlibet, ascendit ad ipsam æternitatis antiquitatem et quasi originem, illam positive in se considerando, illamque vocat *principium*, hoc est initium omnis durationis et æternitatis; sed hoc initium revera est sine initio, et principium carens principio. Igitur ut concipiamus et exprimamus rem quampiam non cœpisse in tempore, sed esse æternam et fuisse ab æterno, dicimus illam fuisse in principio omnis durationis et æternitatis, per quod nil aliud significamus, quam illam fuisse semper, fuisse ab æterno, fuisse ab omni æternitate. Hoc ergo sensu Joannes ait: « In principio erat Verbum. » Et Psaltes, *Psal.* CIX: « Tecum principium in die virtutis tuæ. » Et sic vulgo dicimus Deum extitisse a principio æternitatis, id est ab omni æternitate. *Principium* ergo hic non initium aliquod, sed ipsam in se æternitatem quæ fuit a principio, denotat.

Erat. — Τὸ *erat*, ait S. Basilius in hæc S. Joannis verba, nos ducit ad « æternitatem: » Non quasi τὸ *erat* significet Verbum antecessisse principium de quo dicitur: « In principio erat, » ac consequenter principium temporis et mundi hic accipiendum sit, sed quod in principio durationis vel æternitatis (quod Verbum non antecessit nisi ratione tantum; sicut enim res quælibet suam durationem suumque tempus vel ævum ratione antecedit, sic et Deus suam durationem et æternitatem; duratio enim est rei quæ existit et durat, duratio et mensura), hoc est jam olim ab omni æternitate erat Verbum. Ubi nota, dici *erat*, non *fuit*, quia *fuit* significat rem fuisse et præteriisse: *erat* vero significat etiamnum esse, sive esse perennem et æternam. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus et Theophylactus. Spiritus Sanctus ergo posuit τὸ *erat* in mente et calamo Joannis, contra Arianos, quos prævidebat futuros, horum enim vox fuit: « Erat quando non erat: » hoc est, erat tempus, quando non erat Filius; quam eorum vocem ex hisce S. Joannis verbis damnat Concilium Nicenum, quia scilicet « in principio, » id est semper ab æterno, « erat Verbum. »

Rursum, « in principio erat Verbum, » id est ab æterno genitum est Verbum: hæc enim generatio in voce *Verbum* includitur, uti mox ostendam.

Insuper Elias Cretensis, in orat. 4 *De Theol. S. Gregorii Nazianzeni*, notat verbum substantivum, *est* et *erat* proprium esse Dei; dicitur enim ab essendi plenitudine. Unde Deus Hebraice vocatur *Jehova*, sive *qui est*; Græce ὁ ὤν, de quo multa dixi *Exodi* III, 14.

Verbum. — Græce ὁ λόγος, id est *illud Verbum*, scilicet æternum et divinum, hoc est Filius Dei, uti etiam ipsi Ariani olim fatebantur: nam paulo post Joannes, vers. 14, hoc « Verbum » vocat unigenitum Patris. Et ita passim in Scriptura Filius vocatur Verbum Patris, licet S. Basilius putet Spiritum Sanctum quoque posse dici *Verbum*; sed recte advertit D. Thomas id improprie duntaxat dici posse.

Quæres, cur Filius Dei dicitur ὁ λόγος, id est Verbum?

Respondeo: λόγος Græce multa significat, quæ omnia huic loco conveniunt. *Primo*, λόγος verti potest *ratio*, quia sicut ratio vel notitia a mente; sic Filius a Patre procedit. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, S. Basilius et Nazianzenus, orat. 4 *De Theolog.*

*Secundo*, λόγος verti potest *definitio*, quia Verbum Patris naturam omnesque res definite exprimit et explicat. Ita Nazianzenus, ibid. Unde Nicetas, *in orat. 42 Nazianzeni*: « Quam rationem, ait, habet definitio ad definitum, eamdem habet Filius ad Patrem. Ipsum enim declarat, sicut definitio id quod ab ea definitur. Quamobrem Christus dicebat: Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum, *Joan.* XIV. Paternæ siquidem naturæ compendiosa demonstratio est Filius. Omnis enim proles parentis sui tacita est ratio, sive definitio. »

*Tertio*, λόγος verti potest *causa*, quia Verbum est causa rerum omnium quæ verbo Dei creatæ et productæ sunt. Ita S. Dionysius, *De Divin. nom.*, cap. VII; S. Hieronymus, epist. *ad Paulinum.*

*Quarto*, λόγος verti potest *opus*, quia Verbum est opus Patris, illi commensum, coævum et adæquatum.

*Quinto*, λόγος verti potest *virtus*, quia Verbum est virtus, robur et dextera Patris.

*Sexto*, λόγος verti potest *forma*, quia Verbum est Patris forma, decor et pulchritudo.

*Septimo* et optime, λόγος verti potest *sermo*, cum Tertulliano, S. Cypriano, S. Ambrosio et S. Hieronymo, vel potius *verbum*. Unde et Æthiopicus vertit *kal*, id est *verbum*; sic et Syrus, Arabicus, Persicus, Ægyptius. *Verbum*, inquam, non oris, sed mentis, quia sicut nos cogitando vel intelligendo, formamus nobis conceptum rei cogitatæ vel intellectæ, qui dicitur verbum mentis; ita Pater æternus intelligendo et comprehendendo suam essentiam et omnia quæ in ea sunt, ac inter ea vim spirativam Spiritus Sancti et vim creativam omnium rerum possibilium, formavit et produxit hoc Verbum æternum, sibi adæquatum et simillimum; quo fit ut Verbum hoc sit Deus Deique Filius a Patre genitus (1).

(1) Vocem Λόγος, *Verbum*, unus Joannes inter scriptores novi testamenti ita adhibet, ut ea aperte designet alteram ὑπόστασιν divinam, qualem illam Christiani credere profitentur; atque ex veteri testamento nomen istud in hanc notionem acceptam reprompsisse videtur. Etsi enim in veteribus scripturis דבר, sive λόγος, nunquam videatur divinam aliquam ὑπόστασιν perspicue atque indubitate significare, tamen sive ex explicatione tradita a majoribus, sive potissimum ex doctrina Christi, qui apostolis *aperuit..... sensum ut intelligerent scripturas*, discere potuit Joannes nomine sive דבר, sive λόγος in certis quibusdam veteris testamenti locis divinam illam ὑπόστασιν denominari, v. g. *Psal.* XXXII, 6 et 9; *Gen.* I, passim.



Hinc et Gentilium Philosophi et Theologi, ut Trismegistus, Orpheus, Plato aliique Græci, Chaldæi et Egyptii Patrem vocarunt νοῦν, id est mentem; Filium vero λόγον, quasi mentis prolem, teste S. Augustino, lib. VII *Confess.*, cap. IX; Theodoreto, lib II *De Curandis Græcor. Affect.*, et aliis. Unde illud Platonis: « Monas genuit monadem, et in se reflexit ardorem, » *q. d.* Pater genuit Filium, et per eum spiravit Spiritum Sanctum, qui est amor reflexus Patris et Filii: licet multi censeant Platonem, Trismegistum aliosque Gentiles per λόγον, non intellexisse Filium, sed ideam quæ est in mente Dei, juxta quam ipse creavit omnia et in se reflexit ardorem, quia mundum creavit propter sui amorem (1).

Ubi nota: Verbum Dei est duplex: unum essentiale, quod est ipsa intellectio Patris, quam cum essentia, intellectu et voluntate communicat Filio et Spiritui Sancto; alterum est notionale, quod est Verbum a Patre productum et persona subsistens, scilicet Filius, de quo hic agit Joannes. Ita S. Thomas, I, dist. 27, *Quæst.* II, art. 2, et ex eo Capreolus et Ferraris. Intellige hoc de Verbo ample sumpto; nam Verbum stricte proprieque sumptum non nisi notionale est, uti docet S. Augustinus, Cyrillus, D. Thomas, et ex iis Suarez, lib. IX *De Trinit.* cap. III.

Plura de Verbo hoc dixi in *epist.* I S. Joannis, cap. I, 1, ubi pariter ostendi, in quibus Verbum hoc divinum nostro humano sit simile, et in quibus sit dissimile: item ejus dignitatem, præstantiam, efficaciam, qua intime mentibus nostris illabitur, easque sibi assimilat, purificat, perficit, sanctificat. Quibus adde S. Augustinum, serm. 38 *De Verbis Domini*: « Est, inquit, Verbum Dei forma quædam non formata, sed forma omnium formarum superans omnia, existens in omnibus. Quærunt vero quidam, quomodo nasci potuerit Filius coævus Patri? nonne si ignis æternus esset, coævus esset splendor? itemque imago quæ de speculo existit aut aqua? ut si aliquid super aquam, exempli gratia virgultum, semper fuisset, et imago de eo semper esset. » S. Basilius, hom. *In princ. Joannis*: « Verbum hoc, ait, quod erat in principio, nec humanum erat, nec angelorum, sed ipse Unigenitus, qui dicitur Verbum, quia impassibiliter natus, et generantis imago est, totum in se generantem demonstrans: habet vero verbum nostrum divini Verbi similitudinem quamdam; declarat enim totam mentis conceptionem; et quidem cor nostrum quasi fons est, verbum prolatum quasi rivulus ex ipso manans. Prævidit Spiritus Sanctus futuros, qui gloriæ Unigeniti invidentes, dicerent: Antequam genitus esset, non erat, itaque ait: In principio erat Verbum. » S. Chrysostomus: « Non simpliciter, ait, Verbum dixit, sed cum articulo a reliquis ipsum separans: est enim quædam hypostasis ex Patre impassibiliter proveniens; significat vero hoc, In principio erat, semper et infinite extitisse; nam de cœlo et de terra non dicitur quod erant in principio, sed quod in principio facta sunt. »

Et Verbum erat apud Deum. — Occurrit S. Joannes objectioni. Dicet enim quis: Ubi erat Verbum in principio, id est ab æterno, cum adhuc nullus locus, imo nihil, sive nulla creata essent in rerum natura? Respondet, Verbum loco non eguisse, eo quod spirituale sit et divinum, sed fuisse apud Patrem (1), utpote a quo originem duceret, id est, ut ait vers. 18, fuisse in sinu Patris, vel etiam in domo paterna, quæ est Deus ipse ejusque immensitas; ibi, inquam, fuisse arcanum et nobis absconditum.

Præpositio *apud* notat *primo*, diversitatem personæ; quod scilicet Filius sit diversa persona a Patre, non una et eadem, uti voluit Sabellius ejusque asseclæ Sabelliani: « Quomodo enim quod unum numero est, ipsum apud seipsum esse intelligitur? » ait S. Cyrillus. Sic et S. Chrysostomus, Theophylactus, ac Severus et Leontius, in *Catena*. « Ante omnia, ait Tertullianus, lib. V *Contra Praxeam*, Deus solus erat ipse sibi et mundus, et locus, et omnia; solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum, cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam, etc., hanc Græci λόγον dicunt. » Solitudo enim vitæ beatæ adversatur. Deus ergo Deique beatitudo requirit societatem et amicitiam, scilicet pluralitatem personarum.

*Secundo*, *apud* notat amicam et summam Filii cum Patre conjunctionem, qua fit ut a Patre separari nequeat, sed illi semper indivulse adhæreat. Ita Nonnus.

*Tertio*, *apud* designat æqualitatem Filii cum Patre; nam esse apud Deum, sive juxta Deum, est sedere ad dextram Dei quasi Deum ἰσότιμον æqualem. Unde Christus, post ascensionem ad dexteram Patris rediisse dicitur, *Marc.* XVI, 19. Ita S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* 11. Hinc et Nonnus sic explicat:

Πατρὸς ἔην ἀμέριστος, ἀτέρμονι σύνθρονος ἕδρῃ:

hoc est

A Patre erat indivisum, æterno cum eo sedens in throno.

Nota σύνθρονος, quod Latina vox una non adæ…

(1) Quantum discrepet tum λόγος Joannis ab illo Philonis et Neoplatonicorum, tum trias quam illi commenti sunt, a divina triade, qualem Christiani esse credunt, plene evicerunt Carpzovius, *Philoniana, hoc est Prolegg.*, etc., Moshemius, et Bruckerus in sua. *Hist. Philosoph.* Per II, P. II, lib. I, cap. I, § 7.

(1) Voce *Deum* significari hic, non divinam essentiam sed personam, *Patrem* videlicet, colligi potest ex his quæ proxime sequuntur: *et Deus erat Verbum*, ubi nomen *Deus* personam quoque manifesto significat. *Deum* autem, non Patrem nominat, ut ex ipsis nominibus utriusque ὁμοουσιότης facilius statimque appareat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

quat, idemque est quod ejusdem throni consors, assessor, consessor in eadem sede. Plura de hoc membro dixi in *epist.* I S. Joannis, I, 1.

ET DEUS ERAT VERBUM. — Græce, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Ne Ariani objiciant : Si Verbum erat apud Deum, ergo ipsum non erat Deus ; occurrit et antevertit Joannes : « Et Deus erat Verbum. » Ariani enim Verbum Dei internum et essentiale, id est intellectionem Patris, Filii et Spiritus Sancti (ut habet Orthodoxa fides) ponebant in uno Deo, id est in una persona Dei, ipsi coæternam ; sed Deum cœpisse esse Patrem in tempore, cum Verbum notionale a se distinctum produxit, quasi primam creaturam, et per eam cæteras. Refellit hoc S. Joannes dicens : « Et Deus erat Verbum, » id est Verbum jam dictum erat Deus. Sic enim invertenda est hæc propositio. Ob consonantiam enim Joannes verba transposuit ; dixerat enim : « Verbum erat apud Deum ; » unde repetens nomen Dei consone subjicit : « Et Deus erat Verbum, » ne quis putaret Verbum non esse Deum, eo quod dixerit esse apud Deum, *q. d.* Verbum ita est apud Deum, ut ipsummet sit Deus. Aut, ne idem ille Deus, apud quem erat Verbum, id est Deus Pater, putaretur esse Verbum, eademque cum illo persona ; sed Verbum ejusdem naturæ divinæ duntaxat cum Patre communicationem habere ; hinc addit : « Et Deus erat Verbum ; » *q. d.* Verbum erat apud Deum Patrem, cum eoque est idem Deus, quoad eamdem naturam divinam ; non vero quoad eamdem personam. Hoc telo configuntur Ariani ; diserte enim Joannes ait Verbum, id est Filium, esse Deum.

Objiciunt Ariani vocem Θεός, id est Deus, hic non habere articulum, uti habuit paulo ante : « Et Verbum erat apud τὸν Θεόν, » id est *Deum* : ergo Verbum vere non est Deus. Respondeo : Nego sequelam ; nam causa hujus diversitatis est, quod vox Θεός, in præcedenti membro, cum dicitur *apud Deum*, certam personam denotet, scilicet Patris, apud quem erat Verbum ; hic ergo non personam, sed essentiam utrique personæ communem denotat. Verbum enim est idem Deus cum Patre, quoad eamdem essentiam et deitatem, non vero quoad eamdem personam. Articulus autem notat certam personam, non vero naturam utrique communem. Rursum Græci articulum præponunt subjecto, non prædicato, hic vero *Deus* prædicatum est, *Verbum* vero subjectum, uti dixi.

Nota Joannem trimembri hac sententia, primo membro explicare Verbi *quando*, sive æternitatem ; secundo, Verbi *ubi*, et a Patre distinctionem ; tertio, *hoc* Verbi, essentiam et essentiæ cum Patre identitatem. Si enim quæras : Quando erat Verbum ? respondet : Erat in principio, id est ab æterno. Si quæras : Ubi erat Verbum ? respondet : Erat apud Deum Patrem. Si denique quæras : Quidnam est Verbum et cujus naturæ ? respondet : Verbum hoc est Deus. Ita S. Joannes hoc trimembre Evangelii sui de Verbo exordium explicuit in Symbolo, quod ipse jussu B. Virginis tradidit S. Gregorio Thaumaturgo, uti narrat S. Gregorius Nyssenus in ejus Vita. Hoc enim symbolum sic habet : « Unus est Deus, Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis, et potentiæ et figuræ æternæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, figura et imago deitatis, Verbum efficax, sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva, et potentia totius creaturæ effectrix. Filius verus veri Patris, visum effugiens visum effugientis, et corruptioni non obnoxius non obnoxii corruptioni, et morti non obnoxius morti non obnoxii, et æternus æterni. »

2. HOC ERAT IN PRINCIPIO APUD DEUM. — Trimembrem propositionem uno hoc membro, quasi compendio repetit, confirmat et inculcat S. Joannes, *q. d.* Hoc Verbum, quod dixi esse Deum, erat in principio, id est ab æterno, apud Deum : quia enim difficile est intelligere quomodo Verbum sit apud Deum, et tamen idem sit Deus ; hinc utrumque jungit et inculcat Joannes, ut unitatem essentiæ simul et diversitatem personarum significet, ac in deitate esse trinitatem trium hypostaseon, scilicet Patris, Filii, et Spiritus Sancti doceat. Hoc enim est altissimum, obscurissimum et creditu difficillimum fidei nostræ mysterium, quod omnem hominum et angelorum captum superat. « Quasi ergo Arianos audiens, ait S. Cyrillus, non modo inquit : Verbum erat apud Deum, verum etiam Deus erat : sic quoniam apud Patrem est, inquit, per seipsum subsistit ; quoniam vero Deus est et ex Deo Patre, consubstantialis Patri, et natura Deus esse intelligitur. »

*Secundam* hujus repetitionis causam dat Maldonatus, scilicet ut ex tertio membro : « Et Deus erat Verbum, » quasi ex ratione vel causa, duo priora membra probet vel confirmet, *q. d.* Quia Verbum est Deus, hinc sequitur ipsum in principio fuisse apud Deum Patrem, hoc est esse æternum et Patri coævum, ὁμοούσιον et æquale.

*Tertiam* dat S. Hilarius, lib. II *De Trinit.*, ne quis ex eo quod dixit Verbum esse Deum, idemque esse apud Deum, suspicetur duos esse deos, scilicet unum qui sit Verbum, alterum apud quem sit Verbum, sicut Manichæi duo posuerunt rerum principia sive duos deos, unum qui sit creator corporum et rerum corporalium, alterum qui sit creator angelorum et rerum spiritualium. Dicit ergo Joannes Verbum ita esse apud Deum Patrem, ut idem cum Patre sit Deus, quia apud Patrem est tanquam Verbum, cum eo in eadem deitate conjunctum, imo unum idemque, sed hypostasi et persona ab eo distinctum.

3. OMNIA PER IPSUM (Verbum) FACTA SUNT. — « Omnia, » scilicet quæ non sunt Deus, per Verbum facta, id est creata sunt, uti mox explicat. « Omnia scilicet ab angelo usque ad vermiculum, ait S. Augustinus, qui et addit : Inter dicentem



Deum et factam creaturam, quid est per quod factum est, nisi Verbum, per quod Deus dixit : Fiat, et factum est ? juxta illud : Dixit, et facta sunt. » Hoc est quod ait Apostolus : « In ipso (Verbo sive Christo) condita sunt universa, in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia : sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt, » *Coloss.* I, 16. Et, « per quem fecit et sæcula, » *Heb.* I, 2. Et, « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum, » *Psal.* XXXII, 6.

Ergo ex hisce S. Joannis verbis perperam Macedoniani negantes Spiritum Sanctum esse Deum, inferebant ipsum esse factum, id est creatum per Verbum, ac proinde ipsum esse creaturam, non creatorem, quia τὸ *omnia* refert tantum ea quæ facta, id est creata sunt, non autem increata, qualis est Spiritus Sanctus, qui idem cum Filio et Patre est Deus et creator omnium. Nam alioqui si generalissime τὸ *omnia* accipias, ex eo inferes etiam Patrem esse factum, id est creatum per Verbum, quod est absurdissimum, uti docte contra Macedonianos docet S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De Spiritu Sancto*. Verum S. Joannes Spiritus Sancti hic non meminit, quia Verbi duntaxat generationem et incarnationem describit. Itaque cum vers. 1 et 2 dixisset Verbum in se esse Deum, esse æternum, esse apud Patrem, id est ὁμοούσιον et æquale Patri ; nunc, vers. 3, declarat quomodo idem Verbum se habeat ad creationem et creaturas, asseritque omnia per ipsum esse creata : unde gradatim, vers. 9 et seq., descendit ad hominem, docetque quomodo Verbum se habuerit ad hominem, atque asseverat illud hominis carnem et naturam assumpsisse, ut eum illuminaret, redimeret, salvaret et bearet. Huc enim tota hæc ejus narratio spectat et refertur.

Nota : præpositio *per*, cum dicitur : « per ipsum, » hic non significat causam instrumentalem, aut ministrum, quasi Verbum fuerit instrumentum vel minister Dei, per quod crearit omnia, uti voluit Origenes (qui proinde a nonnullis vocatur pater Arianorum) et Ariani ; sed significat causam principalem, uti et *Gen.* IV, 1 : « Possedi hominem per Deum ; » *Prov.* VIII, 15 : « Per me reges regnant ; » *Gal.* IV, 7 : « Quod si filius, et hæres per Deum ; » I *Cor.* I, 9 : « Fidelis Deus, per quem vocati estis. » Ecce hic aliisque locis præpositio *per* tribuitur Deo Patri, qui est prima omnium causa. Significat ergo τὸ *per* hic, Verbum cum Patre esse causam principalem creationis rerum omnium, ac consequenter Verbum esse omnipotens, esseque Deum. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius hic, ac S. Athanasius, Basilius et alii scribentes contra Arianos. Quocirca Paulus, *Hebr.* I, 10, illud *Ps.* CI, 26 : « Initio, tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli, » de Verbo, sive Filio, interpretatur : « Nunquam profecto id asserturus, inquit Chrysostomus, nisi conditorem Filium, non ministrum arbitraretur, ac Patri et Filio pares esse intelligeret dignitates. »

Dices : Cur ergo S. Joannes potius dicit per Verbum omnia esse facta, quam a Verbo ? Respondeo : *Primo*, ut significet Verbum a Patre procedere, esseque genitum : « Ne quis illum esse ingenitum suspicaretur, » ait S. Chrysostomus. *Per Verbum omnia. Primo.*

*Secundo*, ut significet Verbum esse ideam rerum creatarum, juxta quam Pater cum Filio creavit omnia. Artifex enim omnia opera artis suæ facit per ideam, sapientiam, conceptum, sive verbum mentis suæ : hæc autem omnia appropriantur Verbo divino, sive Filio, qui est Sapientia genita, sed increata ; et per consequens appropriatur ei, quod per ipsum omnia sint facta. Ita S. Cyrillus.

*Tertio*, proprie dicit per Verbum omnia esse facta, quia Verbum a Patre accipit cum essentia divina omnipotentiam et actionem eamdem numero, qua simul cum Patre omnia creat ; quare Verbum est quasi medium inter Deum Patrem et creaturas, ac proinde recte dicitur Pater per ipsum, ut causam principalem a se genitam, fecisse omnia. *T*

ET SINE IPSO FACTUM EST NIHIL. — « Sine exceptione sunt omnia, ait S. Hilarius, lib. *De Trinit.*, nihil, quod extra sit, derelinquitur. » Rursum τὸ « sine ipso » notat Verbum fuisse socium Patri in rerum creatione. Unde S. Hilarius S. Joannem alloquens : « Piscator, inquit, reddidisti auctorem, cum socium professus es. »

FACTUM EST NIHIL. — « Nihil, » id est malum, puta res corruptibiles, quæ assidue tendunt in nihilum, ex quo prodierunt, inquiebant Manichæi ; hi enim censebant res corporales et corruptibiles non esse creatas a Deo et Verbo, sed a dæmone vel Deo malo esse conditas. Ridet hoc S. Augustinus, lib. *De Natura boni, contra Manichæos*, cap. XXV, ac futile falsumque hoc esse liquet ex Græco, qui pro *nihil* habet οὐδὲ ἕν, id est *neque unum* ; Syrus, *etiam non unum*, *q. d.* Ne unum quidem factum est sine Verbo, sed omnia omnino, usque ad unum et ultimum, per illud creata sunt. Unde Arabicus clare vertit, *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso non fuit quidquam eorum quæ facta sunt.* *Nihil quid ? Resp. Primo.*

*Secundo*, S. Augustinus per *nihil* accipit peccatum, *q. d.* Omnes res creatæ sunt per Verbum, excepto nihilo, id est peccato, cujus auctor est diabolus et mala voluntas, non Deus, nec Verbum. Sicut enim malum non est ens, sed privatio entis et boni ; sic pariter peccatum est privatio rectitudinis et bonitatis, quæ operi inesse debet, ac consequenter peccatum est quasi nihil. Verum hoc subtilius est quam solidius, ac coactius quam germanius, teste S. Hieronymo in cap. II *Michææ*, atque refellitur ex Græco οὐδὲ ἕν, *neque unum*, et ex eo quod sequitur : « quod factum est ; » hoc enim tantumdem valet, ac si dicas :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« Nihil, » id est nulla res, quæ facta est, facta est sine Verbo, sed omnes omnino per illud factæ et creatæ sunt. Hic enim sensus est planus et genuinus.

QUOD FACTUM EST. — Triplex est hic dispunctio, et consequenter triplex lectio et intellectio, triplexque sensus : Prima est : « Sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso, » ac deinde ponitur punctum, post quod nova sententia sequitur : « Vita erat, et vita erat lux hominum, » etc., ita dispungit legitque S. Hilarius, lib. II *De Trinit.*; S. Epiphanius, in *Anchorato*, et alii nonnulli.

Verum hæc lectio passim ab aliis rejicitur. Videtur enim ineptam continere tautologiam, cum ait : « sine ipso, » et mox : « in ipso. »

*Secunda* lectio est : « Sine ipso factum est nihil, » deinde punctum, post quod nova sequitur sententia : « Quod factum est in ipso, vita erat. » Ita dispungit legitque S. Augustinus, Tertullianus, *Contra Hermog.*; S. Ambrosius, lib. III *De Fide*, cap. III, et passim Latini; atque e Græcis Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.*, cap. VI, et S. Cyrillus hic : quod S. Augustinus sic explicat, *q. d.* Omnis res facta et creata per Verbum, antequam fieret et crearetur, erat in ipso Verbo vitaliter et intellectualiter. Erat enim in ideis et rationibus æternis, quæ vivunt in Verbo. Erat ergo vita, id est vivebat in mente et idea Verbi. Aliter explicat S. Cyrillus, *q. d.* Omnis res facta erat vita in Verbo, id est vitam, hoc est vigorem et essentiæ suæ conservationem, accepit, et continuo accipit a Verbo, quamdiu est et existit (1).

*Tertio* lectio communis est Syrorum, Arabicorum et Græcorum, S. Chrysostomi, Theophylacti, Nonni, Euthymii et Leontii, in *Catena* : « Sine ipso factum est nihil quod factum est, » deinde punctum; mox nova incipit sententia : « In ipso vita erat. » Hæc lectio est planissima, quocirca eam sequuntur Biblia Romæ correcta, aliaque Latina perplura. Sensus enim planus est; *q. d.* Nihil quod factum est, sine Verbo factum est, sed omnes res factæ a Verbo factæ sunt.

Addit hoc contra Macedonianos argutantes : Si omnia per Verbum facta, id est creata, sunt; ergo et Spiritus Sanctus per Verbum factus, id est, creatus est, ac consequenter Spiritus Sanctus est creatura. Excludit enim hoc Joannes, addens τὸ « quod factum est; » *q. d.* Cum dico omnia per Verbum esse facta, non intelligo Spiritum Sanctum, sed tantum ea quæ facta et creata sunt. Ergo τὸ « quod factum est, » limitat et determinat τὸ « nihil, » *q. d.* Nihil quod factum est, sine Verbo factum est; nulla res, quæ creata, sine Verbo creata est, sed omnia per Verbum producta sunt.

4. IN IPSO VITA ERAT, ET VITA ERAT LUX HOMINUM. — Vita est res præstantissima, sicut mors est pessima. Vitæ ergo fontem S. Joannes hic assignat Verbo : « In ipso enim vivimus, movemur et sumus, » *Act.* XVII. Hinc et Græci suum Deum vocant ζῶν, a ζῆν, id est *vivere*, quod omnibus viventibus vitam inspiret. Sensus ergo est, *q. d.* Vera nostra vita gratiæ et gloriæ in ipso Verbo erat, velut in sui origine et fonte. Unde ut ipsam hanc vitam et lucem hominibus communicaret, ad eos descendit et hominem se fecit; ut sicut per Verbum macrocosmus, hoc est magnus hic mundus, olim creatus est, ita et per illud ipsum microcosmus, id est parvus mundus, puta homo, recrearetur et a morte peccati ad vitam gratiæ et justitiæ revocaretur. Ita se explicat S. Joannes, cum subdit : « Et vita erat lux hominum. » Et in *epist.* I, cap. I, vers. 2, loquens *De Verbo vitæ* : « Et vita, inquit, manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis. » Et cap. V, vers. ult. : « Ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna. » Vide ibi dicta. Hac de causa S. Joannes passim Christum vocat « vitam. » Ita S. Chrysostomus et Theophylactus hic; Ammonius, in *Catena*; S. Ambrosius, lib. III *De Fide*, cap. III et V; Athanasius, lib. III *De Assumptione hominis, contra Marcellinum*.

Porro Patres hanc Verbi vitam varie explicant

*Primo*, de vita formali : « In ipso vita erat; » hoc est, ipsa Verbi substantia est vita, ipsum Verbum est vita subsistens, ait Œcumenius in epist. I S. *Joann.*, cap. I. Ipsum Verbum essentialiter est vita; ipsa enim ejus essentia est vivere et vita. Vivit enim vitam divinam, perfectissimam, immensam, æternam, beatissimam; quæ origo et fons est omnis vitæ angelicæ, humanæ, animalium et plantarum. In Verbo est vita Prima.

*Secundo*, in Verbo est vita idealis, sive exemplaris, quia in Verbo quasi in idea vivunt sempiternæ rerum omnium rationes, ut ait S. Augustinus. Verbum enim est omnium creaturarum idea, idea autem est ipsa essentia et vita Dei. Ita S. Augustinus, tract. I *in Joan.* : « Sapientia Dei, inquit, secundum artem continet omnia : terram vides, cœlum, solem, lunam, sunt ista in arte, sed foris corpora sunt, in arte vitæ sunt. » Alio vero loco : « Propterea (ait Joannes) quod factum est, in ipso vita erat, omnia quæ facta et vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in seipsis vita non sunt. » Sic ergo Verbum est vita omnium creaturarum, etiam inanimatarum, quia omnes vivunt in Verbo, utpote quod totum est vita.

*Tertio*, in Verbo est vita causalis naturalis, quia Verbum causat et efficit omnia viventia, eisque suam vitam communicat; scilicet plantis vitam vegetativam, animalibus vitam animalem, hominibus rationalem, angelis angelicam. Rursum, in Verbo quasi in causa efficiente est vita, id est omnium rerum vigor, duratio et conservatio, quia hæc per Verbum fiunt; Verbum enim omnibus rebus dat vigere, vivere, durare et permanere. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus. Unde Jansenius sic exponit, *q. d.* Vita naturalis viventium pendet a Verbo; quasi sensim Joannes a vita viventium descendat ad hominem ejusque vitam acceptam a Verbo.

*Quarto* et magis genuine, « vitam » hic accipias causalem supernaturalem, *q. d.* In Verbo quasi in fonte et causa primigenia erat vita nostra supernaturalis, puta gratiæ et gloriæ, ideoque ut hanc vitam nobis impetraret, incarnatus est et factus homo, ut initio dixi. Supernaturalis enim vita est duplex : inchoata per gratiam, qua homo justus per fidem, spem et charitatem servit Deo; vivitque vitam supernaturalem, in Deum supernaturaliter credendo, sperando eumque super omnia amando; altera vita supernaturalis est consummata per gloriam, qua Beati Deo fruuntur, deliciantur et beantur in æternum. Alludit ad illud *Psal.* XLV : « Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen, » hoc est, ait Theodoretus, « apud te est Verbum internum, fons vitæ, et in lumine Spiritus Sancti, lumen Unigeniti tui cernemus. » Vide S. Dionysium, cap. VI *De Divin. Nom.*, ubi docet Deum esse originalem vitam : *primo*, vitæ angelicæ; *secundo*, humanæ; *tertio*, animalium; *quarto*, plantarum; *quinto*, justorum; *sexto*, Beatorum.

ET VITA ERAT LUX HOMINUM, — qua homines illuminantur spiritualiter per fidem et gratiam. De spirituali enim et supernaturali luce loquitur, non de corporali et naturali, ut patet ex seq. Sensus est, *q. d.* Vita nostra, quam paulo ante dixi fuisse in Verbo, erat hæc Verbi illuminatio, qua homines cognitione Dei et salutis suæ illuminavit exterius, per verba et exempla sancta; interius, per lumina cœlestia menti indita, quibus mentem illustravit et illustrat. Hæc est causa cur Verbum sit caro factum, et cur Joannes Baptista a Deo sit missus, ut ei fieret testis, ut paulo post dicam. Sed anticipat Joannes hic, et lucis mentionem interjicit, eo quod homines ingrati tantum vitæ et lucis donum non receperint, quod mox inculcare volebat. Ita Clemens Alexandrinus, *Exhort. ad Gentes* : « Verbum, ait, quod erat apud Deum, doctor apparuit; Verbum per quod omnia sunt fabricata; et quod cum eo, qui finxit, vitam simul præbuit, ut opifex, bene vivere docuit, cum apparuisset ut magister, ut postea semper vivere suppeditaret ut Deus (1). »

Symbolice : Quomodo Deus est lux, *primo*, formalis; *secundo*, idealis; *tertio*, causalis; *quarto*, supernaturalis omnis omnino lux; vide apud S. Dionysium, *De Divin. Nom.*, cap. II, IV et VII.

5. ET LUX IN TENEBRIS LUCET, ET TENEBRÆ EAM NON COMPREHENDERUNT. — *q. d.* Lux natura sua solet tenebras illuminando dispellere, et sic Verbum, puta Christus, quia lux est, fecit quantum est ex parte sua; sed tenebræ, id est homines ignorantia, infidelitate, cupiditatibus et peccatis suis obstinati, mentis suæ oculos clauserunt, et noluerunt hanc lucem admittere.

Nota : Christus, puta Deus, est lux formalis increata, qua homo vero, etiam est lux causalis, quia ipse hominibus causa est omnis sapientiæ, gratiæ et gloriæ, non tantum dans eis lumen naturale rationis, ut explicant Origenes et Cyrillus; sed etiam et potius dans his lumen supernaturale fidei et sapientiæ : unde a Malachia, cap. IV, 2, vocatur « sol justitiæ. » Vide ibi dicta.

Nota : Hic Christus homo vocatur « lux, » quia maxime luxit post carnem assumptam : fuit tamen etiam lux ante eam, a mundi exordio; nam sicut sol, antequam horizontem ascendat, aliquos auroræ radios præmittit, quibus mundum illuminat, sic et Christus. Ita S. Augustinus, tract. I *in Joannem*. Hoc est quod ait Pater ad Christum : « Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ, » *Isaiæ* cap. XLIX, 6. Et Christus : « Ego sum lux mundi, » *Joan.* VIII, ac de eo Simeon : « Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel, » *Lucæ* II, 32.

Pulchre S. Augustinus, *hom.* 43 inter 50 : « Ideo, ait, venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator. » Ita S. Gregorius Nyssenus, orat. *De Nativit. Christi* : « Puritas, ait, in nostris cordibus versatur, sordes vero puritatem non attingunt, sicut ait Evangelista, quod lux in tenebris lucet, et tenebræ eam complexæ non sint. » Et S. Augustinus, epist. 120 *ad Honoratum* : « Filius, ait, Dei non est absens etiam mentibus impiorum, quamvis eum non videant, sicut nec ulla lux videtur, oculis præsentata cæcorum. » Idem, lib. I *De Peccat. mer.*, cap. XXV : « Sicut sol a cæcis, quamvis eos suis radiis quodammodo vestiat, sic a stultitiæ tenebris lumen Dei non comprehenditur. » Lucet autem lux Verbi in tenebris impiorum hominum, per lumen rationis, per creaturarum

(1) Posito ergo puncto post *nihil*, commate post *factum est*, rursum exsurgit præclara sententia, in qua verborum constructio, ut alias sæpe etiam est in scriptis Joannis, a pronomine relativo initium capit, itaque est ordinanda : *In ipso, quod factum est, vita erat.* Quam quidem sententiam, quamvis abnuat Chrysostomus, hom. V *in Joannem*, commendat Cyrillus et ita explicat : « Si quid factum est, erat in ipso vita, hoc est, unigenitum Dei Verbum. Ipsum enim, vita quum sit secundum naturam, esse, et vivere, et moveri iis quæ sunt, largitur... In omnibus quæ facta sunt, erat vita, hoc est Verbum, quod erat in principio... Verbum erat, ut vita secundum naturam, per participationem iis quæ sunt, seipsum immiscens. »

(1) In hac propositione ordo est inversus, rectus enim hic est : *Et lux hominum erat vita*, ita ut subjectum sit *lux hominum*, prædicatum vero *vita*. Sensus autem hic est : Verbum incarnatum nos perfudit lumine doctrinæ suæ ac fidei, *quæ per charitatem operatur*, nobisque indidit novam vitam, *quia justus ex fide vivit*; ideoque apte dicitur illa *lux*, illave fides esse *vita*, ut Christus eam vocavit, dicens : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum*, Joan. XVII, 3.

voces, quæ omnes creatorem esse, esseque venerandum et amandum clamant; per legem naturæ menti inscriptam, per legem novam, per Scripturas, doctores, concionatores, sanctas inspirationes, etc. Unde idem Augustinus, tract. 2 in Joan.: « Noli cadere, ait, in peccatum, et non tibi occidet hic sol; si tu feceris casum, tibi faciet occasum. » Si vis videre lucem, esto et tu lux; si enim tenebras et tenebrosas cupiditates ames, obtenebrabunt, imo excæcabunt te.

Fides et gratia comparantur luci, peccata vero tenebris.

Nota: in S. Scriptura, præsertim apud S. Joannem hic et in *epist.*, fides et gratia Christi comparantur luci, peccata vero tenebris, ob multas et appositas analogias: lux enim cœlestis et nobilissima inter naturales est qualitas, celerrima, efficacissima, impassibilis, purissima, quæ nullis sordibus, licet iis immixta, fœdari potest; afferens splendorem, calorem, lætitiam; faciens res omnes videri, vitam et vigorem omnibus viventibus afferens; talis est et Deus Deique gratia: contrarium est in peccatis, quorum proinde symbolum sunt tenebræ. Adde, quod gratia ad æternam lucem et gloriam, peccata ad imas et summas tenebras ducant. Vide dicta in *epist.* I S. Joan. cap. I, vers. 5 et 6, ubi ex S. Dionysio, *De Divin. Nomin.*, cap. XV, recensui triginta analogias lucis sive ignis et gratiæ, ac octo analogias tenebrarum et peccatorum. Vide et quæ de umbra mortis dixi *Lucæ* I, vers. 79, et *Isaiæ* IX, 2.

NON COMPREHENDERUNT. — Græce οὐ κατέλαβεν, id est *non apprehenderunt*; ut vertit Vatablus, *non susceperunt*: unde Noster, vers. 11 et 12, vertit, « non receperunt. » Verti quoque potest, *non detinuerunt*, *non occuparunt*, *non anteverterunt*; et tunc major est emphasis, *q. d.* Tenebræ, id est homines infideles et impii, Deum et viam salutis ignorantes, visa luce Verbi, debuerunt eam detinere, imo occupare et antevertere, ut per eam Deum et viam salutis suæ cognoscerent; at tanta fuit eorum cæcitas et pravitas, ut eam ultro se offerentem illosque ambientem, amplecti et recipere noluerint, sed illi clauserint oculos, nec eam admittere vel recipere voluerint: « Erant enim mala eorum opera, » ut ait Joannes, cap. III, 19.

6. FUIT HOMO MISSUS A DEO, CUI NOMEN ERAT JOANNES, — cognomen Baptista, a baptismo pœnitentiæ quem instituit. « Missus, » scilicet, ut ait Lucas, cap. III, 1: « Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris factum est verbum Domini super eum in deserto, et venit in omnem regionem Jordanis, » etc. « Tu igitur, ait Chrysostomus, cum a Deo missum intelligas, nihil jam humanum ab eo dici annuntiarive existimes, sed divina omnia. Non enim suum quidquam, sed mittentis arcana denuntiat. Idcirco Angelus appellatur, hoc est nuntius; est enim nuntii officium nihil ex se scire. » Ita S. Chrysostomus et ex eo Theophylactus. Dicit ergo Joannem missum a Deo, ut et pondus auctoritatis addat, ejusque de Christo testimonium, non tam humanum quam divinum esse ostendat.

7. HIC VENIT IN TESTIMONIUM (ad testandum, sive ut esset testis, ut testimonium perhiberet veritati, scilicet quod Jesus esset Messias salvator mundi), UT TESTIMONIUM PERHIBERET DE LUMINE. — Puta ut testaretur Jesum esse verum lumen mundi, et ab eo nos debere omne lumen fidei et notitiam salutis exspectare et postulare.

Nota: licet lux soleat distingui a lumine, sicut causa ab effectu; lux enim solis producit lumen in aere; hic tamen idem sunt « lux et lumen; » pro utroque enim græce eadem est vox φῶς, id est lux, quam noster Interpres copiæ causa nunc vertit « lux, » nunc « lumen. » Rursum græce additur articulus τὸ φῶς, id est, illa lux scilicet spiritualis, eximia, immensa, divina, ex se lucens, quæ per se et essentialiter est lux et fons omnis lucis, ac quasi sol quidam divinus, cujus respectu Joannes Baptista erat luna duntaxat, vel lucifer: quia sicut lucifer sive hesperus præit solem, sic Joannes præivit Christum, quasi solis justitiæ anteambulo. Sensus est, *q. d.* Quia lux deitatis abscondita erat in humanitate Christi, abjecta, vili et paupere, quasi in lucerna obscura et umbrosa, ut homines eam non viderent, nec cognoscerent: hinc Deus misit Joannem, ut lucem hanc detegeret ostenderet ac testaretur Jesum vere esse Deum Deique Filium, et mundi doctorem et redemptorem. Nam, ut ait Paulus: Deus « lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, » I *Tim.* VI, 16. Rursum Filius est « splendor gloriæ et figura substantiæ ejus (Dei Patris), » *Hebr.* I, 3. Idem « candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis et imago bonitatis illius, » *Sapient.* VII, 26. Vide ibi dicta.

UT OMNES CREDERENT PER ILLUM. — *q. d.* Ut omnes Joannem audituri, in Christum, quasi in lucem crederent, et credentes justificarentur ac salvarentur. « Per illum, » scilicet Joannem, qui Christum digito ostendens: « Ecce, inquit, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. » Unde Nonnus: « Per illum, inquit, id est per unius præconis (Joannis) vocem. »

8. NON ERAT ILLE LUX, SED UT TESTIMONIUM PERHIBERET DE LUMINE. — Judæi et Scribæ, ob prædicationem et vitam cœlestem Joannis in eremo, putabant ipsum esse lucem, id est Christum. Elidit idipsum hoc Joannes Evangelista, *q. d.* Joannes Baptista « non erat lux, » id est Messias, doctor et salvator mundi; sed tantum ejus testis et index, qui omnem suam cognitionis, prophetiæ et gratiæ lucem a Christo acceperat. Unde ipse, cap. V, 35, vocatur « lucerna ardens et lucens. » « Sed non proprio igne ardebat, inquit Origenes, non propria luce lucebat. Stella erat matutina, sed non a seipso proprium lumen accepit; gratia ipsius quem præcurrebat, in eo ardebat et splendebat. Non erat ille lux, sed particeps luminis: suum non erat, quod in se et per se fulgebat. »

9. ERAT (alia a Joanne, puta ipse Christus) LUX VERA, QUÆ ILLUMINAT OMNEM HOMINEM VENIENTEM IN HUNC MUNDUM. — Quæres, cur Christus dicitur « lux vera, » vel, ut Græca nervosius habent, τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, id est *illa lux illa vera*? Respondeo: *Primo*, quia Verbum est prima, increata, naturalis et per essentiam lux; Joannes vero Baptista et cæteri Sancti sunt lux per Verbi communicationem et participationem duntaxat, quia omnes lumen fidei et gratiæ emendicant a Christo, ceu luna et planetæ a sole: quare si cum Christo comparentur, quia in infinitum ab ejus claritate superantur, non merentur nomen lucis. Christus ergo solus lux est, et solus lucis nomen meretur; sicut Dei nomen est *Jehova*, sive *qui est*, quia ipse est verum, essentiale, æternum et immensum ens, cætera vero omnia ab eo particulam entitatis hauriunt: quare, respectu Dei, habent esse adeo imperfectum et diminutum, ut potius non esse, quam esse videantur; sunt enim quasi umbra entis quaquaversum immensi, quod est Deus, qui proinde solus verum est ens, sive ὁ ὤν, uti dixi *Exodi* III, 14. Unde hic, cap. VII, 28, Christus ait: « Est verus (Deus Pater) qui misit me. »

*Secundo*, Christus est vera lux mundi, quia ejus doctrina et fides opposita est falsis doctrinis et erroribus Gentilium philosophorum, Saracenorum, hæreticorum, atheorum, etc. « Vera » enim « lux » est mera, pura, sincera, clara, genuina, quæ nil habet ficti, nil obscuritatis, nil umbræ, nil diminutæ lucis.

*Tertio*, quia Christus longe verius et perfectius nos illuminat, quam omnis lux corporea, ut ab ea metaphora ducatur, in qua proinde lux spiritualis dicitur mereri sola nomen lucis, lux vero corporea ejus duntaxat esse velut umbra. Simili modo et sensu ait Christus cap. XV, 1: « Ego sum vitis vera, » ac, cap. VI, 55, vocat se verum panem. Sic alibi sæpe verum vocatur id quod perfectum est, eminens et excellens.

*Quarto*, Christus est lux vera, quia latissime et plenissime quaquaversum lumen suum diffundit: unde ubique ipse est vera lux; nam, ut explicans, subdit Joannes: « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Omnes enim fideles et Sancti, quotquot fuerunt a principio mundi, sunt et erunt, omne suum fidei et gratiæ lumen hauserunt, hauriunt et haurient a Christo. Joannes vero Baptista lux fuit Judææ duntaxat, qui est angulus terræ, idque tempore Herodis tantum. Simile est de cæteris Sanctis. Denique Joannes et cæteri exterius tantum, sonora voce auditores suos docuerunt, mentem vero per se et immediate illustrare non potuerunt; utrumque autem facit Christus. Vox enim ferit aures duntaxat, sed Christus sua gratia mentem ferit et illuminat: unde ipse solus dicitur « illuminar



Hac de causa Christus passim a Joanne vocatur « veritas; » ut cum Christus ait, cap. XIV: « Ego sum via, veritas et vita. » In Christo enim fuit omnis veritas, illaque quadruplex; scilicet veritas entis, veritas mentis, veritas oris, veritas operis.

Latet in occulto veritas: sic vera deitas latebat occulta in humanitate Christi. Eadem tamen semper latere non potest. Nam, ut ait Cicero *pro Cœlio*: « O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias, facile se per seipsam defendat. » Hinc veritas premi potest, opprimi non potest; perinde ut sol nubibus tectus latet, sed mox radiorum suorum vi nubes dissipat, et clarus effulget, sic et veritas, sic et Christus.

Quocirca veritas græce dicitur ἀλήθεια, ab α privativo, et λήθη, id est oblivio, quod oblivionem arceat, quodque in eam nulla cadat oblivio, nullus error, nulla falsitas. Hanc haurimus a Christo, « tanquam a Patre luminum; apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, » *Jacobi* I, 17.

Porro magna est affinitas verbi et veri sive veritatis. Unde, licet nonnulli apud Augustinum, lib. *De Princip. Dialec.*, cap. VI, « verbum » derivent a verberando, vel verberatu, ut verbum sit verber, eo quod verberato lingua intra palatum aere, formatur verbum: melius tamen Varro, et ex eo S. Augustinus, lib. XV *De Trin.*, cap. XI, *verbum* a vero et veritate deducunt, eo quod verbum sit vera cogitationis et rei cogitatæ intellectæque imago. « Quando ergo quod est in notitia, hoc est in verbo, ait S. Augustinus, tunc est verum verbum et veritas; » hoc autem semper est in Verbo hoc divino: nam humanum sæpe fallit et fallitur.

ILLUMINAT OMNEM HOMINEM, — quantum in ipso est: unde qui non illuminantur, sibi tribuant culpam, quia lumen fidei et gratiæ a Christo oblatum recipere nolunt; sicut sol illuminat omnes qui in domo sunt, quantum est ex parte sua; sed si quis fenestram claudat, impediet ne sol illum illuminet: hæc ipsius erit culpa, non solis; alludit enim ad solem, qui totum mundum illuminat. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius. Et patet ex præced. Idem enim dicit cum eo quod dixit, vers. 5: « Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. » Loquitur de lumine supernaturali et gratiæ, licet S. Cyrillus explicet de lumine naturali rationis. Deus enim dedit cuique homini lumen rationis, ut per illud sciat quid bonum sit, quid malum; quid amplectendum, quid fugiendum.

Porro, S. Augustinus arctius hæc accipit: nam ut contra Pelagianos doceat non omnibus hominibus dari gratiam, scilicet congruam et efficacem, quæ eos convertat, justificet et beet; hac de causa τὸ « omnem hominem » sic *primo*, ex-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ponit, ex omni hominum genere aliquos illuminat, v. g. aliquos ex Indis, aliquos ex Persis, aliquos ex Afris, aliquos ex viris, aliquos ex feminis, aliquos ex pueris, etc., ut sit distributio, non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, ut vocant Logici.

*Secundo*, sic exponit, *q. d.* Omnis homo qui illuminatur, a Christo illuminatur; « quia nisi ab ipso nullus illuminatur, » ait S. Augustinus, *Enchir.* cIII, et lib. I *De Pec. mer.*, cap. XXV. Sic vulgo dicimus : Hic Magister docet omnes pueros hujus civitatis, scilicet eos qui doceri volunt; *q. d.* Nullus est qui doceat in hac urbe, nisi hic magister; quare qui doceri vult, hunc adeat oportet. Simili modo S. Augustinus exponit illud I *Timoth.* II, 4 : « Deus vult omnes homines salvos fieri. » Vide ibi dicta.

VENIENTEM IN HUNC MUNDUM. — Id est nascentem in hoc mundo : est hebraismus; sic enim solent Hebræi hominem, vel hominis nativitatem describere. Græcum ἐρχόμενον, verti potest *veniens*, scilicet lux, *q. d.* Lux veniens in hunc mundum, id est Christus nascens in mundo, quantum est ex se, illuminat omnem hominem. Ita S. Augustinus, lib. I *De Pec. mer.*, cap. XXV. Simili enim modo de Christo dicitur cap. III, vers. 19 : « Lux venit in mundum. » Et cap. XII, vers. 46 : « Ego lux in mundum veni. » Verum Interpretes fere omnes Græci et Latini vertunt *venientem*, in accusativo.

10. IN MUNDO ERAT, ET MUNDUS PER IPSUM FACTUS EST, ET MUNDUS EUM NON COGNOVIT. — « In mundo erat, » scilicet Verbum, sive Filius Dei; hic enim qua Deus, ab initio mundi erat in eo per essentiam, præsentiam et potentiam, atque per vim suam et providentiam mundi conservatricem et gubernatricem, juxta illud Pauli, *Act.* XVII, 27 : « Non longe est ab unoquoque nostrum; nam in ipso vivimus, et movemur, et sumus. » Ita S. Chrysostomus, S. Augustinus cæterique Græci et Latini. Aliter Maldonatus : Verbum, inquit, in mundo erat per humanitatem assumptam, postquam per incarnationem factum est caro. Verum de incarnatione aget vers. seq.

ET MUNDUS PER IPSUM FACTUS EST. — Τὸ *et* accipitur pro *quinimo*, aut nervosius pro *quia*, ut sit causale, *q. d.* Ideo Verbum erat in mundo, quia, per ipsum mundus creatus est, conservatur et subsistit. Verbum enim est quasi basis, imo quasi anima mundi, uti censuit quoque, gentilis licet, Plato. Sapienter Philo : « Creatori, ait, proprium est benefacere, creaturæ, gratias agere. » Verum ipsa sui officii sæpe obliviscitur, Deus nunquam, imo in ingratos quoque beneficus est.

ET MUNDUS EUM NON COGNOVIT. — Est hellenismus; græcizat enim Interpres, quia vertit *eum*, scilicet λόγον, id est Verbum; λόγος enim Græcis est masculini generis; cum alioqui latine dicendum fuisset *illud*, scilicet Verbum. Simile est *Hebr.* IX, 2 et alibi, ut ibidem annotavi. Inculcat Joannes ingratitudinem mundi, quod suum auctorem, quem semper habet præsentem, et a quo creatus est et conservatur, puta Verbum, sive Filium Dei, non cognoverit.

Porro, ludit in voce *mundus*. Primo enim proprie mundum accipit pro toto universo et omnibus quæ in eo sunt, hæc enim omnia a Verbo sunt facta. Cum ergo subdit : « Et mundus eum non cognovit, » per mundum intelligit incolas mundi, puta homines mundo deditos et divina non sapientes; hi enim non cognoverunt suum auctorem, puta Verbum, sive Filium Dei. Ita S. Augustinus, S. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius.

Nota hic, ex mundi opificio, naturaliter posse cognosci Deum unum in essentia, non autem trinum in personis, ac consequenter ex eo non posse cognosci Verbum, qua Verbum. Culpat ergo mundum, id est mundum, id est mundanos homines Joannes, quod Verbum, non qua Verbum, sed qua Deum mundi creatorem, ex mundi fabrica, quasi ex ungue leonem et ex pictura Apellem non cognoverint. Et sic respondetur rationi Maldonati, qui ex hisce verbis contendit Joannem loqui hic de Verbi incarnatione, *q. d.* Mundani non cognoverunt Verbum incarnatum, scilicet Jesum esse Deum Deique Filium; nam iidem cognoverunt ex mundi fabrica deitatem, sive unum Deum mundi opificem. Hæc Maldonatus. Sed respondetur eos non cognovisse Verbum, ut Verbum, sive personam Filii, ut dixi : quinimo multi ex mundi fabrica non cognoverunt Deum ejus fabricatorem. Fateor nonnullos, ut Patriarchas et Prophetas, cognovisse Verbum, sive Dei Filium, de eoque prophetasse. Verum hi illud cognoverunt ex peculiari Dei revelatione, non ex fabrica mundi. Deplorat ergo Joannes humanæ infirmitatis, post lapsum in peccatum, cæcitatem et ignorantiam, quod cum fide amiserit cognitionem sui Creatoris et Salvatoris, puta Verbi, sive Filii Dei.

11. IN PROPRIA VENIT, ET SUI EUM NON RECEPERUNT. — Arabicus, *ad proprios venit, et proprii eum non receperunt*. Unde per « propria » vel « proprios, » S. Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius accipiunt Judæos; hi enim erant populus Deo proprius Deique cultui et Ecclesiæ dicatus (1). Melius iidem per « propria et proprios » accipiunt totum mundum omnesque homines mundi incolas. Idem enim dicit Joannes, aliisque verbis more suo repetit et inculcat cum eo quod paulo ante dixit : « In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. » Audi S. Cyrillum in *Conc. Ephes.* : « Venit Unigenitus ad proprios, et præcipue ad Israelitas, simul atque carne sumpta factus est homo. »

(1) Ita et Patritius, op. cit. lib. III, dissert. VIII, n. 28, qui optimis sane argumentis suam interpretationem obfirmat.



ET SUI. — Non omnes, sed multi : nam nonnulli Jesum ut Christum receperunt, sicut duodecim apostoli, 72 discipuli et alii usque ad 500, I *Cor.* XV, 6; sed hi præ reliquis Judæis, qui eum non receperunt, fuere pauci : quæ sane fuit magna Judæorum ingratitudo et malitia, Christi vero mortificatio, contemptus et humiliatio non exigua; Dei autem consilium admirabile et judicium inscrutabile, ut per Judæorum repulsam, Evangelium ab Apostolis transferatur ad Gentes toto orbe diffusas, uti docet Apostolus, *Rom.* XI (1).

12. QUOTQUOT AUTEM RECEPERUNT EUM, DEDIT EIS POTESTATEM FILIOS DEI FIERI, HIS QUI CREDUNT IN NOMINE EJUS, — id est in nomen ejus, hoc est in eum; nomen enim Christi ejus personam significat. Pronomen *qui* refert non ad filios Dei, sed ad *quotquot*. Patet ex Græco οἳ, quod cum sit masculinum, nequit referri ad neutrum τέκνα, id est *filios*, sed ad ὅσοι, id est *quotquot*. Sensus est, *q. d.* Quotquot Christum receperunt, puta omnibus his qui credunt in nomen ejus, ejusque fidei et legi obediunt, dedit potestatem filios Dei fieri. Sic explicat S. Joannes, *epist.* I, cap. V, 1 : « Omnis, inquit, qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. »

POTESTATEM. — Græce ἐξουσίαν, id est dignitatem, potestatem, facultatem, libertatem et jus; ut scilicet hoc ipso, quo Christum fide et fidei Sacramento, id est baptismo, aut certe fide per charitatem formata, quæ votum, sive desiderium baptismi includit, recipiunt; simul quidem tempore sed posterius natura justificentur, fiantque et sint (Græcum enim γενέσθαι et fieri et esse significat) filii Dei adoptivi per participationem et gratiam, sicut ipse Christus Filius est Dei naturalis per suam hypostasin divinam.

Quocirca Clemens Alexandrinus, *Adhort. ad Gentes*, ait Christum sua incarnatione terram in cœlum mutasse, ac ex hominibus angelos imo deos fecisse, ideoque ipsum pulchrum esse aurigam, qui currum, sive bigam fidelium, puta Judæorum et Gentium, agat in cœlum dirigatque ad beatam immortalitatem.

Igitur vox ἐξουσία significat tum dignitatem filiationis divinæ, tum libertatem arbitrii nostri, ad eam libere per fidem capessendam. Non enim ait : Fecit illos filios Dei, sed : Dedit potestatem, id est liberam facultatem, filios Dei fieri; si videlicet libere illi credere et obedire velint. Negat hoc Calvinus et Beza; sed asserit S. Augustinus, *De Spiritu et littera*, cap. XXXI : « quia hanc, inquit, dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi. Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si vult non facit. » Idem a S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Beda et alii passim. Audi S. Chrysostomum : « Quemadmodum ignis, si metallorum terram attigerit, eam quamprimum aurum reddit : sic et longe magis pro luteis aureos eos baptisma facit, quos abluerit, cum Spiritus Sanctus tanquam ignis illa ipsa hora animas nostras ingreditur, et terrena absumpta similitudine, cœlestem illam novam et claram, tanquam ex fornace fulgentem referat. Et cur non dixit : Fecit eos filios Dei fieri? ut ostenderet multa nobis opus esse diligentia, ut adoptionis nobis per baptisma impressam imaginem puram servemus atque intactam. Præterea quod nemo hanc nobis potest auferre potestatem, nisi primum nobis ipsis abstulerimus. » Et paulo post : « Simul autem declarare voluit gratiam non temere, neque sine labore nostro in nos infundi, sed cum ipsi volumus, cum eam inquirimus; in nostra enim potestate est filios Dei fieri. Quippe, nisi primum ad eam accipiendam promptum animum exhibeamus, neque divinum ad nos munus accedit, neque quidquam in nobis operatur. Ubique igitur non violentum, non coactum, sed voluntarium penitus et liberum nobis ostendit arbitrium. »

Dices : Fides, æque ac filiatio Dei est donum Dei, ergo illud non est positum in arbitrio hominis. Respondeo negando sequelam : Deus enim fidem, spem, charitatem reliquasque virtutes et dona sua hominibus non indit invitis, vel incogitantibus, sed cogitantibus, volentibus, consentientibus et cooperantibus libere. Hoc est enim quod ait hic S. Joannes, Deum dedisse potestatem filios Dei fieri his qui libere Christum per fidem et obedientiam receperunt, exclusis iis qui eum recipere noluerunt. « Datur potestas ut filii Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur ut credant in eum, » ait S. Augustinus, lib. I *Contra 2 epist. Pelag.*, cap. III. Datur autem hoc a Deo, cum Deus ita per gratiam suam illuminat et movet mentem hominis, ut ipsa libere consentiat et credat.

FILIOS DEI FIERI. — Quomodo id fiat, et quanta hujus filiationis sit dignitas, utilitas, hæreditas, fuse ostendi *Osee* I, 10, ad illa : « Dicetur eis, filii Dei viventis. » Unde Cyrillus : « Ascendamus, inquit, ad supernaturalem dignitatem per Christum; non tamen ut proprie sicut ille, sed ut similitudine illius per gratiam filii Dei simus. Alia est enim naturæ ratio, alia adoptionis. »

13. QUI NON EX SANGUINIBUS, NEQUE EX VOLUNTATE (Arabicus, *appetitu*) CARNIS, NEQUE EX VOLUNTATE VIRI, SED EX DEO NATI SUNT. — S. Joannes hic ponit antithesim humanæ generationis et divinæ ut hujus præ illa præstantiam demonstret. Igitur ut vilitatem humanæ per exaggerationem ostendat, asserit *primo*, eam fieri « ex sanguinibus, » id est ex sanguine (est hebraismus) tum menstruo mulieris, ex quo coagulato formatur fœtus; tum

(1) Versibus 8, 10 et 11 Joannes edicit quæ omni hominum generi divinum Verbum præstiterit, quam vero homines indignas beneficio vices rependerint. Quorum mentio ter intra paucos versus repetita prodit manifeste Christi discipulum præceptoris sui amantissimum, qui monstrosum hunc hominum stuporem, probrosumque adeo ingrati animi crimen satis nequeat mirari.



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

seminali viri; viri enim semen, quia sanguinei alimenti est residuum, vocatur sanguis.

*Secundo*, asserit eam esse et fieri « ex voluntate, » id est concupiscentia (sic enim sumitur voluntas *Isaiæ* LVIII, 3, *Ephes.* II, 3 et alibi) « carnis : » quod alibi dicitur esse ex carne et sanguine, in quo consistit voluntas, id est concupiscentia viri, sub quo pari ratione feminam accipe. Explicat enim quæ sit voluntas carnis, per « voluntatem viri, » *q. d.* Voluntas, id est appetitus et concupiscentia carnis, est voluntas, id est concupiscentia viri et feminæ in actu generationis; hunc enim vult et appetit carnalis appetitus et concupiscentia.

Ex adverso divina generatio filiorum Dei non ex sanguinibus, nec ex voluntate et concupiscentia carnis et viri, uti et filiorum hominum, sed est « ex Deo, » id est ex Dei voluntate, prædestinatione, electione, charitate. Rursum « ex Deo, » id est ex Dei spiritu et gratia, per quam mens hominis, antea carnalis, regeneratur et justificatur, itaque homo fit spiritualis, justus, sanctus, amicus, imo filius Dei. Denique « ex Deo, » quia in hac hominis justificatione et regeneratione, Deus non tantum dat ei suam gratiam, spiritum et charitatem cæterasque virtutes, sed et seipsum, ut homo justificatus vere et proprie habeat in mente inhabitantem ipsi similem Spiritum, imo totam S. Trinitatem, ideoque fiat divinus, imo filius et hæres Dei, ac cohæres Christi, uti fuse ostendi *Osee* I, 10.

Aliter S. Augustinus hic, *tract.* 2, explicat τὸ « ex voluntate carnis. » « Carnem, ait, pro femina posuit, quia de costa cum facta esset, Adam dixit : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Et Apostolus ait : Qui diligit uxorem suam, seipsum diligit; nemo enim unquam carnem suam odio habet. Ponitur ergo caro pro uxore, quomodo et aliquando spiritus pro marito. Quare? Quia ille regit, hæc regitur; ille imperare debet, ista servire : nam ubi caro imperat, et spiritus servit, perversa domus est. »

14. 14. ET VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS. — Sic ad Verbum habent Syrus, Persicus, Ægyptius et Æthiopicus; Arabicus vero, *et Verbum*, inquit, *factum est corpus.* « Caro » ergo hic est corpus humanum, indeque homo. Hinc Appollinaris hæresiarcha negabat Verbum assumpsisse animam humanam et mentem; ejus enim loco asserebat esse mentem Verbi divini, ipsamque ejus divinitatem. Ita refert S. Augustinus, *hæresi* 55. Verum hæc est hæresis; fides enim docet Verbum assumpsisse, uti veram carnem humanam, sic et veram animam rationalem, ac proinde habere duas naturas integras et inpermixtas, scilicet divinam et humanam, ac consequenter habere duas voluntates et duplicem mentem, divinam et humanam; ita ut hæ duæ naturæ, cum suis potentiis, subsistant in unica persona Verbi, in qua persona facta est hæc unio, non autem in natura, ut contra Nestorium definit Concilium Ephesinum, et contra Eutychetem Concilium Chalcedonense.

Ex hac autem unitate personæ sequitur *primo*, ut Theologi docent, communicatio idiomatum utriusque naturæ, ut in Christo quidquid competit humanitati et homini, id ipsum dicatur et prædicetur de divinitate et Deo, ac vice versa, v. g. vere dicimus hunc hominem (Jesum) esse Deum, esse omnipotentem, esse creatorem, fuisse ab æterno, atque vice versa Deum, sive Filium Dei, vere esse passum, crucifixum, mortuum : quia scilicet una eademque persona divina est in Christo Deo et homine, qui hæc omnia subiit, licet secundum duas et diversas naturas; actiones enim et passiones sunt suppositorum, sive personarum, in quacumque natura illæ subsistant. Audi S. Augustinum, in Dialogo 65, Quæst. *ad Orosium*, quæst. IV : « Verbum caro factum est, non carne mutatum, ut non desisteret esse quod erat, sed cœperit esse quod non erat. Assumpsit enim carnem, non se convertit in carnem. Carnem istam a parte totum hominem intelligimus, id est carnem et animam rationalem. Et sicut primus homo et carne et anima mortuus fuerat, ita etiam oportuit, ut per mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, et carne et anima vivificaretur. »

Sequitur *secundo*, quod « Verbum factum est caro, » non eo modo quo aqua fit vinum, dum mutatur et convertitur in vinum; aut sicut cibus fit caro nostra, dum in eam convertitur; nec rursum eo modo, quo aurum fit statua, scilicet accedente ad auri materiam forma accidentaria statuæ, sed simili modo, quo anima et caro juncta fiunt unus homo. Ita S. Athanasius in *Symbolo* : « Unus, inquit, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. » Sed homo unus est essentialiter; Christus vero unus est personaliter. Aut eo modo, quo homo accedente veste fit vestitus. Scilicet ut Verbo accesserit nova substantia, quasi vestis, sed substantialis, non accidentalis; substantia enim carnis et naturæ vestivit se Filius Dei, eamque substantialiter in eadem hypostasi Verbi sibi copulavit intimeque univit.

« Caro » ergo hic, uti et passim in Scriptura, per synecdochen Hebræis familiarem, significat totum hominem; *q. d.* « Verbum factum est caro, » id est, Filius Dei factus est homo. Simili modo potuisset S. Joannes dicere : « Verbum Dei factum est anima, » id est, homo animatus et vivus : maluit tamen dicere *caro* potius quam *anima*, ut ostenderet quantum Dei benignitas, nostri amore, pro nobis sese exinanierit; scilicet quod Deus factus sit caro vilissima et infima, ut nos ex carne per concupiscentiam et peccatum corruptissima, fieremus quasi dii et filii Dei, ipsique Deo consanguinei. Ita S. Cyrillus, S. Chrysostomus et alii. « Carnem, ait S. Cyrillus, epist. 8 *ad Nestorium*, animatam anima rationali uniens Verbum sibi secundum substantiam, ineffabiliter factus est homo. »



Symbolice Glossa : Verbum, inquit, factum est caro, quasi mutatum in lac propter parvulos, ut eorum fieret cibus, præsertim in Eucharistia. Nunc singula verba ad incudem revocemus, et penitius expandamus.

ET. — Hæc vocula nectit hanc sententiam præcedentibus, partim historice, partim causaliter. Historice, *q. d.* Verbum illud æternum, cujus generationem divinam enarravi, quodque dixi fuisse apud Deum, imo fuisse Deum ipsum, per quem omnia facta et creata sunt, ideoque ipsum fuisse esseque vitam rerum omnium; hoc Verbum, inquam, in tempore a Deo statuto factum est caro, dum in B. Virgine carnem nostram assumpsit, et nono post mense ex ea natum est, ac Jesu nomen accepit; ut τὸ *et* capiatur pro *idcirco, ideo, hac de causa*; *q. d.* Verbum factum est caro, id est, Filius Dei factus est homo, hac de causa, ut filios hominum ex sanguinibus et carne in peccato natos expiaret, et filios Dei efficeret, uti præcessit. Unde S. Augustinus : « Ne miraremur et horreremus tantam gratiam, et nobis incredibile videretur homines ex Deo nasci, quasi securitatem faciens hoc dixit, » *q. d.* Quid miraris homines ex Deo nasci? attende ipsum Deum ex hominibus natum. Et S. Chrysostomus : « Factus est, inquit, filius hominis dilectissimus Filius Dei, ut filios hominum faceret filios Dei. »

VERBUM. — Græce ὁ λόγος, id est illud Verbum, scilicet æternum et divinum, de quo huc usque fuit sermo : Verbum, inquam, manens Verbum, manens in sua deitate, hypostasi, majestate et gloria divina, factum est caro, id est homo, hoc est assumpsit et induit humanam naturam. Unde S. Athanasius, epist. *ad Epictetum*, dat simile illud, *Galat.* III : « Christus pro nobis factus est maledictum : Sicut enim Christus dicitur maledictum, non quod ipse maledictum factus sit, sed quod pro nobis maledictum (id est crucem quæ a Judæis habebatur maledicta et execrabilis) suscepit; ita non quod ipse conversus sit in carnem, sed quod carnem pro nobis susceperit, dicitur factus caro. »

Eadem maledicti similitudine exponunt τὸ « Verbum caro factum est, » S. Gregorius Nazianzenus, epist. *ad Cledonium*; S. Ambrosius, S. Flavianus, Patriarcha Antiochenus (cujus verba sunt : « Verbum caro factum est, non quod in carnem mutatum sit, neque quod Deus esse desiit, sed quod Dei consilio et dispositione carnem assumpsit » )) S. Ignatius, S. Irenæus, S. Hippolytus, S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nyssenus, Amphilochus et alii, quorum verba recitat Theodoretus, dialogo cui titulus : *Immutabilis*, ubi confutat Eutychianos illos, qui dicebant Verbum incarnatione mutatum esse et transformatum in carnem. Alios vero, qui dicebant carnem mutatam esse in Verbum, ac Verbum absorpsisse, sive absumpsisse carnem, sicut mare sorbet rivulum in se influentem, confutat Dialogo 2, cui titulus : *Inconfusus.* Tertios denique, qui dicebant deitatem in Christo esse passam et crucifixam, confutat Dialogo 3, cui titulus : *Impassibilis.*

Denique audi S. Cyrillum, in *Concilio Ephesino* : « Nomine carnis intelligi debet totus homo, ut cum dicitur : Videbit omnis caro salutare Dei. Et : Non adhæsi carni et sanguini, *Galat.* I. Atque eodem quoque modo nonnunquam accipitur anima, ut : In septuaginta quinque animabus descenderunt patres in Ægyptum, *Act.* VII. Non enim dixerunt quod nuda et sine carne anima in Ægyptum descenderint. Quoties igitur audiemus carnem factam esse Verbum, hominem intelligamus ex anima et corpore factum. » Idem alibi hoc repetit additque : « Non secundum translationem, vel conversionem, vel commutationem, transformatione facta in carnis naturam, neque habens temperationem, vel commixtionem, vel consubstantiationem, » etc. Idem habet Concilium Toletanum XV, quod celebratum est æra 726, qui fuit annus Christi 688. Anni enim Christi sequuntur æram Hispanicam annis 38.

CARO, — id est homo. Opponit Verbo carnem, quasi summo imum, beato miserum, glorioso vilissimum, infirmissimum et spurcissimum. Quid enim miserius, vilius, infirmius, spurcius carne humana? quæ longe infirmior, miserior, spurcior est carne asinina, bovina, equina et cæterorum animalium; et tamen ad carnem talem demittere sese dignatum est Verbum Dei, nostri amore. Hæc est ejus φιλανθρωπία et amoris extasis, quam celebrat Apostolus, epist. *ad Titum*, cap. III, 4. Audi S. Bernardum, serm. 3 *de Nativit.* : « Verbum caro factum est, caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens; omnis operis, omnis laboris impatiens. » Et mox : « Dum esset in principio apud Deum, lucem habitabat inaccessibilem, et non erat qui caperet illud. Quis enim investigavit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Carnalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei; sed jam capiat et carnalis, quia Verbum factum est caro. Si nihil præter carnem novit audire, ecce Verbum caro factum est; audiat illud vel in carne. O homo, in carne tibi exhibetur sapientia illa quondam occulta; ecce jam trahitur de occultis, et ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ. Carnaliter (ut jam dixerim) prædicatur tibi : Fuge voluptatem, quia posita est mors secus introitum delectationis. »

Verbum ergo factum est caro, id est homo, dum hominem assumpsit, hominem, inquam, existentem, sed non subsistentem. Naturam enim hominis existentem assumpsit, at non personam hominis; nec enim Verbi persona facta est persona hominis, quia hoc est impossibile. Verbum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ergo assumens essentiam et existentiam hominis, non assumpsit ejus subsistentiam, sed essentiam et existentiam hominis : eo ipso temporis instanti, quo a Spiritu Sancto formata et facta est, præveniens ne per se subsisteret velut persona, eamdem sibi in unitate personæ suæ divinæ conjunxit fecitque ut in eadem subsisteret. Quare humanitas Christi non *in se*, sed in persona Verbi subsistit.

Factum est. — Non quod Verbum mutatum sit in carnem, uti volebat Apollinaris, teste S. Augustino, *hæresi* 55; nec vice versa, quod caro mutata sit in Verbum, quia, ut ait S. Chrysostomus, « longe ab illa immortali natura est transmutatio; » qui enim caro fiat Deus, id est quomodo creatura fiat creator? Nec *tertio*, quod ex carne et Verbo, ceu duabus partibus conflata sit tertia natura, sicut ex carne et anima conflatur et componitur homo, uti volebat Eutyches, cujus error damnatus est in Concilio Chalcedonensi. Nec *quarto*, quod Verbum factum sit caro, id est homo subsistens, quasi non solum naturam, sed et personam assumpserit, uti volebat Nestorius, quasi « invento homine virtutibus prædito, illi se adjunxerit Verbum, » ait Theophylactus, sicut Prophetis se adjungit Spiritus Sanctus, Tobiæ Raphael angelus, et sagis magisque dæmon; sed quod carnem, id est naturam hominis, suæ hypostasi univerit fecerilque ut in eadem subsisteret, homo Jesus, in qua subsistebat Deus Verbum, sive Deus Filius. Porro, Verbum non per imaginationem vel apparentiam et phantasmata duntaxat, ut volebant Manichæi, sed reipsa et in rei veritate, « factum est caro, » id est homo : factum, inquam, non a se solo, sed a tota S. Trinitate; tota enim S. Trinitas fuit causa efficiens incarnationis Verbi, sed ita, ut ipse non ad Patrem et Spiritum Sanctum, sed ad solum Verbum, sive Filium, hypostatice terminaretur, solusque Filius fieret homo. « Solum enim Verbum carnem ipsa Trinitas fecit, » ait S. Fulgentius, lib. *De fide ad Petrum*, cap. II.

Verbum ergo carne vestitum, fuit quasi sol nube vestitus, aut sicut ignis ferrum sibi uniens et igniens, aut sicut ignitus carbo, ait S. Cyrillus. Unde ejus typus et symbolum est carbunculus, ut dixi *Apoc.* XXI, 29. Rursum fuit sicut margarita in concha, sicut fulgur in nube, sicut aurum in fornace, sicut angelus in corpore. Insuper S. Augustinus, lib. XV *De Trinit.*, cap. XI : « Sicut verbum, ait, nostrum vox fit, nec mutatur in vocem, ita Dei Verbum caro factum est, non mutatum in carnem. » Et gesta *Concilii Ephesini* : « Ut cum sermo induerit litteras et elementa, visibilis fit et tractabilis; sic Verbum Dei tractabile invenitur. »

Plura de Verbi incarnatione dixi in epist. I *S. Joan.*, cap. I, ad illa : « Et manus nostræ contrectaverunt, » ubi expendi quatuor tanti Sacramenti circumstantias, scilicet, quis, quid, cur, cui, Verbum factum sit caro; ac inter alia ostendi id factum esse hoc fine et fructu nostro, ut Verbum quod antea qua Deus erat pater noster, per humanitatem assumptam fieret quasi mater nostra, itaque diceretur et revera esset πατρομήτωρ, id est, *patrimater*. Addidique ex Damasceno, Deum assumpsisse hominem, ut per eum totum mundum sibi uniret et quasi deificaret; homo enim est microcosmus, sive totius mundi summa et compendium.

Et habitavit in nobis. — Græce ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, hoc est, tentorium vel tabernaculum fixit in nobis, id est inter nos, ad modicum tempus, quasi hospes et peregrinus in terra aliena; erat enim ipse civis, incola et dominus cœli ac paradisi, juxta illud *Jerem.* XIV, 8 : « Quare quasi colonus futurus est in terra, et quasi viator declinans ad manendum? » Vide ibi dicta. Christus ergo sui exemplo voluit docere Christianis terram esse quasi hospitium, patriam vero esse cœlum, ad quod proinde, contemptis rebus terrenis, tota mente et nisu contendere debent : hac de causa homo factus, inter homines in terra quasi peregrinus versatus est, cum eis familiariter colloquens, conversans, et docens terrena relinquere et ambire cœlestia, juxta illud *Baruch*, III, 38 : « Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. »

Paulo aliter S. Chrysostomus et Cyrillus : « In nobis, » inquiunt, id est in natura nostra, puta in humanitate quam assumpsit, ut nos redimeret (1). Causam dat S. Chrysostomus : « Deus Verbum, inquit, sibi sanctum templum construxit, ac per illud ex cœlis deductam agendæ vitæ rationem ad vitam nostram introduxit. » Citat et laudat hæc S. Chrysostomi verba Theodoretus, Dialogo *Immutabilis*. Causa ergo fuit hæc, ut cœlestem vivendi rationem e cœlis afferret, illamque homines doceret.

Et vidimus gloriam ejus (2). — Græce ἐθεασάμεθα, id est spectavimus, quasi in theatro mirum novumque spectaculum, ut scilicet Verbum carne velatum, in ea gloriam deitatis suæ ostenderet, per miracula, per virtutes heroicas, per sapientiam et doctrinam divinam, etc. Sic Apostolus ait, I *Corinth.* IV, 9 : « Spectaculum (Græce, *theatrum*)

(1) Hæc sunt Chrysostomi verba : « Subdit enim : et ἐσκήνωσεν in nobis, ac si diceret : nihil absurdum suspiceris ex hoc dicto *factum est*. Non enim immutabilis naturæ mutationem, sed σκήνωσιν καὶ κατοίκησιν dixi, τὸ δὲ σκηνοῦν non idem est τῇ σκηνῇ, sed aliud; aliud enim in alio σκηνοῖ, nec aliter esse potest σκήνωσις, nihil enim in se ipso habitat. Aliud autem dixi secundum essentiam. Nam unione et conjunctione unum est Deus, Verbum et caro, sine ulla confusione aut essentiarum exterminatione, sed per unionem ineffabilem inexplicabilemque. Quomodo autem id fiat, ne quæras; factum est enim, ut ipse novit, » hom. 11 *in Joan.*

(2) « Et vidimus gloriam..... et veritatis » παρένθετα sunt ac separatim legenda. Græcum ἐθεασάμεθα, pro quo positum est in hoc loco latinum *vidimus*, non quocumque modo videre significat, sed *studiose spectare, contemplari*, idque etiam ut adnotavit Kuinoel, *cum voluptate et admiratione.*



facti sumus mundo, angelis et hominibus. » Audi S. Augustinum : « Nativitate ista collyrium fecit, unde tergerentur oculi cordis nostri : ejus gloriam nemo posset videre, nisi carnis humilitate sanaretur : caro te obcæcaverat, caro te sanat; sic venit medicus ut de carne vitia carnis exstingueret. »

Gloriam quasi unigeniti a Patre. — Arabicus, *quasi unici qui est a Patre*. Sensus est, *q. d.* Vidimus Christi gloriam, talem et tantam, qualis et quanta decebat unigenitum, vel quæ ostenderet eum esse unigenitum Dei Filium : cui scilicet, ut ait S. Basilius, Deus Pater omnem gloriam, omnem substantiam dedit sicut solent parentes filiis suis unigenitis relinquere omnem suam hæreditatem. Hanc Christi gloriam vidit S. Joannes cum sociis, in transfiguratione in monte Tabor, in gloriosa ejus resurrectione, in ascensione in cœlum, in missione Spiritus Sancti, in cœlesti et divina ejus doctrina, vita et miraculis. Ergo vox *quasi* non similitudinem, sed veritatem denotat. Ita S. Chrysostomus : « Verbum *quasi*, inquit, hoc in loco non similitudinis est, neque parabola, sed confirmationis et definitionis certissimæ; *q. d.* Vidimus gloriam, qualem deceat, et credibile sit habere unigenitum et dilectissimum omnium, regis Dei Filium. » Et Theophylactus : « Spectavimus gloriam, non talem qualem habebat Moyses, vel cum qua gloria Cherubim et Seraphim Prophetæ apparuerunt; sed talem gloriam, qualem decuit esse unigeniti a Patre, quæ illi naturaliter inest. Nam *velut* hic non similitudinis, sed confirmationis et determinationis indubitatæ verbum est. » Et Euthymius : « Gloriam, non qualis est Sanctorum beatorum, vel angelorum, sed gloriam vere unigeniti, nam hic dictio ὡς (tanquam) idem significat quod vere. »

Porro gloria deitatis Christi, per carnem assumptam, quasi per velum transparuit et emicuit, ait Euthymius, qui et addit : « Quæ autem erat illa Verbi gratia? Certe nunquam antea visa variaque miracula, perlucida ac supernaturalis transformatio, et tempore passionis solis præter naturam obscuratio, formidabilis veli scissio, horribilis terræ motus, petrarum scissiones, monumentorum apertiones, mortuorum suscitationes, quodque omnium caput est, mirabilior quam dici aut cogitari queat, Domini resurrectio, et post hanc quæcumque gloriosa Apostoli deinceps conspexerunt. »

*A Patre* refer ad *unigeniti*; hoc enim unice genitus prodiit a Patre. Addit hoc, « quia, ut ait S. Bernardus, serm. 2 *De Pentec.*, totum paternum est, quod de corde Patris Christus attulit nobis, ut nihil in Filio Dei, nisi dulce, nisi paternum humani generis trepidatio suspicetur. » Sublimius et magis ad litteram S. Cyrillus : « Firma, ait, et immutabilis supernaturalis illa natura est, eodemque modo semper se habens, propriis semper dignitatibus æqualiter abundat. Quamvis ergo Verbum caro factum sit, non tamen infirmitate carnis superatum est, nec de prisca majestate atque omnipotentia decidit, quoniam homo factum est. Vidimus enim, inquit, gloriam Christi a Deo, subliniorem creaturarum gloria, ut mentis quisque compos, nulli alii, quam unigenito Dei Filio, convenire illam fateretur (1). »

Plenum gratiæ et veritatis. — Erasmus et Cajetanus hæc jungunt sequentibus referuntque ad Joannem Baptistam, de quo sequitur, non ad Christum, de quo sermo præcessit. Sic ergo vertunt et nectunt, « Plenus gratia et veritate Joannes testificatur de ipso, » scilicet Jesu, quod ipse sit Christus, quia, inquiunt. Græce est πλήρης, id est *plenus* in nominativo masculino. Verum hæc dispunctio, versio et expositio est contra omnes Patres, et contra perpetuum Ecclesiæ consensum, ac contra dispunctionem codicum Græcorum, Latinorum, Syrorum, Arabicorum, etc., qui constanter post τὸ *veritatis*, ponunt punctum. Insuper repugnat sequentibus; nam explicans Joannes quomodo Christus sit plenus gratia et veritate, subjicit dicens : « De plenitudine ejus omnes accepimus. » Nec obstat quod in textu Græco sit πλήρης, id est *plenus*, tum quia in multis codicibus ponitur πλήρη, in accusativo, id est *plenum*; in aliis τὸ πλήρη in margine ponitur : quod si velimus legere πλήρης, id est *plenus* in nominativo, tum verba præcedentia legenda sunt per parenthesin, hoc modo « et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, » ut legunt Biblia Lovan. Hentenii, et ita servatur idem sensus : nam πλήρης refertur ad λόγος, *q. d.* Verbum caro factum erat plenum gratiæ et veritatis. Alludit ad verbum humanum, cujus summa laus est, si sit gratiosum et verum, sive verax; sic enim Verbum divinum, non tantum in se, qua Verbum Dei Patris (quis enim de eo dubitet?), sed etiam qua caro factum, sive qua homo, in se quasi in fonte et capite, non participando, sed per se et quasi nativa sua vi, omnibus gratiæ, tam gratum facientis, quam gratis datæ, donis a Deo fuit cumulatum, atque ore et opere, in omnibus suis dictis et factis, eximiam gratiam præ se tulit, juxta illud : « Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, » *Luc.* IV, 22. Idem fuit plenum veritate, quia omnes errores, item umbras legis veteris detexit, ipsamque veritatem olim a Prophetis promissam exhibuit. Insuper in ipso « sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, » *Coloss.* II, 5.

Plenum gratiæ (2). — « Non enim gloriam po-

(1) Juxta alios, *a Patre* melius jungitur nomini *gloriam ejus*, quia, cum ratio grammatica utramque interpretationem æque admittat, si hanc prætuleris, plenior inde existet sensus : nil enim priori sententiæ adempto, addetur insuper gloriam hanc eam esse quam Verbum a Patre sibi, utpote unigenito, communicatam recepit.

(2) *Plenum gratiæ et veritatis.* De his ita Kuinoel in h. l. : « Respondet formula χάρις καὶ ἀλήθεια Hebræorum

testatis aut claritatis vidimus, ait S. Bernardus, serm. 6 *in vigilia Nativit.*, sed gloriam paternæ pietatis, » gloriam gratiæ, de qua Apostolus : « In laudem, inquit, gloriæ gratiæ suæ, » *Ephes.* I. Unde Apostolus, I *Timoth.* III, 16, exclamat : « Magnum, inquit, est pietatis sacramentum (scilicet Verbum caro factum) quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. » Vide ibi dicta. Quam plena, et quaquaversum perfectissima fuerit gratia Christi, vide docentem S. Thomam, III *part.*, *Quæst.* VII, art. 9 et seq., ibique Suarez, Vasquez et cæteros.

Et veritatis. — Apte veritatem jungit gratiæ, quia, ut ait S. Bernardus, serm. 74 in *Cant.* : « Veritas capreæ oculos habet, gratia hinnuli hilaritatem ; utraque res necessaria mihi : et veritas quidem, cui abscondi non possim ; gratia autem, cui nolim. Alioquin sine alterutra visitatio plena non erit ; cum et illius severitas absque hac, onerosa, et hujus hilaritas absque illa, dissoluta possit videri. Amara est veritas sine condimento gratiæ, sicut absque veritatis fræno levis, et nesciens modum, plerumque et insolens ipsa devotio. »

Hujus rei symbolo pontifex Aaronicus, qui Christi erat typus, in rationali pectoris sui gestabat inscriptum : *Urim ve-tummim*, id est *doctrina et veritas* ; vel ad Verbum, *illuminatio et perfectio*, hoc est veritas et gratia : quæ duo in Christo excelluerunt, ac sacerdoti cuilibet maxime necessaria sunt, ut iis Christo assimiletur. Vide dicta *Exodi* XXVIII, 30.

Ergo, licet B. Virgo, S. Stephanus et alii dicantur pleni gratia præ cæteris hominibus, tamen respectu Christi non fuere pleni. Christus enim est quasi oceanus et mare gratiarum, quod in omnes fideles, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines rivos gratiarum emanat. B. Virgo vero, S. Stephanus aliique Sancti sunt quasi fontes, qui ex Christo, quasi ex mari, aquam gratiæ hauriunt, eamque quasi rivi, vel fontes pleni, eructant. Hoc est quod ait Apostolus, *Coloss.* II, 9 : « In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. » Et : « Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, » *Ephes.* IV, 7. « Filio autem non ad mensuram Deus dedit spiritum, » ut inferius dicetur cap. III, 34.

15. Joannes testimonium perhibet (id est perhibuit) de ipso, et clamat dicens : Hic erat, quem dixi : Qui post me venturus est, ante me factus est : quia prior me erat. — Probat ea quæ dixi de Verbo incarnato ; quodque ipsum fuerit plenum gratiæ et veritatis, ex testimonio irrefragabili S. Joannis Baptistæ ; ipsum enim Judæi habebant quasi Prophetam et virum divinum, *q. d.* Non solum nos vidimus Jesum Christum plenum gratiæ et veritatis, sed et Joannes a Deo missus idipsum de eodem palam testatus est et asseveravit.

Audi S. Cyrillum, in *Concilio Ephesino* : « Joannes de Christo, quem prædicabat, ait : Qui post me venit, hoc est, post me in lucem prodiit, is prior me est, hoc est dignitate et gloria me præstat (1) ; sed et ipsa quoque subsistendi ratione, ut Deus me antevertit. Quomodo ergo idem Joannes prior et posterior secundum tempus extitit ? Quia Verbum Deus erat, et factum est caro : prius proinde erat ut Verbum, posterius vero ut homo. »

Et clamat. — Græce ἔκραγε, id est clamavit ; fuit enim ipse « vox clamantis in deserto, » *Isaiæ*, XL, 23, *q. d.* « Quem non ipse solus audivi, sed late per omnes sparsus est clamor ejus, ait Cyrillus, quia non in occulto, nec demissa balbutientique voce, sed tuba sonantius ; » atque, ut ait Chrysostomus, « fidenter et libere, omni abjecta formidine, Dei adventum prædicavit. »

Hic erat, quem (de quo) dixi, — vers. 27 et 30, *q. d.* Joannes, antequam Christum vidisset et novisset, de eo dixit quod ipse venturus esset ad salvandos homines ; ac eo viso idipsum repetiit et confirmavit : testi ergo tam fideli et constanti credendum est. Ita Theophylactus : « Ne enim videatur, inquit, gratificans personæ Jesu, de eo honestiora testari, ideo dicit : De quo dicebam, hoc est, etiam priusquam viderem eum. »

Qui post me venturus (id est *prædicaturus*, ait S. Chrysostomus) est, ante me factus est. — Id est mihi prælatus, mihi honore præpositus est, quia a Deo destinatus, et in baptismo declaratus est redemptor orbis, *Matth.* III. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Unde Beda :

voci חסד ואמת, et ut nomen חסד non tantum *benevolentiam*, *benignitatem*, sed etiam per metonymiam, *dona*, *beneficia* ipsa indicat (vid. *Gen.* XXXII, 11 ; *Ps.* XVI, 14 ; *Isai.* XVI, 5 ; *Zach.* VIII, 3, 15), ita χάρις hoc sensu pluribus in locis Novi Test. legitur... Sed χάριτος καὶ ἀληθείας positum est pro χάριτος ἀληθινῆς, ut ait ἓν διὰ δυοῖν, qua ratione jam Cyrillus Alexand. verba nostra intellexit, qui ea interpretatus est χάριν τέλειαν καὶ ἀληθῆ. Itaque πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας est, *largitor beneficiorum verissimorum*, » vel potius quæ certo ac fideliter sunt præstanda ; πλήρης enim, ut sequentia docent, non tam passive quam active intelligi debet.

Atque hæc quidem ille : haud tamen repugnabo si cui illud magis arrideat, ut *gratia et veritas* proprie jam vocentur, ac sint ea ipsa quæ superius per translationem *vita et lux* vocata sunt, alias vero (*Rom.* III, 22, etc.) non minus proprie *justitia et fides* vocantur, idque ipse Joannes mox confirmat, *gratiam et veritatem* opponens legi Moysis (vers. 17), cui Paulus modo eadem hæc duo, modo *justitiam et fidem* opponit quam sæpissime

(1) Hanc Cyrilli ac quorumdam SS. Patrum hujus loci interpretationem avide arripuerunt multi Rationalistæ ad negandam Messiæ præexistentiam. Quos probe confutat Kuinoel in h. l., hoc potissimum argumento, quod vox ἔμπροσθεν in versione Alexandrina, in libris N. T. scriptorumque profanorum, de *dignitate* aut *auctoritate* nunquam, de *loco* interdum, de *tempore* vero plerumque usurpatur.



« Quod ait : ante me, inquit, non ad ordinem temporis ; sed ad distantiam pertinet dignitatis. » Et S. Augustinus : « Non factus est, antequam factus essem ego (nam Joannes Christo sex mensibus fuit senior, et ante Christum cœpit prædicare), sed antepositus est mihi, hoc est, ante me factus est. »

Quia prior me erat. — Quia scilicet Jesus fuit ab æterno, cum ipse verus sit Deus Deique Filius. Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Rursum *prior*, id est prior natura, dignior majestate, excellentior divinitate. Non dicit Joannes : Christus proficiendo in virtute et gratia me superavit, ait Chrysostomus, sed « prior me erat, hoc est, semper me superior, semper gloriosior erat, » inquit Cyrillus, utpote verus Deus existens.

16. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia. — Prosequitur et explicat quod dixit, vers. 14, Verbum incarnatum fuisse « plenum gratiæ et veritatis ; » quia de hac gratiæ et veritatis ejus plenitudine omnes nos Apostoli et Christiani, imo omnes fideles ante Christum accepimus ; nam Henoch, Noe, Moses, Abraham cæterique Prophetæ et Patriarchæ, ex prævisis Christi meritis sanctificati et salvati sunt. Origenes et Theophylactus censent hæc verba adhuc esse Joannis Baptistæ de Christo. Melius S. Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius et alii censent esse verba Joannis Evangelistæ, confirmantis præcedentia verba Baptistæ.

De plenitudine ejus, — hoc est, de eo plenissimo ; Christus enim quasi caput Ecclesiæ, in omnes fideles, quasi in membra sua, non plenam omnemque gratiam suam, sed partem ejus ad libitum diffundit. « Sancti, ait Beda, non plenitudinem spiritus ejus, sed de plenitudine ejus, quantum ipse donat, accipiunt. De plenitudine namque Filii, inquit Cyrillus, quasi jugi fonte gratiarum donum scaturiens, in singulas animas, quæ dignæ sunt, defluit. » Hoc est quod ait Apostolus : « Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, » id est per Christum, *Ephes.* I. « Ipse enim fons est et radix bonorum omnium, inquit Chrysostomus, ipse vita, ipse lux, ipse veritas, non in seipso bonorum divitias continens, sed in universos diffundens, quibus diffusis plenus permanet ; neque ex eo quod aliis suppeditet, minuitur, sed divitias suas elargitur semper uberius ; cumque omnes his bonis impertiat, in eadem permanet perfectione. »

Gratia pro gratia quæ [illegible] Et gratiam pro gratia. — Græce, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος ; ubi examinandum est τὸ ἀντὶ, id est *pro*. *Primo*, aliqui sic exponunt « gratiam pro gratia, » *q. d.* Gratiam super gratiam, id est omnem gratiam accepimus a Christo, quod Hebræi dicunt חן על חן *chen al chen*. Verum τὸ ἀντὶ Græce non capitur pro ἐπὶ, id est *super* : unde hanc expositionem confutat hic Ribera ; sed eam sequitur et propugnat Joannes Alba, *Electorum sacræ Scripturæ* cap. XIII, additque « gratiam pro gratia, » hoc est copiosam, abundantem et exuberantem gratiam. Sic in Prophetis « plaga super plaga, » vocatur maxima plaga ; et « contritio super contritione, » vocatur summa contritio ; et « pellem pro pelle, » *Job* I, hoc est, pellem super pellem, id est universum gregem, et armenta universa dabit homo pro anima et vita sua. Hæc ille. Huc accedit Suarez, III *part.*, *Quæst.* XIX, art. 4, disp. XLI, sect. 2. « Gratiam pro gratia, » inquit, hoc est gratiam secundam pro gratia prima, hoc est, gratiam crescentem et majorem accepimus omnes non tantum homines, sed et angeli ; hos enim gratiam accepisse a Christo censet Suarez.

*Secundo*, Maldonatus, « gratiam pro gratia, » hoc est, unus unam, alius pro illa aliam accepit gratiam, *q. d.* Omnes quidem accepimus gratiam a Christo, sed hic illam, alius aliam, et quisque suam ab aliis disparem et diversam. Verum hoc quoque obscurius est, nec satis respondet Græco ἀντὶ, quod vicem et successionem, non distributionem significat.

*Tertio*, S. Augustinus, *q. d.* Gratiam vitæ æternæ, id est gloriam beatificam, pro gratia hujus vitæ accepimus in spe, et reipsa post mortem accipiemus a Christo ; gratia enim est semen gloriæ, et vice versa gloria est consummatio gratiæ.

*Quarto*, alii, *q. d.* Legem Evangelicam a Christo accepimus pro lege veteri ; utraque enim est gratia, quia gratis data a Deo. Ita S. Cyrillus, Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, Jansenius, Ribera. Verum huic obstat quod Joannes mox, vers. 17, legem opponat gratiæ, æque ac Mosen Christo (1).

*Quinto*, alii, *q. d.* « Gratiam pro gratia, » id est in Christi gratia nos omnes sumus gratiam consecuti, et per eum grati facti Deo. Unde Paulus passim dicit nos in Christo justificatos et sanctificatos. Ita Zacharias Chrysopolitanus et Toletus. Hic sensus aptus est, sed non præcisus ; Græcum enim ἀντὶ, id est *pro*, non capitur pro *in*.

*Sexto*, ergo genuine et præcise, Græcum ἀντὶ duo significat, scilicet *primo* et proprie, vicariam successionem, ut respondeat Hebr. תחת *tachat*, idemque sit quod *vice*, *loco*, *pro* ; *q. d.* Pro gratia Christi, nos quasi ejus successores et filii, vicariam et similem illi gratiam accepimus. Sicut enim Christi gratia fecit illum Deo gratum, sanctum, amicum et Filium Dei naturalem ; sic eadem nos facit Deo gratos, sanctos, amicos et filios Dei adoptivos. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus,

(1) Illud etiam obest, ait Kuinoel, quod desiderantur præterea loci, quibus probari possit legem Mosaicam χάριν vocari. Attamen quartus hic sensus P. Patritio arridet, qui versum 17 ait esse brevem quamdam ἐξήγησιν illius χάριν ἀντὶ χάριτος, Kuinoelii autem objectioni respondet *gratiam pro gratia* non interpretandum esse *gratiam pro lege*, sed gratiam longe potiorem illa quam homines qui legem Mosaicam observabant, sunt consecuti.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Theophylactus et alii. *Secundo,* ἀντί sæpe, licet improprie, sumitur pro *propter, q. d.* Propter gratiam, vel per gratiam Christi quasi fontem et originem nos gratiam accepimus; explicat enim id quod præcessit : « et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, » per hoc quod subdit : « et gratiam pro gratia. » Gratia enim a Deo, per Christum quasi caput, ad nos quasi membra derivatur et dimanat, uti docet Apostolus, *Eph.* I. Voluit enim Deus Christum constituere quasi fontem communem gratiæ, ex quo omnis gratia ad fideles deflueret, ut Christo debeamus omnem gratiam et salutem acceptam ferre illique juges et immensas agere gratias. Propter Christum enim sibi gratissimum et dilectissimum, quasi mediatorem, Deus nos sibi reconciliavit suaque gratia et amicitia donavit, juxta illud *Matth.* III, 17, et cap. XVII, 5 : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; » ut nemo nisi per ipsum mihi placere possit. Ita Vatablus, Franciscus Lucas et alii. Hinc patet nos a Christo accipere gratiam eamdem quam ipse in se habet; eamdem, inquam, specie, non tamen numero (licet id quidam opinati sint), hoc enim est indecens et impossibile juxta legem ordinariam.

Posset *tertio* τὸ ἀντί notare quamdam æqualitatem; sic enim dicitur ἀντίθεος, id est Deo æqualis; qui Deo se æquat Deumque se facit, ut fecit Lucifer, et faciet Antichristus : ἀντίδοσις est æqua remuneratio et compensatio meritorum; ἀντίθετα sunt ex æquo composita et sibi opposita; ἀντίτυπος est respondens ex adverso, compar et ejusdem formæ; ἀντίτεχνος est æmulus, qui cum æquali de arte certat : antipodes sunt qui ex adverso æquis vestigiis insistunt. Sic sensus esset, *q. d.* Per Christum accepimus gratiam gratiæ Christi quasi æqualem, quia per illam elevati sumus factique ordinis divini, scilicet filii Dei et divinæ consortes naturæ, II *Petr.* I, 4. Sic Apostoli erant quasi æquales et suppares Christo : unde ipse eos *fratres* appellat, sicut Pontifex Cardinales vocat fratres, itaque eos quodammodo sibi æquat. Fidelis ergo, præsertim Sacerdos, Religiosus, Apostolus, cogitet se instar Christi vivere debere, ut cœlestem Christi vitam agat; ut quisquis eum viderit, vel audierit, Christum se in viva sui imagine vidisse et audisse autumet.

Sub « gratia » hic veritatem comprehende. Dixit enim Christum plenum gratiæ et veritatis, et de utriusque plenitudine nos omnes accepisse; per Christum enim accepimus veritatem, id est Dei cognitionem, fidem, prudentiam, sapientiam, intellectum salutis et rerum divinarum; item peccatorum remissionem, cum Deo reconciliationem, justitiam, adoptionem in filios Dei, charitatem, humilitatem, mansuetudinem, cæterasque virtutes et dona : quæ omnia hic nomine gratiæ intelliguntur.

17. QUIA LEX PER MOYSEN DATA EST, GRATIA ET VERITAS PER JESUM FACTA EST. — Dat causam cur per Christum acceperimus gratiam pro gratia : quia scilicet Moses, qui apud Judæos erat summus Propheta et legislator, legem tantum dare potuit, quæ doceret et juberet mandata Dei, sed gratiam ad illa implenda conferre nequivit. Christo ergo opus fuit, qui gratiam ad legem implendam præstaret. Unde Arabicus vertit, *gratia et veritas necessariæ fuerunt per Jesum Christum.* Opponit ergo et anteponit Christum Mosi, ac gratiam et veritatem legi. *Primo,* quod Moses directe in lege doceret duntaxat quid Deus vellet a Judæis fieri, puta præcepta decalogi, cum promissione bonorum temporalium, scilicet copiæ frumenti, vini et olei, si illa servarent; at vero viam salutis, pœnitentiæ, remissionis peccatorum, justificationis et sanctitatis, qua pervenitur ad vitam æternam, non doceret, multo minus eam conferret. Christus autem illam docuit, et reipsa contulit per gratiam et veritatem, quam e cœlis attulit. Hoc est quod cecinit Zacharias, *Luc.* I : « Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum. » Ita S. Chrysostomus : « Per Christum, inquit, facta est gratia, quia cum potestate remittebat peccata, regenerabat, etc.; veritas, quia figuras adimplevit.

*Secundo,* in lege triplicia erant præcepta, moralia sive decalogi, judicialia et cæremonialia : duobus prioribus opponit gratiam, sine qua illa impleri non poterant, ideoque hominem ea transgredientem faciebant reum mortis præsentis et æternæ; gratia vero facit ut fidelis, eadem implens ex amore Dei, mereatur vitam æternam; tertiis vero, puta cæremonialibus, opponit veritatem, quia cæremonialia erant typi et umbræ Christi ejusque sacramentorum, quas umbras implebit Christus, itaque veritatem attulit. Unde S. Augustinus hic : « Quomodo, ait, exhibita est veritas? quia factum est quod promissum est. » Idem, lib. XVII *Contra Faustum,* cap. VI : « Ipsa lex, ait, cum impleta est (per Christum), gratia et veritas facta est : gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum impletionem; » sic et S. Athanasius, serm. 2 *Contra Arian.*

*Tertio,* quia Moses obscuram et modicam dedit Dei et SS. Trinitatis cognitionem, claram vero et eximiam Christus. Unde Beda hæc omnia complectens : « Christus, ait, homo factus enarravit quid de veritate Trinitatis sentiendum, qualiter ad ejus contemplationem properandum, quibus actibus perveniendum sit : » enarrabit etiam, cum electos ad claritatem suæ visionis inducet.

Dicit ergo hoc Joannes, ut Judæos a Mose, cui nimis inhærebant, traducat ad Christum, scilicet a lege ad Evangelium ejusque gratiam.

Symbolice et anagogice : S. Augustinus, lib. XIII *De Trinit.,* cap. XIX, per « gratiam » accipit ipsum Verbum in tempore incarnatum, per « veritatem » vero visionem Dei æternam, ad quam ipsum vos ducit. Audi ipsum : « In rebus enim per tempus ortis, illa summa gratia est, quod homo in unitate personæ conjunctus est Deo, in rebus vero æternis, summa veritas recte tribuitur Dei Verbo. Quod vero ipse idem est unigenitus a Patre, plenus gratiæ et veritatis, id actum est, ut idem ipse sit in rebus, pro nobis temporaliter gestis, cui per eamdem fidem mundamur, ut eum stabiliter contemplemur in rebus æternis.

18. DEUM NEMO VIDIT UNQUAM : UNIGENITUS FILIUS, QUI EST IN SINU PATRIS, IPSE ENARRAVIT (1). — Dat causam, cur non Moses, vel quis alius, sed solus Christus perfectam de Deo et rebus divinis veritatem nos docuerit quia ipse solus vidit Deum, *q. d.* Hæc quæ nucusque de Deo, de Verbo, deque ejus divinitate, creatione, vita et luce, etc., dixi, adeo sublimia sunt, ut, cum Deum nemo mortalium viderit præter Dei Filium, ac consequenter nec Moses; hinc nemo, nec Moses quidem, sed solus Dei Filius incarnatus hæc perfecte enarrare potuerit. Patet ex præcedent. Ita passim Patres, qui ex hoc loco docent Mosen non vidisse Dei essentiam, sed corpus quoddam luminosum duntaxat, ab angelo assumptum, Dei gloriam aliquo modo oculis Mosis repræsentans, uti fuse ostendi *Exod.* XXXIII, 19 et seq. Idem docet hic S. Augustinus, licet contrarium sentiat, *epist.* 112, cap. XIII, ubi asserit Mosen vidisse Dei essentiam. Audi Bedam : « Nemo corruptibili adhuc et mortali carne circumdatus, incircumscriptam divinitatis potest lucem intueri. Unde manifestius dicit Apostolus : Quem nullus vidit hominum, sed nec videre potest. » Et S. Gregorius, in *Catena* : Quamdiu, ait, hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines potest Deus, sed per ipsam naturæ speciem non potest.

Tropologice : S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.,* cap. ult. et penult., docet neminem posse videre Deum et divina, nisi prius huic mundo ejusque voluptatibus moriatur. Explicans enim illud *Job,* XXVIII : « Abscondita est ab oculis viventium; » causam subjicit : « Quoniam, inquit, quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest Deum simul amplecti et sæculum. Qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel effectu operis, ab hujus vitæ delectationibus tota mente separatur. Unde adhuc ad eumdem quoque Moysen dicitur : Non enim videbit me homo, et vivet; ac si aperte diceretur : Nullus unquam Deum spiritualiter videt, et mundo carnaliter vivit.

UNIGENITUS, QUI EST IN SINU PATRIS. — Syrus, *in gremio;* S. Cyrillus, « in utero » (hunc enim quoque significat Græcum κόλπος, græce εἰς κόλπον, id est *ad sinum,* puta ad pectus et cor Patris. Est catachresis; per « sinum » enim significatur summa Filii cum Patre conjunctio, communicatio et secretorum cognitio, *q. d.* Filius qui Patri est intimus, conjunctissimus et ὁμοούσιος, sive consubstantialis, ac consequenter sapientiæ, consiliorum et secretorum omnium Dei Patris est conscius et particeps, ideoque ea optime et intime novit; hic, inquam, solus eadem plane et plene enarrare potuit, et de facto enarravit. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, Theophylactus, Euthymius et alii. Unde S. Ambrosius, *serm.* 18, explicat sinum hunc, ut sit intimum naturæ secretum. Notat S. Athanasius, lib. III *De Unica Trinit. substant.,* dictum esse Unigenitum in sinu esse Patris, ne per hoc quod caro factus est, divisus esse credatur a Patre, cum revera maneat, et etiam sit apud Patrem, sicut erat in principio et semper.

Audi S. Chrysostomum, qui per « sinum » significari censet, quod Filius non tantum videat, sed et comprehendat Patrem : « Multi, ait, Deum cognoscimus, non tamen ipsam substantiam qualis est, nisi solus Unigenitus, qui certam notionem visumque et comprehensionem habet, qualem Filium de Patre habere par est. Sicut enim cognoscit me Pater, inquit, et ego cognosco Patrem (*Joan.* X, 15). Quare animadverte quanta cum exuberantia loquatur Evangelista. Siquidem cum dixisset : Deum nemo vidit unquam, non prosecutus est, Filius qui vidit, narravit; sed aliud quiddam amplius quam videre posuit, dicens : Qui in sinu est Patris. Qui enim tantum videt, non certam habet rei visæ cognitionem; qui vero in sinu immoratur, omnia ei perspicua sunt et certa. Ne igitur audiendo : Nemo cognoscit Patrem nisi Filius (*Matth.* XI, 27), diceres quod, licet majorem cæteris de Patre habeat cognitionem, non tamen qualis est novit, ideo in sinu Patris eum esse inquit Evangelista : quo uno verbo multam substantiæ cognitionem, propinquitatem, parem Patri cognitionem, potestatem ostendit. »

Alludit ad illud Davidis de Christo, *Ps.* CIX, 4 : « Ex utero ante luciferum genui te, » id est ex intellectu meo fœcundo, velut Verbum dixi, et velut Filium genui te. Unde S. Hieronymus ibidem : « Ex utero, inquit, id est de mea substantia, de mea natura, de meis visceribus, de medullis divinitatis meæ. Totum quidquid est in divinitate, dedit Filio, quem generavit. » Et S. Augustinus, in *Psalm.* CIX : « Qui est sinus, ait, ipse est uterus, et sinus et uterus pro secreto positus est. Quid est ex utero? Ex secreto, et occulto, de meipso, de substantia mea, hoc est ex utero. » Sic et

(1) « Quod si, ait Patritius ibid., quid ego sentiam, aperire liceat, dicerem equidem totius hujus versus sententiam eo spectare, ut illa omnia quæ Joannes exposuerat, suoque ac Baptistæ testimonio confirmaverat, confirmet demum testimonio ipsius Christi, eumdemque sensum esse ac si is ita locutus esset : Divina hæc mysteria, quæ retuli, non inde didici, quod oculis ipse meis aut alius quivis ea conspexerimus, nam *Deum nemo vidit unquam,* sed quod *unigenitus Filius, qui* non modo hæc videt, sed penitus adeo cognoscit atque intelligit, ut qui sit *in sinu Patris, ipse enarravit.* »

Theodoretus : « Ex utero, ait, id est ex substantia mea ; ut enim ex utero homines gignunt, et ea quæ gignuntur eamdem habent naturam, quam genitores ; sic ex me genitus es, et genitoris in teipso substantiam ostendis. »

Porro, ipse Hieronymus hunc *Psalm.* CIX versum ita vertit, « quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiæ tuæ ; » Aquila, « de vulva diluculo surgentis tibi ros pueritiæ tuæ ; » quinta editio, « de vulva super auroram tibi ros adolescentiæ tuæ, » hoc est, ex divinitate mea genui te Deum, juxta illud Symboli : « Deum de Deo. » Ita S. Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Athanasius et alii contra Arianos. *Ros* idem est Hebræis quod Latinis flos. Ros, ait R. Salomon, designat suavitatem, hilaritatem, dulcedinem, puritatem generationis cœlestis, sicut ros nascitur ex aurora cœlesti.

IPSE ENARRAVIT. — Græce ἐξηγήσατο, id est declaravit, clare exposuit, dilucide explicavit discipulis suis, et per eos in totum mundum propagavit, ait S. Chrysostomus ; ἐξήγησις enim est res occultas et absconditas explanare et dilucide exponere, uti Christus exposuit nobis arcana Patris de S. Trinitate, de Verbo, de hominum vocatione, gratia, beatitudine, resurrectione, gloria cœlesti, pœnis inferni, etc. « Vox ἐξηγήσατο, ait S. Chrysostomus, expressiorem certioremque doctrinam demonstrat. » Et mox : « Enarratio hoc loco doctrinæ evidentiam significat ; quare et Verbum et magni consilii appellatur. » Et nonnullis interjectis : « Quid amplius a Filio didicimus, qui in sinu est Patris? longe ab eo expressiorem et magis perspicuam doctrinam accepimus ; videlicet quod Spiritus Deus est, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare, quod Deum videre est impossibile, quod eum nemo novit nisi Filius, quod Pater est dilectissimi unigeniti, et alia multa. »

19. ET HOC EST TESTIMONIUM JOANNIS, QUANDO MISERUNT JUDÆI AB HIEROSOLYMIS SACERDOTES ET LEVITAS AD EUM, UT INTERROGARENT EUM : TU QUIS ES? — Joannes Baptista sæpius testimonium perhibuit Jesu, quod ipse esset Messias, sive Christus, tam ante ejus baptismum quam post. Joannes Evangelista ergo hic omisso testimonio, quod perhibuit Joannes Baptista Jesu ante ejus baptismum, utpote a cæteris tribus Evangelistis enarratum, hic recenset testimonium ejusdem de Jesu, postquam ipse eum baptizavit, quia illud fuit publicum, juridicum et celeberrimum, utpote a pontificibus et magistratibus juridice postulatum et acceptum per legatos ad Joannem missos. Causa hujus legationis et quæstionis fuit, quod pontifices viderent Joannem in deserto vitam agere angelicam, prædicare tanto spiritu, baptizare movereque homines ad pœnitentiam, quod nemo cæterorum Prophetarum fecerat. Putarunt ergo pontifices sui officii esse, ut ab eo quærerent quis esset ; præsertim quia ex translato a Juda ad Herodem sceptro et ex completis 70 hebdomadibus Danielis, sciebant jam imminere tempus adventus Messiæ. Quare Joannem suspicabantur esse Messiam. Unde rogant eum : « Tu quis es? »

Aliam causam affert S. Chrysostomus hic, scilicet id eos rogasse ex odio et invidia Jesu ; ut enim Jesum ostenderent non essse Messiam, titulum Messiæ ad Joannem transferre conati sunt. Ægre enim ferebant Joannem sibi præponere Jesum eumque facere Messiam. Idem S. Chrysostomus, hom. 11 *in Matth.*, censet id eos rogasse ex invidia Joannis, quod scilicet dolerent Joannem vitæ sanctitate, prædicatione et baptismo ita inclarescere, sibique præferri, ac populum a Scribis et sacerdotibus ad se traducere. Verum esto aliqua nonnullorum invidia hic sese miscuerit, tamen vera et propria est causa, quam dixi ; Dei enim consilium erat Joannem ita exaltare, ut pontifices compelleret eum rogare, an ipse esset Messias, ut rogatus juridice responderet id quod erat, scilicet se non esse Messiam, sed Jesum esse Messiam, ut hoc Joannis testimonio convicti, cogerentur Jesum pro Messia recipere, et, si non reciperent, essent inexcusabiles.

TU QUIS ES? — Videntur pontifices eorumque legati tacite vel expresse interrogasse Joannem, an ipse esset Christus, dixisseque : Tu quis es, esne Christus? Nam vers. seq. Joannes interrogationi eorum respondens, ait : « Non sum ego Christus. » Evangelista tamen solam priorem interrogationem hic refert, utpote præcipuam et ad suum propositum pertinentem ; nimirum ut Baptista ad eamdem respondens se esse vocem clamantis in deserto, ad parandam viam Messiæ, eamque indicandam, testificaretur Jesum esse Messiam, quem illi quærebant. Ita Jansenius, Maldonatus, Cajetanus et alii.

Porro sciebant pontifices Joannem esse filium Zachariæ sacerdotis, ideoque sacerdotem ; cum ergo rogant : « Tu quis es? » rogant quis es munere, dignitate, officio? *q. d.* Quod munus geris? quod officium a Deo accepisti? ad quid te misit Deus prædicare et baptizare? Majora enim officia Deus solebat committere sacerdotibus.

Tropologice, quisque se crebro interroget : Tu quis es? obeundo singula prædicamenta. *Primo* substantiæ : Tu, quoad substantiam, quis es? Audiat conscientiam sibi respondentem : Dei creatoris mei nomen est : « Ego sum qui sum, » sive « qui est, » *Exod.* III. Ergo meum, qui sum creatura, nomen est : *Ego sum qui non sum,* quia ex me nihil sum, sed ex meo nihilo eductus sum a Deo factusque homo : quare anima et corpus quæ habeo, non mea sunt, sed Dei, qui ea creavit ex suæ essendi plenitudine, mihique eadem dedit, vel potius commodavit, ut iis utar ad ejus voluntatem, amorem et cultum : quare par est ut ea in ipsius obsequio impendam et exhauriam. Sic Joannes respondet : « Non sum ego Christus. » Et S. Franciscus : Quis tu, Domine? quis ego? Tu abyssus sapientiæ, patientiæ, virtutis omnisque boni ; ego abyssus ignorantiæ, infirmitatis, peccatorum omnisque mali et miseriæ. Tu abyssus entis ; ego abyssus nihili. Hinc Christus apparens S. Catharinæ Senensi, dixit : « Beata eris si noris quis sim ego, quæ tu : Ego sum qui sum, tu es quæ non es. »



*Secundo*, quantitatis. Quis ; id est quantus es tu? Si continuam quantitatem species, cum quatuor cubitorum ; quisque enim homo in altitudine tantum habet, quantum habet in latitudine, si brachia extendat ; brachia autem extensa habent mensuram quatuor cubitorum uniuscujusque, ut patet si quis ea complicet, et complicando jungat. Si discretam quantitatem, idest numerum, species, ego inter tot hominum milliones, sum unus, exiguus et pusillus : ergo par est ut meam parvitatem agnoscam, meque sub Deo et angelis summe deprimam et humiliem ; si enim Christus fuit despectus et novissimus virorum, *Isaiæ* LIII, 3, quantulus sum ego?

In Qualitate. *Tertio*, qualitatis. Quis, id est qualis es tu? corpore sum infirmus, miser, ærumnosus. Anima sum rationalis, similis angelis ; sed appetitu sensitivo et concupiscentia similis sum asinis et bestiis ; sequar ergo rationem, ut assimiler angelis, non concupiscentiam, quæ me similem faciat bestiis.

In Relatione. *Quarto*, relationis. Quis, id est cujus filius es tu? Sum filius Adæ, primi peccatoris, ideoque peccator natus sum in peccatis, vivo in peccatis, moriar in peccatis, nisi Christi gratia ex iis me eripiat, sanctificet et salvet : illum ergo humiliter et assidue implorabo.

Roga Salomonem, regem sapientissimum, opulentissimum et felicissimum : Quis es tu? respondebit tibi, *Sapient.* VII, 1 : « Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius, qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis et delectamento somni conveniente. Et ego natus accepi communem aerem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans ; in involumentis nutritus sum, et curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo introitus est ad vitam, et similis exitus. »

In Actione. *Quinto*, actionis. Quis es tu? quid agis, quid exerces tu? Exerceo artem fabrilem, sartoriam, pistoriam, ago prætorem, pastorem, causidicum, etc. Vide ut ea sic agas, sicut lex divina exigit, nimirum ut sobrie, recte et pie vivas in hoc sæculo, expectans beatam spem et adventum gloriæ magni Dei ; ut per temporalia bona sic transeas, ut non amittas, sed acquiras æterna. Age, stude, labora, vive æternitati. Hoc age ; hoc enim est omnis homo. Hinc S. Bernardus crebro sibi dicebat : « Bernarde, dic, quare hic? » atque hoc stimulo ad omne virtutum studium se excitabat.

*Sexto*, passionis. Quis es tu? quid pateris? Patior in corpore famem, sitim, frigus, fatigationem, æstum, morbos et tribulationes assiduas, adeo ut vix momentum horæ sit, quin hoc illudve, imo multa simul mihi patienda occurrant. In anima longe majora et acerbiora patior : scilicet dolores, angores, scrupulos, mœrores, iras, indignationes, caligines pavores, etc., ut videar esse scopus in quem omnes ærumnæ sua tela conjiciant, meque suis sagittis configant. Esto ergo adamas patientiæ, ut patienter et generose omnia sustineas, itaque patientiæ coronam in cœlo æternam adipiscaris.

*Septimo*, ubi. Quis es tu? ubi es tu? Sum in terra, situs inter cœlum et infernum, ut, si sancte vivam, in cœlum transferar ; si impie, in infernum, in incendia conjiciar. Vive ergo sollicite, caute et sancte, ne infernus, sed cœlum post mortem brevi te excipiat.

*Octavo*, quando. Quis es tu? quando natus es tu? quamdiu vixisti? quando morieris? Heri natus, hodie vivo, cras moriar. « Hesterni quippe sumus, et ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram, » *Job.* VIII, 9. Nascendo morimur ; mox enim ut nati sumus, tendimus, imo veloci passu currimus ad mortem. « Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit, » *Ps.* LXXXIX, 4. Despice ergo temporalia cuncta, quæ instar avis prætervolant ; ama et ambi cœlestia, quæ cum Deo et angelis in omne ævum perdurant, ita æternus eris, in æternum felix, et in perennibus gaudiis æternabis. « Nam ut beati atque æterni simus in æternum, ait S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.* in fine, imitemur æternum. Et magna nobis est æternitas, imitatio æternitatis. »

*Nono* et *decimo*, situs et habitus. Quis es tu? quem habes situm, quem habitum? Nunc sto, nunc sedeo, nunc jaceo. Habitum et vestem gero Christiani, Sacerdotis, Episcopi, Religiosi. Vide ut tuo habitu et statu condigne vivas ; nec enim habitus facit christianum, vel monachum, sed vitæ puritas, humilitas, charitas, sanctitas.

20. ET CONFESSUS EST (veritatem), ET NON NEGAVIT (non revocavit, non retractavit) ; ET CONFESSUS EST : QUIA (quod) NON SUM EGO CHRISTUS. — Hoc est publice, plane et plene confessus est se non esse Christum. Hebræi enim cum quid asseverare et valde confirmare volunt, idipsum assertive congeminant, et negative triplicant. Hinc patet legatos rogasse Joannem, an ipse esset Christus ; ipse enim ad hoc respondit : « Non sum ego Christus. » Ita Nonnus : « Sacerdotes convenæ, ait, interrogabant celeri sermone : Quis es tu? num Christus es? » Ubi nota insignem humilitatem S. Joannis, qui nomen Christi sibi oblatum constanter refutavit, quia amabat veritatem et Jesum, cui titulus Christi debebatur. « Hoc fidelis servi, ait Chrysostomus, officium est, non solum domini sui gloriam non aucupari, sed et a multitudine

tributam propulsare. » Hæc pariter insignis ejus fuit prudentia, qua maluit « solide subsistere in se, quam humana opinione rapi inaniter super se, » ait S. Gregorius. Mundani homines solent se jactare dicereque : Ego sum nobilis, dives, sapiens, prætor, Canonicus, Episcopus. At Joannes docet nos dicere : « Ego non sum, » quia si quid sum, a Deo sum.

21. Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu? Et dixit : Non sum. — Negante Joanne se esse Christum, rogant legati, an sit Elias; hic enim raptus est a Deo, ut sit præcursor Christi, quem ipsi sub hoc tempus exspectabant, juxta illud Malach. IV, 5 : « Ecce ego vobis mitto Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis; » scilicet ante diem judicii, cum Christus redibit, ut sit judex omnium; sed Scribæ id non intellexerunt; putabant enim unum tantum fore adventum Christi, scilicet gloriosum, quem præcedet Elias; ut etiamnum putant Judæi, qui proinde Christum necdum venisse credunt, sed venturum cum Elia exspectant; cum tamen ex eodem Malachia, cap. XIII, vers. 1, cognoscere debuissent, alium fore præcursorem primi adventus Christi in carnem, scilicet Joannem Baptistam : « Ecce ego, ait Dominus, mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. »

Propheta es tu? Et respondit : Non. — Græce ὁ προφήτης, id est *ille propheta* per excellentiam, *q. d.* Esne tu novus et magnus Propheta, cæteros omnes superans, qualem unum cum Messia venturum opinamur, ut sit ejus præco. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, sed errant; Christus enim non eguit propheta, uti Moses, quia elinguis, eguit Aarone, *Exod.* VII, 1 et 2; sed ipse Christus sibi fuit propheta, præco, sacerdos, legislator, princeps. Porro, Joannes non fuit propheta hoc sensu, quia non prædixit futura, sed Christum præsentem indicavit et digito demonstravit : fuit ergo ipse plus quam propheta, ut ait Christus, *Matth.* XI.

22. Dixerunt ergo ei : Quis es? ut responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de teipso? — Quem te esse dicis?

23. Ait : Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta, — cap. XL, 3, ubi hunc locum explicui. Audi Patres illum interpretantes : « Servus sum, inquit, et vias præparo Domino, corda vestra, » ait Theophylactus. « Venio, inquit, dicturus in januis ipsum jam esse, qui exspectatur, ut parati sitis proficisci quocumque jubebit, » ait Cyrillus. Denique S. Augustinus : « Non vobis videtur præconis esse dicere : Exite, facite viam? »

24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. — Addit hoc Joannes, ut occasionem suggerat, cur ipsi Joannem Baptistam de baptismo examinarent, *q. d.* Legati hi ad Joannem missi erant Pharisæi, ideoque in Scriptura versati æque ac versuti, vafri et captiosi. Sciebant ergo Messiam quidem baptizaturum in remissionem peccatorum, quia id prædixit Ezechiel, cap. XXXVI, 25, et Zacharias, XIII, 1; de aliis vero Prophetis et Sanctis, quod baptizaturi essent, non legerant in Scriptura; rogant ergo Joannem, ut dicat qua auctoritate sibi baptismum assumat, præsertim cum se non tantum Christum, sed et Prophetam esse negaret. Videntur ergo hi Pharisæi non jussu Pontificum, sed ex se examinasse Joannem de Baptismo, quasi illi suboffensi et gloriæ ejus invidentes, quasi ipse sibi per baptismum plus æquo tribueret.

25. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? — Pharisæi hi ex arrogantia, ait S. Cyrillus, insultant Joanni, *q. d.* Nec Elias, nec Elisæus, nec alii Prophetæ ausi sunt sibi arrogare munus baptizandi : qua fronte ergo, qua audacia, tu qui non es Propheta, illud usurpas tibique arrogas? Ita et S. Augustinus. Causam dat S. Cyrillus dicens : « Consueverant enim semper ex protervia Pharisæi præsentes contemnere, et venturum simulato afficere honore, et, ut ipsi magni apud Judæos essent, et divitias ingentes sibi accumularent, neminem præter se pati honorari. »

26. Respondit eis Joannes, dicens : Ego baptizo in aqua : medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. — *q. d.* Deus misit me baptizare aqua, ut vos excitem ad pœnitentiam et lacrymas, quibus vos disponam ad baptismum Christi; ipse enim vos baptizabit Spiritu Sancto, in remissionem peccatorum, uti exprimunt tres cæteri Evangelistæ; ideoque Joannes idipsum hic subticet et omittit.

Medius vestrum stetit. — *q. d.* Christus in medio vestrum versatur, et tamen « vos » eum « nescitis, » id est non agnoscitis pro Messia, sed Jesum, id est merum hominem esse, eumque pauperem, vilem et abjectum existimatis. « Vide mansuetudinem et veritatem sancti, inquit Theophylactus : mansuetudinem quidem, eo quod nihil asperum ad eos loquitur, quamvis insolentes essent; veritatem autem, quia liberrimus testis erat gloriæ Christi, neque Domini gloriam occultabat, ut sibi nobilitatem pareret. »

27. Ipse est, qui post me venturus (prædicaturus et baptizaturus) est, qui ante me factus est, — id est mihi prælatus et præpositus est, ut dixi vers. 15, *q. d.* Veniet post me Christus, vos baptizans, ut suo baptismo meum perficiat, et pœnitentes abluat et justificet, *q. d.*, ait Cyrillus : « Ego præparando lavo aqua inquinatos peccatis, ad initium pœnitentiæ, et hoc pacto ab his minoribus ad sublimiora vos præparo. Majorum autem rerum et summæ perfectionis largitor post me venturus est, » quasi dicat : Meus baptismus est tantum dispositio et præparatio ad baptismum Christi, ait S. Chrysostomus; meus aqueus est et corporeus, Christi vero igneus et spiritalis.



Cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti. — Quasi dicat : « Ego inter postremos etiam Christi servos annumerari non mereor, propter magnitudinem consideratæ in eo divinitatis, » ait Euthymius; « Solvere enim calceamenta vilissimi servi officium est, » ait S. Chrysostomus. Vide dicta *Matth.* III, 11

28. Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. — « Bethania. » Ita habent Biblia Romana, Syra, Arabica et multa Græca, etiam Vaticana, Beda, Alcuinus, Glossa, Lyranus. Verum Origenes, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, S. Epiphanius et S. Hieronymus, in *Locis Hebr.*, pro *Bethania* legunt *Bethabara*, ubi Gedeon cecidit Madianitas. Verum respondeo cum Toleto unum eumdemque esse locum *Bethania* et *Bethabara*, aut certe unum alteri fuisse vicinum, vel in altera Jordanis ripa oppositum. Fuit hic locus ille, in quo Hebræi venientes ex Ægypto primum duce Josue transierunt Jordanem, ut ingrederentur in terram Chanaan sibi a Deo promissam. *Beth abara* enim hebr. idem

Bethania et Bethabara eadem.

est quod *domus transitus*; *Beth ania* idem est quod *domus navis*; domus, id est locus. Erant enim hoc loco paratæ naves, quibus viatores trajicerent Jordanem. *Bethania* ergo hic derivatur a *Beth*, id est domus, et אני *oni* per א, id est navis. Alia igitur fuit hæc Bethania a Bethania Marthæ et Lazari. Hæc enim hebr. scribitur per *ain* בית עני *Beth oni*, et significat *domum humilitatis* (1).

Igitur Joannes hunc locum elegit ad baptismum, tum ob aquarum copiam, tum quia vicinus erat deserto, in quo ipse degebat, tum ob memoriam prisci trajectus Israelis ibidem facti, tum quia ibi ob trajectum magnus erat hominum concursus. « Unde et usque hodie, ait S. Hieronymus in *Locis Hebr.*, plurimi e fratribus, hoc est de numero credentium, ibi, renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur, » in memoriam Christi, qui ibidem a Joanne baptizatus est. Distat hic locus Jordanis a mari Mortuo, sive a lacu Asphaltite, quatuor leucis sive horis.

Nota : Christus a Joanne baptizatus die sexta januarii; inde a baptismo 55 die, ait S. Epiphanius, *hæresi* 51, puta prima die martii, Joannes hoc testimonium perhibuit Jesu absenti, quod ipse esset Messias, sive Christus. Mox sequenti die, scilicet die 2 martii, Jesus præsentem se sistit Joanni, tuncque Joannes iterum ei testimonium perhibuit, dicens : « Ecce agnus Dei. » Unde sequitur :

29. Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait : Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. — Nota : Jesus a Joanne baptizatus ivit in desertum, ibique jejunavit 40 diebus, mox tentatus a diabolo, ut patet *Matth.* III, e monte ubi eum diabolus tentans, sed victus reliquerat, descendit rediitque ad Joannem, ut eum, a quo paulo ante hos dies fuerat baptizatus, visitaret et audiret; sed maxime, ut Joannes testimonium, quod sibi absenti coram legatis Judæorum dederat, præsenti iteraret confirmaretque, ac coram Judæis omnibus testaretur ipsum esse Christum, eumque digito demonstraret, ut nullus tergiversationi esset locus.

Ecce agnus Dei. — Nonnus paraphrastice vertit, « et cum erexisset digitum, commonstrabat testi populo prope venientem. Illud verbum : Ecce, ponitur, ait Chrysostomus, eo quod multi jam ipsum inquirebant, ideo præsentem ostendit, dicens : Ecce hic est, de quo jam sermo habitus est. Brevi admodum tempore, ait Cyrillus, Propheta simul et Apostolus Baptista effectus est; quem enim venturum prædicabat, hunc jam monstrat præsentem. »

Agnus. — Græce ὁ ἀμνός, scilicet *ille agnus* singularis et divinitus a Mose et Isaia prædictus et præfiguratus, ait S. Chrysostomus et Theophylactus. Alludit ad *Isaiæ* LIII, 7 : « Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum : sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. » Et ad *Jerem.* XI, 19 : « Et ego quasi agnus qui portatur ad victimam. » Vide ibi dicta, ubi et addidi nomen Jesus Græce Ἰησοῦς, per anagramma litteris transpositis idem esse quod σὺ ἡ οἶς, id est *tu es ovis*.

Christus a Joanne baptizatus, et ab ejus assecla Joanne Evangelista in Apocalypsim crebro vocatur « agnus : » *primo*, quia ipse præsignatus erat agno paschali, et jugi sacrificio quo quotidie agnus mane et vespere Deo in templo immolabatur, aliisque agnis, qui ex lege pro peccato sacrificabantur, nec tamen peccatum abolere poterant, unde repræsentabant Christum, qui illud suo sanguine aboliturus erat. Ita Origenes, S. Cyrillus, Euthymius.

*Secundo*, quia Christus ab Isaia et Jeremia vocatus est agnus, pro mundi redemptione offerendus. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius.

*Tertio*, dicitur agnus ob summam et agninam innocentiam, mansuetudinem, patientiam, obedientiam usque ad mortem, quam silens instar agni sustinuit. Ita S. Augustinus. Unde S. Petrus, *epist.* I, cap. II, 22 : « Qui, inquit, peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus : qui cum

(1) Ad quæstionem *ubi* hæc facta fuerint, respondeo : Hæc non tanquam certa, sed certo proxima accipienda sunt, scilicet : 1° E vocabulo Βηθανίᾳ per compendium scripto, conficium esse nomen Βηθαβαρᾷ; inde vero Origenem, cum et olim in locis illis sita fuerit *Bethbara*, juxta quam Hebræi duce Josue Jordanem transierunt, conjecisse legendum esse Βηθαβαρᾷ. 2° Duo fuisse *Bethaniæ* nominis oppida, alterum Hierosolymis vicinum, alterum ad ripam Jordanis situm, cujus h. l. mentio facta est. 3° Vocem πέραν *trans*, quæ respondet Hebræorum עבר, non modo notare *trans*, sed etiam *juxta*, *prope*, *cis*, eamque h. l. explicandam *cis*, scilicet in Judæa; nam Joannes, *Matth.* III, 1, Judæos baptismo initiare cœpisse dicitur ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας, sed deserti hujus fines ultra Jordanem non pertingeban

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

maledicebatur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. » Hinc et S. Joannes in Apocalypsi delectatur voce agni, et cum Christo quasi agno dissuaviatur, ab eoque agninam simplicitatem, puritatem et mansuetudinem imbibit, ut nos idem facere verbo et exemplo doceat.

Jam vero Christus dicitur *agnus Dei*, id est non ovium, sed Dei Filius, quia a Deo, id est jussu et voluntate Dei, pro hominum redemptione est immolatus : sicut vocatur sacrificium Abrahæ, quod Abraham obtulit, ait Theophylactus, Euthymius et Maldonatus. Aut quia ipsimet Deo est oblatus et immolatus. Aut *Dei*, id est divinus, propter divinitatem quæ in ipso erat. Aut, ut Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.*, cap. V, et ex eo Toletus, in cap. I *Joannis*, quia pro nobis factus est puer et infans Patris; pueros enim agnos vocamus. Verba Clementis sunt : « Quoniam Scriptura pueros et infantes agnos vocat, Deum qui est Verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat, vocavit Agnum Dei, filium Dei, infantem Patris, » *q. d.* Christus est Agnus Dei, id est Filius Dei; agnus enim filium notat.

Porro Christus, quoad fortitudinem, victoriam, regnum et triumphum, est leo de tribu Juda; quoad lenitatem et candorem, est agnus, ac per illa factus est leo; fuit enim ipse agnus in passione, leo in resurrectione.

Qui tollit peccatum, — tum quoad maculam, quam peccatum post actum animæ imprimit; tum quoad reatum pœnæ et gehennæ, cui peccatorem facit obnoxium et reum : « tollit, » inquam, ejus expiationem et pœnam in se suscipiendo, itaque morte sua in cruce pro peccato ex justitia et æquitate satisfaciendo. Dicit hoc Joannes, ne quis putet Christum accessisse ad baptismum suum, ut eo peccata sua ablueret, uti faciebant cæteri, eo quod ipse nullum haberet peccatum, essetque innocentissimus et sanctissimus, ideoque a Deo factus esset victima pro peccatis totius mundi, ut omnia expiaret omnesque in se credentes et pœnitentes sanctificaret. « Qui non assumpsit de massa nostrum peccatum, ait S. Augustinus, ipse est qui tollit nostrum peccatum. »

Peccatum. — Ita legunt Græca, Romana, Syra, licet nonnulla legant cum Arabico, *peccata* in plurali; sed eodem redit sensus. Per « peccatum » intelligit primum et universale peccatum Adæ, puta originale, quod ipse per generationem in posteros omnes transfudit, et ex quo cætera omnia actualia, tam venialia, quam mortalia oriuntur. Christus ergo tollit « peccatum, » id est omnem peccatorum colluviem et scaturiginem. Ita Theophylactus, Beda, D. Thomas, Glossa, Jansenius et alii, juxta illud *Isaiæ* LIII, 6 : « Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, etc., et iniquitates eorum ipse portabit. » Et illud : « Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi, » I *Joan.* II, 2. « Unus pro omnibus occiditur, ait Cyrillus, ut omne genus hominum Deo Patri lucrifaciat. » Est enim in Christo perennis vis peccata expiandi, per omnia sæcula, per omnes homines, qui ejus fidem, baptismum et pœnitentiam suscipere volunt.

30. Hic est de quo dixi (vers. 15 et 27) : Post me venit vir, qui ante me factus (mihi præpositus) est : quia prior me erat, — utpote æternus verusque Deus. « Baptista, ait Cyrillus, ultro et sponte gloriæ Christi cedit, nec ex charitate magis, quam ex veritate, adeoque necessitate id facit. »

31. Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. — *q. d.* Ne putetis, o Scribæ et Judæi, me Jesum asserere esse Messiam, familiaritatis, cognationis, aut gratiæ causa, quasi illi familiaris amicus sim vel fuerim; assevero enim vobis quod ego « nesciebam eum, » quia nunquam eum antea vidi, nec ante baptismum allocutus sum; sed ut eum vidi, ex Dei afflatu et inspiratione ipsum agnovi, ut dixi *Matth.* III, 14. « Quid mirum, ait S. Chrysostomus, si Christum nesciebat, qui in deserto, extra paternam domum, a puero versatus erat? »

Sed ut manifestetur in Israel, — Judæis, quibus per Prophetas promissus est Messias, « ut omnes adducantur ad fidem in illum, » ait Theophylactus. Unde Nonnus paraphrastice vertit, « sed ut ipse habens incognitam faciem, manifestaretur omnibus Israelis (Jacobi patriarchæ) filiis, rectore carentibus, ego veni præcursor viæ non prædicatæ, baptizans indoctum, ignarum, erronem populum. »

32. Et testimonium perhibuit Joannes, dicens : Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de coelo, et mansit super eum, — puta in Christi baptismo. Vide dicta *Matth.* III, 16. Nonnus vertit, « testimonium dixit, quod vidisset descendentem ex æthereis finibus Spiritum Dei, alarum prudenti plausu et vibratione delatum, ad expressam imitationem columbæ, donec super ipsum venit, et ibi manebat. »

33. Et ego nesciebam : sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. — « In aqua; » Nonnus, « baptizare non ignitis et spiritu carentibus lavacris. » Identidem Baptista ingeminat se non ex visu et alloquio, sed ex Dei revelatione nosse Jesum esse Christum, ut nemo ejus testimonio refragari audeat. Ita S. Cyrillus.

Nota τὸ *manentem*. Hinc enim liquet proprium fuisse Christi, habere omnes gratias Spiritus Sancti, ac prophetiam per modum habitus; at in aliis manere solum ea dona quæ ad vitæ sanctitatem necessaria sunt, juxta illud *Joan.* XIV : « apud vos manebit. » Ita S. Hieronymus, in



*Jerem.* cap. XXVIII, et *Ezech.* XXXV; S. Gregorius, hom. 1 *in Ezech.*, et alii. Vide Suarez, tract. *De Fide*, disp. 8, sect. 6, num. 6.

34. Et ego vidi (Spiritum Sanctum in Jesum, cum a me baptizaretur, descendentem et manentem), et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. — Græce ὁ υἱὸς, id est *ille filius*, scilicet naturalis, divinus et ὁμοούσιος Patri, ideoque « omnium Patris bonorum hæres, ait Cyrillus, ad quem nos per adoptionem conformamur, ad hujusmodi dignitatem per gratiam ejus invitati. »

35. Altera die (postridie) iterum stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo. — Dicit Evangelista Joannem Baptistam tribus diebus continuis, ter testimonium perhibuisse Jesu, quod ipse esset Christus, ut illud plane firmaret et solidaret. Primum enim dedit authenticum et juridicum rogatus a legatis Judæorum, die prima martii, vers 19; secundum dedit postero die venienti et præsenti jam Jesu, die 2 martii, vers. 29; tertium dat hic die 3 martii, coram discipulis suis, ut eos ad Jesum traducat. Vide Chronotaxim, num. 10 et 11.

36. Et respiciens Jesum ambulantem, dicit : Ecce agnus Dei. — *q. d.* Ecce Christus instar agni immaculati, destinatus in victimam, ut Deo in cruce immoletur pro peccatis totius mundi. Sicut enim agnus paschalis assabatur distentus in veru, sic Christus distentus in cruce assus fuit, tum dolore clavorum, tum potius amore electorum. Dicit hoc Baptista, *q. d.* discipulis suis : Quid me sequimini? illum sequamini, qui est agnus Dei, pretium mundi, ait Interlinearis. Sic et S. Augustinus, Chrysostomus et alii. Unde nota prudentiam et modestiam Joannis, qui discipulos non cogit, nec impellit ad sequendum Christum, sed duntaxat illis eum indicat, ut illi tantum bonum agnitum sponte sua ardentius sequantur et constantius retineant; sicut qui gemmam, quæ vili pretio venditur, quanti sit pretii mercatoribus indicat, facit ut ultro eam ambiant et coemant. Unde Chrysostomus : « Nullo, ait, hortatu (suspiciosum enim fuisset), sed solo auditu secuti sunt. »

37. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum. — Objicit Chrysostomus : « Atqui et alii erant Joannis discipuli. Sed illi non modo non secuti sunt, sed æmulabantur » honorem Joannis sui magistri, eumque præferebant Christo, ut patet cap. III, 26. Et Euthymius : « Inter multos auditores, ait, hi soli audisse dicuntur, auribus videlicet animæ, cum alii utique audissent auribus corporis. »

Duo. — Quorum unus erat Andreas, ut patet vers. 40, alter ignoratur. Porro S. Chrysostomus : Quare, ait, alterius nomen non ponitur? quia est ipse qui scribit (Joannes), aut quia ille non erat insignis. Prius est verisimilius, ait Franciscus Lucas : et favet quod Joannes et Jacobus fuerint in piscatione socii Petri et Andreæ. *Matth.* IV ubi paulo post Andream et Petrum, vocat Christus ad se Joannem et Jacobum. Item quod Joannes in Apocalypsi gaudeat Christum vocare agnum, quasi qui hoc nomen audierit et imbiberit a magistro suo Joanne Baptista. Denique tanta puritas, virginitas et sanctitas S. Joannis Evangelistæ videtur manasse a puritate et sanctitate Joannis Baptistæ. Accedit S. Epiphanius, *hæresi* 51, qui asserit alterum horum duorum fuisse Joannem, vel fratrem ejus Jacobum, id est alterutrum filiorum Zebedæi. Joannem fuisse opinantur quoque Theophylactus, Euthymius et S. Cyrillus, in *Catena*. Alcuinus vero in *Catena S. Thomæ* : Alter, inquit, erat Philippus. Verum Philippus vocatus fuit a Christo, vers. 43, in Galilæa.

Secuti sunt Jesum. — Ut eum plenius nossent, ait Euthymius, et cum eo familiaritatem contraherent, ac, si commodum experirentur illum, plane sequerentur, futuri ejus perpetui discipuli; nam hic eos se totos Christo needum addixisse, sed tantum probare voluisse, patet ex sequent.

Allegorice Beda : Sequentes Jesum, ait, reliquerunt Joannem; sequentes Evangelium, legem amiserunt : sic tamen secuti sunt Evangelium, ut testimonio uterentur e lege.

38. Conversus autem Jesus, et videns eos sequentes se, dicit eis : Quid quæritis? Qui dixerunt ei : Rabbi (quod dicitur interpretatum, Magister), ubi habitas? — « Quid quæritis? » Vox est non ignorantis, sed invitantis, et eorum verecundiam sublevantis. Audi Cyrillum : « Interrogat quid quærerent, non quia ignoraret, qui universa noverat ut Deus, sed ut colloquendi principium interrogatio fieret. » Sic S. Chrysostomus : « Qui humanorum cordium scrutator est, ait, is interrogat, non ut sciat (scit enim) : sed ut rogando eos sibi conciliet, ut familiares reddat atque audentiores, seque suo eos dignari colloquio ostendat. Credibile enim erat eos subvereri et formidare, cum se rudes intelligerent, et tantum de illo magistri accepissent testimonium. »

Rabbi. — Syrus, *Rabboni*, id est *magister noster*; Arabicus, *Rabban*, id est *magister*. Hac voce discipuli Christum honorant, ejusque gratiam sibi conciliant, et se ejus velle fieri discipulos insinuant. Ita Beda : « Ipsa interrogatio, inquit, indicium est fidei; quando enim dicunt : Rabbi, quod intelligitur magister, et sequuntur eum, utique magistrum sequuntur et dicunt. » « Magistrum appellaverunt, ait Cyrillus, a quo discere cupiebant. » Et Chrysostomus : « Nec ex eo solum, quod sequerentur, sed etiam ex interrogatione eorum ostenditur desiderium. Siquidem cum nihil adhuc magnum neque vidissent, neque audissent ab eo, magistrum appellant, se discipulis annumerant, et cur sequantur ostendunt : ut videlicet aliquid utile decerperent. »

Quod dicitur interpretatum, Magister. — Hæc verba sunt non discipulorum, sed Joannis,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eorum vocem Hebraicam, *Rabbi*, Græcis et Latinis, qui hebraice ignorant, interpretantis.

UBI HABITAS? — Græce ποῦ μένεις, id est *ubi manes*, ubi moraris? hospitium enim Christus in terris habuit, non propriam habitationem et domum, juxta illud *Matth.* VIII, 20 : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. » Rogant hoc discipuli, ut domi cum Christo secreto colloqui et ab illo de rebus divinis et iis quæ ad vitam perfectiorem pertinent, instrui possent, ac significant se velle fieri ejus familiares et domesticos. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

39. DIXIT EIS : VENITE, ET VIDETE. VENERUNT, ET VIDERUNT UBI MANERET, ET APUD EUM MANSERUNT DIE ILLO : HORA AUTEM ERAT QUASI DECIMA, — ab ortu solis, hoc est quarta post meridiem, et secunda ante occasum solis, quæ apud Italos est hora vigesima secunda. Erat enim dies tertia martii, uti dixi vers. 28 et 35, cum non longe abest æquinoctium, quo dies et noctes sunt æquales, diesque est duodecim horarum, et totidem nox. Addit hoc Joannes, ut ostendat et Christi zelum, qui imminente nocte, noluit eos rejicere in sequentem diem, sed statim cum eis negotia salutis peragere; æque ac discipulorum erga Christum ardorem, qui de nocturno hospitio non solliciti, maluerunt apud Christum audiendo pernoctare, quam domi in lecto decumbere. Ita Euthymius. Nam eos mansisse apud Christum, non duabus tantum, quæ supererant, diei horis, ut nonnulli putant, sed per integrum diem naturalem, qui noctem comprehendit, ideoque per noctem totam, patet ex eo quod duabus quæ supererant diei et lucis horis, nec satis cum Christo suo tractare, nec Christum pernosse, nec ad Joannem ante noctem redire potuissent. « Non enim convenit, ait Cyrillus, ut cito satiati a divina doctrina recedamus. »

Porro, quæ et quanta audierint a Christo, quantos pietatis affectus hauserint, quos charitatis ignes a Christo afflatos senserint, soli illi norunt qui experti sunt. Unde exclamat S. Augustinus : « Quam beatum diem duxerunt, quam beatam noctem! Quis est qui nobis dicat quæ audierint illi a Domino? » Certe id ex affectu æstimare licet. Nam Andreas ita amore Christi fuit accensus, ut fratrem Petrum mox Christo lucrari ejusque amore accendere sategerit, ut patet ex vers. seq.

40. ERAT AUTEM ANDREAS, FRATER SIMONIS PETRI, UNUS EX DUOBUS QUI AUDIERANT A JOANNE (dicente de Jesu, *Ecce agnus Dei*) ET SECUTI FUERANT EUM — scilicet Jesum. Ingerit hoc Joannes, ut ostendat qua ratione ad Christum adductus sit Petrus, qui fuit princeps Apostolorum et caput totius Ecclesiæ; nimirum quod Andreas lætus de invento et audito Christo ad eum fratrem suum Petrum, quem unice diligebat, adduxerit, ut tanti boni eum faceret consortem. Signum ergo et effectus vocationis divinæ est zelus hic, quo quis ejusdem alios, præsertim intimos suos, participes facere et ad Deum traducere studet et ardet. Sicut enim ignis parit ignem, sic zelus zelum. Porro videtur Petrus, æque ac Andreas, fuisse Joannis Baptistæ discipulus, vel certe studiosus auditor : uter fuerit senior, ignoratur. Andreæ ergo decus et laus est, conversio Petri.

41. INVENIT (quem studiose quærebat; Syrus, *vidit*, postridie scilicet illius diei, quo cum Christo manserat et pernoctarat, vers. 39) HIC PRIMUM (ante alios amicos et notos) FRATREM SUUM SIMONEM, ET DICIT EI : INVENIMUS MESSIAM (QUOD EST INTERPRETATUM CHRISTUS). — *q. d.* Messiæ nomen Hebræum, si græce interpreteris, idem est quod Christus, id est latine *unctus*, scilicet unctione non corporali, sed spirituali gratia, tum unionis hypostaticæ, tum habitualis eximiæ, per quam a Deo creatus et quasi consecratus est *primo*, sacerdos; *secundo*, doctor; et *tertio*, propheta; *quarto*, rex; *quinto*, legislator; *sexto*, redemptor orbis est. Græce τὸν Μεσσίαν, id est illum Christum, illum unctum, quem scilicet velut eximium, unicum et singularem Prophetam, a Prophetis promissum, quasi restauratorem Israelis omnes avidissime exspectant. Ita Euthymius.

INVENIMUS (scilicet ego cum socio meo) MESSIAM, — quem ego et tu cupidissime exspectamus, vestigamus et scrutamur. Videtur ergo Andreas, æque ac Petrus, partim ex oraculis Prophetarum, partim ex Joannis de Christo jam facto testimonio, Christi videndi desiderio arsisse, nam, ut ait Beda : « Nemo invenit, nisi qui quærit; iste qui invenisse se dicit, ostendit quia diu quæsierit. » Et S. Chrysostomus : « Hoc verbum, *invenimus*, inquit, animæ est maxime ejus præsentiam desiderantis, et cœlitus adventum exspectantis : cujus adventu exultans, alios Evangelii gestiat fieri participes. Hoc fraterni animi, cognati amoris, sinceri est affectus officium, ut in spiritualibus quam diligentissimam curam adhibeamus, invicem opitulemur. » S. Chrysostomum de more secutus Euthymius : « Sermo, inquit, est admodum lætantis : Invenimus quem quærebamus, quem venturum sperabamus, quem Scripturæ annuntiaverunt. » Andreas ergo cum socio lætitia de Christo invento quasi de summa felicitate gestiens, ut eamdem communicet fratri suo Petro, exclamat : « Invenimus Messiam. » Quare « non amplius, ait S. Chrysostomus, ad Joannem reversi sunt, sed ita Christo affixi sunt, ut Joannis ministerium susciperent, et ipsi Christum prædicarent. »

Hinc moraliter discimus Deum per gratiam suam occurrere animæ se desideranti, eoque magis eam implere, quo magis se desiderat et sitit; imo hoc ipsum sui desiderium solet Deus prius animæ immittere, ut per illud animam ad se suaque dona præparet, eorumque capacem efficiat. Sicut enim quo majus est vas, eo majoris vini vel olei est capax; sic quo majus est in anima Dei et virtutis desiderium, eo magis illa ipsius est capax, juxta illud *Thren.* III, 25 : « Bonus (beneficus, liberalis) est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. »

42. ET ADDUXIT EUM AD JESUM. — « Credibile est, ait S. Chrysostomus, Andream plura persuasioni accommodata narrasse, aderat quoque alter discipulus, qui ista adjuvabat : verum Andreas, cum suum non esset officium, neque ad tanti luminis narrationem sufficeret, ad fontem ipsum quem invenerat, fratrem adducit. » Porro Petri animus ad hæc verba, velut ignis præsente stipula, desiderio videndi audiendique Christi exarsit. Unde pergit S. Chrysostomus : « Considera, ait, a principio obedientem et benevolum Petri animum : cucurrit e vestigio nil moratus. Adduxit, inquit, eum ad Jesum; sed nemo ejus damnet nimiam in credendo facilitatem; non enim dicit statim persuasisse, sed tantum adduxisse ad Jesum, ut inde totum disceret. »

INTUITUS AUTEM EUM JESUS (quasi subjectum appositum ad prædicandam et illustrandam suam gloriam, ideoque eum destinans suum successorem et vicarium, puta Pontificem Ecclesiæ), DIXIT : TU ES SIMON, FILIUS JONA : TU VOCABERIS CEPHAS, QUOD INTERPRETATUR PETRUS. — Pater ergo Simonis Petri vocabatur *Johanan*, *sive Joannes*, et per crasin *Jona*; sicut *Jehoscua* contrahitur in *Josue* et *Jesus*. Ita Nonnus et alii. Dicit hoc Christus, ut Petro arcana pandat, seque eorum conscium, ideoque cardiognosten, et Deum esse ostendat. Nam, ut ait Cyrillus, « antequam aliquid de eo quæsisset, tam ipsum, quam patrem ejus nomine appellat, et hac re discipulum instruit, eum se esse, qui cuncta etiam antequam fiant novit. »

TU VOCABERIS CEPHAS. — Promittit Christus Simoni nomen *Cephas*, id est Petrus, *q. d.* Ego tibi, o Simon, aliud nomen indam, vocabo te *Cephas*, id est Petra, vel Petrus, quia te faciam petram Ecclesiæ, ut tibi tuæque fidei, æque ac regimini, quasi fundamento petrino et solidissimo, incumbat firmissima Ecclesiæ meæ fabrica. Promissum hoc præstitit Christus, *Matth.* XVI, 18, dicens : « Tu es Petrus, et super hanc petram (id est super te, quem voco *Cephas*, id est petram) ædificabo Ecclesiam meam. » Vide ibi dicta. Ita S. Cyrillus.

43. IN CRASTINUM VOLUIT (Jesus) EXIRE IN GALILÆAM, — ut ex ea vocaret viles ac rudes piscatores, quos Apostolos suos crearet et Evangelii præcones efficeret, ne fides Christiana putaretur esse opus hominum, non Dei. Apostoli enim fuere Galilæi; Galilæi autem erant pauperes et ignobiles præ Judæis, qui ex Juda, quæ erat tribus regia, erant oriundi. Ita S. Chrysostomus, Euthymius et alii.

IN CRASTINUM, — puta postridie illius diei qua Andream et socium hospitio exceperat, quæ fuit dies 3 martii, ut dixi vers. 35. Postridie ergo, id est die 4 martii, ivit Jesus in Galilæam, et vocavit Philippum; singulos enim actorum Christi dies accurate hic consignat Joannes, et quid quoque die ab eo gestum sit, enarrat.

ET INVENIT PHILIPPUM. — Non casu, vel fortuito, sed destinato consilio vadens ad eum locum, ubi sciebat esse Philippum : ibi eum invenit, quem studiose quærebat, quia eum destinabat Apostolum.

ET DICIT EI JESUS : SEQUERE ME. — Hæc est prima vocatio exterior Christi; Petrus enim et Andreas prius vocati sunt interius per internam inspirationem, non exterius per externam vocem Christi, sed audita voce Joannis Baptistæ, magistri sui, dicentis de Christo : « Ecce agnus Dei, » ab eo non vocati, ultro et sponte sua ipsum adierunt, exploraturi ejus doctrinam et vitam, non autem quasi certi et stabiles futuri ejus discipuli. Ita Toletus. Philippo ergo hoc decus et hæc laus debetur, quod primus omnium a Christo dicente : « Sequere me, » exterius vocatus sit, et interius mentem ejus impellente Spiritu Sancto vocationi huic obediens, illico Christum secutus sit, quia ipse erat studiosus legis Mosaicæ et sollicitus de adventu Christi, ait Theophylactus, atque ut S. Chrysostomus, « in perscrutanda veritate diligentissimus. »

Unde S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. XVII : « Jam Philippus, ait, sequebatur, quem sic vocaverat, ut diceret ei : Sequere me. » Causam dat Theophylactus, vim attractivam vocis Christi : « Videtur enim, ait, primum vox Domini animum illius stimulo quodam charitatis tetigisse. Non enim simpliciter Salvatoris vox dicebatur, sed dignos statim flagrare faciebat intrinsecus ad amandum ipsum, sicut et Cleophas dixit : Nonne cor nostrum ardens erat, cum loqueretur nobis in via? »

Porro Clemens Alexandrinus, lib. III *Strom.*, cap. II, certo asserit Philippum esse illum qui, petens a Christo dicensque : « Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum, » hoc a Christo responsum tulit : « Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos, » uti dixi *Matth.* VIII, 22.

44. ERAT AUTEM PHILIPPUS A BETHSAIDA, CIVITATE (patria) ANDREÆ ET PETRI. — Addit hoc Joannes, ait Theophylactus, ut insinuet Andream et Petrum prius insinuasse Philippo, quasi civi et vicino suo, invenisse Messiam, illumque esse Jesum Nazarenum. Quare Philippum mox a Christo vocatum, dum ab eo audiret : « Sequere me, » illico eum fuisse secutum, quia jam animo erat præparato et Christi avido. Idem probabile esse asserit Franciscus Lucas. Solebat enim Christus discipulos præmittere, qui viam sibi sternere et auditores ad suum adventum præpararent.

Porro, Bethsaida erat adjacens mari Galilææ







UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sita juxta Corozaim et Capharnaum, in qua domum habebat Petrus et Andreas, quam Christus ingressus, socrum Petri in lecto decumbentem a gravi febre liberavit, et apprehensa manu sospitem erexit, *Matth.* VIII. Hæc ergo fuit patria trium Apostolorum, Petri, Andreæ et Philippi, dicta *Bethsaida*, Hebraice quasi domus venationis vel piscationis, quia in ea habitabant piscatores qui in vicino mari pisces venabantur et capiebant, quales fuere Petrus et Andreas.

45. INVENIT PHILIPPUS NATHANAEL, ET DICIT EI : QUEM SCRIPSIT MOYSES IN LEGE, ET PROPHETÆ, INVENIMUS JESUM, FILIUM JOSEPH A NAZARETH. — « Invenit non casu, ait Cyrillus, sed multo quæsitum studio; studiosissimum enim Scripturarum virum diligentissimumque cognoverat. » Invenit autem, ut videtur, illum in Cana Galilææ (inde enim oriundus erat Nathanael, ut patet *Joan.* XXI; 2), quando scilicet Philippus cum Jesu vocatus ad nuptias, eodem ivit, ut audiemus cap. II, 1.

Nathanael quis? NATHANAEL, — amicum et familiarem suum. Quæres quisnam fuit hic Nathanael?

Resp. Primo. *Primo*, Claudius Espencæus, scribens in epist. II *ad Tim.*, cap. IV, digess. 25, ait nonnullos putare Nathanaelem fuisse Urcissinum, sive Ursinum, primum Bituricensium Episcopum.

*Secundo*, Græci, in *Menologio*, asserunt Nathanaelem eumdem esse cum Simone Chananæo Apostolo; sic enim habent die 22 aprilis : « S. Apostoli Nathanaelis, qui fuit Simon Zelotes ex Cana Galilææ, ubi Christus invitatus ad nuptias, aquam in vinum convertit. » Idem habent die 10 maii. Favet huic sententiæ quod Nathanael oriundus fuerit ex hac Cana, *Joan.* XXI, 2.

Tertio, fuisse Bartholomæum. Prob. sex conjecturis. *Tertio*, verisimilius Rupertus et Jansenius hic, et Abulensis, in cap. X *Matth.*, vers. 3, ad illa : « Philippus et Bartholomæus, » censent Nathanaelem esse Bartholomæum Apostolum. Probant id *primo*, quia Evangelistæ semper jungunt Philippum Bartholomæo, sicut hic Joannes eumdem jungit Nathanaeli; *secundo*, quia Bartholomæi vocationem factam a Christo nusquam legimus, nisi sit hæc ipsa Nathanaelis; *tertio*, quia cæteri tres Evangelistæ, qui Bartholomæi meminerunt, non meminerunt Nathanaelis : ac vice versa Joannes, qui meminit Nathanaelis, non meminit Bartholomæi, quasi hi duo unus idemque sint; *quarto*, quia Joannes, cap. XXI, 2, Nathanaelem Petro, Thomæ, Jacobo et Joanni Apostolis in piscatione et visione Jesu associat : videtur ergo ipse quoque fuisse Apostolus, nec apparet quis alius fuerit, quam Bartholomæus; *quinto*, quia Bartholomæus non videtur esse nomen proprium, sed significare filium Tolmai : proprium ergo ejus nomen videtur fuisse Nathanael; sic enim Barjona, id est filius Jonæ, dictus est Petrus, qui proprio nomine vocabatur Simon, ac deinde a Christo vocatus est *Cephas*, id est Petrus; *sexto*, quia de Nathanaele ait Christus : « Ecce vere Israelita, in quo dolus non est, » ac deinde Christus ei promittit visionem angelorum super se ascendentium et descendentium. Videtur ergo Christus eum intime dilexisse ac selegisse in suum familiarem et Apostolum.

Negat tamen idipsum S. Augustinus hic, *tract.* 17, ac ex eo Toletus, Ribera, Maldonatus et Baronius, moti hac ratione, quod Nathanael videtur fuisse legis doctor : nam ex lege disserit cum Philippo : Christus autem non legisperitos, sed rudes et idiotas piscatores elegit ad apostolatum. Verum responderi potest Nathanaelem fuisse legis studiosum, non doctorem, æque ac erat Philippus cum eo de adventu Messiæ ex lege disserens, ac Petrus et Andreas. Videntur enim hi omnes fuisse Joannis Baptistæ discipuli, vel auditores, atque ab eo transmissi ad Christum. Sic Saulus sive Paulus erat legis studiosus, at non legisperitus vel doctor. Quod si Nathanael non fuit Apostolus, certe fuit discipulus. Unde L. Dexter, in *Chronico*, ad annum Christi 101, n. 5 : « Nathanael, ait, unus e septuaginta Domini discipulis requiescit in urbe (Hispaniæ) Treuga, prope Legionem, vulgo Leon. » Idem habet Petrus de Natalibus, in *Catal. Sanct.* ex Vincentio, qui et de eodem addit : « Post expletum prædicationis officium, feliciter in Domino requiescit, pridie kalendas decembris.

Nathanaelis etymon. Porro, *Nathanael* Hebraice idem est quod *donum Dei*; vel *dedit Deus*, vel *da Deus*, ait Pagninus, sive *Adeodatus*. Hinc princeps tribus Issachar tempore Mosis vocatur Nathanael, *Num.* I, 8, et forte ab illo hic Noster Nathanael prognatus, nomen mutuatus est. Hinc S. Augustinus filium suum divino ingenio præditum vocavit Adeodatum, ut ipse fatetur, lib. *De Beata vita*, post initium.

JESUM. — Syrus, *qui est Jesus, filius Joseph a Nazareth*. Erat enim Nazareth vicina Canæ Galilææ, tribus horis tantum ab ea distans, ita ut Nathanael ex Cana oriundus, facile nosse posset Jesum, filium Joseph, ut vulgo putabatur, oriundum ex Nazareth. Arguit hic Calvinus Philippum stultitiæ et inscitiæ, dicens : « Jesum stulte dicit filium Joseph, imperite Nazarenum facit, et de Christo quatuor verba profari nequit, quin duos crassos errores permisceat. » Sed stultus et imperitus est Calvinus, sapiens vero et sciens Philippus, qui apud Nathanaelem Jesum ita describit ex vulgi opinione et agnominatione, ut Nathanael eum nosse possit, alioquin plane eum incognitum habiturus. Ita S. Chrysostomus. Christus enim vere erat Nazarenus patria, quia ibi conceptus erat, esto per occasionem census, natus esset in Bethlehem.

46. ET DIXIT EI NATHANAEL : A NAZARETH POTEST ALIQUID BONI ESSE? DICIT EI PHILIPPUS : VENI, ET VIDE. — *q. d.* Nazareth est in Galilæa locus ignobilis et obscurus, ac apud Judæos contemptus. Unde Pharisæi infra, cap. VII, 57, dicunt quod « a Galilæa Propheta non surgit; » quomodo ergo, o Philippe, ex Nazareth natum censes Christum? præsertim quia Christus ex Juda et Davide nasciturus in Bethlehem prædicitur a Michæa, cap. V, 2. Ita S. Chrysostomus, qui et addit : « Ostendit igitur et Scripturæ cognitionem, et morum simplicitatem, denique vehemens adventus Christi desiderium cum Philippi verba non contemnit. Norat enim Philippum in patria commemoranda falli potuisse, » et ex parte falsus est; Christus enim, licet conceptus esset in Nazareth, tamen natus erat in Bethlehem, quod hoc tempore ignorabat Philippus. Sic et Theophylactus et Euthymius. Porro Joannes Alba, in *Electis*, τὸ *potest* accipit pro *solet*, et hujus acceptionis exemplum profert; *q. d.* Solетne ex Nazareth bonus aliquis Propheta prodire? *q. d.* Minime : quomodo ergo tu, o Philippe, ais ex Nazareth prodiisse Christum?



VENI, ET VIDE. — Syrus, *Veni, et videbis*, *q. d.* Nolo tecum de Nazareth disputare, sed veni, vide et audi Jesum, et experieris quod ego expertus sum, ut rapiaris in ejus amorem credasque ipsum esse Christum. Audi S. Chrysostomum : « Quomodo hic sit Christus, et quomodo Prophetæ eum prædixerint, non dicit Philippus, sed ducit ad Jesum, sciens ipsum non abscessurum, si illius verba et doctrinam gustaret. Si videris solummodo, dicit, si sermonem cum eo conferas, facillime mihi assenties. » « Credere autem nos oportet, ait Cyrillus, ineffabilem quamdam gratiam in sermone ac verbis Christi fuisse, quibus auditorum animi magna jucunditate allicerentur. Scribitur enim quia omnes admirabantur de verbis gratiæ, quæ exibant de ore ejus. »

Porro, Nathanael vehementer desiderans videre Christum, Philippo acquievit, ad Jesum cum eo venit eumque Christum esse agnovit : quare disciplinæ et sequelæ ejus se tradidit.

Vers. 47. 47. VIDIT JESUS NATHANAEL VENIENTEM AD SE, ET DIXIT DE EO : ECCE VERE ISRAELITA, IN QUO DOLUS NON EST; — qui scilicet imitatur candorem, simplicitatem et sanctitatem Israelis, id est Jacob patriarchæ, ex quo ipse prognatus est. Unde Syrus vertit, *ecce vere filius Israel*; Jacob enim vir simplex habitabat in tabernaculis, *Gen.* XXV, 27. Ostendit Jesus se scire et videre animi Nathanaelis candorem et statum, ut inde Nathanael cognoscat Jesum non esse merum hominem, sed et Deum cordium inspectorem. Censet S. Chrysostomus Christum alludere ad id quod de se Nathanael dixerat Philippo : « A Nazareth potest aliquid boni esse? » *q. d.* Hoc tuo dicto contra me non offendor, quia scio te id animo candido et inquirendæ veritatis avido dixisse; scio enim in animo tuo nullum esse dolum, nullum malitiæ fel.

48. DICIT EI NATHANAEL : UNDE ME NOSTI? — qui nunquam me vidisti, nec mecum egisti : « Animadverte, ait Chrysostomus, hominis constantiam : non intumuit laudibus, neque his gravam factus est, sed de eo perscrutari pergit, ut de eo certi aliquid intelligat. »

RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI : PRIUSQUAM TE PHILIPPUS VOCARET, CUM ESSES SUB FICU, VIDI TE. — *q. d.* Cum solus esses sub ficu, putabasque te a nemine videri, ego tamen te vidi, scioque quæ clam et secreto ibi egeris. Vidi deinde et audivi te colloquentem cum Philippo, cum ipse te ad me vocaret, tuque ei objiceres : « A Nazareth potest aliquid boni esse? » *q. d.* Unde colligas me majorem esse homine, Messiam scilicet Dei Filium. Ita S. Cyrillus, Euthymius, et S. Augustinus, serm. 40 *De Verbis Domini* (1).

Mystice S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.*, cap. XX : « Cum esses sub ficu, » id est sub umbra legis, « vidi te, » ut te transferrem ad vitam mei Evangelii.

Tropologice : hinc disce Deum et Christum ubique præsentem intueri et revereri, cum solus es in cubiculo, imo cum quid secreto cogitas vel desideras in corde, Christus te tuasque cogitationes et desideria videt et introspicit. Vide ergo ne quid cogites, desideres vel agas, quo oculos majestatis ejus offendas. Sic enim vidit hic Nathanaelem ejusque acta sub ficu. Unde Nonnus vertit, « vidi te sub umbrosa ficu, versantem et meridiantem sub alticomis ramis, oculis et mente videns non præsentem. » Sic Deus vidit Adamum sub ficu comedentem ficum vetitam, *Gen.* III. Tropol. Deus ubique præsens consideretur.

49. RESPONDIT EI NATHANAEL, ET AIT : RABBI, TU ES FILIUS DEI, TU ES REX ISRAEL. — « Filius Dei, » naturalis et consubstantialis, ideoque Deus, hoc enim nude verba sonant. Ita S. Cyrillus, Augustinus, Ammonius, Glossa, Dionysius, Maldonatus, licet S. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Lyranus, Cajetanus, Toletus, Barradius, censeant Nathanaelem nescisse Christum esse Deum; sed tantum credidisse eum esse Filium Dei adoptivum, per eximiam gratiam, qua eum pollere videbat præ cæteris Prophetis et Sanctis. Nam revelare cordium secreta possunt et Prophetæ ex instinctu Dei, uti Eliseus revelavit secretam avaritiam Giezi et secretas insidias regum Israel, IV *Reg.* V, 26, et VI, 9 et seq.

Crediderim Philippum ex testimonio Joannis Baptistæ de Jesu, vers. 34, credidisse Jesum esse Filium Dei, sed in confuso, nec satis distinxisse, an esset naturalis, an adoptivus, idemque declarasse et persuasisse Nathanaeli. Licet enim Joannes Baptista, dicens Christum esse Filium Dei, intellexerit naturalem, per unionem hypostaticam humanitatis cum Verbo; tamen hanc unionem necdum intelligebant Philippus et Nathanael, donec sensim hac de re planius fuere edocti.

(1) Erat Judæis in more positum sub ficubus sermones miscere cum amicis, meditari, legere, orare. Vid. Lightfootum et Wetstenium in h. l. Quid vero Nathanael sub ficu egerit, num ibi preces ad Deum fuderit, an meditatus sit, an cum amicis collocutus sit, ut nonnulli interpretes volunt, de Messia et regno Messiano, id quoniam definiri nequit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Rex Israel. — Id est Messias, Davidis et Salomonis regum filius, ideoque regni Israelis, id est duodecim tribuum, successor et hæres. Hoc enim de ipso prædixerat David, vel potius Deus per Davidem, *Psal.* II, 6 et 7, dicens in persona Christi : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Unde liquet Davidem prædixisse Messiam fore Dei Filium naturalem; sed hanc ejus prædictionem pauci ante Joannem Baptistam, et Christum illam explicantem, clare pleneque intellexerunt. Concilium Constantinopolitanum œcumenicum, in constitutione Vigilii Papæ ad quintam collationem pertinente, anathema dicit iis qui verba Nathanaelis : « Tu es Filius Dei, tu es rex Israel, » ab ipso dicta volunt Christo tanquam domestico Dei, ut non ipse sit Deus, sed ob familiaritatem quam cum Deo habet, Deus nominetur.

Respondit Jesus, et dixit ei : Quia tibi dixi : Vidi te sub ficu, credis : majus his videbis, — scilicet majora mea oracula et miracula, majora mysteria doctrinæ, vitæ, passionis, resurrectionis et ascensionis meæ, ex quibus cognosces me non tantum Israelis, sed mundi totius, adeoque cœlorum et angelorum omnium esse regem et Dominum. « Duo dicit, ait Chrysostomus, alterum jam præteritum indicat, alterum ex hoc confirmat futurum; qui enim ejus virtutem jam viderat, facilius quæ futura audit, credit. »

51. Et dicit ei : Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis. — « Cœlum apertum, » non quod vere cœlum scindendum et aperiendum sit, sed quod cœlum angelis intrantibus et exeuntibus aditum dabit et exitum, sicut solet nobis dare ostium dum aperitur : quare vobis videbitur cœlum aperiri esseque apertum. Est catachresis. Simili modo in baptismo Christi, visum est cœlum Christo aperiri, *Matth.* III, 16, et Ezech. I, 1, dum vidit in cœlo currum Cherubicum gloriæ Dei; et S. Stephano, dum a Judæis lapidatus, vidit Jesum stantem a dextris Dei, *Act.* VII, vers. 55. Vide quæ illis locis annotavi. Hac visione significatur cœlum per quatuor annorum millia hominibus ob peccata clausum, per Christum fore reserandum.

Et angelos Dei ascendentes et descendentes (Arabicus, *ascendere et descendere*) supra Filium hominis. — Syrus, *ad Filium hominis*, ut ei quasi regi suo obsequantur. Hoc enim significat Græcum ἐπὶ, quod respondet Hebr. על *al*. Unde Vatablus vertit, *sub Filio hominis*, *q. d.* Sub imperio et potestate mea, me imperante, ad nutum meum prout ego voluero, vel jussero, ascendent et descendent angeli. Sic et Franciscus Lucas.

Nota *primo*, ex eo quod Christus Nathanaelem vocavit Israelitam, in quo dolus non est, liquet eum alludere ad visionem angelorum in scala e terra in cœlum porrecta ascendentium et descendentium, factam Israeli, id est Jacobo patriarchæ in Bethel, *Gen.* XXVIII, 12. Ita S. Augustinus, lib. XII *Contra Faustum*, cap. XXVI; Israel enim sive Jacob uti pater, sic et typus fuit Christi. Christus enim verus est Israel, id est dominans Deo, idem est Patriarcha Christianorum et fundator Bethel, id est domus Dei, puta Ecclesiæ tam cœlestis quam terrestris, tam triumphantis quam militantis.

Nota *secundo*, Christum hac phrasi et visione angelorum ad se ascendentium significare se non tantum Israelis et hominum, sed et cœlorum ac angelorum esse principem, ac consequenter se verum esse Deum Deique Filium ; ideo enim ascendunt et descendunt ad eum angeli, quia ejus ministri, ut ipsi quasi hero et regi suo assistant et obsequantur, omniaque ejus jussa, tam in cœlo quam in terra, peragant. Ita S. Cyrillus et Chrysostomus.

Quæres, quando hic angelorum ad Christum descensus et ascensus contigerit (1)? *Primo*, S. Chrysostomus et Theophylactus censent eum contigisse, cum Christo agoniam patienti sanguinemque sudanti in horto apparuit angelus, confortans eum, *Luc.* XXII, 43. Item cum in resurrectione mulieribus apparuerunt angeli, nuntiantes eum resurrexisse, *Matth.* XXVIII.

*Secundo*, S. Cyrillus censet id factum in baptismo Christi; tunc enim angelorum ministerio formata est columba devolans in Christum, quæ erat index Spiritus Sancti ; item vox Patris in aere : « Hic est Filius meus dilectus, » *Matth.* cap. III, vers. 16. Verum hoc Christi cum Nathanaele colloquium contigit post baptismum Christi.

*Tertio*, Euthymius id factum opinatur in ascensione Christi ; tunc enim omnes omnino angeli eum ascendentem stiparunt, velut famuli principem, et velut milites regem suum.

*Quarto*, Toletus censet id continuo fieri in Ecclesia, quæ a Christo per angelos regitur.

*Quinto*, Maldonatus æstimat id fore in die judicii ; tunc enim omnes angeli illi assistent, tam boni, quam mali : boni, ut ab eo homines pios cœlo adjudicatos in illud deducant; mali, ut impios ab eo damnatos in tartara abripiant.

*Sexto*, Franciscus Lucas hæc accipit de Christi miraculis et donis cœlestibus, quibus Christo subservierunt angeli in hac vita, ac post eam. Intelligit ergo Jesus, inquit, ad nutum Filii hominis, cœlum ex eo tempore a fidelibus visum iri apertum, ultro citroque discurrentibus angelis ; quia brevi e cœlis, jubente Filio hominis, ejusque jussui parentibus angelis, Dei dona magna copia omnibus cernentibus afferenda erant in terram : infirmorum sanatio, leprosorum mundatio, cæcorum illuminatio, claudorum erectio, dæmonum expulsio, mortuorum suscitatio, impiorum justificatio, Spiritus Sancti effusio, variorum munerum distributio, mundi conversio, etc. Quæ omnia cum sint manifesta Dei dona, non potuit non videri cœlum apertum, et angelos sanctos, per quos cœlestia ministrantur, Filio hominis ad nutum servire, iis qui viderunt Filium hominis reddentem plurimos horum compotes. Loquitur ergo Christus de omnigenis miraculis et cœlestibus donis, quæ statim a Nathanaelis vocatione editurus erat, toto mortalis vitæ suæ tempore, imo etiam post ascensionem suam in cœlum continue patraturus in gubernatione Ecclesiæ suæ, usque ad extremum judicium et consummationem sæculi. Hæc omnia vera et apposita sunt.

(1) Hæc nostri interpretis quæstio parum apta mihi videtur, et postrema versus 51 verba latiori sensu habenda sunt. Non enim certa ibi quædam et unica angelorum apparitio prædicitur, sed res perpetua ac continuata ; nam verba ἀπ' ἄρτι, quæ premendo verti possent, *inde ab hoc tempore*, melius vertuntur *posthac*, in *posterum*. Sensus igitur est : arctissimam mihi cum Deo esse conjunctionem in oculos omnium incurret, consilia Dei hominibus salutaria per me exsequentur, Deus mecum erit, et doctrina et factis insignibus me esse Messiam demonstrabo.



Verum, quia Christus Nathanaeli et Philippo specialiter promittit hanc angelorum visionem, ad inchoatam eorum in se fidem augendam et roborandam ; nec in baptismo, passione, resurrectione, vel ascensione Christi, vel alias proprie apparuerunt angeli ascendentes et descendentes ad Christum, hinc planius, simplicius, pressius et germanius dicemus peculiarem et publicam hanc fuisse visionem angelorum, viventi Christo proprie ut verba sonant factam, æque ac eadem facta est Jacobo, qui fuit Christi typus, *Genes.* cap. XXVIII, vers. 12. Quare illa visio Jacobi similem Christo obventuram angelorum visionem (de qua hic agitur) præsignificat, ac similis jam ante contigerat in nativitate Christi, dum angeli ad eum descendentes cecinerunt : « Gloria in excelsis Deo, » *Luc.* II, 13. Porro, ubi et quando contigerit hæc angelorum visio, non narrant Evangelistæ, uti et alia multa Christi acta silentio præterierunt. Ita Jansenius.

Facta autem est hæc visio hoc fine. *Primo*, ut per eam ostenderetur Christum homines angelis, terram cœlo reconciliasse, ac utriusque mutuam communicationem et familiaritatem, quæ primitus erat in paradiso, restituisse.

*Secundo*, ut doceret Christianos esse advenas et hospites in terra, ac versari debere cum angelis, et eorum angelicam vitam imitari, quasi cives Sanctorum et domesticos Dei, *Ephes.* II, 19.

*Tertio*, ut angelos nobis quasi præsides assignaret, qui nos contra dæmones omnesque malorum incursus tutarentur, et ad heroicas virtutes impellerent, tandemque post mortem in cœlum deducerent. Ascendunt enim in cœlum angeli, ut vota, preces et gemitus nostros ad Deum perferant; descendunt, ut a Deo gratiæ dona ad nos deferant.

*Quarto*, ut declararetur Christi majestas, et angelorum erga eum obsequium et reverentia. Ipse enim, ait Chrysostomus, constitutus est « supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, » *Ephes.* I, 21.

Vide quæ de scala Jacob angelisque per eam ascendentibus et descendentibus fuse dixi, *Genes.* cap. XXVIII, vers. 12.

# CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Jesus vocatus ad nuptias in Cana, aquam in vinum convertit. Secundo, vers. 13, ejicit vendentes e templo. Tertio, vers. 13, Judæis petentibus signum, quo ostenderet se a Deo missum, hoc assignat :* Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.

1. Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ; et erat mater Jesu ibi. 2. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus, ad nuptias. 3. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum : Vinum non habent. 4. Et dicit ei Jesus : Quid mihi et tibi est, mulier ? nondum venit hora mea. 5. Dicit mater ejus ministris : Quodcumque dixerit vobis, facite. 6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. 7. Dicit eis Jesus : Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. 8. Et dicit eis Jesus : Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. 9. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, 10. et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit : et cum inebriati fuerint, tunc id quod

REX ISRAEL. — Id est Messias, Davidis et Salomonis regum filius, ideoque regni Israelis, id est duodecim tribuum, successor et hæres. Hoc enim de ipso prædixerat David, vel potius Deus per Davidem, *Psal.* II, 6 et 7, dicens in persona Christi : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Unde liquet Davidem prædixisse Messiam fore Dei Filium naturalem; sed hanc ejus prædictionem pauci ante Joannem Baptistam, et Christum illam explicantem, clare pleneque intellexerunt. Concilium Constantinopolitanum œcumenicum, in constitutione Vigilii Papæ ad quintam collationem pertinente, anathema dicit iis qui verba Nathanaelis : « Tu es Filius Dei, tu es rex Israel, » ab ipso dicta volunt Christo tanquam domestico Dei, ut non ipse sit Deus, sed ob familiaritatem quam cum Deo habet, Deus nominetur.

RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI : QUIA TIBI DIXI : VIDI TE SUB FICU, CREDIS : MAJUS HIS VIDEBIS, — scilicet majora mea oracula et miracula, majora mysteria doctrinæ, vitæ, passionis, resurrectionis et ascensionis meæ, ex quibus cognosces me non tantum Israelis, sed mundi totius, adeoque cœlorum et angelorum omnium esse regem et Dominum. « Duo dicit, ait Chrysostomus, alterum jam præteritum indicat, alterum ex hoc confirmat futurum; qui enim ejus virtutem jam viderat, facilius quæ futura audit, credit. »

51. ET DICIT EI : AMEN, AMEN DICO VOBIS, VIDEBITIS COELUM APERTUM, ET ANGELOS DEI ASCENDENTES ET DESCENDENTES SUPRA FILIUM HOMINIS. — « Cœlum apertum, » non quod vere cœlum scindendum et aperiendum sit, sed quod cœlum angelis intrantibus et exeuntibus aditum dabit et exitum, sicut solet nobis dare ostium dum aperitur : quare vobis videbitur cœlum aperiri esseque apertum. Est catachresis. Simili modo in baptismo Christi, visum est cœlum Christo aperiri, *Matth.* III, 16, et Ezech. I, 1, dum vidit in cœlo currum Cherubicum gloriæ Dei; et S. Stephano, dum a Judæis lapidatus, vidit Jesum stantem a dextris Dei, *Act.* VII, vers. 55. Vide quæ illis locis annotavi. Hac visione significatur cœlum per quatuor annorum millia hominibus ob peccata clausum, per Christum fore reserandum.

ET ANGELOS DEI ASCENDENTES ET DESCENDENTES (Arabicus, *ascendere et descendere*) SUPRA FILIUM HOMINIS. — Syrus, *ad Filium hominis*, ut ei quasi regi suo obsequantur. Hoc enim significat Græcum ἐπὶ, quod respondet Hebr. על *al*. Unde Vatablus vertit, *sub Filio hominis, q. d.* Sub imperio et potestate mea, me imperante, ad nutum meum prout ego voluero, vel jussero, ascendent et descendent angeli. Sic et Franciscus Lucas.

Nota *primo*, ex eo quod Christus Nathanaelem vocavit Israelitam, in quo dolus non est, liquet eum alludere ad visionem angelorum in scala e terra in cœlum porrecta ascendentium et descendentium, factam Israeli, id est Jacobo patriarchæ in Bethel, *Gen.* XXVIII, 12. Ita S. Augustinus, lib. XII *Contra Faustum*, cap. XXVI; Israel enim sive Jacob uti pater, sic et typus fuit Christi. Christus enim verus est Israel, id est dominans Deo, idem est Patriarcha Christianorum et fundator Bethel, id est domus Dei, puta Ecclesiæ tam cœlestis quam terrestris, tam triumphantis quam militantis.

Nota *secundo*, Christum hac phrasi et visione angelorum ad se ascendentium significare se non tantum Israelis et hominum, sed et cœlorum ac angelorum esse principem, ac consequenter se verum esse Deum Deique Filium ; ideo enim ascendunt et descendunt ad eum angeli, quasi ejus ministri, ut ipsi quasi hero et regi suo assistant et obsequantur, omniaque ejus jussa, tam in cœlo quam in terra, peragant. Ita S. Cyrillus et Chrysostomus.

Quæres, quando hic angelorum ad Christum descensus et ascensus contigerit (1)? *Primo*, S. Chrysostomus et Theophylactus censent eum contigisse, cum Christo agoniam patienti sanguinemque sudanti in horto apparuit angelus, confortans eum, *Luc.* XXII, 43. Item cum in resurrectione mulieribus apparuerunt angeli, nuntiantes eum resurrexisse, *Matth.* XXVIII.

*Secundo*, S. Cyrillus censet id factum in baptismo Christi; tunc enim angelorum ministerio formata est columba devolans in Christum, quæ erat index Spiritus Sancti; item vox Patris in aere : « Hic est Filius meus dilectus, » *Matth.* cap. III, vers. 16. Verum hoc Christi cum Nathanaele colloquium contigit post baptismum Christi.

*Tertio*, Euthymius id factum opinatur in ascensione Christi ; tunc enim omnes omnino angeli eum ascendentem stiparunt, velut famuli principem, et velut milites regem suum.

*Quarto*, Toletus censet id continuo fieri in Ecclesia, quæ a Christo per angelos regitur.

*Quinto*, Maldonatus æstimat id fore in die judicii; tunc enim omnes angeli illi assistent, tam boni, quam mali : boni, ut ab eo homines pios cœlo adjudicatos in illud deducant; mali, ut impios ab eo damnatos in tartara abripiant.

*Sexto*, Franciscus Lucas hæc accipit de Christi miraculis et donis cœlestibus, quibus Christo subservierunt angeli in hac vita, ac post eam. Intelligit ergo Jesus, inquit, ad nutum Filii hominis, cœlum ex eo tempore a fidelibus visum iri apertum, ultro citroque discurrentibus angelis; quia brevi e cœlis, jubente Filio hominis, ejusque jussui parentibus angelis, Dei dona magna copia omnibus cernentibus afferenda erant in terram : infirmorum sanatio, leprosorum mundatio, cæcorum illuminatio, claudorum erectio, dæmonum expulsio, mortuorum suscitatio, impiorum justificatio, Spiritus Sancti effusio, variorum munerum distributio, mundi conversio, etc. Quæ omnia cum sint manifesta Dei dona, non potuit non videri cœlum apertum, et angelos sanctos, per quos cœlestia ministrantur, Filio hominis ad nutum servire, iis qui viderunt Filium hominis reddentem plurimos horum compotes. Loquitur ergo Christus de omnigenis miraculis et cœlestibus donis, quæ statim a Nathanaelis vocatione editurus erat, toto mortalis vitæ suæ tempore, imo etiam post ascensionem suam in cœlum continue patraturus in gubernatione Ecclesiæ suæ, usque ad extremum judicium et consummationem sæculi. Hæc omnia vera et apposita sunt.

Verum, quia Christus Nathanaeli et Philippo specialiter promittit hanc angelorum visionem, ad inchoatam eorum in se fidem augendam et roborandam : nec in baptismo, passione, resurrectione, vel ascensione Christi, vel alias proprie apparuerunt angeli ascendentes et descendentes ad Christum, hinc planius, simplicius, pressius et germanius dicemus peculiarem et publicam hanc fuisse visionem angelorum, viventi Christo proprie ut verba sonant factam, æque ac eadem facta est Jacobo, qui fuit Christi typus, *Genes.* cap. XXVIII, vers. 12. Quare illa visio Jacobi similem Christo obventuram angelorum visionem (de qua hic agitur) præsignificat, ac similis jam ante contigerat in nativitate Christi, dum angeli ad eum descendentes cecinerunt : « Gloria in excelsis Deo, » *Luc.* II, 13. Porro, ubi et quando contigerit hæc angelorum visio, non narrant Evangelistæ, uti et alia multa Christi acta silentio præterierunt. Ita Jansenius.

Facta autem est hæc visio hoc fine. *Primo*, ut per eam ostenderetur Christum homines angelis, terram cœlo reconciliasse, ac utriusque mutuam communicationem et familiaritatem, quæ primitus erat in paradiso, restituisse.

*Secundo*, ut doceret Christianos esse advenas et hospites in terra, ac versari debere cum angelis, et eorum angelicam vitam imitari, quasi cives Sanctorum et domesticos Dei, *Ephes.* II, 19.

*Tertio*, ut angelos nobis quasi præsides assignaret, qui nos contra dæmones omnesque malorum incursus tutarentur, et ad heroicas virtutes impellerent, tandemque post mortem in cœlum deducerent. Ascendunt enim in cœlum angeli, ut vota, preces et gemitus nostros ad Deum perferant; descendunt, ut a Deo gratiæ dona ad nos deferant.

*Quarto*, ut declararetur Christi majestas, et angelorum erga eum obsequium et reverentia. Ipse enim, ait Chrysostomus, constitutus est « supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, » *Ephes.* I, 21.

Vide quæ de scala Jacob angelisque per eam ascendentibus et descendentibus fuse dixi, *Genes.* cap. XXVIII, vers. 12.

(1) Hæc nostri interpretis quæstio parum apta mihi videtur, et postrema versus 51 verba latiori sensu habenda sunt. Non enim certa ibi quædam et unica angelorum apparitio prædicitur, sed res perpetua ac continuata; nam verba ἀπ' ἄρτι, quæ prærnendo verti possès, *inde ab hoc tempore*, melius vertantur *posthac*, *in posterum*. Sensus igitur est : arctissimam mihi cum Deo esse conjunctionem in oculos omnium incurret, consilia Dei hominibus salutaria per me exsequentur, Deus mecum erit, et doctrina et factis insignibus me esse Messiam demonstrabo.



# CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Jesus vocatus ad nuptias in Cana, aquam in vinum convertit. Secundo, vers. 13, ejicit vendentes e templo. Tertio, vers. 13, Judæis petentibus signum, quo ostenderet se a Deo missum, hoc assignat :* Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.

1. Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ; et erat mater Jesu ibi. 2. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus, ad nuptias. 3. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum : Vinum non habent. 4. Et dicit ei Jesus : Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. 5. Dicit mater ejus ministris : Quodcumque dixerit vobis, facite. 6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. 7. Dicit eis Jesus : Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. 8. Et dicit eis Jesus : Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. 9. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, 10. et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit : et cum inebriati fuerint, tunc id quod



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

deterius est : tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. 11. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ; et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus. 12. Post hoc descendit Capharnaum ipse, et mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus; et ibi manserunt non multis diebus. 13. Et prope erat Pascha Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam : 14. et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et numularios sedentes. 15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque et boves, et numulariorum effudit æs, et mensas subvertit. 16. Et his qui columbas vendebant, dixit : Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. 17. Recordati sunt vero discipuli ejus, quia scriptum est : Zelus domus tuæ comedit me. 18. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei : Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? 19. Respondit Jesus, et dixit eis : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. 20. Dixerunt ergo Judæi : Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud? 21. Ille autem dicebat de templo corporis sui. 22. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, et crediderunt Scripturæ et sermoni quem dixit Jesus. 23. Cum autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quæ faciebat. 24. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, 25. et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine.

1. ET DIE TERTIA FACTÆ SUNT NUPTIÆ IN CANA GALILÆÆ; ET ERAT MATER JESU IBI. — « Die tertia, » a Christi abitu in Galilæam et a vocatione Philippi, cap. I, vers. 43. Hoc enim ultimum est tempus a Joanne nominatum. Ita Origenes, Jansenius, Toletus et Franciscus Lucas. Aut potius « die tertia » a visitatione et conversione Andreæ et Petri, cap. I, vers. 35. Illa enim die cœpit Jesus colligere discipulos iisque se patefacere; inde ergo Joannes computat hic diem tertiam, quo iisdem plane se patefecit ostenditque se esse Messiam, per conversionem aquæ in vinum.

*Chronotaxis dierum Christi.* Hæc ergo est chronotaxis horum Christi dierum. Christus baptizatus fuit a Joanne anno ætatis 31, die 6 januarii, uti habet Ecclesiæ et Patrum traditio. Eadem die a prandio secessit in desertum, ibique jejunavit per 40 dies. Cœpit ergo jejunium die 7 januarii, finiit die 15 februarii; inde rediit in Nazareth, ibique mansit per 13 dies; mox 56 die a baptismo, ait S. Epiphanius, *hæresi* 51, puta die 1 martii, Judæi miserunt legatos ad Joannem Baptistam, qui rogarent an ipse esset Christus? abnuit Joannes, dixitque Jesum esse Christum, uti audivimus, cap. I, vers. 19. Inde postero die, puta 2 martii, venit Jesus ad Joannem, unde Joannes eum digito ostendens : « Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, » cap. I, vers. 29. Sequenti die, puta 3 martii, Joannes idem repetiit, et coram discipulis duobus testatus est : unde illi visitarunt Jesum, unusque ex eis Andreas fratrem suum Petrum ad Christum adduxit, cap. I, vers. 35. In sequenti crastino, puta die 4 martii, Jesus ivit in Galilæam, ibique vocavit Philippum, vers. 43 : fuit hoc crastinum dies secunda ab adventu Andreæ et Petri ad Christum; inde dies tertia, puta die 5 martii, nuptiæ hæ factæ sunt in Cana Galilææ. Unde S. Epiphanius, loco citato, ait nuptias has factas die 60 a baptismo Christi. Porro, idem S. Epiphanius, contra reliquos Patres et communem Ecclesiæ sensum, opinatur Christum baptizatum fuisse a Joanne, die 8 novembris, ac proinde inde sexagesimo die, scilicet die 6 januarii factas esse has nuptias in Cana, ibique Jesum aquam in vinum vertisse, scilicet in festo Epiphaniæ, quo ante 30 annos, Magi duce stella venerant ad Christum in Bethlehem, ibique eum adorarant. Additque in memoriam tanti miraculi, etiamnum eodem die 11 mensis Tybi (quæ apud nos est 6 januarii) quosdam fontes in vinum converti. Audi eum : « Quapropter etiam in multis locis usque in hunc diem, hoc fit quod tunc factum est divinum signum, in testimonium incredulis, velut testantur in multis locis fontes ac fluvii in vinum conversi : Cibyres quidem, urbis Cariæ fons, qua hora hauserunt ministri, et ipse dixit : Date architriclino. Testatur et in Gerasa Arabiæ fons similiter. Nos bibimus de Cibyris fonte; fratres vero nostri de eo qui est in Gerasa, in Martyrum templo, sed et multi in Ægypto de Nilo hoc testantur : quare in undecimo Tybi, apud Ægyptios omnes hauriunt aquam, et reponunt, tum in ipsa Ægypto, tum in multis regionibus. » Hinc nonnulli putant sequenti anno, qui fuit Christi 32, recurrente eadem die 6 januarii, nuptias hasce celebratas in Cana. Verum illas eodem anno, quo baptizatus est Christus, puta duobus mensibus a baptismo Christi, contigisse liquet ex historia gestorum Christi, quam per singulos dies (uti paulo ante



ostendi) hic pertexit Joannes. Ita Baronius et alii.

Dices : Cur ergo Deus idem miraculum conversionis in vinum quotannis renovavit, die 6 januarii? Respondeo : Causa est, quod Ecclesia illo die istud miraculum celebrat, esto illo die non contigerit; voluit enim Ecclesia tria miracula quibus Christus se primo mundo patefecit, eodem Epiphaniæ, id est apparitionis Christi, die recolere et celebrare; scilicet *primo*, adventum et adorationem Magorum duce stella; *secundo*, baptismum Christi, in quo vox Patris intonuit : « Hic est Filius meus dilectus; » *tertio*, conversionis aquæ in vinum in Cana. E tribus hisce duo priora contigerunt eodem die, scilicet sexta januarii, tertium vero post duos menses contigit, die 6 martii, ut dixi. Quod ergo illo die canit Ecclesia : « Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias, » idem est ac si diceret : Hodie ejus rei memoria apud fideles recolitur et in Ecclesia publice quotannis celebratur. Ita Baronius, imo S. Augustinus, serm. 127 *De Temp.*; S. Maximus, serm. *De Epiphania* et alii.

Simili modo olim in plerisque locis Occidentis, paschali tempore, quo solemne baptisma in Ecclesia peragi consuevit, e sicco aridoque fonte lapideo, copiosæ ad baptismi usum aquæ exundare consueverunt, non quidem ad ipsam insinuandam diem, qua baptizatus est Christus, sed quod tunc temporis solemne baptisma in Ecclesia peragi consuevit.

*Sponsus in Cana quis?* NUPTIÆ. — Syrus, *convivium*, scilicet nuptiale. Quæres cujus fuerint hæ nuptiæ, et quis in iis fuerit sponsus. Beda, Rupertus, Lyranus, Carthusianus hic, et S. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXXVI, art. IV, ac Dom. Soto, in IV, dist. 27, *Quæst.* I, ad 4, et alii putant sponsum fuisse S. Joannem Evangelistam, moti auctoritate S. Augustini, qui hic, præfat. *in Joannem*, ait : « Joannem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit. »

*An S. Joannes?* Verum dico sponsum hic non fuisse S. Joannem; nam S. Joannes semper fuit virgo, unde nunquam uxorem duxit : hac enim de causa Christo fuit charissimus, et discipulus ille quem diligebat Jesus, quasi virgo virginem, qui virginitatis propositum per matrimonium nunquam infregisset, imo nunquam infringere destinasset, sed in eo constans per omnem vitam persiliturus erat. Ita docent S. Ignatius, Hieronymus, Augustinus, Epiphanius et alii, quos citat et sequitur Baronius, anno Christi 31. Quare quod S. Augustinus ait : « Joannem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit, » intellige « nuptiarum » non initarum, sed ineundarum, seu quas inire potuisset et more gentis inire debuisset, *q. d.* Christus Joannem juvenem advocavit ad se, ne de nuptiis ineundis cogitaret.

*Fuit S. Simon Cananæus.* Verisimilius ergo idem Baronius, secutus Nicephorum, lib. VIII *Histor.*, cap. XXX, censet sponsum in hisce nuptiis fuisse Simonem Apostolum, qui a Cana hac cognominatus est Cananæus. Additque Baronius ex Nicephoro locum hunc nuptiarum in Cana Galilææ, a S. Helena, Constantini Magni matre, insigni ecclesia ibidem erecta fuisse decoratum et nobilitatum. Simon ergo viso hoc Christi in nuptiis suis miraculo, sponsæ et mundo valedicens, secutus est Christum, ab eoque in 12 Apostolorum numerum est cooptatus; atque hac de causa Christus nuptias ejus adiit; atque eas adeundo, nuptias quidem honoravit, sed eum ab illis ad se evocando cœlibatum et apostolatum nuptiis præstare declaravit.

Tropologice : quomodo anima sancta per fidem, spem, castitatem, charitatem, religionem, quasi sponsa nubat Christo, fuse ostendi, II *Corinth.* XI, 2, ad illa : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. » Ipsa ergo est nympha Christi, quæ relictis omnibus mundi illecebris, amorem omnem in Christum transfert, illique caput, id est mentem sensusque omnes obnubit et velat, ut supra nubes in cœlo cum eo jugiter versetur, illique se totam dedicat et consecrat. Quare illi optime conveniunt nuptiarum etyma, quæ assignat Festus, dum ait : Nuptias nonnulli a Græco dictas censent; Græci enim novam nuptam vocant νύμφην; Cornificius, quod nova petantur conjugia; Curiatius, quod nova ratio fiat; Ælius et Cincius, quod flammeo (velo nuptiali) caput nubentis obvolvatur, quod antiqui « obnubere » vocarunt, ob quam causam legem Parcnstam jubere caput ejus obnubere, qui parentem necasset, quod est obvolvere. Hoc ultimum secutus Varro, lib. IV *De Lingua Latina* : *Neptunus* dicitur, inquit, quod mare terram obnubit, ut nubes cœlum : a nuptu, id est opertione, ut antiqui : a quo *nuptiæ nuptusque*. Sic S. Isidorus, lib. IX *Etymolog.*, cap. VIII : *Nuptæ*, inquit, dictæ, quod vultus suos velent, translatum nomen a nubibus, quibus tegitur cœlum. Unde et nuptiæ dicuntur, quod ibi primum nubentium capita velantur; obnubere enim cooperire est; cujus contraria *innuba*, hoc est innupta, quæ adhuc vultum suum non velat. Hucusque Isidorus. *Nuptiarum etyma.*

Talis Christi nympha fuit S. Dympna virgo et martyr, quæ ob formam a patre, Hyberniæ rege, in conjugem appetita, fugiens in Brabantiam, in oppido *Geel*, non longe ab Antverpia, patris manu obtruncata, nobile pro castitate obiit martyrium : unde meruit ut energumeni ejus sacra lipsana visitantes, a dæmonibus liberentur. Visitavi olim ejus templum, et virginem reveritus colui. Exstat Vita ejus apud Surium die 15 maii.

IN CANA GALILÆÆ. — Addit τὸ *Galilææ*, ad distinctionem alterius Cana, sive Chana, quæ erat sita in tribu Aser, juxta Sidonem : unde et Sidoniorum vocabatur, licet ipsa quoque esset in Galilæa, scilicet superiori, quæ gentium dicebatur, de qua *Josue* XIX, 28, atque ejus incola fuit mulier Cananæa, cujus filiam Christus a dæmone libe-

ravit, *Matth.* xv, 22. Hæc vero nuptiarum Cana sita erat in tribu Zabulon, in medio Galilææ, puta in Galilæa inferiore, supra vallem Carmelon, quatuor circiter horis distans a Ptolemaide, tribus vero a Nazareth. Ita S. Hieronymus, in *Locis Hebr.*; Adrichomius, Franciscus Lucas, Maldonatus et alii.

Et erat mater Jesu ibi. — « vocata tanquam familiaris ab his qui nuptias celebrabant, » ait Euthymius : Simon enim Chananæus, qui erat hic sponsus, fuit filius Cleophæ, qui erat frater Josephi, sponsi B. Virginis, ut dixi *Lucæ* iii, 23. Josephi hic et deinceps non fit mentio, quia ipse jam obierat, ut ex hoc loco colligit S. Epiphanius, *hæres.* . . S. Franciscus Lucas, Baronius et alii, licet ex adverso S. Cyprianus (vel quisquis est auctor), tract. *De Passione Domini*; et S. Ambrosius, in cap. xxiii *S. Lucæ*, opinentur Joseph adhuc fuisse superstitem in passione Christi, ac æquanimiter tulisse S. Joannem a Christo sibi præferri in cura B. Virginis.

Vers. 2. 2. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus, ad nuptias, — tanquam consobrinus sponsi, puta Simonis Cananæi. Porro Jesus « vocatus, ait S. Chrysostomus, nuptiis adfuit, in quibus non dignitati suæ, sed nostræ consuluit utilitati; » nimirum ut *primo* consanguineis hunc honorem deferret, eorumque nuptias sua præsentia honestaret; *secundo*, ut daret exemplum humilitatis, adiens pauperum nuptias; unde S. Chrysostomus : « Qui non est dedignatus, inquit, formam servi accipere, non est dedignatus ad nuptias venire servorum; » S. Augustinus, serm. 41 *De Verbis Domini* : « Erubescat, ait, homo esse superbus, quoniam factus est humilis Deus : ecce venit ad nuptias, qui cum apud Patrem esset, instituit nuptias; » *tertio*, ut in iis sponsorum paupertati et famæ consuleret, convertendo aquam in vinum; *quarto*, ut per hoc miraculum se discipulis patefaceret, eisque se Messiam esse ostenderet; ita Cyrillus; *quinto*, ut nuptias approbaret, ac sua præsentia sanctificaret, itaque refelleret Encratitas et Tatianos mox futuros, qui nuptias quasi sordidum diaboli inventum damnabant. Ita S. Augustinus, serm. 41 *De Temp.*; Cyrillus, Euthymius, Ammonius, in *Catena*, et Beda, homil. in *Dominica* II *post Epiphaniam*, quem audi : « Si nuptiis debita castitate celebratis culpa inesset, non ad eas Dominus venisset : bona castitas conjugalis, melior continentia vidualis, optima perfectio virginalis. Itaque Christus ex Virgine nascitur, a prophetico viduæ Annæ ore benedicitur, ad nuptias invitatus venit. »

Christus ivit ad nuptias quinque de causis.

Et discipuli ejus. — Quæres, unde et qui fuere hi discipuli Jesu? nam Jesu needum collegerat Apostolos : non enim collegit eos nisi post incarcerationem S. Joannis Baptistæ, ut patet *Matth.* iv, 12, hæc autem contigerunt ante incarcerationem Joannis, ut patebit cap. iii, vers. 24.

Respondeo : Verisimile est discipulos hos fuisse Nathanaelem et Philippum, forte etiam Petrum et Andream, qui, cap. i, 40, tertio ab hoc die Jesum viserant illique quasi magistro ad tempus adhæserant : nam postea ad suam piscationem et naves redierunt; unde a Christo vocati ad apostolatum, constanter ei adhæserunt, *Matth.* iv.

3. Et deficiente (Græce ὑστερήσαντος, id est cum *defecisset*, eo quod pauper sponsus parum vini procurasset) vino (1), dicit mater Jesu ad eum : Vinum non habent — sponsi cognati nostri; *q. d.* Consule ergo, o fili, eorum verecundiæ, ne coram invitatis confundantur; scio enim te id posse, cum sis Dei Filius, ac hoc tuam charitatem decere æque ac providentiam, ut hic miraculum patrando, te esse Messiam discipulis tuis et convivis omnibus ostendas. Ita S. Cyrillus, Chrysostomus et alii. Audi S. Bernardum, serm. *in Dominicam primam post Octavam Epiphaniæ* : « Compassa est enim eorum verecundiæ, sicut misericors, sicut benignissima. Quid, de fonte pietatis procederet nisi pietas? Quid, inquam, mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi servabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit? Nam et ante mentem replevit quam ventrem, et cum processit ex utero, ab anima non recessit. »

Nota modestiam Virginis; non enim postulat imperando, vel rogando : Fili, procura eis vinum; sed tantum eorum necessitatem indicat, aitque : « Vinum non habent, » non dubitans Jesum pro sua providentia et charitate illis succursurum; sic quoque Martha et Magdalena, ægrotante Lazaro, miserunt ad Jesum nuntios, ut is eum sanaret, nec tamen id expresse petunt, sed tantum dicunt : « Domine, ecce quem amas infirmatur. » Amanti enim sufficit infirmitatem amati indicare : « Non enim amas et deseris, » ait S. Augustinus. Audi S. Bernardum, serm. 2 *De B. Virgine* : « Et iis quidem sermo certissimus index ingenitæ mansuetudinis, et virginalis verecundiæ fuit. Aliorum quippe verecundiam suam reputans, sustinere non potuit, non potuit vini dissimulare defectum. Ubi sane increpata est a filio (tanquam mitis et humilis corde), nec illi respondit, nec tamen desperavit, ministros admonens facere quod diceret eis. »

Porro, certa fiducia impetrandi, tacite vinum hic a filio produci postulat mater, eo quod per 30 annos, quibus cum illo familiariter vixerat, ab eo intellexisset eum missum a Patre, ut per cœlestem doctrinam et miracula homines ad se et ad Deum converteret; imo dubitari nequit quin

(1) Nuptias Judæorum per septem vel octo dies celebratas esse, patet ex *Gen.* xxix, 27; *Jud.* xiv, 14. Vid. Lightfootum, *Hor. Hebr.* Ea vero quæ de defectu vini commemorantur, intelligenda sunt de die quinto, vel sexto, vel septimo nuptiarum. Vix enim credibile est die nuptiarum primo vinum defecisse.



Christus, valedicens matri, iturus ad baptismum Joannis, indeque orsurus suum prædicandi officium, id ipsum expresse matri significarit : quare ipsa opportunum hic tempus rata, quo Jesus per miraculum sibi jam prædicare incipienti auctoritatem et fidem conciliaret, idipsum intrepide poscit a filio, non dubitans quin Christus id facturus esset, tum ut matri et cognatis satisfaceret, tum ut sibi suæque dignitati et officio prospiceret.

Tropologice : S. Bernardus, serm. 2 *in Domin.* I *post Octavam Epiphaniæ*, loquens de mysticis animæ cum Deo nuptiis : « Hic, inquit, nonnunquam vinum deficit, gratia scilicet devotionis et fervor charitatis. Quoties mihi necesse est, fratres, post lacrymosas querimonias vestras, exorare matrem misericordiæ, ut suggerat suo benignissimo filio, quoniam vinum non habeatis? Et ipsa, dico vobis, charissimi, si pie a nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ, quoniam misericors est et mater misericordiæ. »

Vers. 4. 4. Et dicit ei Jesus : Quid mihi et tibi est, mulier (*q. d.* Quid mihi tecum in hac re est negotii)? Nondum venit hora mea. — Nota : B. Virgo non ex ostentatione aut intempestive, insolenter vel indiscrete petiit hoc a filio miraculum fieri, uti opinantur S. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius; sed ex necessaria charitate et pietate : ita S. Cyrillus, Bernardus et alii : ergo in ipsa nulla fuit culpa : ergo non vera fuit Christi reprehensio; reprehendere tamen illam videtur, ut non ipsam, sed nos doceret in operibus theandricis, sive in rebus divinis et miraculis, uti parentes nil habent juris et auctoritatis, ita nec eorum affectibus et desideriis, sed tantum Deo et charitati illa esse danda et exhibenda. Vide dicta *Lucæ* ii, 49 et 51. Sensus ergo est, *q. d.* Tu, o mater, in hac re mihi non es mater, sed quasi mulier extera, quia a te humanitatem accepi, non divinitatem, cujus ex hoc miraculum patrare, non secundum tua et cognatorum desideria, sed juxta voluntatem Dei Patris mei : juxta illam ergo illud patrabo, quando venerit tempus et hora a Deo decreta. Audi S. Augustinum hic, *tract.* 10 : « Dicta est mulier secundum femineum sexum, non secundum corruptionem integritatis. » « Non dixit : Mater, sed : Mulier, tanquam Deus, inquit Euthymius. » « Significat, ait Beda, se divinitatem, qua miraculum erat patrandum, non temporaliter accepisse de matre, sed per æternitatem semper habuisse de Patre, » *q. d.*, ait Glossa Interlinearis : Quid est commune deitati meæ et tibi matri secundum carnem? Non tu genuisti deitatem meam, quæ facit miraculum, ait S. Augustinus. Addit S. Chrysostomus : Ita loquitur, ne suspectum esset miraculum (fictum, et ex composito simulatum); ab his enim qui indigebant, rogari oportuerat, non a matre (1).

An hic Christus matrem reprehenderit?

Nondum venit hora mea, — qua scilicet opportune hoc miraculum edam; volo enim adhuc paulisper exspectare, donec vinum omnino deficiat, idque omnes convivæ sentiant et videant, ut clarius et magis pium miraculum appareat, utque omnes advertant me hoc miraculum patrasse, itaque in me credant; qui enim necessitatem non præsensit, nec beneficium magnopere sentiet. Ita S. Chrysostomus. Aliter quoque idem S. Chrysostomus et Theophylactus, *q. d.* Nondum venit hora mea, quia statui primum miraculum facere in Jerusalem, utpote metropoli Judææ; sed ad preces tuas, o mater, propositum mutabo faciamque illud hic in Cana Galilææ.

Aliter quoque S. Augustinus, *q. d.* Nondum venit hora passionis meæ, qua ostendam quid tibi et mihi sit, o mater, scilicet, me ex te veram assumpsisse naturam humanam tuumque esse filium, *q. d.*, ait S. Augustinus : Cum infirmitas mea pendebit in cruce, cujus mater es, tunc te agnoscam : commendavit enim matrem discipulo. Non est autem quod hic Mathematici occasionem sumant erroris, quasi Christus sub fato fuerit; nec enim sub necessitate siderum est eorum conditor : in potestate habebat quando moreretur, sed ea uti nondum erat opportunum : vocandi prius erant discipuli, annuntiandum regnum cœlorum, faciendæ virtutes, commendenda divinitas in miraculis et humilitas in passione mortalitatis : ubi vero tantum fecit, quantum sufficere judicavit, venit hora non necessitatis, sed voluntatis; non conditionis, sed potestatis. Hæc S. Augustinus fuse, ideoque ejus verba plura in pauca contraxi. Verum hæc symbolica et mystica sunt, non litteralia.

5. Dicit mater ejus ministris : Quodcumque dixerit vobis, facite. — Tacet modeste mater, jureque cedit filio, utpote Dei Filio; alioqui enim, ait S. Bernardus, dicenti : « Quid mihi et tibi est, mulier? » vere respondere potuisset : « Quid matri est et filio? » Nam, ut ait Interlinearis et alii, etsi negare videtur filius, scit mater pietatem ejus, et ideo fiducialiter imperat ministris. Et S. Gaudentius Brixianus in hæc verba : « Non mandaret, ait, mater : Quodcumque dixerit vobis, facite, nisi Spiritu Sancto post partum plena, faciendi a Christo vini ex aqua universum ordinem prævidisset. » Sic et Eucherius ac Beda. Unde S. Bernardus, homil. 2 in hæc verba : « Manifeste, inquit, jam video, quod non velut indignans, aut confundere volens Virginis matris teneram vere-

(1) Formulam τί ἐμοὶ καὶ σοί, *quid mihi tecum rei est*, vel contemptus, vel indignationis causa pluribus in locis S. Scripturæ usurpatam esse negari nequit. Qua de re, adnotandum tamen est verba hæc, ex nostro quidem loquendi more justo, asperiora reipsa non esse, et ejusmodi formulas vitæ communis paulo duriores, leniri ac molliri vocis sono. Recte quoque multi observant, γύναι, *mulier*, apud Græcos fuisse compellationem et allocutionem feminarum honestissimarum, atque hac voce minime iram et indignationem, sed observantiam et amorem significari. Vid. Dion. Cass., cap. li; Xenoph., *Cyrop.* vii. 3, 4.

cundiam, dixerit : quid mihi et tibi ? sed propter nos, ut conversos ad Dominum jam non sollicitet carnalium cura parentum. » Nam Christus mox obsequens matri, ut illam honoraret, miraculum patravit. Audi S. Chrysostomum : « Et licet ita responderit, maternis tamen precibus obtemperavit, etc., ut matri honorem exhiberet, et non contumax videretur matri, neve genitricem tam multis præsentibus pudore afficeret. » Et Cyrillum : « Quantus honor debeatur parentibus ostendit, cum statim ad actum propter matrem accessit. » Et Euthymium : « Nam quod eam plurimum honoraret, et ex aliis multis manifestum est, et ex eo quod ipsius complevit exhortationem. »

Porro, in his Virginis matris verbis, mira elucet ejus mansuetudo, pietas, charitas, prudentia, fiducia, constantia animique magnitudo.

6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. — « Hydriæ, » Varro, lib. IV *De Lingua Latina*, interpretatur *aquales* (ὕδωρ enim est aqua), id est vasa aquaria ad continendam aquam : hydriis ergo hic usus est Christus, ut clarius constaret nil in eis fuisse vini, ac consequenter clarior esset aquæ in vinum conversio, in hydriis sive vasis aquariis mox ab ipso facienda. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et alii.

Secundum purificationem Judæorum, — qua Pharisæi, juxta traditiones suas, inter epulas sæpe religionis causa manus lavabant; ut si quid immundi in mensa tetigissent, aqua ex hydriis sumpta se expiarent et purificarent. Vide dicta *Marci* VII, 3.

Tropol. sex hydriæ sunt sex virtutes. Tropologice : S. Bernardus, serm. 1 *in Domin.* 1 post *Octavam Epiphaniæ* : Sex hydriæ purificatoriæ, inquit, sunt sex virtutes animam purificantes. Audi eum illas enarrantem : « Prima hydria et prima purgatio in compunctione est, de qua legimus : Quoniam in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Secunda vero, confessio est. Omnia siquidem in confessione lavantur. Tertia, eleemosynarum largitio. Hinc enim habes in Evangelio : Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Quarta, remissio injuriarum, secundum quod orantes dicimus : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Quinta est afflictio corporis, unde et oramus, ut mundi per abstinentiam Deo canamus gloriam. Sexta est obedientia præceptorum, sicut audierunt discipuli, quod utinam audire mereamur et nos : Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Nimirum quia non erant sicut hi quibus dicitur : Sermo meus non capit in vobis; sed in auditu verbi obaudierant ei. » Reliqua deinde ita explicat et applicat : « Aqua replentur, ut in timore Dei custodiantur, quoniam timor Domini fons vitæ; aqua, inquam, timor Domini est, etsi minus sapida, sed optime refrigerans animam noxiis desideriis æstuantem. » Et paucis interjectis : « Sed divina virtute aquæ mutantur in vinum, quando perfecta charitas foras mittit timorem; dicuntur autem lapideæ hydriæ, non tam propter duritiam, quam stabilitatem; capientes singulæ metretas binas vel ternas. Duæ metretæ duplex timor, ne forte trudi in gehennam, ne forte ab æterna vita contingat excludi. »

Capientes singulæ metretas binas vel ternas. — *Metreta* græce idem est quod mensura, ita dicta ἀπὸ τοῦ μετρῆσαι, id est a metiendo. *Metreta* æqualis est Hebræo *ephi* sive bato, continens congios decem, ait Dioscorus, lib. V; vel, ut S. Epiphanius, lib. *De Ponder. et mensuris*, duodecim; congius autem sex continet sextarios, foliettas octo (1). Breviter Jansenius ex Roberto Canali, qui post Budæum accuratius de mensuris scripsit : Metreta, inquit, continet 72 sextarios Atticos, id est libras mensurales 108, hoc est Parisinos quartarios 12 et paulo amplius, hoc est pocula Belgica (vulgo *potten*) duodecim.

Sextarius triplex. Verum adverte hic sextarium fuisse triplicem, scilicet Romanum, qui continebat 20 uncias aquæ vel vini; Atticum, qui 15, et Hebræum, qui 13 duntaxat uncias continebat, idemque erat quod Hebræum *log*. Hic autem Hebræus accipiendus videtur. Quare metreta continens 72 sextarios 13 unciarum, continebat 72 libras et totidem uncias (libram enim accipio vulgarem 12 unciarum), quæ unciæ efficiunt sex libras, ut universim fiant 78 libræ. Quare metreta continebat *boccales* italicos 13 et foliettas duas. Unum enim boccale continet 4 libras et 4 uncias, id est uncias 64. *Folietta* vero est quarta pars boccalis, continens uncias 16. Quare hydriæ, quæ vulgo ostenduntur, quasi reliquiæ nuptiarum in Cana Galilææ, videntur supposititiæ; sunt enim metretis jam dictis minores, et facile portatiles. Vide quæ de mensuris annotavi in fine Pentateuchi. Hydria ergo continens duas metretas, continebat 27 boccales. Sex ergo hydriæ continebant 162 boccales : tantum ergo vini ex aqua hic effecit Christus; sin hydriæ des tres metretas, quælibet hydria continebat 40 boccales et duas foliettas : quare sex hydriæ continebant 240 boccales cum 12 foliettis, puta pene integram vini bottam; botta enim Romana continet boccales 256. Sic ergo pene bottam vini hic in instanti produxit Christus.

Denique Franciscus Lucas : Metreta, inquit, idem erat Græcis quod Hebræis *bath*, sive batus. *Bath* autem continet sex *hin*, *hin* 12 *log*, *log* sex ova gallinacea communia : quare bath, sive metreta, capit ova 432.

7. Dicit eis Jesus : Implete hydrias aqua, et impleverunt eas usque ad summum. — Quærit

(1) Μετρητὴς Attica continebat 12 congios, Gall. 38 *litres* 84 *centil.*



S. Chrysostomus : « Sed cur ipse (Christus) hydrias aqua non implevit, deinde in vinum vertit, sed ministris implendas mandavit? » Respondet recte ut miraculi ipsos testes haberet, qui aquam hausissent, ne qua fraus, ne quod præstigium putaretur.

Ad summum, — ne, si quid vacui mansisset, Christus aquæ vinum potens superfudisse putaretur, quod aquæ subjectæ vini saporem communicaret, ac consequenter non mutasse aquam in vinum.

8. Et dicit eis Jesus : Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. — « Haurite, » q. d. Ex hydriis magnis haurite, et promite in poculis minoribus, quæ portatilia sunt, ac ferte ad architriclinum, ut is, qualis sit hic potus, quale, inquam, et quam præstans vinum, dijudicet. Hæc enim dicens Christus, subito omnipotenti sua vi, totam aquam sex hydriarum in vinum convertit. Audi Nonnum : « Subito factum est miraculum, et versicolor aqua mutavit fluore rubescente colorem niveum in liquorem vini nigri. » « Quid enim, ait Cyrillus, omnipotenti Deo difficile, aut quomodo qui a nihilo ad esse res omnes provocat, non multo facilius unum ad aliud permutabit atque traducet? » « Sed cur, interrogat Chrysostomus, antequam implerentur, ex nihilo non fecit miraculum, quod longe fuisset admirabilius? » Respondet : « Hoc profecto mirabilius, non tamen ita credibile, et quod tam facile potuisset multitudini persuaderi : hac de causa miraculorum magnitudinem nonnunquam consulto imminuit, ut facilius crederentur. »

Ex hac conversione aquæ in vinum, Patres probant conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi in Eucharistia, adduntque majus videri miraculum, quod Christus aquam in vinum, quam quod vinum in sanguinem converterit; vinum enim propinquius est sanguini, quam sit aqua vino. Ita S. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 4 *Mystag.*; S. Cyprianus, in epist. *Contra Aquarios*; S. Irenæus, lib. III, cap. XI, et Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 393. Qui quærens

Cur hoc miraculum fuit Christi primum? cur Christus hoc miraculum voluerit esse primum? Respondet mystice, ut quod legi deerat, suppleret : « Quoniam namque, inquit, illa in aquis duntaxat baptizabat, ipse suo cruore sacram initiationem perfecit, utrumque in seipso miscens, ac legem cum gratia copulans; » aqua enim symbolum fuit legis veteris, quæ omnia per aquam purificabat, sed purificatione corporali duntaxat. Vinum vero symbolum est sanguinis Christi, qui in cruce fusus animas expiat; Christus enim vinum in sanguinem suum convertit in Eucharistia. Christus ergo initio suæ prædicationis mutans aquam in vinum, significabat se legem Mosaicam, instar aquæ insipidam et frigidam, conversurum in Evangelium gratiæ, quæ instar vini est generosa, sapida, ardens et efficax.

Architriclinus quis? Architriclino. — S. Gaudentius (et ex eo Baronius, qui asserit hanc esse traditionem) : Nuptiæ, ait, cum fierent apud Judæos, unus e sacerdotibus dabatur, qui morem disciplinæ legitimæ gubernaret, curamque pudoris ageret conjugalis, simul et convivii apparatum, ministros atque ordinem dispensaret : inde Architriclinus, id est triclinii, sive mensarum et convivii præfectus dicebatur, qui apud Gentiles Modimperator vocabatur, de quo multa dixi *Eccli.* cap. XXXII, vers. 1 (1). Unde non mirum huic honestati, adeoque honesto nuptiarum convivio Christum et B. Virginem interfuisse. Jubet ergo Christus aquam in vinum a se conversam ferri architriclino, quia is ex officio et sollicitudine magis sobrius erat, æque ac saporum vinorumque magis peritus, ideoque optime de hoc vino ejusque bonitate et excellentia judicare poterat, et miraculum hoc Christi apud omnes celebrare. Ita S. Chrysostomus et Theophylactus.

Et tulerunt — liquorem ex hydriis in scypho haustum, quem jam in vinum esse conversum suspicabantur ex odore et colore. Verisimile est enim Christum aquam in vinum rubrum convertisse, tum quia in Palestina non nisi vini rubri est usus; tum quia id asserit Nonnus, Franciscus Lucas et alii; tum ut clarius appareret vere aquam in vinum esse conversam. « Tulerunt » ergo gaudentes se ad tantum miraculum Christi observatos et cooperatos esse; non parum enim ad hoc miraculum contulit, ipsorum promptum in haurienda aqua ministerium et obedientia.

9. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam (id est vinum in quod aqua erat conversa), et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, 10. et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit; et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est : tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. — « Gustavit : » non credidit omnino odori et colori rubro esse vinum; sed insuper gustavit, ac deprehendit optimum et præstantissimum esse hoc vinum; gustus enim certius de vino judicat, quam visus vel odoratus.

Ebrietas in S. Scriptura ut explicanda. Et cum inebriati (id est exhilarati) fuerint. — Ebrietas enim sæpe in Scriptura vocatur liberalior potus mentem exhilarans, sed rationis usu eam non privans : si enim convivæ hi vere fuissent ebrii, utique Jesus eis aquam in vinum non mutasset; fovisset enim et auxisset eorum ebrietatem; sed potius potioni finem imposuisset,

(1) Juxta Wetstenium et alios, non debet *Architriclinus* confundi cum convivii præside, qui Græcis dicebatur Συμποσιάρχης, βασιλεὺς, vel Στρατηγός; Latinis, *Modimperator, Arbiter, Dictator*, qui a convivis ex eorum numero deligebatur, aut forte constituebatur, ut summa auctoritate convivio præesset, leges bibendi daret, etc. *Architriclinus* ita a Joanne describitur, ut appareat eum non una cum convivis ad mensam accubuisse, sed fuisse servum, convivii reliquorumque servorum præfectum. Vid. Walchii Dissert. *de Architriclino*.

eosque domum amandasset. Idem fecisset beata Virgo.

Tunc id quod deterius. — Ratio est, quod stomachus vino refertus, minus recte judicat de vino, sed qualecumque vinum, esto deterius sit, judicat esse bonum, et priori simile, quia ipsum sapit et eructat : ipso enim est plenus. Hic est typus fallaciæ mundi, qui initio res speciosas oculis objicit, deinde sub iis deteriores et viles inducit, itaque sui amatores decipit et illudit.

Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. — Hinc liquet præstans fuisse hoc vinum, utpote opus Christi et divinum; Dei enim perfecta sunt opera. Sic panes a Christo multiplicati ad alendum quatuor hominum millia, fuere sapidissimi instar mannæ. « Ejusmodi enim sunt Christi miracula, ait Chrysostomus, ut quæ natura perfecta sunt, longe pulchriora felioraque reddantur, ita et in aliis distortum membrum quod sanabat, validius reddebat. »

Omnia hæc concinne acta et ordinata fuere a Christo, ut testatius et celebrius foret miraculum. Architriclinus enim vocavit sponsum, sciscitans unde esset hoc vinum? ille se nihil de eo scire respondit : quare a ministris rei seriem intelligentes, adierunt hydrias, atque omnes eodem vino præstanti plenas repererunt : quare in Jesu auctoris et benefactoris sui laudes erumpentes, ipsi ingentes egere gratias, ac miraculum convivis omnibus enarrarunt et celebrarunt. Jesus vanam gloriam fugiens recessit, prius monens ut vino hoc moderate uterentur, ad Dei laudem et gratiarum actionem. Addit Franciscus Lucas : Singuli stupore et gaudio pleni aliquid ex vino illo ex aqua facto, etiam secum in vasculis domum auferre contenderunt, quod vel darent aliis quoque gustandum, vel ad longam servarent memoriam.

11. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ; et manifestavit gloriam suam (suam omnipotentiam et divinitatem), et crediderunt in eum (id est credere perrexerunt, in fide ejus confirmati sunt) discipuli ejus, — quinque superius nominati, scilicet Andreas cum socio, Petrus, Philippus et Nathanael.

An hæc aquæ in vinum conversio fuerit primum Christi miraculum?

Initium. — Hinc passim Patres et interpretes docent hoc miraculum fuisse absolute primum, quod Christus publice fecit, ad fidem prædicationi suæ faciendam. Hinc ergo refellitur liber *De Infantia Salvatoris*, quem damnat Gelasius Pontifex, quasi ab hæreticis confictum, in quo narratur Christum, dum puer esset, publice miracula patrasse; nil tamen vetat, ait Maldonatus, si eum privata subinde fecisse concedamus, ac per miraculum subinde inopiæ parentum succurrisse fateamur : unde iis animata fuisse videtur mater, ut simile hic a Christo miraculum fieri peteret, et constanter idipsum ab eo exspectaret. Verum poterat Christus succurrere necessitati matris, peculiari aliqua providentia, citra miraculum.

Hinc collige hoc miraculum mox a baptismo Christi contigisse : nam post baptismum statim cœpit prædicare et doctrinam suam miraculis confirmare, uti superius ostendi.

Cur Christus aquam in vinum vertit Galilææ.

Quæres, cur Christus voluit primum hoc suum esse miraculum? Respondeo : Quia maxime congruum erat illud loco, tempori et personis. Per hoc enim statim innotuit omnibus suis cognatis, civibus et Galilæis. Vinum enim est potus nobilissimus, qui Deum et homines lætificat, *Judic.* cap. IX, 13. Unde Noe statim a diluvio vinum adinvenit fuitque typus Christi hic vinum efformantis, *Genes.* IX. Vide quæ de vini commodis dixi *Eccli.* cap. XXXI, vers. 33 et seqq. Rursum Christus hoc miraculo ostendit se esse qui, ut ait S. Augustinus, « omni anno hoc facit in vitibus, » dum in eis succum aqueum in vinum convertit. « Hoc ergo miraculo, ait S. Chrysostomus, manifeste ostendit se eum esse, qui in vitibus aquam transmutavit, et qui pluviam per vitis radicem in vinum vertit, cum quod in planta longiori temporis spatio efficitur, id repente in nuptiis operatus est. » Quid enim aliud est vinum, nisi aqua in vite radiis solis percocta?

Symbolica causa est, quod vinum aptissimum sit symbolum gratiæ, charitatis, devotionis, fervoris, fortitudinis, quas suis suggerit Christus. Unde S. Bernardus, in *Sententiis* : « Triforme, ait, vinum est in scypho Dei, rubicundum in longanimitate Sanctorum, quod lætificat Isaac in ægritudine; album in remuneratione justorum, quo inebriatur Noe; nigrum et acidum in damnatione pravorum, quod Jesus gustat, sed non vult bibere. »

Allegorica causa fuit, quod hæ nuptiæ repræsentabant connubium Christi cum humana natura, factum in incarnatione Christi : unde hoc quoque factum est tertio die, id est tertio mundi statu; primus enim status fuit in lege naturæ, secundus in lege Mosis, tertius in lege Christi. Idipsum pariter factum est in Galilæa Gentium, quia Christus ad illud vocat omnes Gentes. Item in Cana Galilææ, hoc est in possessionis transmigratione, id est in populo Christiano, qui est possessio Christi, ejus sanguine empta, ideoque e terra in cœlum transmigrat. Hic Christus dat vinum, id est Evangelicam doctrinam et gratiam, quæ mentem fidelis lætificat et inebriat; item vinum in sanguinem Christi conversum in Eucharistia, de quo Zacharias, cap. IX, vers. ultim. : « Quid, inquit, bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? » Ubi multa dixi de hoc vino.

Tropologica causa fuit, ut per hasce nuptias et vinum significaret conjunctionem et quasi connubium animæ nostræ, per gratiam et charitatem, cum Christo et Deo. Hæc enim fit in Cana Galilææ, id est in possessione istius mundi, ex quo in cœlum assidue transmigramus. Adest



mater Jesu, id est virginalis castitas, et discipulorum Christi simplicitas et fides in Jesum, qui, cum humiliter agnoverimus vinum devotionis, et fervoris nobis deficere, illudque ab eo flagitaverimus, ipse aquam, quæ est in sex hydriis, id est omnem animæ nostræ virium dissolutionem et mollitiem convertet in vinum sapidum cœlestis gratiæ, quo non tantum nos, sed et alios recreemus, inebriemus, ac amore Dei incalescere faciamus.

Anagogice, nuptiæ agni perficientur in cœlo, ubi Christus dabit nobis vinum novum et nectar divinum. Tunc enim inebriabimur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis suæ potabit nos. Vide dicta *Apoc.*, I, 19 et seq.

12. Post hoc descendit Capharnaum ipse, et mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus, et ibi manserunt non multis diebus. — Peractis nuptiis in Cana, Jesus cum matre et suis rediit domum, puta in Nazareth, quæ quia altiori loco sita erat, hinc Jesus ex illa proficiscens Capharnaum, quæ urbs erat loco decliviore ad mare Galilææ, dicitur eo descendisse. Causa descensus fuit, quod Jesus nollet in Nazareth, utpote urbe ignobili et exili, ubi a suis civibus quasi faber et fabri filius contemnebatur, prædicationis et doctrinæ suæ sedem constituere, sed ad hoc destinabat Capharnaum, utpote urbem ob mare et merces celebrem, et populis frequentem, ut ad plures prædicationis suæ fructus dimanaret, uti patet *Matth.*, IV, 13.

Porro hic descensus, et hoc iter Christi contigit ante incarcerationem Joannis Baptistæ, ut clare colligitur ex cap. III, 24, et cap. IV, 1, alius ergo fuit hic Christi descensus, ab illo de quo agit *Matth.* IV, 13. Ille enim contigit post incarcerationem Joannis, cum Christus de facto habitationem suam transtulit Capharnaum, ibique publicam suæ doctrinæ et prædicationis scholam aperuit. Hic vero eamdem duntaxat præparare, et quasi inchoare cœpit, ut pluribus innotesceret, pluresque discipulos colligeret. Fuit ergo hic obiter, et quasi in transitu, ut scilicet inde pergeret Hierosolymam, ad instans Pascha celebrandum. Ita Jansenius.

Et fratres ejus, — id est cognati et consobrini Christi, puta Jacobus Minor, Joseph, Simon et Judas, *Matth.* XIII, 55. Item Joannes et Jacobus Major : hos enim avide verba sua cœlestia audientes, paulo post in discipulos, ac tandem in Apostolos elegit.

13. Et prope erat Pascha Judæorum (1), et ascendit Jesus Hierosolymam. — Fuit hoc primum Pascha, tertio mense *Nisan*, sive martio, post Christi baptismum, qui contigit die 6 januarii.

14. Et invenit in templo vendentes boves et oves, et columbas, et nummularios sedentes.

15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque et boves, et nummulariorum effudit æs, et mensas subvertit. Vers. 15.

16. Et his qui columbas vendebant, dixit : Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. — Hæc omnia explicui, *Matth.* XXI, 12. Tantum nota aliam esse hanc ejectionem vendentium e templo, ab illa de qua agit *Matth.* XXI : illa enim contigit paulo ante passionem Christi, hæc vero initio prædicationis ejusdem; hanc enim pie et recte, et ordine congruo, Christus a religione et domo Dei exordiri voluit, ex ea ejiciendo vendentes illam profanantes. Idem Christi exemplo faciat visitator, reformator et concionator Apostolicus. Vers. 16.

Christus e templo ejicit vendentes.

17. Recordati sunt vero discipuli ejus, quia scriptum est (*Psal.* LXVIII, 10) : Zelus domus tuæ comedit me. — Zelus hic fuit justa Christi indignatio, ait Euthymius, aut potius ardor æstus animi, ad amoliendum ea quæ Deum (quem summe amabat) Deique honorem offendebant, qui proinde iram et indignationem, quasi cotem assumpsit, ut eo se acueret, et audacter se, suam vitam et famam, pro tuendo Dei honore exponeret. Hoc enim fecit Christus hic coram avaris et superbis Scribis et Pharisæis sibi aversantibus. Sensus ergo est, *q. d.* « Zelus, » id est fervor ardensque studium procurandæ gloriæ templi tui, in quo tu, o Domine, quasi in domo tua habitas; atque indignatio, quam in vendentes, qui illud profanant et pessumdant, concepi, « comedit me, » id est absorbuit me; Symmachus : *consumpsit, exedit me,* sicut ignis ferrum igniens illud consumit et in se transmutat, ut jam non ferrum, sed merus ignis esse videatur.

Quærit S. Augustinus : « Quis comeditur zelo domus Dei? » ac respondet : « Qui omnia, quæ forte ibi videt perversa, satagit emendare; non quiescit si emendare non potest, tolerat, gemit, et apud se dicit : Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei, » *Psal.* CXVIII, 139. Unde Beda hic : « Zelemur et nos, fratres, inquit, domum Dei; si viderimus fratrem, qui ad domum Dei pertinet, superbiæ tumidum, detractionibus assuetum; si ebrietati servientem, si luxuria enervatum, si iracundia turbidum, si alii cuiquam vitio substratum, studeamus, in quantum facultas suppetit, castigare, polluta ac perversa corrigere : et si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis sustinere dolore, et maxime in ipsa domo orationis, ubi corpus Dei consecratur, ubi angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid nostram fraternamve orationem impediat, totis viribus agamus. »

Plura de zelo dixi *Deuter.* XXXII, 10, et *Eccli.*

(1) Τῶν Ἰουδαίων addit Joannes, quia scribit Ecclesiis quæ maxima ex parte gentibus collectæ erant, ut in *Proœmio* annotavimus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

XLVIII, 1; ad illa : « Surrexit Elias quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. » Elias enim zelans pro Deo, fuit typus Christi zelantis pro domo Dei. Vide et quæ de zelo Pauli dixi, procemio in *Acta Apostolorum*, num. 99 et alii.

18. RESPONDERUNT ERGO JUDÆI, ET DIXERUNT EI : QUOD SIGNUM OSTENDIS NOBIS, QUIA (quod) HÆC FACIS? — *q. d.* Quod miraculum profers, quo ostendas te vendantes præter morem ejicere e templo, auctoritate accepta a Deo? nam ab homine, v. g. a pontifice, vel a præside te nullam habere scimus. Insinuaverat enim Christus se a Deo missum, imo se esse Dei Filium, nam dixerat vers. 16 : « Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. » Petunt ergo ut ipse miraculo probet se esse Dei Patris Filium, et Messiam; sicut Moses signa et prodigia de cœlo ostendit, ait Rupertus, quibus Pharaoni et Ægyptiis demonstravit se a Deo mitti; ad educendum Hebræos.

JUDÆI, — scilicet ementes et vendentes, quos e templo ejecerat, eorumque fautores et amici, vel patroni, præsertim sacerdotes et Scribæ; hos enim pungebat et urebat Christi animositas, quod ab eo et lucris suis privati, et publica ignominia notati forent.

Vers. 19. 19. RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EIS : SOLVITE TEMPLUM HOC, ET IN TRIBUS DIEBUS EXCITABO ILLUD. — Apposite auctoritatem suam in templum probat, per potestatem suam reædificandi templum.

*Corpus suum vocat Christus templum. Cur?*

TEMPLUM HOC, — puta corpus meum, quod Christus hic manu ad pectus admota demonstrabat. Ubi nota, corpus Christi vocari templum, quia in eo inhabitabat plenitudo divinitatis, non tantum per gratiam, ut inhabitat in nobis, sed corporaliter et personaliter, *Coloss.* II, 9. Ita Cyrillus, *q. d.* Vos, o Judæi increduli, petitis a me signum sive miraculum, en ego vobis illud assigno; nimirum meam a morte resurrectionem, quod quidem vobis, quia increduli estis, obscurum nunc est, sed illud paulo post intelligetis, vel facile intelligere poteritis, cum me videbitis die tertia resurgere : inde enim cognoscetis, quis, qualis et quantus ego fuerim; nimirum me fuisse dominum corporis mei, ut illud ad libitum mori sinam et rursum vivificem; ac consequenter me multo magis templi hujus esse dominum, utpote quod corporis mei sit typus et umbra, ac proinde potestatem me habere vos vendentes et ementes ex illo ejiciendi. Ita Beda.

Porro, Christus corpus suum potius vocat « templum, » quam aliud quippiam, quia lis hæc in templo et de templo agebatur, eo quod ex illo vendentes ejecisset, *q. d.* Ut sciatis, o Judæi, me dominum esse templi, « solvite, » id est permitto ut solvatis, ac scio reipsa vos soluturos templum corporis mei, cum me crucifigetis et occidetis, et ego intra tres dies, propria virtute, ait Cyrillus, resuscitabo illud, quasi dominus illius, ac multo magis templi vestri materialis et inanimis, quod tantum figura est templi animati et divini, puta corporis mei. « Solvite, dixit, ait Euthymius, non adhortans eos ad interfectionem; sed quia cognovit quod facturi erant, figurativo sermone prædixit : solvite ergo, sive in terram subvertite, ab anima separate, et conjunctionem, quæ cum illa est, dissolvite. » Ita Euthymius.

20. DIXERUNT ERGO JUDÆI : QUADRAGINTA ET SEX ANNIS ÆDIFICATUM EST TEMPLUM HOC, ET TU IN TRIBUS DIEBUS EXCITABIS ILLUD? — Nota : ter ædificatum fuit templum Judæorum : *primo*, a Salomone, per septem annos, III *Reg.* VI, 1. De hoc non agitur hic, tum quia fuit perfectum annis septem, non 46; tum quia jam pridem combustum et funditus eversum fuit a Chaldæis, quare a Christo hic designari non potuit. Vers. 20.

*Secundo*, post reditum e captivitate Babylonica templum a Chaldæis combustum, reædificatum fuit a Zorobabele et sociis, anno primo Cyri, regis Persarum, usque ad annum sextum Darii Hystaspis, I *Esdræ* III, 6, quod spatium multi putant fuisse 46 annorum, de iisque hic loqui Judæos. Ita S. Chrysostomus, Beda, Theophylactus, Euthymius, Eucherius, Toletus, Jansenius, Maldonatus hic, et Eusebius, in *Chronicon*, qui annos 46 sic computant. Cyrus regnavit annos 30, Cambyses, ejus filius et successor, annos novem, Magi annum unum, quibus successit Darius Hystaspis, cujus anno sexto perfectum fuit templum : adde omnes hos annos, et invenies 46. Verum hic computus errat; nam annus primus Cyri, quo ipse Judæis dedit facultatem reædificandi templum, intelligitur non regni, quo scilicet ipse cœpit regnare in Perside, regnavitque deinde per 30 annos; sed monarchiæ, quo scilicet ipse, capta Babylone et occiso Balthazare, monarchiam a Babyloniis transtulit ad se et Persas, ac simul Judæos in Babylone captivos liberavit liberosque in Judæam remisit, data simul potestate reædificandi templi. Quæ omnia fecit Cyrus anno 27 regni sui, qui fuit primus monarchiæ ejus, quæ tantum tres annos duravit; nam Cyrus tres tantum annos regnavit ut monarcha; tertio enim anno occisus est a Tomyri, regina Scytharum. Id ita esse ostendi I *Esdræ* III, 6; quare ab anno primo Cyri, quo cœpit fabrica templi, usque ad sextum Darii, quo finita est, non fluxere 46 anni, sed 15 duntaxat : Cyrus enim tres annos regnavit ut monarcha, huic successit filius Cambyses, qui post Cyrum patrem sex duntaxat annis regnavit, deinde Magi per septem menses, denique Darius Hystaspis, cujus anno sexto consummatum fuit templum. Adde omnes hos annos, et invenies quindecim duntaxat. Fieri tamen potuit, ut Judæi chronologiæ profanæ ignari, computarint hic non 15, sed ⸗⸗ annos; quia scilicet computabant annos 30 regni Cyri, non tres monarchiæ duntaxat : nec mirum eos in hoc computu errasse, cum in



eodem errarint tam multi Interpretes eruditi, Græci et Latini, quos paulo ante citavi. Potuerunt ergo Judæi hic annos 46 tribuere fabricæ templi Zorobabelis, et de eo hic loqui.

*Herodes Ascalonita templum Hierosolymitanum reædificavit.*

*Tertio*, templum hoc reædificatum fuit ab Herode Ascalonita, qui infantes occidit in Bethlehem, ac ut regnum Judææ sibi suisque posteris assecuraret et a Judæis haberetur verus Messias, templum eis novum erexit. Et de eo hic loqui Judæos valde est verisimile, ex pronomine *hoc*, quod præsens demonstrat templum, cum duo priora jam pridem essent quasi diruta, ut demonstrari non possent. Cœpit autem Herodes hanc suam tertii templi fabricam, anno regni sui 18, tunc enim suam de ædificando templo voluntatem indicavit, teste Josepho, lib. XV *Antiq.*, cap. XIV. Quare cum Christus natus sit sub annum regni Herodis 35, uti ostendi *Lucæ* II, 1, sequitur a cœpto hoc tertio Herodis templo usque ad nativitatem Christi fluxisse 16 annos, quibus adde annos 30 vitæ Christi, habebis 46, quos quærimus : anno enim 30, quo Christus baptizatus est, hæc Christi cum Judæis disputatio contigit, initio prædicationis suæ. Ita Baronius, anno Christi 31.

Dices : Josephus loco citato asserit Herodem octo annis perfecisse templi fabricam, ubi ergo sunt 46 anni? Respondeo, Herodem octo annis perfecisse templum, quoad primarias templi partes, scilicet Sanctum, et Sanctum Sanctorum; tamen multis deinde annis in eodem expoliendo per se et posteros suos laborasse, usque ad annum Christi 30, nam in exstruendis atriis, porticibus omnique ejus ornatu intrinseco et extrinseco, tamdiu laborarunt octodecim hominum millia, teste eodem Josepho, lib. XX *Antiq.*, VIII. Sensus ergo est, *q. d.* Per 46 annos in hoc templo erigendo et ornando laborarunt, et etiamnum laborant octodecim hominum millia; et tu solus tantumdem spatio tridui efficies?

Denique nonnulli censent Judæos loqui de utroque templo, scilicet Zorobabelis et Herodis; hoc enim tam duplex, quam simplex, sive unum idemque fuit templum : Herodes enim non tam novum templum exstruxit quam vetus Zorobabelis ornavit; partem enim ejus deposuit duntaxat, ut altius, augustius et ornatius erigeret, uti ex Hegesippo et aliis nervose probat Vilalpandus, lib. V *De Templo*, disput. 4, cap. LXVII et LXVIII, idemque ego multis ostendi *Aggæi* II, vers. 10. Templum ergo a Zorobabele 15 annis ædificatum, postea per plures annos auctum et ornatum fuit a Machabæis, a Simone, Oniæ filio Pontifice, *Eccli.* L, 1, et ab Herode, quorum annos omnes si computes, facile reperies 46. Ita Arias et Franciscus Lucas hic, ac noster Gaspar Sanchez, *Zachar.* I, 12. Sic Basilica S. Petri Romæ nova (veteri Constantini Magni diruta) ædificata est per centum annos, ac etiamnum in ea continuo ædificari videmus, nunc turres, nunc altaria, nunc sacella, nunc columnas, nunc testitudinem, nunc incrustationem, etc. (1).

Symbolice, 46 anni fabricæ templi significant totidem diebus fabricatum esse corpus Christi. Audi S. Augustinum, lib. XIV *De Trinit.*, cap. V : « Numerus hic perfectioni corporis Christi congruit; quadragesies enim sexies seni, fiunt ducenta septuaginta sex, scilicet novem menses et sex dies; tanto autem tempore perfectio corporis Christi ad partum perducta; conceptus enim VIII kalendas aprilis, quo et passus, natus VIII kalendas januarii. » Idem, lib. LXXXIII, *Quæst.* LVI : « Dicitur conceptio humana sex primis diebus lactis habere similitudinem, sequentibus novem converti in sanguinem, deinde duodecim solidari, reliquis octodecim perfecte formari, deinde usque ad partum augeri, qui numerus facit quadraginta quinque, addito uno (quod significat summam) quadraginta sex : quæ multiplicata per senarium, qui est hujus ordinationis caput, fiunt ducenti septuaginta sex; itaque quot anni fuerunt in fabricatione templi, tot fuerunt in perfectione corporis Domini. » Idem, *in Joan.* hic tract. 10 : « Christus de Adam corpus accepit; Græce autem ἀνατολὴ est Oriens, δύσις Occidens, ἄρκτος Septentrio, μεσημβρία Meridies, quorum primæ litteræ faciunt nomen Adam, nempe a quatuor ventis colligendi electi, cum venerit Dominus ad judicium. Habent et litteræ nominis Adam numerum quadraginta sex, secundum Græcos; α enim notat unum, δ quatuor, rursum α unum, et μ quadraginta : ita fiunt quadraginta sex. » Eadem habet Beda, S. Cyprianus (vel quisquis est auctor), tract. *De Sion et Sina;* Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.*, et alii.

*Nominis Adam litteræ symbolicæ.*

Tropologice : anima fabricat sibi templum virtutis et perfectionis, servando quatuor Evangelia et decalogum (quater enim ducta in 10 faciunt 40, qui est numerus solidus, virtutis solidæ et perfectæ index) per senarium hujus hebdomadæ, id est vitæ.

21. ILLE AUTEM DICEBAT DE TEMPLO CORPORIS SUI. — Quærit S. Chrysostomus : « Quare dubitantibus non aperuit se templum carnem suam appellare? » ac respondet : « Quoniam ipsius verbis fidem non habebant, » imo si id aperuisset, Judæi irrisissent eum, et pejus eum tractassent. Vers. 21.

22. CUM ERGO RESURREXISSET A MORTUIS, RECORDATI SUNT DISCIPULI EJUS, QUIA HOC DICEBAT, ET CREDIDERUNT SCRIPTURÆ ET SERMONI QUEM DIXIT Vers. 22.

(1) Ita et Kuinoel. Quanquam enim Herodes Magnus templum secundum a fundamentis, ut Josephus asserit, novaverat, tamen cum et materia veteri usus sit, nec totum templum simul diruerit, sed per partes, recte hoc Herodis templum idem fuisse censetur ac dicitur, quod a Zorobabele structum erat; unde et Judæi templum secundum vocarunt templum Zorobabelis, nec usquam occurrit templi tertii mentio, et Josephus templum bis dirutum dicit, semel a Chaldæis, iterum a Tito.

Jesus. — « Et crediderunt Scripturæ, » quæ Christum a morte resurrecturum prædixit, quam ipsi antea non intellexerunt, sed tunc demum intellexerunt, cum eamdem reipsa in Christi resurrectione completam viderunt. Talis Scriptura est *Psalm.* xv, 10 : « Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. » Et *Oseæ* vi, 3 : « Vivificavit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. »

Et sermoni quem dixit Jesus, — scilicet « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » Crediderunt huic sermoni, cum viderunt Christum die tertio resurgentem : intellexerunt enim Christum de resurrectione corporis, non de resuscitatione templi, metaphorice locutum fuisse.

23. Cum autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo (q. d. In die festo Paschæ), multi crediderunt in nomine ejus. — Id est in nomen ejus ; puta eum vere gerere et præ se ferre nomen Messiæ, sive eum vere esse Messiam, hoc est Christum, uti ipse se nominabat, et a fidelibus publica fama nominabatur et celebrabatur. Hebræis enim idem est « credere Deo et credere in Deum, » uti recte probat Jansenius ; licet S. Augustinus ea hic distinguat.

Videntes signa (miracula) ejus, quæ faciebat, — ut i. probaret se esse Christum.

24. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes. — « Non credebat, » id est « non confidebat ; » licet enim sciret eos in se credere, tamen sciebat pariter eos esse mutabiles, et facile ab hac fide posse resilire ac perverti a tot Pharisæis et Scribis suis hostibus. Ipsorum enim magna erat tum auctoritas, tum vis et potestas. Ita S. Chrysostomus et Euthymius. Qua de causa Christus cum iis, nec secure, nec diu versatus est, sed abiit in alia Judææ loca, ut patebit cap. sequenti, vers 22. Sciebat enim non tantum quid jam cogitarent et facerent, sed et quid deinceps contra se cogitaturi et facturi erant, scilicet quod ipsum persequerentur usque ad mortem et crucem.

25. Et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine ; ipse enim sciebat quid esset in homine. — Scrutabatur enim cor cujusque, an constans esset, an levis et inconstans. Quocirca, ut ait S. Chrysostomus, « non curabat exteriora verba, qui in ipsos animos ingreditur, qui in humanas cogitationes irrumpit, qui eorum fervorem mox infrigescere cognoscebat : non opus erat Jesu testibus, ad eas quas formarat mentes cognoscendas. Plus noverat artifex quid esset in opere suo ; » addit S. Augustinus : « quam ipsum opus, quid esset in semetipso. Creator hominis noverat quid esset in homine, quod ipse creatus homo non noverat. Hæc enim dignitas, ait Cyrillus, vero Deo solummodo, nec ulli creaturarum attribuitur, esse καρδιογνώστην, novisseque hominis animum, nullis exterioribus argumentis declaratum. » Unde Psalmista, *Psalm.* xxxii, vers. 15 : « Qui finxit sigillatim corda eorum, qui omnia opera eorum intelligit. » Ita Franciscus Lucas, Jansenius, Baradius et alii.

Tropologice Beda : « Nunquam simus, inquit, de nostra conscientia securi, sed semper sollicite formidemus ; quod enim nos latet, æternum arbitrum latere non potest. »

# CAPUT TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus primo, Nicodemum docet regenerationem ex aqua et spiritu esse viam ad regnum cælorum. Secundo, vers. 14, prædicit exaltationem sui in cruce instar serpentis ænei a Mose erecti, ut salvet mundum. Tertio, vers 26, Joannes Baptista suos discipulos Christi baptismo obmurmurantes retundit, asserens ipsum esse Ecclesiæ sponsum, cui omnia Pater in manus dedit, ut qui credit in eum, habeat vitam æternam.*

1. Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. 2. Hic venit
ad Jesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister : nemo enim potest
hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. 3. Respondit Jesus, et dixit ei :
Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.
4. Dicit ad eum Nicodemus : Quomodo potest homo nasci, cum sit senex ? numquid potest
in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci ? 5. Respondit Jesus : Amen, amen dico
tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.
6. Quod natum est ex carne, caro est ; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. 7. Non
mireris quia dixi tibi : Oportet vos nasci denuo. 8. Spiritus ubi vult spirat ; et vocem ejus



audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat : sic est omnis qui natus est ex spiritu. 9. Res-
pondit Nicodemus, et dixit ei : Quomodo possunt hæc fieri ? 10. Respondit Jesus, et dixit
ei : Tu es magister in Israel, et hæc ignoras ? 11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus
loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. 12. Si terrena
dixi vobis, et non creditis : quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis ? 13. Et nemo
ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. 14. Et sicut
Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis : 15. ut omnis,
qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 16. Sic enim Deus dilexit
mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum, non pereat,
sed habeat vitam æternam. 17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet
mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. 18. Qui credit in eum, non judicatur : qui
autem non credit, jam judicatus est ; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. 19. Hoc
est autem judicium : quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras,
quam lucem ; erant enim eorum mala opera. 20. Omnis enim qui male agit, odit lucem,
et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus : 21. qui autem facit veritatem, venit
ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. 22. Post hæc venit Jesus,
et discipuli ejus in terram Judæam ; et illic demorabatur cum eis, et baptizabat. 23. Erat
autem et Joannes baptizans in Ænnon, juxta Salim : quia aquæ multæ erant illic, et ve-
niebant, et baptizabantur. 24. Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem. 25. Facta
est autem quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione. 26. Et venerunt ad
Joannem, et dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium per-
hibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. 27. Respondit Joannes, et dixit :
Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. 28. Ipsi vos mihi testi-
monium perhibetis, quod dixerim : Non sum ego Christus ; sed quia missus sum ante illum.
29. Qui habet sponsam, sponsus est ; amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio
gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. 30. Illum oportet
crescere, me autem minui. 31. Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de
terra est, et de terra loquitur. Qui de cœlo venit, super omnes est. 32. Et quod vidit, et
audivit, hoc testatur ; et testimonium ejus nemo accipit. 33. Qui accepit ejus testimonium,
signavit quia Deus verax est. 34. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur ; non enim
ad mensuram dat Deus spiritum. 35. Pater diligit Filium ; et omnia dedit in manu ejus.
36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam ; qui autem incredulus est Filio, non vide-
bit vitam, sed ira Dei manet super eum.

1. Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum (1). — *Nicodemus*, et inverse *Demonicus*, Græce idem est quod *victor populi*, qualis fuit hic, qui superans metum populi, Pharisæorum et Pontificum, credidit in Christum : unde de eo sic scribit Lucianus in *Inventione corporis S. Stephani*, ex ore Gamalielis : « Cognoscentes Judæi illum (Nicodemum) esse Christianum, amoverunt eum e principatu suo, et anathematizaverunt eum, et de civitate exulaverunt. Tum ego Gamaliel quasi persecutionem pro Christo passum, sustuli eum in meum agrum, et alui, et vestivi, usque ad finem vitæ ejus, et defunctum honorifice sepelivi juxta dominum Stephanum. »

(1) Docte hunc locum illustravit *Knappius* in Comment. in *Colloquium Christi cum Nicodemo*, cujus opusculi hæc summa : Nicodemus, unus e Synedrii assessoribus, Pharisæus, ideoque non alienus ab exspectando Messia, sed falsis opinionibus de regno Messiæ terreno imbutus, homo fuit apertus, simplex, veritatis amicus, minimeque fallax, qui nec malo consilio, nec insidiandi causa ad Jesum accessit. Quare huic Jesus se commisit secure, atque interiorem disciplinam suam ita aperuit, ut ipsa sermonis obscuritate verborumque ænigmatibus [illegible] ejusque in animo aculeos relinqueret. Nicodemus postea sæpius Jesum adiit, docentemque audivit, ut colligi potest ex *Joan.* xix, 39 ; in concilio Synedrorum ei auctoritate sua patrocinatus est adversus Pharisæorum calumnias, jam tum propterea suspectus collegis, vii, 50-52, et in curando illius funere Josepho fuit adjutor, xix, 38-40. Cæterum recte a pluribus observatum est, hoc loco non integrum colloquium legi, quod Jesus cum Nicodemo instituit, sed præcipuas tantum illius partes, imprimisque responsiones Jesu ; hinc non mirandum hunc ipsum locum quadam obscuritate premi.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

JESUS. — « Et crediderunt Scripturæ, » quæ Christum a morte resurrecturum prædixit, quam ipsi antea non intellexerunt, sed tunc demum intellexerunt, cum eamdem reipsa in Christi resurrectione completam viderunt. Talis Scriptura est *Psalm.* XV, 10 : « Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. » Et *Oseæ* VI, 3 : « Vivificavit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. »

ET SERMONI QUEM DIXIT JESUS, — scilicet « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » Crediderunt huic sermoni, cum viderunt Christum die tertio resurgentem : intellexerunt enim Christum de resurrectione corporis, non de resuscitatione templi, metaphorice locutum fuisse.

23. CUM AUTEM ESSET HIEROSOLYMIS IN PASCHA IN DIE FESTO (q. d. In die festo Paschæ), MULTI CREDIDERUNT IN NOMINE EJUS. — Id est in nomen ejus; puta eum vere gerere et præ se ferre nomen Messiæ, sive eum vere esse Messiam, hoc est Christum, uti ipse se nominabat, et a fidelibus publica fama nominabatur et celebrabatur. Hebræis enim idem est « credere Deo et credere in Deum, » uti recte probat Jansenius; licet S. Augustinus ea hic distinguat.

VIDENTES SIGNA (miracula) EJUS, QUÆ FACIEBAT, — ut i. probaret se esse Christum.

24. IPSE AUTEM JESUS NON CREDEBAT SEMETIPSUM EIS, EO QUOD IPSE NOSSET OMNES. — « Non credebat, » id est « non confidebat ; » licet enim sciret eos in se credere, tamen sciebat pariter eos esse mutabiles, et facile ab hac fide posse resilire ac perverti a tot Pharisæis et Scribis suis hostibus. Ipsorum enim magna erat tum auctoritas, tum vis et potestas. Ita S. Chrysostomus et Euthymius. Qua de causa Christus cum iis, nec secure, nec diu versatus est, sed abiit in alia Judææ loca, ut patebit cap. sequenti, vers 22. Sciebat enim non tantum quid jam cogitarent et facerent, sed et quid deinceps contra se cogitaturi et facturi erant, scilicet quod ipsum persequerentur usque ad mortem et crucem.

25. ET QUIA OPUS EI NON ERAT, UT QUIS TESTIMONIUM PERHIBERET DE HOMINE; IPSE ENIM SCIEBAT QUID ESSET IN HOMINE. — Scrutabatur enim cor cujusque, an constans esset, an levis et inconstans. Quocirca, ut ait S. Chrysostomus, « non curabat exteriora verba, qui in ipsos animos ingreditur, qui in humanas cogitationes irrumpit, qui eorum fervorem mox infrigescere cognoscebat : non opus erat Jesu testibus, ad eas quas formarat mentes cognoscendas. Plus noverat artifex quid esset in opere suo; » addit S. Augustinus : « quam ipsum opus, quid esset in semetipso. Creator hominis noverat quid esset in homine, quod ipse creatus homo non noverat. Hæc enim dignitas, ait Cyrillus, vero Deo solummodo, nec ulli creaturarum attribuitur, esse καρδιογνώστην, novisseque hominis animum, nullis exterioribus argumentis declaratum. » Unde Psalmista, *Psalm.* XXXII, vers. 15 : « Qui finxit sigillatim corda eorum, qui omnia opera eorum intelligit. » Ita Franciscus Lucas, Jansenius, Baradius et alii.

Tropologice Beda : « Nunquam simus, inquit, de nostra conscientia securi, sed semper solliciti formidemus; quod enim nos latet, æternum arbitrum latere non potest. »

# CAPUT TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus primo, Nicodemum docet regenerationem ex aqua et spiritu esse viam ad regnum cœlorum. Secundo, vers. 14, prædicit exaltationem sui in cruce instar serpentis ænei a Mose erecti, ut salvet mundum. Tertio, vers 26, Joannes Baptista suos discipulos Christi baptismo obmurmurantes retundit, asserens ipsum esse Ecclesiæ sponsum, cui omnia Pater in manus dedit, ut qui credit in eum, habeat vitam æternam.*

1. Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. 2. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister : nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. 3. Respondit Jesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. 4. Dicit ad eum Nicodemus : Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci? 5. Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. 6. Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. 7. Non mireris quia dixi tibi : Oportet vos nasci denuo. 8. Spiritus ubi vult spirat; et vocem ejus



audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat : sic est omnis qui natus est ex spiritu. 9. Respondit Nicodemus, et dixit ei : Quomodo possunt hæc fieri? 10. Respondit Jesus, et dixit ei : Tu es magister in Israel, et hæc ignoras? 11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. 12. Si terrena dixi vobis, et non creditis : quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis? 13. Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. 14. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis : 15. ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. 18. Qui credit in eum, non judicatur : qui autem non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. 19. Hoc est autem judicium : quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum mala opera. 20. Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus : 21. qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. 22. Post hæc venit Jesus, et discipuli ejus in terram Judæam; et illic demorabatur cum eis, et baptizabat. 23. Erat autem et Joannes baptizans in Ænnon, juxta Salim : quia aquæ multæ erant illic, et veniebant, et baptizabantur. 24. Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem. 25. Facta est autem quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione. 26. Et venerunt ad Joannem, et dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. 27. Respondit Joannes, et dixit : Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. 28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim : Non sum ego Christus; sed quia missus sum ante illum. 29. Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. 30. Illum oportet crescere, me autem minui. 31. Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de cœlo venit, super omnes est. 32. Et quod vidit, et audivit, hoc testatur; et testimonium ejus nemo accipit. 33. Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est. 34. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus spiritum. 35. Pater diligit Filium; et omnia dedit in manu ejus. 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

1. ERAT AUTEM HOMO EX PHARISÆIS, NICODEMUS NOMINE, PRINCEPS JUDÆORUM (1). — *Nicodemus*, et inverse *Demonicus*, Græce idem est quod *victor populi*, qualis fuit hic, qui superans metum populi, Pharisæorum et Pontificum, credidit in Christum : unde de eo sic scribit Lucianus in *Inventione corporis S. Stephani*, ex ore Gamalielis : « Cognoscentes Judæi illum (Nicodemum) esse Christianum, amoverunt eum e principatu suo, et anathematizaverunt eum, et de civitate exulaverunt. Tum ego Gamaliel quasi persecutionem pro Christo passum, sustuli eum in meum agrum, et alui, et vestivi, usque ad finem vitæ ejus, et defunctum honorifice sepelivi juxta dominum Stephanum. »

(1) Docte hunc locum illustravit *Knappius* in Comment. in *Colloquium Christi cum Nicodemo*, cujus opusculi hæc summa : Nicodemus, unus e Synedrii assessoribus, Pharisæus, ideoque non alienus ab exspectando Messia, sed falsis opinionibus de regno Messiæ terreno imbutus, homo fuit apertus, simplex, veritatis amicus, minimeque fallax, qui nec malo consilio, nec insidiandi causa ad Jesum accessit. Quare huic Jesus se commisit secure, atque interiorem disciplinam suam ita aperuit, ut ipsa sermonis obscuritate verborumque ænigmatibus tenere [illegible], ejusque in animo aculeos relinqueret. Nicodemus postea sæpius Jesum adiit, docentemque audivit, ut colligi potest ex *Joan.* XIX, 39; in concilio Synedrorum ei auctoritate sua patrocinatus est adversus Pharisæorum calumnias, jam tum propterea suspectus collegis, VII, 50-52, et in curando illius funere Josepho fuit adjutor, XIX, 38-40. Cæterum recte a pluribus observatum est, hoc loco non integrum colloquium legi, quod Jesus cum Nicodemo instituit, sed præcipuas tantum illius partes, imprimisque responsiones Jesu; hinc non mirandum hunc ipsum locum quadam obscuritate premi.

Quocirca Nicodemus catalogo Sanctorum adscriptus est in Martyrologio Romano ad diem 3 augusti, ubi hæc habentur : « Inventio corporis S. Stephani Protomartyris ; item sanctorum Gamalielis, Nicodemi et Abibonis, etc., sub Honorio principe. »

PRINCEPS JUDÆORUM, — puta vir inter eos primarius, senator et e magistratu. Unde, cap. VII, 50, dicitur fuisse e concilio principum. Hæc omnia narrat Joannes, ut insinuet causam cur noctu venerit, et quam difficilis fuerit ejus ad Christum conversio.

2. HIC VENIT AD JESUM NOCTE, ET DIXIT EI : RABBI, SCIMUS QUIA A DEO VENISTI MAGISTER : NEMO ENIM POTEST HÆC SIGNA FACERE QUÆ TU FACIS, NISI FUERIT DEUS CUM EO. — « Venit, » ut planius dogmata Jesu ex ipsius ore disceret : « Cupiens, ait Beda, secreta ejus allocutione plenius discere mysteria fidei, » et viam salutis.

NOCTE, — tum ex pudore ; pudebat enim eum per diem, spectantibus aliis, Jesum pauperem adire ejusque fieri discipulum, cum ipse esset magister in Israel, ut ait Christus, vers. 10 ; hoc enim ejus auctoritate et gravitate videbatur indignum ; tum ne odium suorum Pharisæorum Christum spernentium incurreret ; lucem tamen, quam nocte quæsivit, invenit, ait Rupertus, maximaque hausit sacramenta salutis. Quare videtur solus sine famulo et socio noctu ad Christum venisse, cum eo ore ad os collocutus, ejusque doctrinam et spiritum imbibisse. Ita Nonnus.

VENISTI MAGISTER. — Syrus, *ut sis magister Israelis*, id est Judæorum. Non dicit : Venisti ut sis Messias, sive Christus, quia necdum hac de re inaudierat, vel certe idipsum necdum ei certo constabat ; Christus enim initio prædicationis idipsum enuntiare noluit, sed sensim illud patefacere.

HÆC SIGNA. — Hæc miracula, quæ proximo Paschate vidimus vel audivimus te patrasse in templo, ut quod ex eo solus omnes vendentes et ementes ejeceris.

NISI FUERIT DEUS CUM EO. — Nisi Dei auctoritate, ope et omnipotentia fulciatur. Miracula enim Dei sunt opera ; non enim humana vel angelica vi, sed solo Deo supernaturaliter operante, fiunt.

3. RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI : AMEN, AMEN DICO TIBI, NISI QUIS RENATUS FUERIT DENUO, NON POTEST VIDERE REGNUM DEI. — « Amen, amen » Joannes passim geminat, « amen, amen dico vobis, » cum alii Evangelistæ habeant unum duntaxat « amen. » Cur ? Respondeo : *Primo*, quia ipse præ cæteris altissimas et certissimas habuit revelationes, et altissima mysteria divinitatis cognovit, præsertim in exilio Pathmos, ubi scripsit Apocalypsim tot habentem sacramenta quot verba, ait S. Hieronymus, ac post illam totus senex scripsit Evangelium ; cum solus ex omnibus Apostolis esset superstes, ac proinde ipse erat Ecclesiæ os et oraculum, fidei basis et columna, Patriarcharum Patriarcha. Dicit ergo quasi auctoritate pollens, quasi senum senior, quasi patrum Patriarcha : « Amen, amen, » *q. d.* Ego res sublimissimas et divinas, quæ omnem sensum et fidem humanam superant, mihi tamen a Christo revelatas, ideoque certissimas, et in se verissimas, ac vobis saluberrimas, summa fide et gravitate annuntio ; quia Christus vere geminavit, dixitque « amen, amen, » ad ostendendam rei gravitatem, sublimitatem et certitudinem : cæteri vero Evangelistæ brevitatis studio, unico « amen » utrumque Christi « amen » complexi sunt : Ego autem quia præ cæteris Christi sensa æque ac verba ponderavi et penetravi, dico « amen, amen, » uti Christus ipse dixit.

*Secundo*, quia *amen* idem est quod *vere* : S. Joannes autem delectatur nomine veritatis, itaque vocat Christum, quia ipse est Verbum, ideoque veritas Patris ; veritas, inquam, tum speculativa fidei, tum practica prudentiæ et operationis virtutum. Virtutes enim non sunt aliud quam lumina et veritates practicæ.

*Tertio*, quia *amen* partim est nomen significans *verum*, partim est adverbium significans *vere* : unde sic explices : Ille qui est *Amen*, hoc est Christus, cujus nomen est verus et veritas, *Amen*, id est in veritate, sive verissime dicit. Sic ait, *Apoc.* III, 14 : « Hæc dicit Amen, testis fidelis et verus ; » Græce ὁ Ἀμὴν, id est *ille qui est Amen*, hoc est stabilis, verus, constans, fidelis, ipsaque stabilitas, veritas et fidelitas. *Amen* ergo est epithetum, quod Christo tribuit S. Joannes. Vide dicta *Apoc.* cap. III, 14, et cap. XXII, 20, ubi dixi nonnullos censere *amen* denotare 99 annos, quos vixit S. Joannes.

*Quarto*, « Amen, amen » notat materiæ rerumque quæ a Joanne dicuntur, summam veritatem et certitudinem, *q. d.* Quæ ego dico, sunt « amen, amen, » id est « vera, vera, » hoc est verissima, certissima, et omni alia veritate veriora, omni alia certitudine certiora.

*Quinto*, per « Amen, amen » insinuat geminum modum certitudinis ; scilicet quod S. Joannes ea quæ scribit cognoverit per duplicem cognitionem naturalem et divinam, puta per experientiam et revelationem ; nam et oculis ea vidit auribusque audivit, et a Christo revelante, cum in sinu ejus recumberet, ea intellexit. Unde, *epist.* I, cap. I, sic incipit : « Quod vidimus, quod audivimus, quod manus nostræ contrectaverunt, etc., annuntiamus vobis. »

NISI QUIS RENATUS FUERIT. — Nota : ex hac Christi responsione colligendum relinquit Joannes, quod Nicodemus tacite vel expresse rogarit Christum, ut se doceret viam ad regnum cœlorum, quod ipse prædicabat ; Christus enim huic interrogationi respondet, viam ad cœlum esse baptismum.

DENUO. — Græce ἄνωθεν, quod duo significat. *Primo*, superne, de sursum, cœlitus, *q. d.* Nisi quis renatus fuerit regeneratione cœlesti et divina, non potest introire regnum Dei. Ita Cyrillus et Theophylactus. *Secundo*, ἄνωθεν significat denuo, iterum, et ita hic accipiendum esse liquet ex responsione Nicodemi, vers. 4. Ita S. Chrysostomus, Nonnus, Euthymius. Unde Syrus vertit, *a principio*, id est iterato, *q. d.* Duplex est hominis nativitas, una naturalis et carnalis, qua ex patre et matre carnaliter nascitur, ideoque carnalis et peccato originali obnoxius in lucem prodit ; quare hæc hominem non cœlo, sed inferno obnoxium facit. Ut ergo homo a peccato hoc in prima nativitate contracto expietur, necessum est ut accedat secunda nativitas spiritualis, qua in baptismo ex aqua et spiritu renascatur, itaque a peccato expietur et sanctificetur.

NON POTEST VIDERE REGNUM DEI. — « Videre, » id est frui, possidere. Est metalepsis. Sic Latini dicunt hæreditatem cernere, id est adire, possidere, occupare.

4. DICIT AD EUM NICODEMUS : QUOMODO POTEST HOMO NASCI, CUM SIT SENEX ? NUMQUID POTEST IN VENTREM MATRIS SUÆ ITERATO INTROIRE ET RENASCI ? — « Non noverat iste, ait S. Augustinus, nisi unam nativitatem ex Adam et Eva. » Qua de causa addit Cyrillus : « Spiritualem nativitatem non capiens, nec ultra res humanas quidquam cogitans, corporalem quemdam ventrem, et reditum hominis, et partum fingere cogitur. »

5. RESPONDIT JESUS : AMEN, AMEN DICO TIBI, NISI QUIS RENATUS FUERIT EX AQUA ET SPIRITU SANCTO, NON POTEST INTROIRE IN REGNUM DEI. — Calvinus, ut vim justificandi et necessitatem baptismi baptismo deroget (censet enim filios fidelium, hoc solo quod fidelium filii sunt, in utero justificari), negat hic agi de baptismo : quare per « aquam, » non aquam, sed Spiritum Sanctum, qui credentes in Christum per fidem purgat ut aqua, accipit, *q. d.* « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et (id est ex) Spiritu Sancto. » Sic, inquit, *Matth.* III, 11, dicitur : « Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni, » hoc est in Spiritu Sancto, qui instar ignis vos amore Dei accendet et igniet. Ita ipse. Verum hæc omnia absurda sunt, contorta et erronea, et ut hæretica ab Ecclesia damnata.

*Primo* enim, quorsum hic Christus facit mentionem aquæ, si ex aqua, non homo, sed piscis duntaxat renascitur ? cur non breviter et clare Nicodemo rerum Christianarum rudi et ignaro (quem hic catechizat, et ut puerum instruit) dixit : « Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu Sancto ? »

*Secundo*, quia simili modo huc alludens Paulus *ad Titum*, III, 5, baptismum vocat « lavacrum regenerationis. » Ergo in eo spirituali nativitate per aquam renascimur, fimusque filii Dei, qui prius eramus filii diaboli et iræ, *Ephes.* II, 3.

*Tertio*, si hunc locum cum Calvino detorquere licet, licebit omnes alios totamque S. Scripturam detorquere ; nec in ea exstabit clarum præceptum, vel institutio baptismi.



*Quarto*, Calvinus ejusque asseclæ non possunt contra Anabaptistas probare baptizandos esse infantes, usu rationis et fidei carentes, ex alio S. Scripturæ loco, quam ex hoc. Ergo cum ipsi traditiones non admittant, ex hoc loco id probent oportet, nisi ab Anabaptistis se victos fateri velint.

*Quinto*, ita explicant omnes Patres et interpretes orthodoxi, ac Concilium Tridentinum, *sess.* 7, can. 2. Nec obstat illud Matthæi, III, 11 : « Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni ; » quia ibi verus accipitur ignis, æque ac hic aqua ; agitur enim ibidem de Pentecoste, in qua Spiritus Sanctus specie ignis et linguarum ignearum in Apostolos descendit.

Porro, recte et congrue aqua in baptismo a Christo est instituta ad hanc spiritalem regenerationem. *Primo*, quia aqua optime interiorem regenerationem repræsentat ; nam ex aqua, initio mundi, cœli omnes cæteraque omnia genita et producta sunt, uti docui *Gen.* I, 2 et 3. *Secundo*, quia humiditas, qualis est in aqua, maxime in generatione ad prolem formandam concurrit, ut docent Physici. Rursum, quia justificatio est quædam animæ a sordibus peccatorum expurgatio, quæ optime per aquam designatur. Ita D. Thomas, II *part.*, *Quæst.* LXVI, art. 3, qui et addit : « Aqua sua frigiditate temperat superfluitatem caloris, et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis ; sua diaphaneitate est luminis susceptiva : unde competit baptismo, in quantum est fidei sacramentum. *Tertio*, quia convenit ad repræsentandum mysteria Christi, quibus justificamur. Ut enim dicit Chrysostomus super illud *Joan.* III : Nisi quis renatus fuerit, etc., sicut in quodam sepulcro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, et deinde novus rursus ascendit. *Quarto*, quia ratione suæ communitatis et abundantiæ est conveniens materia necessitati hujus Sacramenti ; potest enim ubique de facili haberi. »

*Cur aqua est materia baptismi ? Resp. Primo. Secundo.*

Quæres, cur Christus dicit : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto ; » et non potius dicit : « Ex aqua et forma baptismi ? » Aqua enim est materia baptismi ; forma vero est : « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Ex materia enim et forma, velut essentialibus sui partibus componitur baptismi Sacramentum. Respondeo, quia voluit Christus Nicodemo seni inveterato novitatem vitæ et generationis spiritualis describere, per analogiam et similitudinem generationis naturalis, ad quam concurrit pater et mater. Simili enim modo ad regenerationem spiritualem, quæ fit in baptismo, concurrit aqua quasi mater, et Spiritus Sanctus tanquam pater : ipse enim est primarius agens et effector gratiæ et sanctitatis, per quam filii Dei renascimur in baptismo ; sicut in generatione Christi B. Virgo erat mater, Spiritus Sanctus erat vice patris, juxta illud : « Spiritus Sanctus super-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei, » *Lucæ* I. Ita S. Chrysostomus, Euthymius, Ammonius et alii.

Ex hoc loco igitur S. Augustinus, lib. I *De peccat.*, cap. x, contra Pelagium, probat infantes nasci in peccato originali; ideo enim renasci debent in baptismo, ut ab illo peccato expurgentur: ac ridet Pelagianos, qui ut locum hunc eluderent, dicebant infantes morientes sine baptismo ingressuros in regnum cœli et vitam æternam, non autem in regnum Dei, quasi aliud sit regnum Dei a regno cœlorum.

Denique renatus ex aqua, hic intelligi debet, vel reipsa, vel voto. Qui enim de peccatis conteritur optatque baptismum, nec eum ob defectum aquæ vel ministri suscipere potest, renascitur ex baptismi voto et desiderio. Ita diserte hunc locum explicat Concilium Tridentinum, sess. 7, can. 4 *De Sacramentis in genere*.

Nonnulli censent hic institutum esse a Christo baptismi Sacramentum. Verum non est verisimile Christum secreto, coram uno Nicodemo, instituisse publicum baptismi Sacramentum: quare illud publice instituit in suo baptismo, quo in Jordane baptizatus est, vel certe paulo post prædicans et baptizans, uti dixi *Matth.* III, sub finem. Baptismus tamen, licet jam a Christo institutus, non obligavit Judæos aliosque homines, nisi post mortem Christi in Pentecoste; tunc enim facta est promulgatio legis Evangelicæ, cujus initium est baptismus. De hoc tempore loquitur hic Christus, *q. d.* Jam instat tempus et obligatio legis Evangelicæ: quare tunc desiit obligare lex vetus, et circumcisio, ac ejus loco successit et obligare cœpit lex nova, et baptismus, in quo nemo nisi renatus ex aqua et Spiritu Sancto poterit introire in regnum Dei; cum scilicet lex nova promulgabitur in Pentecoste. Unde hoc Christi præceptum magis ad futurum in Pentecoste tempus, quam ad præsens spectare, asserit D. Thomas, III *part.*, *Quæst.* LXVI, art. 2, ad. 3.

Porro τὸ « nisi quis renatus fuerit, » innuit jam baptismum a Christo paulo ante fuisse institutum; Christus enim id dixit Nicodemo paulo post baptismum suum, cum prædicare et baptizare inciperet: neque illi necessarium ad salutem esse baptismum asseruisset, nisi is jam fuisset institutus.

6. QUOD NATUM EST (quod nascitur, gignitur, producitur) EX CARNE, CARO EST; ET QUOD NATUM EST EX SPIRITU (Sancto), SPIRITUS EST. — Dicit hoc Christus, ut necessitatem regenerationis ex aqua et Spiritu Sancto ostendat, simul ut ejus rationem, præstantiam et fructum declaret. Tale ergo est Christi argumentum: Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt; sunt enim carnalia, regnum vero Dei est spiritale: ergo cum ex carnali generatione non nascatur nisi caro, id est homo animalis et carnalis, peccato obnoxius, et ad peccata proclivis, ideoque regno Dei indignus et ineptus; hinc sequitur eum, ut regnum Dei spiritale ingredi possit, debere ex aqua et spiritu spiritaliter renasci, ut spiritus, id est spiritalis, itaque regno Dei aptus dignusque fiat. Quare non est quod mireris, o Nicodeme, id quod dixi, oportere te renasci ex aqua et Spiritu Sancto; sicut enim caro generat carnem, id est rem corpoream et carneam, sic Spiritus generat spiritum, id est rem spiritalem: tale enim est genitum qualis est generans; hic enim in id quod gignit, suam substantiam transfundit, quoad illa transfundi potest. Nam Spiritus Sanctus suam substantiam, hoc est divinitatem, in baptizatos transfundere nequit; sic enim eos faceret vere et proprie deos, sicut ipse vere et proprie est Deus, quod est impossibile: transfundit ergo se in eos, quoad fieri potest, per gratiam et dona sua spiritualia, quibus baptizatos sibi similes, id est spirituales, sanctos, cœlestes et divinos efficit. Ita S. Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus et alii. Adde tamen, Spiritum Sanctum cum donis suis seipsum quoque donare animæ, quam sanctificat et sibi in filiam adoptat, ideoque justificationem ipsius proprie esse regenerationem spiritalem, per quam renascimur filii et divinæ consortes naturæ, uti pluribus ostendi *Oseæ* I, 10, ad illa: « Dicetur eis, filii Dei viventis. »

Quomodo Spiritus S. transfundatur in baptizatos?

7. NON MIRERIS QUIA DIXI TIBI: OPORTET VOS NASCI DENUO. — Est conclusio illata ex versu præcedenti, uti jam dixi; unde Chrysostomus: « Non disputamus, ait, de carne, sed de spiritu, noli arbitrari quod carnem spiritus pariat, vel caro spiritum. » Ex spiritu ergo renascaris oportet, si spiritus, id est spiritalis et cœli candidatus fieri exoptas. Vers. 7.

8. SPIRITUS UBI VULT, SPIRAT; ET VOCEM EJUS AUDIS, SED NESCIS UNDE VENIAT, AUT QUO VADAT: SIC EST OMNIS QUI NATUS EST EX SPIRITU. — Pergit Christus Nicodemo rationem et naturam regenerationis spiritalis explicare, eique admirationem, quomodo illa fieri possit, eximere, *q. d.* Ne mireris te illam non intelligere, quia ipsa spiritualis est et invisibilis. Vers. 8.

Quæres, quis hic intelligatur spiritus? *Primo*, plane et simpliciter spiritus est ventus; huic enim comparat Spiritum Sanctum, ut patet ex eo quod subjicit: « Sic est omnis qui natus est ex spiritu; » *q. d.* Sicut ventus, quocumque eum trahit voluntas, id est appetitus suus naturalis ad flandum, ibi flat et spirat, et tamen eum ejusque determinatum locum non perspicis, nec prævides, sed tantum ejus effectum et vocem, id est sonitum et stridorem percipis; ita multo magis nec tu, o Nicodeme, nec quis alius, quantumvis subtilis et perspicax, regenerationem hanc spiritualem ejusque finem et terminum, vel sensu, vel lumine naturali percipere valet; sed tantum eam cognoscit ex revelatione et afflatu Spiritus Sancti, etiamsi symbola ejus externa aquæ et ablutionis in baptismo videat et oculis conspiciat. Ita S. Chrysostomus. Si venti, inquit, quem sentis, viam nescis, quomodo divini spiritus operationes scrutaberis? Sic et S. Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Jansenius et alii. Ludit Christus analogice in voce *spiritus*; prius enim per spiritum accipit ventum, deinde accipit ipsum Spiritum Sanctum, quia ventus index et symbolum est Spiritus Sancti, ut patet *Actor.* II, 1, ubi Spiritus Sanctus per speciem venti validi descendit in apostolos (1). Spiritus primo ventus.

Secundo. Spiritus Sanctus.

*Secundo*, sublimius S. Augustinus, Didymus, Nazianzenus, S. Ambrosius, S. Gregorius, Origenes et alii, quos citat et sequitur Toletus, per *spiritum* accipiunt Spiritum Sanctum, *q. d.* Spiritus Sanctus ubi vult spirat, et quibus vult aspirat suos fidei, pœnitentiæ et gratiæ impulsus. « Et vocem ejus audis, » per prædicationem meam meorumque prædicatorum, ait S. Augustinus, Origenes, Beda et Rupertus; aut *vocem*, id est ejus efficaciam et effectum sentis, ait Ammonius. « Sed nescis unde veniat, aut quo vadat, » *q. d.* Nescis quomodo in hominem introeat, et quomodo redeat, ait Alcuinus et Beda, quia natura invisibilis est. Rursum nescis quomodo credentes ad fidem introducat, et quomodo fideles ad spem, charitatem aliasque virtutes perducat, ait Ammonius. Ad hæc nescis quomodo homines in filios Dei regeneret, et ad regnum Dei conducat. Denique nescis quomodo animam hominis immutet, renovet, sanctificet; nescis ad quantam perfectionem ducat nascentem ex se, ait Glossa.

SIC EST OMNIS QUI NATUS EST EX SPIRITU. — Τὸ *sic*, juxta hunc sensum, non est vox comparantis, sed confirmantis, *q. d.* Sic prorsus, uti jam dixi, agitur cum omni fideli, qui in baptismo renascitur ex Spiritu Sancto. Simile est *Marc.* IV, 26: « Sic est regnum Dei. » Alludit ad priscos heroes, qui Spiritus Sancti impulsu, heroica fortitudinis et virtutum opera ediderunt. Cum enim Samson quid magni aggressus est, dicitur in eum irruisse Spiritus Domini, *Judic.* XIV, 6 et 19. Sic idem Spiritus dicitur induisse Gedeonem, *Judic.* VI, 34, et insiliisse in Saul, et mutasse eum in virum alterum, I *Reg.* X, 6 et 10.

(1) Solebant Hebræi ad significandam rem ignotam, obscuram, eam cum vento comparare, eamque *viæ venti incognitæ* similem dicere, ut *Eccles.* XI, 5; *Eccli.* XIV, 21; *Psal.* CXXXV, 7. Sensus igitur comparationis a Jesu h. l. institutæ hic est: nihil credere velle quam quod sub sensum oculorum cadat, ineptum est. Multa sunt quæ nec spectari, nec quasi manu teneri possunt, quorum modus et ratio exprimi nequeat, quæ tamen vere existunt. Ventus impetu suo huc et illuc fertur, vim ejus audis, eum præsentem sentis, sed unde oriatur, et ubi desinat, nescis; sic quoque magna est efficacia gratiæ divinæ in mentibus hominum: definiri quidem nequit, quomodo gratia in mentibus hominum operetur easque transformet, attamen ex effectu, ex argumentis et signis nequaquam dubiis operatio illa cognoscitur; mutatur statuendi agendique ratio, fit homo πνευματικός, id est spiritualis.

*Tertio*, Maldonatus per *spiritum* accipit animam, *q. d.* Quid mirum, o Nicodeme, si non intelligas quomodo homo ex Spiritu Sancto regenerari possit, cum intelligere non possis, quomodo ex spiritu illo naturali quo vivit, generetur? Spiritus enim animalis, « ubi vult spirat, » id est, quæ vult, animat corpora et ex mortuis viva reddit; vult autem non omnia quæ homines volunt, sed quæ ita affecta sunt, ut animari ab illo possint. « Et vocem ejus audis » quia loquentem hominem, hinnientem equum, rugientem leonem vides, et ipsam quodammodo loquentem animam audis; unde intelligis hominem vivere: « Quoniam fumus flatus est in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum, » *Sapient.* II, 2. Nescis tamen unde veniat, aut quo vadat, quia ignoras quomodo anima in corpus ingrediatur, quomodo egrediatur e corpore, unde gignatur, aut in quid desinat. Si ergo spiritus, id est anima illa quæ vult, corpora animat, et per ea loquitur, nascitur et moritur; et tamen ejus generationem modumque quo advenit et abit, ignoras: quid mirum, si non intelligas modum spiritualis regenerationis, quo ex Spiritu in baptismo fidelis renascitur? Hic sensus novus quidem, sed appositus et connexus est. Ducit enim argumentum a generatione naturali animæ, ad generationem spiritualem gratiæ, quæ fit virtute Spiritus Sancti, ac ex illius occultatione evincit hanc longe esse occultiorem. Sic pariter occultissima sunt, quæ Deus in anima operatur, dum eam radiis suæ lucis illustrat, consolatur, corroborat, inflammat, ac subinde a se abalienat, a terra in cœlum rapit, imo in se quasi transformat. Nam, ut ait S. Dionysius, divinus amor facit extasin, ut terrena bona et mala non sentiat, sed super omnia elevatus, non nisi divina capiat et sapiat.

Tropologice: hinc disce cuilibet ambiendos, consulendos et sequendos Spiritus Sancti instinctus. Unde Aristoteles, lib. VII *Moral.*: « His, inquit, qui moventur per instinctum divinum, non expedit consiliari secundum rationem humanam, sed quod sequantur interiorem instinctum, quia moventur a meliori principio. »

Melius S. Thomas, I II *part.*, *Quæst.* LXVIII, art. 2, ad 3: « Ille, ait, cujus scientiæ et potestati omnia subsunt, sua motione a stultitia, et ignorantia, et hebetudine, et duritia, et cæteris hujusmodi tutos nos reddit, quando per ipsius dona ejus instinctum sequimur perfecte. » Porro, quomodo Spiritus Sanctus occulte animam visitet, experientia sua docet S. Bernardus, serm. 74 in *Cant.*

Rursum S. Gregorius, lib. II *Dialog.*, cap. XXI: « Prophetiæ spiritus, inquit, Prophetarum mentes non semper irradiat, quia sicut de Spiritu Sancto scriptum est: Ubi vult spirat; ita sciendum est, qui et quando vult aspiret. » Probat id exemplo Nathan, II *Reg.* VII, et Elisei, IV *Reg.* IV,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

9. RESPONDIT NICODEMUS : QUOMODO POSSUNT HÆC FIERI? — « Animalis enim homo (qualis erat adhuc Nicodemus) non percipit ea quæ sunt Spiritus, » I *Cor.* II, 14, sicut rustici non capiunt quæstiones scholasticas, ac pueri nil noverunt nisi nuces suas, quas sapiunt.

10. RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI : TU ES MAGISTER IN ISRAEL, ET HÆC IGNORAS? — *q. d.* Tuum erat, o Nicodeme, qui quasi Rabbinus cæteros Israelitas doces legem et Scripturas, hæc scire et docere. Hæc enim, quæ de regeneratione baptismi dixi, manifeste prædicta sunt ab Ezechiele, XXXVI, 25, (« Effundam, inquit, super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, etc., et dabo vobis cor novum, et spiritum novum. » Ita S. Chrysostomus) et ab aliis Prophetis, eademque tibi clare a me jam exposita sunt; cur ergo ea ignoras? nimirum quia Judæus es, solum capis Judaicas lustrationes et cæremonias corporales; Christi vero et Christiana mysteria, licet a Prophetis prædicta, quia spiritualia sunt, necdum cognovisti, sed ea sensim me docente cognosces. Nam ut, ex S. Augustino, ait Beda, Christus hæc dixit : « Non insultare ei volens, sed ad humilitatis illum viam provocans, » itaque eum ad res Christianas capiendas disponens.

11. AMEN, AMEN DICO TIBI, QUIA QUOD SCIMUS LOQUIMUR, ET QUOD VIDIMUS TESTAMUR, ET TESTIMONIUM NOSTRUM NON ACCIPITIS. — *q. d.* Ego mysteria divina de Deo, de Spiritu Sancto deque ejus regeneratione spiritali in baptismo, etc., quæ tibi, o Nicodeme, prædico, verissime et certissime scio, quia ego, qua Deus, illa vidi in scientia divina : qua homo vero eadem vidi per visionem beatificam, ac per scientiam infusam. Quare mihi testificanti credere debetis : sed major Judæorum pars incredula mihi non credit, nec testimonium meum recipit; imo tu quoque, Nicodeme, ea necdum credis, quia de iis contra me disputas. Tacite hortatur Christus Nicodemum, ut hæc mysteria ratione non scrutetur, ut ea intelligat, sed fide credat. « Omissa exquisitiore investigandi diligentia, ait Cyrillus, simpliciore fide, quod intelligere non poterat, recipiendum esse consulit, auctoritate sua contradicendi iter illi obstruens. » Loquitur Christus de se in plurali : « Quod scimus loquimur, » id est quod scio loquor, ad pondus testimonii, quod solet a pluribus dari; et quia innuit Patrem et Spiritum Sanctum, plures secum esse testes, qui per os ejus loquantur. In Christo enim « inhabitavit plenitudo divinitatis (ac consequenter tota sancta Trinitas) corporaliter, » *Coloss.* II.

12. SI TERRENA DIXI VOBIS, ET NON CREDITIS : QUOMODO SI DIXERO VOBIS COELESTIA, CREDETIS? — Si tu, o Nicodeme, per terrenas similitudines, de humana generatione, de carne, de spiritu et vento allatas non capis res divinas, quomodo eas capies, si nude easdem tibi proponam? Equidem idipsum facere, quia easdem nude vidi et oculis mentis conspexi; sed oculi tui cæcutientes ad tantam lucem hebescent, ut eam intueri nequeant. Quare suadeo tibi ut eas amplius non scruteris, nec de iis mecum disputes, sed simplici fide eas credas.

Paulo aliter S. Chrysostomus, quem de more Theophylactus et Euthymius sequuntur, *q. d.* « Terrena, inquit, terrenum baptisma dicit, vel quod in terra perficiatur, vel quod ad suæ ipsius ineffabilis generationis comparationem ita appellat, » *q. d.* Si non capitis terrenum meum baptisma, quomodo capietis mysteria divina de sancta Trinitate, de æterna Verbi generatione, processione Spiritus Sancti, de justorum felicitate, gloria, etc. Noli ergo, o Nicodeme, pergere ea curiose exquirere de iisque mecum disputare; sed mihi quasi testi oculato et divino ea affirmanti simpliciter crede.

13. ET NEMO ASCENDIT IN COELUM, NISI QUI DESCENDIT DE COELO, FILIUS HOMINIS, QUI EST IN COELO (1). Vers. 13.
— « Et » ponitur pro « tamen, » vel certe τὸ *tamen* subauditur, *q. d.* Mihi non creditis, et tamen nemo alius ascendit in cœlum, ibique illa, quæ prædico, contemplatus est, nisi ego qui sum Deus et homo, ac ut Deus descendi in terram et naturam humanam assumpsi, ut vos illa docerem. Elevat Christus mentem Nicodemi, ut cogitet se non tantum esse hominem, sed in homine latere Deum, qui est in cœlo, imo cœlum et terram implet, ideo plane sibi fidem adhibeat et in se credat. Vult enim probare Christus sibi cœlestia prædicanti, præ omnibus esse credendum, ex eo quod ipse solus in cœlo illa intuitus fuerit, juxta illud cap. I, 18 : « Deum nemo vidit unquam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. »

ASCENDIT. — Græce est ἀναβέβηκεν, id est *ascendit* in præterito, non in præsenti, multo minus in futuro. Quare hic locus de futura Christi in cœlum ascensione intelligi nequit. Porro, Christus expresse tantum ait neminem alium a se ascendisse in cœlum, quo tacite innuit se eo ascendisse, id est se ibi fuisse ibique Deum et omnia mysteria divina conspexisse. Est metalepsis. Loquitur enim Christus de se ut homine : homines autem non possunt esse in cœlo, nisi e terra sua in cœlum ascendant. Christus ergo qua Deus ascendit in cœlum, id est ab æterno fuit in cœlo, imo in cœlorum apice et summitate, perinde ac in cœlo foret homo, qui e terra in cœlum conscendisset; unde explicans, subdit : « Filius hominis, qui est in cœlo. » Ita Toletus.

Subtilius Maldonatus : Christus, inquit, qua homo ascendit in cœlum, ab initio suæ incarnationis, non per humanitatis elevationem in cœlum, sed per communicationem idiomatum, quia incarnatus et homo factus mox fuit in cœlo, per communicationen jam dictam, et sic recte dicitur eo ascendisse. Sicut enim de Deo in Christo incarnato, per communicationem idiomatum recte dicitur, quod Deus sit in tempore natus, passus, crucifixus, mortuus, quia humanitas a Deo assumpta in tempore est nata, passa, crucifixa; sic vicissim de homine Christo per eamdem communicationem vere dicitur. Hic homo fuit ab æterno, hic homo est in cœlo, hic homo adoratur ab angelis; quia scilicet divinitas, quæ est in eadem persona Christi, fuit ab æterno, est in cœlo, adoratur ab angelis.

(1) Cohærentia est : quanquam ego solus hæc *cœlestia* accuratissime scio, nam ego solus in cœlo cum Deo versatus sum, Filius videlicet cum Patre, divinique particeps consilii ; ideoque a me solo accuratiorem notitiam de regni Messiani indole et Dei consiliis accipere potestis.



Addit Emmanuel Sa Christum, qua homo est, ab initio incarnationis dici ascendisse in cœlum, quia ex tunc anima ejus vidit Deum, fuitque beata, quæ magna est in cœlum, imo in cœlum cœlorum, ascensio.

Perperam ergo Ubiquetarii hæretici ex hoc loco contendunt corpus Christi esse ubique, eo quod divinitas ejus sit ubique : proprium enim divinitatis est esse ubique, humanitatis vero proprium est esse in certo et determinato loco, quo circumscribitur.

Valentinus Christum e cœlo corpus attulisse contendebat.

NISI QUI DESCENDIT DE COELO. — Hinc Valentinus contendebat Christum e cœlo attulisse corpus, quare illud non accepisse in terra ex B. Virgine, sed per eam solum quasi per canalem transisse, quæ est hæresis jam olim ab Ecclesia damnata. Dicitur ergo Deus, sive Verbum, in incarnatione descendisse de cœlo, per catachresin et metalepsin : Deus enim proprie locum non mutat, aut descendit. Dicitur tamen descendisse, quia in terra humanam naturam assumpsit, itaque per hanc novam in terra incarnationis operationem, hominibus visus est e cœlo in terram descendisse. Loquitur enim Scriptura anthropopathôs, sive ex more et sensu hominum, qui concipiunt Deum in terram descendere, sicut homines descendunt ex loco alto in demissum, sive ex monte in vallem. Sic *Gen.* XVIII, dicitur Deus descendisse ad videnda et castiganda scelera Sodomæ. Causam dat S. Cyrillus, in *Conc. Ephes.* : « Quia, inquit, Deus Verbum semetipsum exinanivit, ac Filius hominis appellatus fuit, manens interim quod erat, hoc est Deus, fit ut tanquam unus cum propria carne consideratus, e cœlo descendisse dicatur.

FILIUS HOMINIS, QUI EST IN COELO. — Explicat et inculcat quod dixit, « Ascendit in cœlum, » *q. d.* Christus ascendit in cœlum, id est qua Deus ab æterno fuit in cœlo, quia ipse semper est in cœlo, tanquam cœlorum conditor, moderator, imperator, dominans in toto universo. « Filius hominis » ergo, id est Christus homo, dicitur esse in cœlo per communicationem idiomatum, quia ejus divinitas erat in cœlo, ut dixi. His verbis, ait Synodus VI Œcum. *act.* 12, « nos instruit, quod divinitati unita est caro passibilis ineffabiliter atque singulariter, ut discrete atque inconfuse sic indivise videretur conjungi, ut nimirum stupenda mente mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis cognoscatur uniri. »

14. ET SICUT (*q. d.* Sicut autem) MOYSES EXALTAVIT SERPENTEM IN DESERTO; ITA EXALTARI OPORTET FILIUM HOMINIS :

15. UT OMNIS QUI CREDIT IN IPSUM, NON PEREAT, SED HABEAT VITAM ÆTERNAM. — Pergit Christus catechizare Nicodemum : unde, sicut vers. præcedenti ei exposuit se esse Deum, sic hic exponit se factum esse hominem, ut pro hominum redemptione crucifixus, mereatur ut omnis qui in eum credit, et per mortis ejus meritum salutem sperat, eamdem consequatur. Sic enim solet Christus de se loquens summis ima, divinis humana, gloriosis funesta jungere et subtexere, *q. d.* « Quicumque percussus fuerit a serpentibus peccatorum, Christum intueatur, et habebit sanitatem in remissionem peccatorum, » ait Hadrianus I Papa, epist. 3 *ad Carolum, regem Francorum*, act. 5. Idem ex hoc serpente probat licitum esse usum imaginum. Additque : « Figura præstabat vitam temporalem; res ipsa, cujus illa figura erat, vitam æternam (1).

Citat Christus historiam Hebræorum, *Numer.* cap. XXI, vers. 5 et seq., cum enim Hebræi in deserto murmurarent contra Deum et Moysen, Deus misit in eos ignitos serpentes (qui tropolog., ait Glossa, significabant incentiva vitiorum) qui eos morderent, et igneo suo veneno necarent et quasi cremarent. Quocirca Hebræi pœnitentes postularunt a Mose remedium. Moses jussu Dei fabricavit æneum serpentem, eumque in pertica erexit, ut a singulis per tota castra aspici posset : quare qui eum aspiciebant, a morsu serpentum illico per miraculum sanabantur. Hic enim serpens repræsentabat Christum, qui formam habebat peccatoris, at non venenum peccati : Christus enim in cruce erectus est, ut omnis in eum per fidem aspiciens et salutem sperans, a peccato Adæ per serpentem inducto, cæterisque omnibus quæ ex eo consecuta sunt, sanetur. Ita S. Augustinus, *De Peccat. merit.*, lib. I, cap. XXXII. « Exaltatus serpens, inquit, est mors Christi; a serpente

(1) « Solebat Jesus sæpius, quo auditorum suorum tarditati et segnitiei succurreret, nec eos a se imprudenter alienaret, doctrinas suas ita tradere, ut uteretur imaginum et similitudinum involucris atque integumentis, quo aculeos in animis eorum relinqueret; quo eos excitaret, ut mentis nervos intenderent, et sensim meliora discerent; etiam cum ipsis discipulis suis Jesus de morte sua prius obscurius, successu temporis apertius et sæpius disputare solebat. Cæterum Nicodemus quidem tunc temporis non perspiciebat quid Jesus hac comparatione instituta dicere voluisset, obscura ipsi hæc ejus oratio erat, præparabatur tamen ea ad illa quæ eventura erant; post Jesu mortem atque in vitam reditum hujus effati recordabatur, et clarior cognitionis lux ei effulgebat. » Hæc optime Kuinoel in h. l.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quippe mors venit, qui peccatum homini persuasit : Dominus autem in carnem suam non serpentis venenum, id est peccatum, transtulit, sed mortem, ut esset in similitudine carnis peccati pœna sine culpa; unde et pœna solveretur et culpa. » Et Theophylactus : « In illo serpente, ait, species quidem bestiæ, sed non venenum : sic in Christo similitudo carnis peccati, non peccatum. » Audi S. Cyrillum, in *Concilio Ephesino*, acute et eleganter hæc explicantem : « Et quid istud ænigma sibi vult? Cur sublatum serpentem conspicatus vita donatur? Unigenitum Dei Verbum, quod sua te natura vita est, nobis simile, hoc est homo factum est. Est autem homo res quædam noxia, serpenti non absimilis. At vero licet ut homo nobis assimilatus sit, si quis tamen in illum aspexit, morte superior evadit. Sed quid aliud, obsecro, est illum intueri, quam incarnationis illius mysterium exacto animi judicio expendere? » Addit S. Epiphanius, *hæresi* 37, Christum comparari serpenti, quia Judæi eum ut serpentem despiciebant et abominabantur; « Instar serpentis, inquit, Dominum Salvatorem ignominia afficiebant. »

Plenissime vero S. Chrysostomus causam et analogias serpentis ænei et Christi assignat : « Ne enim, inquit, quis diceret. Quomodo possunt in crucifixum credentes salvi fieri, cum se a morte non liberaverit? veterem in medium adducit historiam. Nam si ad ærei serpentis simulacrum aspicientes Judæi, a morte liberabantur : quanto majori, qui in crucifixum credunt, beneficio fruentur? Illic enim mortem fugerunt Judæi temporalem, hic sempiternam fideles. Illic ictus serpentum suspensus serpens sanavit, hic incorporei serpentis plagas Jesus cruci affixus curavit. Illic corporeis oculis suspicientes, corporis salutem, hic incorporeis omnium peccatorum remissionem consecuti sunt. Serpens illic mordebat, et serpens sanabat; hic mors perdidit, et mors salvum fecit. Ad hæc qui interimebat serpens, veneno sæviebat, qui liberabat nullo. Sic et hic, quæ perdebat mors peccatum habebat, quemadmodum serpens venenum : Domini autem mors ab omni immunis erat peccato, ut æreus serpens veneno. Vides ut figura consentiat veritati. »

Exaltavit. — Id est ex ligno alto suspendit : unde Hebr. *Num.* xxi, 9, additur, אל נס *al nes*, id est *super vexillum*, puta super hastam vexillarem, instar vexilli erectam; hoc enim typus et figura erat vexilli crucis Christi, ad quod ipse fideles suos, quasi milites advocat. Hanc autem hastam cum serpente æneo ex illa suspenso, Moses fixit et erexit super tabernaculum, quod in deserto, in medio castrorum situm, Hebræis erat vice templi, teste Justino sub finem Apologiæ 2 *ad Antoninum Imperatorem*, quo significabatur crucem Christi figendam et adorandam in templo ab omnibus fidelibus, quasi fidei et religionis Christianæ vexillum et trophæum.

Quærit S. Chrysostomus : « Cur non dixit suspendi, sed exaltari? » ac respondet : « Ut neque ignominiosum auditori, neque a figura abhorrens videretur. » Plura de hoc serpentis ænei symbolo et Christi crucifixi typo dixi *Num.* xxi, 9. Hinc liquet inepte Calvinum interpretari hanc Christi exaltationem esse Evangelii ejus prædicationem, non autem ejus crucifixionem.

Ut omnis qui credit (illique obedit leges ejus servando, sive qui in eum credit, fide non nuda et informi, sed per charitatem formata), habeat vitam æternam, — per gratiam, pœnitentiam, virtutes et bona opera, quæ illi Christus e cruce aspirat hoc fine, ut vitam, felicitatem et gloriam æternam mereatur et assequatur.

16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum (Syrus, *unicum*) daret : ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam (1). — Arabicus, *sic dilexit Deus mundum, ut dono dederit Filium suum*, etc. Consentit more suo Ægyptius, ac cæteri. Est occupatio : ne enim Nicodemus miretur et objiciat : Si Filius Dei es, quomodo ergo Deus permittet te suspendi et exaltari in cruce? Occurrit Christus Deum id permissurum, ut igneam et immensam suam in homines charitatem demonstret, quam proinde repræsentabat serpens æneus, qui hebraice vocatur שרף *saraph*, id est igneus, et igniens, ac ignitos deserti serpentes afflans et comburens. Ita S. Chrysostomus et Theophylactus. Audi S. Ambrosium, lib. I *De Jacob et vita beata*, cap. vi. « Considera affectum patrium. Quod pietas est, quasi morituri filii suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino studium tuæ salutis, ut propemodum de suo periclitaretur, dum te lucraretur. »

Nota, singula Christi verba hic habere magnam emphasim; et emphatice exaggerare amorem

(1) Quæ inde a vers. 16 leguntur usque ad vers. 21 a Joanne ipso propterea addita esse, ut Christi dicta accuratius et uberius explanaret, judicarunt, aut potius somniarunt, præeunte Erasmo, Rosenmullerus major et Kuinoel, qui addit etiam aliis in locis Joannem sermones aliorum referentem, sua notata vel interseruisse statim, vel sub finem attexuisse. Contra merito Knappius, op. cit., veteribus interpretibus adstipulatus, observavit hæc : Ne unum quidem exemplum afferri poterit, ex quo appareat Joannem eorum quos loquentes fecerit, sermonibus, sua sic vel interposuisse, vel subjunxisse, ut plane nullam ejus rei significationem daret. Quin contra hujus scriptoris perpetuo in more illud est positum, ut, vel interloquens aliorum sermoni, vel aliis expositis quædam subnectens, claris id indiciis ostendat. Conf. *Joan.* i, 16-18; ii, 17, 21, 22; vi, 6; vii, 39; viii, 27; x, 6, etc. Tenendum est igitur Christum ipsum sermonem suum cum Nicodemo habitum continuare et sic pergere, ut doceat, ea in re quam modo commemoraverat, singularem Dei Patris amorem, quo ille genus humanum amplectatur, elucere, eo consilio ut et Patrem et Filium, qui prius tantopere nos adamarunt, grato et obsequente animo redamemus, I Epist. *Joann.* cap. iv, vers. 19.



Emphasis amoris Dei. Dei. *Primo* enim ait *sic*, id est tanta amoris vehementia, conatu, excessu; *secundo*, non rex; non Cæsar, non angelus, sed *Deus*; *tertio*, *dilexit*; scilicet prior et gratis, sine merito, imo sine desiderio nostro; *quarto*, *mundum* sibi contrarium, hostem et reum damnationis; *quinto*, ut non hominem, non angelum, non mundum alterum, sed *filium*; non alienum, non adoptivum; sed *suum* proprium ac naturalem, cumque non unum e multis, sed *unigenitum* et unicum; *sexto*, non venderet pretio, non mutuaret, sed gratis *daret*, non ad regnum et triumphos, sed ad mortem et crucem; *septimo*, id fecit non sibi, non Christo fructum aliquem quærens; sed ut ipse nos, id est creator creaturas suas sua morte vivificaret, sua humilitate exaltaret, sua exinanitione æterna gloria, opibus et bonis immensis cumularet. Hæc est philanthropia Dei erga homines, quam celebrat Apostolus *ad Titum*, iii, 4. Vide ibi dicta.

Objectio prima. Dices : Majoris amoris fuisset, si Deus Pater dedisset seipsum nobis nostramque carnem assumpsisset, quam quod miserit Filium; plus enim dat qui se dat, quam qui alium mittit.

Respondeo : Hoc verum est in iis qui sunt diversæ essentiæ, non autem in Deo, ubi Pater et Filius eamdem numero habent essentiam divinam, suntque ὁμοούσιοι, id est consubstantiales : quare Pater dando nobis Filium, cum eo dedit nobis essentiam suam, qua nihil majus esse aut dari potest. Fuit ergo donum hoc Patris summum et infinitum. Ita S. Cyrillus hic.

Objectio secunda. Resp. Instabis : Pater non dedit personam suam, sed essentiam duntaxat. Plus ergo dedisset, si personam suam quoque dedisset : Respondeo negando consequentiam : tum quia persona in Deo realiter idem est quod essentia; nihil enim addit essentiæ nisi relationem et oppositionem ad aliam personam; tum quia persona Filii tam digna est quam persona Patris; omnes enim tres personæ divinæ per omnia sunt æquales, ut habet Symbolum S. Athanasii. Adde, Pater dando personam Filii, dedit nobis quoque personam suam, æque ac Spiritus Sancti, quia Pater est in Filio, et uterque in Spiritu Sancto, ac vicissim Filius in Patre est, et Spiritus Sanctus in Patre et Filio, per divinam illam περιχώρησιν sive circumincessionem, de qua dicam *Joan.* xiv, 10.

Cur Filius incarnatus non Pater, aut Spiritus Sanctus? Porro causas, ob quas Deus Pater proxime dederit personam, non suam, sed Filii sui, sive cur Filius solus carnem nostram assumpserit, non Pater, nec Spiritus Sanctus, plures affert S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* III, art. ultim. Inter quas primaria est, quod Pater per Filium voluerit nos nostramque naturam sibi adoptare, nosque sibi filios et consequenter hæredes efficere. Filium enim suum fratrem nostrum effecit, ut per eum filii Dei et consequenter hæredes efficeremur, uti indicat hic Christus. Unde Theodoretus citans hæc verba Christi, serm. 10 *De Providentia*, longiuscule post initium; ea sic explicat, *q. d.* « Tanta est amoris hujus excellentia, ut Filium unigenitum, consubstantialem, ex utero ante luciferum genitum, quo cooperario usus mundum creavit, medicum et salvatorem nostrum decerneret, et per hunc adoptionis in filios Dei donum nobis donaret. » juxta illud Apostoli : « Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, » *Rom.* viii, 29.

Adde, in humanis amor descendit, non ascendit : unde magis amat pater filium, quam filius patrem; optat enim post se filium superstitem et hæredem relinquere, quasi in filio post mortem victurus et superstes futurus. Atque hoc respectu et hac analogia cum rebus humanis, dici quodammodo posset major amor Patris, quod dederit nobis Filium, quam si dedisset seipsum : dando enim Filium, dedit quoque seipsum (Pater enim omnia sua communicat et transfert in Filium), dando vero seipsum præcise, non dedisset Filium : Pater enim est ante Filium, non tempore, nec natura, sed origine; Pater enim est origo et principium Filii, non Filius Patris. Hæc intellige, sive anthropopathōs, sive comparative per analogiam ad res humanas de divinis loquamur, uti dixi. Sic enim sæpe loquitur Deus humano more, et ad nostros conceptus descendit, ut divina et incomprehensibilia, per ea quæ apud homines videmus, aliquo modo capiamus.

17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. — Confirmat et exaggerat immensum Dei in homines amorem, per Christum crucifixum demonstratum, *q. d.* Jure suo poterat Deus Filium mittere in mundum, ut eum tot scelerum reum perderet et in abyssum gehennæ demergeret; hoc enim justitia exigebat, sed justitiam vicit immensa Dei charitas, quæ mundum, cum dignus esset extremo supplicio, summo affecit beneficio dando ei salutem per eum.

Nota τὸ *ut judicet*, id est condemnet, puniat, in tartara mittat, ibique comburat; opponitur enim illi τὸ *ut salvetur*. Sic et in seq. et alibi crebro *judicare* ponitur pro *condemnare*. Est metalepsis. Hinc S. Augustinus et Theophylactus notant Christum hoc fine incarnatum esse, ut omnes homines salventur, idque ipsum serio optare et velle : quare quod multi ex eis damnentur, per ipsos stare, nec Christi, sed ipsorum esse culpam.

18. Qui credit in eum, non judicatur (non condemnabitur, sed salvabitur) : qui autem non credit (jam), judicatus (id est condemnatus) est (quia talis manifeste seipsum per suam infidelitatem condemnat; per illam enim sibi omnem salutis viam et initium, puta fidem, præscindit), quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. — Græce εἰς ὄνομα, id est *in nomen*, hoc est, in

ipsum Filium Dei; *nomen* enim ponitur pro re nominata metonymice. Aut proprie, *q. d.* Quia mihi homini non dat nomen et titulum Filii Dei: quia enim me solum credit esse hominem, hinc me nominat hominem, Dei vero nomen mihi denegat; quæ summa est in me et Deum Patrem injuria, æque ac blasphemia, ideoque acrem pœnam et condemnationem meretur. « Magnum, ait Cyrillus, crimen incredulitatis esse ostendit, quoniam unigenitus ipse sit Filius Dei: nam quanto præstantius est quod contemnitur, tanto majoribus; qui sprevit, suppliciis subjacebit; » præsertim quia talis « mendacem facit Deum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo, » I *Joan.* cap. v, vers. 10.

19. HOC EST AUTEM JUDICIUM: QUIA LUX VENIT IN MUNDUM, ET DILEXERUNT HOMINES MAGIS TENEBRAS, QUAM LUCEM; ERANT ENIM EORUM MALA OPERA. — « Judicium, » id est causa judicii, hoc est, condemnationis, *q. d.* Hæc est causa cur jam judicati, id est condemnati sint, qui non credunt in me; quod scilicet magis tenebras et ignorantiam Dei et agendorum, ac suas terræ delicias et concupiscentias, indeque peccata sua obstinate dilexerint, quam lucem, id est Christum, qui mundo attulit lucem, id est cognitionem Dei, salutis, rerum agendarum, et bonæ sanctæque vitæ. Horum enim symbola sunt lux et tenebræ, ob triginta analogias quas recensui I *Joan.* v, ad illa: « Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. » Unde Beda: Lucem, ait, seipsum appellat, de qua supra, cap. I: « Erat lux vera; » tenebras vero peccata. Porro « lux venit in mundum, » homines excitans, ait Glossa, et admonens cognoscere sua mala, *q. d.*, ait S. Chrysostomus: « Non ipsi eam quæsierunt, vel laborarunt ut invenirent: ipsa ad eos venit, nec tamen ei occurrerunt. » Christus versu præcedenti dedit proximam judicii, id est condemnationis, infidelium causam, scilicet ipsam eorum infidelitatem: hic dat causam remotam, sed primam, scilicet quod tenebris suarum concupiscentiarum affixi, noluerint admittere lucem veritatis et sanctitatis, quam ipse verbo et exemplo prædicavit. Sic hodie multi fiunt hæretici, ut libertatem carnis sequantur; hanc enim permittit hæresis, vetat vero fides: quare ut hæreticum convertas, hac via utere, ut prius ei vitam honestam moresque castos et sanctos persuadeas; sic enim facile fidem veram eidem persuadebis.

Posset *secundo*, nervosius « judicium » proprie accipi, *q. d.* Hoc est « judicium, » scilicet condemnationis et reprobationis infidelium, vel quo se quisque eorum condemnat, quod scilicet tenebras prætulerint luci, id est cupiditatem sanctitati, ignorantiam scientiæ, dæmonem Deo: fideles vero credentes in Christum, tenebras suas confessi abdicarint, ac oblatam sibi Christi lucem receperint, ait S. Augustinus: qui enim tenebras præfert luci, id est infidelitatem fidei, scelera virtutibus, hic ipso facto seipsum judicat, id est condemnationis reum et gehenna dignum confitetur. Quare tali dicet Christus judex: Ego te non judico, quia tua ipsius conscientia te judicat et condemnat.

20. OMNIS ENIM QUI MALE (Græce φαῦλα, id est prava et perversa) AGIT, ODIT LUCEM, ET NON VENIT AD LUCEM, UT NON ARGUANTUR OPERA EJUS. — « Recusat, ait Cyrillus, omnis qui male agit, lucis illuminationem, non quia malorum eum pudeat pigeatque (salvaretur enim si id esset), sed quia ignorare meliora mavult, ne conscientiæ stimulis quotidie peccans exagitetur. » Nam, uti notat S. Chrysostomus, « eos notat, qui semper in malitia perseverant, et usque ad extremum spiritum malitiæ studentes, in malis perseverant operibus, et semper in vitiorum luto versantur. »

21. QUI AUTEM FACIT VERITATEM, VENIT AD LUCEM, UT MANIFESTENTUR OPERA EJUS, QUIA IN DEO (secundum Deum Deique voluntatem et legem, item per Dei directionem, lucem, gratiam et opem) SUNT FACTA. — « Veritatem, » intellige practicam, hoc est id quod verum, rectum, justum, æquum et Deo gratum est. Sicut enim est veritas cordis et oris, sic est et operis, qua fit ut opus honestum et sanctum respondeat et adæquetur suæ regulæ, puta vero judicio practico rationis et prudentiæ, sive justitiæ, virtuti, legi et voluntati Dei. Sic, cap. VIII, 44, de Lucifero dicitur: « Ille in veritate, » id est æquitate, justitia et sanctitate, « non stetit. » Et sic Apostolus jubet nos « facere veritatem, » id est id quod vere bonum, sanctum et Deo gratum est. Idem ingeminat Psaltes, *Psal.* CXVIII.

Sensus est, *q. d.* « Qui facit, » id est per Dei illuminationem et gratiam, proponit et decernit facere « veritatem, » id est id quod vere bonum et sanctum est, « venit ad lucem, » id est amplectitur meam doctrinam et fidem Christianam: « ut manifestentur opera ejus, quia (quod) in Deo sint facta; » quod scilicet Deo placeant, quasi ipsius ductu, monitu, jussu, impulsu facta, ait Euthymius: aut si secus facta sint, ut illa corrigat, et juxta Dei voluntatem emendet et reformet. « Qui veritatem facit, ait Cyrillus, spiritalem illuminationem non spernit, per ipsam maxime ad eam cognitionem perductus, ut intelligere possit an omnia secundum divina peregerit præcepta, nec voluntatem Dei transgressus sit. » Et S. Chrysostomus: « Ostendit, ait, errantium neminem se fidei subditurum, nisi prius rectam sibi vitam persuadeat, et neminem, nisi prorsus malitiæ deditum, in incredulitate persistere. »

Hucusque verba Christi ad Nicodemum, quibus ipse sensim ad Christi fidem et sanctitatem perductus est, ut patet cap. VII, 50, et cap. XIX, 39.

22. POST HÆC VENIT JESUS ET DISCIPULI EJUS IN TERRAM JUDÆAM. — Syrus, *in terram Judææ*; *q. d.* Jesus a metropoli Judææ, scilicet a Jerusalem, cujus civis fuisse videtur Nicodemus, venit in reliquam Judææ regionem, fugiens sectas et odia Hierosolymitanorum principum. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, D. Thomas et alii, licet aliter opinetur Jansenius. « In solemnibus, ait Chrysostomus, in civitatem veniebat, ut in medium doctrinam Dei proponeret, inde sæpe Jordanem petebat.

*Christus per discipulos baptizabat tres ob causas.*

ET ILLIC MORABATUR CUM EIS, ET BAPTIZABAT, — non tam per se, quam per suos discipulos, ut dicitur, IV, 2, quos tamen ipse prius baptizabat, idque fecit variis de causis. *Prima* est, ut ostenderet suum baptismum diversum esse a Joannis baptismo; hic enim a solo Joanne dabatur; Christi vero baptismus dabatur etiam ab aliis, scilicet a discipulis, Christo in eis et per eos potenter operante. *Secunda*, ut auctoritatem, vim et durationem sui baptismi ostenderet propagandam fore per omnia succedentia sæcula. Ita S. Augustinus et Cyrillus. *Tertia*, quia ipse majoribus occupationibus docendi, concionandi, ægros sanandi, dæmones expellendi et miracula patrandi distinebatur. Ita Theophylactus. Porro discipuli Christi baptizantes, necdum erant apostoli; Apostoli enim vocati et creati sunt a Christo, post incarcerationem Joannis: hæc autem contigerunt ante eam, ut patet vers. 24. Discipuli ergo hi necdum erant Apostoli, imo necdum erant sacerdotes, quia sacerdotes a Christo postea creati sunt, in ultima ejus cœna.

*An Baptismus ante mortem Christi expiaret peccata?*

Quocirca jam quasi error est dicere, quod hic aiunt Ammonius, Rupertus, Chrysostomus, *hom.* 28; Theophylactus, Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. XI, Christum idcirco non baptizasse, eo quod baptismus ante mortem Christi non haberet vim remittendi peccata et conferendi Spiritum Sanctum; hanc enim accepisse a morte Christi: quare discipulos Jesu baptizasse baptismo Joannis Baptistæ, non Christi. Audi Tertullianum: « Itaque tingebant discipuli ejus ut ministri, ut Joannes ante præcursor, eodem baptismo Joannis, ne quis alio putet, quia nec extat alius, nisi postea Christi, qui tunc utique a discentibus dari non poterat; utpote nondum adimpleta gloria Domini, nec instructa efficacia lavacri per passionem et resurrectionem, quia nec mors nostra dissolvi posset, nisi Domini passione, nec vita restitui sine resurrectione ipsius. »

*Negat Tertullianus.*

*Et Chrysostomus.*

Audi S. Chrysostomum: « Utrumque (baptisma, scilicet Joannis et discipulorum Jesu) enim similiter spiritus expers erat, et unam eamdemque baptizandi causam habebat, ut Christo conciliaret baptizatos. » Et mox: « Quod autem nihil eorum baptisma præstaret, sequentia manifestant. » Probat ex eo: « Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus, » *Joan.* VII. Sed alius illius loci est sensus, ut ibi ostendam. Accedit S. Leo, epist. 4 *ad Episcopos Siciliæ*, cap. II: « Proprie, inquit, in morte crucifixi, et



in resurrectione ex mortuis, potentia baptismatis novam creaturam condit ex veteri, ut in renascentibus et mors Christi operaretur, et vita, dicente B. Apostolo Paulo: An ignoratis quod quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. »

Verum alia est mens Pauli, ut ibi dixi, atque ipsius, ut opinor, S. Leonis. Nam ante mortem Christus remisit peccata paralytico, *Matth.* IX, et Magdalenæ, eamque spiritu charitatis implevit, *Luc.* VII, idque sola voce sine sacramento: cur ergo idem facere non potuit cum Sacramento baptismi? hoc enim vim suam justificandi trahebat a meritis Christi, tum præsentibus, tum futuris; ac præsertim a morte Christi, quam Christus jam acceptaverat, seque in victimam futuram, pro salute hominum Deo Patri jam sæpe obtulerat. Quocirca sicut Eucharistia ante mortem a Christo instituta sanctificavit Apostolos, sic et baptismus. Ita diserte S. Augustinus hic, *tract.* 15; S. Thomas, S. Bonaventura, Richardus, Scotus, Cajetanus, Sotus cæterique Doctores, quos citat et sequitur Gabriel Vasquez, Suarez, III *part.*, *Quæst.* LXVI, art. 3, disp. 140, cap. III.

Similiter parum probabile est quod censent D. Soto et Melchior Canus, tract. *De Baptismo*, discipulos hic alia forma usos in baptizando, scilicet dicendo: « Ego te baptizo in nomine Jesu Christi; » cum post ejus resurrectionem dixerint: « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, » uti jubet Christus, *Matth.* XXVIII. Aut, ut opinatur Franciscus Lucas, dicendo: « Pœnitentiam age, appropinquavit enim regnum cœlorum. » Hoc enim fuit initium prædicationis tam Joannis Baptistæ, quam Christi. Verum hæc minus sunt verisimilia, tum quia sic Christus debuisset formam baptismi mutare: quod incongruum fuisset, sic enim duplex baptisma instituisset; tum quia non est verisimile Christum baptizasse in nomine suo, cum tamen ipse per se baptizarit suos Apostolos.

Porro antiquorum Patrum sententia est, ait Euthymius, B. Virginem et S. Petrum a Christo ipso esse baptizatos. Et Evodius, S. Petri in cathedra Anthiochena successor, epistola quæ inscribitur Τὸ φῶς, id est *Lumen*, asserit Christum suis manibus baptizasse Andream, Joannem et Jacobum, et ab his cæteros Apostolos fuisse baptizatos. Et S. Augustinus, epist. 108, docet Apostolos baptismo Christi fuisse baptizatos, antequam ipsi eodem alios baptizarent.

23. ERAT AUTEM ET JOANNES BAPTIZANS IN ÆNNON, JUXTA (Græce ἐγγὺς, id est *prope*) SALIM: QUIA AQUÆ MULTÆ ERANT ILLIC, ET VENIEBANT, ET BAPTIZABANTUR. — « Ænnon, » vel *Ennon*, oppidum erat apud Jordanem, octo passuum millibus distans a Betsan, quæ postea Scythis illam occupantibus, dicta est Scythopolis: ita dicta ab Hebr. *ain*, et crasi *en*, id est fons, quia, ut sequitur, « aquæ multæ erant illic. »

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Juxta Salim (1). — « Salim » vel *Salem* duplex erat : una quæ postea dicta est Jerusalem, altera juxta Scythopolim, quæ tempore S. Hieronymi dicebatur *Salumnias*, ut ipse testatur in *Locis Hebr.* Salem, Hebr. idem est quod *sanitas, integritas, pax, perfectio;* hanc enim pœnitentes recipiebant a Joanne transmissi ad Christum, qui non longe a Joanne baptizabat. « Baptizabat Christus, ait Cyrillus, per discipulos suos, Joannes quoque ipse non per alios, sed manibus suis : nec in iisdem fontibus, in quibus Christus, sed juxta Salim, et in fonte quodam certo atque vicino, quia multæ aquæ erant illic. » Unde colligas Joannem ita baptizasse, ut non solum caput (ad hoc enim modica aqua erat opus), sed et corpus aquis ablueret. Porro Joannes prius baptizarat in Bethania, sive Bethabara, ubi Jesum baptizarat, cap. I, 18. Unde putant nonnulli ipsum illum locum cessisse Jesu, ut ipse ibidem baptizaret, ac se transtulisse in Ænnon. Verum hoc invidiam conflasset Jesu, ac lites inter ipsum et Joannis discipulos concitasset. Quare verius videtur quod Joannes sponte sua subinde locum mutarit, ut totam Jordanis regionem prædicando et baptizando circumiret, pluresque ad suum baptismum alliceret, quibus ipse Jesum esse Messiam annuntiaret, « ut in eum, qui post ipsum venturus erat, crederent, » ait S. Chrysostomus.

24. Nondum enim missus (Græce βεβλημένος, id est conjectus, compactus) fuerat Joannes in carcerem. — Hæc vox, ait S. Chrysostomus, innuit Joannem baptizasse usque ad suam incarcerationem ; usque ad mortem enim constans perstitit in officio suo, ad quod a Deo missus erat, scilicet ut baptizando et prædicando pararet viam Christo, quod cum sat superque fecisset, Dei nutu permissus est incarcerari, ut locum cederet Christo omnesque suos discipulos ad Christum transmitteret, uti reipsa fecit.

Addit hoc Joannes Evangelista, ut innuat se hæc omnia supplere et addere cæteris tribus Evangelistis ; illi enim historiam suam ordiuntur a carcere Joannis.

Facta est autem quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione. — « Autem, » Græce οὖν, id est *igitur;* quia scilicet Joannes baptizabat cum Jesu, ut præcessit : inde enim orta est « quæstio, » id est lis et contentio, « ex discipulis Joannis, » scilicet hanc quæstionem et litem moventibus, utpote zelantibus pro honore et auctoritate magistri sui Joannis, ne ille vilesceret per baptismum Jesu, ad quem plures confluebant, præsertim transmittente et Jesum sibi præferente ipsomet S. Joanne.

Cum Judæis — Jesum sequentibus. Græca Compl. habent in singulari, μετὰ Ἰουδαίου, id est *cum Judæo :* Syrus addit, *uni ex discipulis Joannis cum uno ex Judæo :* quam lectionem sequuntur et exponunt S. Chrysostomus, Nonnus, Theophylactus et Euthymius ; Latini vero, et ex Græcis S. Cyrillus, legunt : « cum Judæis, » in plurali. Fieri potest quod unus hanc litem suscitarit, quam deinde plures, ut fieri solet, adauxerint ; « de purificatione, » id est de baptismo Joannis et Jesu, uter scilicet esset melior magisque purificaret et sanctificaret. Nam « Judæus quidem, ait Theophylactus, præferebat baptisma discipulorum Christi, discipuli vero Joannis baptisma magistri sui ; » utpote qui prior multos, adeoque ipsum Jesum quasi discipulum suum baptizasset. Sed replicabant discipuli Jesu, ipsum multa miracula fecisse, Joannem vero nullum. Rursum Joannem Jesum sibi prætulisse et asseruisse ipsum esse Messiam, sive Christum, ita S. Augustinus, Beda, Cyrillus et Chrysostomus cum suis.

26. Et venerunt ad Joannem, et dixerunt ei : Vers. 26.
Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. — « Rabbi, » paraphrastice eleganter Nonnus : « Rabbi, qui primus salutarium aquarum fuisti præco. »

Qui erat tecum trans Jordanem. — Scilicet Jesus, qui ad te venit ut baptizaretur, hic jam ingratus se tibi æquat, tuum officium invadit, tuum baptismum ambit et usurpat. Dignus ergo est ut eum coerceas, alioqui omnes a te ad illum defluent, cum ignominia et dedecore, tam tuo, quam nostro. Audi S. Chrysostomum : « Quem tu baptizasti, quem clarum et conspicuum reddidisti, is eadem quæ tu, audet. » Et paulo post : « Qui in discipuli loco habitus est, qui nulla ex parte nobis superior erat, is abs te discedens baptizat. Hæc autem ex animi imbecillitate et ambitione quadam loquebantur. » Similiter Euthymius : « Hic munus tuum contra te exercet, tuamque rapit gloriam. Et insuper exasperare illum volentes, addiderunt : Et omnes veniunt ad eum, te relicto. »

27. Respondit Joannes, et dixit : Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. — Joannes reprimit discipulorum ambitionem et contentionem, imo aperte litem Christo adjudicat eumque sibi præfert, et novum amplumque ei dat testimonium, quod ipse sit Messias, *q. d.* Ego non possum sine insigni præsumptione, superbia et ingratitudine, ac consequenter nec volo, nec desidero occupare majorem gradum, majus officium, majorem auctoritatem, quam mihi dederit Deus. « Decet enim hominem concessa sibi de cœlo mensura esse contentum, » ait Cyrillus. Quid ergo vultis? ut ego Messiæ munus invadam, illudque Jesu præripiam? Deus hoc avertat ; si enim id facio, Deus juste me officio et honore meo privabit. Scitis illud vulgo apud nostros Syros jactatum : « Camelus postulans cornua, aures amisit. » Absit igitur a me, ut me Jesu præferam, ut mihi Messiæ nomen et dignitatem arrogem : hoc enim Jesu datum est a Deo, non mihi ; mihi sat superque dedit Deus, quod ejus præcursorem et indicem me fecerit : illo ergo contentus vivam et moriar, cætera omnia Jesu Domino meo ultro concedam. Ita Augustinus, Beda et alii ; licet S. Chrysostomus, cum suis, hæc a Joanne dicta putet, non de se, sed de Jesu, *q. d.* Jesus facit se Messiam, idque probat per miracula, et recte facit, quia hæc dignitas, et hoc officium illi datum est a Deo ; nemo enim potest hoc usurpare, nisi cui id dederit Deus, juxta illud *Hebr.* v, 4 : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo. » Deus enim cuique distribuit mensuram fidei et gratiæ ultra quam se efferre nequit, et quam recte usurpare potest et debet.

Vers. 28. 28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis (græce μαρτυρεῖτε, id est *testes estis*), quod dixerim : Non sum ego Christus ; sed quia missus sum ante illum, — ut scilicet ejus adventum præeam hominesque præparem, velut ejus præcursor, minister, index et præco, *q. d.* Scitis me semper professum esse quod non sim Christus, sed præcursor Christi, cur ergo me jam sollicitatis ut ego hæc dicta mea revocem, ac me Jesu præponam, illique nomen Christi suffurer, illudque mihi arrogem? Sane hæc intoleranda foret superbia, inconstantia, injuria et blasphemia : sinite ergo me meo officio contentum vivere, mecumque Jesu viam præparate, illique quasi Messiæ, Deo et Domino meo et vestro, vos totos addicite et servite.

29. Qui habet sponsam (cui sponsa assignata et desponsa est), sponsus est ; amicus autem sponsi qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est, — *q. d.* Jesus Christus per incarnationem despondit sibi Ecclesiam, sive totum cœtum populi fidelis, huicque ille a Deo addictus est, quasi sponsa sponso. Jesus ergo est verus Ecclesiæ sponsus, et sponsus a toto populo fideli summe acceptandus, amandus et colendus est. Quid mirum ergo, si totus populus me relicto ad illum confluat? Ego enim non sum sponsus, puta Christus, sed amicus sponsi Christi : quare illi non invideo hunc populi confluxum, sed ut amicus ejus mire gaudeo, quod tanto dignus sim habitus ministerio, ut sim sponsi paranymphus, utque sponsam, id est, populum fidelem, ad illum traducam, ut omnes eum velut Messiam suum agnoscant, ament et revereantur, ab eoque omnem gratiam et gloriam exspectent ; ille enim est sponsus sponsæ, id est caput et princeps totius Ecclesiæ.

Alludit ad paranymphos, qui sponso erant intimi et familiarissimi, adeo ut ad ipsum cubile et thalamum nuptialem, cæteris exclusis, admitterentur, ideoque amici sponsi vocabantur. Talis enim erat Joannes Christo. « Sponsus, ait Cyrillus, celebritatisque princeps Jesus est ; minister ego, eaque dignitas mea, ut inter amicos sponsi numeratus, vocem sponsi audiam. Nolite in me sponsi coronam quærere ; » sponsi enim coronis nuptialibus coronabantur quasi principes et reges totius familiæ, juxta illud *Isaiæ* LXI, 10 : « Quasi sponsum decoratum corona. » Unde Claudianus, in nuptiis Honorii Imperatoris, hoc Epithalamium canit :

> Tu festas Hymenæe faces, tu Gratia flores
> Elige, tu geminas Concordia necte coronas.

Et Plutarchus, in Vita Alexandri Magni, asserit eum fuisse coronatum, cum uxorem duxit. Est enim corona symbolum hilaritatis, lætitiæ, gratulationis, pulchritudinis, exultationis : quæ omnia abundant in nuptiis et sponsis.

De hisce nuptiis spiritualibus Christi, in quibus multitudo fidelium, quasi sponsa per fidem, gratiam et charitatem, Christo quasi sponso despondetur, dixi *Matth.* XXII, 2.

Nota : Joannes, cap. I, vocavit se servum Jesu, adeoque indignum se esse, qui ejus calceos solvat, professus est ; hic vero vocat se *amicum* ejusdem, quia hæc est Jesu Deique nostri dignatio, ut fideles suos servos in amicos, imo filios sibi assiscat et adoptet. Vocat autem Joannes hic potius se *amicum*, quam *servum*, quia servi sæpe invident felicitati herorum ; amici autem non, sed illi cooperantur illamque promovent, ac de ea gaudent et exultant. Sensus ergo est, *q. d.* Ego Joannes adeo non doleo, nec invideo Jesu, quod totus populus ad eum velut Messiam confluat, quia ejus intimus sum amicus, summeque eum amo, atque ut amicus satagi semper et satago populum fidelem a me ad ipsum amandare, quasi sponsam ad suum sponsum. Hoc enim fuit meum officium, ad quod me Deus misit in mundum, ut scilicet Synagogam, sive Judæos omnes ad Jesum, quasi suum Messiam adducam. Ita S. Chrysostomus, et ex eo Theophylactus : « Hoc, inquit, effecturus veni, et tunc maxime dolerem ego pronubus si non fieret, si ad sponsum sponsa, hoc est populus non accederet ; non autem nunc cum testimonium nostrum re comprobatur, et onus quod mihi concreditum fuerat, video profecisse. Hoc mihi curæ fuit, et propterea omnia feci : cum vero in præsentia contigisse videam, gaudeo et exulto. » Idem faciat doctor, concionator, pastor, ut fideles non sibi, sed Christo conquirat, addicat et tradat, uti faciebat Paulus, dicens : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, » II *Cor.* XI.

Qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, — *q. d.* Ego Joannes asto sponso Christo, quasi minister, silensque audio « vocem sponsi » cum sponsa sua unice colloquentis ; nec autem sponsam mihi ipsi appeto et ambio, sed summe gaudeo, quod vocem ejus audire merear : scilicet audivit Joannes tum baptizans, tum in carcere existens miracula et prædicationem

(1) Multum de urbe *Salim* discrepant interpretes. Hoc autem certum esse videtur, *Salim* non cis Jordanem in Judæa, sed trans Jordanem in Peræa sitam fuisse : quod inde etiam versimile fit, quod ibi fuit aula Herodis, a cujus satellitibus Joannes prehensus fuit.

Christi, ideoque discipulos suos ad eum transmisit, *Matth.* XI. Innuit hic Joannes sibi imminere silentium, ut scilicet officio suo defunctus, a prædicando et baptizando cesset, ac locum cedat Christo, illique velut cursu peracto lampada tradat : quod paulo post factum, cum Herodem reprehendens ob adulterium cum Herodiade, ab eodem in carcerem detrusus est. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

HOC ERGO GAUDIUM MEUM IMPLETUM EST, — *q. d.* Cœpi gaudere cum, Deo revelante, cognovi instare adventum Christi ; magis gavisus sum cum eum præsentem vidi et audivi ; at cum totum populum ad eum confluere intellexi, meum gaudium impletum et perfectum exstitit. Hujus enim unius gratia ego prædicavi, baptizavi totamque vitam meam transegi.

30. ILLUM OPORTET CRESCERE, ME AUTEM MINUI. — « Crescere, » scilicet concursu populi, prædicationis celebritate, auctoritate, miraculorum copia et gloria, adorationis religione et cultu, ut totus mundus eum ut Christum agnoscat, amet, colat, adoret : me autem ut merum ejus præcursorem et ministrum æstimet : sicut lucifer (sive stella Veneris) in aurora fulgens, sole appropinquante, per ejus splendorem obscuratur. Ita S. Cyrillus, quem audi : « Quousque profunditas aeris nocturnis tenebris obscuratur, aureo fulgore gloriaque integra splendere luciferum, magna omnes prædicant admiratione. Cum autem ad ortum sol festinare videtur, cumque lux ejus nostrum hunc orbem aliquantum illuminaverit, cedit sensim majori lucifer, et Joannis verba non injuria dicere posset : Illum oportet crescere, me autem minui. » Sic et S. Chrysostomus ac Theophylactus, quem audi : « Crescit Christus secundum quod paulatim manifestat se per signa et miracula, non secundum profectum in virtutibus, absit ; hoc enim Nestorii deliramentum esset. »

ME AUTEM MINUI, — non virtute, nec sapientia, nec meritis ; in iis enim assidue crevit Joannes usque ad martyrii lauream ; sed quoad honorem, auctoritatem, concursum populi, prædicationem et baptismum ; *q. d.* « Meum feci officium, » jam cessabo, ait Chrysostomus. Hujus rei symbolo Joannes natus est mox post solstitium æstivum, cum dies incipiunt decrescere et minui, puta die 24 junii ; Christus vero natus est paulo post solstitium hiemale, cum dies brevissimi crescere incipiunt, puta die 25 decembris, uti soleriter annotarunt S. Chrysostomus, homil. *De Nativitate S. Joannis*; S. Ambrosius, serm. 2 *De Natali Domini*, et S. Augustinus, *Quæst.* LVIII, interr. 83.

31. QUI DESURSUM VENIT, SUPER OMNES EST. — Dat causam cur Jesum crescere oporteat, se vero minui ; nimirum quod Jesus desursum, id est de cœlo ex sinu Patris, quasi unigenitus Dei Filius (« qui ex superiore germinavit radice paternam conservans naturam, » ait Cyrillus), venit in terram carnem assumens : quare ipse « super omnes est, » id est non tantum me Joanne ; sed et omnibus angelis, hominibus et creaturis longe superior est, utpote omnium creator et dominus, ideoque ab omnibus devotissime recipiendus, diligendus, colendus et adorandus.

32. QUI EST DE TERRA, DE TERRA EST, ET DE TERRA LOQUITUR. QUI DE COELO VENIT, SUPER OMNES EST. ET QUOD VIDIT ET AUDIVIT, HOC TESTATUR ; ET TESTIMONIUM EJUS NEMO ACCIPIT. — Joannes componit et præponit Christum sibi, quasi cœlestem terreno; quantum ergo cœlum eminet terræ, tantum Christus supereminet Joanni, juxta illud : « Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis, 1 *Cor.* XV, 47. Vide ibi dicta.

Sensus ergo est, *q. d.* « Qui de terra » natus est, uti ego Joannes natus sum, ac de terra plasmatus et formatus est, instar Adæ, hic terrenus est, et « de terra, » id est terrena « loquitur. » Sic vers. 6, hominem de carne natum vocavit *carnem*, id est carneum. Hoc autem in Joanne verum est. *Primo*, si ejus nudam naturam species, et seclusa Dei gratia, vocatione et revelatione : sic enim Joannes non nisi terreus et terrenus erat, nec nisi terrena sapiebat ; quia « si quid divinum audisti a Joanne, illuminantis est, non recipientis, » ait S. Augustinus, quasi dicat, id accepit a Deo, non habet a se.

*Secundo*, id verum est, si Joannes conferatur cum Christo, cujus origo, natura et loquela longe sublimior erat Joanne, et plane cœlestis divinaque, ac consequenter omnino efficax ad animos hominum, quocumque vellet, promovendos, per internam gratiam, quam cum verbis suis animis audientium interius inspirabat et imprimebat, uti notat S. Cyrillus.

ET QUOD VIDIT ET AUDIVIT (id est quod cognovit, quod intellexit), HOC TESTATUR, — scilicet ipse Christus. Est catachresis. In divinis enim idem est *videre* et *audire*, idemque quod cognoscere ; sed *videre* significat evidentiam rerum cognitarum, auditus originem, quod scilicet hæc omnia a Patre cum essentia divina acceperit, puta omniscientiam et πανσοφίαν.

NEMO ACCIPIT, — id est pauci accipiunt. Est hyperbole. Ita S. Chrysostomus ; licet enim multi confluerent ad Jesum, tamen hi, præ cæteris domi manentibus et Christi prædicationem negligentibus, erant pauci, atque inter hos paucos alii Christum credebant, alii non credebant, uti Scribæ, Pharisæi et eorum asseclæ. Tangit Joannes suos discipulos, ait Chrysostomus, cæterosque Judæos, ait Euthymius, quod pauci ad eum veniant, pauciores in eum credant.

33. QUI ACCEPIT (vel accipit) EJUS TESTIMONIUM (illi credendo), SIGNAVIT QUIA DEUS VERAX EST. — Pro *signavit*, græce est ἐσφράγισεν, id est sigillavit, sive sigillo (σφραγὶς enim est sigillum) suo obsignavit et confirmavit, *q. d.* Qui recipit Christi testimonium illique credit, hic eo ipso testatur et quasi adhibito suæ fidei sigillo obsignat, profitetur et confirmat veracem esse Deum Patrem, qui



per Filium, quasi per os proprium loquitur res verissimas et divinas ; Filius enim illas a Patre audivit et accepit. Aut, ut Cyrillus, talis profitetur Deum Filium esse veracem, qui hæc ipsa loquitur, *q. d.* Qui credit Deo ejusque Filio, magnum honorem defert Deo, quia credendo profitetur ipsum esse veracem, adeoque esse primam et infallibilem veritatem. Sicut ex adverso qui non credit, valde inhonorat Deum, quia reipsa facit eum fallacem et mendacem : quæ summa est Dei injuria, contemptus, ignominia et blasphemia. Hoc est quod Joannes ait, *epist.* 1, cap. v, 10 : « Qui credit in Filium, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod Deus testificatus est de Filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus. » Vide ibi dicta. Paulo aliter Alcuinus : « Sigillavit, inquit, id est signum posuit in corde suo quasi singulare aliquid et speciale, hunc esse verum Deum, qui missus est ob salutem humani generis. »

Porro, Deus dicitur signare et sigillare sua dicta et oracula, dum ea per miracula, quasi sigilla sua confirmat ; homo vero dicitur signare et sigillare eadem dicta Dei, cum eadem credit esse vera et a Deo quasi a prima veritate profecta. Fides ergo est sigillum quo obsignamus dicta Dei ; credendo enim profitemur et confirmamus illa esse vera et divina, sicut rex suo sigillo confirmat suas litteras.

Denique Joannes Alba, *Elect. S. Script.*, cap. LXXVII, sic explicat, *q. d.* Deus « signavit, » id est elegit, et in mente sua designavit descripsitque ad vitam æternam illum qui accipit testimonium ejus, puta qui credit in Christum, « quia Deus verax est, » ut vitam æternam, quam fidelibus promisit, veraciter eisdem largiatur. Sed hic sensus videtur torquere verba S. Scripturæ. Aliud enim est signare electum, aliud signare Dei testimonium. Hic tamen sensus quadrat illi loco *Joan.* VI, 27 : « Hunc enim Pater signavit Deus, » de quo ibidem.

34. QUEM ENIM MISIT DEUS, VERBA DEI LOQUITUR ; NON ENIM AD MENSURAM DAT DEUS SPIRITUM. — Probat quod dixit, eum qui credit Jesu Christo, sigillo fidei suæ signare et testari quod Deus sit verax, eo quod Jesus, quem e cœlo misit Deus in terram, ut in carne assumpta homines doceret et salvaret ; Jesus, inquam, non sua, sed Dei mittentis se verba loquitur, *q. d.* Verba Jesu sunt verba Dei Patris, ipse enim eadem dedit Jesu : quare qui Jesu credit, hic in Deum Patrem credit ; Deus enim Jesum misit, et Dei sunt verba, quæ Jesus loquitur. Ita Euthymius.

NON ENIM AD MENSURAM DAT (Jesu Christo Filio suo) DEUS SPIRITUM, — hoc est dona Spiritus Sancti. Dicit *dat*, non *dedit*, quia quæ Deus semel dedit Christo, eadem semper dat per conservationem et continuum influxum ; conservatio enim non est aliud quam rei creatæ continuatio, et continuata quasi creatio. Sensus est, *q. d.* Jesus a Deo missus, verba Dei omniaque divina mysteria eloquitur et prædicat, quia Deus hæc ei communicat sine mensura, et quasi immense : nec enim Deus ita pauper aut parcus est, ut certam habeat spiritus mensuram, qua majorem dare non possit ; infinita enim in Deo est hæc spiritus opulentia, quam Jesu, utpote Filio suo, dat et communicat. Licet ergo vos, o discipuli, in me Joanne magistro vestro, magnam videatis divini spiritus in prædicando vim et efficaciam ; tamen scitote in Jesu longe esse majorem, imo in eo esse omnem spiritus plenitudinem ; in Jesu, inquam, tum qua Deus est, tum qua homo : qua Deus enim, « substantialiter in seipso spiritum possidet, » ait Cyrillus ; qua homo est, in ipso « inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, » *Coloss.* II, 9. Unde « vidimus eum plenum gratiæ et veritatis, » ait *Joan.* I, 14, « ac in eo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi sunt, » *Coloss.* II, 3. Ita S. Augustinus : « Hominibus, ait, ad mensuram dat, unico Filio non dat ad mensuram. » Et S. Chrysostomus : « Nos omnes ad mensuram operationem spiritus accipimus (juxta illud : Et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei, *Rom.* XII, 3), ille vero sine mensura. »

Dices : Ergone Christus, ut homo est, accipit spiritum et gratiam, absolute et physice immensam et infinitam? Respondeo : Non ; hoc enim fieri nequit, nec hujus capax est anima Christi creata et finita : dicitur ergo sine mensura illi datus spiritus, eo quod Deus abundantissime omnes gratias omniaque dona sua illi communicarit, ut capiti Ecclesiæ (1) ; ut, scilicet, ipse illa in homines fideles, quasi in membra sua dispertiretur et distribueret, certa mensura ad libitum : esto enim fideles essent sine mensura et numero, ac successive innumeri et infiniti ; tamen Christus quasi caput in omnes, quasi in membra sua, spiritum et gratiam suam influeret. Vide D. Thomam et scholasticos, III *part.*, *Quæst.* VII, art. 11 et 12, et tota *Quæst.* VIII, ubi disputant, an gratia Christi fuerit infinita. Audi S. Hieronymum, in cap. XI *Isaiæ* : « Super hunc florem, qui de trunco et radice Jesse, per Mariam virginem repente consurgit, requiescet spiritus Domini : quia in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter, nequaquam per partes, ut in cæteris Sanctis, sed juxta Evangelium eorum, quod Hebræo sermone conscriptum legunt Nazaræi : Descendet super eum omnis fons Spiritus Sancti. »

Quocirca quidquid Jesus agit, quidquid loquitur, hoc sanctum, hoc spirituale, hoc divinum est ; totus enim possidetur a Spiritu Sancto ; ille

(1) Insuper, *ad mensuram*, Græce ἐκ μέτρου, id est ad litteram quasi μετρίως, *parce*, *medice*. Conf. *Act.* XX, 18; *Judith.* VII, 21.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eum regit, agit, movet ; ille verba quæ loquitur, cordi et ori ejus inserit; ille miracula, quibus dicta sua confirmet, per eum operatur et patrat : quare qui eum recipit et in eum credit, Deum Patrem et Spiritum Sanctum recipit, in eumque credit, ac credendo signat et confirmat quod Deus verax est : secus fuit in Joanne Baptista et Prophetis, qui non ita possidebantur a Spiritu Sancto, quin et multa agere et dicere possent ex proprio spiritu, ideoque falli et fallere, uti falsus est Nathan propheta, Davidi quasi ex ore Dei dicens, ut fabricaret templum, II *Reg.* VII, 3.

35. PATER DILIGIT FILIUM ; ET OMNIA DEDIT IN MANU EJUS. — *q. d.* Sicut Deus Pater diligit Filium sine mensura, sic « omnia » dat « in manu, » id est in arbitrio et potestate ejus sine mensura; « omnia, » scilicet corporalia et spiritalia, omnia quæ in cœlo et in terra sunt, ac consequenter omnia dona Spiritus Sancti, ut ea ad libitum in fideles suos distribuat. Rursum, « omnia, » id est omne jus quod S. Trinitas in homines et res creatas habet, hoc dedit Filio, non solum qua Deus, sed et qua homo est, ut possit de iis facere quidquid voluerit. Vide dicta *Matth.* XXVIII, 18. Audi Euthymium : « Tanquam Deus omnia habebat (omnia siquidem per ipsum facta sunt), hoc tamen etiam dedit ei tanquam homini. Convenienti autem modo dictum est : Diligit et dedit, sicut inter homines dicitur. Solent namque patres diligere filios, eisque tradere quæ sua sunt. »

36. QUI CREDIT IN FILIUM, HABET VITAM ÆTERNAM. — « Habet, » in spe ac jure, quasi in radice et semine, sed necdum in re et fructu, aut etiam actu. Habet enim fidem et gratiam, quæ ei jus tribuit ad gloriam; sed gratiam inchoatam in spiritali Dei cognitione et amore, quæ perficietur post mortem in cœlo. Sic *Joan.* XVII, 3, dicitur : « Hæc est vita æterna (id est, hæc est via et inchoatio vitæ æternæ), ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Est metonymia.

QUI AUTEM INCREDULUS EST FILIO, NON VIDEBIT (non sentiet, non fruetur, non percipiet) VITAM, SED IRA DEI MANET SUPER EUM. — « Manet » æternumque manebit, « ira, » id est Dei vindicta et gehenna, « super eum, » id est semper eum puniet, ait Euthymius, per omnem æternitatem. Audi Cyrillum : « Vitam non videbunt, id est nec quantum ad visum quidem pertinet nudum, ad vitam Sanctorum pervenire poterunt, non attingent illam beatitudinem, non gustabunt illa gaudia, non videbunt veram illam vitam; suppliciis enim cruciabuntur, quod omni morte tristius est, in solo sensu dolorum animam in corpore retenturi. »

Hucusque Joannis elogia de Christo ad discipulos, quibus illi sensim ad Christum traducti sunt.

# CAPUT QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Narrat colloquium Christi cum Samaritana, quo Christus eam docet Deum adorandum esse in spiritu et veritate, seque esse Messiam. Secundo, vers. 32, Christus Apostolis mirantibus ejus cum muliere colloquium, respondet suum cibum esse facere voluntatem Patris, circa messem et salutem hominum. Unde confluentibus ad se Samaritis prædicans, multos ex eis convertit. Tertio, vers. 46, Sanat filium reguli.*

1. Ut ergo cognovit Jesus quia audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos facit
et baptizat, quam Joannes, 2. (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus,) 3. reli-
quit Judæam, et abiit iterum in Galilæam. 4. Oportebat autem eum transire per Sama-
riam. 5. Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar : juxta prædium, quod dedit
Jacob Joseph, filio suo. 6. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sede-
bat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samaria haurire aquam.
Dicit ei Jesus : Da mihi bibere. 8. (Discipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos eme-
rent.) 9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana : Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me
poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis. 10. Respon-
dit Jesus, et dixit ei : Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere : tu
forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. 11. Dicit ei mulier : Domine, neque
in quo haurias habes, et puteus altus est : unde ergo habes aquam vivam? 12. Numquid
tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et
pecora ejus? 13. Respondit Jesus, et dixit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum;
qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : 14. sed aqua, quam



ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 15. Dicit ad eum mulier :
Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. 16. Dicit ei
Jesus : Vade, voca virum tuum, et veni huc. 17. Respondit mulier, et dixit : Non habeo
virum. Dicit ei Jesus : Bene dixisti, quia non habeo virum : 18. quinque enim viros
habuisti, et nunc, quem habes, non est tuus vir : hoc vere dixisti. 19. Dicit ei mulier :
Domine, video quia Propheta es tu. 20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos
dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet. 21. Dicit ei Jesus : Mulier, crede
mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Pa-
trem. 22. Vos adoratis, quod nescitis : nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis
est. 23. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu
et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. 24. Spiritus est Deus : et eos qui
adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. 25. Dicit ei mulier : Scio quia Messias
venit (qui dicitur Christus) : cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. 26. Dicit
ei Jesus : Ego sum, qui loquor tecum. 27. Et continuo venerunt discipuli ejus; et mira-
bantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid loqueris
cum ea? 28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis homi-
nibus : 29. Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci : numquid
ipse est Christus? 30. Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum. 31. Interea roga-
bant eum discipuli, dicentes : Rabbi, manduca. 32. Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo
manducare, quem vos nescitis. 33. Dicebant ergo discipuli ad invicem : Numquid aliquis
attulit ei manducare? 34. Dicit eis Jesus : Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui
misit me, ut perficiam opus ejus. 35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt,
et messis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt
jam ad messem. 36. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æter-
nam; ut, et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. 37. In hoc enim est verbum verum :
quia alius est qui seminat, et alius est qui metit. 38. Ego misi vos metere quod vos non
laborastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. 39. Ex civitate autem illa
multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhi-
bentis : Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. 40. Cum venissent ergo ad illum Sama-
ritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. 41. Et multo plures cre-
diderunt in eum propter sermonem ejus. 42. Et mulieri dicebant : Quia jam non propter
tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator
mundi. 43. Post duos autem dies exiit inde, et abiit in Galilæam. 44. Ipse enim Jesus testi-
monium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet. 45. Cum ergo venisset
in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in
die festo, et ipsi enim venerant ad diem festum. 46. Venit ergo iterum in Cana Galilææ,
ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.
47. Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat
eum ut descenderet, et sanaret filium ejus; incipiebat enim mori. 48. Dicit ergo Jesus ad
eum : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. 49. Dixit ad eum regulus : Domine,
descende priusquam moriatur filius meus. 50. Dicit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit. Cre-
didit homo sermoni quem dixit ei Jesus, et ibat. 51. Jam autem eo descendente, servi
occurrerunt, et ei nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret. 52. Interrogabat ergo
horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum
febris. 53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit;
et credidit ipse, et domus ejus tota. 54. Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum
venisset a Judæa in Galilæam.

eum regit, agit, movet ; ille verba quæ loquitur, cordi et ori ejus inserit; ille miracula, quibus dicta sua confirmet, per eum operatur et patrat : quare qui eum recipit et in eum credit, Deum Patrem et Spiritum Sanctum recipit, in eumque credit, ac credendo signat et confirmat quod Deus verax est : secus fuit in Joanne Baptista et Prophetis, qui non ita possidebantur a Spiritu Sancto, quin et multa agere et dicere possent ex proprio spiritu, ideoque falli et fallere, uti falsus est Nathan propheta, Davidi quasi ex ore Dei dicens, ut fabricaret templum, II *Reg.* VII, 3.

35. PATER DILIGIT FILIUM ; ET OMNIA DEDIT IN MANU EJUS. — *q. d.* Sicut Deus Pater diligit Filium sine mensura, sic « omnia » dat « in manu, » id est in arbitrio et potestate ejus sine mensura; « omnia, » scilicet corporalia et spiritalia, omnia quæ in cœlo et in terra sunt, ac consequenter omnia dona Spiritus Sancti, ut ea ad libitum in fideles suos distribuat. Rursum, « omnia, » id est omne jus quod S. Trinitas in homines et res creatas habet, hoc dedit Filio, non solum qua Deus, sed et qua homo est, ut possit de iis facere quidquid voluerit. Vide dicta *Matth.* XXVIII, 18. Audi Euthymium : « Tanquam Deus omnia habebat (omnia siquidem per ipsum facta sunt), hoc tamen etiam dedit ei tanquam homini. Convenienti autem modo dictum est : Diligit et dedit, sicut inter homines dicitur. Solent namque patres diligere filios, eisque tradere quæ sua sunt. »

36. QUI CREDIT IN FILIUM, HABET VITAM ÆTERNAM. — « Habet, » in spe ac jure, quasi in radice et semine, sed necdum in re et fructu, aut etiam actu. Habet enim fidem et gratiam, quæ ei jus tribuit ad gloriam ; sed gratiam inchoatam in spiritali Dei cognitione et amore, quæ perficietur post mortem in cœlo. Sic *Joan.* XVII, 3, dicitur : « Hæc est vita æterna (id est, hæc est via et inchoatio vitæ æternæ), ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Est metonymia.

QUI AUTEM INCREDULUS EST FILIO, NON VIDEBIT (non sentiet, non fruetur, non percipiet) VITAM, SED IRA DEI MANET SUPER EUM. — « Manet » æternumque manebit, « ira, » id est Dei vindicta et gehenna, « super eum, » id est semper eum puniet, ait Euthymius, per omnem æternitatem. Audi Cyrillum : « Vitam non videbunt, id est nec quantum ad visum quidem pertinet nudum, ad vitam Sanctorum pervenire poterunt, non attingent illam beatitudinem, non gustabunt illa gaudia, non videbunt veram illam vitam ; suppliciis enim cruciabuntur, quod omni morte tristius est, in solo sensu dolorum animam in corpore retenturi. »

Hucusque Joannis elogia de Christo ad discipulos, quibus illi sensim ad Christum traducti sunt.

# CAPUT QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Narrat colloquium Christi cum Samaritana, quo Christus eam docet Deum adorandum esse in spiritu et veritate, seque esse Messiam. Secundo, vers. 32, Christus Apostolis mirantibus ejus cum muliere colloquium, respondet suum cibum esse facere voluntatem Patris, circa messem et salutem hominum. Unde confluentibus ad se Samaritis prædicans, multos ex eis convertit. Tertio, vers. 46, Sanat filium reguli.*

1. Ut ergo cognovit Jesus quia audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos facit et baptizat, quam Joannes, 2. (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus,) 3. reliquit Judæam, et abiit iterum in Galilæam. 4. Oportebat autem eum transire per Samariam. 5. Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar : juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph, filio suo. 6. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus : Da mihi bibere. 8. (Discipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent.) 9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana : Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis. 10. Respondit Jesus, et dixit ei : Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere : tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. 11. Dicit ei mulier : Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est : unde ergo habes aquam vivam? 12. Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus? 13. Respondit Jesus, et dixit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : 14. sed aqua, quam



ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 15. Dicit ad eum mulier : Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. 16. Dicit ei Jesus : Vade, voca virum tuum, et veni huc. 17. Respondit mulier, et dixit : Non habeo virum. Dicit ei Jesus : Bene dixisti, quia non habeo virum : 18. quinque enim viros habuisti, et nunc, quem habes, non est tuus vir : hoc vere dixisti. 19. Dicit ei mulier : Domine, video quia Propheta es tu. 20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet. 21. Dicit ei Jesus : Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. 22. Vos adoratis, quod nescitis : nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est. 23. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. 24. Spiritus est Deus : et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. 25. Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus) : cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. 26. Dicit ei Jesus : Ego sum, qui loquor tecum. 27. Et continuo venerunt discipuli ejus ; et mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? 28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus : 29. Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci : numquid ipse est Christus? 30. Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum. 31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes : Rabbi, manduca. 32. Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. 33. Dicebant ergo discipuli ad invicem : Numquid aliquis attulit ei manducare? 34. Dicit eis Jesus : Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. 35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. 36. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam ; ut, et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. 37. In hoc enim est verbum verum : quia alius est qui seminat, et alius est qui metit. 38. Ego misi vos metere quod vos non laborastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. 39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis : Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. 40. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. 41. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. 42. Et mulieri dicebant : Quia jam non propter tuam loquelam credimus ; ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi. 43. Post duos autem dies exiit inde, et abiit in Galilæam. 44. Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet. 45. Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo, et ipsi enim venerant ad diem festum. 46. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. 47. Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium ejus ; incipiebat enim mori. 48 Dicit ergo Jesus ad eum : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. 49. Dixit ad eum regulus : Domine, descende priusquam moriatur filius meus. 50. Dicit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Jesus, et ibat. 51. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt, et ei nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret. 52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum febris. 53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit ; et credidit ipse, et domus ejus tota. 54. Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

1. Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos facit, et baptizat quam Joannes, — scilicet ante fecerat et baptizaverat, ait S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evangel.*, cap. XVIII; nam Joannes jam erat in carcere. Hæc enim contigerunt occasione incarcerationis Joannis. Jesus enim audiens eum ab Herode incarceratum per calumniam Pharisæorum, qui invidebant Joanni gloriam prædicandi et baptizandi, cum tanto populi confluxu et applausu, præsertim quod ipse sine eorum auctoritate et venia baptizaret et prædicaret, quodque ipsorum vitia taxasset, eosque vocasset genimina viperarum; eum quasi novatorem, qui populi seditionem facile conciliare posset, accusarunt apud Herodem, qui pariter Joanni offensus ob ejus reprehensionem, urgente Herodiade, Joannem incarceravit. Jesus id audiens metuensque eorumdem Pharisæorum invidiam et calumniam, ob majorem populi ad se confluxum, ne se pariter per Herodem vel Pilatum incarcerarent et occiderent ante tempus a Patre præfinitum, e Judæa prudenter secessit in Galilæam. Vide dicta *Matth.* IV, 12.

2. Quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus, — tum quia Jesus majoribus officiis prædicandi, ægros dæmoniacosque sanandi occupabatur. Unde et Paulus: « Non misit me Christus baptizare, inquit, sed evangelizare, » I *Corinth.* I, 17; tum ut ostenderet vim baptismi sui majorem esse Joannis baptismo. Joannes enim per se baptizabat, nec habebat jus delegandi cum potestatem discipulis; sed, discipulis baptizantibus, Jesus ipse baptizare censebatur; nam, ut ait S. Augustinus: « Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adjutorium majestatis, » ac illis corpus abluentibus, ipse animam a peccatis abluebat. Vide dicta cap. III, 22.

3. Reliquit Judæam, et abiit iterum in Galilæam, — non formidinis causa, quasi timeret mortem, sed ut Pharisæorum leniret invidiam, ait Chrysostomus. Pharisæi enim erant potentes; imo sacerdotes, Scribæ, Senatores, ac Magistratus fere erant Pharisæi. Est hic secundus Christi secessus in Galilæam; primus enim fuit, cap. I, 43. Vide dicta *Matth.* IV, 12.

4. Oportebat autem eum transire per Samariam. — Hæc enim inter Judæam et Galilæam interjacet. Notat Cyrillus Christum hic non contraire suo præcepto, quo Apostolis jussit dixitque, *Matth.* X, 5: « In civitates Samaritanorum non intraveritis, » quia ibi vetat Apostolis ne ex professo adeant Samaritanos, ibi habitent, diu morentur iisque continuo evangelizent, ne Judæos Samaritanorum hostes a se et a fide Christi avertant: hic autem Jesus obiter duntaxat transiit per Samariam, ut iret in Galilæam.

Samariam. — Samaria regio erat, quam occuparit tribus Ephraim, et dimidia tribus Manasse: sic dicta est a regia urbe Samaria, quæ nomen accepit a nomine montis, in quo ædificata erat, qui dictus est « Somer, » III *Reg.* XVI, 24. Vide Adrichomium, Brochardum, Bredenbachium et alios, in *Descript. terræ sanctæ*. Samaria postea dicta, est Sebaste, id est Augusta, ubi corpora Elisæi, Joannis Baptistæ et aliorum Prophetarum sepulta fuere.

5. Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar (quæ sita erat) juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph, filio suo. — « Sichar, » id est *Sichem*, ubi Dina corrupta est a Sichem, urbis domino, *Gen.* XXXIII. Urbs hæc a Jeroboam faciente schisma a Roboam sibique regnum decem tribuum, sive Israelis, usurpante, facta est regionis Samariæ metropolis, totiusque regni caput; postea tamen ab Amri hæc dignitas translata est in urbem Samariæ; deinde, tempore Alexandri Magni, rursum Sichem facta est caput Samariæ, dictaque Neapolis, teste Josepho, lib. XI *Antiq.*, cap. VIII. Tempore Christi *Sichem* corrupte dicebatur *Sichar*, hodie *Pelosa* vel *Napolosa* vocatur (1). Sichar quænam urbs? Urbs hæc in Scriptura multis heroicis factis est memorabilis. Abraham, ait Toletus, migrans ex Mesopotamia in Chanaan, primo venit in Sichem, ibique primum altare ædificavit Domino, et terræ illius promissionem accepit, ut habetur *Gen.* XII et XIII. Jacob etiam revertens ex Mesopotamia cum uxoribus et filiis, in Sichem fixit tabernaculum, et ibi emit partem agri a filiis Emor, *Gen.* XXXIII. Ibi Dina corrupta a filio regis Sichem, et facta est occisio magna a filiis Jacob, *Gen.* XXXIV. Sichem constituta fuit asylum et refugium fugitivis, *Josue* XX. Ibi decem tribus, propter stultitiam Roboam, recesserunt a Juda, III *Reg.* XII. Ossa Joseph in Sichem sepulta sunt, ut habetur *Josue*, cap. ultimo. S. Hieronymus, tract. *De Locis Hebr.*, eamdem dicit Sichem et Salem; unde sequitur Melchisedech typum Christi, etiam hujus urbis regem fuisse: profecto urbs satis per se celebris, multo celebrior propter hoc Christi miraculum facta est.

Juxta prædium quod dedit Jacob (moriens) filio suo Joseph. — *Gen.* XLVIII, 22. Vide ibi dicta. Quocirca Joseph moriens in Ægypto, jussit ossa sua transferri in Sichem, tanquam in prædium sibi proprium et a patre Jacob testamento sibi relictum, *Josue*, cap. ult., vers. 32.

6. Erat autem ibi fons Jacob. — « Fons, » id est puteus effossus a Jacob, ut patet vers. 12. Hoc enim significat Hebr. באר *beer*; imo latius, ait S. Augustinus, « omnis puteus est fons, non autem omnis fons est puteus. Ubi enim aqua de terra manat, et usui præbetur haurientibus, fons dicitur; sed si in promptu et superficie sit, fons tantum dicitur; si autem in alto et profundo sit, ita puteus vocatur, ut fontis nomen non amittat. » Fons enim a fundendo dicitur, ait Festus, quod aquas effundat, uti effundit puteus. Et Varro, lib. IV *De Lingua latina*: Fons, inquit, est unde funditur e terra aqua viva. Et S. Isidorus, lib. XIII *Origin.*, cap. XXI: Fons, ait, caput est aquæ nascentis, quasi fundens aquas. Fons Jacob ergo est puteus quem Jacob, cum ibi habitaret, effoderat ad suum et familiæ usum, *Gen.* XXI, 30, et cap. XXVI, 18, erat enim ibi raritas aquæ; vel quem Jacob a Sichimitis coemerat, uti vult Rupertus.

Jesus ergo fatigatus ex itinere, — quia non curru, nec equo vehebatur, sed pedes incedebat, pedibus obeundo vicos et castella contigua, usque ad mortem: mollem et lascivam vitam expellens, ait S. Chrysostomus, laboriosam autem et difficilem nos erudiens. Idem Christi exemplo fecere Apostoli, ac nuper in India fecit B. Xaverius ejusque asseclæ. Pie S. Augustinus, *tract.* 15: « Non frustra fatigatur Jesus, inquit, non frustra fatigatur virtus Dei; non enim frustra fatigatur per quem fatigati recreantur; non enim frustra fatigatur, quo deserente fatigamur, quo præsente firmamur. » Et mox: « Tibi fatigatus est ab itinere Jesus, etc., fortitudo Christi te creavit: fortitudo Christi fecit, ut quod non erat, esset; infirmitas Christi fecit, ut quod erat, non periret. Condidit nos fortitudine sua, quæsivit nos infirmitate sua: nutrit ergo ipse infirmos, tanquam gallina pullos suos; huic enim se similem fecit. »

Sedebat sic supra fontem. — Græce ἐπὶ τῇ πηγῇ, id est *ad fontem*, scilicet juxta puteum: aut proprie « supra fontem, » quia fons, id est aqua scaturiens, erat in imo putei; Jesus autem sedebat in summitate putei.

Sic quadrupliciter explicatur. Primo. Sedebat sic, — id est prout casus ferebat, prout erat ibi sedendi commoditas, *q. d. Primo*, sedebat humi sine sede uti *sedere* solent viatores juxta fontes et puteos, refrigerii et potus causa. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

Secundo. *Secundo*, simplicius: « Sedebat sic, » scilicet ut fatigatus ex itinere; *q. d.* Sedebat habitu ac situ fatigati hominis, sive uti sedere solent homines defatigati et anheli, habitu defatigationem et lassitudinem indicantes. Est mimesis, sive imitatio rei quæ narratur, in voce « sic. » Similis est apud Horatium cum ait:

Leporem positum sic tangere noli.

Et apud Virgilium:

Sic, o sic positum affati, discedite, corpus.

Ita Cajetanus, Franciscus Lucas et alii (1).

*Tertio*, et nervosius posset τὸ *sic* accipi pro *propterea*. *q. d.* Quia Jesus erat fatigatus, *sic*, id est propterea, sedebat ut quiesceret. Hoc sensu τὸ *sic* in vulgari loquendi modo sæpe accipitur, ut Hebr. כן *ken*, id est *sic*, ponatur pro על כן *al ken*, id est *super sic*, hoc est *propterea*. Simile est *Psal.* LX, 9: « Sic (id est propterea) psalmum dicam tibi. » Et Cicero, *Tuscul.* IV: « Sic (id est propterea) tot simul virtutes defecerunt. » Ita Toletus et Maldonatus.

*Quarto*. « sic, » hoc est eo modo quo jam exponam, puta cum circumstantiis quas jam recensebo, *q. d.* Sedebat *sic*, id est sedebat cum esset hora sexta, et mulier Samaritana veniret haustum aquam, et discipuli abiissent in urbem empturi cibos, uti mox enarrat Joannes. Quarto.

Hora erat quasi sexta. — Causam dat, cur Jesus sederet ad fontem, scilicet ut fatigatus, æstuans et esuriens, sitiensque, ibidem quiesceret et refrigerium captaret, pranderet et biberet: erat enim « hora sexta, » id est meridies, quando fervet æstus, seseque cibo et potu reficere solent viatores. Unde Nonnus vertit, « erat hora afferens sitim. »

7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. — Vers. 7.
« Mulier, » nomine Photina, de qua plura, 29.

De Samaria, — scilicet regione, non urbe (2). Veniebat enim ex urbe Sichar, sive Sichem, fonti sive puteo vicina, *q. d.* Erat mulier Samaritana, quia Sichimitis, quæ cum Christo Judæo loquebatur. Inter Judæos enim et Samaritanos summa erant dissidia et odia, uti dixi *Ec.* L, 28.

Hinc patet in urbe non fuisse fontes et puteos saltem tam bonos et communes, sed cives urbe egredi solitos, ad hauriendum aquam ex puteo hoc communi urbi vicino, ob siccitatem soli et aquæ penuriam. Ita Euthymius.

Dicit ei Jesus: Da mihi bibere, — ex situla vel hydria tua. Prævenit Jesus mulierem, ut colloquio occasionem et initium præbeat. Sciebat enim mulierem, utpote Samaritanam, id non facturam, sed Jesum ut Judæum aversaturam, nec voce aut salutatione dignaturam. Porro, « ille qui bibere quærebat, fidem mulieris sitiebat, » ait S. Augustinus. Nota hic miram comitatem et charitatem Christi, qua cum vili meretrice capiat colloquium, ut eam, et per eam totam urbem convertat.

8. Discipuli enim ejus abierant in civitatem (Sichem) ut cibos emerent. — Nota: τὸ « enim » dat causam cur Jesus a muliere petierit bibere,

(1) Sichem dicta quoque fuit *More*: hinc Samaritani qui More incolebant, per contemptum vocabantur ὁ λαὸς ὁ μωρὸς ὁ κατοικῶν ἐν Σικίμοις. Porro quum, *Habacuc* II, 18, idolum vocetur מורה שקר, Judæi occasionem inde arripuerunt inflectendi vocem Sichem in *Suchar* (nam שקר *mendacium* et *idolum* significat), itaque Samaritanis idolorum cultum exprobrandi. Joannes autem hac voce usus est, sive quia illa vulgo inter homines recepta jam non successu temporis contemptum declararet, sive quo ostenderet Messiam non dubitasse adire Samaritanos, licet a Judæis ludibrio habitos.

Vox *in* ante *civitatem* hic intelligi debet quasi *ad*, *versus*.

(1) Mea quidem sententia, *sic* h. l. plane otiosa et illativa, redundat e Latina ratione, seu nisi consequentiam indicat.

(2) Recte quidem, sed nota: Præpositio ἐκ, *de*, non pendet a verbo ἔρχεται, sed a participio subintelligendo οὖσα, ita ut sensus sit: *mulier ex Samaria* (provincia) oriunda atque Samaritanorum religioni addicta, *venit haurire aquam*.

quia scilicet discipuli ejus, a quibus alias cibum et potum petere solebat, jam abierant in urbem empturi cibos : volebat enim Jesus juxta puteum prandere, et ex puteo bibere sitimque restinguere, uti viatores pauperes facere solent, præsertim in Syria, Arabia aliisque locis calidis et siccis, ideoque aquæ penuria laborantibus. Factum id est tacita Christi providentia, ut, discipulis omnibus in urbem dimissis, solus ipse liberius cum muliere impudica ejus pudori consulens ageret ejusque impudicitiam detegeret, atque illam ad fidem et pudicitiam converteret. Hic etiam nota, Christum tunc non mendicato vixisse, sed pretio quod sibi a Magdalena aliisque feminis oblatum, ipse non ut proprium, sed ut commune cum Apostolis possidebat.

9. DICIT ERGO EI MULIER ILLA SAMARITANA : QUOMODO TU JUDÆUS CUM SIS, BIBERE A ME POSCIS, QUÆ SUM MULIER SAMARITANA? NON ENIM COUTUNTUR JUDÆI SAMARITANIS. — *Ergo*, Græcis et Hebræis sæpe est nota initii sermonis, hic tamen est nota illationis ex præcedenti Christi postulatione, *q. d.* Jesus postularat a muliere aquam : mulier ergo ei postulanti, respondit : « Quomodo tu Judæus cum sis, » etc. Agnovit mulier Jesum esse Judæum ex habitu et sermone, quem Christus, ut patriæ se accommodaret, civibus suis similem concinne et prudenter servavit. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius.

NON ENIM COUTUNTUR JUDÆI SAMARITANIS, — id est non habent commercium, non utuntur eadem mensa, pocul[a], vasa. Ita S. Augustinus : « Omnino, ait, vasculis eorum Judæi non utuntur, » quasi ex schismate eorum impuris et abominandis. Causam dedi *Eccli.* L, 28. Hæc verba accipi possunt, vel ut sint Evangelistæ, vel ut sint Samaritanæ, utrumque aptum, utrumque probabile. Ex hoc exemplo disce, quam hæreticorum familiaritatem, libros et colloquia fugere debeamus. Sermo enim eorum ut cancer serpit, ait S. Paulus.

10. RESPONDIT JESUS ET DIXIT EI : SI SCIRES DONUM DEI, ET QUIS EST QUI DICIT TIBI : DA MIHI BIBERE; TU FORSITAN PETISSES AB EO, ET DEDISSET TIBI AQUAM VIVAM. — « Si scires donum Dei, » tum commune, quod Deus donavit omni homini, *q. d.* Si cognosceres me esse Christum Salvatorem mundi. Ita Ammonius et Toletus; unde explicans subdit : « Et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere. » Tum tibi proprium, quod tibi Deus per me nunc exhibet, ut per meum alloquium, occasionem salutis accipias, in me credas, itaque a me justificeris et salveris. Ita Maldonatus, Franciscus Lucas et alii.

TU FORSITAN PETISSES AB EO. — Græce σὺ ἂν ᾔτησας αὐτόν, id est tu utique petiisses; ἂν enim est particula expletiva, rem confirmans. Noster tamen vertit *forsitan*, ut significet liberum petentis arbitrium. Vide dicta *Matth.* XI, 23.

ET DEDISSET TIBI AQUAM VIVAM. — Christus Samaritanam ab aqua corporali ad spiritualem per anagogen traducit. Idem faciat vir Religiosus et Apostolicus. Nota : Sicut mare consistens, lacus, vel aqua stagnans dicitur mortua, quia non movetur, sed eodem loco semper consistit; sic e contrario « aqua viva » dicitur, quæ fluit, ac præsertim quæ ex fontibus et scatebris, quasi animata spiritu vitali, sponte scaturit et exilit. In viventibus enim motus et spiritus signa sunt et effectus vitæ.

Porro, « aqua viva » hic vocatur doctrina Christi Evangelica, ait Ammonius, item Spiritus Sanctus ejusque gratia, quem Christus docens suis afflat et aspirat. Ita Cyrillus, Theophylactus, Euthymius et passim alii. Dicitur « aqua, » *primo*, quia instar aquæ animam a peccatis expurgat, imo novam munditiem et ornatum animæ confert, quod non facit aqua, juxta illud : « Lavabis me, et super nivem dealbabor, » *Psal.* L. Gratia est supernaturalis animæ mundities, decor et ornatus. Unde illud *Cant.* I : « Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es. » Rursum aqua lavat, sed corrumpit, debilitat, destruit et consumit. Videmus enim vestes, dum abluuntur, mundari quidem, sed consumi; aquæ enim qualitates corruptivæ sunt : at Spiritus Sanctus non sic se habet, sed lavat et roborat animas, majoresque vires accedunt, quo magis lavantur, quod Paulus sentiens, *Philipp.* IV, dixit : « Omnia possum in eo qui me confortat. »

*Secundo*, quia Spiritus Sanctus ejusque gratia æstum concupiscentiæ refrigerat, omnesque animæ passiones motusque componit et æquat, instar aquæ. Hinc *aqua* dicitur quasi *æqua*, ait Varro, lib. IV *De Ling. Lat.*, et Isidorus, lib. XIII *Origin.*, cap. VII et seq. : « Aqua, ait, quasi æqua, quod superficies ejus æqualis sit. Hinc et æquor appellatum, quia æqualiter fusum est; » licet Festus : « Aqua, ait, dicitur, quasi a qua juvamur; » vel, ut alii, « a qua omnia, » quia ex aqua cœli, aer cæteraque omnia creata sunt, ut dixi *Gen.* I. Vide quæ de aquæ dotibus dixi *Eccli.* XXIX, ad illa : « Initium vitæ hominis aqua et panis; » et Plinium, lib. XXXI, cap. I, ubi concludens ait : « Omnes terræ vires aquarum esse beneficii. »

*Tertio*, quia sitim rerum spiritualium sedat, de quo plura vers. 13.

*Quarto*, quia sicut aqua terram, arbores, herbas, flores, fructus, fœcundat et impinguat; ita gratia animam bonorum operum et virtutum omnium fœcundam fertilemque efficit; sed pro cujusque conditione, statu et gradu. Verum gratia facit amplius quam aqua; elevat enim animam, ut non tantum fructus et opera naturalia, ut facit aqua, sed et supernaturalia fidei, spei, charitatis, etc., producat, juxta illud : « Qui manet in me, hic fert fructum multum, » *Joan.* XV. Rursum aqua in piro solum producit pirum, in nuce nucem, in rosa rosam; at gratia in eadem anima omnium virtutum fructus producit; in anima, inquam, quæ ante peccato corrupta, non nisi vitiorum fructus germinabat.

Cur vivat? Resp. Primo. Porro Spiritus Sanctus ejusque gratia dicitur « aqua viva, » *primo*, quia Spiritus Sanctus in se divinissime vivit vitam beatam et divinam, hancque suam vitam animæ fideli, pœnitenti et sanctæ communicat : imo Spiritus Sanctus cum Patre et Filio est ipsa vita increata et essentialis, a qua omnis angelorum, hominum, animalium et plantarum vita, tam naturalis, quam supernaturalis, velut ex fonte, imo ex Oceano promanat.

Secundo. *Secundo*, quia, ut ait Theophylactus, gratia Spiritus Sancti est forma, qua vivitur secundum spiritum, adeoque gratia est quasi anima animæ, anima, inquam, virtutis et sanctitatis.

Tertio. *Tertio*, quia per gratiam ipse Spiritus Sanctus qui est ipsa vita, nos inhabitat et vivificat.

Quarto. *Quarto*, quia idem efficit ut anima semper ad bonum moveatur, novos jugiter in corde disponens gradus, quibus ad meliora et altiora conscendat, juxta illud *Psal.* LXXXIII, 6 : « Ascensiones in corde suo disposuit. » Nam, ut ait S. Ambrosius, nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, sed cogit animam cum B. Virgine in montana virtutum conscendere.

*Quinto*, S. Augustinus, *tract.* 15 : « Aqua viva, » inquit, dicitur, quæ ita fluit, ut sit conjuncta suo principio, puta fonti et venæ, e qua scaturit; aqua autem mortua vocatur, quæ divisa est et interrupta a suo fonte. Gratia ergo vocatur « aqua viva, » quia a suo fonte, puta a Spiritu Sancto nunquam separatur, uti et Spiritus Sanctus a sua origine, puta a Patre et Filio, inseparabilis est, illisque intime in eadem numero essentia divina unitur. Quare, licet animæ sese infundat, tamen a Patre et Filio non recedit, imo ad animam secum Patrem et Filium inducit, ut in eo omnes, quasi in templo suo inhabitent, juxta illud *Joan.* XIV, 23 : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Ita S. Cyrillus, lib. II, cap. XXII : Gratiam spiritus, ait, vivam appellat, quasi vivificantem, et quia suo etiam principio est conjuncta, nosque conjunctos efficit. Pendet enim semper a Spiritu Sancto, et per eam Spiritus in nobis inhabitat, et nobiscum unitur, et per eam nos conjungimur ipsi, juxta illud I *Cor.* VI : « Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti. »

*Sexto*, aqua fontis per canales in valles deducta ex iis rursum impulsu continuo aquæ e fonte profluentis et sibi continue succedentis, ad tantam altitudinem deduci potest, quanta est altitudo fontis sive scaturiginis, uti experientia constat. Sic gratia cœlestis, quasi fons donorum et virtutum, e cœlo a Spiritu Sancto scaturiens, eodem, id est æque alte ac est origo fontis, puta in cœlum ad Deum, per bona opera et merita exilire nos facit, juxta illud vers. 14 : « Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Et illud *Cant.* IV, 15 : « Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. » Vide ibi dicta.

11. DICIT EI MULIER : DOMINE, NEQUE (situlam aut aliud vas) IN QUO HAURIAS HABES (Græce non habes ἄντλημα, id est *haustrum*, vel, ut S. Augustinus legit, *hauritorium*), ET PUTEUS ALTUS (deorsum, id est profundus) EST : UNDE ERGO HABES AQUAM VIVAM? — Arabicus, *Domine, non est tibi situla, et puteus profundus est : unde ergo tibi aqua vitæ?* Sic et Syrus. Ecce hic fontem vocat « puteum, » eumque profundum, ex quo hauritur aqua ad bibendum. Unde S. Isidorus, lib. XIII *Origin.*, cap. XXI : Puteus, ait, est locus defossus ex quo hauritur aqua, a *potatione* dictus. Licet Varro, lib. IV *De Lingua Latina*, puteum dici censeat a *putore*, quasi clidum et putidum, ex vaporibus et odoribus, sæpe etiam ex sulphure et alumine, quæ putearios non raro necant, præsertim cum valde profundus est. Rupertus scribit hunc puteum profundum fuisse quadraginta cubitis. Sensus ergo est, *q. d.* Hic non est alia aqua, quam hujus putei; puteus autem profundus est, nec tu, o Jesu, situlam habes, qua aquam ex eo haurias : unde ergo est tibi aqua viva?

12. NUMQUID TU MAJOR ES PATRE NOSTRO JACOB, QUI DEDIT NOBIS PUTEUM, ET IPSE EX EO BIBIT, ET FILII EJUS, ET PECORA EJUS? — Nota : Samaritani erant Assyrii, qui a Salmanasar in Samariam, quasi novi coloni inducti sunt, cum ipse inde inquilinos, id est decem tribus Israel, traduxisset in Assyriam, ut patet IV *Reg.* XVII. Hi tamen volebant haberi Judæi, non Assyrii, cum Judæorum respublica floreret, teste Josepho, lib. XI *Antiq.*, cap. ult., tum quia ipsi Judææ partem, quæ tribui Ephraim obtigerat, scilicet Samariam, incolebant; tum quia ipsi cum Judæis, qui relicti fuerant, vel eo postea commigrarant, erant mixti : ita Cyrillus, Theophylactus, Euthymius; tum quia ipsi Judæorum religionem ex parte sequebantur; colebant enim Deum Israel simul cum Assyriorum idolis, ut patet IV *Reg.* XVII. Hac ergo de causa mulier Jacobum vocat *Patrem nostrum*, id est patrem Samaritanorum, quasi Samaritani sint Judæi et Israelitæ ex Jacob progeniti. Sensus est, *q. d.* Jacob non habuit aquam meliorem hac; si enim habuisset meliorem hac, utique ex ea bibisset, tam ipse quam filii ejus et pecora. Si tu ergo, o Jesu, hic meliorem potes dare vel reperire aquam, necesse est ut tu major sis Jacob patriarcha et patre nostro. Ita S. Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus, quem audi : « Quod ipse (Jacob) ex eo bibit, laus est bonitatis aquæ : quod autem et pecora ejus biberint, indicium est copiæ aquarum; non enim solum dulcis, sed et sic larga est, ut suffecerit multitudini pecorum patriarchæ Jacob. » Paulatim Jesus erexit mentem mulieris, ut tandem agnosceret ipsum esse Messiam. Ex eo enim quod dixerat : « Si scires quis est qui dicit tibi : Da

mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam; » mulier conjecit, vel suspicata est Jesum se facere majorem Jacobo.

13. Respondit Jesus, et dixit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. — Jesus mulieri extollenti aquam sui putei, modeste ostendit suam aquam vivam longe esse meliorem, ex eo quod sitim omnem, etiam futuram, auferat. Unde tacite illi colligendum relinquit se esse majorem Jacobo : « Non se majorem dixit, inquit Chrysostomus, visus enim esset se tantum jactare nondum cognitus, sed latenter id significat. Non enim simpliciter dixit : Dabo tibi aquam, sed prius Jacob aqua neglecta, suam laudat, a munerum natura, dantium volens differentiam ostendere, et quantum ipse Patriarcham excelleret. » Addit Cyrillus : « In infinitum enim differre has sensibiles aquas atque terrenas, ab intelligibilibus ostendit, » ut scilicet acuet mulieris orexin et aviditatem cognoscendi et gustandi hanc Christi aquam vivam.

Qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum. — Tropologice S. Augustinus : Aqua in puteo, ait, est voluptas sæculi in profunditate tenebrosa, quam hauriunt homines hydria cupiditatum; hæ enim faciunt hominem semper sitire, quia cupiditas est insatiabilis.

Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. — *q. d.* Qui aquam vivam, id est gratiam Spiritus Sancti a me acceperit, nunquam amplius sitiet justitiam, Dei amicitiam, virtutem, sanctitatem, quia ea jam habebit per gratiam : intellige, nisi ipse hanc aquæ gratiam sponte et ultro per peccatum mortale evomat et profligat. Hæc enim est antithesis Christi, *q. d.* Aqua communis, qualis est tua ex puteo hoc, o mulier, semel gustata, tantum ad modicum tempus sitim sedat, quia non manet in stomacho, sed ab eo concoquitur, corrumpitur et evanescit, aut per sudorem, vel urinam excernitur : hæc vero mea aqua viva, puta gratia Spiritus Sancti, quantum est ex parte sua, tam efficax est, ut vel semel gustata, semper sufficiat ab abigendam sitim : nam ipsa semper manet in anima, manet, inquam, eadem et immutata. Gratia enim habitualis ex lege Dei ordinaria, affert secum statis temporibus auxilia prævenientia, puta impulsus gratiæ excitantis, qui ad retinendum spiritalem animæ humorem et vigorem, ac ad perseverantiam et salutem, uti necessarii sunt, sic sufficiunt, uti docet Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. xvi.

Dices : Quomodo ergo *Eccli.* xxiv, 29, ait Sapientia de se, « Qui bibent me, adhuc sitient, » hoc enim videtur contrarium ei quod Christus hic de sua gratia dicit : « Non sitiet in æternum. » Respondeo : « Qui bibent me, adhuc sitient, » id est adhuc concupiscent, ut amplius sapientia Dei, quam jam habent, impleantur, hoc est, optabunt augmentum sapientiæ et gratiæ Dei. Hic vero « sitire » est indigere omni aqua, sive concupiscere aquam gratiæ ad vitam spiritalem necessariam : hoc est optare Spiritum Sanctum ejusque justitiam et sanctitatem, quam non habes, ad levandam spiritalem sitim, ariditatem et sterilitatem mentis. Spiritus Sanctus enim per gratiam mentem inhabitans, ita mentem sua gratia reficit, potat et satiat, ut mens nihil aliud sitiat aut desideret, sed ipso contenta saturaque vivat feliciter. Vide dicta *Eccli.* xxiv, 29. Sic S. Ignatius Martyr ad leones damnatus, cum in amphitheatrum prodiret, Romanos spectantes compellans : « Ego, inquit, huc veni, ut moriar pro Jesu meo, quem insatiabiliter sitio, ut illi in cœlo uniar. »

Nota : Spiritus Sanctus per gratiam in hac vita inchoate, sed in cœlo perfecte omnem animæ sitim et desiderium adimplet; item sitim superbiæ ac concupiscentiæ restinguit; denique in cœlo plane tollet omnem, tam corporis, quam animæ sitim et famem, omnem defectum, omnem molestiam per gloriam et dotem impassibilitatis, juxta illud : « Satiabor cum apparuerit gloria tua, » *Psal.* xvi, 15. Et illud : « Qui replet in bonis desiderium tuum, » *Psal.* cii, 5. Et illud : « Non esurient, neque sitient amplius, et non percutiet eos æstus et sol, » *Isaiæ* xlix, 10. Ita S. Augustinus : « Satiabimur, inquit, in bonis domus tuæ. De qua ergo aqua daturus est, nisi de illa, de qua dictum est : Apud te est fons vitæ? nam quomodo sitient, qui inebriabuntur ab ubertate domus tuæ? » *Psal.* xxxv, 9 et 10. Et Glossa interlinearis : Promittit, ait, satietatem spiritus, quæ fiet in resurrectione, quia apud eum est fons vitæ, quo inebriabuntur. Gloria ergo cœlestis implet omnes animæ et corporis defectus, omne desiderium, omnem sitim, « quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, » ait Boetius, juxta illud : « Torrente voluptatis tuæ potabis eos, » *Psal.* xxxv, 9.

14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis (Syrus, *aquarum salientium*) in vitam æternam (1). — Alludit ad fontes, qui tanto impetu et copia aquas continuo effundunt, ut posteriores semper priores propellant, ac licet per valles deducantur, cogant tamen eas per tubos exilire ad tantam altitudinem, quanta est altitudo ipsius primi fontis et scaturiginis. Simili enim modo aqua gratiæ Spiritus Sancti e cœlo in mentem sanctam demissa, adeo potens est, adeo efficax, ut fiat in ea quasi fons adeo copiosus, ut mentem faciat exilire ad sui originem, puta ad Deum, ad cœlum et vitam æternam. Gratia enim est semen gloriæ. Unde Arabicus vertit, *aqua quam ego dabo, fiet in eo aqua, quæ scaturiet in* Vers. 14. Gratia fons est saliens.

(1) Sensus hujus loci, imagine remota, hic est : Qui meam doctrinam admisit, ea imbutus est, nunquam aliam appetet, sed doctrina gratiaque mea in animo ejus vim suam salutarem et efficaciam exeret : qua duce et operante merebitur et consequetur æternam felicitatem.



*vitam æternam.* Arabico de more consensit Ægyptius et alii; quare gratia propellit hominem ad cœlum, nec quiescit, donec illum eo evehat, ubi nulla est sitis, nullus defectus, nulla miseria; sed omnis satietas, omnis copia, omnis felicitas; hanc enim significat « vita æterna : » nam hic fons gratiæ, qui est in anima, derivatur a primo fonte, puta a Spiritu Sancto qui est in cœlis, sicut fons, qui manuductus exilit in foro vel horto, derivatur a primo fonte qui est in monte quopiam, ubi primo oritur et ebullit. Hinc dicitur « aqua viva, » quia ad primam altitudinem sui principii, sive primæ suæ originis, exilit et aquas ejaculatur.

Secundo. *Secundo*, « fiet in eo fons, » quia, ut ait Theophylactus, aqua gratiæ, quam Christus animæ fideli instillat, in ea semper multiplicatur. Semina enim et principium boni sumunt Sancti per gratiam, ipsi vero cum ea negotiantur et operantur ad ejus augmentum, ut fiat in eis copiosa ad instar fontis, quo non tantum se, sed et multos alios potet et inebriet. Unde S. Chrysostomus : qui intra se habet fontem, inquit, non afficitur siti. Porro Origenes : Quilibet angelorum, inquit, habet in se fontem aquæ scaturientis in vitam æternam, ab ipso Verbo.

*Tertio*, sicut fons, quo plus deorsum effluit, eo plus sursum in eum influit; sic quo quis gratiam suam in alios magis effundit, eo majorem a Deo recipit et haurit. Unde S. Basilius, hom. in illud *Luc.* xii : « Destruam horrea mea : sicut, ait, putei continuo exhausti et copiosiore et pulchriore fluunt aqua; dimissi vero et quieti, facile putent : sic et opes reconditæ, inutiles sunt; translatæ in pauperes, fructum pariunt. » Idem eadem similitudine docet Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædag.*, cap. vii.

Denique hoc est paradoxum Christi, ut, cum aqua desiliat deorsum, hic ejus fons exiliat sursum, juxta illud : « Sursum versus feruntur sacrorum fluminum fontes. » Magnus hic et mirus est saltus, magna et immensa vis Spiritus Sancti, quæ terrea et plumbea hominum corda facit exilire e terra in cœlum, et cœlum empyreum; e gratia ad gloriam, e carne ad spiritum, e morte ad vitam æternam, e bestiis ad angelos, e tempore ad æternitatem, a dæmone ad Deum. Fidelibus ergo dicitur, « sursum corda, » atque hoc certum est signum inhabitantis gratiæ et Spiritus Sancti, si mente in cœlis versemur, si cœlestia loquamur et operemur, dicamusque cum Paulo : « Nostra conversatio in cœlis est, » *Philipp.* iii. Hac de causa Christus e cœlo in terram desiliit, ut nos e terra exilire faceret in cœlum, juxta illud : « Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, » *Cantic.* ii, 8. Ita saliebat in cœlum S. Maria Oigniacensis, quæ assidue cum Christo, B. Virgine, S. Joanne Evangelista, Angelis, Apostolis, Martyribus, Virginibus conversabatur, adeoque singulos habitu et voce dignoscebat, uti nos vicinos dignoscimus. Ita Cardinalis Jacobus de Vitriaco, in ejus Vita, lib. II, cap. viii et seq. Qui et addit illam accepta suæ prædestinationis revelatione, ita in spiritu exultasse et jubilasse, ut continue caneret : « Ibo ad sancta Sanctorum. Et quæ sunt sancta Sanctorum? » Extat apud Surium ad diem 23 junii.

15. Dicit ad eum mulier : Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. — « Delectata est, ait S. Augustinus, non sitire, et putabat hoc secundum carnem promissum sibi esse a Domino, etc. Ad laborem (veniendi et hauriendi aquam e remoto ab urbe puteo) indigentia cogebat, et laborem infirmitas recusabat. » Needum intellexit mulier carnalis et rudis Christum loqui de spiritali aqua gratiæ; quare Christus alio telo eam figit, ut altiora de se cogitet. Ait ergo :

16. Dicit ei Jesus : Vade, voca virum tuum, et veni huc. — Nota ex Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio et aliis, Christum hoc prætextu jubere mulieri, ut vocet virum suum, quod scilicet non satis honestum esset rem tantam, tantumque donum (puta aquam vivam) mulieri nuptæ dare, inscio marito : revera autem volebat Christus ei occulta pandere, ac secretam fornicationem aperire, ut sic illius confessionem ab ea eliceret eamque ad pœnitentiam excitaret, ac simul illi ostenderet se majorem esse puro homine, esseque Prophetam et Christum, a quo ipsi peccatorum remissio et salus æterna postulanda et exspectanda sit. Hæc est enim aqua viva, ipsi a Christo proposita.

17. Respondit mulier, et dixit : Non habeo virum. Dicit ei Jesus : Bene (id est recte, vere) dixisti, quia non habeo virum. — Hinc patet mulierem hanc fuisse viduam et solutam, ac proinde non fuisse adulteram, sed fornicariam duntaxat, sive meretricem, nisi amasius ejus fuerit conjugatus; hoc enim posito, uterque fuit adulter. Ita S. Augustinus. Τὸ « quia » more Hebræo per pleonasmum redundat.

18. Quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir : hoc vere dixisti. — Vers. 18. Nonnus : « Quinque enim viros habuisti vicissim alium post alium; et quem nunc habes, non est legitimus maritus. » « Quinque viros, » scilicet legitimos, « habuisti. » Ita S. Augustinus, Beda, Euthymius, Rupertus et alii passim, licet S. Chrysostomus, in *Psal.* xiii, et Maldonatus putent illos fuisse illegitimos et adulteros, ac proinde hic a Christo hoc nomine taxari, quod sextum adulterum etiamnum habeat. Prior sensus est germanior; nam Christus ponit antithesin inter quinque priores et sextum, quod illi fuerint legitimi, hic vero sit illegitimus.

Nota hic modestiam et gratiam corripiendi in Christo; non enim aperte dicit mulieri : Tu es adultera vel fornicaria : age ergo de tuis fornicationibus pœnitentiam; sed laudans eam, quod Quam gratiose corripit Christus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

veritatem dixit, se non habere virum, addit : « Et nunc quem habes, non est tuus vir, » quo tacite insinuat illam cum eo fornicari, seseque illud, licet occultum, ex Dei revelatione scire, ac proinde se esse Prophetam et Messiam, a quo veniam et gratiam petere debeat.

Nota : S. Basilius, epist. 2 *ad Amphilochium,* ait trigamiam, sive tertias nuptias, esse Ecclesiæ inquinamenta, sed fornicatione meliora. Et *epist.* I ad eumdem : « Trigamos, ait, sæpe tribus et quatuor annis segregant, id autem non amplius, sed polygamiam appellant, vel castigatam fornicationem. Et ideo Dominus Samaritanæ, quæ quinque maritos jam habuerat : Quem nunc, inquit, habes, non est maritus, nempe quod digni non sint qui a bigamiæ mensura exciderunt, ut vel mariti vel uxoris nomine appellentur. » Verum Ecclesia aliter jam sentit. Certum enim est quartas, quintas, sextas, septimas, etc., nuptias esse licitas, etsi subinde sint indecentes et incontinentiæ indices; et hoc videtur voluisse S. Basilius.

19. Dicit ei mulier : Domine, video quia Propheta es tu, — quia occulta mea, tam bona, quam mala revelas, quæ non nisi ex Dei revelatione scire potes, præsertim cum sis Judæus et exterus : quare tuam correptionem tam modestam humiliter admitto, meamque fornicationem confiteor. « Una, ait Rupertus, eademque confessione, et de se confessa est quod erat, et de illo quod eum esse intelligere poterat. » Et mox : « Minus quidem et longe minus, quam ille erat, confessa est, sed confitendo quantum perceperat, dignum se fecit, cui crederet Jesus totum quod erat. »

20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt; et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi oportet adorare. — Mulier agnoscens Jesum prophetam, proponit ei quæstionem de religione, illo tempore inter Judæos et Samaritanos summe controversam, ut sciret utram partem sequi debeat, ut saluti suæ consulat; hæc enim quæstio plus eam cruciabat, quam sitis aquæ vivæ a Christo promissæ, quam non intelligebat.

Adoraverunt. — Nota, per adorationem hic et alibi significari omnem ritum publicum colendi Deum, præsertim per sacrificia et alias cæremonias a Deo institutas, et a Mose in Levitico ex ore Dei præscriptas; hic enim publicus ritus tantum in tabernaculo a Mose erecto, et postea in templo a Salomone fabricato exerceri poterat, ut patet ex lege quam sancit Deus, *Deuter.* XIV, 24. Alioqui enim jure naturæ et divino semper quovis loco Deum privatim adorare et invocare licuit et licet. Ergo « adoraverunt » hic idem est quod « sacrificarunt, » et victimas in sacrificium publice Deo obtulerunt, quia adoratio, sive cultus externus latriæ, est ipsum sacrificium. Sic *Genes.* XXII, 5, ait Abraham pueris suis : « Postquam adoraverimus, » id est sacrificaverimus, « revertemur ad vos. » Et *Actor.* VIII, 27 : « Eunuchus Candacis reginæ venerat adorare, » id est sacrificium offerre, « in Jerusalem. » Ita Suarez, tract. *De Religione.*

In monte hoc — Garizim, qui imminet urbi Sichem. Unde ex eo Joathan, filius Gedeonis, Sichimitis maledixit, *Judic.* IX, 7.

Nota : Celebris illo ævo et perpetua fuit quæstio et contentio inter Samaritas et Judæos de adoratione et sacrificio in hoc monte. Nam tempore Alexandri Magni, Manasses, frater Jaddi pontificis, qui occurrit Alexandro eumque Judæis infensum placavit, uxorem duxit alienigenam, scilicet filiam Sanaballat, quem Darius, ultimus Persarum rex, præfecerat Samariæ. Quare Manasses a fratre Jaddo cæterisque sacerdotibus templo et sacris exclusus, confugit ad generum suum Sanaballat, qui in Samaria, puta in monte Garizim, nobile templum exstruxit, eique Manassen quasi pontificem præfecit. Unde ad illud confluxere multi Judæi transfugæ, præsertim qui contra legem, instar Manassis, alienigenas uxores duxerant; atque utebantur in sui excusationem hoc argumento, quod Sichem, cui imminet mons iste Garizim, celebris esset adoratione et sacrificiis Patriarcharum, ut Jacobi, *Genes.* cap. XXXIII, 20; Josue, cap. ult., vers. 1; Mosis et 12 tribuum, *Deuter.* XXVII, 12, ubi jussu Dei Moses jubet Josue, ut in monte Garizim ædificet altare, in quo Deo offerat holocausta, ac lapidibus inscribat Decalogum, et coram arca duodecim tribubus promulget Dei legem, cum benedictionibus quas Deus servantibus legem promisit, populo respondente : Amen.

Templum in monte Garizim destructum. Porro, stetit hoc templum in monte Garizim, per 200 annos, usque ad Hyrcanum, Simonis fratris Judæ Machabæi filium, pontificem et principem, qui illud evertit, teste Josepho, lib. III *Antiq.*, cap. XVII, qui et cap. XVI, narrat Samaritas et Judæos litem hanc decidendam detulisse ad Ptolemæum Philometorem, regem Ægypti, qui illam adjudicavit Judæis, utpote qui ex Mosis sententia templum suum fabricassent. Sed hac decisione Samaritæ non fuere contenti, ac in suo schismate, templo et contentione cum Judæis persliterunt, usque ad templi sui excidium.

Vers. 21. 21. Dicit ei Jesus : Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem, — scilicet vos, quicumque rite, ex Dei præscripto, Deum Patrem adorare voletis. « Adorabitis Patrem » ergo, hoc est, adorabitur Pater (1). Sensus est, *q. d.* « Venit hora, » id est tempus Evangelicæ legis et doctrinæ a me instituendæ et promulgandæ, per quam jam post mortem meam brevi futuram, abolebitur lex Mosis omnesque ritus illius colendi Deum in templo Hierosolymitano, vel etiam hoc vestro Garizimitano Hierosolymitani æmulo, quia per totum orbem ædificabuntur Ecclesiæ Christianorum, in quibus Deus adorabitur in spiritu et veritate, uti explicat Christus, vers. 23. Hoc est quod sub Christo futurum prædixit Malachias, I, 10 et 11 : « Munus, ait Dominus, non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda : » hebr. *mincha*, scilicet, Eucharistia, puta oblatio corporis et sanguinis Christi, quæ sola omnibus priscis animalium sacrificiis successit. Vide ib dicta.

(1) Tacite novi fœderis suavitatem innuit, quum Deum *patrem* vocat.



22. Vos adoratis quod (Arabicus, *quem*) nescitis : nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est. — Hic Christus directe quæstioni mulieris respondet, ac litem de Deo adorando Judæis adjudicat, Samaritas velut schismaticos condemnans. Ait ergo : « Vos, o Samaritæ, adoratis quod nescitis; » quia Deum Judæorum cum vestris Assyriorum idolis, ac consequenter Deum quasi idolorum socium, ac proinde falsum fictumque colitis. Rursum colitis Deum, a Deo Judæorum diversum, qui scilicet solius terræ vestræ sit Dominus, qui proinde falsus est et confictus a vobis. Patet ex IV *Reg.* XVII, 26. Rursum Samaritæ suas habebant hæreses et errores, quos recenset S. Epiphanius in eorum hæresi. Sic Turcæ et Judæi adorant Deum, quem nesciunt, quia negant eum esse in personis trinum. Sic et Calvinus cum suis, negans Deo omnipotentiam, faciensque eum crudelem, dum asserit eum gehennæ addicere quoslibet, sine eorum demerito, non verum, sed falsum Deum adorat; Deus enim verus omnipotens est et benignissimus.

*Secundo* et potius, « vos adoratis, » id est ritum adorandi et sacrificandi habetis, quem « nescitis » esse a Deo profectum; quia scilicet eum vobis vestro ingenio finxistis, contra Dei legem et voluntatem. Nos Judæi vero adoramus quod scimus, quia ritum adorandi et sacrificandi a Deo per Mosen in Levitico præscriptum servamus et sequimur (1).

Salus ex Judæis est. Quia salus (Syrus, *vita*) ex Judæis est, — tum quia ego Christus, qui sum salutis auctor a Deo missus, non ex Samaritis, sed ex Judæis natus sum, ait S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Ammonius et alii; tum quia vera Dei cognitio et cultus, qui homines ad salutem ducit, olim in lege veteri a Judæis ad gentes manavit, ac jam in lege nova, a me Judæo ad omnes gentes manabit. Ita iidem.

23. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. — *q. d.* Jam est tempus meæ legis Evangelicæ, in qua veri adoratores, scilicet Christiani, sive ex Judæis, sive ex Samaritis, sive ex aliis gentibus, ad me conversi adorabunt Deum, non in monte hoc, nec Hierosolymis duntaxat, carnalibus animalium sacrificiis, uti faciunt Judæi et Samaritæ, sed ubivis gentium, in spiritu et veritate. Audi Euthymium : « Ubi Judæos Samaritanis præposuisset, rursus nunc Judæis præponit Christianos, ut suspicione careat prælatio, et non appareat Judæis gratificari, tanquam Judæus. »

In spiritu et veritate. — Sic et Syrus, Arabicus, Ægyptius, Æthiopicus et Persicus. Nota : Samaritani falso, imo falsum adorabant Deum, quem ignorabant, uti dixi vers. 22. Judæi autem adorabant quidem Deum verum, sed præcipue per corporales victimas, ait Euthymius, aliaque corporalia signa, idque certo loco, puta in templo Hierosolymitano, quæ omnia erant umbræ et typi adorationis et cultus spiritualis inducendi a Christo. Utrisque ergo Christus hic opponit suos fideles et Christianos, qui pro corpore, « in spiritu; » pro umbris, ac falsitate et ignorantia, « in veritate adorant » Deum, qui spiritus est incorporeus, verissimus et purissimus. Spiritus ergo hic significat spiritualem cultum fidei, spei, charitatis, religionis, devotionis, contritionis cæterarumque virtutum, quibus a Christianis, non per umbras et figuras, sed « in veritate, » id est verissime, rectissime et propriissime Deus colitur. « In veritate » ergo, hoc est vero, recto, sincero, proprio Deoque digno cultu, quo Deus delectatur et gaudet, juxta illud *Psal.* L, 18 : « Holocaustis non delectaberis : sacrificium Deo spiritus contribulatus. » Et illud *Psal.* XLIX, 23 : « Sacrificium laudis honorificabit me. » Et *Psal.* IV, 6 : « Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. » Et *Psal.* XLIX, 13 : « Numquid manducabo carnes taurorum? etc., immola Deo sacrificium laudis. » Ita S. Cyrillus : « Spiritalis adorator, inquit, gratus est, qui non forma et figuris Judaicis ad pietatem obumbratur, sed Evangelica virtute fulgens, recta dogmatum disciplina veram peragit adorationem. » Et Theophylactus : « Quia multi, ait, videntur adorare in anima, non tamen rectam habent scientiam, sicut hæretici, ideo addidit : Et in veritate : oportet enim et mente adorare Deum et sanam opinionem de ipso habere. » Talis erat Paulus, ait Origenes, dicens : « Testis est mihi Deus cui servio (latria, Græce enim est, ᾧ λατρεύω, id est quem latria adoro) in spiritu meo, » *Rom.* I, 9. Et Glossa : Non in templo, ait, non in hoc monte, sed in

(1) Aliter Kuinoel, juxta quem sensus vers. 22 hic est : vos, Samaritani, *adoratis*, id est, sacra facitis, καθ' ὃ οὐκ οἴδατε, id est *pro vestra ignorantia*, scil. eo in loco de quo diserte aliquo præcepto divino non constat; insuper libros Moysis tantum admittitis; *nos*, scil. ego et Judæi, *sacra facimus*, *pro meliori nostra scientia*, quoniam libris sacris edocti, scimus Hierosolymis esse locum a Deo præscriptum. Etenim inde a Manassis tempore ad normam legis Mosaicæ Deo sacra faciebant Samaritani, et Judæorum criminationes, eos in monte Garizim idola coluisse, fabulæ esse videntur ex odio acerrimo ortæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

intimo templo cordis et in veritate cognitionis adorandus est Deus. Samarita ergo Deum adorat in monte, localiter; Judæus in umbra, figuraliter; Christianus in spiritu et veritate, vere et spiritualiter. Nam, ut ait S. Chrysostomus : « Priora figura erant, nunc totum est veritas. »

*Secundo*, Vatablus τὸ « in veritate » exponit, *in integritate*, vel in perfectione; veri enim, id est integri et perfecti adoratores adorant Deum in spiritu et perfectione fidei, spei, charitatis cæterarumque virtutum, uti faciunt Christiani; umbratici vero et imperfecti adoratores adorant Deum corporeis signis et sacrificiis, uti faciebant Samaritæ et Judæi.

Symbolice, S. Athanasius, epist. *ad Serapionem* : Oportet, ait, adorare Deum, scilicet, Patrem in veritate, id est in Filio et in Spiritu Sancto, hoc est, oportet adorare Deum trinum et unum, oportet adorare S. Trinitatem, ac tres ejus personas.

Alii : Oportet adorare Deum, inquiunt, in Spiritu, hoc est per Spiritum, sive instinctu Spiritus Sancti.

Mystice, Theophylactus : Per spiritum, inquit, actio insinuatur, per veritatem contemplatio : omnes enim Christiani serviunt Deo, in vita vel activa, vel contemplativa.

Argumentum hæreticorum contra cæremonias Ecclesiasticas solvitur.

Objiciunt hæretici : Deus a Christianis adorandus est in spiritu et veritate; ergo a baptismo rejiciendæ sunt omnes corporeæ cæremoniæ et ritus.

Respondeo : Nego consequentiam, quia hæ non sunt umbræ et figuræ legis veteris, sed ornamenta, excitamenta et effecta spiritus, ideoque ad spiritum pertinent; alioqui enim omnia Sacramenta, ipsaque Eucharistia, quæ in symbolis corporeis consistant, a lege nova abjicienda forent : quod est absurdum etiam apud hæreticos. Sine Sacramentis enim et sacrificiis Ecclesia nequit consistere, quia sine iis nequit esse visibilis, et nequit uniri ac congregari. Denique hæ cæremoniæ a Christianis obeuntur et manant ab interno spiritu fidei, spei, charitatis et devotionis; ergo ad spiritum pertinent, quasi effectus ad causam, ac quasi actus externus ad internum. Secus erat in crassis, rudibus et carnalibus Judæis, qui totam suam devotionem in externis sacrificiis et ritibus collocabant. Ita Cyrillus, Maldonatus, Jansenius, Toletus et alii hic, ac S. Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. XII, et Hilarius, lib. II *De Trinitate*.

Denique S. Cyrillus scripsit septemdecim libros *De Adoratione in spiritu et veritate*, quos Romæ edidit Angelius, anno Domini 1588. Videre idipsum Gentiles : unde Cato :

> Si Deus est animus, *ait*, nobis ut carmina dicunt,
> Hic tibi præcipue pura sit mente colendus.

24. Spiritus est Deus; et (id est, idcirco) eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. — Est hæc ratio a priori, *q. d.* Deus est purissimus et verissimus spiritus, ergo non nisi adoratione in spiritu et veritate delectatur. « Si corpus esset Deus, ait S. Augustinus, oportebat eum adorari in monte, quia corporeus est mons; vel in templo, quia corporeum est templum. » Jam autem quia Deus est spiritus, hinc in spiritali mente, spiritali amore et devotione colendus et adorandus est. Hinc patet contra Anthropomorphitas et Audianos, ac contra Tertullianum, lib. *Contra Praxeam*, item contra Lactantium, lib. *De Ira Dei*, Deum nullum licet tenuissimum habere corpus, sed purissimum esse spiritum, ideoque purissimo spiritu adorandum. Falsum ergo est illud Tertulliani axioma : « Quod incorporale est, nihil est. » Sed videntur hi duo abusi voce corporis, ac pro illud non aliud quam solidam substantiam intellexisse, esto sit incomposita.

Audi S. Augustinum hæc verba Christi explicantem, lib. *De Speculo*, cap. I et seq. : « Spiritus est Deus, etc., spiritus incomprehensibilis, incorporeus, immutabilis, incircumscriptus, ubique totus, nunquam divisus, etc., ubique præsens, ineffabiliter omnia penetrans, omnia continens, omnia sciens, cuncta prospiciens, omnia potens, universa gubernans, totus in cœlo, totus in terra, totus ubique. » Et nonnullis interjectis : « Semper agens, semper quietus, colligens et non egens, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione, omnia creans et protegens, nutriens et perficiens. Quærens, cum nihil desit tibi; amans, nec æstuans; zelans, et securus es; pœnitet te, et non doles; irasceris, et tranquillus es; opera mutas, sed consilium nunquam recipis. » Et paulo inferius : « Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcellis omnia, sustines omnia : nec ex alia parte sustines, atque ex alia superexcedis; neque ex alia parte imples, atque ex alia circumplecteris; sustinendo superexcedis, et superexcedendo sustines. Qui corda fidelium doces sine strepitu verborum, qui attingis a fine usque ad finem fortiter, et omnia disponis suaviter. »

Idem per umbram videre Philosophi, quorum definitiones Dei recenset Minucius Felix in Octavio, nimirum :

Quid est Deus? Respondet Pythagoras : « Deus est animus per universam rerum naturam commeans, ex quo etiam animalium omnium vita capitur. »

Quid est Deus? Respondet Anaxagoras : « Deus est descriptio et modus infinitæ mentis. »

Quid est Deus? Respondet Thales : « Est mens quæ ex aqua cuncta formavit; » aquam enim ipse statuit initium rerum omnium.

Quid est Deus? Respondet Xenophanes : « Deus est infinitum omne cum mente. »

Quid est Deus? Respondet Democritus : « Deus est natura et intelligentia quæ imagines fundat. »



Speusippus : « Deus, ait, est vis naturalis, qua omnia reguntur. »

Aristoteles : « Deus est mens, quæ mundum gubernat. »

Heraclides : « Deus est divina mens. »

Zeno : « Deus est una mundi providentia. »

Cleanthes : « Deus est animus et ratio mundi. » Unde Virgilius :

> Spiritus intus alit, totamque infusa per artus,
> Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Chrysippus : « Deus est vis divina, rationalis natura et fatum rerum. »

Xenophon : « Forma Dei veri videri non potest, et ideo eam quærere non oportet. »

Aristo : « Deus est, cujus essentia et majestas comprehendi non potest. »

Quid est Deus? Respondet Plato in *Timæo* : « Deus est mundi parens, artifex animæ, cœlestium terrenorumque fabricator, quem et invenire difficile præ nimia et incredibili potestate; et cum inveneris, in publicum dicere impossibile. »

Quid est Deus? Audi Arnobium, lib. I *Contra Gentes*, eum invocantem : « O maxime, o summe rerum invisibilium procreator, o ipse invisus, et nullis unquam comprehense naturis : dignus, dignus es vere (si modo te dignum mortali dicendum est ore) cui spirans omnis intelligensque natura, et habere et agere nunquam desinat gratias; cui tota conveniat vita genu nixo procumbere et continuatis precibus supplicare. Prima enim tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum quæcumque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio, qualitatis expers ac quantitatis, sine situ, motu et habitu, de quo nihil dici et exprimi mortalium potest significatione verborum; qui ut intelligaris, tacendum est, atque ut per umbram te possit errans investigare suspicio, nihil est omnino mutiendum. »

25. Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus); cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. — « Venit, » Græce ἔρχεται, in præsenti, id est advenitat, vicinus est, mox aderit Messias, qui omnia religionis dubia nobis resolvet docebitque ubi, quando et quomodo Deus adorandus et colendus sit. Sciebat hoc mulier ex communi sermone et fama; jam enim translatum erat sceptrum a Juda ad Herodem : unde ex vaticinio Jacobi, *Genes.* XLIX, et ex 70 hebdomadis Danielis jam impletis, omnes sciebant instare tempus adventus Messiæ, idque communi omnium sermone vulgabatur. Unde Judæi putabant Joannem Baptistam esse Messiam : ipse vero asserebat Jesum esse Messiam : quare ex Baptistæ assertione spargebatur rumor jam venisse Messiam.

Qui dicitur Christus. — Verba sunt non mulieris, utpote Hebrææ et loquentis hebraice duntaxat, sed Joannis Evangelistæ Hebræum nomen interpretantis, *q. d.* Messias Hebr. idem est quod Græce χριστός, latine *unctus*.

26. Dicit ei Jesus : Ego sum, qui loquor tecum. — *q. d.* Ego sum Messias, id est Christus, mihi ergo fidem adhibe, et in me crede meamque doctrinam et legem capesse, ut salveris et beeris. Dixit hoc Christus voce tum externa, tum magis interna, mentem mulieris illuminans et voluntatem in sui amorem et reverentiam accendens; unde illico credidit mulier, et totam urbem ad credendum excitavit (1).

27. Et continuo venerunt discipuli ejus; et mirabantur quia (quod) cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? — Origenes, S. Cyrillus, S. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius opinantur discipulos fuisse miratos humilitatem Christi, quod dignaretur cum muliere alienigena et paupere loqui. Verum sic addidisset, *illa*, vel *tali*, dixissetque : Quod cum muliere tali loqueretur; quare melius S. Cyprianus, tract. *De Singular. Cleric.*, et alii respondent insolitum fuisse Christo seorsim loqui cum muliere, idque hoc fine, ut castitatis et honestatis omnibus fidelibus, sed maxime clericis, sacerdotibus, prædicatoribus et Religiosis daret exemplum. Nam recte ait Sapiens : « De vestimento procedit tinea, et a muliere iniquitas viri, » *Eccli.* XLII, 13. Et cap. XXV, 33 : « A muliere factum est initium peccati, et per illam omnes morimur. » Vide ibi dicta. Hinc Eliseus et omnes Sancti tantopere fugerunt consortia mulierum, ideoque communis fuit illo omnium sensus, feminas parvo fructu, sed magno periculo, inquam, pudicitiæ propriæ, vel illarum, quæ sæpe vultus virorum tacite delibant et depascuntur; vel certe periculo famæ. A consortio enim feminarum vel flamma procedit, vel fumus; atque, licet spiritales subinde videantur et sint, ac spiritalia colloquia misceant; tamen naturali concupiscentia occulte instigante, et dæmone inflammante, facile spiritus in carnem et carnalia degenerat, idque sensim sine sensu colloquentium.

Vers. 27.

Mirantur discipuli quod Christus cum muliere loquatur.

Dices : Ergone negligendæ erunt mulieres? Respondeo : Nequaquam; sed in publica concione vel catechesi doceantur : si ægrotent, aut alia de causa eas adire sacerdotem oporteat, id fiat loco publico et patenti, uti Christus hic fecit, ac cum teste, quem semper adhibere solebat S. Carolus Borromæus. Ita S. Cyprianus loco jam citato.

Nemo tamen dixit : Quid quæris? — « Quia magistrum et timebant et reverebantur plurimum, » ait S. Chrysostomus.

28. Reliquit ergo hydriam suam (qua haustura

(1) Bene Bengelius observat : Nusquam Judæis, imo ipsis discipulis, apertius et sine aliis ambagibus se Messiam esse significare solebat Christus. Animadvertebat enim Samaritanorum veritatis cognoscendæ studium et quod minus ad seditiones proclives essent quam Judæi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

erat aquam ex puteo) MULIER, ET ABIIT IN CIVITATEM (Sichar, sive Sichem), ET DICIT ILLIS HOMINIBUS, — incolis Sichem. « Audito, ait S. Augustinus, Ego sum, qui loquor tecum, et recepto in cor Christo Domino, quid faceret, nisi jam hydriam dimitteret et evangelizare curreret? » Sciebat enim Jesum esse Prophetam et virum magnum, ex eo quod sibi secreta revelasset : illi ergo se asserenti esse Messiam credidit, sciens illum esse virum fide dignum, qui falli vel fallere non posset; quare relicta hydria ad puteum, illico cucurrit in urbem, timens ne si moram faceret, Jesus abiret, ac cives suos ad Jesum pro Messia cognoscendum colendumque excitavit. Unde S. Chrysostomus : « Adeo, inquit, audito Jesu incensa est, ut relicta hydria et aqua, cujus gratia eo concesserat, in civitatem properaret, et ad Christum universum populum traheret. Venerat hauriendæ aquæ gratia, et cum verum fontem invenisset, contempsit alterum, et superna veniente gratia apostolico munere fungitur. »

Hic enim est spiritus Christi, ut a se conversis zelum alios convertendi injiciat, ut tanti boni, quod ipsi in se sentiunt, alios faciant participes. Eleganter et pie S. Ambrosius, *serm.* 30 : « Novo, inquit, admirationis genere, mulier, quæ ad puteum Samariæ meretrix advenerat, a Christi fonte casta regreditur; et quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportavit. Statim etiam, indicante Domino, sua peccata recognoscens confitetur, Christum annuntiat Salvatorem, et relinquens aquæ vasculum ad civitatem non fert hydriam, sed refert gratiam. Vacua quidem videtur reverti onere, sed plena revertitur sanctitate. Plena, inquam, redit, quia peccatrix advenerat, revertitur prædicatrix; et quæ hydriæ vasculum amiserat, Christi plenitudinem reportabat : in nullo civitati suæ inferens detrimentum; etenim si aquam civibus non intulit, tamen fontem salutis invexit. »

29. VENITE, ET VIDETE HOMINEM, QUI DIXIT MIHI OMNIA QUÆCUMQUE FECI : NUMQUID IPSE EST CHRISTUS? — « Miraculi, inquit Cyrillus, narratione proposita, præparavit auditores ad fidem : » quia, licet, ut ait S. Chrysostomus, « non omnem vitam suam acceperat a Christo, ex his tamen quæ dixerat, et cætera credidit. » Theophylactus : « Accensa divino igne ad nihil eorum quæ in terra sunt, respicit, non ad confusionem, non ad ignominiam, aut aliud quippiam, non veretur secreta sua pandere. »

NUMQUID IPSE EST CHRISTUS? — « Hæsitando loquitur tanquam addubitans, ait Euthymius, ut ab illis detur sententia; » ipsa enim non hæsitabat, sed firmiter credebat Jesum esse Messiam. Unde S. Chrysostomus : « Animadvertite, inquit, immensam mulieris sapientiam, neque affirmat Christum esse, neque reticet : noluit se hujus opinionis auctorem, sed suo ipsorum auditu inductis hoc ipsis persuaderi, quod longe futurum erat probabilius. Procul dubio enim intelligebat, modo fontem illum gustarent, eadem de eo, quæ et ipsa, sensuros. »

Hæc ergo Samaritana, per alloquium et gratiam Christi, ex peccatrice facta est pœnitens et sancta, imo præco Christi, instar S. Magdalenæ.

Porro, ipsius nomen proprium fuit Photina, quæ ut Sancta Martyrologio Romano ascripta legitur, die 20 martii hisce verbis : « Eodem die Sanctorum Photinæ Samaritanæ, Joseph et Victoris filiorum, itemque Sebastiani ducis, Anatolii, Photii, Photidis, Parasceves et Cyriacæ germanarum, qui omnes Christum confessi, martyrium sunt consecuti. » Ubi Baronius : « Agunt de ea (Photina) Græci hac die in Menologio, feruntque eamdem fuisse Samaritanam, de qua Joannes Evangelista, cap. IV. In vetere Martyrologio Cassinensi de eadem agitur, eamdemque fuisse affirmatur. » Quare plane verisimile est Christum illam hoc colloquio convertisse. Hoc enim ipse intendebat : unde et ipsa credidit ipsum esse Messiam, id est Salvatorem, et petit implicite ejus gratiam a Christo propositam, dicens : « Domine, da mihi hanc aquam; » ac Christus eam compunxit exterius, dicens : « Nunc quem habes, non est tuus vir; » multo magis interius : unde et ipsa fatetur culpam aitque : « Domine, ut video, Propheta es tu; » ac plane videtur tunc Christo mentem ejus movente clicuisse actum pœnitentiæ et contritionis, per quem fuit justificata. Hinc et Christi amore incensa, cives suos advocavit ut Messiam verum agnoscerent, quem ipsa jam agnoverat. Quare caput hujus Samaritanæ religiose Romæ asservatur in basilica S. Pauli, ubi inter alias Sanctorum reliquias illud mihi ostensum fuit.

Samaritanæ nomen fuit Photina.

Porro Franciscus Bivarius, in *Commentario Chronici L. Dextri*, ad annum Christi 60, pag. 117, ex actis Martyrum Italicensium, quæ Jeremias, Patriarcha Constantinop. anno Christi 1580, e Græco in Latinum transtulit, narrat Samaritanam hanc apud Carthaginem in Africa prædicasse Evangelium Christi, ideoque cum duobus filiis, Victore et Josepho, ac quinque sororibus, Anatolia, Photi, Photide, Parasceve et Cyriaca, ac cum Sebastiano duce, a Victore ad Christum converso, sub Nerone illustre obiisse martyrium. Nam primo in carcerem teterrimum detrusi, inde in ardentem clibanum totis tribus diebus missi, a quo indemnes extracti, semel et iterum veneno potati fuere : plumbo etiam et resina in liquorem redactis, in ore Photinæ et in auribus cæterorum, sine detrimento susceptis, sæpius bovinis nervis cæsi, pectinibus quoque ferreis a capite in sublime suspensi, excarnificati, atque facibus ignitis ad Martyrum latera applicatis exusti; oculis demum erutis, iterum in carcerem venenosis animalibus scatentem reducti, quo tandem sine cibo et medicamine miserabiliter interirent :



sed cum illuc Christi luce ac visione perfunderentur, in pristinam sanitatem reducti, et oculorum beneficio restituti, ac miraculoso cibo, tribus mensibus ac diebus totidem refocillati, rursus ad novum adducti certamen, denuo flagris sævissime laniati, ad ultimum pelle detracta, frustatim cæsi, et capite amputato illustrissimam martyrii palmam perceperunt : una dempta Photina, quæ in veterem cisternam immissa, indeque detracta, flexis genibus impollutum Deo spiritum reddidit 20 die martii, qua tum a Latinis, tum a Græcis ejus memoria anniversaria celebritate colitur. Hæc Bivarius ex actis ab Jeremia traductis et acceptis, penes quos eorum sit fides. Illis enim in martyrio Samaritanæ et filiorum, adstipulatur Menologium Græcorum, ad diem 20 martii, quod sic habet : « Eadem die certamen S. martyris Photinæ Samaritanæ, cum qua Christus locutus est, et Joseph et Victoris filiorum, nec non Sebastiani ducis, Anatolii, Photii, Photidis, Parasceves et Cyriacæ germanarum sororum, qui omnes Christi fidem confessi martyrii palmam consecuti sunt. » Videtur ergo Samaritana hæc suos filios, item fratres ac sorores ad Christum convertisse, ac cum iis martyrii palmam accepisse.

30. EXIERUNT ERGO DE CIVITATE, ET VENIEBANT AD EUM, — cujusque sapientia et sanctitate ex verbis et moribus ejus perspecta, in eum ut Messiam crediderunt, ut patet ex vers. 42. « Durities Judæorum, ait Cyrillus, a Samaritana facilitate arguitur; » quia Samaritani ex uno Christi alloquio, ad eum conversi sunt; Judæi vero post triennalem Christi prædicationem, ac tot tantaque miracula ab eo patrata, in eum credere noluerunt.

31. INTEREA ROGABANT EUM DISCIPULI, DICENTES : RABBI, MANDUCA. — « Hoc, ait S. Chrysostomus, non improbitate quadam, sed amore et studio in magistrum dicebant, cum itinere et æstu fatigatum viderent. » Simul ipsi sibi consulebant; ipsi enim esurientes et fessi optabant manducare, sed non audebant id facere, nisi Christo incipiente et prius mensæ de more benedicente. Porro Jesus « solebat, ait Theophylactus, ab aliis oblatos cibos suscipere, qui dat escam omni carni, ut deferentes meritum consequerentur, et ne quis erubescat paupertatem, nec grave putet ab aliis nutriri; proprium enim et necessarium doctoribus alios habere procuratores ciborum, ut ipsi de nullo curantes verbi ministrationem procurent sollicite. »

32. ILLE AUTEM DIXIT EIS : EGO CIBUM HABEO MANDUCARE, QUEM VOS NESCITIS. — *q. d.* Ego esurio conversionem Samaritanorum, quam jam per mulierem procuro : quare illa esuries spiritalis omnem corporalis cibi esuriem, si non tollit, certe minuit et supprimit : vos interim fessi et famelici comedite quantum lubet. « Occultius, ait Cyrillus, significat quod si discipuli scirent de Samaritanorum conversione jam agi, de illo cibo magis cogitarent, quam de corporali consulerent. » Et mox : « Nam quoniam orbis futuri erant magistri, exemplo suo eos docet multo majorem salutis hominum, quam proprii corporis curam esse habendam. »

33. DICEBANT ERGO DISCIPULI AD INVICEM : NUMQUID ALIQUIS ATTULIT EI MANDUCARE? — Non intellexerunt Apostoli Christum loqui de cibo spiritali, puta de conversione Samaritanorum : unde rogant quis ei cibum corporalem attulerit, de quo ipse dicit : « Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. » Quocirca S. Augustinus : « Quid mirum, inquit, si mulier illa non intelligebat aquam, ecce discipuli non intelligunt escam. »

34. DICIT EIS JESUS : MEUS CIBUS EST, UT FACIAM VOLUNTATEM EJUS, QUI MISIT ME, UT PERFICIAM OPUS EJUS. — *Nota* : Christus hic opus prædicationis et redemptionis hominum, sibi a Patre injunctum, vocat suum, id est sibi proprium sibique suavissimum cibum, quia illo, velut cibo delicatissimo, pascebatur et delectabatur. Ita Euthymius : « Voluntas Patris, qui ipsum miserat, inquit, et opus illius Christo injunctum, salus est hominum, » juxta illud : « Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam, » *Joan.* XVII, 4. Causam dat Theophylactus : Quia « salutem hominum tanto desiderio avebat, quanto nullus nostrum sensibilem cibum. » Et Chrysostomus : « Hominum salutem hoc in loco cibum appellat, ut quanta salutis nostræ cura et desiderio teneatur, ostendat. »

Tropologice : a Christo discant Christiani, præsertim prædicatores virique Apostolici, quod eorum cibus spiritalis debeat esse obedientia et zelus animarum : quia *primo*, uterque animæ vitam sustentat; *secundo*, uterque mentis vires instar cibi vegetat et roborat; *tertio*, quia, sicut cibus facit pueros crescere in virum perfectum, sic hæ duæ virtutes faciunt nos crescere in virilem ætatem spiritus et virtutis, quod non erat in Christo : nec enim Christus ullo actu proficere et crescere poterat in gratia, sanctitate et perfectione; illa enim ipse plenus et perfectus erat a primo instanti conceptionis et incarnationis suæ.

35. NONNE VOS DICITIS, QUOD ADHUC QUATUOR MENSES SUNT, ET MESSIS VENIT? ECCE DICO VOBIS : LEVATE OCULOS VESTROS, ET VIDETE REGIONES, QUIA ALBÆ SUNT JAM AD MESSEM : — A metaphora cibi transit ad allegoriam messis, e qua fit cibus et panis.

NONNE VOS DICITIS, — id est crebro dicere soletis, et nunc reipsa dicitis. Unde videtur quod Apostoli transeuntes per campos et segetes Sichimorum, de messe futura, uti facere solent homines, inter se collocuti fuerint, inde Christus sumpsit occasionem loquendi de messe spiritali, id est conversione Samaritanorum; *q. d.* Cura messis corporeæ vos tangit; sed multo magis

tangere vos debet cura messis spiritalis, ut me in convertendis Samaritanis adjuvetis.

ADHUC QUATUOR MENSES SUNT, ET MESSIS VENIT. — Maldonatus putat esse proverbium significans adhuc sat temporis esse, ut de re aliqua, v. g. de messe corporea, cogitetur : at id in messe spiritali dici non posse; cum enim illa jam sit matura, illico illam a Christo et Apostolis demetendam esse; censet enim Maldonatus hæc dicta esse a Christo in fine martii, sub instans Pascha, de quo cap. seq., vers. 1, cum in Judæa messis est vicina, non longinqua.

Melius S. Augustinus et alii hæc ad litteram, ut sonant, accipiunt : quare hæc dicta videntur a Christo in januario, post octo menses, quibus Christus in Judæa prædicarat : nam post quatuor menses, puta in maio, in Judæa maturæ sunt segetes fitque messis : unde in Pentecoste, quæ incidebat in maium, ex nova messe offerebant Deo panes primitiarum. Vide Chronotaxim, num. 15. « Vos, ait S. Augustinus, quatuor menses computatis usque ad messem; ego vobis aliam messem albam et paratam ostendo. » Unde subdit Christus : « Ego dico vobis, levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem; » in messe enim segetes prius virides albescunt et flavescunt. « Regiones albas ad messem » vocat urbem Sichem locaque vicina Samaritanorum, qui a muliere exciti, turmatim confluebant ad Christum, q. d. Videtis agros hosce non tritico, sed turba populi ad me confluentis refertos, qui paratus est meam doctrinam excipere, in Ecclesiam admitti, ac Christianismo initiari : huic ergo messi, ne pereat, demetendæ mecum, o Apostoli, insistite, et strenue collaborate. Longe, puta ad quatuor menses, abest messis tritici; at instat, et prope est messis animarum : en jam parata est in hisce Samaritis; levate oculos, et respicite campos Sichimorum, e quibus turmatim omnes confluunt ad recipiendum me meumque Evangelium : hi ergo quasi segetes spirituales, jam albescunt et maturescunt; par igitur est, ut a me et vobis illico demetantur, et in horreum Dei colligantur. « Jam venientem Samaritanorum turbam videbant, ait S. Chrysostomus, quorum fervorem et promptissimam voluntatem albas regiones appellat. Sicut enim spicæ flaventes messem indicant, et jam manus postulant; ita illi properabant ad salutem, ut et docerentur, et crederent, et a Prophetis persuasi fructum redderent. » Et Theophylactus : « Attollite, ait, oculos vestros, vel spiritales, vel sensibiles, et spectate multitudinem Samaritanorum, et animas eorum ad fidem alacres et promptas, quæ quasi regiones albæ, opus habent messoribus, ad salutem præparatæ. »

Causam dat S. Cyrillus dicens : « Nam sata intellectualia et spicæ spiritales sunt, qui Prophetarum voce culti, ad fidem Christi perveniunt: quæ seges albescit tunc, cum jam maturus, id est promptus, ad suscipiendam fidem Christi et veram religionem animus est; messoria vero falx, est Apostolorum splendida prædicatio, quæ ad aream, id est ad Ecclesiam Dei transponit. »

36. ET QUI METIT, MERCEDEM ACCIPIT, ET CONGREGAT FRUCTUM IN VITAM ÆTERNAM; UT, ET QUI SEMINAT, SIMUL GAUDEAT, ET QUI METIT. — Invitat Christus Apostolos ad laborandum secum in colligenda hac messe, spe mercedis æternæ, q. d. Qui metit triticum, mercedem accipit, sed temporalem et brevem; qui vero metit meum hanc messem spiritalem animarum, congregat eam in vitam æternam : hanc enim messor et sibi et suæ messi, id est animabus a se conversis acquirit, dum eas in cœlum ad vitam æternam, quasi in triumphum ducit. « Hujus terrenæ messis fructus, ait Chrysostomus, ad æternam non pervenit vitam, sed in hac fluxa et caduca consumitur : ille autem perpetuo nos comitatur. Ut (q. d. Unde fiet, unde consequetur; notat enim fructum hujus messis communem fore satori et messori) et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. » Satores vocat Mosen et Prophetas, qui magno labore Judæis tradiderunt fidei semina, id est prima principia, puta Deum esse unum, summe amandum et colendum, venturum Messiam mundi salvatorem, ab illo exspectandam salutem, etc. Messores sunt Christus et Apostoli, qui hæc Prophetarum principia Evangelica doctrina perfecerunt, ac per fidem et gratiam Christi, Judæos et Samaritas sanctificarunt et in vitam æternam induxerunt. Quare hæc Samaritarum conversio gaudium peperit non tantum Christo et Apostolis, sed et Mosi ac Prophetis, eo quod sua semina non evanuisse, sed ad fructum et messem per Christum perducta esse conspexerunt. Audi S. Chrysostomum : « Prophetæ satores non messuerunt tamen, sed Apostoli. Atqui non propterea voluptate et fructu laborum privantur, sed vobiscum gaudent. » Et S. Augustinus : « Si non Prophetæ seminatores, unde ad illam mulierem pervenerat : Scio quia Messias venit? jam ista mulier fructus maturus erat. » Et inferius : « Dispares temporis labores habuerunt, sed gaudio pariter perfruentur, mercedem simul accepturi sunt vitam æternam. » Secus sæpe fit in messe corporali, ubi messor gaudet, sator vero luget, quia sator messori servit, aut messor satorem suo semine et messe privat.

37. IN HOC ENIM EST VERBUM VERUM : QUIA ALIUS EST QUI SEMINAT, ET ALIUS EST QUI METIT. — « Verbum, » id est proverbium, vulgo jactari solitum, « quod in ore multorum est, » ait Chrysostomus, q. d. Hoc proverbium : « Alius est qui seminat, et alius qui metit, » vulgo de satore et messore frumenti dictum, verius est in satoribus et messoribus animarum. Satores enim fuerunt Prophetæ, messores vero estis vos, o Apostoli, qui, ut sequitur, sata a Prophetis fidei semina, per meam doctrinam perficietis, et matura jam in horreum Ecclesiæ colligetis. Unde explicans, subdit :

38. EGO MISI VOS METERE QUOD NON LABORASTIS (laboriose non seminastis); ALII LABORAVERUNT, VOS IN LABORES EORUM INTROISTIS. — « Ego misi, » id est decrevi et destinavi vos mittere : significatur actus inchoatus et destinatus, non perfectus et consummatus. « Alii laboraverunt, » q. d. Prophetæ et legis doctores, similesque magno docendi labore, rudes Judæorum animos primis cognitionis Dei et virtutis pietatisque rudimentis, quasi seminibus imbuerunt, itaque eos ad messem Evangelicam, id est ad justitiam et sanctitatem Christianismi præparaverunt. Vos vero, o Apostoli, « in labores eorum introistis; » quia Judæorum animos jam ad me recipiendum præparatos promptosque et cupidos facile ad me convertetis. Ita Origenes, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et alii.

Porro dicit hoc Christus, ut exemplo Prophetarum laboriose seminantium, animet Apostolos ad evangelizandum, quod facilius erat et minoris laboris. « Ne ad prædicandum dimissi, ait Chrysostomus, tanquam maximum onus subeuntes perturbarentur, cogitantes quod Prophetæ amplius laborassent, sicut laboriosior est satio, et majori egebat sollicitudine semina spargere et ad Dei cognitionem animum erudire : nam in metendo (quod erat Apostolorum) et proventus uber, et labor erat remissior. » Simul : « Prophetarum voluntatem fuisse demonstrat, ut humanum genus ad Christum allicerent. » Rursum : « Nisi Judæi parati fuissent per Prophetas, non audirent Apostolos, » ait Glossa.

39. EX CIVITATE AUTEM ILLA MULTI CREDIDERUNT IN EUM SAMARITANORUM, PROPTER VERBUM MULIERIS TESTIMONIUM PERHIBENTIS : QUIA DIXIT MIHI OMNIA QUÆCUMQUE FECI, — quia, ut ait Chrysostomus, « videbant eam, non ad gratiam, neque ut alteri gratificaretur, suam vitam manifestam facere. » Confitebatur ergo coram suis civibus, se cum viro non suo, uti dixerat Christus, in fornicatione vixisse, ut sua ignominia patefaceret Christi, quasi veri Prophetæ ac Messiæ, decus et gloriam.

40. CUM VENISSENT ERGO AD ILLUM SAMARITANI, ROGAVERUNT EUM UT IBI MANERET. — « Ut urbem ingressus, salutarem eis doctrinam prædicaret, » ait Cyrillus, utque perpetuo apud eos maneret et habitaret, ait Chrysostomus et Theophylactus.

ET MANSIT IBI (in urbe Sichem) DUOS DIES, — non plures, ne, si diutius apud Samaritas maneret, Judæi calumniarentur eum non esse Messiam, utpote qui Judæis, non Samaritis, erat promissus. Ita Jansenius, Franciscus Lucas et alii.

41. ET MULTO PLURES CREDIDERUNT IN EUM PROPTER SERMONEM EJUS — cœlestem et divinum, quibus alta de Deo mysteria promebat; item zelosum et efficacem : nam omnes amore Dei, occultis gratiæ suæ facibus accendebat : quare in ejus admirationem et venerationem rapti,



runt eum esse talem, qualem se profitebatur, scilicet Messiam mundi salvatorem.

42. ET MULIERI DICEBANT : QUIA JAM NON PROPTER TUAM LOQUELAM CREDIMUS; IPSI ENIM AUDIVIMUS, ET SCIMUS QUIA HIC EST VERE SALVATOR MUNDI, — puta *Messias*, ut addit Syrus, qui a Deo missus est ad salutem, non tantum Israelis, ut volebant Judæi, sed omnium gentium totius mundi; mundi, inquam, peccato perditi, ait Chrysostomus, « quod orbe perdito venerit hic, ut eum servaret. » Merito ergo Christus tantam tamque subitam fidem Samaritarum admiratur cum Judæi ad credendum in Christum fuerint tardi, morosi et difficiles. Vers. 42.

43. POST DUOS AUTEM DIES EXIIT INDE, ET ABIIT IN GALILÆAM, — uti initio proposuerat : in Galilæam, inquam, id est in reliquas Galilææ civitates ac vicos, ait Euthymius, « relicta Nazareth, » patria sua, ut ait Matthæus, cap. IV, vers. 13. Vide dicta superius vers. 3. Vers. 43.

44. IPSE ENIM JESUS TESTIMONIUM PERHIBUIT, QUIA (quod) PROPHETA IN SUA PATRIA HONOREM NON HABET. — *Enim* dat causam cur Jesus, relicta Nazareth patria sua, iverit in ceteram Galilæam ad se non pertinentem; quia scilicet Nazarethani eum, quasi civem suum et fabri filium, contemnebant, *Matth.* XIII, 57. Ita Jansenius, Toletus et alii (1).

Paulo aliter, sed minus recte, Maldonatus, q. d. Ideo Jesus, relicta Bethlehem et Judæa patria sua, abiit in Galilæam, ut superius dixi, quia Propheta in patria non est in honore.

45. CUM ERGO VENISSET IN GALILÆAM, EXCEPERUNT EUM GALILÆI, CUM OMNIA VIDISSENT QUÆ FECERAT HIEROSOLYMIS IN DIE FESTO : ET IPSI ENIM VENERANT AD DIEM FESTUM — Paschæ, juxta legis decretum. Vide cap. II, vers. 13, « cum omnia *miracula* vidissent, » præsertim quod ipse solus omnes ementes et vendentes ejecisset e templo, aliaque plura signa edidisset, ut ait Joannes, cap. II, vers. 14 et 23, et cap. III, vers. 2.

Nota : Judæi, visis tot Christi miraculis, prædicationi ejus non crediderunt, nec eum exceperunt; Galilæi autem, visis tot signis, eum benevole exceperunt, sed in eum non crediderunt; Samaritæ vero, nullis visis miraculis, eum exceperunt, in eumque ut Messiam, a Deo ad salutem totius mundi missum, crediderunt : ita sæpe exteri avide excipiunt quod domestici fastidiunt et aspernantur.

46. VENIT ERGO ITERUM IN CANA GALILÆÆ, UBI FECIT AQUAM VINUM (« ut fidem, quæ ex facto prius miraculo accesserat, sua præsentia confirmaret, » ait Euthymius). ET ERAT QUIDAM REGULUS, CUJUS FILIUS INFIRMABATUR CAPHARNAUM. — « Regulus, »

(1) Hunc sensum patrocinatur Rosenmullerus contra Kuinoelium, qui de *tota* Galilæa h. l. cogitandum esse existimat. Particulam γὰρ, *enim*, Kuinoelius idem valere dicit ac Hebræorum כִּי, et vertendam esse *quamquam* : merito asseratur, valde dubito.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

id est nobilis aliquis potens aut princeps. Videtur Interpres in Græco legisse βασιλίσκος, id est regulus, sive parvus rex; jam legunt βασιλικός, id est regius, puta Herodis Antipæ regis consiliarius, aut publicus minister, præfectus vel aulicus, et amicus intimus. Syrus, « servus regius; » Chrysostomus, « quod de regio esset genere, aut alia principatus dignitate fungeretur; » Nonnus, « vir regius regens exercitum. » Origenes : Erat hic, ait, forte de familia Tiberii Cæsaris, exercens pro eo aliquod officium in Judæa. S. Hieronymus in cap. LXV Isaiæ, interpretatur regius, sive palatinus.

Capharnaum. — In urbe quæ dicebatur Capharnaum, quod nomen noster Interpres quasi peregrinum et indeclinabile usurpat. Syrus refert ad τὸ regulus, alii certius ad τὸ filius; filius enim reguli decumbebat æger Capharnai; sed verisimile est eum ibi decubuisse, eo quod pater, puta regulus, ibidem habitaret, atque inde audiens Jesum tot ægros sanantem, e Judæa venisse in Cana Galilææ, eo abiit, ut a Jesu filii sanitatem postularet, ut patet vers. sequenti. Regulus hic videtur fuisse Judæus (non Gentilis, uti opinantur S. Hieronymus et Origenes), tum quia parvæ erat fidei; tum quia ut talis a Christo increpatur, cum Gentiles magis solerent esse faciles ad credendum in Christum, ideoque ab eo laudari, ut patet in Centurione et Chananæa. Ita Maldonatus, Jansenius et alii.

Quidam putant regulum hunc esse centurionem, de quo *Matth.* cap. VIII; ita Irenæus, lib. II, cap. XXXIX. Sed hi duo diversi fuere. Centurio enim Christum ad se volentem ire, rogat ut maneat; hic vero regulus orat ut Christus ad filium ægrum veniat; ille ad Jesum descendentem de monte in Capharnaum venit, hic ad Jesum venientem in Cana; illius puer paralysi, hujus febri laborabat; illum Christus descendens et pene præsens, hunc absens curavit; ille erat servus, hic filius. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et alii.

47. Hic cum audisset quia (quod) Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet et sanaret filium ejus; incipiebat enim mori. — q. d. Regulus audita Christi fama, quod quoslibet ægros sanaret, ex urbe Capharnao profectus est in Cana Galilææ ad Jesum ibi degentem, rogans ut secum ex Cana pergeret Capharnaum, ad sanandum suum filium, quod erat iter 14 leucarum sive horarum, ideoque longum et difficile. Quare minus in Jesum credidit, ait S. Gregorius, *homil.* 28, quem putavit non posse salutem dare, nisi præsentem corpore.

48. Dixit ergo Jesus ad eum : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. — Signa et prodigia idem fere significant; proprie tamen signa sunt quæ fiunt in re naturali et per naturam, sed lente operantem, cum Christus in momento, ideoque per miraculum idipsum præstaret; tale est infirmos sanare : prodigia vero sunt, quæ omnem naturæ vim superant, uti est mortuos suscitare. Hinc S. Augustinus : *Prodigium*, ait, vocatur, quod *porro dicat*, et futurum aliquod portendat, q. d., *prodigium*, quod futura prædicat, ait Festus.

Arguit Christus reguli parvam fidem, ut in ea crescat illamque acuat et adaugeat, q. d. Tu, cum tuis quædam mea signa et prodigia audisti, nec tamen adhuc credis me esse Messiam, nisi plurima alia faciam, illaque tu ipse videas et oculis tuis conspicias. « Suadet, ait Chrysostomus, non signa nobis, sed doctrinam ejus attendendam. » Et nonnullis interjectis : « Ostendit signa maxime animæ, gratia fieri; neque minus hoc in loco patrem animi morbo laborantem, quam filium curat, » imo prius curat infidelitatem, vel fidei imperfectionem in patre, deinde febrim in filio : huic enim obstabat patris pro filio obsecrantis imperfecta fides. « Licet enim crediderit, ait Chrysostomus, non tamen firmiter, neque integre. » Et Theophylactus : « Accessit, ait, ex fide, sed frigida et imperfecta, quam neque quis fidem recte vocaverit. » Unde Glossa : Per reguli duritiam, ait, significatur duritia Judæorum, qui nec visis miraculis credunt : contra, per Samaritanam significatur fides Gentium, quæ solo verbo credidit. Cur Christus reguli hujus fidem arguit.

49. Dicit ad eum regulus : Domine, descende priusquam moriatur filius meus. — Græce παιδίον, id est puerulus meus, scilicet mihi dilectissimus unicæque meæ deliciæ. « Regulus, ait Chrysostomus, filii dolore affectus, non multum tunc Jesu verbis attendit, sed in solius filii cura versabatur, etc. Audi quantum adhuc humi trahatur. Descende, inquit, priusquam moriatur filius meus, ac si mortuum suscitare non potuisset, et nesciret ut se puer haberet. »

50. Dicit ei Jesus : Vade (redi Capharnaum, non est opus ut ego tecum vadam; absens enim curabo et de facto curo dicendo) : Filius tuus vivit, — id est sanus est, liberatus a morbo et morte. « Hoc unum idemque dictum, ait Rupertus, et vera de præsentibus prophetia, et imperium vitæ est. » Fuit enim hic Christi sermo non tantum enuntiativus, sed et practicus : reipsa enim operabatur et efficiebat id quod enuntiabat, scilicet vitam et sanitatem infirmi; sicut in Eucharistiæ consecratione, hæc verba : « Hoc est corpus meum, » ita enuntiant in ea esse corpus Christi, ut simul illud conficiant ibique præsens sistant.

Porro, Christus ivit ad puerum Centurionis, *Matth.* VIII, ad reguli vero filium hic ire noluit. *Primo*, quia in Centurione erat fides confirmata, ait S. Chrysostomus, in regulo vero imperfecta. *Secundo*, quia, ut ait S. Gregorius, *homil.* 28, « Dominus qui rogatur ut vadat, quia non desit ubi invitatur, indicat : solo jussu salutem reddit, qui voluntate omnia creavit. »



Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et ibat. — « Duos, ait Cyrillus, iisdem verbis Salvator curavit : nam et animum reguli ad fidem induxit, et a corporis morbo adolescentem eripuit; » ac pater credendo Christo sanandoque morbum animæ sua fide quasi meruit filium sanari in corpore.

51. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt dicentes, quia (quod) filius ejus viveret — sanus et incolumis, ac quasi a morte instante suscitatus ad vitam. « Servi occurrerunt, ait Cyrillus, velocitatem et vim verborum Christi annuntiantes, Domino sic dispensante, ut ab eventu rerum reguli fides confirmaretur. »

52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum febris. — « Certior fieri de hora studet, inquit Cyrillus, ut videat si tempori congruit, in quo a Salvatore sibi gratia fuit concessa. »

Heri hora septima, — scilicet ab ortu solis, hoc est hora prima post meridiem : illa ergo hora sanato filio, illico servi se in iter dederunt, ut patri sanitatem filii adeo desideratam nuntiarent; sed eodem die ad ipsum pervenire non potuerunt, quare reliquo diei tempore, et per noctem sequentem ambulantes, postero mane ad eum pervenerunt. Distabat enim Capharnaum a Cana Galilææ 14 horis sive leucis, ut dixi.

53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit; et credidit ipse, et domus ejus tota. — Ex eadem enim hora collegit filium, non naturæ vi, sed supernaturali Christi jussu, virtute verboque ac nutu sanatum. Reliquerat enim eum moribundum et agentem animam, ac jam a servis audit eum subito pristinæ sanitati restitutum, illa hora qua dixerat Christus : « Filius tuus vivit. » Unde ex tam evidenti miraculo, credidit Christum esse Deum omnipotentem, qui vitæ et mortis haberet imperium, ac esse Messiam et Salvatorem mundi. « Unde datur intelligi, ait Beda in *Catena*, et in fide gradus esse, sicut et in aliis virtutibus, quibus est initium, incrementum et perfectio. Hujus ergo fides initium habuit, cum filii salutem petiit, incrementum, cum credidit sermoni Domini dicentis : Filius tuus vivit; deinde perfectionem obtinuit nuntiantibus servis. »

Porro, quia regulus hic habitavit Capharnai, æque ac centurio, de quo *Matth.* VIII, non dubium est unum alteri fuisse familiarem, ac centurionem ex hoc miraculo prævio (posterior enim fuit ejus servi sanatio facta a Christo) tantam in Christum fidem concepisse, ut diceret : « Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus, » *Matth.* cap. VIII, vers. 8.

Tropologice : rex, sive regulus, est mens cujusque hominis; filius æger est voluntas ad bonum infirma; servi sunt sensus et membra; febris calida, est cupiditas et amor terrenorum; febris frigida, est timor eorumdem, uti per novem utrimque analogias ostendi, *Matth.* VIII, 14. Hæc sanat Christus : ille ergo adeundus et invocandus est, ut regnum menti integrum restituat illumque ex regulo regem efficiat. Vide Salmeronem, tom. VI, *tract.* 9, in fine, ubi inter alia ait : Regulus est mens, sive intellectus, non solum quia cognatus Deo est, Regi regum omnium, quemadmodum Paulus ex Poeta quodam dixit : « Ipsius enim et genus sumus; » sed etiam quia in hoc mundo, cum dominium habeat in universas creaturas, quæ ad se ordinem habent, prorex Dei est, respectu cujus regulus est, et non rex, ac regnum animæ et corporis habet, et sensus quidem et membra dominio despotico regit, appetitum vero concupiscentis et irascentis animæ dominio politico. Habet etiam insignia regalia, nempe coronam prudentiæ, sceptrum justitiæ, purpuram fortitudinis et fibulam auream temperantiæ, de qua Poeta describens reginam, dicebat :

Aurea purpuream nectebat fibula vestem.

Audi Theophylactum : « Regulus est omnis homo, non solum quia Regi universorum propinquus secundum animam, sed quia super omnia principatum sumpsit; ejus filius, mens febricitans voluptatibus pravis et desideriis; descensus Christi, condescensus misericordiæ : dicit autem : Vade, id est profectum continuum circa bonum ostende, et tunc filius vivet; alioquin morietur, si ambulare cessaveris. »

Denique hora septima sanatus est : *primo*, quia, ut ait Origenes, septenarius symbolum est sabbati et quietis, in qua sanitas; *secundo*, quia idem figura est Sancti Spiritus septiformis, in quo est omnis salus; *tertio*, quia, ut ait Alcuinus, per septiformem spiritum est remissio peccatorum. Septenarius enim in tria et quatuor divisus, significat sanctam Trinitatem in quatuor mundi partibus dominantem. Numeri septenarii symbola.

54. Hoc iterum (Arabicus, *etiam*) secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam. — Τὸ *iterum* junge cum τῷ *venisset*, q. d. Hoc secundum miraculum fuit, quod fecit Christus in Cana Galilææ, cum iterum, id est secundo, e Judæa venisset in Galilæam (1) : primum enim fuit conversio aquæ in vinum, cap. II, vers. 1 et seq., quod fecit Christus, cum primo e Judæa venit in Galilæam : bis ergo venit e Judæa in Galilæam, et utrumque suum eo adventum novo miraculo illustravit. « Secundum dixit, ait Euthymius, non quod post primum, nullum aliud ediderit in tota Palæstina (nam in Judæa multa jam

(1) Aliter multi, qui me magis consentientem habent, πάλιν *iterum* jungunt cum δεύτερον *secundum*, et aiunt redundare. Solent enim Hebræi æque ac Græci et Latini haud raro voces idem valentes conjungere, ita ut redundet alterutram.

ediderat), sed quod post primum, hoc secundum in Cana sit factum. » Dicit hoc Joannes, ut indicet copiam miraculorum a Christo in Galilæa deinceps patratorum, quam narrat Matthæus, cap. IV, vers. 23 et seq., post hoc secundum a Joanne hic recensitum contigisse.

# CAPUT QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus primo, ad Probaticam piscinam sanat ægrum per 38 annos. Secundo, vers. 16, Judæis calumniantibus, quod eum die sabbati sanasset, respondet se omnia sua simul cum Patre operari, q. d. se Patris auctoritate, imo ope et robore, sabbato ægrum sanasse. Tertio, vers. 20, asserit se cum Patre mortuos vivificare, et a Patre constitutum esse judicem omnium. Quarto, vers. 33, tribus testimoniis probat se esse Messiam : primo, testimonio Joannis Baptistæ; secundo, testimonio propriorum operum et miraculorum; tertio, testimonio Mosis.*

1. Post hæc erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam. 2. Est autem Hierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. 3. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum exspectantium aquæ motum. 4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam; et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. 5. Erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua. 6. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei : Vis sanus fieri? 7. Respondit ei languidus : Domine, hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; dum venio enim ego, alius ante me descendit. 8. Dicit ei Jesus : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. 9. Et statim sanus factus est homo ille; et sustulit grabatum suum, et ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. 10. Dicebant ergo Judæi illi qui sanatus fuerat : Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. 11. Respondit eis : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula. 12. Interrogaverunt ergo eum : Quis est ille homo, qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum, et ambula? 13. Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit a turba constituta in loco. 14. Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit illi : Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. 15. Abiit ille homo, et nuntiavit Judæis quia Jesus esset qui fecit eum sanum. 16. Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato. 17. Jesus autem respondit eis : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. 18. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere; quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, et dixit eis : 19. Amen, amen dico vobis : non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. 20. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit, et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. 21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat. 22. Neque enim Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio, 23. ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem; qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. 24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam. 25. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent. 26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso; sic dedit et Filio habere



vitam in semetipso : 27. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. 28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : 29. et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. 30. Non possum ego a me ipso facere quidquam. Sicut audio, judico, et judicium meum justum est; quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. 31. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. 32. Alius est qui testimonium perhibet de me; et scio quia verum est testimonium quod perhibet de me. 33. Vos misistis ad Joannem; et testimonium perhibuit veritati. 34. Ego autem non ab homine testimonium accipio; sed hæc dico, ut vos salvi sitis. 35. Ille erat lucerna ardens et lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus. 36. Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me; 37. et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me; neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis; 38. et verbum ejus non habetis in vobis manens; quia quem misit ille, huic vos non creditis. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me : 40. et non vultis venire ad me ut vitam habeatis. 41. Claritatem ab hominibus non accipio. 42. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. 43. Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. 44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? 45. Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem, est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. 46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit. 47. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?

1. POST HÆC ERAT DIES FESTUS JUDÆORUM, ET ASCENDIT JESUS HIEROSOLYMAM. — Nota : Joannes hic multa Christi in Galilæa gesta omittit; scilicet plurima miracula, vocationem Apostolorum, sermonem Christi in monte et cætera quæ narrat Matthæus a cap. IV usque ad XII; nam quod cap. XII narrat Matthæus de discipulis Christi evellentibus spicas, contigit post sequens festum, uti mox patebit. Ita Jansenius, Toletus, Franciscus Lucas et alii.

DIES FESTUS. — S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius et Maldonatus, putant fuisse Pentecosten. Melius S. Irenæus, lib. II, cap. XXXIX; Rupertus, Jansenius, Toletus et Franciscus Lucas censent fuisse Pascha, idque probatur *primo*, quia, cap. IV, vers. 35, dixit Jesus adhuc quatuor menses restare usque ad messem; ergo tunc necdum erat Pascha, sed festum grande primo futurum erat Pascha : igitur illud hic intelligitur; nam in Judæa messis fit inter Pascha et Pentecosten.

*Secundo*, quia Pascha erat festum festorum. Ergo cum absolute dicitur : « Erat dies festus, » intelligit Pascha; hoc enim per antonomasiam et κατ' ἐξοχὴν vocatur *festum*.

*Tertio*, quia Christus post baptismum suum tres annos cum dimidio prædicavit, ut habet communis Doctorum sententia : hinc oportet in Evangeliis quatuor inveniri Paschata hujus temporis, sive horum trium annorum cum medio : primum Pascha expressit Joannes, II, 13; secundum hic; tertium, cap. VI, 4; quartum paulo ante mortem, cap. XIX, 14 : alioqui si hic dies festus non fuit Pascha, tria duntaxat Christi Paschata ex Joanne colligere poteris.

*Quarto*, quia, ut paulo ante dixi, Christus non potuit tam multa gerere a Pascha usque ad Pentecosten, quod est spatium septem hebdomadarum duntaxat, omnia scilicet quæ narravit Joannes a cap. II, 39, huc usque, et Matthæus a cap. IV usque ad cap. XII; ergo anterius illa gesta sunt, scilicet a januario usque ad Pascha.

Hic igitur finiuntur gesta primi anni prædicationis Christi et trium mensium, qui a die 6 januarii, quo ipse a Joanne baptizatus est, fluxere usque ad Pascha, quod in Nisan, sive in martio celebrabant. Finiuntur ergo hic acta Christi a baptismo usque ad secundum Pascha. Vide Chronotaxin quam Evangeliis præposui.

2. EST AUTEM HIEROSOLYMIS PROBATICA PISCINA, QUÆ COGNOMINATUR HEBRAICE BETHSAIDA, QUINQUE PORTICUS HABENS. — « Probatica, » græca est vox, idem significans quod pecuaria vel ovina, [illegible] enim est ovis. Ita dicta fuit hæc piscina, tum quia erat juxta portam adjacentem templo, per quam scilicet greges ovium introducebantur immolandi

Vers. 2.

Probati- [illegible]

ediderat), sed quod post primum, hoc secundum in Cana sit factum. » Dicit hoc Joannes, ut indicet copiam miraculorum a Christo in Galilæa deinceps patratorum, quam narrat Matthæus, cap. IV, vers. 23 et seq., post hoc secundum a Joanne hic recensitum contigisse.

# CAPUT QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus primo, ad Probaticam piscinam sanat ægrum per 38 annos. Secundo, vers. 16, Judæis calumniantibus, quod eum die sabbati sanasset, respondet se omnia sua simul cum Patre operari, q. d. se Patris auctoritate, imo ope et robore, sabbato ægrum sanasse. Tertio, vers. 20, asserit se cum Patre mortuos vivificare, et a Patre constitutum esse judicem omnium. Quarto, vers. 33, tribus testimoniis probat se esse Messiam : primo, testimonio Joannis Baptistæ; secundo, testimonio propriorum operum et miraculorum; tertio, testimonio Mosis.*

1. Post hæc erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam. 2. Est autem Hierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. 3. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum exspectantium aquæ motum. 4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam; et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. 5. Erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua. 6. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei : Vis sanus fieri? 7. Respondit ei languidus : Domine, hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; dum venio enim ego, alius ante me descendit. 8. Dicit ei Jesus : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. 9. Et statim sanus factus est homo ille; et sustulit grabatum suum, et ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. 10. Dicebant ergo Judæi illi qui sanatus fuerat : Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. 11. Respondit eis : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula. 12. Interrogaverunt ergo eum : Quis est ille homo, qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum, et ambula? 13. Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit a turba constituta in loco. 14. Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit illi : Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. 15. Abiit ille homo, et nuntiavit Judæis quia Jesus esset qui fecit eum sanum. 16. Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato. 17. Jesus autem respondit eis : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. 18. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere; quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, et dixit eis : 19. Amen, amen dico vobis : non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. 20. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit, et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. 21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat. 22. Neque enim Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio, 23. ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem; qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. 24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam. 25. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent. 26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso; sic dedit et Filio habere



vitam in semetipso : 27. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. 28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : 29. et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. 30. Non possum ego a me ipso facere quidquam. Sicut audio, judico, et judicium meum justum est; quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. 31. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. 32. Alius est qui testimonium perhibet de me; et scio quia verum est testimonium quod perhibet de me. 33. Vos misistis ad Joannem; et testimonium perhibuit veritati. 34. Ego autem non ab homine testimonium accipio; sed hæc dico, ut vos salvi sitis. 35. Ille erat lucerna ardens et lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus. 36. Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me; 37. et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me; neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis; 38. et verbum ejus non habetis in vobis manens; quia quem misit ille, huic vos non creditis. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me : 40. et non vultis venire ad me ut vitam habeatis. 41. Claritatem ab hominibus non accipio. 42. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. 43. Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. 44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? 45. Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem, est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. 46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit. 47. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?

1. Post hæc erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam. — Nota : Joannes hic multa Christi in Galilæa gesta omittit; scilicet plurima miracula, vocationem Apostolorum, sermonem Christi in monte et cætera quæ narrat Matthæus a cap. IV usque ad XII; nam quod cap. XII narrat Matthæus de discipulis Christi evellentibus spicas, contigit post sequens festum, uti mox patebit. Ita Jansenius, Toletus, Franciscus Lucas et alii.

Dies festus. — S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius et Maldonatus, putant fuisse Pentecosten. Melius S. Irenæus, lib. II, cap. XXXIX; Rupertus, Jansenius, Toletus et Franciscus Lucas censent fuisse Pascha, idque probatur *primo*, quia, cap. IV, vers. 35, dixit Jesus adhuc quatuor menses restare usque ad messem; ergo tunc necdum erat Pascha, sed festum grande primo futurum erat Pascha : igitur illud hic intelligitur; nam in Judæa messis fit inter Pascha et Pentecosten.

*Secundo*, quia Pascha erat festum festorum. Ergo cum absolute dicitur : « Erat dies festus, » intelligit Pascha; hoc enim per antonomasiam et κατ' ἐξοχὴν vocatur *festum*.

*Tertio*, quia Christus post Baptismum suum tres annos cum dimidio prædicavit, ut habet communis Doctorum sententia : hinc oportet in Evangeliis quatuor inveniri Paschata hujus temporis, sive horum trium annorum cum medio : primum Pascha expressit Joannes, II, 13; secundum hic; tertium, cap. VI, 4; quartum paulo ante mortem, cap. XIX, 14 : alioqui si hic dies festus non fuit Pascha, tria duntaxat Christi Paschata ex Joanne colligere poteris.

*Quarto*, quia, ut paulo ante dixi, Christus non potuit tam multa gerere a Pascha usque ad Pentecosten, quod est spatium septem hebdomadarum duntaxat, omnia scilicet quæ narravit Joannes a cap. II, 39, huc usque, et Matthæus a cap. IV usque ad cap. XII; ergo anterius illa gesta sunt, scilicet a januario usque ad Pascha.

Hic igitur finiuntur gesta primi anni prædicationis Christi et trium mensium, qui a die 6 januarii, quo ipse a Joanne baptizatus est, fluxere usque ad Pascha, quod in Nisan, sive in martio celebrabant. Finiuntur ergo hic acta Christi a baptismo usque ad secundum Pascha. Vide Chronotaxin quam Evangeliis præposui.

2. Est autem Hierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. — « Probatica, » græca est vox, idem significans quod pecuaria vel ovina, πρόβατον enim est ovis. Ita dicta fuit hæc piscina, tum quia erat juxta portam adjacentem templo, per quam scilicet greges ovium introducebantur immolandi Vers. 2. Probatica [illegible]

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in templo, de qua lib. II *Esdræ*, cap. III, vers. 1 et 32; tum quia in illa oves quotidie mane et vespere Deo sacrificandæ congregabantur et abluebantur. Ita Theophylactus, Beda, Jansenius et S. Hieronymus in *Locis Hebr.*

Piscina quid? PISCINA, — puta stagnum aquarum, quod pisces continebat, aut certe continere poterat, etiamsi actu non contineret. Unde Græce κολυμβήθρα, id est natatoria, dicitur, quod in ea pisces, quin et homines, natare possent, etiamsi actu non natarent. Ita S. Augustinus, *tract.* 20. Piscinam hanc exstruxit Salomon pro ministerio templi : unde a Josepho, lib. VI *Belli*, cap. VI : « Stagnum Salomonis » nuncupatur; in eo enim Nathinæi lavabant victimas quas tradebant sacerdotibus in templo offerendas. Originem hujus piscinæ, ex vetusto codice manuscripto, miram recenset Genebrardus, in fine lib. I *Chronol.*, edition. Paris. factæ a Sebastiano Nivellio, anno Christi 1600, pag. 174, scilicet eo die quo conceptus est Christus, ingenti terræ motu concussum fuit templum, illoque fontem hunc e terra erupisse, arcana virtute præditum, ut scabie pecudum elota etiam morbidos quoslibet ibidem ablutos sanaret; atque illum exaruisse, cum ex cedro, palma et oliva ibidem repertis, crux fabricata est, in qua crucifixus fuit Christus. Verum hæc fabulosa videntur, et rabbinismum olent; Rabbini enim fabulosi sunt, et fabularum architecti. Minus improbabile est quod ait idem Genebrardus in *Notis Chronolog.*, Beda in cap. II *Esdræ*, et ex iis Serarius, in lib. II *Machab.* cap. I, Quæst. XIV, scilicet probaticam piscinam esse locum illum, in quo Jeremias abscondit ignem sacrum templi, quem post reditum e Babylone requirentes Judæi, pro igne invenerunt aquam crassam, quæ a Nehemia effusa in lapides templi rursum versa est in ignem; ideoque rex Persarum, Darius Hystaspis, vel ejus nepos Artaxerces, eo loco, ut ait S. Ambrosius, lib. I *Offic.*, cap. XIV, fecit templum, Græce ἱερόν, id est sacrum, scilicet ædificium, quale erat hæc piscina, eamque suis porticibus circumsepsit, ut habet Græcus, lib. II *Machab.* cap. I, vers. 24. Verum hæc piscina Nehemia fuit antiquior, et a Salomone ad lotionem pecudum templi erecta; unde et opus Salomonicum a Josepho vocatur, ut dixi; nisi quis dicat piscinam prius quidem fuisse, sed eo tempore quo Jeremias in ea ignem sacrum abscondit, et Nehemias aquam crassam in eo inventam rursum in ignem convertit, accepisse hoc donum curandi quoslibet morbos a Deo; ideoque porticibus, columnis aliisque fabricis a rege Persarum auctam et illustratam fuisse. Verum hæc incerta sunt, nec a quopiam veterum tradita. Nonnulli Græci codices pro piscina habent πύλη, id est porta; sed S. Chrysostomus, Theophylactus, Cyrillus, Euthymius, S. Hieronymus et alii passim legunt κολυμβήθρα, id est natatoria piscina, sive stagnum. Syrus vertit, *baptisterium*, id est lavacrum.

Probatica piscina unde fabulosa.

BETHSAIDA. — Ita legunt codices Romani, et ex Græcis S. Chrysostomus et Cyrillus, idque apposite; « Bethsaida » enim Hebr. idem est quod *domus*, id est locus (Hebræi enim omnem locum vocant *domum*) *venationis*, sive piscationis : בית־ציד *beth* enim est *domus*, ציד *tsaiid* est *venatio*, quæ hic erat piscium, hoc est, piscatio in piscina. Et hoc significat Græcum κολυμβήθρα, id est natatoria, in qua scilicet pisces natare solent, vel possunt; κολυμβᾶν enim est natare. Codices vero Græci habent Βηθεσδά. Unde S. Hieronymus, in *Locis Hebr.* legit *Bethesda*, id est domus effusionis (אשדא *esda* enim est *effusio*, a Chald. שדא *seda*, id est effudit), quod in illam aquæ pluviæ e tectis, atque aliæ ex aquæductibus effunderentur. Porro, Syrus legit *beth-chesda*, id est domus misericordiæ (Hebr. enim חסד *chesed* est misericordia), eo quod Deus misericordiam suam ibidem declararet in miseros ægros, quos sanabat, sive quod viri probi pauperes ægros ibidem jacentes, suis eleemosynis sublevarent (1). Porro, Arabicus habet, *quæ vocatur hebraice Bethsaida, cujus interpretatio est piscina ovium*, in qua scilicet, non pisces, sed oves ablutas venabantur et capiebant, ad offerendum eas in templo.

QUINQUE PORTICUS HABENS. — Porticus sunt loca superne tecta, inferne aperta ad ambulandum, item ad decumbendum vel quiescendum, ut scilicet ægri in iis quiescerent, tuti a pluvia æque ac æstu solis, indeque in piscinam vicinam illico exilirent, dum angelus ejus aquam commovebat. Unde sequitur :

3. IN HIS JACEBAT MULTITUDO MAGNA LANGUENTIUM (Græce ἀσθενούντων, id est ægrotantium) CÆCORUM, CLAUDORUM, ARIDORUM (quibus manus, brachium, pes, vel alia pars corporis exaruerat, ut esset vitæ motusque expers et ad usum inepta) EXSPECTANTIUM AQUÆ MOTUM. — Nonnus : « Semper spectantes saltum excitatæ et motæ aquæ, ut in aqua omnia sanante dissiparent molestum morbum, gnari illic esse effugium omnium morborum, etsi incurabilium scientiis humanis. »

Tropologice Beda : Cæci, ait, sunt scientiæ lumine carentes; claudi, qui ad ea quæ vident implenda vires non habent; aridi sunt ii qui dilectionis supernæ pinguedine carent : hos solus sanare potest Christus vi gratiæ suæ.

4. ANGELUS AUTEM DOMINI DESCENDEBAT SECUNDUM TEMPUS IN PISCINAM; ET MOVEBATUR AQUA. ET QUI PRIOR DESCENDISSET IN PISCINAM POST MOTIONEM AQUÆ, SANUS FIEBAT A QUACUMQUE DETINEBATUR INFIRMITATE. — « Angelus, » sive Raphael, sive quis alius. Raphael enim, quia præest medendis corporibus, vocatur *Raphael*, id est medicina, vel medicus Dei. Unde Tobiam a cæcitate curavit.

SECUNDUM TEMPUS, — id est certo quodam tempore a Deo vel ab angelo destinato, sed hominibus incognito. Unde non videtur solidum, quod ait Cyrillus et Tertullianus, lib. *De Baptismo*, semel in anno duntaxat, scilicet in Pentecoste angelum in piscinam descendisse : sic enim non decubuissent juxta eam ægri, sed domi suæ, indeque instante Pentecoste piscinam adiissent. Unde Euthymius : « Dicens, ait, statuto tempore, docuit quod non semper fiebat miraculum, sed certis temporibus, hominibus quidem incognitis, verum frequenter, ut opinor, in anno; propter hoc siquidem decumbebat in porticibus multitudo magna languentium.

MOVEBATUR AQUA. — Græce ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ, id est *turbabat aquam*. Ita Syrus; Arabicus, *movebat aquam*. « Motionis sonus, adesse angelos ad sanctificandam aquam significabat, » ait Cyrillus; « Ut esset indicium, quia descenderat angelus, movebatur aqua, » ait S. Ambrosius, lib. *De iis qui initiantur myster.*, cap. IV.

ET QUI PRIOR DESCENDISSET IN PISCINAM AQUÆ, SANUS FIEBAT, — ut ostenderet quid valeat labor et diligentia, quamque ad Dei beneficia captanda, celeres et agiles esse debeamus. Hinc ad manna colligendum oportebat surgere in aurora; nam orto sole liquescebat, « ut notum esset omnibus, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare, » ait Sapiens, cap. VI, 28. Vide ibi dicta. Deus enim sua dona vigilantibus et sedulis offert, non tardis et dormitantibus. Sic in stadio ille solus, qui aliis omnibus præcurrit, accipit bravium, I *Corinth.* cap. IX, 24. Julius Cæsar in bellis plurimum valere celeritatem asserebat, ac per illam se tot et tanta perfecisse. Unde illud ejus dictum : « Veni, vidi, vici, » teste Plutarcho in *Apophth. Roman.*

Quæres, cur post motionem, vel, ut Græce est, turbationem aquæ sanabatur is solus qui prior in aquam descendebat? Respondeo : Causa litteralis fuit, ut significaretur hanc vim sanandi non provenire ab aquæ natura, sed a motione angeli et a jussu Dei. Porro, motio hæc angeli non imprimebat vim aliquam, vel qualitatem physicam, ad sanandum quoslibet morbos; hanc enim nec angelus poterat efficere, nec aqua recipere : motio hæc ergo tantum signum erat virtutis, præparationis et actionis divinæ, quæ ægrum illum sanatura erat, qui prior diligentia sua se movisset et in aquam descendisset, ibique Dei beneficium et miraculum, illi quasi occurrendo, primus excepisset. Motio hæc ergo erat invitatio ægrorum, ad captandam sanitatem in aqua mota. Motio enim angeli excitabat omnes ægros ad se movendum, ut alter alterum præveniret, essetque primus in aquam descendens. Qua in re magna erat omnium festinatio et turbatio.

Apposite vero hoc signum motionis usurpavit angelus, quia virtus aquæ dum movetur, acuitur fitque efficax et vivida. Vita enim in motu consistit; mors in quiete et torpore : hinc aquæ vivæ vocantur illæ quæ moventur et fluunt, uti sunt fontium et fluminum; mortuæ vero quæ stant et stagnant, uti sunt lacuum et piscinarum. Adde, instante sanitate, solet æger turbari; confligit enim natura cum morbo, donec illum superet : quare morbus tunc summas et ultimas sui vires exerit et evomit.

Tropologica causa fuit, ut significaretur peccatorem, cum a Deo convertitur et sanatur, prius solere in conscientia variis motibus timoris, pudoris, spei agitari et turbari; hisce enim Deus eum ad pœnitentiam et contritionem commovet, ut per eam sanetur, uti docet Concilium Tridentinum.

Allegorica causa fuit, ut significaretur Christus in aquis passionum agitandus et turbandus, qui per eas nobis sanitatem omnem spiritalem et corporalem meruit et impetravit : de quo mox plura.

A QUACUMQUE DETINEBATUR INFIRMITATE. — Hinc patet hanc piscinæ sanandi vim non fuisse a victimis in ea ablutis, nec a lignis in fundo jacentibus, ex quibus crux Christi sit fabricata, ut aliqui voluere, sed fuisse supernaturalem et miraculosam; nimirum voluit Deus hoc beneficium publicum populo fideli exhibere, sub tempus Christi (nam ante Christum, in veteri Testamento nulla ejus fit mentio), ut Christus ægrum ibidem sanans, ostenderet se esse Deum, qui vim hanc piscinæ dedisset, ideoque sine illa ægrum curare posset. Quare videtur donum hoc Deus ab ingratis Judæis abstulisse, cum ipsi Christum occiderunt; nam nulla deinceps ejus extat memoria. Unde Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, cap. XIII : « Piscina Bethsaidæ, ait, usque ad adventum Christi curando invaletudines ab Israel, desiit a beneficiis deinde ex perseverantia furoris. »

Allegorice : voluit Deus ut piscina hæc esset index Passionis Christi ejusque baptismi. Sicut enim angelus descendebat in aquam; sic Christus descendit ad Passionem et tormenta, iisque quasi aquis immersus fuit et obrutus : unde sicut piscina rubebat sanguine victimarum, quæ in ea abluebantur; sic Christus suo sanguine fuit rubicundus et crucifixus, *Isaiæ* LXIII, 2, ut ejus merito baptismum (unde Syrus pro *piscina* vertit, *baptisterium*) instrueret, quo fideles aquis abluti; ab omni infirmitate spiritali curarentur. Ita Tertullianus, lib. *De Baptismo* cap. V; S. Ambrosius, lib. I *De Spiritu Sancto*, cap. VII, et S. Chrysostomus hic, quem audi : « Siquidem cum vellet Deus appropinquantis baptismatis fidem nos erudire, non solum pollutiones, sed etiam morbos per aquam expulit : propiores enim veritati imagines atque figuræ, illustriores fuere quam vetustiores, » etc. Et Augustinus : « Descendere in aquam turbatam, inquit, hoc est, humiliter credere in Domini passionem. Ibi sanabatur unus, significans unitatem : postea quisquis veniret, non

(1) Hoc etymon Bethsaidæ, ex בית *domus* et [illegible] syriaca haud subie præferendum est.

sanabatur, quia quisquis præter unitatem fuerit, sanari non poterit.

5. ERAT AUTEM QUIDAM HOMO IBI, TRIGINTA ET OCTO ANNOS HABENS IN INFIRMITATE. — Græce ἐν ἀσθενείᾳ, id est in morbo, in ægritudine; Arabicus, *erat autem ibi vir infirmus per triginta octo annos*; Syrus, *qui trigesimum octavum annum agebat in mala valetudine.* Infirmum hunc fuisse paralyticum asserit S. Chrysostomus, Euthymius et Leontius hic, ac S. Ambrosius, lib. II *De Sacram.*, cap. I, ideoque allegorice gessisse typum generis humani, quod a lapsu Adæ, per quinque annorum millia, plurimis infirmitatibus corporis et animæ assidue affligitur.

Tropologice : paralyticus hic repræsentat quemlibet in peccandi consuetudine inveteratum, ideoque suo vitio et habitu languidum, et ad omne bonum invalidum. Sicut enim paralysis dissolvit membrorum nexum et firmitatem, sic et consuetudo peccandi vires animæ enervat, luxat et dissolvit, ut ab ea resurgere illique resistere nequeant, nisi potenti Dei gratia erigantur et roborentur. Hinc patet paralysim hanc naturaliter fuisse incurabilem, nec ulla arte per 38 annos curari potuisse, ideoque eam præ cæteris languentium morbis sibi curandam sumpsit Christus, ut immensam suam potentiam, æque ac misericordiam in illa ostenderet. Sicut archiatri medicique præstantes infirmos gravissime ægrotantes, qui ab aliis curari nequivere, sibi curandos assumunt, ut in eis artis suæ excellentiam ostendant. Qua de causa Christus Paulum in spiritu gravissimo infidelitatis morbo laborantem, præ aliis Judæis incredulis et impiis sibi sanandum depoposcit, uti ipse docet initio epist. I *ad Timoth.* Vide ibi dicta : « Magnus, ait S. Augustinus, de cœlo descendit medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus. » Symbola numeri 38 vide apud S. Augustinum hic, *tract.* 17, ubi inter cætera ait, eum esse symbolum infirmitatis, sicut quadragenarius symbolum est sanitatis et perfectionis. « Si ergo, ait, quadragenarius numerus habet perfectionem legis, et lex non impletur nisi in gemino præcepto charitatis; quid miraris quia languebat, qui ad quadraginta, duo minus habebat? » deerat enim duplex dilectio, Dei scilicet et proximi.

6. HUNC CUM VIDISSET JESUS JACENTEM, ET COGNOVISSET (tum ex ipso infirmo aliisque astantibus, tum ex scientia sua divina animæ suæ a Deo infusa) QUIA JAM MULTUM TEMPUS HABERET (infirmitatis et ægritudinis), DICIT EI : VIS SANUS FIERI? — Sciebat Christus omnino eum cupere sanari, quærit tamen idipsum ex eo, *primo*, ut colloquio, indeque sanationi præbeat occasionem et initium : qua in re insignem suam clementiam ostendit, qui ab ægro non rogatus eum prævenit, et sanare satagit. « Magnum, ait Cyrillus, misericordiæ Christi est argumentum, non exspectare semper laborantium preces, sed sua misericordia prævenire. »

*Secundo*, ut desiderium sanitatis in ægro excitaret, ac spem opis sibi a Christo afferendæ. Hæc enim erat congrua dispositio ad recipiendam sanitatem.

*Tertio*, ut in eo attentionem ad instans sanationis miraculum acueret; ut scilicet ægrum faceret attentum ad dicta et facta Christi, ex iisque certo cognosceret se non a piscina, nec a medicina, sed a solo Christo, qui omnem piscinæ et medicinæ vim superat, curatum esse, ideoque in eum quasi Prophetam ac Messiam crederet, veniamque peccatorum pœnitens peteret et impetraret. Hinc juxta piscinam sanitricem eum sanavit, sed sine tactu piscinæ, ut ostenderet se esse illum qui piscinæ hanc vim dedisset, ideoque sine piscina, solo verbo posset sanare; ac consequenter se esse omnipotentem, ac Deum verum.

7. RESPONDIT EI LANGUIDUS : DOMINE, HOMINEM NON HABEO, UT, CUM TURBATA FUERIT AQUA, MITTAT ME IN PISCINAM : DUM VENIO ENIM EGO, ALIUS ANTE ME DESCENDIT. — Ad quæstionem Christi æger directe non respondet; præsupponit enim ut omnibus notum, se optare sanitatem, sed de modo eam nanciscendi per piscinam sermonem injicit, *q. d.* Ego ob paralysim ad piscinam ire nequeo, homines qui me eo deferant non habeo; sum enim pauper : tu si in hac re me adjuvare possis, adjuva; putabat enim Christum quærendo : « Vis sanus fieri? » hoc velle, *q. d.* Vis ut ego te in piscinam deferam, angelo aquam movente, ut in ea sanus fias? Nondum enim cognoscebat Jesum ejusque potentiam et virtutem, quia nunquam eum viderat.

HOMINEM NON HABEO. — Paulo aliter Syrus, *etiam, Domine* (cupio sanus fieri), *hominem autem non habeo*; et Arabicus, *utique, Domine, sed non est mihi homo.* Pulchre S. Augustinus : « Vere, ait, necessarius erat ille homo (Jesus) ad salutem, sed homo ille, qui et Deus est. »

Tropologice : pauperes sæpe non habent hominem a quo adjuventur; sed divites et potentes, quorum gratiam et bursam omnes aucupantur.

8. DICIT EI JESUS : SURGE, TOLLE GRABATUM TUUM, ET AMBULA. — « Surge, » sanus a morbo, « tolle grabatum, » id est lectum tuum (ut dixi *Marc.* II, 4,) qui te hucusque tulit, « et ambula, » ut velut fortis lecti tui bajulus, cum eo domum redeas. Hic sermo Christi fuit practicus et efficax. Dicendo enim : « Surge, » ægrum erexit et sanavit. « Non operis imperium fuit, ait Augustinus, sed operatio sanitatis. » Et S. Cyrillus : « Non est hominis tanta potestas et virtus; solius Dei proprium est, ut sic imperare possit. » Jussit Christus eum tollere grabatum, ut omnibus constaret eum esse a se sanatum, imo validum et fortem subito effectum, ut lecti esset portitor. Unde notat hic Euthymius solere Christum post facta a se miracula, quiddam addere, ex quo mir...



veritas et magnitudo cerneretur. Sic hic paralyticum jussit tollere grabatum suum, quod non nisi sanatus, imo fortis ac validus facere potuisset. Sic post multiplicatos a se panes jussit fragmenta panibus majora colligi, *Matth.* XIV, 20. Sic leproso a se sanato dixit : « Vade, ostende te sacerdoti, » *Matth.* VIII, 4. Sic suscitatæ a se puellæ jussit dari manducare, *Marci* V, 43. Sic aquam in vinum conversam præcepit ferri architriclino, qui optimum esse vinum pronuntiavit, *Joan.* II, 8.

Moraliter Beda : Surge e torpore et ignavia, in quibus prius jacebas, et in bonis operibus proficere stude.

*Tolle grabatum, id est, tolera tentationes carnis.* Tropologice : S. Gregorius, hom. 12 *in Ezech.*, hæc applicat peccatoribus per pœnitentiam justificatis, qui priorum peccatorum, justo Dei judicio, tentationes adhuc patiuntur : « Ægro, inquit, ad salutem reducto præcipitur : Tolle grabatum tuum, id est porta lectum, in quo portatus es; quia necesse est, ut sanatus quisque portet contumeliam carnis, in qua prius jacebat ægrotus. Quid est ergo dicere : Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam, nisi porta tentationes carnis, in quibus hactenus jacuisti, ac revertere ad conscientiam tuam, ut videas quæ fecisti? »

*S. Maria Ægyptiaca tentata.* Sic S. Maria Ægyptiaca per septemdecim annos graves carnis tentationes passa est jam conversa, quia totidem annis prius impudice vixerat, uti habet ejus Vita. Peccata ergo sui ipsorum sunt carnifices, et justi ultores. Quod antea libuit, postea cruciat; quod fecisti volens, idem deinceps patieris nolens.

Symbolice : S. Augustinus, *tract.* 17 : « Surge, » inquit, hoc est dilige Deum, qui sursum est; « tolle grabatum tuum, » hoc est, dilige proximum, infirmitates ejus portando, juxta illud : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi, » *Galat.* VI. « Cum esses languidus, ait S. Augustinus, portabat te proximus tuus : sanus factus es, porta proximum tuum, etc. Porta ergo eum cum quo ambulas, ut ad eum pervenias, cum quo manere desideras. »

9. ET STATIM (Syrus, *eo momento*; Christus enim, quia Deus, in instanti sanabat, ut ostenderet hanc sanitatem, non naturaliter, sed vi supernaturali, per miraculum fieri ab omnipotentia Dei) SANUS FACTUS EST HOMO ILLE, ET SUSTULIT GRABATUM SUUM (Nonnus, *onerosum humerale*) ET AMBULABAT. ERAT AUTEM SABBATUM IN DIE ILLO. — Studio sanavit Christus in sabbato, tum quia sabbatum erat summum apud Judæos festum, quod proinde præ aliis sanctificare oportet bonis operibus, quale erat hic sanatio ægri adeo afflicti, tum benefica, tum potens et divina; tum quia per hoc Judæis ostendere volebat se dominum esse sabbati, jubendo ut in illo tolleret grabatum, quod erat lege vetitum, ideoque se esse Messiam ac Deum; tum quia sabbatum erat dies dicata quieti et laudi Dei. Quietem autem a doloribus ægro huic præstitit Christus, ideoque magnam et laudandi Deum occasionem eodem die subministravit.

10. DICEBANT ERGO JUDÆI ILLI QUI SANATUS FUERAT : SABBATUM EST, NON LICET TIBI TOLLERE GRABATUM TUUM. — Nonnus : « Et dicebant cum clamore proferentes criminatricem vocem : Sabbatum est, quod oportet unumquemque hominum transigere totum in otio : non est tibi fas lectum tollere. » In genere verum dicunt; apud Judæos enim summa erat religio sabbati, ideoque omne opus in illo erat vetitum, ut patet *Exod.* XX, 8; ac nominatim gestatio onerum eo die prohibetur a Jeremia, cap. XVII, 21 et seq. : « Nolite, ait, portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Jerusalem; » et a Nehemia, II *Esdræ* XIII, 15. Christus tamen contrarium hic præcipit ægro a se sanato, tum quia ipse dominus erat sabbati, ac proinde in ejus lege dispensare poterat; tum maxime quia opus vetitum a lege in sabbato, erat opus servile, non autem opus pium et divinum, quale hic erat, quod æger sanatus suum tolleret lectum : illud enim ei jussit Christus hoc fine, ut omnes qui in sabbato turmatim confluebant ad templum, miraculum hoc agnoscerent, indeque Jesum ejus auctorem esse Messiam colligerent, illique gratias agerent et in eum crederent. Unde sequitur :

11. RESPONDIT EIS : QUI ME SANUM FECIT, ILLE MIHI DIXIT : TOLLE GRABATUM TUUM, ET AMBULA. — Subintellige : ille autem fuit vir divinus, et divina virtute me sanavit : ergo Deo charus est et amicus, nec quidquam præcipit quod Deo displicet, sed quod Deo gratum esse cognoscit; operatur enim cum Deo et ex Deo. « Non acciperem jussionem, ait S. Augustinus, a quo acceperam sanitatem? » Justa fuit hæc ægri excusatio, quam Judæi intelligere et acceptare debuissent; sed superbia occæcati illam capere noluerunt, ideoque peccarunt, et Christum persequentes in reatum et gehennam corruerunt.

12. INTERROGAVERUNT ERGO EUM : QUIS EST ILLE HOMO, QUI DIXIT, TIBI : TOLLE GRABATUM TUUM, ET AMBULA? — Indignantes et minabundi hoc dicunt, *q. d.* Quis est ille audax et insolens, qui contra legem audet tibi præcipere ut in sabbato tolles grabatum tuum? Utique ille homo non est a Deo, qui sabbatum a Deo sancitum non custodit. Ita illi ex cæco legis suæ, quam non intelligebant, præjudicio; cum ex altera parte cogitare debuissent illum qui ægrum per miraculum sanaverat, hoc non nisi singulari Dei auctoritate et ope facere potuisse, ac proinde a Deo pariter accepisse jus dicendi eidem in sabbato : « Tolle grabatum tuum, et ambula. »

13. IS AUTEM QUI SANUS EFFECTUS FUERAT, NESCIEBAT QUIS ESSET : JESUS ENIM DECLINAVIT A TURBA CONSTITUTA IN LOCO. — Quasi dicat : Sanatus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nesciebat nomen Jesu, aut quis esset Jesus, vel quo abiisset; nunquam enim eum ante viderat, aut post, nisi obiter in ipso sanationis actu.

DECLINAVIT. — Causam dat Euthymius : « Simul, inquit, ut hominem sanaverat, subduxerat se propter turbam, partim quidem fugitans laudem æquorum, partim vero invidiam amputans iniquorum. » De quo et Cyrillus ait : « Medicum non cognovit, non absque dispensatione in multitudine hominum occultatum, ut ira Judæorum aliquantulum defervesceret, » ne, si in ipso indignationis impetu in Jesum incurrerent, eum lapidarent vel occiderent. Tertiam causam dat S. Chrysostomus : « Quare declinavit? Primum, inquit, ut se absente minime suspiciosum esset testimonium; » si enim, præsente Christo, sanatus ab eo illum Judæis laudasset, visus fuisset in gratiam Christi id facere; jam autem eo absente eum laudans, patet quod non nisi veritatis amore id fecerit.

14. POSTEA INVENIT EUM JESUS IN TEMPLO, ET DIXIT ILLI : ECCE SANUS FACTUS ES : JAM NOLI PECCARE, NE DETERIUS TIBI ALIQUID CONTINGAT. — Arabicus, *jam sanus factus es, ne redeas ad peccandum, ne fiat tibi malum majus*; Syrus, *ne peccaveris amplius, ne quid deterius tibi contingat, quam a principio.*

IN TEMPLO. — Hinc videtur quod æger hic sanatus a Christo, mox ut grabatum detulit domum suam, iverit ad templum, ut Deo pro tanto sanitatis beneficio gratias ageret. Ita Euthymius. Unde Chrysostomus : « Magnum profecto, ait, et reverentiæ et pietatis signum; non enim in forum, non in porticus successit, non voluptati, non otio indulsit, sed in templo versatur. »

JAM NOLI PECCARE. — Hinc patet Deum sæpe ægris morbos immittere ob eorum peccata, atque huic de facto ob illa immisisse. Ita Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus et alii. Igitur paralyticus hic ante 38 annos, quibus æger decubuit, cum Christus necdum esset natus, aliquod scelus patravit, quod Deus morbo tam diutino castigare et expiare voluit. Tacite ergo Christus conscientiam ægri, ut sceleris sui sit memor, ac de eo conteratur, illudque deinceps caveat, admonet, simulque se, quasi Prophetam spiritu divino idipsum cognovisse significat. « Ideo autem, ait Chrysostomus, Deus ob animi peccatum corpus flagellat, ut deterioris partis supplicio melior ad quærendum remedium convertatur. » Quare dum cuipiam morbus a Deo immittitur, conscientiam examinet, et peccatum ob quod illum Deus immisit, pœnitendo et contitendo deleat, Deumque exoret, ut sibi peccati culpam et pœnam condonet, itaque morbum auferat. Sublata enim causa tollitur effectus, ut aiunt Philosophi. Hoc consilium ægro suggerit, *Eccli.* XXXVIII, 10, dicens : « Averte a delicto, et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum, » etc., et vers. 15 : « Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidit in manus medici. » Vide ibi dicta.

Dixi *sæpe*; nam subinde Deus viris sanctis morbos immittit, ut eorum patientiam probet, augeat et coronet, uti immisit S. Job, cujus tota disputatio cum amicis in hoc cardine versatur, ut amicis urgentibus ipsum peccatis suis causam tot morbis dedisse, ipse ex adverso contendat se a peccatis esse immunem, nec morbos illos commeruisse. Atque Deus cap. ult., ipsi causam adjudicat, amicos vero condemnat. Item patet in cæco nato, cap. IX, 3, de quo ait Christus : « Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo. »

Porro Christus, sicut corpus hujus ægri sanavit ad piscinam, sic sua inspiratione interna atque hac monitione externa, sanavit ejus animam in templo : inspiravit enim memoriam peccatorum juventutis suæ, quibus morbum tam longum meruit movitque cor ejus, ut de eis contereretur et veniam a Deo peteret, itaque justificaretur; imo ideo Christus corpus ejus sanavit, ut ejus animam sanaret, uti fecit S. Magdalenæ : sicut dixi *Lucæ* VII et VIII. « Qui foris ab infirmitate, ipse etiam intus salvavit a scelere, » ait Beda.

NE DETERIUS TIBI ALIQUID CONTINGAT. — « Qui enim priori supplicio non est emendatus, ait Theophylactus, ad majora tormenta servatur, tanquam insensatus et contemptor; » idque « sive in præsenti vita, sive in futura, sive in utraque, inquit Euthymius : pejor est morbo recidiva morbi. » Sic pejor est culpa recidiva culpæ, ob majorem ingratitudinem, audaciam, impudentiam; item quia iteratio peccati inducit proclivitatem ad illud peccatum frequentandum, ac tandem consuetudinem et habitum, cui vix resistere potest peccator.

15. ABIIT ILLE HOMO, ET NUNTIAVIT JUDÆIS QUIA (quod) JESUS ESSET, QUI FECIT EUM SANUM. — « Nuntiavit, » non ex malevolentia, sed affectu gratitudinis, ne auctorem tanti beneficii celaret. Ita S. Augustinus, Chrysostomus et alii. « Abiit et nuntiavit, ait Euthymius, non tanquam iniquus, ut proderet, sed tanquam gratus, ut benefactorem divulgaret. Nam quia crimen incurrere se putabat, si tacuisset, ad beneficium prædicavit. » Addit Cyrillus, « ut non ignorarent medicum, si quis etiam eorum curari desideraret. »

16. PROPTEREA PERSEQUEBANTUR JUDÆI (præsertim Scribæ et Pharisæi. Addunt aliqui codices Græci, item Syrus et Arabicus : *Et quærebant eum interficere*) JESUM, QUIA HÆC FACIEBAT IN SABBATO. — « Propterea, » id est eo prætextu; vera enim causa erat invidia. Unde Euthymius : « Quantum ad id quod apparebat, inquit, propter hoc; quantum vero ad id quod occultum erat, propter invidiam. » Invidebant enim Jesu hanc gloriam, dolebantque eum a populo sibi præferri; indignabantur vero sua scelera ab eo reprehendi ejusque sanctitate refelli. Ipsi enim volebant haberi et coli ut Rabbini et legis doctores, atque ut oracula sapientiæ et sanctitatis : quare Christum eorum scelera detegentem, quasi eos infamantem, oderant et persequebantur calumniis, detractationibus, minis, et tandem eum ad crucem adegerunt.

17. JESUS AUTEM RESPONDIT ILLIS. PATER MEUS USQUE MODO OPERATUR, ET EGO OPEROR. — « Pater operatur, inquit S. Augustinus, lib. IV *De Genesi ad litter.*, cap. XII, et creaturæ præbens congruam gubernationem et apud se habens æternam tranquillitatem (quia, ut idem alibi ait, quietus operatur, et operans quiescit); » et nonnullis interjectis : « Creatoris namque potentia et virtus, causa subsistendi est omni creaturæ : quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura consideret. » Sicut lumen in aere cessat et evanescit, si sol radios suos, quibus lumen producit et conservat, subtrahat. Sensus est, *q. d.* Vos, o Scribæ, mihi objicitis legem sabbaticæ quietis, quam Deus vobis præcepit, eo quod ipse in sabbato quieverit ab omni opere suo, *Genes.* II. Verum respondeo Deum in sabbato quievisse duntaxat a novis rerum speciebus producendis, non autem ita, quin usque modo per omnia sabbata operatus sit et continue operetur; scilicet mundum et omnia quæ in eo sunt, gubernando, conservando, cœlos movendo, unam rem ex alia producendo, viventia alendo, sanando, etc. Id quod summi est beneficii, idemque est opus non servile, sed liberale, pium et divinum, ac proinde sabbato licitum, imo sabbatum ornans et sanctificans : ita et ego, qui sum Filius Dei Patris, illi æqualis et ὁμοῖος, eadem cum illo operor, ac semper operatus sum : nec ego sine Patre, nec Pater sine me operari potest. Ita S. Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, Beda et alii.

Nota hebraismum : « Et ego operor, » hoc est *sic* vel *similiter*, aut *pariter* ego operor; τὸ enim *et* cum sit nota conjunctionis, quando similia conjungit, nota est compara..onis et similitudinis, idemque est quod *sic*, uti passim fit in Proverbiis.

18. PROPTEREA ERGO MAGIS QUÆREBANT EUM JUDÆI INTERFICERE; QUIA NON SOLUM SOLVEBAT SABBATUM, SED ET PATREM SUUM DICEBAT DEUM, ÆQUALEM SE FACIENS DEO. RESPONDIT ITAQUE JESUS, ET DIXIT EIS. — « Patrem suum; » Græce πατέρα ἴδιον, id est *patrem proprium*, quia naturalem. Christus enim solus est Filius Dei proprius et naturalis; angeli vero et homines sancti sunt filii Dei, asciti duntaxat, et a Deo gratis adoptati. Ita Cyrillus. Unde Arabicus vertit, *quoniam dicebat, quia Deus Pater meus est.*

ÆQUALEM SE FACIENS DEO, — quia dixerat se non similia, sed idem omnino operari, quod operatur Pater, ideoque illi per omnia cooperari, non ut famulum, sed ut Filium Patri ὁμοίως. Ita Chrysostomus. Et Cyrillus : « Hominem, ait, esse videntes, et habitantem in eo Deum non cognoscentes, ferre non poterant singulari modo Deum ab eo patrem appellari : » nimirum, ut ait Beda, « quod is, quem verum per infirmitatem carnis hominem cognoverant, verum se Dei Filium credi vellet, id est non gratia adoptatum, ut cæteros Sanctos, sed natura Patri per omnia æqualem, non substantia, sed persona distantem; quia putabant Jesum prædicando se facere quod non esset, non veraciter intimare quod esset. Commoti sunt ergo Judæi et indignati sunt; merito quidem, quod audebat homo æqualem se facere Deo; sed ideo immerito, quia in homine non intelligebant Deum. » Voluerunt ergo pontifices et Scribæ Jesum occidere, quia timebant, ne crescente gloria Jesu, ipsorum auctoritas decresceret, imo ne Jesus persuadens populo se esse Deum, a populo pontificibus præponeretur, ac tandem præficeretur, itaque eos exauctoraret, et novos sacerdotes et pontifices suos induceret, ut reipsa ab eo factum videmus.

19. AMEN, AMEN DICO VOBIS NON POTEST FILIUS A SE FACERE QUIDQUAM, NISI QUOD VIDERIT PATREM FACIENTEM : QUÆCUMQUE ENIM ILLE FECERIT, HÆC ET FILIUS SIMILITER FACIT. — « Non potest, » « non ob potentiæ defectum, ait Euthymius, sed propter inseparabilitatem; nam impossibile est Filium facere quidquam quod non facit Pater. » Sic et S. Chrysostomus et S. Augustinus. « Nisi : » hæc vox hic non est exceptiva, sed adversativa, idemque significat quod *sed tantum*. Idem significat *Matth.* XII, 4; *Galat.* II, 6, et infra cap. XV, vers. 4.

QUOD VIDERIT. — Græce βλέπῃ, id est *videat*; Syrus et Arabicus *videt*; non enim prius quam operetur, sed simul videt Patrem operantem, dum cum illo operatur : Christus enim qua Deus non simile, sed idem numero opus cum Patre producit. Eadem enim actio est Patris et Filii, quam uterque simul videt et simul operatur. Actio a co, non vero unio hypostatica, nec ea quæ illam sequuntur, quia unio hæc non actionis, sed termini rationem habet. Quare, licet tota S. Trinitas, puta Pater, Filius et Spiritus Sanctus, actione sua divina operati sint hanc unionem, tamen unio ipsa ad solum Filium terminata est, non ad Patrem et Spiritum Sanctum. Quocirca solus Filius incarnatus est, passus, mortuus, etc., non Pater, vel Spiritus Sanctus.

Nota : Christus hic tantum vult dicere se a Deo Patre accipere divinam ejus essentiam, potentiam, scientiam et operationem, quasi ab auctore suo, ac proinde utitur voce *viderit*, quasi Filius non faciat quidquam, nisi quod videt facere Patrem, sive quod videt esse opus Patris sui. Solent enim filii et discipuli inspicere et imitari voluntatem et facta parentum et magistrorum; eorum enim sunt quasi simiæ. Loquitur enim Christus anthropopathῶς, sive more homi-

num moderate, et congrue filio, sive ut decet apud homines loqui de patre filium, apud Judæos arrogantes et captiosos, ne eos sat contra se irritatos, magis irritet et in suam necem provocet.

Adde, theologice et proprie Christum uti voce *viderit*, quia ipse a Patre procedit ut Verbum, quod est terminus visionis et cognitionis notionalis Dei Patris. Pater enim videns et intelligens se et omnia, producit et gignit Verbum, illique suam visionem et actionem hoc ipso communicat. Nil ergo videt aut facit Filius, nisi quod videt Patrem videre aut facere. Ipse enim est Verbum et idea: in quo, quasi termino, Pater exprimit et imprimit omnem suam visionem et cognitionem, tam speculativam, quam practicam. Sensus ergo est, *q. d.* Quidquid ego operor, hoc idem Pater operatur, idque eadem omnino visione, cognitione, voluntate, potentia et actione; quare si me accusatis quod sabbato sanarim paralyticum, Deum quoque Patrem accusatis: ille enim mecum hoc est operatus, quia ipse in me et per me omnia operatur; imo ego omne opus meum a Patre accepi. Quare si creditis Deum Patrem omnia recte, sapienter et sancte operari, idem de me credatis oportet; ac proinde hanc sanationem ægri in sabbato fuisse opus prudenter factum, sanctum et divinum.

SIMILITER FACIT, — scilicet simili, imo eodem prorsus modo, eadem libertate, eadem potentia, eodem dominio, eadam auctoritate, ait S. Gregorius Nazianzenus, orat. 2 *De Filio*. Unde S. Augustinus: « Non, inquit, cum ille (Pater) fecerit, alia Filius similiter facit; sed quæcumque ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. Si hæc facit Filius quæ fecerit Pater, per Filium facit Pater. » Et Cyrillus: « Similiter operantur, inquit, quæ omnino ejusdem naturæ sunt: quæ autem diversas essendi habent rationes, in iis idem operationis modus esse non potest. Sicut ergo Deus de Deo vero, eadem quæ Pater similiter facere potest. »

20. PATER ENIM DILIGIT FILIUM, ET OMNIA DEMONSTRAT EI QUÆ IPSE FACIT: ET MAJORA HIS DEMONSTRABIT EI OPERA, UT VOS MIREMINI. — « Demonstrat, » non sicut præceptor discipulo, ait Euthymius, sed sicut pater filio, ac Deus Deo. « Demonstrat » ergo, id est dat, communicat, præsertim quia, ut dixi, Filius a Patre per demonstrationem, id est per intellectum et visionem procedit quasi Verbum. Sic *demonstrare* pro dare, exhibere, tribuere sumitur, 1 *Reg.* XIV, 12; *Exod.* XXXIII, 19; *Psal.* IV, 6; *Psal.* XIX, 5. Hunc esse sensum patet ex sequent. Porro Pater « demonstrat, » id est communicat omnia Filio, tum qua Deo, non libera dilectione, sed naturaliter ex fœcunditate naturæ divinæ, cujus signum maximum apud homines est dilectio: qui enim omnia sua filio apud homines communicat, hoc ipso dat signum evidens, quod ipsum summe diligat; tum communicat omnia Filio qua incarnato et homini, cujus communicationis non signum, sed causa est dilectio. « Demonstrare Patrem Filio, ait Beda, est per Filium facere quæ facit. »

Præclare S. Athanasius, in disput. *Contra Arium*, lib. I: « Dedit, ait, Filio Pater omnipotens omnipotentiam, majestatem majestati, virtutem dedit virtuti, prudentiam dedit prudenti, præscientiam præscienti, æternitatem æternitati, divinitatem divinitati, æqualitatem æqualitati, immortalitatem immortalitati, invisibilitatem invisibilitati, regi regnum, vitam vitæ; et non aliam ab ea quam habet dedit, et quantum habet, tantam dedit. »

Quæres, cur *demonstrare* et ostendere hic et alibi sumatur pro donare et communicare? Respondeo: *Primo*, quia Deus demonstrando Filio se suaque opera, ei communicat suam scientiam, et consequenter suam essentiam. Scientia enim Dei idem est cum sua essentia. Ad hæc demonstrando illuminat Filium, hoc est suam sapientiæ omnisque boni lucem, totumque se illi communicat: Deus enim est lux increata et immensa, uti docet S. Joannes, *epist.* I, cap. I, vers. 5. Denique demonstrando, id est intelligendo producit Verbum, id est Filium, quia in Deo res nobilissima est intellectus, ac nobilissima actio est intelligere, illuminare, demonstrare. Nobilissima enim et princeps animæ potentia est intellectus et ratio, quæ voluntati imperat eamque cæcam dirigit, et per illam omnes sensus cæterasque animæ vires movet et regit. Hinc illa sapientum axiomata: Mens universa efficit. Rationis est gubernare. Quantum quisque valet ingenio, tantum habet de imperio. Intellectus enim res concipiendo et intelligendo, sibi per conceptum et intellectionem illas omnes vivaciter incorporat, et quasi possidet; res enim omnes in se vivo quodam modo concipit, earumque speciem in se efformat, quæ rerum bonitatem et pulchritudinem omnem illi repræsentat. Quocirca intellectus est oculus mentis; sicut ergo oculus in corpore est sensus nobilissimus, vivacissimus, efficacissimus, qui rerum omnium formas sibi incorporat; sic multo magis idem facit intellectus in mente. Quocirca Beati in cœlo per intellectum intelligendo et videndo Deum, eum sibi incorporant, illum possident, illoque beantur. Hæc ergo est ratio hujus phrasis, qua ostendere et demonstrare sumitur pro dare, communicare, ac in possessionem rei ostensæ et demonstratæ inducere. Est catachresis et metalepsis. Hoc est quod ait Aristoteles et Philosophi: « Intellectus intelligendo fit omnia, » quia per vivam rerum conceptionem, illis sese et sibi illas assimilat, itaque illas tenet et occupat, facitque ut in ipso melius et nobilius existant, quam sint in seipsis; in seipsis enim sæpe sunt inanimes et mortuæ, in intellectu autem sunt animatæ et vivæ, vivuntque actu summe vitali et præstantissimo.



Denique Christus hic apposite contra Judæos calumniantes, quod ægrum sanasset in sabbato, ad majus argumenti pondus et nervum, utitur verbo demonstrandi, *q. d.* Deus sapientissimus demonstravit mihi hoc opus sanandi in sabbato esse opus suum, id est divinum, piissimum et sanctissimum, cur ergo vos, o Scribæ, illud reprehenditis et cavillamini? quis enim audeat esse reprehensor illius, cujus Deus est demonstrator? Ergone sapientiores estis Deo, ac Deum ipsum vultis docere, imo castigare? o insaniam! o insanam temeritatem et superbiam!

ET MAJORA HIS DEMONSTRABIT, — et demonstrando dabit et communicabit. « Majora » hæc sunt præclariora mysteria et miracula, ac præsertim mortuorum suscitatio, et potestas judiciaria judicandi omnes homines. Quæ duo hic subjicit Christus.

UT VOS MIREMINI, — non dicit, ut vos credatis; quia Scribæ et Judæi, visis tot Christi miraculis, mirati sunt ejus vim et potentiam, sed tamen odio et invidia excæcati, in eum ut Messiam credere noluerunt: Christus tamen ea illa mente et fine fecit, ut in se crederent. Ita Cyrillus. Sic etiamnum faciunt hæretici; nimirum mirantur Sanctorum orthodoxorum sapientiam, sanctitatem, miracula; sed tamen eorum fidem sequi, et mores imitari nolunt. Hæc est hæresis et erroris cæcitas, obstinatio et malignitas.

21. SICUT ENIM PATER SUSCITAT MORTUOS, ET VIVIFICAT: SIC ET FILIUS, QUOS VULT, VIVIFICAT. — Ecce hoc est primum majus opus, quod Christus Patrem sibi Filio demonstraturum, id est communicaturum, dixit. Nam, ut ait S. Augustinus: « Majora sunt opera mortuos suscitare, quam languidos sanare. » Et S. Cyrillus: « Nolite, ait, mirari hoc, quod unus longo morbo dissolutus, verbo corroboratus, grabatum etiam tulit et abiit, cum mortem omnino destructurus sim et orbem terrarum judicaturus. »

SIC ET FILIUS, QUOS VULT, VIVIFICAT. — Tacite significat se esse Deum, Patri æqualem in potestate et libertate suscitandi et vivificandi quoscumque voluerit. « Illa particula, Sicut Pater, ait Chrysostomus, indiscretam potestatem; illa autem, Quos vult, æqualem demonstrat. » Similiter Theophylactus: « Verbum, Quos vult, indicat suæ cum Patre potestatis æqualitatem. »

QUOS VULT. — Non alios vult Pater vivificare, alios vero Filius; sed eosdem, quia ejus voluntas conformis, imo eadem numero est cum voluntate Patris. Ita S. Augustinus.

VIVIFICAT. — Id est a morte suscitat, tum in hac vita, ut suscitavit Lazarum ac filium viduæ; tum in die judicii omnes omnino suscitabit: Sanctos quidem ad vitam æternam, impios vero ad gehennam et mortem æternam, ut patebit vers. 25 et 28.

22. NEQUE ENIM PATER JUDICAT QUEMQUAM, SED OMNE JUDICIUM DEDIT FILIO. — Tò *enim* omittit Arabicus, sed habet Græcus, et apte; novum enim argumentum suggerit. Est enim hæc secunda ratio qua Christus se probat esse Deum, estque secundum opus majus, quod Patrem sibi demonstraturum, id est daturum, dixit vers. 20. Primum enim est suscitare mortuos; secundum est potestas judiciaria, quam solus Christus homo accepit a Patre in sua incarnatione, ac solus visibiliter in omnes exercebit in die judicii. Ita Beda, Chrysostomus et Cyrillus, quem audi: « Aliud quoddam divinum atque præcipuum affert argumentum, quo se natura et vere Deum ostendit. Cui enim orbem terrarum judicare alii convenit, quam soli Deo, quem solum ad judicandum divina Scriptura vocat, dicens: Exsurge, Deus: judica terram? » *Psal.* LXXXI, vers. 8. Et rursus: « Quoniam Deus judex est, alium humiliat, et alium exaltat, » *Psal.* LXXIV, vers. 8.

FILIO SUO, — non secum Deo, sed per incarnationem homini facto. « Ac si diceretur, ait Augustinus, lib. I *De Trinit.* XIII, Patrem nemo videbit in judicio vivorum et mortuorum, sed omnes Filium, quia Filius hominis est, ut possit et ab impiis videri, cum et illi videbunt in quem pupugerunt. »

Dices: Christus creatus est judex ut homo, juxta illud: « Qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum, » *Act.* X, 42; ergo non recte Christus ex eo quod sit judex, probat se esse Deum. Respondeo, recte id eum probare, quia potestas judiciaria propria est Deo; est enim summa et juris amplissimi: quare Deus eam communicare noluit, nec congrue potuit puro homini, sed Christo soli, qui Deus est et homo. Ipse enim ut Deus, summam habet auctoritatem judicandi; ut homo vero, habet facultatem judicium hoc visibiliter coram hominibus salvandis et damnandis exercendi; judex enim debet videri a reo ejusque sententia ab eo audiri.

23. UT OMNES HONORIFICENT FILIUM, SICUT HONORIFICANT PATREM: QUI NON HONORIFICAT FILIUM, NON HONORIFICAT PATREM, QUI MISIT ILLUM. — Judæi enim qui hic noluerunt honorificare Filium Dei, nec eum ut talem agnoscere, in die judicii videntes ejus majestatem et potestatem in judicando divinam, inviti cogentur eum ut Deum agnoscere, honorificare et adorare.

SICUT HONORIFICANT PATREM. — Tò *sicut* significat æqualitatem, non similitudinem, quia assimilat eos qui sunt ejusdem naturæ, id est eos sibi mutuo coæquat, scilicet Filium Patri. « Nam, ut ait S. Cyrillus, si ipse omnia est quæ Pater, quantum ad Deitatis majestatem pertinet, quomodo par non erit æqualiter cum Patre honorari, cui ad identitatem substantiæ nihil prorsus deest? » Sic et S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus et alii. Hinc contra Arianos patet Christum esse Deum, ideoque eadem adoratione adorandum, qua adoratur Pater, scilicet latria.

QUI NON HONORIFICAT FILIUM, NON HONORIFICAT

PATREM, QUI MISIT ILLUM, — tum quia negando Filium, negat et Patrem; pater enim et filius sunt correlativa, nec pater esse potest, qui filium non habet: in Deo vero qui negat Filium Dei esse Filium, negat Deum Patrem vere et proprie esse Patrem, ac generasse; taciteque asserit ei defuisse vim generandi Filium sibi consubstantialem et æqualem; tum quia Pater « misit Filium » in mundum, ut per eum honoraretur, ut scilicet agnosceretur esse Pater proprie dictus, ac genuisse Filium sibi ὁμοούσιον, cum eoque eadem latria adoraretur: qui ergo negat Filium esse Deum, negat Patrem genuisse Deum, quæ summa est Patris injuria et blasphemia. Aufert enim Patri generationem sibi parem et se dignam, ac pro divina et increata, creatam et exilem ei attribuit: quare negat eum esse Patrem proprium et divinum.

24. AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUIA QUI VERBUM MEUM AUDIT, ET CREDIT EI QUI MISIT ME, HABET VITAM ÆTERNAM, ET IN JUDICIUM NON VENIT, SED TRANSIIT A MORTE IN VITAM. — « Amen, amen. » Geminatio hæc attentionem excitat. Significat enim rem quam asserit non tantum esse certissimam, sed et summe necessariam ad salutem æternam. Vide dicta cap. III, 3. « Quia, » id est *quod*. « Audit, » ita ut credat et obediat verbo meo. Unde subdit: « Et credit ei qui misit me, » ac consequenter credit mihi quasi Filio, a Patre in mundum ad ejus salutem misso. Non dicit: « Et credit mihi, » sed amplius. Dicendo enim: « Et credit ei qui misit me, » involvit mysterium sanctæ Trinitatis et Incarnationis: quæ duo sunt præcipua fidei capita et summe ad salutem necessaria. Ille enim qui misit Filium, est Deus Pater: jam Pater et Filius juncti necessario spirant Spiritum Sanctum: en tibi tota sancta Trinitas.

HABET VITAM ÆTERNAM. — « Habet, » jure, merito et spe, sed necdum in re. « Habet » ergo, id est certo habebit, si in fide perseveret illique congruenter vivat usque ad mortem. Vide dicta cap. III, vers. 16.

ET IN JUDICIUM (id est in condemnationem, puta in gehennam) NON VENIT, — non vadit. Vide dicta cap. III, vers. 17.

TRANSIIT (id est certo transibit, utitur præterito pro futuro ob rei certitudinem, *q. d.* Certo et infallibiliter transibit, perinde ac si jam transisset) A MORTE (corporis temporaria) IN VITAM ÆTERNAM, — beatam in cœlis; licet enim reprobi damnandi, suscitandi sint quoque ad vitam, ut ardeant in gehenna, tamen hæc vita gehennalis, continua potius erit mors, quam vita. Nam, ut ait S. Augustinus, lib. VI *De Civit. Dei*, cap. XII, « nulla major et pejor est mors, quam ubi non moritur mors. » In gehenna ergo erit mors vitalis, et vita mortalis, hoc est semper moriens, et nunquam mortua. Rursum planius, *q. d.* Qui credit et obedit Deo Patri et Filio ab eo misso, « transiit a morte » animæ per peccatum mortuæ, ad vitam spiritualem gratiæ, ut post mortem naturalem transeat ad vitam gloriæ.

25. AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUIA (quod) VENIT Vers. 25
HORA, ET NUNC EST, QUANDO MORTUI AUDIENT VOCEM FILII DEI, ET QUI AUDIERINT, VIVENT. — « Ne longo post futurum arbitreris, inquit Chrysostomus, subdit: Et nunc est. Nam si futura tantum annuntiaret, non immerito esset dubitandum, sed se in terris cum ipsis conversante, hæc ventura dicit. » Nam, ut ait Theophylactus: « Dicit hic de iis (tribus) quos suscitaturus erat, ut de filio viduæ, filia Archisynagogi et Lazaro, » et maxime de Lazaro; hunc enim in Judæa suscitaturus erat, cæteros duos vero in Galilæa. Christus enim hic loquitur in Judæa Judæis, et hoc significat « nunc est. » Assurgit enim Christus a resurrectione spiritali animarum e peccato ad vitam gratiæ factam a se, ad resurrectionem corporum a se factam, dum ipse adhuc in terris viveret, indeque vers. 28, assurgit ad plenam resurrectionem et gloriam corporum, quam faciet in die judicii. Nam ex potestate suscitandi animas a morte peccati ad vitam gratiæ, tanquam ex re majori et difficiliori, probat Christus se habere potestatem suscitandi corpora: quod minus et facilius est. Ita Toletus, Jansenius et Franciscus Lucas ex S. Chrysostomo et Theophylacto; licet S. Cyrillus, Maldonatus et alii censentes hic agi de resurrectione communi et universali, « et nunc est » accipiant de die judicii extremi. Totum enim tempus legis novæ S. Joannes, *epist.* I, cap. II, vers. 18, vocat horam (id est tempus) novissimam; quia scilicet hoc est ultimus hominum status, ac proinde omnia quæ in eo fiunt, videntur adesse quasi præsentia, et nunc hac hora fieri.

Alii addunt Christum loqui de Sanctis, quos moriens et resurgens a morte suscitavit, *Matth.* cap. XXVII, vers. 52. Plenissimus erit sensus, si de omnibus omnino a Christo suscitatis et suscitandis intelligas.

ET QUI AUDIERINT, — id est qui senserint vim vocis Christi, sive qui illi obedient, perinde ac si audirent vocem Filii Dei, qui vocat ea quæ non sunt quasi ea quæ sunt. Est catachresis. Constat enim mortuos non audire, ac prius debere a morte suscitari, antequam vocem audire possint.

VIVENT. — Resurgent vi et virtute vocis Christi.

26. SICUT ENIM PATER HABET VITAM IN SEMETIPSO; Vers. 26
SIC DEDIT ET FILIO HABERE VITAM IN SEMETIPSO. — « Habere vitam in semetipso » tria significat. *Primo*, habere vitam a se suaque essentia, non ab alio; Dei enim essentia est vita, et vita est essentia. Deus ergo essentialiter et per essentiam est ipsa vita, essentialis, increata et immensa. Ita S. Augustinus hic, *tract.* 19: « Quid est, inquit, Habet Pater vitam in semetipso? Non alibi habet vitam, sed in semetipso: vivere quippe suum in illo est, et non aliunde. Non alienum est, non quasi mutuatur vitam, neque quasi particeps fit vita ejus, vitæ quæ non est quod ipse, sed habet vitam in semetipso, ut ipsa vita sibi sit ipse. » *Secundo*, habere Deum vitam in se, est esse fontem omnis vitæ, ex quo scilicet omnis angelorum, hominum, animalium et plantarum vita, quasi ex uberrimo et vitali fonte profluat, nec aliunde profluere possit. Ita S. Euthymius. « Habere vitam in semetipso, » ait, hoc est ad modum fontis scaturire facit vitam, juxta illud: « Quoniam apud te est fons vitæ, » *Psal.* XXXV, vers. 10. *Tertium*, quod ex primo et secundo consequitur, « habere vitam in se, » est habere vitam in sua potestate, esse dominum vitæ, dominari viventibus omnibus, ut eis vitam dare, conservare, auferre ad libitum possit. Hinc patet unitas essentiæ, puta Deitatis, in Patre et Filio: nam alioqui si Filius haberet aliam essentiam a Patre, haberet vitam in alio, scilicet in Patre, qui vitam illi dedit; jam autem habet vitam in semetipso, id est in sua essentia divina, quam proinde eamdem omnino habet cum Patre. Ita Chrysostomus: « Ecce, ait, quomodo in nullo *prorsus* differunt, » nisi quod alter Pater est, alter Filius.

SIC DEDIT ET FILIO HABERE VITAM IN SEMETIPSO, — quia Filius Deus est, idque juxta tres modos jam recensitos. « Ut vita ejus non esset egens vita, ait Augustinus, ne participando intelligatur habere vitam; si enim participando haberet vitam, posset et amittendo esse sine vita: hoc in Filio ne accipias, ne cogites, ne credas. Manet ergo Pater vita, manet et Filius vita: Pater vita in semetipso, non a Filio; Filius vita in semetipso, sed a Patre. »

Porro, S. Cyrillus id ipsum explicat de Christo, non qua Deus, sed qua homo est, *q. d.* Christus, qua homo est, habet vitam in semetipso, hoc est, vitæ et necis in omnes habet potestatem, vitæ necisque omnium est dominus; ipse enim a Patre constitutus est judex vivorum et mortuorum. Unde sequitur:

27. ET POTESTATEM DEDIT EI JUDICIUM FACERE, QUIA FILIUS HOMINIS EST. — *q. d.* Quia Christus qua Deus, habet vitam in semetipso, hinc qua homo, habet potestatem judicandi omnes. Te enim *quia* hic specificative sumitur, non reduplicative, ideoque valet quod *quatenus*, ut ἐπεὶ, sumatur pro καθ' ὅτι; *secundo* tamen et nervosius, te *quia* accipias reduplicative et causaliter, ut sonat. Dat enim causam cur Deus dederit Christo potestatem judiciariam. Causa est, quia Christus Filius hominis est, quia incarnari dignatus est homoque fieri *q. d.* Voluit Deus homines per Christum hominem judicare, ut congruum esset judicium, congruoque modo, scilicet sensibili et humano, fieret, utque sicut ipse per Christum hominem mundum salvat, sic et per ipsum eumdem judicet; hominem, inquam, illum, qui cum Deus esset, vitam humanam induit, eamque pro hominum salute morti exposuit et prodegit. Quare ipse tanta sui exinanitione, qua voluit fieri homo, morique pro hominibus, meruit hanc exaltationem judiciariæ potestatis, ut omnium sit judex, qui omnium fuit salvator. Ita Toletus, Jansenius, Maldonatus et alii. Audi S. Augustinum: « Secundum quod Filius est Dei, sicut habet Pater vitam in semetipso, sic et dedit Filio vitam habere in semetipso; secundum autem quod Filius hominis est, potestatem dedit et judicium faciendi. » Et paulo post: « Secundum hoc accepit potestatem judicandi, quia Filius hominis est; nam secundum quod Dei Filius est, semper habuit hanc potestatem. » Causam duplicem addit. Prior est: « Adjectum erat, ait, ut judicandi viderent judicem; judicandi autem erant boni et mali: restabat, ut in judicio forma servi bonis et malis ostenderetur, forma Dei solis bonis servaretur. » Posterior: « Forma illa erit judex, quæ stetit sub judice: illa judicabit, quæ judicata est; judicata est enim inique, judicabit juste. »

28. NOLITE MIRARI HOC, QUIA (quod) VENIT HORA, IN QUA OMNES QUI IN MONUMENTIS SUNT, AUDIENT VOCEM FILII DEI. — « Hora, » id est tempus legis Evangelicæ, quæ omnium est, ultima et novissima, in cujus fine fiet resurrectio mortuorum et universale judicium, ut dixi vers. 25.

QUI IN MONUMENTIS SUNT, — puta mortui et sepulti, sub quibus etiam mortuos insepultos accipe. Nam, ut ait S. Augustinus, « ab his qui naturaliter sepulti sunt, etiam eos significavit, qui naturaliter sepulti non sunt.

AUDIENT, — hoc est, sentient sententiam, vim et efficaciam vocis Christi.

VOCEM FILII DEI. — Erit hæc vox tubalis Archangeli, forte Michaelis: « Surgite, mortui, venite ad judicium, idem concrepantibus et consonantibus aliis aliorum angelorum tubis et vocibus. Dicitur vox Dei et Christi, quia ejus jussu, sed angelorum ministerio, formabitur in aere, ita ut per totum orbem resonet, ab eoque efficaciam suscitandi mortuos accipiet, quasi ejus instrumentum, saltem morale. Non enim est necesse huic tubæ vim physicam suscitandi mortuos tribuere. De hac voce et tuba plura dixi I *Thessal.* IV, 16.

29. ET PROCEDENT QUI BONA FECERUNT, IN RESURRECTIONEM VITÆ (beatæ et æternæ): QUI VERO MALA EGERUNT, IN RESURRECTIONEM JUDICII, — id est condemnationis et gehennæ, *q. d.* Boni resurgent ad gloriam, mali ad gehennam.

PROCEDENT. — Græce ἐκπορεύσονται, id est egredientur, scilicet e suis monumentis et sepulcris resurgent, tendentque ad vallem Josaphat juxta Jerusalem, in qua fiet judicium universale, ut ibi a Christo judice pro meritis cœlo vel inferno adjudicentur.

Objicit hic Christus Judæis sibi incredulis et rebellibus, suam potestatem judiciariam, ut eius metu eos terreat, conterat et convertat, atque ita fecit in fine vitæ, cum a Caipha Pontifice adjuratus, an esset Filius Dei, respondit se esse, ideo-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

que ad mortem condemnandus addidit : « Veruntamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli, » *Matth.* XXVI, 64.

Nulla enim terribilior res est et efficacior ad promovendum hominum animos, ut pœnitentiam agant vitamque sanctam instituant, quam viva repræsentatio judicii extremi. Quocirca Christus ascendens in cœlum, per angelos jussit Apostolos prædicare suum ad judicium reditum, *Actor.* I, 11; ideoque eumdem Paulus Areopagitis inculcavit, ac inter alios S. Dionysium convertit, *Act.* XVII, 31. In judicio enim cuique jacietur alea æternitatis, vel beatissimæ vel miserrimæ. « In omnibus operibus tuis ergo memorare novissima tua, et in æternum non peccabis, » *Eccli.* VII, 40. Vide ibi dicta. Sane fatalis ille dies mundi ultimus erit decretorius, et horizon æternitatis, qui probos ab improbis disterminabit et longissime separabit, atque probos omni felicitate cumulabit, improbos omni calamitate obruet, idque in æternum. Hoc mirum et miserabile divortium assidue cogita, studo sanctitati, vive æternitati.

30. NON POSSUM EGO A MEIPSO FACERE QUIDQUAM. SICUT AUDIO, JUDICO, ET JUDICIUM MEUM JUSTUM EST : QUIA NON QUÆRO VOLUNTATEM MEAM, SED VOLUNTATEM EJUS QUI MISIT ME. — Demonstrat Christus judicium suum, quo qua homo omnes homines judicabit, fore justum, ex eo quod ipse aliud judicare et velle non possit, quam id quod judicat et vult Pater. Nam ipse, qua Deus, idem numero habet judicium, eamdem numero mentem et voluntatem divinam, quam habet Pater : qua homo vero, totus regitur a deitate et Verbo inhabitante, ut aliud judicare et velle nequeat, quam id quod ejus deitas, quasi præses judicat et vult. Ita S. Augustinus, S. Chrysostomus, Euthymius et alii.

SICUT AUDIO (a Patre verissime judicante judicandum esse), SIC JUDICO — semper, ac præsertim sic judicabo in die judicii. « Audio » ergo idem est quod cognosco, intelligo, video; in divinis enim idem est audire et videre, imo idem est in mente; mens enim eminenter continet visum, auditum cæterosque sensus. Ostendit suum judicium, quo omnes judicabit, fore verum, quia non ex suo, sed ex Dei Patris judicio, quod constat esse verissimum et æquissimum, judicabit. Unde subdit : « Et, » id est itaque, vel idcirco, « judicium meum justum est. » Ita S. Chrysostomus : « Per auditum, ait, nihil aliud intelligitur, quam nihil aliud posse, quam quod Pater, q. d. Ita judico, ac si Pater ipse judex sit. »

QUIA NON QUÆRO VOLUNTATEM MEAM (scilicet solam, aut a Patris voluntate diversam, talem enim non habeo), SED VOLUNTATEM EJUS QUI MISIT ME, — nam voluntas mea divina eadem numero est cum voluntate Patris : voluntas autem mea humana voluntati divinæ plane conformis est, ab eaque per omnia dirigitur : quare aliud ab illa velle et judicare nequit. Ita S. Augustinus : « Non quia, inquit, ipsius in judicando nulla voluntas est, sed quia non est ita voluntas ejus propria, ut sit a Patris voluntate aliena. » Nam, ut ait Cyrillus, « illius voluntatem quasi regulam in omnibus sequitur, » « ideoque, ait Euthymius, illius voluntas etiam mea est. » Dat causam a priori, cur suum judicium futurum sit justum ; quia scilicet voluntas ejus plane subjecta et conformis est voluntati divinæ, eo quod subsistat in persona divina Verbi, ab eaque regatur : voluntas enim flectit regitque intellectum, ejusque judicium, quocumque vult. Quare si voluntas humana conformis sit voluntati divinæ, etiam intellectus et judicium humanum conformia erunt intellectui et judicio divino ; præsertim quia in Deo, in re idem omnino est intellectus et judicium, quod voluntas : in Deo enim omnes potentiæ omniaque attributa in re idem sunt cum essentia divina, ex qua, quasi ex fonte suo, imo quasi ex omnis boni oceano promanant, in eoque essentialiter coeunt et uniuntur : quare ipsa infallibilis est omnis veritatis et justitiæ norma ac regula, quam Christus in omnibus sequitur, nec ab ea vel hilum deviare potest, ideoque tam voluntas ejus, quam intellectus et judicium rectissima, verissima et justissima sunt, et erunt semper.

31. SI EGO TESTIMONIUM PERHIBEO DE MEIPSO Vers. 31. (quod sim Filius Dei, ideoque qua homo, Dei judicio et voluntati per omnia conformis), TESTIMONIUM MEUM NON EST VERUM, — id est legitimum, juridicum et fide dignum. « Verum » enim hic non opponitur falso, sed illegitimo, infido, incerto; respondet enim Hebr. נאמן *neeman*, id est fidele, congruum et fide dignum. Fieri enim potest, ut quis verissimum de seipso dicat testimonium, sed tamen apud homines fide careat, propter suspicionem de nimio sui ipsius amore, ait Euthymius.

Est prolepsis, sive occupatio, qua Christus occurrit tacitæ objectioni Scribarum dicentium : Tu, o Jesu, prædicas te esse Filium Dei, ideoque sequi in omnibus Dei judicium; at non credimus tibi, nisi Dei, vel virorum fide dignorum testimonio id probes ; tuum enim testimonium, hic in re tua tibique propria, nobis suspectum videtur, nec fide dignum. Respondet Jesus : Fateor volinque concedo testimonium meum de meipso non esse legitimum, nec fide dignum, si ego solus de me ipso hoc testificor : do vobis ergo ut mihi soli non credatis; at ego non solus, sed plures alii fide digni idem de me testificantur, ut patebit vers. sequenti. Loquitur enim Christus magis ex confessione et ex communi Judæorum sensu, quam ex suo, ut patet *Joan.* VIII, 13, Ubi Judæi Christo in faciem objiciunt dicuntque : « Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. » Quibus respondet Christus, vers. 14 et 16 : « Verum est testimonium meum, etc., quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater. » Ita S. Cyrillus, Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius et alii.



32. ALIUS EST QUI TESTIMONIUM PERHIBET DE ME : ET SCIO QUIA VERUM EST TESTIMONIUM QUOD PERHIBET DE ME. — « Alius, » scilicet Deus Pater, qui in baptismo meo cœlitus intonuit : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, » *Matth.* III, 17. Ita S. Cyrillus, Beda, Rupertus ; rursum « alius, » scilicet Joannes Baptista mihi attestatur, ut sequitur. Ita S. Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, Jansenius, Maldonatus et alii. « Alius » ergo, id est alii sunt, qui testificantur me esse Filium Dei ; scilicet Deus Pater, Joannes Baptista, Moses, Prophetæ atque opera mea divina et miraculosa; hos enim omnes testes in sequentibus pro se producit Christus, ut probet se esse Messiam et Dei Filium.

ET SCIO QUIA VERUM EST. — *q. d.* Ego pro me hisce testibus non egeo; scio enim ex scientia propria et divina verum esse id quod testantur, scilicet me esse Filium Dei. Quare ego eorum testimonium produco, non propter me, sed propter vos, ut mihi tot testimoniis probato fidem adhibeatis.

33. VOS MISISTIS AD JOANNEM (cap. I, vers. 19), ET TESTIMONIUM PERHIBUIT VERITATI. — *q. d.* Vos misistis legatos ad Joannem, quasi ad virum vestra opinione sanctum et omni fide dignum, ut cum rogaretis an ipse esset Messias : Joannes respondit non se, sed me esse Messiam, hocque testimonium non dedit meæ amicitiæ aut gratiæ (nam me ante non viderat), sed « veritati. » Ipsum enim nil dare gratiæ, sed omnino veritati, vos ipsi existimastis, cum eum pro Messia recipere voluistis : « ergo testimonium ejus refellere non potestis, » ait Euthymius. Plane convincit Scribas hic Christus ex Joannis testificatione, utpote apud Judæos certa et irrefragabili, se esse Messiam.

34. EGO AUTEM NON AB HOMINE TESTIMONIUM ACCIPIO. — *q. d.* Ego pro me teste Joanne non egeo ; sum enim Deus Deique Filius, cui Joannes, Moses et Prophetæ credere debent, ab eoque doceri, omnemque gratiam et auctoritatem accipere. Rursum, ut ait Cyrillus : « Ostendit sibi nullius hominis testimonium esse necessarium, cum a splendore signorum ac gloria, natura Deus demonstretur, » *q. d.* Ego cum sim Deus, hominum testimonio, commendatione, celebratione, non indigeo. Ita Theophylactus, Leontius, Maldonatus, Jansenius et alii.

SED HÆC DICO UT VOS SALVI SITIS. — Hoc est, ut ait S. Chrysostomus : « Ego hominis non indigeo testimonio, cum Deus sim ; verum cum Joannes tantæ apud vos auctoritatis sit, cum tanquam Prophetam admiremini, mihi autem ut miracula facienti non credatis; idcirco ejus testimonium vobis in memoriam reduco, omniaque facio ut vos alliciam et salvos faciam.

35. ILLE ERAT LUCERNA (Græce ὁ λύχνος, id est illa lucerna, scilicet eximia et singularis) ARDENS ET LUCENS. VOS AUTEM VOLUISTIS AD HORAM EXULTARE IN LUCE EJUS. — Joannes non erat ipsa lux ex se lucens (hæc enim erat ipse Christus, *Joan.* I, 9), sed erat lucerna, quæ lumine a Christo accepto in se Dei cognitione et amore ardebat, aliis vero exemplo sanctitatis et fervore prædicationis lucebat. Joannem enim misit Deus post longum per plura sæcula, Prophetarum omnium silentium, quasi cœlestem Prophetam, qui tenebras ignorantiæ Judæorum velut lucerna illuminaret, eisque verum lucem, puta Christum Dominum, ostenderet, eique facem præferret. Ita S. Cyrillus, Leontius, Theophylactus et Euthymius. Christus ergo est sol justitiæ, Joannes quasi stella et luna a sole illuminata. Lux enim naturaliter unigenitus est, qui ex luce, id est ex substantia Patris, effulsit, ait Cyrillus. Joannes vero lucerna fuit, quia luxit luce ab eo derivata et participata; luxit, inquam, oleo, id est gratia Spiritus Sancti, quæ instar olei, animas nostras, quasi lucernas ingressa, nutrit, conservat, auget. Unde ejus typus fuit lucerna oleo ardens in templo, ante Deum residentem in Sancto sanctorum; sic enim Joannes lucet ante Christum. Lucerna ergo ardens ac lucens semper in tabernaculo testimonii fuit Joannes Baptista, ait Cyrillus. Vide dicta *Exodi* XXV, 31.

Moraliter : S. Bernardus, serm. *De S. Joanne Baptista*, docet sanctos viros et prædicatores, prius in seipsis debere ardere charitate et zelo, antequam aliis prædicando luceant. « Est enim, ait, tantum lucere vanum, tantum ardere parum; ardere et lucere perfectum. » Et inferius : « Ille erat lucerna ardens et lucens. Non ait : Lucens et ardens, quia Joannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore ; sunt enim qui non eo lucent, quia fervent, sed magis fervent ut luceant. At isti plane non fervent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. » Ac mox triplicem in Joanne ardorem et splendorem assignans, subjicit : « Ardens enim erat in seipso vehementi austeritate conversationis : erga Christum intimo quodam et pleno fervore devotionis ; erga peccantes proximos constantia liberæ increpationis ; luxit nihilominus, ut paucis dixerim, exemplo, digito, verbo ; et seipsum ostendens ad imitationem, et luminare majus, quod latebat, ad peccatorum remissionem, et ipsas quoque tenebras nostras illuminans. » Et mox : « Considera hominem angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in utero, et novum in novo homine pœnitentiæ mirare fervorem. » Audi Alcuinum hic : « Joannes erat lucerna, illuminatus a Christo luce, ardens fide et dilectione, lucens verbo et actione; qui præmissus est, ut inimicos Christi confunderet, secundum illud : Paravi lucernam Christo meo, inimicos ejus induam confusione. »

Talis fuit S. Athanasius ; unde S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 21, quæ est de laudibus Athanasii, ipsum nuncupat oculum mundi, prælatum sacerdotum, ducem et magistrum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Confessorum, vocem sublimem, firmam fidei columnam, post Joannem Baptistam secundam lucernam lucentem et ardentem. Additque: Athanasius « percutientibus erat adamas (per invictam patientiam), dissidentibus magnes, » eos ad se aḷḷiciens et inter se concilians. Et inferius: « Virgines, inquit, eum ut pronubum laudent, conjuges moderatorem, Anachoretæ excitatorem, Cœnobitæ legislatorem, simplices deductorem, speculationi dediti Theologum, hilares frænum, calamitosi consolatorem, canities baculum, juventus pædagogum, paupertas largitorem, divitiæ dispensatorem, ægrotantes medicum, sani valetudinis custodem; omnes denique eum qui omnibus omnia factus est, ut omnes, vel quamplurimos lucrifaceret. » Et anterius: Ipse, ait, Abrahæ, Isaac, Jacob, Mosis, Davidis, Samuelis, Eliæ, Elisæi cæterorumque Sanctorum virtutes, « in unam sui ipsius complexus animam, unum ex omnibus virtutis simulacrum numeris omnibus absolutum edidit. » Talis quoque fuit S. Basilius, de quo idem Nazianzenus, *orat.* 20. « Basilii vox, ait, erat tonitru, quia vita ejus erat fulgur. » Quia vita fulgurabat, ideo voce tonabat.

Vos AUTEM VOLUISTIS AD HORAM (ad modicum tempus) EXULTARE IN LUCE EJUS. — *q. d.* Initio prædicante Joanne cum tanta vitæ sanctitate et zelo, gavisi estis et exultastis, quod tantus Propheta cœlitus exortus esset, quem sperabatis fore vestrum Messiam; sed ubi Joannes vestra scelera taxare cœpit, ac indicare me esse Messiam, me, inquam, pauperem et humilem, vos Joannem sprevistis, nec testimonio ejus de me credidistis; quia si credidissetis, me pro Messia recepissetis. Hoc est quod ait Lucas, cap. VII, 30: « Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsis, non baptizati ab eo, » scilicet Joanne. Ita S. Cyrillus, Chrysostomus et alii.

36. EGO AUTEM HABEO TESTIMONIUM MAJUS JOANNE. OPERA ENIM, QUÆ DEDIT PATER UT PERFICIAM EA; IPSA OPERA, QUÆ EGO FACIO, TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME, QUIA PATER MISIT ME. — « Majus Joanne, » id est majus testimonio Joannis. « Majus, » id est certius, efficacius, magis convincens me esse Messiam, Dei Filium, a Deo missum ad hominum salutem. Hoc majus testimonium sunt mea opera, id est miracula, « quæ dedit mihi Pater, » ut iis probem me ab eo missum. Nam « Joannis testimonium poterat quispiam calumniari, tanquam ad gratiam factum, ait Euthymius; verum opera omni suspicione libera, cunctorum ora contentiosa obturant. » « Opera enim etiam insanis persuaderent, » inquit Chrysostomus. Addit S. Cyrillus: « Quoniam ergo non dignus vobis Joannes fide videtur, majorem testem offero, cujus splendor mentis vestræ oculos ita perstringat, ut nihil omnino dicere possitis: non enim verbis, nec auctoritate hominum rem meam approbo, sed miraculorum splendore ac gratia, me ex Deo natum et natura Deum ostendo. »

OPERA (miracula) QUÆ EGO FACIO, TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME, — quia miracula (quale fuit recens paralytici sanatio, v. g. ait Theophylactus) mea sunt opera supernaturalia, quæ a nulla creata causa fieri possunt, sed Deo soli sunt propria: unde ipsa sunt quasi sigillum Dei, quibus ipse mihi testimonium perhibet meamque doctrinam obsignat et confirmat. « Quia sunt opera solius divinæ virtutis, » ait Euthymius. Unde Lyranus: « Firmum, ait, testimonium est per opera soli Deo possibilia, qui non potest testis esse falsitatis. » Sic et S. Chrysostomus, Cyrillus et alii.

Hinc sequitur Judæos potuisse et debuisse certo cognoscere Jesum esse Messiam, sive Christum et Dei Filium, ex miraculis quæ patrabat. *Primo*, quia Jesus illa faciebat hoc fine et scopo, ut iis probaret se esse Christum et Deum. Hoc ergo evidens erat in attestante, scilicet in miraculis, quæ testabantur ipsum dicere verum, scilicet se esse Deum Deique Filium. *Secundo*, quia Jesus fecit omnia miracula quæ Prophetæ prædixerunt a Christo esse facienda, uti ipse ostendit *Matth.* XI, vers. 4 et 5. *Tertio*, quia, licet aliqui Prophetæ et viri sancti nonnulla miracula ediderint, non tamen tot et tanta, quot et quanta edidit Jesus. Rursum Prophetæ faciebant miracula non sua virtute, sed invocatione Dei; Christus autem sua virtute, sua auctoritate, suo jussu et imperio quasi Dominus illa efficiebat. Inde ergo facile erat cognoscere ipsum esse Messiam et Deum. Ita S. Athanasius, lib. *De Incarnat. Verbi.* Hinc etiam multi e Judæis ipsum ut talem agnoverunt; alii tamen, præsertim Principes et Scribæ, licet secreto et sedate omnia Jesu gesta considerantes, iis convincerentur ipsum esse Messiam; tamen alias ira et invidia contra eum acti cæcatique, ipsum ut talem non agnoverunt, aut potius agnoscere noluerunt.

Igitur duobus maxime modis miracula ipsa probant eum esse Deum. Primum, ratione modi faciendi, ut dixi: quod præpotenti illa vi, sibi propria, uteretur in peragendis miraculis. Deinde nonnulla etiam sibi miracula reservavit, quæ ipsa sui natura convincunt et damnant eum esse Deum: qualia sunt, quod natus est de Virgine; quod secreta cordium, et quid esset in homine, nosset, et sciret omnia: quæ causa fuit quamobrem Apostoli dicerent se credere quod a Deo exiisset. Item, quod futura omnia quæ in passione, morte et post resurrectionem juxta Scripturam eventura erant, prædixit: quod, cum voluit, animam suam in cruce posuit, ac deinde tertia die resumpsit; quod ascendit in cœlum; quod misit Spiritum sanctum; denique quod mirificam illam vim patrandorum miraculorum in Apostolos et septuaginta duos discipulos transfudit. Hoc quoque singulare in Christo, eique soli servatum, quod dicturus sum, vis scilicet et potestas semper et ubique prompta et parata, et nusquam restricta, tam grandia edendi miracula, tam incredibilia et naturæ facultatem superantia, tam plena et perfecta, tam salutaria, tam vera, tam certa ac clara, tam divina ac convenientia Filio Dei. Inter quæ maxime eminet salutifera illa et præsentanea virtus sanandi omnes morbos omnium, uti diximus, quotquot eum adibant sanitatis recuperandæ gratia, omnibus locis, omni tempore. Hæc absoluta potentia et perpetua virtus, solius est Christi. Nec in veteri Testamento Eliæ, aut Elisæo, aut etiam in legis promulgatione Moysi, aut angelis unquam concessa fuit: quippe qui tantum ex intervallo miracula ediderunt, ut ex historiarum collatione constat. Præterea miracula eorum certo numero comprehendebantur: Christi miraculorum continua series erat, nec ullus numerus iniri poterat. Ita S. Augustinus, epist. 3 *ad Volusianum*; S. Cyrillus et Chrysostomus, quos citat et sequitur S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XLIII, art. 4. Quibus adde ea quæ Christi mortem quasi effectus consecuta sunt, uti fuere totius mundi per duodecim Apostolos piscatores ad Christum conversio, fervor fidelium primitivæ Ecclesiæ, *Actor.* II et seq., Martyrum innumerorum invictum robur, imo in tormentis exultatio, etiam puerorum, virginum et feminarum, etc. Quæ omnia clamant Christum ut Dei Filium esse colendum, amandum et adorandum, utpote qui solus hæc opera divina Deoque propria efficeret. Hæc est gloria Verbi incarnati, quam celebrat S. Joannes, cap. I, vers. 14 *Evangel.*

37. ET QUI MISIT ME PATER, IPSE TESTIMONIUM PERHIBUIT DE ME: NEQUE VOCEM EJUS UNQUAM AUDISTIS, NEQUE SPECIEM EJUS VIDISTIS. — « Testimonium perhibuit, » cum in meo baptismo cœlitus intonuit: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, » *Matth.* cap. III, vers. 17. Ita S. Chrysostomus. Rursum « testimonium perhibuit de me, » per Scripturas, puta per Mosen et Prophetas, qui de me meisque operibus ante tot centenos annos prophetarunt, uti mox explicat Christus, vers. 39. Ita Theophylactus, Nonnus, Euthymius et alii. Addit S. Augustinus et S. Hilarius, lib. VI *De Trinit.*, Patrem testificari Jesu, quod ipse sit Filius Dei, cum ejus operibus, id est miraculis cooperatur, eique vim illa operandi tribuit. Verum hoc testimonium includitur in ipsis miraculis, de quibus egit versu præced.

Nota: Christus hic præter testimonium Joannis, tria alia majora adducit, quibus se probat esse Messiam: primum, ex miraculis, vers. 36; secundum, ex voce Patris in baptismo; tertium, ex Scripturis, vers. 39.

38. ET VERBUM EJUS NON HABETIS IN VOBIS MANENS (Arabicus, *non est firmatum in vobis*), QUIA QUEM MISIT ILLE, HUIC VOS NON CREDITIS. — Connexio, et consequenter argumentatio horum verborum est obscura, quam proinde varii varie elucidant (1).

*Primo*, plane et genuine sic exponas, ut sit occupatio et concessio, *q. d.* Vos, o Scribæ, mihi alleganti testimonium Dei Patris de me, objicietis vos illud non audisse, eo quod vocem Dei propriam et naturalem non audiveritis, nec speciem et faciem ejus videritis, sicut vidit Moses, legem a Deo accipiens in Sina, *Exod.* XIX, cui proinde vos credere asseritis. Respondeo: Concedo id quod dicitis, sed addo quod nemo, ne Moses quidem, nec majores vestri legem a Deo accipientes in Sina, audierunt propriam Dei vocem, nec ejus speciem et faciem viderunt, sed tantum copiosum ignem, quo tegebatur Deus, viderint, et vocem in aere ab angelo vice Dei formatam audierint. Ego enim solus, qui sum Filius Dei naturalis, ideoque Deo intimus, vocem ejus propriam audivi, et speciem, sive faciem ejus divinam vidi, et video assidue: sed tamen vos urgeo et convinco quod verbum Dei mihi attestantis audistis, cum in baptismo meo Deus Pater publico sono edixit: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, » *Matth.* III, 17. Rursum quod verbum Dei de me audistis in S. Scripturis, puta in Mose et Prophetis, qui me esse Messiam et Deum attestantur. Verum vos, licet hoc Dei de me verbum et testimonium audiveritis, illud tamen non habetis in vobis manens, quia illud non penetratis mente, non capitis, non intelligitis, non comprehenditis, non creditis, eo quod id me, velut a Deo Patre missum, credere nolitis: qua in re graviter erratis et peccatis. Si enim verbum angeli, vice Dei cum Mose quasi servo suo loquentis, audistis illique creditis; multo magis verbum Dei mihi attestantis quod sim ejus Filius, audire illique credere deberetis, præsertim cum Moses mihi testimonium perhibeat meque a vobis audiri jubeat, ut sequitur. Ita Euthymius: « Cum sermo, ait, qui per legem datus est ac Prophetas, clamet quod Pater Filium suum missurus sit ad salutem vestram, et quod vos illi credere oporteat, vos huic quem ille misit, non credentes, non auscultatis prædicto ejus sermoni, ac proinde nec habetis in vobis manentem. » Hic sensus videtur clarus, planus et genuinus.

*Secundo*, tamen S. Hilarius, lib. IX *De Trinit.*, totum hunc locum sic nectit et explicat, *q. d.* Propterea vocem ejus non audistis, nec speciem vidistis, nec verbum ejus manet in vobis, quia

(1) Cohærentia vers. 37 et 38 hæc nobis videtur magis apta: *Ipse Pater de me testatus est*: est clarum et perspicuum est ejus testimonium, *quanquam vocem ejus nunquam audivistis, neque figuram vidistis*, id est, quanquam vobis non forma visibili apparuit aut viva voce hoc de me testimonium perhibuit. *At vos non tenetis ejus declarationem* (μένειν *perseverare, constanter inesse, tenere*, est formula Joanni usitatissima), et hoc quod dico, verum esse inde apparet, *quod* (ὅτι est hic ἀποδεικτικόν) *ei quem ille misit*, fidem habere recusatis.

mihi non creditis, quasi dictum sit: Si mihi crederetis, vocem Patris audiretis, et speciem videretis; qui enim videt me, videt et Patrem; similiter qui audit me, audit et Patrem, et verbum Patris in eo manet.

*Tertio*, S. Cyrillus et Chrysostomus censent hæc dici a Christo ad confundendos Judæos, jactantes quod Deum audissent et vidissent in Sina decalogum promulgantem, *q. d.* Erratis, et falso jactatis, o Judæi, vos Deum audisse et vidisse in Sina; nam Deus purus est spiritus, qui nec vocem, nec speciem propriam habet, sicut habet homo: quare illa vox quam audistis, et species ignis quam vidistis in Sina, non fuit vox, nec species vera et propria Dei, sed symbolum et signum duntaxat corporeum, vobis corporatis et rudibus arcanam et invisibilem deitatem, instar umbræ repræsentans.

*Quarto*, S. Athanasius, lib. IV *Contra Arianos*, per *verbum*, Græce λόγῳ, intelligit Christum Dei Filium, qui est verbum Patris: quem apte jungi cum specie et forma Dei asserit, eo quod ipse character sit et viva imago Patris, sensumque esse, *q. d.* Vos vocem Dei non audistis, nec formam vidistis, et cum superesset vobis modus unus, ut in me, qui sum Verbum Patris et imago ejus substantiæ, quemque qui videt, videt et Patrem, crederetis, hunc modum contemnitis et non creditis mihi: propterea Patris cognitionem non habetis, et divina notitia privati estis.

*Quinto*, Toletus, *q. d.* Vos, o Judæi, perterriti voce tubali angeli et igne fulgurante in Sina, petiistis vocem hanc terribilem amplius non audire, nec ignem horribilem videre, sed ut Deus vobis per Mosen quasi internuntium loqueretur, idque a Deo obtinuistis; sed verbum et pactum ejus, ad quod vos obligastis, non servatis: acceptastis quidem pactum ejus, nempe vos audituros quem ille miserit Prophetam de gente vestra; at verbum et pactum ejus non manet in vobis, quia quod pepigistis, implere non vultis. Ecce enim ego sum quem ille misit, et vos non mihi creditis, nec auditis me, sicut promisistis.

Verum primus sensus maxime videtur congruus et appositus.

39. SCRUTAMINI SCRIPTURAS, QUIA VOS PUTATIS IN IPSIS VITAM ÆTERNAM HABERE; ET ILLÆ SUNT QUÆ TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME. — « Scrutamini, » tam in Græco quam in Latino, potest esse modi indicativi et imperativi: in indicativo modo accipit Cyrillus, *q. d.* Vos, o Scribæ, assidue scrutamini et versatis Scripturas, quæ testimonium perhibent de me; sed vos illud capere et intelligere non curatis, quia ad me venire non vultis. Melius S. Augustinus, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et alii accipiunt in imperativo, *q. d.* Vestigate Scripturas, et in iis invenietis Deum Patrem mihi perhibere testimonium.

Porro, per τὸ *scrutamini*, Christus, ait Chrysostomus, « Judæos ad Scripturarum non simplicem et nudam lectionem, sed ad investigationem perquam diligentem relegavit; non enim dixit: Legite Scripturas, sed scrutamini, » id est diligenter quærite, et quasi effodite latentes in ea de me rebusque divinis thesauros, sicut qui scrutantur venas auri et argenti, terram effodiunt ut aurum inveniant. « Effodere profundius jubet, ut ea quæ alte in modum thesauri recondita sunt, possint invenire, » ait ex S. Chrysostomo Euthymius. Sic et Theophylactus. « Dixerat eis, ait, verbum Dei, hoc est Scripturæ, quæ de me testantur, non sunt in vobis. Igitur quomodo poterunt habere verbum Dei? inquit: Scrutamini Scripturas. » Sic Scripturas scrutabantur ii quibus prædicabat Paulus, *Actor.* XVII, 11, sed sincere et solius veritatis cognoscendæ studio: quare in Scripturis invenerunt Christum, quem eis prædicabat Paulus.

QUIA VOS PUTATIS IN IPSIS (id est in earum intelligentia, fide et observatione) VITAM ÆTERNAM HABERE. — Si quis enim credat et faciat quæ jubet Scriptura, vitam æternam assequetur. Hinc patet Judæos plerosque, ac nominatim Pharisæos, credidisse animæ immortalitatem aliamque post hanc superesse vitam, in qua probis vita æterna, improbis mors æterna, a Deo irroganda sit. Dico plerosque; nam Sadducæi hæc omnia negabant, ut patet *Actor.* XXIII, 8.

ET (id est *etenim*; Hebræum enim *vau*, id est *et*, sæpe est causale, idemque valet quod *nam*, *quia*, *etenim*. Ita Euthymius; dat enim causam cur dixerit: « Scrutamini Scripturas; » quia scilicet) ILLÆ SUNT QUÆ TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME, — scilicet multæ ad litteram, plures in sensu allegorico et mystico; quia « finis legis est Christus, » *Rom.* X, 4; nam, ut ait Petrus, « huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum, » *Actor.* X, 43. Lector ergo sacræ Scripturæ, ac præsertim interpres, doctor et prædicator, scrutetur Scripturas, et in omnibus inveniet Christum vel in veritate apertum, vel sub umbris et figuris opertum, celatum et velatum. Vide nostrum Josephum Acostam, lib. *De Christo revelato*, ac S. Cyprianum, lib. *De Testimonio contra Judæos*.

40. ET (tamen) NON VULTIS VENIRE AD ME UT VITAM HABEATIS, — *q. d.* Non vultis mihi adhærere, in me credere, meam doctrinam et legem capessere, ut vitam æternam a Scriptura prædicatam acquiratis. Ad illam enim ego solus sum via, veritas et vita, *Joan.* XIV, 6.

41. CLARITATEM (Græce δόξαν, id est gloriam) AB HOMINIBUS NON ACCIPIO — Est occupatio; *q. d.* Vos, o Scribæ suspicamini et mihi objicitis quod ego tam magnifica de me prædicem, meamque dignitatem et auctoritatem tam impense probare coner ex studio vanæ gloriæ, quod scilicet vener auram populi, ab eoque glorificari, magnusque, imo Filius Dei haberi cupiam. Respondeo, me hæc de meipso prædicare, non propter me ut gloriam hominum aucuper, sed propter vos, ut scilicet vos salvem; vestræ enim salutis sum avidus, illamque sitio: scio enim neminem posse salvari et vitam æternam possidere, nisi per me, utpote quem Deus constituit mundi Salvatorem. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Leontius et alii, idque patet ex sequentibus.



42. SED COGNOVI VOS, QUIA DILECTIONEM DEI NON HABETIS IN VOBIS, — *q. d.* Scio et penetro intima cordis vestri (sum enim cardiognostes et cordium inspector, quia Deus), videoque in iis nil esse amoris divini, sed illa plena esse ambitione, avaritia, superbia: quæ est causa cur tam clara testimonia, quæ ego pro me profero, accipere et in me credere nolitis, *q. d.* Radix vestræ incredulitatis et obstinationis non est mea gloriæ ambitio, sed vestra vesterque defectus charitatis. Si enim vere Deum diligeretis eique uni placere studeretis, utique me ab eo missum et tam clare in Scriptura descriptum agnosceretis. Sic et hodie hæreseos causa in multis est vitiatus amor; quia scilicet multi amant libertatem carnis, quam docet hæresis, nec amant Deum, qui eam stringit et velat.

Aliter hæc cum præcedentibus nectit Cyrillus, *q. d.* Non hæc magna de me prædicavi propter claritatem, ut scilicet humanam laudem aucuper, sed ut cognoscatis (sicut ego cognosco) dilectionem Dei non esse in vobis, qua privati, quomodo poteritis ad me, qui Filius sum Dei, venire?

Aliter quoque Chrysostomus et Euthymius, *q. d.* Vos, o Scribæ, me persequimini, non ex zelo Dei, quod Deum Deique honorem diligatis, sed ex odio et invidia; nam ego tot testimoniis probavi me esse a Deo missum.

Aliter denique Toletus et Maldonatus, *q. d.* Ego prædico me esse Messiam et Dei Filium, non quod quæram vanam hominum gloriam, sed quia cognovi, id est cognosco, vos dilectionem Dei, quæ ad vitam æternam ducit, non habere; ut scilicet ad dilectionem hanc per fidem, qua in me credatis, adducam.

43. EGO VENI IN NOMINE PATRIS MEI, ET NON ACCIPITIS ME: SI ALIUS VENERIT IN NOMINE SUO, ILLUM ACCIPIETIS. — « In nomine Patris, » quasi Filius missus a Deo Patre, ut ejus nomine et auctoritate, atque ad illius unius laudem et gloriam impleam illa quæ ipse vobis de Messia promisit; nimirum ut per illum Dei notitiam, gratiam, salutem et vitam æternam vobis largiatur; idque tot testimoniis quæ Pater mihi dedit, vobis clare probavi; et tamen « non accipitis me, » sed ut pseudoprophetam refutatis: quare justo Dei judicio fiet, ut, si alius pseudopropheta ad vos venerit, non missus a Deo, sed « in nomine suo, » id est sua auctoritate, sua ambitione, sua audacia sese ingerens, fingens jactansque se esse Messiam, illum ut talem recipiatis. « Alius » ergo hic erit Antichristus, cui credent Judæi, qui Christum respuerunt, juxta illud Pauli, II *Thessal.* II, 10: « Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. » Vide ibi dicta. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, Beda, Leontius et passim veteres. Rursum, « alius » quilibet pseudopropheta, fingens se esse Christum, ideoque Antichristi præcursor hic accipi potest, qualis fuit paulo post Christum Ægyptius ille, qui triginta hominum millia post se duxit in exitium, de quo Josephus, lib. II *Belli*, cap. XII. Item *Ben chosba*, id est filius mendacii, qui se falso vocabat *Barchocabas*, id est filium stellæ, sub Adriano Imperatore, de qu Eusebius, lib. IV *Histor.*, cap. VI.

44. QUOMODO VOS POTESTIS CREDERE, QUI GLORIAM AB INVICEM ACCIPITIS; ET GLORIAM QUÆ A SOLO DEO EST, NON QUÆRITIS? — *q. d.* Vos gloriam humanam, brevem et exilem captatis: quare me spernitis, qui gloriam humanam contemno et contemnendam doceo; sectandam vero esse divinam et æternam, quam Deus Sanctis inchoat in terra, sed perficiet in cœlo, ubi eos omni gloria cumulabit ac beabit. Ita Theophylactus.

Rursum, *q. d.* Vos vultis coli a populo, quasi sapientes summique legis doctores, ac religiosissimi ejus observatores: quare non vultis mihi subjici meique fieri discipuli. Ambitio ergo est, quæ vos excæcat et in infidelitate vestra obdurat.

45. NOLITE PUTARE QUIA (quod) EGO ACCUSATURUS SIM VOS APUD PATREM: EST QUI ACCUSAT VOS MOYSES, IN QUO VOS SPERATIS. — Audi Cyrillum: « Non opus est alio accusatore, sed etiam cæteris omnibus silentibus, solam Moysis legem, ad condemnationem non credentium in se Judæorum sufficere asserit. » Mosen nominat, quia Judæi totam suam fidem et spem in Moyse locabant. Unde dicebant: « Nos Moysi discipuli sumus: nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit, » *Joan.* IX, 28. Quare Christus « sagaciter hoc in ipsorum caput retorquet, » ait Euthymius. Unde sequitur:

46. SI ENIM CREDERETIS MOYSI, CREDERETIS FORSITAN ET MIHI: DE ME ENIM ILLE SCRIPSIT. — « Forsitan: » sic Interpres noster vertere solet Græcum ἄν, id est *utique*; quod proinde confirmantis est, non dubitantis, *q. d.* Si Moysi crederetis, utique mihi quoque crederetis. Quare veteres nonnulli non legunt τὸ *forsitan*. Vide dicta *Matth.* XI, 23.

DE ME ENIM ILLE SCRIPSIT, — tum in Levitico totoque Pentateucho; nam omnes ejus cæremoniæ et historiæ fere me præfigurarunt: ita S. Chrysostomus et Cyrillus; tum clare et diserte de me scripsit *Deuter.* XVIII, 15 et 18, dicens: « Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, et ponam verba mea in ore ejus. qui autem verba ejus, quæ loquetur ir meo, audire noluerit, ego ultor ex sum scripsit de Christo Mose

ubi et tempus venturi Messiæ ex oraculo Jacobi assignat dicens : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. » Jam autem a Juda sceptrum defecerat translatumque erat ad Herodem : ergo erat jam tempus adventus Messiæ.

47. SI AUTEM ILLIUS LITTERIS NON CREDITIS : QUOMODO VERBIS MEIS CREDETIS? — Est argumentum ad hominem; Judæi enim Mosen præferebant Christo; quare recte contra eos argumentatur : Si vos Moysis, quem vos summi facitis, litteris quas de me scripsit; non creditis, multo minus meis verbis credetis. Frustra ergo tot testimonia profero, cum vos in mei odio et rebellione obfirmatos obstinatosque videam. Sermonem ergo finio, taceo et abeo.

# CAPUT SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus quinque panibus et duobus piscibus pascit quinque hominum millia. Secundo, vers. 17, ambulat super mare. Tertio, vers. 27, disputat de cibo animæ spiritali. Quarto, vers. 35, agit de pane Eucharistiæ.*

1. Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis; 2. et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. 3. Subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis. 4. Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum. 5. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum : Unde ememus panes, ut manducent hi? 6. Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus. 7. Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. 8. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas, frater Simonis Petri : 9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos? 10. Dixit ergo Jesus : Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. 11. Accepit ergo Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter et ex piscibus quantum volebant. 12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. 13. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant. 14. Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant : Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum. 15. Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. 16. Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare. 17. Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum; et tenebræ jam factæ erant; et non venerat ad eos Jesus. 18. Mare autem, vento magno flante, exsurgebat. 19. Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, et proximum navi fieri, et timuerunt. 20. Ille autem dicit eis : Ego sum, nolite timere. 21. Voluerunt ergo accipere eum in navim; et statim navis fuit ad terram, in quam ibant. 22. Altera die, turba quæ stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent; 23. aliæ vero supervenerunt naves a Tiberiade juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agente Domino. 24. Cum ergo vidisset turba quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum quærentes Jesum. 25. Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei : Rabbi, quando huc venisti? 26. Respondit eis Jesus, et dixit : Amen, amen dico vobis : quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia mandu-



castis ex panibus, et saturati estis. 27. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus. 28. Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus ut operemur opera Dei? 29. Respondit Jesus, et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. 30. Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum ut videamus, et credamus tibi? quid operaris? 31. Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare. 32. Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. 33. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. 34. Dixerunt ergo ad eum : Domine, semper da nobis panem hunc. 35. Dixit autem eis Jesus : Ego sum panis vitæ; qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquam. 36. Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et non creditis. 37. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; et eum qui venit ad me, non ejiciam foras; 38. quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. 39. Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, Patris; ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. 40. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me; ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. 41. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, 42. et dicebant : Nonne hic est Jesus, filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic : Quia de cœlo descendi? 43. Respondit ergo Jesus, et dixit eis : Nolite murmurare in invicem : 44. nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum : et ego resuscitabo eum in novissimo die. 45. Est scriptum in Prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. 46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem. 47. Amen, amen dico vobis : Qui credit in me, habet vitam æternam. 48. Ego sum panis vitæ. 49. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. 50. Hic est panis de cœlo descendens; ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. 51. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. 52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. 53. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? 54. Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 55. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. 56. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. 57. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. 58. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me. 59. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. 60. Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum. 61. Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? 62. Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis : Hoc vos scandalizat? 63. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? 64. Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. 65. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum. 66. Et dicebat : Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. 67. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant. 68. Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire?

ubi et tempus venturi Messiæ ex oraculo Jacobi assignat dicens : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. » Jam autem a Juda sceptrum defecerat translatumque erat ad Herodem : ergo erat jam tempus adventus Messiæ.

47. SI AUTEM ILLIUS LITTERIS NON CREDITIS : QUOMODO VERBIS MEIS CREDETIS? — Est argumentum ad hominem; Judæi enim Mosen præferebant Christo; quare recte contra eos argumentatur : Si vos Moysis, quem vos summi facitis, litteris quas de me scripsit; non creditis, multo minus meis verbis credetis. Frustra ergo tot testimonia profero, cum vos in mei odio et rebellione obfirmatos obstinatosque videam. Sermonem ergo finio, taceo et abeo.

# CAPUT SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus quinque panibus et duobus piscibus pascit quinque hominum millia. Secundo,* vers. 17, *ambulat super mare. Tertio,* vers. 27, *disputat de cibo animæ spiritali. Quarto,* vers. 33, *agit de pane Eucharistiæ.*

1. Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis; 2. et sequebatur eum
multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. 3. Subiit
ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis. 4. Erat autem proximum Pascha,
dies festus Judæorum. 5. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo
maxima venit ad eum, dixit ad Philippum : Unde ememus panes, ut manducent hi? 6. Hoc
autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus. 7. Respondit ei Phi-
lippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid
accipiat. 8. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas, frater Simonis Petri : 9. Est puer
unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces; sed hæc quid sunt inter
tantos? 10. Dixit ergo Jesus : Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in
loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. 11. Accepit ergo Jesus panes,
et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter et ex piscibus quantum vole-
bant. 12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : Colligite quæ superaverunt frag-
menta, ne pereant. 13. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmen-
torum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant. 14. Illi
ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant : Quia hic est vere pro-
pheta, qui venturus est in mundum. 15. Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent
ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. 16. Ut autem
sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare. 17. Et cum ascendissent navim,
venerunt trans mare in Capharnaum; et tenebræ jam factæ erant; et non venerat ad eos
Jesus. 18. Mare autem, vento magno flante, exsurgebat. 19. Cum remigassent ergo quasi
stadia viginti quinque aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, et proximum
navi fieri, et timuerunt. 20. Ille autem dicit eis : Ego sum, nolite timere. 21. Voluerunt
ergo accipere eum in navim; et statim navis fuit ad terram, in quam ibant. 22. Altera
die, turba quæ stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia
non introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent; 23. aliæ
vero supervenerunt naves a Tiberiade juxta locum ubi manducaverant panem, gratias
agente Domino. 24. Cum ergo vidisset turba quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus,
ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum quærentes Jesum. 25. Et cum inve-
nissent eum trans mare, dixerunt ei : Rabbi, quando huc venisti? 26. Respondit eis Jesus,
et dixit : Amen, amen dico vobis : quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia mandu-



castis ex panibus, et saturati estis. 27. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet
in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.
28. Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus ut operemur opera Dei? 29. Respondit Jesus,
et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. 30. Dixerunt ergo ei :
Quod ergo tu facis signum ut videamus, et credamus tibi? quid operaris? 31. Patres nostri
manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis mandu-
care. 32. Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : non Moyses dedit vobis panem
de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. 33. Panis enim Dei est, qui de
cœlo descendit, et dat vitam mundo. 34. Dixerunt ergo ad eum : Domine, semper da nobis
panem hunc. 35. Dixit autem eis Jesus : Ego sum panis vitæ; qui venit ad me, non esu-
riet; et qui credit in me, non sitiet unquam. 36. Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et
non creditis. 37. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; et eum qui venit ad me, non
ejiciam foras; 38. quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed volunta-
tem ejus qui misit me. 39. Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, Patris; ut omne
quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. 40. Hæc est
autem voluntas Patris mei, qui misit me; ut omnis qui videt Filium, et credit in eum,
habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. 41. Murmurabant ergo
Judæi de illo, quia dixisset : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, 42. et dicebant :
Nonne hic est Jesus, filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo
dicit hic : Quia de cœlo descendi? 43. Respondit ergo Jesus, et dixit eis : Nolite murmu-
rare in invicem : 44. nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum :
et ego resuscitabo eum in novissimo die. 45. Est scriptum in Prophetis : Et erunt omnes
docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. 46. Non quia Patrem
vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem. 47. Amen, amen dico vobis : Qui
credit in me, habet vitam æternam. 48. Ego sum panis vitæ. 49. Patres vestri manduca-
verunt manna in deserto, et mortui sunt. 50. Hic est panis de cœlo descendens; ut si quis
ex ipso manducaverit, non moriatur. 51. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.
52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis quem ego dabo, caro
mea est pro mundi vita. 53. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest
hic nobis carnem suam dare ad manducandum? 54. Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen
dico vobis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non
habebitis vitam in vobis. 55. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem,
habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. 56. Caro enim mea vere
est cibus, et sanguis meus vere est potus. 57. Qui manducat meam carnem, et bibit meum
sanguinem, in me manet, et ego in illo. 58. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo
propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me. 59. Hic est panis, qui
de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui
manducat hunc panem, vivet in æternum. 60. Hæc dixit in synagoga docens, in Caphar-
naum. 61. Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt : Durus est hic sermo, et quis
potest eum audire? 62. Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc
discipuli ejus, dixit eis : Hoc vos scandalizat? 63. Si ergo videritis Filium hominis ascen-
dentem ubi erat prius? 64. Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam. Verba
quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. 65. Sed sunt quidam ex vobis, qui non
credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset
eum. 66. Et dicebat : Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit
ei datum a Patre meo. 67. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non
cum illo ambulabant. 68. Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire?

69. Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. 70. Et nos credimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei. 71. Respondit ei Jesus : Nonne ego vos duodecim elegi; et ex vobis unus diabolus est. 72. Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem : hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

1. POST HÆC ABIIT JESUS TRANS MARE GALILÆÆ, QUOD EST TIBERIADIS; — *q. d.* Mare hoc nunc vocatur *Galilææ*, quia illi erat conterminum : nunc *Tiberiadis*, quia illi adjacebat civitas dicta Tiberias a Tiberio Cæsare, in cujus gratiam fuit condita ab Herode Tetrarcha, teste Josepho, lib. XVIII *Antiq.*, cap. III. Nominat Tiberiadem, quia juxta eam erat desertum in quo Christus quinque panibus pavit 5 000, uti ostendi *Matth.* XIV, 13.

POST HÆC, — non statim, sed post unum fere annum. Curatio enim paralytici, indeque consequens disputatio Christi cum Judæis, de qua paulo ante cap. V egit Joannes, contigit initio anni 2 prædicationis Christi; hæc vero quæ hic narrat, contigerunt in fine ejusdem anni. Id patet ex eo quod Christus paralyticum curarit in Paschate, ut patet cap. V, vers. 1, hæc autem gessit instante Paschate sequentis anni, ut patet hic vers. 4. Omittit ergo Joannes hic ea quæ gessit Christus toto anno 2 prædicationis suæ, scilicet creationem duodecim Apostolorum, sermonem Christi in monte, quem recenset Matthæus, cap. V, VI et VII, missionem Apostolorum ad prædicandum, multaque alia quæ recensui in Chronotaxi a num. 20 usque ad 29. Omittit autem idcirco, quod illa plene et fuse narrata sint ab aliis Evangelistis. Hic vero inserit narrationem multiplicationis panum factæ a Christo, etiamsi ab aliis Evangelistis recensitæ, eo quod illa fuerit occasio sermonis Christi de cibo spirituali et cibo Eucharistiæ, quam fuse hic subjungit Joannes, eo quod ab aliis Evangelistis sit prætermissa.

2. ET SEQUABATUR EUM (navi euntem) TURBA MAGNA, — pedestri itinere fluxuoso circumeundo mare Galilææ, ut ait Matthæus, cap. XIV, vers. 13.

5. DICIT AD PHILIPPUM : UNDE EMEMUS PANES, UT MANDUCENT HI? — Nota : Hic fuit ordo rei gestæ : Christus videns e monte turbam se sequentem et quærentem, ex monte ad illam descendit illamque benigne excepit, docuit, et ægros in illa sanavit usque ad vesperam, qua imminente discipuli monuerunt Christum ut turbam dimitteret, ac corpus cibo reficeret : Christus vero jussit ut ipsi prius turbam famelicam pascerent. Negant ipsi sibi id esse possibile, eo quod ducentorum denariorum panes tantæ turbæ non sufficerent : mox Christus rem proponit Philippo, forte quia is magis sollicitus, præ aliis urgebat Christum, ut dimissa turba cœnaret; Philippus idem respondit quod cæteri, ducentorum denariorum panes non sufficere. Jam cætera usque ad vers. 27, prosequitur Matthæus, XIV, 13 et seq., ubi illa explicui.

11. ACCEPIT ERGO JESUS PANES, ET CUM GRATIAS EGISSET (Deo Patri, suspiciens in cœlum, implorando Dei opem ad multiplicandos panes, ipsos benedixit, ut habent alii Evangelistæ et Syrus hic), DISTRIBUIT DISCUMBENTIBUS (inter distribuendum panes miraculose multiplicans) : SIMILITER AUTEM ET EX PISCIBUS, QUANTUM VOLEBANT, — pari modo et miraculo eos sensim multiplicans. Christum hac in re imitati sunt S. Dominicus et S. Franciscus. Cum enim in Capitulo generali Ordinis Minorum nihil esset edulii, pleni fide dixerunt : « Eamus, et omnipotentem deprecemur Deum, qui 5 000 hominum præter mulieres et pueros in deserto satiavit; neque enim nunc minoris est potentiæ aut misericordiæ, ut de ejus desperemus bonitate. » Persliterunt ita in oratione, donec de divina eis constitit voluntate. Hora igitur prandii, jussit S. Franciscus fratres in refectorio discumbere. Quod dum faciunt, viderunt ingredi in triclinium viginti adolescentes egregios, succinctos et expeditos ad serviendum, qui et ministrarunt panem, vinum et omne genus obsonii necessarium, recumbentibus numero quingentis. Finito vero prandio, inclinato capite et salutatis Fratribus, bini suo ordine exierunt e refectorio, admirantibus Fratribus et Deum collaudantibus pro tanta in suos cura et providentia. Ita Annales Minorum Lucæ Waddingi, anno Christi 1219, n. 11. Idem Romæ fecit S. Dominicus, ad S. Sixtum : cum enim domi nihil esset cibi, jussit Fratres mensæ accumbere, illique benedixit; et ecce ingressi duo angeli, specie elegantium juvenum, singulis Fratribus (erant enim centum) singulos candidissimos panes apposuerunt, unus a dextris, alter a sinistris, et submissis capitibus disparuerunt. Ita habet Vita S. Dominici, lib. III, cap. IV. Romæ locum hunc visitavi, et veneratus sum, ibique totam rem depictam conspexi.

Providit Deus cibos multis S. Francisci fratribus congregatis, per 20 angelos.

15. UT RAPERENT EUM, ET FACERENT EUM REGEM, — Messiam scilicet, quem Judæi putabant sibi daturum copiam frumenti, vini, olei, auri et argenti, ideoque eum hic regem inaugurare volebant, non tam Christi, quam suo, quod ab eo exspectabant commodo. Talem Messiam etiamnum exspectant crassi Judæi, qui instar Salomonis eis det copiam frugum et opum terræ.

17. ET CUM ASCENDISSENT NAVIM, VENERUNT (Græce ἤρχοντο, id est *veniebant*, hoc est, ut Syrus, *tendebant*, pergebant; nam erant adhuc in mari, ibique tempestatem passi sunt, quam Christus sedavit, ut sequitur) TRANS MARE (Galilææ) IN (id est *versus*) CAPHARNAUM, — quod situm erat in terra



Genesar, ut ait Matthæus, cap. XIV, vers. 43. Jusserat Christus ut irent Bethsaidam, teste Marco, cap. VI, vers. 54; sed cum paulo post ipsi, absente Christo, tempestate maris et vento jactarentur, ultra Bethsaidam, versus Capharnaum, ibique Christus ambulans super mare, illudque sedans eis occurreret : hinc præterita jam Bethsaida, mutato consilio perrexerunt Capharnaum, ubi erat domus et sedes Christi prædicantis; inde rursum postea profecti sunt Bethsaidam, ubi Christus cæcum curavit, ut habet Marcus, cap. VIII, vers. 22.

19. CUM REMIGASSENT ERGO QUASI STADIA VIGINTI QUINQUE AUT TRIGINTA, — id est milliaria italica fere quatuor, nam stadium est octava pars milliaris.

21. VOLUERUNT ERGO (cupiverunt et invitarunt jam agnitum, quem paulo ante putantes esse spectrum, horrebant et aversabantur) ACCIPERE EUM IN NAVIM (et de facto acceperunt, ut ait Marcus, VI, 51) (1), ET STATIM (Christi præsentis ope et virtute) NAVIS FUIT AD TERRAM IN QUAM IBANT. — Nonnus : « Divina agitatione, ait, navis spontanea appellebat ad longinquum portum, veluti mens alata, » puta ad terram Genesar, ut habet Matthæus, XIV, 34, sive Genesareth, ut habet Marcus, VI, 53, quæ prius Cenereth, sive Ceneroth dicebatur ab urbe ita dicta, quæ vicina erat Capharnao, a qua totum mare Galilææ vicinum dictum est stagnum Cenereth, sive Genesareth. Porro, in terra hac Genesareth sita erat urbs Capharnaum, ad quam navigasse et appulisse Jesum cum discipulis, diserte testatur Joannes, cap. VI, vers. 17 et 24 ac 25. Ibi enim habuit prolixam illam de pane cœlesti et Eucharistia disputationem, quam fuse recenset Joannes, cap. VI; nam ibidem, vers. 60, diserte ait : « Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum. » Si quis tamen malit Jesum præcise in terram, id est in urbem Cenereth, navigando appulisse, et inde pedibus ivisse ad vicinam urbem Capharnaum, non repugnabo.

Nota τὸ *et statim* : inde enim sequitur Christum effecisse, ut navis hæc quasi in momento involarit in portum urbis Capharnaum; ideoque in momento quasi confecerit octo vel novem passuum millia, quæ conficiunt totidem milliaria italica; nam tantum distabat Bethsaida a Capharnao. Jam enim discipuli navigantes e loco, ubi Christus paverat 5 000 (qui erat medius inter Bethsaida et Tiberiadem) per 25 vel 30 stadia, uti dixi vers. 19, id est per quatuor fere milliaria italica, versabantur circa, vel paulo ultra Bethsaidam, cum Christus ambulans super mare, occurrens, navimque ingressus, effecit ut navis, ex eo loco volans, quasi in momento perveniret ad portum Capharnai. Ergo effecit ut navis octo vel novem milliaria, quasi in momento conficeret. Hinc disce omnes tuas actiones cum Christo, imo duce Christo peragere; cum illo enim magna efficies, sine illo nihil. Sic Petrus tota nocte sine Christo laborans, nullos pisces cepit; ipso autem præsente et jubente laxans retia, cepit ingentem piscium copiam, *Joan.* XXI, 3 et seq., et iterum *Lucæ* V, 5. Igitur, ut ait Nazianzenus in *Carm.* :

Felix qui Christum fortunis omnibus emit.

22. ALTERA DIE, TURBA, QUÆ STABAT TRANS MARE, VIDIT QUIA ALIA NAVICULA NON ERAT IBI NISI UNA, ET QUIA NON INTROISSET CUM DISCIPULIS SUIS JESUS IN NAVIM, SED SOLI DISCIPULI EJUS ABIISSENT. — « Trans mare : » intellige respectu discipulorum, qui jam in aliud maris littus navigarant, *q. d.* Postridie ejus diei, quo Christus panibus quinque paverat 5000, turba quæ ab eo pasta fuerat, trans mare, hoc est in loco pridiani pastus et convivii persistens, cum sciret unam tantum ibi fuisse naviculam, quam soli Christi discipuli conscenderant, relicto in terra Jesu, subaudi : requisivit ibidem eumdem Jesum; non enim sciebat ipsum noctu supra mare ambulantem, ingressum navim appulisse Capharnaum. Sciebat enim ipsum terra non potuisse hoc iter conficere, quin a turba ipse videretur et teneretur.

23. ALIÆ VERO SUPERVENERUNT NAVES A TIBERIADE, JUXTA LOCUM UBI MANDUCAVERANT PANEM, GRATIAS AGENTE DOMINO. — Syrus, *cum benedixisset Jesus*, et benedictione sua panes multiplicasset. Hinc patet locum, in quo Christus panes multiplicavit, fuisse juxta Tiberiadem, adeoque prænavigandum fuisse iis qui Tiberiade navigarent Bethsaidam et Capharnaum, ut patet ex vers. 24. Sensus est, *q. d.* Sparso hoc Christi multiplicationis panum miraculo, multi tum aliunde, tum ex vicina Tiberiade, navibus venerunt ad locum in quo Christus panes multiplicarat, ut Jesum tanta patrantem viderent et audirent.

25. ET CUM INVENISSENT EUM TRANS MARE, DIXERUNT EI : RABBI, QUANDO HUC VENISTI? — « Trans mare, » puta in synagoga urbis Capharnai, ut patet vers. 59. « Quando, » et quomodo « huc venisti? » Scimus enim hesterno die solos discipulos in deserto Bethsaidæ navim conscendisse, te vero ibidem in terra remansisse. Nesciebant enim Christum nocte media super mare ambulasse.

26. RESPONDIT EIS JESUS, ET DIXIT : AMEN, AMEN DICO VOBIS : QUÆRITIS ME, NON QUIA VIDISTIS SIGNA, SED QUIA MANDUCASTIS EX PANIBUS, ET SATURATI ESTIS. — Christus modestiæ causa non respondet directe interrogationi illorum, ne cogatur dicere se ambulando super mare eo venisse, itaque se jactare videatur. Respondit ergo id quod magis interrogantium intererat, scilicet, ut a se requirant cibum animæ potius quam corporis. Ait igitur : Quæritis me, non quia vidistis signa, miracula per quæ fidem, pœnitentiam aliasque virtutes evangelicas, quibus ad vitam æternam

(1) Verba ἤθελον λαβεῖν αὐτὸν non significant *volebant eum accipere*, sed reddi debent *lubenter, cupide eum recipiebant*. Sæpius enim Scriptores Græci verbum ἐθέλειν infinitivo alius verbi adjiciunt eodem sensu quo adverbium conjungitur cum verbo finito. Conf. Xenoph. *Cyroped.* I, 4, 3. Æschyl., *Choeph.* 791.

pervenitur, docere et persuadere laboro, *q. d.* Quæritis me, non ut a me cibum animæ accipiatis, quo perveniatis ad vitam æternam, « sed quia manducastis ex panibus, » quos miraculose multiplicavi, ideoque sapidissimos effeci, ut rursus vobis similes impertiar. Multi enim sunt amici ollæ et mensæ, potius quam Christi et salutis æternæ; carnales enim non nisi carnalia sapiunt, quia spiritualia non capiunt.

27. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus. — « Operamini, » Græce ἐργάζεσθε, id est opera, studio et labore vestro contendite, et sedulo curate, ut acquiratis cibum, non corporis qui perit, sed animæ qui non perit. Unde Arabicus vertit, *operamini non ob cibum peritarum* (ut eum operando lucremini. « Omnis enim labor hominis in ore ejus, ait Sapiens, ut scilicet ori suo cibum laborando compararet), sed ob cibum permanentem in vitam æternam. Ergo operamini toto animo, inquit Euthymius, omni cura continue. Non præcipit tantum operari cibum animæ, sed admonuit corporalem cibum obiter curare, animæ vero toto studio. » Similiter Theophylactus : « Oportet vos non omnino deditos esse ventri, sed maxime spiritalem agere curam, et non omnem sollicitudinem in corporalem cibum insumere. »

Assurgit Christus, et turbas traducit a pane corporali, quo paulo ante illas in deserto paverat, ad panem spiritalem multo digniorem magisque necessarium, *q. d.* Ego dedi vobis panem hordeaceum illaboratum, id est sine opere et labore vestro; at vos operamini et laborate totis viribus, ut panem spiritalem comparetis, qui vos alat ducatque ad vitam æternam. Simili modo, cap. IV, ab aqua puteana, Samaritanam traduxit ad aquam spiritalem, ut fideles suos, præsertim sacerdotes et Religiosos, doceret idem facere, ut in colloquiis populum a rebus corporalibus ad spirituales traducere et evehere satagant. Unde ex hac Christi sententia recte colligit Cyrillus : « Nulla igitur, inquit, carnis cura nobis habenda est, sed necessariis et æternis invigilandum : non enim differt a bestiis qui corporis voluptates consectatur, sed qui virtutibus inhæret, et spiritali vitam peragit lege; illisque qui omnino deditus est, quæ nobis divinitus concessa iter ad superos præparant, is mihi videtur seipsum cognovisse, nec ignorasse se rationale animal ad imaginem creatoris esse productum. » Et inferius : « Operemur igitur (ut Salvator ait) non eum cibum, qui lapsus in ventrem, et brevi nos voluptate afficiens, per alvum tandem emissus perit, sed cibum spiritalem, qui corda confirmat et in vitam æternam perducit, quem largiturum se pollicetur. »

Quæres, quis est cibus permanens in vitam æternam, quem Christus operando comparari jubet? hæretici dicti Massaliani, sive Euchitæ, id est precatores, censebant esse orationem, *q. d.* Christus : Nolite operari manibus, quia opus manuum perit, sed mente semper Deum orate, quia oratio est cibus spiritus, qui permanet in æternum. Hi enim hæretici dicebant non esse laborandum manibus, sed semper orandum, uti refert S. Chrysostomus hic, S. Augustinus, lib. *De Hæres.* et alii. Verum hæc est hæresis, quam convellit Paulus, II *Thessal.* III, 10 : « Si quis, inquit, non vult operari, nec manducet. » Et I *Corinth.* IV, 12, loquens de se : « Laboramus, inquit, operantes manibus nostris. »

Dico ergo cibum hunc permanentem esse fidem, charitatem, gratiam, opera bona, ut explicant Judæi vers. sequent., item Sacramenta omniaque illa quæ nos ducunt ad vitam æternam, ac præsertim Eucharistiam, de qua vers. 54. Ita Jansenius, Maldonatus, Bellarminus et alii. Sensim enim et gradatim Christus a minoribus et communibus, ad majora et singularia, puta ad Eucharistiam, conscendit. Unde S. Augustinus : « Credere in eum, inquit, est manducare cibum, qui permanet in vitam æternam. Ut quid paras dentem et ventrem? crede, et manducasti. »

*Secundo*, magis apposite, proprie et precise, cibus hic spiritalis est Eucharistia, uti Christus diserte explicat, vers. 54; ipse enim primo in genere, per modum thesis, cibum hunc vocat cœlestem, et permanentem in vitam æternam : mox vers. 35 a thesi descendit ad hypothesin, ac cibum hunc determinat asseritque se esse hunc cibum : « Ego, inquit, sum panis vitæ; » ac tandem, vers. 54 et sequent.; clare rem totam aperit, dicitque suam carnem et sanguinem in Eucharistia, esse hunc panem et cibum : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, inquit, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Et vers. 56 : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Post sesquiannum enim, paulo ante mortem, instituturus erat sacramentum Eucharistiæ, in eoque carnem et sanguinem suum nobis daturus in cibum et potum spiritalem animæ : intermediis autem hic sententiis crebro hortatur ad fidem, quia hæc summe in Eucharistia est necessaria.

Sensus ergo est, *q. d.* Operamini opera fidei, credite in me meisque dictis fidem adhibete, ita quæretis et reipsa acquiretis cibum Eucharistiæ, qui animam vestram non tantum alet, sed et ducet ad vitam æternam; Christus enim distinguit opus fidei a cibo Eucharistiæ, qui opere fidei parandus est, sicut distinguitur medium a fine, ad quem ducit. Unde mox Judæis opus, quo quasi modo et medio cibum hunc acquirant, poscentibus, Christus, vers. 29, respondet : « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. » Ita Theophylactus : « Cibum manentem, inquit, mysticam dicit sumptionem carnis Domini. » Et Rupertus : « Qui permanet in vitam æternam, id est qui in hac mortali vita manducatus, ad hoc valet, ad hoc proficit, ut vitam



det mundo æternam. » Sic et Toletus, Franciscus Lucas et alii.

Hunc enim Pater signavit Deus. Græce ὁ Θεός, *q. d.* Pater cœlestis, qui est ille magnus, summusque Deus, signavit; Græce ἐσφράγισε, id est *sigillavit*. Jam signatio vel sigillatio hæc Christi est triplex, quarum prima parit secundam, secunda tertiam : prima est divinitatis Christi, secunda et tertia humanitatis ejusdem. *Primo*, ergo, Cyrillus, lib. III, cap. XXIX, sic explicat : « Signari, inquit, pro ungi posuit (signabatur enim qui ungebatur), aut naturaliter ad formam Patris (ut ita dicam) se esse formatum, signationis nomine denotavit; ut dicere videretur : Non est mihi difficile permanentem cibum vobis largiri, quo ad æternæ vitæ inauditas delicias deducemini. » Filius enim est character hypostaseos Dei Patris; character autem quo signatus est a Patre, non est aliud nisi ipsa forma et substantia Deitatis. Hæc Cyrillus, quin et Paulus, *Hebr.* I, 3. « Qui, inquit, cum sit splendor gloriæ, et figura (Græce χαρακτὴρ) substantiæ ejus. » Unde S. Gregorius Nazianzenus, *oration.* 42, Filio hæc dat elogia : « Ille fons vitæ et immortalitatis, illa architypi expressio (id est similitudo, signaculum, ac velut expressa effigies Dei, ait ibidem Nicetas), illud immotum sigillum (id est quod non alteratur, nec ad aliam formam commutatur, ut explicat Nicetas), illa per omnia similis imago, ille Patris terminus et ratio, » Græce ὅρος καὶ λόγος, quæ duo pro eodem accipit Nicetas; *q. d.* Filius est Dei Patris sermo, puta definitio, demonstratio; sicut enim definitio demonstrat id quod definitur, sic Filius demonstrat et quasi definit Patrem. Hæc Nicetas.

Signatio Christi triplex. Prima.

*Secundo*, S. Hilarius, lib. VIII *De Trinit.*, magis proprie et apposite : Pater, inquit, signavit Filium, non in divinitate, communicando illi suam Deitatem, sed in humanitate, cum eam univit Verbo eique communicavit Verbi divinitatem. Nam sigillum, inquit, solet imprimi in materia diversa, quæ sigillata dicitur; sic humanitas sigillata est divinitate Filii. Sic et S. Augustinus et ex eo Toletus : Quia, inquit, Filius, qui est imago et character Patris, est humanitati unitus, propterea humanitas dicitur habere sigillum et characterem Patris.

*Tertio*, S. Chrysostomus et alii multi : Pater, inquit, Filium signavit, id est voce e cœlo delapsa in baptismo : « Hic est Filius meus dilectus, » ostendit, demonstravit, manifestavit, ac miraculis suis, velut sigillis, ipsum Filium suum esse et Messiam promissum confirmavit, qui congruentem cibum impertire valeat omnibus avidis vitæ æternæ. Eodemque recidit, si « signavit » interpreteris, auctoritatem dedit, quia solemus impresso sigillo, fidem et auctoritatem litteris conciliare.

Hic sensus facilior est et planior, sed secundus solidior et sublimior. Verum tertius hic sequitur ex secundo, eumque complet et perficit. Pater enim per suam vocem et miracula, quasi sigilla sua, hominibus testatus est, se humanitatem Jesu signasse divinitate Verbi, illique impressisse formam divinitatis suæ, hoc est, testatus est hunc hominem, puta Jesum vere esse Deum Deique Filium, ut illi auctoritatem docendi, leges ferendi et Ecclesiam novam instituendi daret, et apud homines conciliaret. Unde Glossa : « Signavit, inquit, hoc est, proprio signo a cæteris discrevit. »

28. Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus ut operemur opera Dei? — Cyrillus opinatur Judæos id rogare ex arrogantia, quasi stomachantes in Christum, quod eos velut animæ suæ incurios reprehendisset, *q. d.* Tu nos reprehendis, quasi panes tuos corporeos sectemur, cibum vero animæ negligamus. Dic ergo nobis, quæ nova Dei opera affers, quibus Deo placeamus, et animas nostras pascamus, præter illa quæ nobis dedit Moses, et in Pentateucho conscripsit?

Vers. 28. Quo animo id rogaverint Judæi?

S. Chrysostomus vero censet Judæos hæc ex gula dixisse, eo quod panibus Christi, quibus pasti erant, rursus inhiarent : rogare ergo quæ sint opera Dei, quibus Christus velit ut animas suas pascant, non quod intendant illa facere, sed ut Christi sibi benevolentiam concilient, itaque eum ad panum prorogationem invitent.

Melius S. Augustinus, *tract.* 27, et alii sentiunt Judæos idipsum animo sincero opera hæc operandi dixisse. Multi enim inter eos doctrina Christi excitati, et miraculo hoc panum stimulati, erant salutis suæ cupidi : rogant ergo Christum, quæ opera peragere debeant, quibus cibum illum permanentem, qui animas alat et ad vitam æternam ducat, a Deo obtineant. Unde Jesus sincere rogantibus, sincere respondet, docetque quænam sint opera Dei, non id facturus, si ficte et simulate rogassent.

« Opera Dei » igitur vocant, non tantum illa quæ grata sunt Deo, nec illa quæ sint cibus animæ, illam alens in vitam æternam, ut vult Leontius; quia ex lege Mosis sciebant quænam opera essent grata Deo, et ab eo præcepta; sed « opera Dei » intelligunt illa quæ proprie Deus per Jesum, quem signavit vers. 27, destinavit sanxitque, ut per ea consequamur cibum hunc spiritalem a Jesu prædicatum, qui nos alat ducatque ad vitam æternam. Cum enim audissent cibum hunc esse vitæ æternæ et Deum signasse Christum, ut cibum hunc daret, recte « opera Dei » appellant ea quæ necesse erat operari, ut cibum hunc assequerentur. Quænam ergo illa sint, quærunt a Jesu, non dubitantes ipsum, qui tam potens et liberalis fuerat in corporibus eorum pane alendis, æque imo magis potentem et liberalem fore in cibo animæ edocendo et suggerendo. Ita Toletus.

29. Respondit Jesus, et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille, — id est

in me, qui tot argumentis et miraculis probavi me esse Messiam a Deo missum : nam modestiæ causa de se loquitur in tertia persona, *q. d.* Opus, quo cibum animam alentem in vitam æternam a Deo impetrabitis, est ut credatis in me. Ego enim in me credentibus hunc cibum confero, quia ego ipse sum hic cibus, ut ait ipse vers. 35.

Ut credatis, — et credendo mihi obediatis, meamque legem et doctrinam observetis, et opere impleatis. Sub fide ergo, quasi sub radice Christus et Paulus omnia opera charitatis, pœnitentiæ, temperantiæ cæterarumque virtutum, quas fides excitat et generat, intelligit, uti fuse ostendi canone 2 et 3 *in S. Paulum.* Unde Theophylactus : « Fides, inquit, profecto est opus sanctum et perfectum, et sanctificans illos qui illam habent. Dux enim fit diligens fides ad omnem bonam operationem, et bona operatio conservat fidem. Nam et opera sine fide mortua sunt, et fides sine operibus. »

30. Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi. — « Dixerunt, » qui in turba erant audaciores, Jesum minus cognoscentes et æstimantes. Jam viderant signum multiplicationis panum, quibus Christus pridie paverat quinque millia hominum; sed illud parvi æstimant, ac majus et mirabilius flagitant, *q. d.* Tu, o Jesu, rem magnam, imo summam, a nobis flagitas, ut scilicet in te, quasi in Messiam et Dei Filium credamus : ad hoc non sufficit miraculum multiplicationis panum a te heri factum; nam Moses simile, imo majus fecit; ergo ede signum cœleste et divinum ac condignum, quo Deus testetur te esse Filium suum et nostrum Messiam. Unde explicantes subdunt :

31. Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est (*Psal.* lxxvii, 24): Panem de coelo dedit eis manducare. — *q. d.* Moses aluit patres nostros in deserto (puta sexcenta et plura hominum millia) cibo cœlesti et suavissimo, scilicet manna, idque quotidie per quadraginta annos, quod longe majus est tua hesterna panum multiplicatione; nec tamen Moses idcirco voluit haberi credique Messias et Dei Filius. Cum tu ergo, o Jesu, talis haberi velis, necesse est ut majora Mose edas miracula. Ita S. Augustinus et S. Cyrillus, qui et addit : « Tale etiam a Christo flagitant signum, parumque putantes, quod uno die miraculose nutriti sunt, longi temporis otiosa petunt alimenta. Sic enim assensuros se doctrinæ illius polliceri videntur, » *q. d.* Ale nos per omnem vitam, sicut aluisti heri, uti Moses aluit patres nostros per quadraginta annos; et tunc nos credemus tibi asserenti te esse Messiam Dei Filium. Ita Judæi utpote animales et carnales; cum potius secundum rationem et spiritum sic ratiocinari debuissent : Jesus hic multiplicavit panes, ægros quoslibet curat, dæmones ejicit, mortuos suscitat, pluraque edit signa, quæ non fecit Moses, idque hoc fine et scopo, ut iis quasi Dei signaculis, probet se esse Messiam a Deo missum : ergo vere ipse est Messias. Miraculum enim etiam unicum, certum est testimonium illius rei et veritatis, ad quam probandam inducitur. Moses autem dans manna, aliaque signa edens, illa non fecit hoc fine, ut iis probaret se esse Messiam, sed tantum populi ducem et legislatorem a Deo missum; unde et credidit populus, talemque ipsum habuit. Vos ergo similiter mihi, ait Jesus, credite, meque talem, qualem me esse per miracula demonstro, habetote, scilicet Messiam.

Panem de coelo, — id est cœlestem, in cœlo, id est in aere, ab angelis formatum, indeque in castra Hebræorum depluentem, vel potius ningentem aut grandinantem; manna enim instar granorum grandinis ex aere descendebat. Hebr. *Psal.* lxxvii, 24, est דגן שמים *degan samaim*, id est *triticum cælorum*, id est cœleste. Vide dicta *Exod.* xvi, 14, ubi fuse egi de manna.

32. Dixit ergo eis Jesus, Amen, amen dico vobis : non Moyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum. — Christus hic retundit cavillum Judæorum, eisque ostendit se majorem esse Mose, majoremque panem dare, quam fecerit Moses dando manna. Opponit ergo et præponit panem suum, id est seipsum, sive corpus suum in Eucharistia, uti ipse explicat vers. 35, 51, 54 et seqq., mannæ Mosaico in tribus. Primum est; quod manna dederit Moses, qui erat merus homo, idque soli Israeli, puta solis Judæis in deserto; at panem suum dat Deus Pater, idque toti mundo.

[illegible]

Secundum, quod manna non erat vere panis de cœlo, sed ex aere tantum, ut ros vel grando descendens; dici tamen panem cœli abusive, sicut dicuntur « volucres cœli, » qui in cœlo, id est in aere volitant : at panis suus propria e summo cœlorum, imo e sinu Dei Patris descendat, ac proinde solus sit vere cœlestis et divinus, cujus proinde manna duntaxat erat typus et umbra. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

Tertium inde consequens est, quod manna ad tempus duntaxat aluit corpus; at panis Christi corpus et animam alat et vivificet in æternum. Ita S. Chrysostomus, Leontius, Cyrillus. Esto enim mortem temporalem Christus et Eucharistia a Christianis devote communicantibus non auferat; facit tamen, ut ipsi a morte resurgant, et deinceps non moriantur in æternum. Resurrectio enim est effectus Eucharistiæ, uti patebit vers. 50.

Quartum addit Cyrillus, lib. III, cap. xxxiii, quod Moses non formarit, nec dederit manna, sed Deus per angelos, ad preces Mosis; at panem hunc Eucharistiæ formet et reipsa det ipse Christus : ipse enim sua omnipotentia, quam a Patre cum essentia divina accepit, panem et vinum in



corpus et sanguinem suum transsubstantiat, transelementat et transformat.

Eucharistia est panis verus. Primo.

Panem de coelo verum, — hoc est *primo,* vere cœlestem et divinum, non tantum quoad locum, quod scilicet ex cœlo descendat, sed etiam quoad naturam et substantiam. Panis enim hic est ipse Christus, qui qua Deus, essentiam habet cœlestem et divinam, scilicet eamdem cum Patre deitatem. *Secundo,* « verum, » ait Cyrillus, Chrysostomus et Augustinus, respectu manna; hoc enim Eucharistiæ erat figura duntaxat. In Eucharistia ergo est veritas, in manna umbra veritatis. *Tertio,* « verum, » quia vivificum, qui scilicet dat vitam, tum animæ, tum corpori, ut ait Christus vers. seq. Ita Cyrillus et Augustinus. *Quarto,* « verum, » id est perfectum, eximium, in quo est omnis plenitudo, tam essendi quam alendi, quia omnis essentia creata, uti erat manna, si cum essentia increata, puta cum Deo, qualis est Christus in Eucharistia, conferatur, non habet esse verum, sed tantum umbraticum. In solo ergo Deo et Christo est veritas, id est soliditas et plenitudo essendi, ac instar panis perfectissime alendi. Hoc est quod Deus ait Moysi : « Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me, » *Exodi* iii, 14. Vide ibi dicta.

Secundo.

33. Panis enim Dei est, qui de coelo descendit, et dat vitam mundo. — Probat Christus non manna, sed panem suum, id est seipsum esse panem verum, id est vere cœlestem et divinum, duobus argumentis : *primo,* quia hic solus vere de cœlo descendit; *secundo,* quia hic solus veram vitam dat mundo, puta vitam beatam et æternam, quæ sola est vera vita. Nota : hic panis vocatur « Dei, » quia a Deo solo formatus, et quia soli Deo proprius : Deus enim vivit seipso et sua divinitate; et quia panis hic vere est Dei Filius, ipseque Deus.

Descendit, — non in præterito, sed in præsenti. Græcum enim καταβαίνων est præsentis temporis. To ergo « descendit, » significat continuationem descensus Christi in altare Eucharistiæ usque ad finem mundi. Quoties enim sacerdos consecrat Eucharistiam, toties Christus, qui post mortem ad cœlum ascendit, ex eo ad species panis consecratas descendit, in illisque præsentem sistit et exhibet.

Dat. — Arabicus, *dono dat.* Ingens utique donum est Christus, qui est ipsa vita, vivificans omnes fideles rite communicantes per universum mundum, eisque dans vitam cœlestem divinamque gratiæ, et postea gloriæ in omnem æternitatem.

34. Dixerunt ergo ad eum : Domine, semper da nobis panem hunc — illaboratum, ut sine labore, in suavi otio panem hunc læti comedamus, qui nobis vitam proroget, instar ligni vitæ in paradiso, ut annos Nestoreos vivamus. Judæi enim carnales needum intelligebant panem Christi spiritualem, nec nisi terrenum cogitabant. « Adhuc sensibile quiddam, ait Chrysostomus, suspicabantur, adhuc ventrem implere exspectabant. » *q. d.,* ait Augustinus : Da panem « qui reficiat, et non deficiat. » Nam, ut ait Cyrillus : « Etsi multis verbis carnali eos a sensu Salvator removerit, nihil tamen proficiunt, neque a carnalibus ullo modo recedunt : quippe panem audientes, quo vita mundo datur, terrestrem intelligebant. Similes sunt Samaritanæ illi mulieri, quæ cum longam de intelligibili aqua Christi orationem audisset, ad sensibilium memoriam aquarum labebatur, dicens : Da mihi, Domine, hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. »

35. Dixit autem eis Jesus : Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquam. — Syrus et Arabicus, *in æternum.* Hic Christus Judæis postulantibus panem alentem in vitam æternam, illum aperit et offert, asseritque esse seipsum. Ipse enim per gratiam et spiritum suum, quem fidelibus inspirat, eos alit, ut semper vivant; sed proprie eos alit per panem Eucharistiæ, de quo omnis hic Christi est sermo. Audi Cyrillum : « His verbis subostendit sanctissimi sui corporis vitam et gratiam, qua in nobis unigeniti proprietas, id est vita, et ingreditur et permanet. » Christus enim in Eucharistia recte vocatur panis : *primo,* quia panem consecrando transformat in corpus suum, quod sub speciebus panis, annihilata panis substantia, solum remanet; *secundo,* quia instar panis famem aufert, nutrit, sustentat vitam, satiat, exhilarat. Audi Cyrillum : « Non enim illud verum manna, et verus cœlestis panis fuit; sed ipse unigenitus Filius verus panis est, qui cum sit ex substantia Patris, naturaliter vita est cuncta vivificans. Ut enim panis hic terrestris facit, imbecillitatem carnis nostræ sustinens atque conservans, ita et ipse per Spiritum Sanctum, spiritum nostrum vivificat, et corpus ipsum a corruptione liberat. »

Christus in Eucharistia recte vocatur panis.

Panis vitæ, — id est vivus, vitalis, vivificus, imo ipsa vita. Alludit ad lignum vitæ, *Gen.* ii, 9. Sicut enim hoc lignum, id est arbor vitæ, suo fructu sive pomo, Adæ in paradiso dedisset vitam : *primo,* longævam, ad aliquot annorum millia, donec Deus eum e paradiso vivum transtulisset in cœlum; *secundo,* sanam et robustam; *tertio,* constantem, ut nunquam morbum aut senium sensisset; *quarto,* lætam et hilarem; pepulisset enim omnem mœstitiam et melancholiam : sic multo magis hæc omnia præstat Eucharistia, quæ non tantum longævam, sed et æternam vitam communicantibus confert : unde arbor vitæ fuit figura Eucharistiæ, uti docet S. Irenæus, lib. V, cap. ii. Porro, Eucharistia non tantum animam, sed et corpus nutrit et vegetat, uti docent Theologi; imo S. Joannes abbas, teste Palladio in *Lausiaca,* cap. lxi, S. Catharina Senensis, S. Maria Oigniacensis, S. Ebrulphus abbas apud Surium, tom. VI, pluresque alii sola Eucharistia, sine alio cibo, multo tempore vixerunt.

Eucharistia etiam corpus nutrit et vegetat.

Quin et Ludovicus Pius Imperator, in supremo morbo quo obiit, totos 40 dies jejunus transegit, Eucharistiam solam quotidie sumens, ut qui adfuit ei scriptor testatur, quem citat Thomas Bozius, tom. II *De Signis Eccles.*, lib. XV, cap. II.

QUI VENIT AD ME, NON ESURIET; ET QUI CREDIT IN ME, NON SITIET UNQUAM. — Quia dabo ei panem, qui omnem famem; et potum, qui omnem sitim satiet. Dixit Christus se esse panem vitæ, hic modum panem hunc assequandi assignat; nimirum ut quis ad eum veniat, hoc est in eum credat, uti Christus mox exponit : ita S. Augustinus; ad Christum enim venimus, passibus non corporis (sic enim Judæi increduli et crucifixores ad eum venerunt), sed mentis, scilicet fidei, obedientiæ et charitatis, « non esuriet, » unquam : hoc enim repetendum est ex τῷ *non sitiet unquam.* Sensus est, *q. d.* Manna comestum sedabat famem, sed ad tempus duntaxat : at ego qui sum panis vitæ, si vel semel comedar in Eucharistia, comedenti confero plenam satietatem, ut alium cibum non requirat, imo ut nullam deinceps esuriem sentiat, quia confero illi vitam gratiæ et gloriæ, beatam et immortalem, quæ omne hominis desiderium implet et satiat, ut patebit vers. 40 et seq.

ET QUI CREDIT IN ME, NON SITIET UNQUAM. — Quia dabo ei in Eucharistia potum sanguinis mei, quo plene refectus et satiatus nunquam sitiet. Audi Cyrillum : « Quid igitur Christus pollicetur? corruptibile certe nihil, sed benedictionem, quam communicatione corporis atque sanguinis Christi assequimur : unde ad eam incorruptionem integre reducemur, ut cibo et potu corporali non indigeamus. Vivificat enim corpus Christi, et ad incorruptionem sua participatione reducit. » Esto enim fideles laici non sumant, nec bibant Eucharistiam sub specie vini, uti faciunt sacerdotes, sed eam comedant sub specie panis duntaxat; tamen sub illa non tantum comedunt corpus Christi, sed et bibunt sanguinem Christi, quia sanguis a corpore Christi, utpote immortali et glorioso, separari nequit. In spiritualibus enim idem est esurire et sitire, idem est cibus et potus. « Qui venit ad me, inquit Augustinus, hoc est quod ait, Et qui credit in me; et quod dixit : Non esuriet, hoc intelligendum est, non sitiet unquam; utroque enim illo significatur æterna satietas, ubi nulla est egestas. » In summa : « Non sitiet unquam, » id est quod *Psalm.* XXXV, vers. 9, ait : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Simili modo dixit Samaritanæ : « Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, » cap. IV, vers. 13. Vide ibi dicta.

Vers. 36. 36. SED DIXI VOBIS, QUIA ET VIDISTIS ME, ET NON CREDITIS. — « Dixi, » alias, etiamsi id nullibi sit scriptum a Joanne. Ita Chysostomus, Euthymius et alii. Rursum « dixi, » id est sat superque ostendi et probavi vobis, « quia, » id est quod, « vidistis, » id est cognovistis, hoc est ex tot signis et miraculis quæ edidi, cognoscere potuistis et debuistis « me; » et tamen ex obstinatione animi in me « non creditis. » Nam cap. V, vers. 3 et seq., fuse arguit Judæos, quod visis tot signis, in se non credant. Ita Euthymius : « Vidistis, ait, me, sive cognovistis quis ego sim, et a testimonio Joannis, et a signis quæ edidi, et a testimonio Scripturarum, quas vobis aperui, sed voluntate malum operantes non creditis. »

37. OMNE QUOD DAT MIHI PATER, AD ME VENIET; ET EUM QUI VENIT AD ME, NON EJICIAM FORAS. — Est occupatio, *q. d.* Objicietis mihi : Si sciebas nos tibi prædicanti non credituros, cur ergo nobis prædicas? Respondeo : Quia ex vobis sunt aliqui, qui in me credent, nimirum illi quos Pater elegit, mihique dedit ut sint mei discipuli et filii : quo tacite innuit Judæos plerosque, ob suam incredulitatem, non esse sibi datos, nec ad fidem a Deo electos, sed pro iis Deum multos alios, præsertim ex Gentibus elegisse, unde ait : « Omne quod dat mihi Pater, » in genere neutro, non *omnis*, ut magis significet universitatem omnium gentium. « Omne » ergo, id est omnis gentis, omnis generis, omnis ætatis et sexus universitas et populus, cui Pater inspirat affectum fidei, ut sponte et libere in me credat, hic per fidem ad me veniet fietque Christianus et meus discipulus : quare ego eum a me non repellam, nec e domo, id est Ecclesia mea, foras ejiciam, uti vos, o Judæi increduli et rebelles, a me meaque Ecclesia repellam, compellamque in tartara; sed ultro et amanter eum complectar, mecumque ducam ad Ecclesiam triumphantem in cœlis.

Nota : Christus hic ut Judæos incredulos et pervicaces retundat, terreat et percellat, assurgit ad secretum voluntatis et prædestinationis Dei. Vult enim docere quod fides sit donum Dei, quo illi careant. Dat ergo Pater Christo fideles ab æterno, prædestinando et in tempore vocando ad fidem, ea ratione et modo, ut vocati libere Deo vocanti obsequantur et credant, itaque veniant ad Christum. Hæc enim est causa actualis fidei, sive cur quis hic et nunc actu credat in Christum, scilicet gratia Dei excitans hominem ad credendum, et homo libera sua voluntate gratiæ Dei consentiens et credens. Igitur dat Pater nos Christo, cum per gratiam suam prævenientem et cooperantem, facit nos actu converti et libere credere Christo; nam, ut ait hic ipse, omnis qui a Patre datur Christo, reipsa venit ad Christum. Ita S. Augustinus, Cyrillus, Leontius, Chrysostomus et alii.

Adverte Christum hic proprie loqui de prædestinatione ad fidem et gratiam, non ad gloriam, æque ac Paulus. Alludit ad *Psalm.* II, 8 : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. » Unde ait in futuro : « Ad me veniet, » ut Gentes per prædicationem Apostolorum ad se venturas innuat. Audi Cyrillum : « Jam jam venturas Gentes significat, et jacturam gratiæ, quam facturi erant Judæi, minatur. »

Porro, Deus Pater dat fideles Christo, quia Christus hoc obedientia et passione sua meruit. Merita enim Christi sunt causa, non tantum vocationis temporariæ, sed et prædestinationis æternæ fidelium; Deus enim ob prævisa Christi merita, fideles prædestinavit et elegit, uti docet Paulus, *Ephes.* I, 4, dicens : « Elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. » Et mox : « Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipsum. »

NON EJICIAM FORAS. — « Non repellam a me, mea Ecclesia, meo cœlo, sed magna cura refocillabo, » ait Theophylactus. Alludit ad hospitem, qui peregrinos sibi benevolos et amicos ad suum hospitium admittit. Ita Euthymius : « Non abjiciam eum, ait, hic a mea familiaritate, neque ibi a regno cœlorum. » Et Cyrillus : « Non abdicabitur, inquit, neque ut inglorius ejicietur, nec erit expers meæ benignitatis, sed recondetur in horreum, et in cœlestes mansiones divertet, ingredieturque quo mens hominum nequaquam cogitavit. »

Nota : S. Chrysostomus et Cyrillus, lib. III, cap. XXXIX, dicunt illos a Patre dari Filio, qui se per bonum liberi arbitrii usum, Dei vocatione et gratia dignos reddiderunt; quod postea crude secutus Pelagius gratiæ necessitatem negavit, dicens liberum arbitrium sibi sufficere ad bene operandum. Verum hic est error, quem confutat S. Augustinus. « Credere, inquit, Dei gratiæ est; posse credere, naturæ. » Quocirca ipse hic et alibi docet omnes quidem posse credere, bene operari et salvari, quia liberum in omnibus arbitrium gratiæ Dei est capax, et sæpe sufficientem ad salutem gratiam a Deo accipit; solos illos tamen actu credere, bene operari et salvari, quibus Deus dat gratiam efficacem sive congruam : quam scilicet prævidet persuasuram libero arbitrio, ut sibi cooperetur, de quo plura, vers. 44.

38. QUIA DESCENDI DE COELO, UT FACIAM VOLUNTATEM EJUS QUI MISIT ME. — Dat causam Christus, cur non ejiciet foras eum quem Pater sibi dederit, quia scilicet ipse venit in carnem et mundum, hoc fine duntaxat, ut faciat Patris voluntatem, quæ est, ut eos quos Pater vult dare Christo et salvare, hos Christus accipiat et salvet. Unde explicans, subdit : « Hæc est autem voluntas, » etc. Audi S. Cyrillum, in *Conc. Ephes.*, hæc profunde pertractantem : « Dum non suam, sed sui Patris voluntatem se perficere addit, Judæorum vesaniam ex obliquo perstringit, utpote qui suam semper voluntatem constituere satagentes, divinasque leges inefficacientes, de Domini sui placitis nihil quidquam pensi haberent : dum, inquam, suum hoc loco promptum obsequendi studium palam commendat, illorum rebellionem neutiquam obscure incusat. »

39. HÆC EST AUTEM VOLUNTAS EJUS QUI MISIT ME, PATRIS : UT OMNE QUOD DEDIT MIHI, NON PERDAM EX EO, SED RESUSCITEM ILLUD IN NOVISSIMO DIE. — « Omne, » id est omnes omnino, cujuscumque sit gentis, gradus, status, ætatis vel sexus, ut dixi vers. 37. « Non perdam, » id est non sinam perire. Explicat enim id quod dixit : « Non ejiciam foras : » unde id exponens et perficiens, addit : « Sed resuscitem illud in novissimo die, » puta in ultimo mundi die, sive in die judicii, ut scilicet eum in cœlum admittam, ibique eum beem immortalitate et gloria, tam corporis, quam animæ in æternum. Tunc enim cessabit cœlorum motus, ac consequenter tempus, quod motus illorum est mensura; quare erit tunc dierum, mensium et annorum omnium statio et finis.

40. HÆC EST AUTEM VOLUNTAS PATRIS MEI, QUI MISIT ME : UT OMNIS, QUI VIDET FILIUM ET CREDIT IN EUM, HABEAT VITAM ÆTERNAM, ET EGO RESUSCITABO EUM IN NOVISSIMO DIE. — « Qui videt, » Græce θεωρῶν, id est considerans et contemplans Filium, eumque videns oculis, non corporis, sed mentis, hoc est, in eum credens illique obediens. Notat Lactantius, lib. VII, cap. IX, ex Trismegisto, quod hoc verbum θεωρῶν, proprie sit rerum divinarum. Vers.

ET EGO RESUSCITABO. — Græcum ἀναστήσω potest verti et in futuro indicativi modi, « resuscitabo; » et in aoristo conjunctivi, « ut resuscitem, » uti vertit Interpres, vers. 39. Inculcat Christus resurrectionem, quia « spes Christianorum est resurrectio mortuorum, » ait Tertullianus, lib. *De Resurrectione.* Audi S. Chrysostomum, *homil.* 46 : « Vitæ ubique meminit; nam ejus trahimur cupiditate, et nihil suavius quam non mori. Etenim in veteri Testamento, longa vita et multi dies promittebantur : nunc vero non simpliciter vitæ longitudo, sed vita sine fine promittitur; simul et ostendere vult, quod supplicium ex peccato inductum nunc revocat sententiam illam mortis solvendo, et vitæ sempiternæ inducendo, contra superiorum temporum institutionem.

41. MURMURABANT ERGO JUDÆI DE ILLO, QUIA DIXISSET : EGO SUM PANIS VIVUS QUI DE COELO DESCENDI, ET DICEBANT :

42. NONNE HIC EST JESUS, FILIUS JOSEPH, CUJUS NOS NOVIMUS PATREM ET MATREM? QUOMODO ERGO DICIT HIC, QUIA DE COELO DESCENDI? — Murmuratio de rebus bonis, ait Cyrillus, est quasi paterna hæreditas a parentibus sub Mose, ad Judæos sub Christo descendens. Causam murmuris dat Theophylactus : « Huc usque quidem, ait, existimabant de pane sensibili eum loqui, et mansuete eum ferebant; nunc autem quia revelavit eis quod de spirituali pane sermonem haberet, contempto illo murmurant; » quia non capiebant quomodo Christus esset panis vivus, et quomodo de cœlo descendisset, et quomodo ipsi eum manducarent; suæ enim gulæ inhiabant.

43. RESPONDIT ERGO JESUS, ET DIXIT EIS : NOLITE MURMURARE IN INVICEM. — Græce μετ' ἀλλήλων, id



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

est cum invicem, inter vos mutuo, vel etiam contra vos mutuo : innuit enim alios pro se, alios contra se fuisse; atque hac ratione inter se his Christum accusantibus, illis eum defendentibus, certasse, itaque inter se murmurasse. Ita Jansenius.

NOLITE MURMURARE. — Quia nullam murmurandi occasionem vobis præbeo ; nam ego puram meramque dico veritatem, quæ licet ob sui sublimitatem a vobis non capiatur, vos tamen estis in culpa, tum quia mihi obstrepitis et rebellatis, nec a me explicationem meorum dictorum quæritis ; tum quia lumen ad mea dicta intelligendum a Deo non flagitatis. Unde subdit :

44. NEMO POTEST VENIRE AD ME, NISI PATER, QUI MISIT ME, TRAXERIT EUM : ET EGO RESUSCITABO EUM IN NOVISSIMO DIE. — Nota *prima* : Potuisset Christus, ut recte advertit Chrysostomus, respondere et dicere : Non est mirum quod vos, o Judæi, hæc quæ dico, quod scilicet ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, non intelligatis, nec credatis, quia carnales, duri et protervi estis; sed mavult suavius et divinius respondere, scilicet, quod nemo in se credat, nisi cui hoc datum sit a Patre, ut sic ii qui credebant, contra alios qui non credebant, non contenderent, et increduli agnoscerent sibi deesse lumen divinum, ad proxime et plane credendum necessarium, illudque humili prece a Deo et Christo flagitarent, non autem murmurarent; aut certe se deesse illi lumini a Deo oblato, illique esse rebelles adverterent.

Sensus ergo est, *q. d.* Nolite vos, o mihi credentes, contra incredulos murmurare, eo quod meæ doctrinæ tot miraculis confirmatæ non credant; quia fides est donum supernaturale Dei, nec potest quis credere in me, nisi Pater traxerit eum ut credat : illi autem necdum trahuntur a Patre; quare nolite eis indignari, sed rogate Patrem, ut trahat eos, sicut traxit vos : sic enim æque ac vos in me credent. Vos quoque, o increduli, nolite murmurare contra me, meaque dicta, et meos credentes; quia traxit illos Pater, ut credant in me; rogate ergo potius Patrem, ut vos quoque trahat : sic enim æque ac illi credetis in me, et cum illis unanimiter in mea fide, doctrina et Ecclesia conspirabitis. Dicite ergo cum sponsa : « Trahe me post te; » quia sic tracti « curremus in odorem unguentorum tuorum, » *Cantic.* I, 3. Vide ibi dicta.

Nota *secundo*, τὸ *traxerit* non significare coactionem aut necessitatem, nec opponi libertati arbitrii, quasi illam homini adimat, uti volunt Lutherani et Calvinistæ : sic enim trahuntur ligna et saxa; apud homines autem, trahit sua quemque voluptas, hoc est libertas, non necessitas. Ostendis puero saccharum, trahis illum ad te; ostendis ovi ramum viridem, trahis illam ad te; uterque enim trahitur pabuli illecebra : similiter trahitur hominis voluntas, sicut ferrum trahit magnes : sic occulta amoris vi ad Christum tracta fuit S. Agnes. Trahimur « monitione, ait Cyrillus, doctrina, revelatione ineffabiliter facta. » Audi S. Augustinum hic, *tract.* 26 : « Noli cogitare te invitum trahi : trahitur animus et amore. » Et mox : « Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico : Parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porro, si poetæ dicere licuit : Trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio; quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est. » Et post nonnulla : « Da amantem, et sentit quod dico; da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem atque sitientem, et fontem æternæ patriæ suspirantem; da talem, et scit quid dicam : si autem frigido loquor, nescit quid loquor. » Idem, sermone *De Verbis Apostoli* : « Non dixit, inquit, duxerit, sed traxerit. Ista violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede, et venis; ama, et traheris. Ne arbitreris istam asperam molestamque violentiam, dulcis est, suavis est, ipsa suavitas te trahit. Nonne ovis trahitur, cum esurienti herba monstratur? Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur. Sic et tu veni ad Christum, noli longa itinera meditari. Ubi credis, ibi venis. Ad illum enim qui ubique est, amando venitur, non navigando. »

Tractus Dei ergo significat vim et efficaciam gratiæ, sed suavem et blandam, quæ liberum arbitrium non cogat, sed allectet, mulceat et blandiendo flectat ut credat. Item significat imbecillitatem et vitiosas cupiditates hominis quæ fidei et sanctitati Christianæ repugnant, ut homo ad fidem et virtutem Christianam, vehementi gratiæ Dei impulsu, non tam duci, quam trahi indigeat. Hoc est quod ait Christus, *Matth.* XI : « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. » Ebriosus enim debet inferre vim suæ gulæ, luxuriosus suæ libidini, avarus suæ cupiditati, ambitiosus suæ ambitioni. Igitur tractus gratiæ voluntatem in carnem depressam, sursum ad cœlestia elevat, renitentem allicit, infirmam corroborat, tristem exhilarat, timidam animat ad bonum. Quocirca hac Christi sententia passim Patres Latini cum S. Augustino usi sunt contra Pelagianos, ut probarent necessitatem gratiæ. Excipio Græcos, ut S. Chrysostomum, Cyrillum et eorum sequaces, qui Pelagium præcesserunt, ideoque de gratia parce loquuntur, ut liberum hominis arbitrium contra Manichæos extollant. Unde Theophylactus hic ex S. Chrysostomo : Sicut, ait, magnes non trahit nisi ferrum, sic Deus non trahit nisi idoneos; qui scilicet libero arbitrio bene utendo, gratia Dei se dignos efficiunt. Quare caute legendus est hic S. Chrysostomus, dum ait eos qui trahuntur a Deo, hoc ipsum promereri aliqua prævia liberi arbitrii bona voluntate. Hoc si de primo gratiæ tractu, ac de libero arbitrio nudo, omnique gratia destituto accipias, Pelagianum est; Catholicum autem, si de ulteriori tractu ad majorem fidem et virtutem, ac de libero arbitrio jam ab aliqua priori gratia prævento et excitato intelligas.

Nota *tertio* : Quidam a Deo trahuntur inchoative, sive quantum est ex parte Dei, quantumque sufficit, ut possint converti : qui tamen ad Christum non veniunt, nec sese convertunt, quia scilicet Deum trahentem sequi nolunt; et sine tractu hoc simpliciter impossibile est venire ad Christum, perinde ac impossibile est homini sine alis volare. Et de hoc tractu, ait Maldonatus, si quæras cur hic ad Christum trahitur, ille non? Respondeo, quia hic Christum trahentem sequi voluit, ille vero noluit; imo nonnulli jam credentes in Christum, offensi hac carnis ejus manducatione, ab eo resilierunt, uti testatur Joannes, vers. 67, dicens : « Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant; » ac diserte de Juda proditore, vers. 71 : « Nonne, ait, ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? » Alii vero a Deo trahuntur complete, id est pertrahuntur ad Christum, qui scilicet Deum trahentem sequuntur, et de talibus hic quoque agit Christus, ut patet vers. 37 : « Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet : Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. » Idem enim hic est trahi a Patre, quod audire, doceri, discere a Patre. « Quid est trahi a Patre, nisi discere a Patre? » ait S. Augustinus. Ita complete trahuntur illi, quibus Deus gratiam dat, non tantum prævenientem, eamque efficacem et congruam (priores enim qui inchoate trahuntur, habent duntaxat sufficientem), sed et cooperantem. Congrua dicitur, quia eorum qui trahuntur, ingenio, affectui et moribus congruit. Unde Deus prævidet ipsos de facto illi libere consensuros et cooperaturos, itaque convertendos, credituros recteque operaturos. » Et de his ait S. Augustinus : « Si non traheris, ora ut traharis. » Et : « Cur hic trahatur, ille non trahatur, noli judicare, si non vis errare. »

Porro, hæc gratia efficax et congrua est necessaria ad conversionem, fidem et salutem, non simpliciter, sed ex hypothesi, posita scilicet præscientia Dei, qua ipse prævidet hanc gratiam persuasuram libero arbitrio, ut se ad Deum convertat, alteram vero, quæ solum sufficiens est, idipsum illi non persuasuram. Unde pariter prævidet Deus nos gratiæ efficaci et congruæ libere consensuros, sufficienti vero et incongruæ non consensuros, idque ex mera arbitrii libertate. Hoc est quod ait Christus : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum. » Quare



gratia congrua usque ad finem vitæ, est magnum perseverantiæ donum, quod est causa nostræ salutis æternæ, ac proinde sub meritum non cadit; sed est peculiare et summum Dei beneficium, quod Deus suis prædestinatis et electis confert, eosque a non electis et reprobis secernit et distinguit, uti fuse docet S. Augustinus, *De Præd. Sanct.*, cap. XVI, et ex eo S. Thomas et Scholastici, ac Concilium Tridentinum, *sess.* 6, cap. XIII. Quocirca hæc gratia congrua nobis assidue ac humillime a Deo postulanda est per Christi merita; in ea enim vertitur cardo salutis nostræ, quia Deus promisit se daturum nobis quidquid in nomine Christi petierimus, *Joan.* XV, 16.

Denique tractum Dei sæpe impedit ingens cordis humani malitia et obduratio, perinde ac magnetis tractum ferri indomabilis adamas, qui non ferro, nec igne, sed solo hircino sanguine vincitur et frangitur. Audi Plinium, lib. XXXVII, cap. IV : « Adamas dissidet cum magnete in tantum, ut juxta positus ferrum non patiatur abstrahi, aut si admotus magnes apprehenderit, rapiat atque auferat. » Idem tradit Augustinus, in lib. XXI *De Civit. Dei*, cap. IV.

ET EGO RESUSCITABO EUM IN NOVISSIMO DIE. — Ostendit Christus fructum hujus tractus Dei Patris, *q. d.* Ego autem illum, qui a Deo tractus venerit ad me, et in me crediderit, mihique obedierit, hoc præmio donabo, ut eum resuscitem ad vitam et gloriam æternam, si videlicet in mea fide et obedientia usque ad mortem perseverarit.

45. EST SCRIPTUM IN PROPHETIS : ET ERUNT OMNES DOCIBILES DEI. — Arabicus, *a Deo*. Citat Is. LIV, 13 : « Universos filios doctos a Domino. Simile habet Jeremias, XXXI, 33 et 34; et Ezechiel, XI, 19; et XXXVI, 26; et Joel, II, 28. Vide ibi dicta. Quia insolens videbatur Judæis, quod dixerat Christus : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum; » hinc Christus idipsum confirmat ex Isaia et Prophetis, qui asserunt omnes filios, sive discipulos Christi et Ecclesiæ, fore theodidactos, id est doctos a Deo : doceri autem a Deo, est trahi a Deo; *docibiles* enim idem est quod *doctos*. Hebr. enim est לִמּוּדֵי *limmude*. Sic sæpe alibi verbalia desinentia in *bilis*, Interpres noster Latinus pro participio passivo accipit, ut *incredibilis* idem sit quod incredulus, plaga *desperabilis* sit desperata, verbum *persuasibile* sit verbum persuasum, vel persuadens.

Erunt autem docti a Deo, scilicet interius mentem docente, illuminante, afflante, impellente ad vocem externam Christi ejusque discipulorum, ut illi credant et obediant; cum prius in lege veteri Deus exterius magis quam interius, scilicet per Prophetas, per sacerdotes, per S. Scripturas doceret populum. Quare « ubi Deus est magister, ibi cito discitur quod docetur, » ait S. Leo, serm. *De Pentecoste*. Audi S. Augustinum, *tract.* 3 *in epist.* I *S. Joan.* : « Sonus verborum

nostrorum aures percutit, magister intus est. » Et mox : « Omnibus locutus sum, sed quibus unctio illa intus non loquitur, quos Spiritus Sanctus intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus adjutoria sunt quædam et admonitiones : cathedram in cœlo habet, qui corda docet ; propterea ait et ipse in Evangelio : Nolite vobis dicere Magistrum in terra : unus est magister vester Christus. Ipse vobis ergo intus loquitur, quando nemo hominum illic est, etc. Ubi illius inspiratio, illius unctio non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba. »

Omnis qui audivit a Patre, et didicit (Arabicus, *et scit*), venit ad me. — Ecce hic tractum Patris explicat, *q. d.* Trahitur a Patre, qui interius ab eo docetur, id est cujus intellectus a Patre illuminatur et voluntas inflammatur, ut mihi credat meque sequatur ; et didicit, vel discit, hoc est, meam illuminationem in intellectu, et meum impulsum sive inflammationem in voluntate excipit, illique acquiescit et libere consentit : ille « venit ad me, » id est credit in me quasi Messiam, mihique obedit : duo enim pedes, non corporis, sed animæ, quibus illa venit ad Christum, sunt intellectus a Deo illustratus, et voluntas ab eodem impulsa et inflammata. Hinc S. Augustinus, *De Præd. Sanct.* cap. VIII, infert, aitque : « Si omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit, profecto omnis qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit ; nam si audisset et didicisset, veniret. » Ac subdit : « Valde remota est a sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur, et docet, ut veniatur ad Filium. Ibi est et ipse Filius, quia ipse est Verbum ejus, per quod sic docet : nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis. Simul est et ibi Spiritus Patris et Filii ; neque enim ipse non docet, aut separatim docet : inseparabilia quippe didicimus esse opera Trinitatis. » Et post nonnulla : « Cur ergo non omnes docet ut veniant ad Christum, nisi quia omnes quos docet, misericordia docet : quos autem non docet, judicio non docet ; quoniam cujus vult miseretur, et quem vult obdurat ; sed miseretur bonum tribuens, obdurat digna retribuens, etc. Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur et docet ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, et dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promisit. Sic quippe facit filios promissionis vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. »

46. Non quia (non quod) Patrem vidit quisquam, nisi is qui a Deo est, hic vidit Patrem. — « Ne suspicarentur Judæi crassi et rudes, ait Euthymius, quod sensuali modo audiat quisquam a Patre, videns eum humano modo, » ait : « Non quia, » etc., subaudi : Sed quod invisibiliter Deum in mente loquentem, revelantem, illuminantem, et fidem Christi persuadentem audiat, *q. d.* Deus est magister invisibilis, qui a discipulis non videtur, Deus est doctor, non oculorum, nec aurium, sed cordium et mentium.

Nisi is qui a Deo est, — puta ego, qui qua Deus, sum Dei Filius, ex ipso natus, ideoque ipsi intimus, ipsum per essentiam continue video et intueor ; qua homo vero, ab eo sine opera viri formatus, semper ipsius beatifica visione fruor. Ita Cyrillus : « Tanquam Patri consubstantialis, ait, videbit profecto eum ex quo est. » Et Euthymius : « Utpote ejusdem naturæ, substantiæ et scientiæ, et qui est in sinu Patris. »

47. Amen, amen dico vobis : Qui credit in me, habet vitam æternam. — « Habet, » jure et merito, sive in certa spe, sed necdum in re. Redit Christus ad vers. 29, et fidem in se iterum iterumque inculcat, quia hæc est principium omnis boni, radix salutis, ac medium necessarium ad obtinendum a Christo panem vitæ, puta Eucharistiam. Vers. 47.

Vitam æternam. — « Ita nolentes, ait Chrysostomus, firma præmii spe ad fidem impellit : quid enim melius aut suavius mortem et corruptionem timentibus, quam vita æterna ? »

48. Ego sum panis vitæ — alens me comedentes in vitam æternam, *q. d.* Ego iis, a quibus cum vera vivaque fide comedor, tribuo vitam æternam. Idem sæpe repetit et confirmat, ne temere dixisse videatur, quia Judæis videbatur res hæc plane paradoxa et impossibilis. Vers. 48.

49. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.

50. Hic est panis de coelo descendens : ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. — « In deserto » Ista particula, ait S. Chrysostomus, « significat manna non diu durasse, neque in terram promissionis venisse ; mox enim ut illam attigerunt, cessavit manna. » Verum hic Christi panis est perpetuo durans, ait Theophylactus. Audi *Josue* v, 12 : « Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus terræ Chanaan. » Deus enim, sicut non deficit in necessariis, ita in superfluis non abundat.

Et mortui sunt. — *q. d.* Manna patres meos aliorum ciborum aluit, et ab eis mortem non arcuit, nec arcere potuit ; meus autem panis illam arcet.

Ut si quis ex ipso manducaverit (vera fide, viva et charitate formata), non moriatur in æternum. — *q. d.* Manna non habuit vim vitalem præservandi a morte corporea, multo minus animas patrum vestrorum : hic vero meus panis vim habet liberandi a morte, non tantum corporis, sed et animæ, idque in æternum ; licet enim mortem temporalem corporis non auferat, facit tamen ut ex ea fidelis vir resurgat et deinceps non moriatur in æternum : de quo plura vers. 55 et sequenti.



51. Ego sum panis (id est cibus ; est hebraismus) vivus (in me ipso, et me vivum comedentes vivificans eisque meam vitam communicans ; cum manna esset in se inanime et mortuum, ideoque vitam comedentibus se tribuere non posset), qui de coelo descendi, — ratione divini suppositi, ait Suarez. « Cum de cœlo cibum quærerent, ait Chrysostomus, ideo frequenter se de cœlo descendisse testatur. »

52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. — Hic enim panis dat animæ vitam gratiæ, durantem usque ad vitam gloriæ in omnem æternitatem ; corpus vero faciet resurgere a morte, ut gloriosum vivat pariter in æternum.

Calvinus et hæretici contendunt panem hunc non esse corpus Christi in Eucharistia, sed esse panem mysticum ; nos enim mystice comedere corpus Christi per fidem, cum in eum credimus. Idem e Catholicis sensit Jansenius hic, Cajetanus, Gabriel, Ruardus Tapper, Nicolaus Cusanus et Hesselius, quos citat Bellarminus, lib. I *De Eucharistia*, cap. v ; contra quos integrum librum scripsit Didacus Castillus, et alterum Nicolaus Sanderus, illosque refutant Toletus, Maldonatus, Bellarminus et alii passim.

Dico ergo Christum ab hoc loco deinceps loqui ad litteram de Eucharistia. Id adeo certum est, ut Maldonatus dicat idipsum negare esse temerarium et pene erroneum.

Probatur *primo*, quia id clarissime hic asserit Christus, passim jubens nos manducare suam carnem et bibere suum sanguinem, adeo ut clarius Eucharistiæ dogma exprimere non potuerit ; nil enim aliud hic ingeminat, nil aliud audis, quam, « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem. Nisi maducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem. » Sane incredibile videtur, quod Christus rem per se claram et a se toties repetitam, nimirum credendum esse in se, voluerit tot verbis et metaphoris manducandi suam carnem et sanguinem obscurare, præsertim cum prævideret hac de causa multos, etiam discipulos, a se discessuros.

*Secundo*, quia utramque Eucharistiæ speciem distinguit ; carnem enim suam facit cibum, quem comedamus ; sanguinem vero suum facit potum, quem bibamus. « Nisi, inquit, vers. 54, manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Ergo loquitur de Eucharistia, in qua vere et proprie manducamus Christi carnem et bibimus ejus sanguinem. Nam in spirituali manducatione Christi, quæ fit per fidem, potus a cibo, et sanguis a carne distingui nequit : nec enim speciatim et seorsim credere debemus carnem, et deinde sanguinem Christi, sed sufficit in genere et totaliter credere in totam humanitatem Christi.

*Tertio*, quia nusquam in Scriptura efficacia et fructus Eucharistiæ, item præceptum universale illam sumendi, clare exprimitur et inculcatur, nisi hic. Hoc enim præceptum cum sit grave, et omnes fideles obliget, clare exprimi debuit.

*Quarto*, si S. Joannes hic non agat de Eucharistia, ergo nusquam de illa egit. Quis hoc credat de Benjamino Christi, qui in cœna ultima, ubi Christus Eucharistiam instituit, supra pectus recubuit, illum scilicet augustissimum hoc dilectionis Christi monumentum et mysterium omisisse, et silentio involvisse ?

*Quinto*, quia simili modo, cap. III, baptismi institutionem narrat, ac de eo disputationem Christi cum Nicodemo ; sicut hic narrat mysterium Eucharistiæ, ac de ea Christi disputationem cum Judæis. Hæc enim sunt duo Sacramenta fidelibus necessaria, ac quasi duæ bases et columnæ Ecclesiæ Christianæ.

Denique, hæc est communis sententia Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum, item Interpretum ac Doctorum Scholasticorum, scilicet S. Cyrilli, Chrysostomi, Theophylacti, Euthymii, S. Thomæ, Ruperti, Lyrani, Maldonati, Toleti hic et aliorum variis in locis, quos fuse citant Toletus, Ribera, Maldonatus, Sanderus et Didacus Castillus scribentes in hoc caput, ac Bellarminus, lib. I *De Eucharistia*, cap. v.

Pari modo hunc locum de Eucharistia intelligit Concilium Ephesinum, epist. *ad Nestorium* ; Nicenum II, act. 6 ; Cabilonense II, cap. XLVI ; et Senonense, cap. x ; ac Tridentinum, *sess.* XIII, cap. II, et sess. XXI, cap. I. Nec dissentit S. Augustinus, quem multi contrarium putant, ut patet eum diligenter legenti : nam ex hoc loco ipse, imo multi veteres, infantibus quoque dandam esse Eucharistiam contendebant, idque factitatum est per sexcentos annos variis in locis, donec Ecclesia contrarium definivit, scilicet ; Eucharistiam infantibus non esse necessariam, nec expedire illam eis dare ob periculum irreverentiæ. Concilia hunc locum de Eucharistia explicant. Nec dissentit S. Augustinus.

Ubi nota S. Augustinum, præter explicationem litteralem et genuinam hujus loci, quæ est de Eucharistia, adjungere aliam symbolicam et mysticam, ac per panem et cibum hunc intelligere societatem membrorum et corporis Christi, quod est Ecclesiæ, ut comedere carnem Christi, idem sit quod incorporari Ecclesiæ illique aggregari et associari, ac consequenter inseri Christo ejusque spiritum haurire et participare. Id autem facit Augustinus propter Donatistas sui temporis in Africa, quibuscum continua illi fuit disputatio. Hi enim societatem et unitatem Ecclesiæ per schisma diciderunt. Accedit *primo*, quod Eucharistia hujus societatis fidelium in Ecclesia, non tantum symbolum sit, sed et causa. Sicut enim ex multis tritici granis commolitis fit unus panis, et ex multis uvæ acinis pressis confluit vinum ; sic ex multis fidelibus communicantibus fit una societas et Ecclesia. *Secundo*, quod hæc fidelium unio et

societas sit finis et fructus Eucharistiæ, quæ sine illo nihil ad salutem prodest. *Tertio*, quod S. Augustinus sæpe leviter insinuato, et quasi obiter prætertito sensu litterali, utpote facili et aperto, inhæreat spirituali et mystico, utpote obscuriori, subtiliori et sublimiori. Idem facit Origenes, S. Gregorius, S. Hieronymus aliique Patres. Ita S. Augustinum explicat ejus de more assecla S. Bernardus, serm. 3 *in Psal.* XC : « Quid est, ait, manducare ejus carnem, et bibere sanguinem, nisi communicare passionibus ejus, et eam conversationem imitari, quam gessit in carne? Unde et hoc designat illibatum illud altaris Sacramentum, ubi Dominicum corpus accipimus; ut, sicut videtur illa panis forma in nobis intrare, sic noverimus per eam quam in terris habuit conversationem, ipsum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus nostris. »

Dices *primo* : S. Augustinus, lib. III *De Doctrina Christiana*, cap. XVI, asserit in hisce Christi verbis esse tropum, sive figuram, qua præcipiatur passionibus Christi esse communicandum. Respondeo : S. Augustinus figuram hanc vocat, eo quod Christi caro hic non præcipiatur carnaliter laniando, coquenda, itaque comedenda, ut fit in carnibus boum et ovium, sicut Capharnaitæ intelligebant, ideoque offendebantur; sed figurate, id est sacramentaliter. Censet enim hic præcipi, ut in Eucharistia, per species panis et vini a se invicem divisas et quasi mortuas, repræsentemus passionem et mortem Christi, quæ facta est per divisionem animæ et sanguinis a corpore Christi, illamque deinde per mortificationem imitemur ac moribus sanctis exprimamus.

Dices *secundo* : Christus, vers. 27, 29 et 63, agit de manducatione sui spirituali per fidem, ergo et hic de eadem agere pergit, non de sacramentali et corporali, alioqui non loqueretur consequenter et cohærenter. Respondeo *primo*, negando consequentiam; Christus enim sensim voluit rudes Judæos evehere, ac primo eis faciliora, deinde difficiliora et magis arcana proponere. Unde a multiplicatione panum, qua turbam paverat, assurgit ad manna, inde ad spiritalem fidei cibum, vers. 27, 29, 35, 36, 40, 47, inde hoc versu et deinceps, ad realem sui manducationem in Eucharistia, quæ illius miraculi, et multiplicationis panum, ac totius discursus et disputationis ejus in hoc capite est finis, meta et scopus. Simili modo, cap. IV, Samaritanam a corporali aqua et potatione, evexit et traduxit ad spiritalem. Atque hanc evectionem Christus ipse satis insinuat, imo explicat, dum vers. 29 et 35 dixit panem illum jam haberi ab iis qui credunt, hic vero ait panem suum (Eucharistiæ) necdum haberi, ac necdum se illum dare, sed daturum in futuro : « Panis, ait, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » Causa autem hujus varietatis est, quod Christus, vers. 27 et seq., voluerit auditores suos præmunire et præparare ad augustissimum Eucharistiæ mysterium : nam in eo summe requiritur fides et spiritalis manducatio, sine qua realis et corporalis nil prodest, ut ait S. Augustinus.

Respondeo *secundo*, negando antecedens. Christus enim non dixit nos manducare se per fidem, sed fidem requisivit, tanquam medium ad obtinendum ab eo panem et cibum cœlestem, qui non est alius quam ejus caro et sanguis in Eucharistia, uti vers. 27 et seq. annotavi.

Objiciunt *tertio* : Christus ait, vers. 64 : « Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam, » sed illud vers. 64 explicabo.

Ex dictis liquet, in Eucharistia vere et proprie ipsissimam Christi carnem manducari ejusque sanguinem bibi, non autem panem, qui sit carnis Christi typus et figura duntaxat, ut volunt Calvinistæ. Nam figura Eucharistiæ potius erat manna Judæorum, utpote cœleste et sapidissimum, quam panis Christianorum vulgaris et aridus. Et si in Eucharistia est nudus panis, non corpus Christi, ergo perperam Christus Eucharistiam prætulit ipsi mannæ, utpote quod erat sapidius et sublimius pane. Atque ita Christum intellexerunt Capharnaitæ et discipuli Christi; scilicet quod vellet vere et proprie carnem suam manducari, etsi modum manducandi sacramentaliter, sub speciebus panis et vini ignorarent, nec eum, etiamsi explicuisset Christus, hoc tempore capere potuissent; et tamen eos, licet graviter offenderentur, non correxit Christus, cum hanc eorum offensam et apostasiam unico verbo impedire potuisset et debuisset, dicendo se loqui mystice; scilicet quod manducare carnem suam non sit aliud, quam credere se esse incarnatum et passum pro salute hominum. Cum ergo hoc non fecerit, certum est ipsum loqui de manducatione carnis suæ reali et sacramentali in Eucharistia. « Attende, ait Theophylactus, quod panis qui a nobis in mysteriis manducatur, non est tantum figuratio quædam corporis Domini, sed ipsa caro Domini. Non enim dixit : Panis quem ego dabo, figura est carnis, sed : caro mea est. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem et accessionem Sancti Spiritus, in carnem Domini. Et quomodo, ait, non apparet nobis caro, sed panis? ut non abhorreamus ab ejus usu. Nam si quidem caro appanuisset, insuaviter affecti essemus erga communionem. Nunc autem condescendente Domino nostræ infirmitati, talis apparet nobis mysticus cibus, qualibus aliquin assueti sumus. »

Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. — Græca habent : *Panis autem, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita* : itaque legit Syrus, S. Cyrillus, Theophylactus et Theodoretus; Arabicus : *Et panis, quem ego dabo, est corpus meum, quod ego do pro mundi vita.* Sic et Syrus. Sensus est, *q. d.* Panis, id est cibus Eucharistiæ, quem ego dabo in ultima cœna, est caro mea, quam ego dabo, id est offeram Deo in cruce, lytrum et pretium ad mundum e morte redimendum; ut scilicet mundum peccato mortuum, ad vitam gratiæ et gloriæ resuscitem. Aut potius, *q. d.* Panis Eucharistiæ, quem ego dabo in cibum pro mundi vita, erit hæc caro mea, quam in crucem et mortem quoque tradam pro mundi vita; sed ita ut in cruce dem eam ad vitam perditam mundo restituendam; in Eucharistia vero dem eam in cibum, ut mundus per mortem meam resuscitatus ad vitam gratiæ, in ea alatur, crescat et perficiatur, *q. d.* Dabo veram carnem meam in cruce, quasi frumentum in molendino, molendam et pinsendam, ut ex ea fiat panis Eucharistiæ, frugifer et vitalis, alens fideles in vita gratiæ ducensque ad vitam gloriæ. Huc respiciens S. Ignatius jam damnatus ad leones, cum eos rugientes audiret : « Frumentum, ait, Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis Christi mundus inveniar. »

Ex τῷ *dabo*, quod est futuri temporis, omnes veteres, et passim moderni hunc locum accipiunt de Eucharistia, adduntque nonnulli Christum non tantum in cruce, sed et in Eucharistia dare, id est offerre Deo carnem suam pro mundi vita. Christus enim non tantum in cruce obtulit se Deo, quasi victimam cruentam pro mundi vita, sed et pro eadem se offert quotidie in Eucharistia, quasi victimam incruentam. Est enim Eucharistia sive Missa, sacrificium juge, sed incruentum. « Non dixit, inquit Euthymius, panis quem do, sed quem dabo : daturus namque erat in ultima cœna, quando sumptum panem actis gratiis fregit, deditque discipulis, et ait : *Accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Et mox : « Dabo in mortem. Hoc enim crucifixionem suam præsignat, et ultroneam passionem. » Audi et Theophylactum : « Quamvis a Patre dicatur esse traditus, attamen et seipsum tradidisse dicitur; et illud quidem est, ut discamus ejus cum Patre concordiam; hoc autem, ut liberam voluntatem Filii non ignoremus. »

53. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? — « Litigabant, » Græce ἐμάχοντο, id est pugnabant, verbis certabant, contendebant, rixabantur ad invicem, aliis Christum accusantibus, aliis eum defendentibus.

Quomodo. — Quando subit quæstio : Quomodo aliquid fiat, simul subit et incredulitas, inquit Chrysostomus. « Nam cum oporteat eos, ait Cyrillus, qui divinam virtutem Salvatoris ac potestatem signorum miraculo perceperant, sermonem ejus libenter suscipere, et si quæ difficilia videbantur, eorum solutionem quærere, contra omnino faciunt : Et quomodo potest hic? » etc. S. Chrysostomus : « Si hoc inquiris, inquit, cur non quoque idem in miraculo panum dixisti : Quomodo eos in tantum auxit? ex eo enim et hæc credere oportuit ei facilia factu esse. » Est ergo τὸ *quomodo* verbum judaicum, et interrogatio infidelium. Audiant hoc hæretici, qui dicunt : Quomodo Christus tantus totus esse potest in tam parva hostia? Dicant potius ipsi : Quomodo angelus totus est in puncto? Quomodo Deus est ubique? Quomodo anima tota est in toto corpore, et tota in singulis ejus partibus? Et, si hæc dicere et capere nequeunt, quomodo capient mysterium Eucharistiæ? Credant Deo omnipotenti idipsum asseveranti, etsi modum non intelligant. Plura potest Deus facere, quam homo possit intelligere, ait S. Augustinus. « Oportet igitur nos, ait Theophylactus, cum audiverimus, Nisi ederitis carnem Filii, non habebitis vitam, in sumptionibus divinorum mysteriorum indubitatam retinere fidem, et non quærere quo pacto. » Similiter Cyrillus : « Sed nos magnum, quæso, a peccatis aliorum profectum faciamus, et firmam fidem mysteriis adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus, illud Quomodo, aut cogitemus, aut proferamus; judaicum enim hoc verbum est et extremi supplicii causa. » Quocirca sapienter concludit : « Cum Deus operatur, non quæramus quomodo, sed operis sui viam atque scientiam illi soli concedamus. »

54. Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. — Audi S. Chrysostomum et ex eo Euthymium : « Ipsi quidem hoc impossibile judicabant, ipse vero omnino possibile ostendit, neque id tantum, sed et necessarium. » « Et modum quidem quo id fieri possit, non enodavit, ait Cyrillus, sed fide quærendum hortatur : illi vero antequam crederent, importune quærebant. » Similiter S. Augustinus : « Quomodo quidem detur, et quisnam modus sit manducandi istum panem ignoratis; verumtamen nisi manducaveritis, » etc.

Nisi manducaveritis. — Est hoc Christi præceptum de sumenda Eucharistia : quare ex ipsa verborum formula liquet illud ad solos adultos pertinere; licet enim nonnulli veteres idipsum quoque ad parvulos et infantes extenderint, quibus proinde reipsa quoque dabant Eucharistiam ut patet ex S. Augustino, epist. 23 *ad Bonifacium*, et ex S. Cypriano, tract. *De Lapsis*; imo Constantinopoli et alibi, mos erat reliquias Eucharistiæ dare pueris innocentibus et puris, quos e schola ad hoc vocabant in templum, ut liquet ex iis quæ mox dicam de puero Judæo : verum postea Ecclesia definivit parvulos, utpote necdum ratione utentes, hujus præcepti esse incapaces, et ad reverenter illud implendum parum habiles. Unde Concilium Tridentinum, *sess.* XXI, can. 4 : « Si quis dixerit, inquit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit. » Secus est de decreto Baptismi : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, » *Joan.* III, 5. Ibi enim ex formula





ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

verborum liquet, baptismum non tantum præcipi, sed quoque ut medium ad salutem necessarium statui, ideoque parvulos non posse salvari, nisi medio baptismo, licet ejus præcepto non obligentur, imo obligari nequeant. Alii hoc de manducanda Eucharistia præceptum ad parvulos extenderunt, in sensu non litterali, sed mystico, scilicet parvulos debere manducare carnem Christi, id est debere fieri participes corporis Christi mystici, quod est Ecclesia, hoc est debere baptizari, ut Ecclesiæ et Christo per fidem, spem et charitatem eis in baptismo infusam, incorporentur. Ita censet et explicat S. Cyprianus, lib. III *ad Quirinum*, cap. LIII; Innocentius I Pontifex, epist. 93 *ad Patres Concil. Milevitani*, quæ extat suo ordine inter epistolas S. Augustini, *epist.* 106, et lib. I contra epist. 2 *Pelag.*, cap. XII. Verum hoc remotum est et symbolicum, non litterale et genuinum.

Dices : Parvuli debent uniri Ecclesiæ et Christo; atqui hæc unio est effectus et fructus Eucharistiæ (ut docet Concilium Florentinum) : ergo illam debent sumere, ut unionem hanc consequantur. Respondeo, parvulos uniri et incorporari Christo et Ecclesiæ per baptismum; perfectionem vero hujus unionis fieri in Eucharistia, ejusque esse effectum proprium et peculiarem; sed hæc perfectio non exigitur a parvulis, nec necessaria est ad salutem. Ita Suarez.

Hæreticorum objectio de utraque specie laicis danda.

Et biberitis ejus sanguinem. — Hinc Hussitæ, Lutherus, Calvinus et alii contendunt laicis dandum quoque esse calicem Eucharistiæ, ut communicent sub utraque specie. Verum contrarium habet usus et definitio Ecclesiæ, quæ est optima S. Scripturæ interpres.

Respondeo ergo *primo*, quoad rem ipso Sacramento contentam, laicos quoque bibere sanguinem Christi, cum corpus ejus sumunt sub specie panis, quia sub ea vi consecrationis ponitur corpus Christi, per concomitantiam vero sub eadem ponitur sanguis Christi, quia corpus Christi non est exsangue, nec sanguis a corpore Christi glorioso separari potest. Sicut ergo sumens Eucharistiam sub speciebus vini, vi consecrationis verborum directe et primario sumit sanguinem Christi; concomitanter tamen sumit et carnem Christi, quia sanguis Christi sine carne esse nequit : sic vicissim sumens carnem Christi sub speciebus panis, directe sumit carnem Christi, concomitanter tamen sumit et sanguinem. In spiritualibus enim et sacramentalibus, æque ac divinis, idem est cibus et potus, ac consequenter idem est comedere et bibere : quare qui unam tantum speciem sumit, tantum fructus et gratiæ percipit, quantum ille qui utramque sumit. Imo in rebus corporalibus, idem lac simul est cibus et potus, idem panis vino intinctus simul cibat et potat, simul comeditur et bibitur, simul famem et sitim restinguit. Quoad species vero sacramenti, proprie dicitur quis comedere carnem Christi, cum eam sub specie panis manducat; bibere autem ejus sanguinem, cum eum sub specie vini haurit.

An calix laicis præceptus? Neg. ratio.

Dices : Ergo laici debent utrumque facere, quia Christus idipsum jubet hic. Respondeo : τὸ *et biberitis*, hic et alibi sæpe per hebraismum sumitur pro *aut biberitis*; sufficit enim alteram speciem sumere, quia sub qualibet totus et integer continetur Christus. Sic dicitur *Exod.* XXI, vers. 15 : « Qui percusserit patrem, et (id est *vel*) matrem, morte moriatur; » qui enim alterutrum percusserit, reus est mortis. Hic enim τὸ *et*, licet disjungat partes subjecti, scilicet patrem et matrem, tamen conjungit et copulat eas in attributo, puta in pœna mortis. « Argentum et (id est *vel*) aurum non est mihi, » *Act.* III, 6. Similia sunt *Exod.* XXII, 10; *Ezech.* XLIV, 22 et alibi. Ita hic quoque accipi potest, ex eo quod Christus, vers. 51 et 58, de solo pane dicit : « Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. » Et ita Christum explicat Paulus dicens : « Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini, I *Cor.* XI, 27, et Concilium Tridentinum, *sess.* XXI, can. I; Bellarminus, Suarez, Toletus, Maldonatus et alii.

Adde, ex hebraismo repetendum esse τὸ *nisi*, hoc modo : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et nisi biberitis ejus sanguinem, » hoc est si neque manducaveritis, neque biberitis, etc., sive si non manducaveritis, aut non biberitis. Id patet ex Græco, qui pro *nisi* habet ἐὰν μή, id est *si non* manducaveritis, et si non biberitis, hoc est si neutrum feceritis; si videlicet nec manducaveritis, nec biberitis. Ratio a priori est, quod Christus hic respondeat Judæis inter se litigantibus, dicentibusque de sola carne Christi : « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ? » quibus ille respondet : « Amen, amen (id est verissime et certissime) dico vobis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, » etc. Addit vero, « et biberitis ejus sanguinem, » ut confirmet τὸ « nisi manducaveritis carnem : » caro enim vera et viva non est, quæ non habet sanguinem; utque ostendat suam liberalitatem, charitatem et beneficii magnitudinem, qua in Eucharistia plenam refectionem, quæ in cibo et potu consistit, fidelibus apparat. Hoc ergo magis ad beneficium, quam ad præceptum spectat.

Denique Canon est sacræ Scripturæ traditus a S. Augustino, lib. III *De Doctrina christ.*, cap. XVII : Multa præcepta in Scriptura dantur universæ Ecclesiæ, sed implenda per aliquos, non per singulos. Tale est illud : « Crescite et multiplicamini, » *Genes.* I. Jubet enim ut aliqui ducant uxores, et propagent genus humanum, non autem ut omnes et singuli id faciant. Sic hic : « Nisi manducaveritis, » etc., id est nisi sint aliqui (puta sacerdotes) qui Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie sumant, non habebitis vitam in vobis; quia si nulli tales sint, consequenter nulli erunt, qui Sacramentum conficiant, nulli qui ministrent, atque ita peribit totus fructus saluberrimi Sacramenti, inquit Bellarminus, lib. IV *De Eucharistia*, cap. XXV. Sacerdotum enim est utramque speciem consecrare et sumere, ut perfectum non tantum Sacramentum, sed et sacrificium conficiant; hoc enim utramque speciem requirit, tum ut significetur perfecta refectio (sacrificium enim est quasi cibus Dei), quæ in cibo et potu consistit; tum ut perfecte repræsentetur passio et mors Christi, in qua sanguis divisus fuit a corpore Christi : sicut vi consecrationis verborum seorsim consecratur et ponitur caro sub specie panis, et sanguis sub specie vini. Olim quidem laici subinde (non semper) communicabant sub utraque specie in primitiva Ecclesia, ut patet ex Paulo, I *Cor.* XI, 28, et ex Dionysio, *De cœlesti Hierarch.*, cap. III, p. 3, et ex S. Cypriano, serm. *De Lapsis*. Verum crescente numero fidelium, Ecclesia ob irreverentiæ periculum variosque abusus, quos sæpe experta fuerat, merito morem hunc sustulit.



Non habebitis vitam in vobis. — Sine Eucharistia posse haberi vitam spiritalem, qua in gratia et charitate Dei vivat anima fidelis, patet in recens baptizatis; hic tamen dicitur sine illa non posse vitam haberi; quia illa non potest diu retineri, foveri et ali sine hoc cibo, maxime cum præceptum communicandi vel jure naturæ et divino, vel jure humano (Ecclesia enim sanxit ut semel in anno, puta in Paschate, quisque communicet), ad eam sumendum urget et obligat. Unde Rupertus : Non censetur, ait, non manducasse, nisi qui manducare noluit, qui non caravit, qui neglexit : sic vulgo dicimus hominem sine cibo non posse vivere, vel habere vitam, scilicet diu. Hinc S. Basilius, lib. I *De Baptismo* : « Qui, ait, per baptisma regeneratus est, participatione deinceps divinorum mysteriorum nutriri debet. » Simile dat Dionysius Carthusianus : « Sicut, ait, corpus sine corporeo cibo non sustentatur, nec permanet in vita naturali; ita anima sine hoc cibo vivifico non persistit in vita gratiæ spirituali. » Similiter Lyranus : « Sicut in vita corporali cibus est necessarius ad vitam conservandam, ita in vita spirituali hoc Sacramentum est necessarium, quia est vitæ spiritualis conservativum; quia sicut baptismus est quædam spiritualis generatio, ita Eucharistia est quædam spiritalis nutritio. »

Ex dictis liquet fructus et effectus Eucharistiæ, per analogiam ex fructibus panis et cibi colligendos esse; quod enim panis et cibus præstat corpori, hoc Eucharistia præstat animæ, subinde etiam corpori; ut scilicet corpus quoque alat, vegetet, vivificet, imo quandoque morbos sanet, et mortis pericula depellat. Quocirca solebant olim nonnulli navim conscensuri, Eucharistiam secum deferre, ut illam in periculo sumerent, imo periculum arcerent. Ita Gregorius, S. Gregorii Nazianzeni pater, ardentissima et diuturna febri exhaustus, mortique vicinus, ab ea liberatus, vitæque et sanitati restitutus est per Eucharistiam in die Paschatis sumptam, uti refert Nazianzenus *Oratione* quam habuit in funere patris. Idem ibidem narrat matrem suam a gravi et periculoso morbo, panibus a se sacrificante consecratis spiritualiter nutritam, convaluisse. Idem, *Oratione* in funere S. Gorgoniæ sororis suæ, testatur illam a membrorum omnium dissolutione, ac gravissimis cruciatibus, quibus affligebatur, per Eucharistiam fuisse sanatam. S. Ambrosius, *Oratione in* obitu Satyri fratris sui, testatur ipsum in naufragio a certo mortis periculo, per Eucharistiam ad collum appensam evasisse et enatasse. Simile maris periculum effugisse per Eucharistiam Maximianum, Syracusæ Episcopum, narrat S. Gregorius, lib. III *Dialog.*, cap. XXXVI. Sub Justiniano, Imperatore Constantinopoli, Judæi cujusdam filius, cum cæteris Christianorum pueris, reliquias Eucharistiæ more illius ævi sumens, ideoque a patre Judæo in ardentem vitri fornacem (erat enim ipse vitri conflator) conjectus, in illa, virtute Eucharistiæ, vivus et illæsus servatus fuit, anno Domini 552, uti ex Evagrio, lib. IV, cap. XXIV; Gregorio Turonensi, lib. I *Miracul.*, cap. X; Nicephoro, lib. XVII, cap. XXV, narrat Baronius tom. VII, ad annum Christi 552. Denique audi S. Cyrillum hic, lib. IV, cap. XVII, fructus et effectus Eucharistiæ recensentem : « Non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit; nec in quibus sumus peccatis considerat; sed ægrotos curat, collisos redintegrat, et sicut pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit casu. »

55. Qui manducat meam carnem, et (id est vel) bibit meum sanguinem, habet vitam æternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die. — « Manducat, » intellige, digne, ait Rupertus, cum debita præparatione et purificatione, præmittendo actum contritionis et confessionem sacramentalem, si quis alicujus peccati mortalis sibi sit conscius. Si enim post examen nullius sibi sit conscius, et tamen revera sit in peccato mortali sibi occulto, communio Eucharistiæ illud peccatum abolebit, et communicantem Dei gratiæ et charitati restituet, uti docet Suarez et passim Theologi. Porro, Synodus VI Œcumenicus, act. VIII, hunc locum accipit de Eucharistia, asseritque in ea carnem Christi dici vivificam, quia propria est Verbi, eique hypostatice unita.

Habet vitam æternam. — Quia per Eucharistiam recipit gratiam, quæ eum conservet et ducat ad vitam æternam. Ita Dionysius Carthusianus : « Habet vitam æternam, ait, quia habet meipsum, et habet vitam gratiæ, quæ virtute hujus Sacramenti continuatur, donec ad vitam gloriæ sempiternæ pertingat. » Causam dat S. Cyrillus, quia

caro Christi est caro Dei, « quæ Verbo Dei, » quod naturaliter vita est, conjuncta, vivifica effecta est. Eucharistia ergo animam vivificat, quia gratiam conservat, alit, auget : item peccata venialia abolet, mortalia quoque, si quis illorum sit oblitus : corpus vero a morte suscitabit. Unde sequitur : « Et ego resuscitabo eum. » Porro S. Bernardus, tract. *De diligendo Deo*, tropologice hæc Christi verba sic explicat : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Hoc est, ait, qui recolit mortem meam, et exemplo meo mortificat membra sua, quæ sunt super terram, habet vitam æternam. »

Et ego resuscitabo eum in novissimo die, — quo passio Christi, æque ac Sacramenta, præsertim Eucharistia, ultimum et perfectissimum sui fructum et præmium in Sanctis consequantur. « Ego, » qui realiter contineor et comedor in Eucharistia, « resuscitabo » me comedentem, ut, sicut animæ confero suam gloriam, sic similem conferam et corpori ; anima enim gloriosa exigit corpus gloriosum, ut totus homo sit beatus. Audi S. Cyrillum : « Ego, dixit, id est corpus meum, quod comeditur, resuscitabo eum. Non enim alius ipse est quam caro sua. Non id dico, quia natura non sit alius, sed quia post incarnationem, in duos se dividi filios minime patitur. Ego igitur, inquit, qui homo factus sum, per meam carnem in novissimo die comedentes resuscitabo ; nempe impossibile omnino est, ne interitus et mors ab eo, qui naturaliter vita est, superetur. »

Resuscitabo — ad immortalitatem et gloriam. « Ne putarent, inquit S. Augustinus, sic in isto cibo et potu promitti vitam æternam, ut qui eum sumerent, jam nec corpore morerentur; huic cogitationi dignatus est occurrere, continuo subjiciens : Et ego resuscitabo eum in novissimo die ; ut habeat interim secundum spiritum vitam æternam, in requie, quæ Sanctorum spiritus suscipit ; quod autem ad corpus attinet, nec caro ejus vita æterna fraudetur, sed in resurrectione mortuorum in novissimo die. »

Quocirca Concilium Nicænum Eucharistiam vocat « symbolum resurrectionis ; » et S. Ignatius, epist. 14 *ad Ephes.*, nuncupat « pharmacum immortalitatis ; » S. Cyrillus hic, lib. IV, cap. XVI, nominat « cibum nutrientem ad immortalitatem et vitam æternam, » quæ latius explicat cap. XV, et lib. X, cap. XIII. Hinc S. Chrysostomus, lib. VI *De Sacerdotio*, asserit animas eorum qui hoc Sacramentum in fine vitæ suscipiunt, ab angelis propter sumptum hoc Sacramentum, hinc recta in cœlum deduci ; eorum vero corpora, satellitum more stipantibus angelis, custodiri in vitam æternam. Nyssenus vero, orat. *Cateches.*, cap. XXXVII, adjungit « corpus nostrum non posse consequi immortalitatem, nisi corpori huic immortali Christi fuerit conjunctum. » Similia habet S. Cyprianus, serm. *De Cœna Domini*, et Tertullianus, lib *De Resurrectione carnis*. Imo S. Irenæus, lib. IV, cap. XXXIV, ex eo quod communicemus carni et sanguini Christi immortalis, probat resurrectionem, scilicet nos resurrecturos ad vitam immortalem. Hæc omnia sic accipe, non quod per Eucharistiam conferatur corpori aliqua qualitas physica, causans resurrectionem, vel donum aliquod supernaturale, quod ratione gratiæ vel gloriæ animæ sanctæ non debeatur ; sed quod resurrectio debita gratiæ, detur etiam Sanctis alio titulo, qui proprius est et specialis Eucharistiæ, scilicet propter specialem conjunctionem cum corpore Christi glorioso factam per Eucharistiam, idque institutione et promissione Christi. Ita Suarez, III *part.*, *Quæst.* LXXIX, art. 8, disp. 64, sect. 2. Adde, quod Eucharistia conservet, alat et augeat gratiam, quæ semen est gloriæ. Eucharistia ergo est causa instrumentalis resurrectionis, sed moralis, non physica : propter illam enim Christus nos resuscitabit. Unde non ait : « Eucharistia eum resuscitabit ; sed ego resuscitabo eum. »

56. Caro enim mea, vere est cibus ; et sanguis meus, vere est potus. — « Vere, » id est « non parabolice, non ænigmatice, » ait ex Chrysostomo Euthymius, non figurate, sed vere et proprie, ut verba sonant. Hinc S. Chrysostomus, hom. 61 ad *Populum*, docet nos in Eucharistia, Christi carni non tantum per amorem et voluntatis consensum, sed realiter quoque et substantialiter uniri et commisceri. « Propterea semetipsum, inquit, nobis immiscuit, et corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur, tanquam corpus capiti coaptatum ; ardenter enim amantium hoc est. Hoc itaque Job insinuans dicebat de servis, quibus erat supra modum desiderabilis quod desiderium ostendentes dicebant : Quis det ut nobis ex carnibus ejus impleri? » *Job*, XXXI. Et paucis interjectis : « Non tantum se præbens cupientibus videndum, sed et palpandum et comedendum, et carni dentes infigere, complicari, et omne desiderium implere. Tanquam leones igitur ignem spirantes, ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, et caput nostrum mente revolventes, et charitatem quam nobis exhibuit. »

57. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. — Nota *primo* : Delectatur S. Joannes verbo « manet, » illoque aliquando significat moram et temporis durationem, ut cum cap. I, vers. 33, ait : « Super quem videris spiritum descendentem et manentem. » Et cap. III, vers. ult. : « Ira Dei manet super eum. » Aliquando vero per τὸ *manet*, insuper significat inhabitationem et intimam conjunctionem, uti hic et *epist.* I, cap. 3, vers. 9 : « Semen ipsius (id est gratiæ Dei) in eo manet ; » et cap. IV, vers. 16 : « Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. »

Nota *secundo*, mansionem hanc et conjunctionem animæ cum Christo in Eucharistia, non tantum fieri per ipsam Eucharistiam, per quam



Joannes ait nos in Deo manere, et Deum in nobis ; sed etiam, idque magis proprie fieri per ipsam Eucharistiam, per quam Christus in ea latens realiter et corporaliter intrat in corpus nostrum, itaque Christus nobis, et nos carni Christi, ac consequenter personæ, divinitati et omnipotentiæ realiter unimur et commiscemur ; sicut cibus realiter unitur et commiscetur stomacho et carni nostræ. Ita S. Chrysostomus : « Dicit, inquit, in me manet, ut cum ipso se admisceri ostendat. » Euthymius : « In me manet, unitur mihi per transumptionem et communicationem meæ carnis meique sanguinis, et unum corpus mecum efficitur. » Theophylactus : « Hoc loco discimus sacramentum communionis, ait, nam qui edit et bibit carnem et sanguinem Domini, in ipso manet Domino, et Dominus in ipso. Contemperatio enim fit nova et super rationem, ita ut sit Deus in nobis, et nos in Deo. » Similitudinem appositam ceræ affert S. Cyrillus hic, lib. IV, cap. XXXIV : « Sicut, ait, si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est ; ita si quis carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniatur. » Et paulo post : « Sicut parum (ut ait Paulus) fermenti totam massam fermentat, sic parvula benedictio totum hominem in seipsum attrahit et sua gratia replet ; et hoc modo in nobis Christus manet, et nos in Christo. Vere enim totum fermentum totam massam pertransit. Et sensus quidem loci hujus hic est. » Idem, lib. X, cap. XIII, asserit, « non habitudine solum quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam et participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alii ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum videatur ; sic communicatione corporis et sanguinis Christi, est ipse in nobis, et nos in ipso. »

Idem docet S. Hilarius, lib. VIII *De Trinitate*, et S. Irenæus, lib. IV, cap. XXXIV. Hinc S. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 4 *Mystag.*, asseverat nos in sacra communione fieri christiferos, imo concorporeos et consanguineos Christi. Porro, Christus realiter in nobis manet, quamdiu species Sacramentales panis et vini in nobis manent, iis vero a stomacho digestis et consumptis, desinit quidem in nobis esse Christus homo substantialiter, sed tamen ex prævia ejus nobiscum unione et contactu fit, ut vita animæ spiritalis per gratiam alatur, roboretur et conservetur in æternum : corpori etiam quasi semen quoddam immortalitatis inseratur ; semen, inquam, morale, non physicum, ut dixi, quale est meritum bonorum operum : sicut enim bonum opus post se relinquit meritum, quasi semen gloriæ, quod est quasi jus quoddam ad vitam æternam ; sic simile jus novum, sibique proprium post se ad camdem vitam, quasi semen gloriæ in nobis relinquit sanctæ Eucharistiæ communio : Jus enim hoc communicantibus assignat Christus, ex contactu et comestione sui corporis vivifici ; decens enim et congruum est, ut Christus iis, in quibus seipsum impertit, vitam quoque suam gloriosam impertiat. « Oportuit enim certe, ait Cyrillus, ut non solum anima per Spiritum Sanctum in vitam beatam ascenderet, verum etiam ut rude atque terrestre hoc corpus, cognato cibi gustu, tactu et cibo ad immortalitatem reduceretur. » Caro ergo Christi in Eucharistia est instrumentum morale resurrectionis. Vis et ejusdem causam physicam? Accipe. Deitas Christi in Eucharistia est causa physica resurrectionis. Quod ut a fundamentis intelligas, nota quod Christus, qua Deus, per gratiam in Eucharistiæ sumptione homini datam et infusam, etiam consumptis calore stomachi Eucharistiæ speciebus, realiter inhabitat in homine, non tantum quasi in templo suo per charitatem, sed quoque quasi cibus in stomacho suo per alimoniam. Sicut enim cibus jam digestus, et in chylum commutatus, nutrit vegetatque stomachum, et per eum omnes artus et membra, in quos eum stomachus transmittit et dispergit ; sic pariter deitas Christi cum carne ejus sumpta in Eucharistia, quasi cibus animæ et corporis, cum ab homine digeri consumique nequeat, manet jugiter in animæ quasi stomacho, eumque et per eum omnes animæ vires et potentias nutrit et vegetat. Et hoc est quod ait hic Christus : « Qui manducat meam carnem, in me manet, et ego in eo. »

Deitas enim Christi, quasi cibus manet in anima, semper eam alens, ac vicissim anima manet in deitate Christi, quasi in cibo immortali et vivifico, imo quasi in ipsa vita, qui continuo nos pascit et cibat influxu gratiæ habitualis, ac per stata tempora infusione novæ gratiæ actualis, puta novis sanctis illustrationibus, novis inspirationibus, novis piis affectibus et impulsibus in animam immissis, ut fiamus idem quod ipse est, ait S. Gregorius Nyssenus, id est ut fiamus spiritales, sancti et divini, idque in dies magis et magis, atque ipsam Christi deitatem, quasi lignum vitæ, semper habeamus in stomacho tam corporis quam animæ, ut ipsa suo tempore, scilicet in die judicii, et communi resurrectione nobis communicet suam vitam immortalem, beatam et divinam. Sic medicina quandoque diu postquam sumpta, consumpta et digesta est, per virtutem quam post se relinquit, operatur et sanat, imo prius sumentes facit ægriores, quia humores pravos exagitat cum iisque pugnat, donec eos purget et expellat, quibus expulsis corpus pristinæ puritati et sanitati restituit.

Hic est ergo ordo rerum in communione Eucharistiæ. *Primo*, per Eucharistiæ sumptionem Christi caro et sanguis, totusque Christus, id est ejus humanitas et divinitas, quasi cibus ingreditur in stomachum nostrum, in eoque manet. *Secundo*, Ordo rerum in communione Eucharistica.

speciebus Eucharistiæ vi stomachi digestis, et in carnem nostram conversis (redit enim per Dei virtutem materia panis et vini, quæ in consecratione fuerat annihilata), Christi caro et humanitas in nobis esse desinit, sed deitas Christi, quasi cibus immortalis, manet in nobis, quæ exinde, *Tertio*, vitam suam supernaturalem animæ communicat, fovet et auget, cibando illam assidue, eo modo quo jam dixi. *Quarto*, eadem nostrum corpus in resurrectione a morte suscitabit, illudque animæ uniet, itaque toti homini vitam æternæ gloriæ conferet, eo quod Eucharistiam, saltem quoad deitatem Christi quam continet, quasi cibum et pharmacum immortalitatis, semper in corpore et anima habeamus, ac per illam Christus maneat in nobis, ut ipse hic asserit, nimirum quatenus ipse Deus est. Deus autem resurrectionis nostræ erit causa physica, sicut caro Christi ejusdem erit causa moralis; ac licet caro nostra prius moritura sit, uti mortua est caro Christi; cibus tamen hic Eucharistiæ, hoc est Christus, qua Deus est, in homine semper manens, eum a morte suscitabit ad vitam æternam. Hoc est quod ait Christus: « Et ego resuscitabo eum in novissimo die. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; » Christus enim qua Deus, non qua homo, de cœlo descendit. « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo, » scilicet quasi cibus jugiter eum alens et suscitans ad vitam æternam. Nec enim aliter hæc verba explicari queunt. Sicut ergo cibus, postquam digestus est, suam virtutem alendi relinquit in chylo qui remanet; sic Eucharistiæ species, postquam digestæ sunt, suam virtutem alendi in vitam æternam quodammodo relinquunt in deitate Christi, quæ cum gratia remanet: humanitas enim ejus, ex ipsius ordinatione, alligata est speciebus panis et vini, ut, quamdiu illæ manent, maneat et ipsa; iis vero consumptis, evanescat, uti docet S. Thomas cæterique Theologi. Simili modo, post opus bonum, manet in nobis non solum gratia habitualis, sed et ipsa deitas, et tota sanctissima Trinitas quæ nos efficit divinæ consortes naturæ, suosque filios, uti fuse ostendi, *Osee* I, 10, ad illa: « Dicitur eis, filii Dei viventis; » et rursus ostendam inferius, cap. XIV, vers. 23, ad illa: « Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Idipsum magis patebit ex vers. 58, proxime hic sequenti, et ex vers. 64: « Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. » Ubi Cyrillus per spiritum accipit deitatem Christi: sic et S. Augustinus.

Eucharistia præstat cibo. Primo.

Ubi obiter adverte triplex discrimen Eucharistiæ et cibi communis. *Primum* est, quod cibus communis in nobis non maneat, sed in chylum, hoc est materiam quasi lacteam in stomacho, indeque in hepate in sanguinem, ac tandem in membris singulis in carnem et substantiam hominis convertatur. At vero in Eucharistia caro Christi non convertitur in substantiam manducantis, sed incorrupta et immutata in se permanet, utpote immortalis et gloriosa. Hoc est quod Christus cuidam Sanctorum dixit: « Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. »

*Secundum* est, quod cibus communis ex se sit inanimis, sed animetur et vitam accipiat a manducante. At caro Christi in Eucharistia est animata et viva ac vivifica, vitamque dat manducanti.

*Tertium*, panis et cibus nullam sui partem post se relinquit, quia totus convertitur in chylum, illique suam alendi virtutem communicat et transfundit. At caro Christi in Eucharistia, consumptis speciebus panis, evanescens, post se relinquit suam hypostasim, puta Verbi personam ejusque divinitatem, ob quam Christus dicitur hic manere in manducante, eumque resuscitare, et manducans in Christo. Ita Cyrillus et Patres superius citati, ac S. Ambrosius, lib. VI *De Sacram.*, cap. I, quem audi: « Quomodo ergo descendit panis e cœlo, et panis vivus? Quia idem Dominus noster Jesus Christus consors est et divinitatis et corporis; et tu qui accipis ejus carnem, divinæ ejus substantiæ in illo participaris alimento. » Sic et S. Hilarius, lib. VIII *De Trinit.*: « Est, ait, ipse in nobis per carnem, dum secum hoc quod nos sumus, in Deo est. »

58. SICUT MISIT ME VIVENS PATER, ET EGO VIVO PROPTER PATREM; (sic) ET QUI MANDUCAT ME, ET IPSE VIVET PROPTER ME. — « Misit me, » in carnem et mundum, per incarnationem ad salutem hominum, « vivens Pater, » qui est ipsa vita divina, substantialis et increata, ideoque qua « Pater, » me gignens eamdem numero mihi communicavit, ut ego similem communicarem humanitati, ad quam assumendam me misit, ut ego similem vitam spiritalem, sanctam, beatam et æternam fidelibus me manducantibus communicarem.

ET EGO VIVO PROPTER PATREM, — id est per Patrem, ex Patre. Pater enim me gignendo communicat mihi suam divinitatem, quæ per essentiam est vita. Genuit enim Deus Deum, vivens viventem. Filius ergo, ait Cyrillus, lib. IV, cap. XVIII, « sicut lumen de lumine est, sic et vita de vita. Et quemadmodum quæ luce indigent, per Filium Pater illuminat, et sapienter per eum facit; sic quæ vita egent, per Filium, ut per vitam suam, quæ ex ipso emanat, vivificat. » Et post nonnulla: « Vivo, inquit, propter Patrem: nam quoniam vita secundum naturam genitor meus est, et quia ego naturaliter ejus filius sum, hanc naturæ suæ proprietatem, id est vitam, naturaliter mecum habeo. »

Hic Christus dat causam, cur ipse in Eucharistia sit panis vivus et vivificus, qui nos suscitabit a morte in die judicii, ac ipsam vitæ et resurrectionis originem fontemque aperit et assignat; Deus Pater enim est ipsa fontalis vita, juxta illud: « Quoniam apud te est fons vitæ, » *Ps.* XXXV, vers. 10, qui hanc vitam Filio suo cum essentia communicat: quo fit ut ipse Filius sit fontalis vita. Quare sicut Pater semper manens in Filio, semper hanc fontalem vitam Filio impertit, sic et Filius missus a Patre in carnem, in eaque manens vitam hanc divinam carni et humanitati a se assumptæ assidue instillat, ac nobis illam in Eucharistia sumentibus continue in nobis manens similem vitam inspirat. Vivet ergo « propter me, » ut sicut Pater Filio suam communicat vitam, ita Christus suam Christiano eum rite suscipienti. Unde D. Dionysius Areopagita, *De Eccl. hierarch.*, cap. I, docet sacerdotem « in deitatis consortium transire; » et cap. II, communionem esse « deificam; » et cap. III, eos qui digne communicant, « per vitæ sinceræ ac divinæ similitudinem » Christo compaginari. Porro, hoc facit Eucharistia puris et pœnitentibus. Unde S. Augustinus, serm. 1 *De Temp.*: « Mutet, inquit, vitam qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam: et magis ex ipsa corrumpitur, quam sanatur; magis occiditur, quam vivificatur. » Nam impuri et impœnitentes ex Eucharistia non vitam, sed mortem corporis et animæ tam præsentem quam æternam percipiunt. Unde S. Cyprianus, serm. 5 *De Lapsis*, locutus de femina indigne communicante: « Non cibum, inquit, sed gladium sibi sumens, et velut quædam venena lethalia, palpitans et trepidans concidit: et quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem. » Ita ille, ubi plures eventus non absimiles enarrat. Guilielmus Durandus, in *Ration. divin. Offic.*, lib. VI, cap. X, refert eam pestilentiam, quæ Romæ grassata est tempore Pelagii Papæ usque ad Gregorium Magnum, multaque hominum millia absumpsit, divinitus fuisse immissam in pœnam eorum, qui post quadragesimalia jejunia et Paschalem communionem ad pristina scelera redierunt. Morte enim plectendi erant qui Eucharistia, quæ est germana vita, abutebantur.

Eucharistia, mors malis.

Sensus ergo est, *q. d.* Sicut Pater per sese vivens, ipsaque essentialis vita, misit me in hunc mundum, hominem me efficiens, et ob id quod ab eo me gignente missus sum, et homo factus vitam habeo a Patre vivente; vitam, inquam, tum humanam ab anima humana, ut explicat S. Augustinus, tum magis apposite divinam ex consortio divinitatis, cui humanitas mea hypostatice est conjuncta, semperque illi conjuncta manet: ita pariter qui me viventem manducat, etiam a me semper quoad deitatem in ipso manente, jugem vitam gratiæ et gloriæ accipiet, ac quoad corpus post mortem ab ea ad vitam beatam et æternam stato a me die suscitabitur. Significat enim Christus vitam quæ originaliter est in Patre, per Filium et Eucharistiam, quasi per organum intermedium nobis communicari. Ita Leontius, Jansenius, Franciscus Lucas et alii, sed præ aliis S. Cyrillus, quem audi, lib. IV, cap. XVIII: « Sicut homo factus sum voluntate Patris,



qui e naturali vita emanavi, et homo factus vivo corpusque meum vita replevi; non aliter qui carnem meam manducat, propter me vivet. Mortalem enim carnem assumpsi; sed quia naturaliter vita existens, habito in ipsa, totam ad vitam meam reformavi; non enim sum victus interitu carnis, sed ut Deus omnem interitum et mortem ipse superavi. » Et paucis interjectis: « Quamvis misit me Pater, id est homo factus sum; vivo tamen propter Patrem, id est genitoris naturam ad unguem conservo: sic qui manducatione carnis meæ me recipiet, vivet profecto totus ad me reformatus, qui vivificare possum, quoniam ex vivo Patre sum. » Addit simile ferri igniti: sicut enim ignis ferro ignito suum calorem communicat, sic Christus vivens suam vitam nobis in Eucharistia impertit. Hoc admirans S. Augustinus, lib. VII *Confess.*, cap. X, exclamat: « O æterna veritas, et vera charitas, et chara æternitas: contremui amore et horrore, tanquam audirem vocem tuam de excelso: Cibus sum grandium: cresce, et manducabis me: nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. »

Nota hic gradationem qua vita a Deo, quasi per scalas gradatim ad nos descendit. *Primus* enim gradus est, quo Pater Filio vitam suam divinam communicat; *secundus*, quo Filius vitam eamdem humanitati a se assumptæ per communicationem idiomatum impertit; *tertius*, quo eidem vitam participatam, puta gratiæ et gloriæ, inspirat; *quartus*, quo non æqualem, sed similem nobis in Eucharistia instillat.

Scala qua vita ab æterno Patre ad nos usque descendit.

Denique significat hic Christus id quod dixi vers. præced., deitatem suam, quæ post Eucharistiæ sumptionem jugiter, etiam consumptis speciebus in nobis manet, assidue in nos influere vitam gratiæ, ac post mortem nos ab ea ad vitam immortalem suscitaturam. Hoc est enim quod ait: « Ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me, » *q. d.* Quia ego deitatem, quæ mera est vita, a Patre accipio, idcirco qui manducat me, et ipse vivet propter me; mea enim deitas in ipso manens, jugiter animæ ipsius vitalis gratiæ afflatus inspirabit; corpus vero post mortem ab ea ad vitam beatam suscitabit. Sicut vis seminalis latens in corde seminis tritici per hiemem quasi mortui, in vere per calorem solis virtutem suam explicans, granum ipsum tritici quasi a morte suscitat, dum illud germinare facit, ut pro uno triginta et sexaginta producat.

59. HIC EST PANIS, QUI DE COELO DESCENDIT. NON SICUT MANDUCAVERUNT PATRES VESTRI MANNA, ET MORTUI SUNT. QUI MANDUCAT HUNC PANEM, VIVET IN ÆTERNUM. — Idem hic insinuat quod jam dixi in fine versus præced. Christus enim non qua homo, sed qua Deus, e cœlo descendit: quare qui ipsum in Eucharistia manducat, vivet in æternum, quia scilicet Deum et deitatem man-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ducat, quæ manducanti semper præsens et assistens, jugiter suam vitam illi aspirat. Audi S. Ambrosium, serm. 18 *in Psal.* CXVIII : « Quomodo, inquit, morietur cui cibus vita est? » Et mox mirabiles ejus effectus enarrans : « Accedite, inquit, ad eum, et satiamini, quia panis est; accedite ad eum, et potate, quia fons est; accedite ad eum, et illuminamini, quia lux est; accedite ad eum, et liberamini, quia ubi spiritus Domini, ibi libertas; accedite ad eum, et absolvimini, quia remissio peccatorum est. » Et S. Bernardus, serm. *de Cœna Domini* : « Duo, inquit, illud Sacramentum operatur in vobis, ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. » Et post pauca : « Si quis vestrum, inquit, non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, ac cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. » Et S. Chrysostomus, in *Psal.* XXII, 5, ad illa : « Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me, » ait : Qui tribulationes carnis habent, veniant ad mensam potentis, et tribulationes fient consolationes. » Denique S. Cyrillus hic, lib. III, cap. XXXVII : « Vivificat, inquit, corpus Christi, et ad incorruptionem sua participatione reducit. Non enim alterius cujusdam sed ipsius vitæ corpus est; virtutem incarnati Verbi retinens, et plenum potestate illius, quo universa vivunt et sunt. »

60. HÆC DIXIT IN SYNAGOGA DOCENS, IN CAPHARNAUM. — *q. d.* Hæc Christus non secreto, nec in angulo, sed in publica synagoga coram Scribis, sacerdotibus totoque populo confluente dixit et docuit. Synagoga enim erat quasi Ecclesia, vel publica schola populi.

IN CAPHARNAUM. — « Ubi multa miracula fecerat, et proinde maxime audiendus erat, » ait Chrysostomus. Quia enim paradoxa et Judæis incredibilia videbantur, quæ Christus de carne sua comedenda, ac nos a morte ad vitam perennem suscitatura dixerat : hinc voluit ea edicere eo loci, ubi tot miraculis sibi suæque doctrinæ fidem fecerat et auctoritatem conciliarat.

Vers. 61. Durus incredulis videtur sermo Christi.

61. MULTI ERGO AUDIENTES EX DISCIPULIS EJUS, DIXERUNT : DURUS EST HIC SERMO, ET QUIS POTEST EUM AUDIRE? — « Durus, » Græce σκληρός, id est austerus, durus, rigidus, strigosus, immitis; Arabicus, *difficilis*; Euthymius, « ægre admitti potest; » Theophylactus, « asper, et qui suscipi nequeat (1). »

ET QUIS POTEST EUM AUDIRE? — Quis non dico eum facere, sed vel ad aures admittere sustineat? *q. d.* Hæc quæ Jesus dixit de carne sua manducanda, ac præsertim præceptum ejus de illa comedenda vers. 54 : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; » videntur creditu difficilia et practicatu horribilia. Quis enim lanio Christum mactabit et laniabit? quis carnem humanam vorare, quis sanguinem humanum potare sustineat? Hæc enim horrida et barbara videntur, hæ sunt Thyesteæ cœnæ, hæc Anthropophagorum convivia, uti postea Ethnici Christianis objectarunt, non intelligentes carnis Christi in Eucharistia mysterium, ideoque Capharnaitas hosce imitantes, teste Tertulliano, Eusebio, Arnobio, Athenagora et aliis in *Apolog.*

Durus erat hic sermo non in se, sed Judæis crassis et duris, qui putabant carnem Christi laniari, dentibus discerpi et comminui debere instar carnis bubulæ; sed errabant. Nec enim Christus hoc dixerat, nec dicere intendebat, sed volebat nos carnem suam comedere sacramentaliter, hoc est, in Sacramento sub speciebus panis et vini absconditam, quod nullum habet horrorem sed facillimum et suavissimum esse quotidie sacrificantes et communicantes experimur. Debebant ergo Judæi modum hunc a Christo sibi explicari, humiliter postulare : quod si fecissent, audiissent, capere potuissent, nec durum dixissent. Ita S. Cyrillus : « Ad immanes, inquit, ferarum mores vocari se arbitrabantur, incitarique ut vellent crudas hominis carnes manducare, et sanguinem bibere, quæ vel audita horribilia sunt. Illud etiam ad hæc cogitabant, quomodo caro hujus hominis æternam nobis vitam largietur, aut quomodo ad immortalitatem adducere poterit? »

62. SCIENS AUTEM JESUS APUD SEMETIPSUM (Græce ἐν ἑαυτῷ, id est *in seipso*; Syrus, *in anima sua*; Arabicus, *in semetipso*, id est per se, per omniscientiam suam, sine alio nuncitante vel revelante : « hoc enim erat divinitatis argumentum, quo secreta revelaret, » ait Chrysostomus) QUIA MURMURARENT DE HOC DISCIPULI EJUS, DIXIT EIS : HOC VOS SCANDALIZAT? — Syrus, *offendit*, *q. d.* Ego tot mira et magna facio, quia ad hoc missus sum a Patre, uti per tot miracula probavi : ergo meis dictis et factis scandalizari et offendi non debetis, sed potius lumen et gratiam a Deo, qui me misit, flagitare, ut illa capere possitis.

63. SI ERGO VIDERITIS FILIUM HOMINIS ASCENDENTEM UBI ERAT PRIUS? — « Loquitur de futura sua in cœlum assumptione, » ait Euthymius. Hanc enim aliqui ex iis, puta Apostoli et fideles viderunt, alii non credentes etsi non viderunt, ab iis tamen qui viderant, audire, et certo discere potuerunt.

UBI ERAT PRIUS, — « quoad divinitatem, » ait Euthymius; in cœlum enim ascendit quoad humanitatem, subaudi : « quid dicetis? » ait Euthymius, adhucne scandalizabimini? credo quod non; certe scio quod jure et merito non facietis. Nam ex meo in cœlum per propriam virtutem ascensu

(1) « Ex discipulis ejus. » Discipuli h. l. non sunt apostoli, ut patet vers. 67 et 68, sed alii sectatores Christi qui hanc ejus orationem audiverant.



cognoscere poteritis me e cœlo descendisse, eoque redire ubi eram prius, ac proinde me non tantum esse veracem verumque Prophetam, sed etiam esse Deum Deique Filium, cui omnia sunt factu possibilia, imo facilia, ac proinde me posse carnem meam dare in cibum, ac per illam mortuos suscitare. Ex miraculo ascensus sui in cœlum recte probat Christus suam deitatem et omnipotentiam, ac proinde mysterium Eucharistiæ. Deitati enim nil impossibile est, nil novum, nil paradoxum, imo deitatem nova et paradoxa, quæ naturam et rationem humanam superant, facere decet. Ita S. Cyrillus : « Alia eos, inquit, re mirabili ad fidem impellit, » eaque apposita. Ascensus enim Christi in cœlum significabat eum e cœlo descendisse (redibat enim eo unde venerat), ac proinde ipsum esse panem vivum, qui de cœlo descendit, quod ipse hic Capharnaitis persuadere volebat.

Aliter Maldonatus, *q. d.* Cum audieritis me in cœlum ascendisse, quid dicetis? utique magis scandalizabimini, minus mihi credetis, magum esse dicetis, qui ope dæmonum instar Simonis Magi, in cœlum volare me simularim.

64. SPIRITUS EST, QUI VIVIFICAT : CARO (Arabicus, *corpus*) NON PRODEST QUIDQUAM. VERBA QUÆ EGO LOCUTUS SUM VOBIS, SPIRITUS ET VITA SUNT. — Syrus, *spiritus sunt et vita sunt*. Hæc Christi verba nobis objectant Calvinistæ, ut probent in Eucharistia realiter et corporaliter non esse carnem Christi, sed tantum spiritaliter et typice per repræsentationem et fidem, quia, inquiunt, « caro non prodest quidquam. » Sed si hoc verum est, ergo frustra Verbum caro factum est, ergo frustra caro Christi passa, crucifixa et mortua est : quod absit. Et quis non videt carnem Christi plus prodesse quam panem merum Calvini, esto melle et sacharo ex gula Calvini conditum? In pane enim ipsius nullus est spiritus, nisi erroris et furoris satanæ.

Caro non prodest, quo sensu?

*Primo* ergo S. Cyrillus, S. Augustinus, Leontius et Rupertus, docte hæc verba sic exponunt, *q. d.* Christus : Caro mea sola non prodest ad servandum eum qui comederit in vitam æternam, quia mera caro mea vitam et resurrectionem non confert, sed spiritus, id est, deitas mea carni conjuncta, vivificat tum animam, tum corpus in resurrectione; et sic caro mea prodest plurimum, quatenus scilicet spiritui Verbi copulata, ex eo haurit vim vivificandi. Simili phrasi sensuque dicimus : Oculus non videt, auris non audit, corpus non sentit, sed spiritus, id est, anima est quæ per oculum videt, per aurem audit, per corpus sentit. Et consequenter : « Verba, » id est res et mysteria carnis meæ in Eucharistia manducandæ, « quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt, » id est sunt spiritus vivus et vivificans, scilicet ipsa deitas mea, quæ purus est spiritus; hæc enim vos in Eucharistia vivificabit, non vero nuda caro mea. Ita S. Augustinus : « Caro sola, inquit, non prodest, sed accedat spiritus ad carnem, et prodest plurimum. Nam si caro non prodesset, Verbum caro non fieret. » Idem lib. X *De Civit.*, cap. XXIV : « Caro, ait, non per seipsam mundat, sed per Verbum a quo suscepta est. » Et S. Cyrillus : « Caro, inquit, si sola intelligitur, nihil prorsus vivificare potest, quippe quæ vivificante indiget, sed quoniam cum vivificante Verbo conjuncta est, tota est effecta vivifica. Non enim ad corruptibilem suam naturam junctum Dei Verbum detraxit, sed ipsa ad melioris virtutem elevata est. Quamvis ergo natura carnis, ut caro est, vivificare nequeat; facit tamen hoc, quia totam Verbi operationem suscepit. »

Respondet enim hic Christus Capharnaitis murmurantibus, quomodo caro Christi comesta posset dare vitam æternam. Verum quia Capharnaitæ magis murmurabant de ista comestione carnis Christi, ejusque modo, quem carnalem et ferinum sibi imaginabantur, quod scilicet caro Christi instar carnis vaccinæ deberet mactari, laniari, dentibus conteri et discerpi, ut patet vers. 52 et 60 : « Quomodo, inquiunt, potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » et vers. 61 : « Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? » videtur enim quid inhumanum et barbarum exigere, ut carnem humanam Christi laniemus et voremus instar luporum : hinc,

*Secundo*, aptius et facilius : « caro, » id est carnalis intelligentia, qua scilicet vos putatis carnem meam instar carnis ovilæ visibiliter scindendam, masticandam et manducandam esse, « non prodest quidquam » ad conferendum vitam æternam; sed spiritus et spiritalis intelligentia, qua credimus carnem Christi divinitati unitam spiritali, id est sacramentali modo, sub speciebus panis et vini in Eucharistia velatam et occultatam manducandam esse; hæc vitam dat animæ et corpori. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Nec aliud vult S. Augustinus, *in Psalm.* XCVIII, si attente legatur; ait enim : « Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritaliter intellectum vivificabit vos. Et si necesse est, illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi. » Quæ verba Calvinistæ sic accipiunt, *q. d.* In Eucharistia comedimus carnem Christi, non realiter, sed figurate et mystice per fidem. Sed errant. Sensus enim Augustini est, *q. d.* In Eucharistia non comedimus carnem Christi, visibiliter eam laniando, scindendo, masticando, uti intelligebant Capharnaitæ, sed sub sacramento, id est sacramentaliter et invisibiliter, sub speciebus panis et vini latentem et occultatam. Nam alioqui S. Augustinus repugnaret sibi ipsi, serm. 1 *in Psalm.* XXXIII, et lib. XXII *de Civit.*, cap. VIII, et alibi, ubi manifeste adstruit veritatem corporis Christi in Eucharistia.

Unde subdit Christus : « Verba quæ ego locu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ms sum vobis, spiritus et vita sunt : » « spiritus, » id est spiritalia sunt, et spiritaliter, id est sacramentaliter intelligenda, eo modo quo jam explicui : non vero carnaliter, uti vos Capharnaitæ quasi macellarii intelligitis; itaque « sunt vita, » id est vitalia, et vitam audienti meque manducanti conferunt. Est hebraismus : ponitur enim abstractum pro concreto. Sic sæpe alibi *caro* et *spiritus* sumuntur pro carnali et spiritali intellectu et sensu, ut II *Cor.* III, 6 : « Littera occidit, spiritus autem vivificat; » *Matth.* XVI, 17 : « Caro et sanguis non revelavit tibi, » et alibi. Porro familiare est sacram Scripturam ludere in significatis verborum. Unde non mirum carnem hic aliter sumi, quam sumatur vers. 56 et seq. : « Caro mea vere est cibus; » ibi enim vera caro intelligitur, hic vero mystica. Sic Christus lusit in aqua, cap. IV, a corporali assurgens ad spiritalem. Sic lusit Apostolus in voce *peccatum*, II *Cor.* V, vers. ult., dicens : « Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum (id est hostiam pro peccato) fecit. »

*Tertio*, plenissimus erit sensus, si utrumque jam datum jungas, et in unum cum Beda conflες, *q. d.* Virtus vivificandi, quam habet caro mea comesta in Eucharistia, non tam manat a carne, quam a spiritu Verbi, qui est vivus et vivificans; ac consequenter hæc carnis meæ manducatio non fit modo carnali lanionum, sed modo spiritali et spiritui accommodato, scilicet occulte et sacramentaliter. Utriusque enim contrarium ex verbis Christi crasse intellectis, allegabant et aversabantur Capharnaitæ, ut patet ex dictis. Atque sic hic spiritalis, id est sacramentalis comedendi carnem Christi modus, sumendo species panis et vini, sub quibus realiter latet corpus et sanguis Christi, ipsaque deitas, nullum horrorem comedenti, nullam etiam læsionem aut noxam carni Christi comestæ infert. Latet enim hic Christus, estque invisibilis et indivisibilis instar angeli. Ita Euthymius : « Spiritalia, ait, et vivifica sunt. Oportet namque, non simpliciter ea intueri (id enim est carnaliter intelligere), sed aliud quippiam imaginari et interioribus oculis ea aspicere tanquam mysteria. »

65. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. — *q. d.* Causa, cur quidam ex vobis verba mea de Eucharistia non capiant et adversentur, non est quod meus sermo sit durus, ut dicitis; sed quia estis increduli, et tot meis miraculis signisque credere non vultis; humili enim fide hic opus est, illaque humili prece a Deo Patre postulanda et exspectanda est : vobis autem humilitas tam precis quam fidei deest, ideoque nec oratis Deum, nec creditis mihi. Ita S. Augustinus, Beda et Rupertus.

Sciebat enim ab initio (suæ prædicationis et conversationis cum suis discipulis : ita S. Chrysostomus) Jesus, qui essent non credentes (futuri, id est non credituri, vel in fide non perseveraturi, *q. d.* Christus, quia Deus, præsciebat futura ab æterno, et hanc præscientiam humanitati suæ communicabat ab initio conceptionis ejusdem), et quis traditurus esset eum. — Hac voce innuit Joannes Judam traditorem fuisse unum e non credentibus; nimirum eum Christi sermone de carne ejus comedenda offensum, aversionem a Christo concepisse, illamque fovisse, ac tandem in proditionem ejus erupisse. Hoc enim verborum connexio hic exigit : alioqui impertinens esset hic traditoris mentio, nisi Judas ex sermone hoc Christi incredulitatis, indeque proditionis sumpsisset originem. Ita S. Augustinus, Beda, Franciscus Lucas, Emmanuel Sa et alii.

Addit hoc Christus, ne putetur Judam admisisse ad apostolatum inscius et ignarus futuræ ejus proditionis; sed eam præscivisse, ac consulto permisisse, ut per eam passio sua, et redemptio hominum per eam a Deo decreta, impleretur.

66. Et dicebat : Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. — « Nisi *scilicet* Pater traxerit eum, » ut dixit vers. 44. Vide ibi dicta. Modeste Christus incredulitatem Judæorum non tribuit culpæ incredulorum, sed ipsos excusat, quod eis non sit datum a Patre, ac simul seipsum solatur, *q. d.* Non me torqueo, non tristor, quod multi mihi non credant, sed consolor me, quod Pater eos quos elegit, faciet mihi credere, illosque ad me venire faciet, quibus ego contentus sum, cæteros non ambio : quia quos vult Pater, hos volo et ego; quos ipse non vult, ego quoque nolo. Peccabant tamen qui nolebant venire, id est credere in Christum, tum quia habebant gratiam sufficientem, qua possent credere si vellent; etsi non haberent efficacem, qua reipsa et actu crederent; tum quia humiliter non petebant a Deo gratiam efficacem, qua actu crederent; tum quia sua superbia aliisque peccatis illa gratia se fecerant indignos, imo pervicaces Dei gratiam et fidem repellebant et refutabant, uti docte explicat S. Cyprianus, lib. 1, epist. 3 *ad Cornelium.*

67. Ex hoc (tempore, ait Euthymius et alii : aliter Syrus, *propter hunc sermonem*; Arabicus, *propter hoc*) multi discipulorum ejus abierunt retro (reliquerunt Jesum), et jam non cum illo ambulabant. — Discipuli hi non fuere Apostoli : nam hos excipit Christus, vers. seq., nec 72 Christi discipuli. Hi enim necdum a Christo erant designati et electi; sed constantiores Christi auditores et asseclæ, « qui, ut ait Theophylactus, sequebantur eum in ordine discipulorum, et manebant apud eum longiori tempore quam turbæ, itaque ad reliquam turbam collati dicebantur ejus discipuli. » Hi ergo hucusque Christi doctrina suavi allecti, panibus ab eo per miraculum multiplicatis pasti, et deinceps ab eo similem pastum sperantes, cum audirent Christum loco panis surrogare suam carnem eamque ab eis manducari velle, ipsum putarunt vel insanire, vel horrenda quæ-

[illegible]



dam et ferina machinari, ac forte conjurationem aliquam contra Romanos moliri, eamque haustu carnis et sanguinis sui sancire, uti paulo ante Romæ fecerat Catilina, cujus conjurationem detexit et oppressit Cicero : hac de causa, ut sibi consulerent, a Christo defecerunt.

An ex iis qui a Christo abierunt, fuerit S. Marcus.

Unum ex his fuisse S. Marcum, qui postea a S. Petro revocatus Evangelium scripserit factusque sit Evangelista, diserte tradit S. Epiphanius, *hæres.* 51; sed alii repugnant, qui asserunt S. Marcum non vidisse nec audisse Christum, sed post ejus mortem conversum fuisse a S. Petro. Ita S. Hieronymus, in *Script. eccles.* in *Marco*; Theodoretus, in Præfat., *Histor. SS. Patrum*, et passim interpretes in illud S. Petri, *epist.* 1, cap. V, vers. 13 : « Salutat vos Marcus filius meus. »

68. Dixit ergo Jesus ad duodecim (Syrus, *duodecadi suæ*; Arabicus, *ad congregationem duodecim*, id est ad cœtum 12 Apostolorum) : Numquid et vos vultis abire? — Aliis ergo scandalizatis et offensis a Christo abeuntibus, cum illo « duodecim remanserunt, ait S. Augustinus, nam neque Judas recessit, » partim ex verecundia, ne solus ex Apostolis abiret audiretque apostata, partim ut otiosus a Christo aleretur, ut hactenus alitus fuerat, utque gestans loculos quasi procurator familiæ Christi, inde nummos sibi surriperet seque ditaret : erat enim fur.

Quærit hoc Christus a duodecim Apostolis quinque de causis. *Prima* est, ut eos suæ libertati relinqueret, *q. d.* Optionem vobis do, si vultis abire, abite; si mecum manere, manete : nolo enim vos vi aut verecundia detinere. Audi Chrysostomum : « Neque adulatus est Jesus, neque expulit, sed interrogavit, non quod eos contemneret, sed ne vi teneri viderentur. » Nam si inviti mansissent, perinde fuisset ac si abiissent.

*Secunda*, ut suam magnanimitatem ostenderet, nec se egere Apostolorum opera, utpote qui per se omnia posset, ideoque illis dimissis, alios meliores substitueret si vellet.

*Tertia*, ut intelligerent Apostoli, se manendo non commendare, nec gratiam exhibere Jesu, sed sibi ipsis, « eo quod beneficium potius accipiant quam præstent, » ait Theophylactus.

*Quarta*, ut hac libertate magis eos sibi devinciret et ad manendum invitaret. Fit enim sæpe ex naturæ affectu, ut rogati nolimus, non rogati velimus; ut invitati fugiamus, non invitati accedamus, nimirum :

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

*Quinta*, ut hac interrogatione eorum affectum probaret, constantiam exploraret, ac rectæ de se fidei confessionem ab eis exprimeret. Ita Cyrillus, uti de facto expressisse patet ex vers. sequenti.

69. Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ (effectricia, scilicet si quis eis credat et obediat) habes. — *Petrus* quasi ordine major, ait S. Cyrillus, fide firmior, Jesu amantior, spiritu ferventior, nomine cæterorum Apostolorum respondit, existimans hanc omnium esse mentem et sensum; quod enim ipse sentiebat de Jesu, hoc collegas suos de eodem sentire censebat.

Pro cæteris Christo respondet.

Ad quem ibimus? — *q. d.*, ait S. Augustinus : « Repellis nos a te, da nobis alterum te : ad quem ibimus, si te relinquamus? » Unde S. Chrysostomus : « Multæ amicitiæ, ait, est hoc verbum; honorabilior enim Christus erat, quam pater et mater. »

Verba vitæ æternæ habes. — *Primo*, *q. d.* Verba tua, o Jesu, sunt suavia, grata, vivifica, quia identidem promittunt vitam æternam. Quis ergo nisi stolidus illa relinquat, et alio abeat? Ita Cyrillus : « Non dura, inquit, ut illi (Capharnaitæ) dicunt, verba, sed æternæ vitæ habes, quæ conducere credentes possunt ad vitam incorruptibilem : » quare quæ de carne tua manducanda dixisti, ut per eam consequamur vitam æternam, et si necdum satis intelligo, non tamen iis scandalizor vel offendor, sed firmiter credo esse vera, suo tempore illa me plenius intellecturum non dubitans, et ut id facias tacite rogans et obsecrans.

*Secundo*, *q. d.* Verbis tuis, o Jesu, promittis nobis vitam æternam, si carnem tuam comedamus : hæc verba nos ad te alliciunt, et uniunt potius quam abigunt. Quis enim non optet vitam æternam et modum illam adipiscendi? unde Arabicus vertit, *ad quem ibimus, cum verba vitæ æternæ sint tibi?*

*Tertio*, *q. d.* In manu tua est vita æterna, ut eam des cuicumque et quomodocumque volueris (te ergo solum sequimur), quia a te solo speramus vitam æternam : hanc enim nec philosophi credere potuerunt, nec Judæi sperare, nec Moses promittere. « Hinc discimus, ait Cyrillus, unum duntaxat Christum sequendum esse magistrum, qui ad vitam æternam deducere potest. »

*Quarto*, « verba vitæ æternæ habes, » quia tu es vita æterna, ideo in carne et sanguine tuo non das nisi quod es, ait ex S. Augustino Interlinearis, *q. d.* Tu es verbum Patris, ideoque habes in te vitam æternam, quia tu es ipsa vita æterna. Quid mirum ergo si manducantibus te conferas vitam æternam? confers enim idipsum quod es.

70. Et nos credidimus (Syrus, *credimus*) et cognovimus (Arabicus, *certi sumus*) quia tu es Christus Filius Dei. — Græce in singulis verbis est articulus ὁ χριστὸς, id est ille Christus, a Deo scilicet promissus et tot sæculis exspectatus : ὁ υἱὸς, id est ille Filius, scilicet naturalis et proprius per substantiam, non adoptivus per gratiam. « Illud diligenter considera, inquit Cyrillus, quod ubique, præcipue cum præpositione articuli, Tu es ipse Christus, dicunt, Ipse Dei vivi Filius, ab aliis filiis Dei, qui vocati per gratiam adoptati sunt, vere ac naturaliter Filium separantes, cui nos conjuncti per similitudinem filii dicimur. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cognovimus, — ex testimonio Joannis Baptistæ, prophetæ et magistri nostri, ex tot tantisque miraculis quæ patrasti, ex doctrina tua cœlesti, ex vitæ tuæ sanctitate et ex moribus tuis, quos assidue tecum conversantes experimur esse cœlestes, angelicos et divinos.

Filius Dei. — Græca addunt : τοῦ ζῶντος, id est viventis. Sic et Syrus et Arabicus, *q. d.* Credimus te esse Filium Dei : quare pariter credimus omnia tua dicta esse divina et verissima, etiamsi ea non intelligamus, ideoque esse vivifica; ac salutem et vitam æternam conferre, quia tu es Filius Dei vivi, qui scilicet per essentiam est vita, quam ipse tibi communicat, ac proinde nil a te nisi vitale et vivificum prodire potest, nec aliud a te exspectamus.

71. Respondit eis Jesus : Nonne ego vos duodecim elegi? et (tamen) ex vobis unus diabolus est. — *q. d.* Tu, o Petre, nomine omnium Apostolorum respondes, quasi omnes in me credant mihique sint fideles amici : sed scito te falli; nam unus ex eis diabolus est, mihi incredulus et infidus, qui me prodet. Ita Theophylactus.

Duodecim elegi, — quasi ad apostolatum secundum præsentem statum aptos et idoneos. Unde videtur quod Judas quoque proditor, cum primitus a Christo electus est bonus probusque fuerit; improbum enim eligere prudentia et charitas vetant. Ita S. Cyrillus, Leontius, Ammonius, Toletus, Maldonatus et alii, ac S. Hieronymus, lib. III *Contra Pelag.*, et Tertullianus, lib. I *De Præscript. adversus hæret.*, cap. III. Licet nonnulli putent Judam, cum esset malus, idque sciret Christus, ab eo tamen fuisse electum in Apostolum eo consilio, ut esset aliquis ex suis qui eum proderet, itaque passioni suæ, mortique, indeque redemptioni hominum, occasionem modumque exhiberet. Tribuunt hanc sententiam Bedæ et S. Augustino, sed neuter idipsum dicit, imo uterque potius innuit Judam electum a Christo, cum bonus esset, etiamsi sciretur malus sua culpa futurus. Audi S. Augustinum : « Consecratus est duodenarius numerus eorum, qui per quatuor cardines mundi Trinitatem fuerant denuntiaturi; non autem quia periit inde unus, ideo illius numeri honor ademptus; in locum enim pereuntis alius subrogatus est. » Et paucis interjectis : « Electus est iste, de quo nolente et nesciente magnum aliquid boni fieret : sicut enim iniqui male utuntur bonis operibus Dei, sic e contra Deus bene utitur malis operibus hominum : malo Juda bene usus est Dominus, tradi se pertulit, ut nos redimeret. » Audi et Bedam : « Ad aliud elegit undecim, ad aliud unum; illos, ut in Apostolica dignitate perseverarent; istum, ut per proditionis ejus officium salutem humani generis operaretur. »

Diabolus. — Syrus, *satanas*; Nonnus, « qui dicetur apud posteros alius novus diabolus. » Christus Judam nominare noluit, ut ejus famæ parceret. « Neque eum manifestavit, ait Chrysostomus, neque latere voluit : illud, ne impudentius contenderet; hoc, ne latere arbitratus licentius ageret. » Simul ut Apostolis timorem injiceret, ne et ipsi instar Judæ apostatarent, aut sibi suæque constantiæ superbe præfiderent. Audi Cyrillum : « Acrioribus eos confirmat verbis, diligentioresque facit, periculo ante oculos posito : sic enim dicere videtur : Magna vobis, o discipuli, vigilantia magnoque studio ad salutem opus est; lubrica enim admodum perditionis est via. » Et nonnullis interjectis : « Vigilantiores facit omnes; quia quis traditurus sit clare non dicit, sed uni generaliter tantæ impietatis onus imminere affirmans, sollicitos omnes reddit, et horrore ad majorem vigilantiam erigit. » Denique Augustinus : « Non illum expressit, ait, sed nec siluit, ut omnes timerent quamvis unus periret. »

Quæres, cur Judas vocetur diabolus. Respondeo : *Primo*, quia fuit διάβολος, id est calumniator; nam opera et miracula Christi calumniatus est apud Scribas et principes sacerdotum. Judas diabolus est.

*Secundo*, fuit *diabolus*, hebr. et syriace, *satan*, id est adversarius, quia Christo se opposuit.

*Tertio*, fuit *diabolus*; quia Christo incredulus fuit, fur et mendax; diabolus enim mendax est et pater ejus, scilicet mendacii, *Joan.* VIII. Unde Christus ait : « Diabolus est, » in præsenti, non erit, in futuro.

*Quarto*, fuit *diabolus*, id est minister diaboli, instrumentum et organum diaboli. Nam diaboli impulsu prodidit Christum, Deum et Dominum suum, quasi possessus a dæmone. Unde Joannes, XIII, 2, ait intrasse in eum Satanam. Ita S. Chrysostomus, Euthymius et alii. Sic vulgo *diabolus* vocatur homo scelestus et pessimus.

*Quinto*, fuit *diabolus*, id est proditor Christi. Sic enim διάβολος, pro proditore accipitur *Eccli.* XXVI, 6, per catachresin; nam Noster vertit, « civitatis delaturam, » sive « proditionem, » ut vertit Tigurina et Lyranus. Sic diabolus est proditor angelus, quia angelicum statum sua malitia prodegit, perdidit et prodidit. Ex choris enim angelorum, ac ex cœlo Lucifer proditor sua perfidia secum in tartara detraxit tertiam partem stellarum, *Apoc.* XII, 4. Cœlum ergo et cœlites prodidit gehennæ et tartaro.

Alludit Christus ad casum Luciferi, qui electus a Deo in principem angelorum, sua superbia se fecit diabolum et principem dæmonum. Simili enim modo Judas electus a Christo ad angelicum Apostolorum officium, inde sua culpa prolapsus se fecit diaboli socium et diabolum, ut discamus cum timore et tremore operari salutem nostram, ac licet sanctissimo consistamus loco, timere lapsum. Quo enim altior est locus, eo grandior est casus et profundior ruina.

Perperam ergo nonnulli diaboli nomen hic in bonam partem accipiunt, uti faciunt apud Italos et Belgas nonnulli, qui hominem sagacem, solertem, ingeniosum, vafrum, subtilem, vocant diabolum.



72. Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem : hic enim erat traditurus (Syrus, *proditurus*) eum, cum esset unus ex duodecim. — Præmunit Christus Apostolos, ut, cum postea visuri essent Judæ proditionem, scirent illam se prævidisse et prædixisse, ac proinde se non invito, sed certo consilio permittente, illam fieri ad mortem sibi conciliandam, per quam humanum genus redimeretur.

Hic finit Joannes acta secundi anni prædicationis Christi usque ad tertium, sive acta a secundo Paschate usque ad tertium; nam acta tertii prosequitur capite sequenti. Multa ergo acta secundi anni Christi prætermittit, eo quod illa fuse a cæteris tribus Evangelistis enarrata forent. Finit ergo secundum annum Christi in multiplicatione panum facta ab eo idem in Paschate, cujus occasione Christus longam cum Judæis habuit disputationem de pane spirituali et carne sua in Eucharistia manducanda. Vide Chronotaxin. Finiuntur hic acta secundi anni prædicationis Christi.

# CAPUT SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus e Galilæa ascendit Jerusalem ad festum Scenopegiæ. Secundo, vers. 12, murmurantibus de se Judæis respondit, se a Deo Patre doctum et missum, ejus ductu et instinctu curare ægros, etiam sabbato. Tertio, vers. 32, Pharisæi volentes eum occidere, mittunt satellites, qui eum comprehendant; sed hi audita Christi prædicatione attoniti, eo intacto redeunt dicentes Pharisæis :* Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. *Denique, vers. 50, Nicodemus Jesum defendens, a Pharisæis arguitur quasi Galilæus et Jesu fautor.*

1. Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare; quia quærebant eum Judæi interficere. 2. Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia. 3. Dixerunt autem ad eum fratres ejus : Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis. 4. Nemo quippe in occulto quid facit, et quærit ipse in palam esse : si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. 5. Neque enim fratres ejus credebant in eum. 6. Dicit ergo eis Jesus : Tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum. 7. Non potest mundus odisse vos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera ejus mala sunt. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum; quia meum tempus nondum impletum est. 9. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. 10. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto. 11. Judæi ergo quærebant eum in die festo, et dicebant : Ubi est ille? 12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant : Quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum. 14. Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat. 15. Et mirabantur Judæi, dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? 16. Respondit eis Jesus, et dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar. 18. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem; et nemo ex vobis facit legem? 20. Quid me quæritis interficere? Respondit turba, et dixit : Dæmonium habes; quis te quærit interficere? 21. Respondit Jesus, et dixit eis : Unum opus feci, et omnes miramini. 22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) : et in sabbato circumciditis hominem. 23. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi; mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? 24. Nolite judicare secundum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cognovimus, — ex testimonio Joannis Baptistæ, prophetæ et magistri nostri, ex tot tantisque miraculis quæ patrasti, ex doctrina tua cœlesti, ex vitæ tuæ sanctitate et ex moribus tuis, quos assidue tecum conversantes experimur esse cœlestes, angelicos et divinos.

Filius Dei. — Græca addunt : τοῦ ζῶντος, id est viventis. Sic et Syrus et Arabicus, *q. d.* Credimus te esse Filium Dei : quare pariter credimus omnia tua dicta esse divina et verissima, etiamsi ea non intelligamus, ideoque esse vivifica ; ac salutem et vitam æternam conferre, quia tu es Filius Dei vivi, qui scilicet per essentiam est vita, quam ipse tibi communicat, ac proinde nil a te nisi vitale et vivificum prodire potest, nec aliud a te exspectamus.

71. Respondit eis Jesus : Nonne ego vos duodecim elegi? et (tamen) ex vobis unus diabolus est. — *q. d.* Tu, o Petre, nomine omnium Apostolorum respondes, quasi omnes in me credant mihique sint fideles amici : sed scito te falli ; nam unus ex eis diabolus est, mihi incredulus et infidus, qui me prodet. Ita Theophylactus.

Duodecim elegi, — quasi ad apostolatum secundum præsentem statum aptos et idoneos. Unde videtur quod Judas quoque proditor, cum primitus a Christo electus est bonus probusque fuerit ; improbum enim eligere prudentia et charitas vetant. Ita S. Cyrillus, Leontius, Ammonius, Toletus, Maldonatus et alii, ac S. Hieronymus, lib. III *Contra Pelag.*, et Tertullianus, lib. I *De Præscript. adversus hæret.*, cap. III. Licet nonnulli putent Judam, cum esset malus, idque sciret Christus, ab eo tamen fuisse electum in Apostolum eo consilio, ut esset aliquis ex suis qui eum proderet, itaque passioni suæ, mortique, indeque redemptioni hominum, occasionem modumque exhiberet. Tribuunt hanc sententiam Bedæ et S. Augustino, sed neuter idipsum dicit, imo uterque potius innuit Judam electum a Christo, cum bonus esset, etiamsi sciretur malus sua culpa futurus. Audi S. Augustinum : « Consecratus est duodenarius numerus eorum, qui per quatuor cardines mundi Trinitatem fuerant denuntiaturi ; non autem quia periit inde unus, ideo illius numeri honor ademptus ; in locum enim pereuntis alius subrogatus est. » Et paucis interjectis : « Electus est iste, de quo nolente et nesciente magnum aliquid boni fieret : sicut enim iniqui male utuntur bonis operibus Dei, sic e contra Deus bene utitur malis operibus hominum : malo Juda bene usus est Dominus, tradi se pertulit, ut nos redimeret. » Audi et Bedam : « Ad aliud elegit undecim, ad aliud unum ; illos, ut in Apostolica dignitate perseverarent ; istum, ut per proditionis ejus officium salutem humani generis operaretur. »

Diabolus. — Syrus, *satanas* ; Nonnus, « qui dicetur apud posteros alius novus diabolus. » Christus Judam nominare noluit, ut ejus famæ parceret. « Neque eum manifestavit, ait Chrysostomus, neque latere voluit : illud, ne impudentius contenderet ; hoc, ne latere arbitratus licentius ageret. » Simul ut Apostolis timorem injiceret, ne et ipsi instar Judæ apostatarent, aut sibi suæque constantiæ superbe præfiderent. Audi Cyrillum : « Acrioribus eos confirmat verbis, diligentioresque facit, periculo ante oculos posito : sic enim dicere videtur : Magna vobis, o discipuli, vigilantia magnoque studio ad salutem opus est ; lubrica enim admodum perditionis est via. » Et nonnullis interjectis : « Vigilantiores facit omnes ; quia quis traditurus sit clare non dicit, sed uni generaliter tantæ impietatis onus imminere affirmans, sollicitos omnes reddit, et horrore ad majorem vigilantiam erigit. » Denique Augustinus : « Non illum expressit, ait, sed nec siluit, ut omnes timerent quamvis unus periret. »

Quæres, cur Judas vocetur diabolus. Respondeo : *Primo*, quia fuit διάβολος, id est calumniator ; nam opera et miracula Christi calumniatus est apud Scribas et principes sacerdotum. Judas diabolus est.

*Secundo*, fuit *diabolus*, hebr. et syriace, *satan*, id est adversarius, quia Christo se opposuit.

*Tertio*, fuit *diabolus* ; quia Christo incredulus fuit, fur et mendax ; diabolus enim mendax est et pater ejus, scilicet mendacii, *Joan.* VIII. Unde Christus ait : « Diabolus est, » in præsenti, non erit, in futuro.

*Quarto*, fuit *diabolus*, id est minister diaboli, instrumentum et organum diaboli. Nam diaboli impulsu prodidit Christum, Deum et Dominum suum, quasi possessus a dæmone. Unde Joannes, XIII, 2, ait intrasse in eum Satanam. Ita S. Chrysostomus, Euthymius et alii. Sic vulgo *diabolus* vocatur homo scelestus et pessimus.

*Quinto*, fuit *diabolus*, id est proditor Christi. Sic enim διάβολος, pro proditore accipitur *Eccli.* XXVI, 6, per catachresin ; nam Noster vertit, « civitatis delaturam, » sive « proditionem, » ut vertit Tigurina et Lyranus. Sic diabolus est proditor angelus, quia angelicum statum sua malitia prodegit, perdidit et prodidit. Ex choris enim angelorum, ac ex cœlo Lucifer proditor sua perfidia secum in tartara detraxit tertiam partem stellarum, *Apoc.* XII, 4. Cœlum ergo et cœlites prodidit gehennæ et tartaro.

Alludit Christus ad casum Luciferi, qui electus a Deo in principem angelorum, sua superbia se fecit diabolum et principem dæmonum. Simili enim modo Judas electus a Christo ad angelicum Apostolorum officium, inde sua culpa prolapsus se fecit diaboli socium et diabolum, ut discamus cum timore et tremore operari salutem nostram, ac licet sanctissimo consistamus loco, timere lapsum. Quo enim altior est locus, eo grandior est casus et profundior ruina.

Perperam ergo nonnulli diaboli nomen hic in bonam partem accipiunt, uti faciunt apud Italos et Belgas nonnulli, qui hominem sagacem, solertem, ingeniosum, vafrum, subtilem, vocant diabolum.

72. Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem : hic enim erat traditurus (Syrus, *proditurus*) eum, cum esset unus ex duodecim. — Præmunit Christus Apostolos, ut, cum postea visuri essent Judæ proditionem, scirent illam se prævidisse et prædixisse, ac proinde se non invito, sed certo consilio permittente, illam fieri ad mortem sibi conciliandam, per quam humanum genus redimeretur.



Hic finit Joannes acta secundi anni prædicationis Christi usque ad tertium, sive acta a secundo Paschate usque ad tertium ; nam acta tertii prosequitur capite sequenti. Multa ergo acta secundi anni Christi prætermittit, eo quod illa fuse a cæteris tribus Evangelistis enarrata forent. Finit ergo secundum annum Christi in multiplicatione panum facta ab eodem in Paschate, cujus occasione Christus longam cum Judæis habuit disputationem de pane spirituali et carne sua in Eucharistia manducanda. Vide Chronotaxin. Finiuntur hic acta secundi anni prædicationis Christi.

# CAPUT SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus e Galilæa ascendit Jerusalem ad festum Scenopegiæ. Secundo, vers. 12, murmurantibus de se Judæis respondit, se a Deo Patre doctum et missum, ejus ductu et instinctu curare ægros, etiam sabbato. Tertio, vers. 32, Pharisæi volentes eum occidere, mittunt satellites, qui eum comprehendant ; sed hi audita Christi prædicatione attoniti, eo intacto redeunt dicentes Pharisæis :* Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. *Denique, vers. 50, Nicodemus Jesum defendens, a Pharisæis arguitur quasi Galilæus et Jesu fautor.*

1. Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare ; quia quærebant eum Judæi interficere. 2. Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia. 3. Dixerunt autem ad eum fratres ejus : Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis. 4. Nemo quippe in occulto quid facit, et quærit ipse in palam esse : si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. 5. Neque enim fratres ejus credebant in eum. 6. Dicit ergo eis Jesus : Tempus meum nondum advenit ; tempus autem vestrum semper est paratum. 7. Non potest mundus odisse vos ; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera ejus mala sunt. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum ; quia meum tempus nondum impletum est. 9. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. 10. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto. 11. Judæi ergo quærebant eum in die festo, et dicebant : Ubi est ille? 12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant : Quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum. 14. Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat. 15. Et mirabantur Judæi, dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? 16. Respondit eis Jesus, et dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar. 18. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit ; qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem ; et nemo ex vobis facit legem? 20. Quid me quæritis interficere? Respondit turba, et dixit : Dæmonium habes ; quis te quærit interficere? 21. Respondit Jesus, et dixit eis : Unum opus feci, et omnes miramini. 22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) : et in sabbato circumciditis hominem. 23. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi ; mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? 24. Nolite judicare secundum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

faciem, sed justum judicium judicate. 25. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis : Nonne
hic est, quem quærunt interficere? 26. Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Num-
quid vere cognoverunt principes quia hic est Christus? 27. Sed hunc scimus unde sit;
Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. 28. Clamabat ergo Jesus in templo docens,
et dicens : Et me scitis, et unde sim scitis; et a me ipso non veni, sed est verus qui misit
me, quem vos nescitis. 29. Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit. 30. Quære-
bant ergo eum apprehendere; et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora
ejus. 31. De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant : Christus cum venerit,
numquid plura signa faciet quam quæ hic facit? 32. Audierunt Pharisæi turbam murmu-
rantem de illo hæc; et miserunt Principes et Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum.
33. Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum qui
me misit. 34. Quæretis me, et non invenietis; et ubi ego sum, vos non potestis venire.
35. Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos : Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum?
numquid in dispersionem Gentium iturus est, et docturus Gentes? 36. Quis est hic sermo
quem dixit : Quæretis me, et non invenietis; et ubi sum ego, vos non potestis venire?
37. In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, et clamabat, dicens : Si quis
sitit, veniat ad me, et bibat. 38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre
ejus fluent aquæ vivæ. 39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in
eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. 40. Ex illa
ergo turba cum audissent hos sermones ejus, dicebant : Hic est vere propheta. 41. Alii
dicebant : Hic est Christus. Quidam autem dicebant : Numquid a Galilæa venit Christus?
42. Nonne Scriptura dicit : Quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat
David, venit Christus? 43. Dissensio itaque facta est in turba propter eum. 44. Quidam
autem ex ipsis volebant apprehendere eum; sed nemo misit super eum manus. 45. Vene-
runt ergo ministri ad Pontifices et Pharisæos. Et dixerunt eis illi : Quare non adduxistis
illum? 46. Responderunt ministri : Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.
47. Responderunt ergo eis Pharisæi : Numquid et vos seducti estis? 48. Numquid ex Prin-
cipibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? 49. Sed turba hæc, quæ non novit
legem, maledicti sunt. 50. Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui unus
erat ex ipsis : 51. Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et
cognoverit quid faciat? 52. Responderunt, et dixerunt ei : Numquid et tu Galilæus es?
Scrutare Scripturas, et vide quia a Galilæa propheta non surgit. 53. Et reversi sunt unus-
quisque in domum suam.

1. Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi (principes Judæorum) interficere. — « Post hæc. » Non statim, sed post sex menses. Nam multiplicatio panum et sermo de Eucharistia, de quo cap. præced., contigit sub Pascha, puta, in martio; quæ autem hic subjungit Joannes, contigerunt in festo Scenopegiæ, quod celebratur in septembri. Vixit autem deinde Christus sex menses adhuc, scilicet ad proxime sequentem martium, quo passus et crucifixus est. Hæc ergo et sequentia omnia Christus dixit et egit sex ultimis vitæ suæ mensibus. Omittit igitur hic Joannes ea quæ gessit Christus hoc tertio anno prædicationis suæ a Paschate usque ad septembrem, puta gesta sex mensium, inter quæ fuit defensio discipulorum, quod illotis manibus

manducarent contra Pharisæos; item filiæ Cha-
nanææ a dæmone liberatio, nova panum multi-
plicatio, qua pavit quatuor millia virorum; in-
terrogatio discipulorum quid de se sentirent
homines, respondente Petro : « Tu es Christus
Filius Dei vivi, » qua de causa Christus eum pe-
tram Ecclesiæ constituit. Ad hæc transfiguratio
Christi in Thabor, sanatio dæmoniaci, solutio
didrachmi telonariis, redargutio Apostolorum
inter se contendentium quis esset major, dogma
de vitando scandalo parvulorum, eo quod an-
geli eorum semper videant faciem Patris, etc.,
quæ in Chronotaxi recensui a num. 31 usque
ad num. 38. Causa cur ea omittat Joannes est,
quia illa exacte jam narrarant alii tres Evange-
listæ.

Ambulabat Jesus in Galilæam. — Græce in Galilæa (1). Jam enim erat Christus in Galilæa; ibi enim panes multiplicavit et de Eucharistia sermonem habuit in Synagoga Capharnai, quæ erat urbs sita ad mare Galilææ, ut patet cap. vi, vers. 60. « Ambulabat » ergo « Jesus in Galilæam, » id est per Galilæam, sive in ulteriores Galilææ partes, q. d. Jesus ambulabat, obibat et circuibat urbes, vicos et castella Galilææ, prædicans regnum Dei.

Non enim volebat in Judæam (Græce, in Judæa) ambulare (q. d. Nolebat perambulare urbes et pagos Judææ, sed Galilææ), quia quærebant eum Judæi (Judæorum primores) interficere, — eo quod sabbatum more Judaico non servaret, sed in eo curaret ægrotos, et quod Patrem suum diceret esse Deum, ac consequenter se quoque esse Deum, ut patet cap. v, vers. 18. Quare videtur Jesus nec in Paschate, nec in Pentecoste hujus anni tertii sui, juxta legem, de more adiisse templum et Hierosolymam; quia sciebat ibi sibi strui insidias, et parari necem ante tempus moriendi sibi a Patre præfinitum; non quod ipse Judæos timeret (qui alias invisibilem se faciens ex manibus eorum elapsus est), vel mortem horreret, sed ut daret nobis exemplum declinandi pericula et fugiendi persecutores, donec Deus aliud revelet, vel ipse nos in manus hostium tradat, ut fecit S. Athanasius fugiens Arianos. Ita S. Augustinus, Chrysostomus et alii.

2. Erat autem dies festus Judæorum Scenopegia. — Græce σκηνοπηγία, id est tabernaculorum fixio, quo scilicet Judæi die 15 mensis septimi figebant tabernacula (quæ ex lignis, ramis, pellibus vel linteis raptim construebant) in iisque per septem dies habitabant, in memoriam protectionis divinæ, quæ patres eorum peregrinantes in deserto, per 40 annos in tabernaculis habitantes manna aluerat, et duce columna ignis et nubis duxerat in terram promissam, Levit. xxiii, 34. Vide ibi dicta. Unde Arabicus vertit, cum propinquasset dies festus Tabernaculorum Judæorum. Corrupte Syrus pro Scenopegia vertit Conopea. Conopeum enim proprie est tentorium seu velum, et papilio ille lineus vel laneus, qui toto circumdatur ad arcendos culices, quo maxime utuntur Alexandrini, quod ex Nilo culices confluant, quos Græci κώνωπας vocant.

Ridiculum est quod Abulensis, in Levit. xxiii, 34, commentans, vocem Græcam Scenopegia derivat a κοινὸν, id est commune, et φαγία, id est comestio, eo quod illo festo in communi pranderent et communia agitarent convivia. Nam σκηνοπηγία derivatur a σκηνὴ, id est tabernaculum, et πηγία, id est fixio. Errat denique Plutarchus, utpote Ethnicus, ideoque rerum Judaicarum ignarus, qui lib. IV Sympos., Quæst. V, censet festum Tabernaculorum apud Judæos fuisse Bacchanalia; multisque probare conatur ipsos coluisse Bacchum, eo quod tunc thyrsos gestarent (quos Gentiles gestabant in honorem Bacchi). Addit Plutarchus : « Alii progrediuntur citharis ludentes, quos ipsi Levitas appellant, sive a Lysio, sive ab Evio; utraque enim vox Baccho congruit. » Quin et sabbatum censet fuisse festum Bacchi. « Quod enim Sabbos, inquit, etiamnum multi appellent Bacchos, eamque vocem edant, dum orgia Bacchi celebrant, licet ostendere ex Demosthene et Menandro. » Verum condonandum est Plutarcho, utpote Græco Hebraicæ linguæ imperito. Constat enim Hebr. sabbatum ab Hebr. שבת scebat, id est quiescere, nuncupatum : Levitas vero a patriarcha Levi patrium nomen sumpsisse.

3. Dixerunt autem ad eum fratres ejus : Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis. — « Fratres ejus, » non filii Joseph, ut vult Leontius, Cyrillus et Euthymius; Joseph enim virgo permansit, æque ac sponsa ejus B. Maria; nec etiam Jacobus et Judas, ut opinatur Chrysostomus; hi enim electi jam in Apostolos a Christo, in illum credebant ejusque ductum et nutum sequebantur; sed « fratres, » id est consanguinei vel cognati B. Virginis, ait S. Augustinus, vel etiam Josephi. Vide genealogiam Christi, quam assignavi Lucæ iii, sub finem capitis. « Fratres » ergo, hoc est cognati ejus, non omnes, sed aliqui. Alii enim in eum credebant, alii non.

Transi hinc, et vade in Judæam. — q. d. E Galilæa et Capharnao ignobili, vade nobiscum in nobilem Judæam et Jerusalem, ad instans festum Scenopegiæ, ad quod undique Judæi confluere solent, ut iis per tuam doctrinam et miracula te patefacias. Viderant ipsi, vel audierant Christum præcedenti Paschate et Pentecoste non ivisse in Jerusalem, ac in Galilæa latebras quærere; ex iis ergo eum extrahere volunt, ut in Jerusalem vadat ibique innotescat et inclarescat.

Ut et discipuli tui videant (Græce θεωρήσωσι, id est aspiciant, cernant, spectent) opera tua, quæ facis. — q. d. Tu, o Jesu, cognate noster, mira hic operaris in angulo Galilææ, coram paucis et pauperibus discipulis tuis Galilæis : vade nobiscum in Jerusalem, metropolim Judæorum, ibique similia operare, ut discipuli tui, quos ibi nuper prædicando tibi parasti, quosque rursum miracula patrando parabis, non tantum ex plebe, sed etiam ex sacerdotibus, Scribis et principibus in fide tua instruantur, vel jam instructi confirmentur, teque ut Prophetam et Messiam recipiant. His enim optabant Christum maxime innotescere, ut illi quasi principes Jesum esse Messiam, hoc est Christum, declararent, ac ut talem populo recipiendum proponerent. Ipsorum enim erat judicare de Fide, de Prophetis, de Messia, ac quod ipsi decernebant, hoc populus sequebatur et faciebat, Matth. xxi, 1.

4. Nemo quippe in occulto quid facit, et (sed)

(1) Περιεπατεῖ, הלך, quod hic habet Syrus, frequentissime significat, in aliquo loco degere atque versari, et continuatio indicatur. Vid. Wineri Grammatik des N. T. Sprachidioms, p. 76.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUÆRIT IPSE IN PALAM ESSE. — Græce ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι, id est proprie, *in libertate esse*; sed quia hic opponitur *occulto*, hinc idem est quod *palam*, publice, clare, manifeste Sic etiam hanc phrasin usurpat Joannes cap. V, vers. 13, et cap. XVI, vers. 25, 29, et cap. XVIII, vers. 20, et Marcus, cap. VIII, vers. 32 : ita ex Leontio Maldonatus, Franciscus Lucas et alii.

SI HOC FACIS, MANIFESTA TEIPSUM MUNDO. Τὸ *si* hic non dubitantis est, sed asseverantis, ait Toletus, idemque valet quod *cum, quia, quandoquidem*, *q. d.* Cum tanta et tam mira facias in Galilæa, ut oculis videmus et auribus audimus, fac eadem in Judæa, ut ibi toti Israeli indeque toti mundo innotescas, quis sis, et quam a Deo dignitatem, potestatem et virtutem acceperis. Nam, ut ait Raphael. *Tob.* XII, 7 : « Sacramentum regis abscondere, bonum est : opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est. » Prætexunt laudem Christi et gloriam Dei suæ cupiditati et ambitioni; cupiebant enim ut Christo per miracula et famam inclarescente, ipsi quoque quasi ejus cognati inclarescerent, et a populo honorarentur, ac muneribus afficerentur; insuper gratiam principum et pontificum inirent, a quibus ad magna reipublicæ officia vel beneficia promoveri sperabant. Sicut cum quis creatur Pontifex, Cardinalis, Episcopus, illico confluunt ad eum cognati, ut per eum honores et opes consequantur. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.

5. NEQUE ENIM FRATRES EJUS CREDEBANT IN EUM. — *q. d.* Fratres ejus tam libere, confidenter et audacter admonuerunt Jesum, ut secum iret in Jerusalem, quia non plane et certo credebant ipsum esse Messiam, sive Christum; si enim id credidissent, ipsum reveriti, non ausi fuissent tam libere eum monere et quasi arguere. Ita Euthymius. Licet enim viderent eum tot signa et miracula facere, illaque vera esse non dubitarent; tamen dubitabant an ipse esset Messias et Dei Filius : licet enim hoc verum esse optarent, et ex parte ob tot ejus miracula crederent, tamen alia ex parte videntes ejus paupertatem et neglectum, dubitabant. Ut ergo certi hac de re fiant, hortantur Christum ire secum in Jerusalem, ut ibi Scribæ et pontifices eum ejusque opera examinent, ac declarent ipsum esse Christum, ut sic ipse honoretur et celebretur, atque illi quasi cognati, per ipsum.

6. DIXIT EIS JESUS : TEMPUS MEUM NONDUM ADVENIT : TEMPUS AUTEM VESTRUM SEMPER EST PARATUM, — id est commodum et opportunum. « Tempus meum, » scilicet ascendendi in Jerusalem ad festum Scenopegiæ, « nondum advenit, » quia illud habeo statum et definitum a Patre, sed ad paucos dies dilatum ob odium Judæorum, quo me prosequuntur : qua de causa ego brevi eodem ascendam, sed clanculum, non autem publice vobiscum : ite ergo vos et præcedite, quia omne tempus vobis est « paratum, » id est congruum et idoneum; ego deinde vos occulte sequar. Ita Jansenius, Franciscus Lucas et alii.

Aliter S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Leontius et ex iis Maldonatus; *q. d.* « Tempus meum, » scilicet moriendi in Jerusalem, « nondum advenit : » mortem enim mihi parant Scribæ et principes Hierosolymæ; sed hoc quoque non advenerat; sed advenit paulo post, cum Christus eo ascendit, ut mox patebit. Prior ergo sensus est genuinus.

7. NON POTEST MUNDUS ODISSE VOS : ME AUTEM ODIT, QUIA EGO TESTIMONIUM PERHIBEO DE ILLO QUOD OPERA EJUS MALA SUNT. — Dat causam cur tempus ascendendi in Jerusalem fratribus, id est cognatis suis, semper sit paratum et opportunum, sibi vero non : quia scilicet illos non oderat mundus, id est mundani Scribæ et principes, utpote nihil ab eis passi; sed oderant Jesum, utpote suorum scelerum reprehensorem et castigatorem : quare Jesu crucem et mortem parabant, non vero cognatis ejus, *q. d.* Vos omni hora ire potestis in Jerusalem sine periculo, quia Scribis non resistitis, nec contradicitis, sed eis favetis et obsequimini; ego vero, quia eorum vitia publice castigo, si publice vobiscum eam, in manifestum vitæ periculum me conjicio. Ita S. Chrysostomus et Cyrillus, qui et causam addit : « Animus enim, inquit, voluptati deditus, graviter fert si a voluptate revocetur. » Nolebant enim Scribæ suas voluptates, luxurias, crapulas, injustitias, quas amabant, relinquere, ideoque Christum ab eis avocantem oderant, juxta illud de eis Sapientis oraculum : « Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ, » *Sap.* II, 12. Vide ibi dicta.

8. VOS ASCENDITE AD DIEM FESTUM HUNC; EGO AUTEM NON ASCENDO AD DIEM FESTUM ILLUM; QUIA MEUM TEMPUS NONDUM IMPLETUM EST. — « Vos, » qui periculum nullum timetis, ait Euthymius.

EGO AUTEM NON ASCENDO. — Græce οὔπω ἀναβαίνω, id est *nondum ascendo;* et Arabicus, *nunc non ascendo; q. d.* Nunc vobiscum publice ascendere in Jerusalem nolo, sed exspecto ut tempus impleatur, quo subsidente indignatione Scribarum, qui me initio festi exspectant, ut occidant, post tres dies occulte et minore periculo sine vobis ascendam; nam paulo post eum ascendisse patet ex vers. 10. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Verisimile est Christum dixisse, uti vertit noster Interpres : « Ego non ascendo ; » nam si dixisset : « Ego nondum ascendo, » institissent cognati. Nos ergo te exspectabimus, ut nobiscum ascendas. Sensus tamen Christi erat, *q. d.* « Non ascendo, » id est nondum ascendo : hoc enim significare intendebat, etsi id cognatis non exprimeret, ad redimendam eorum vexationem.

*Secundo*, S. Augustinus, Cyrillus et Eucherius in quæstione in hunc Joannis locum, sic explicant, *q. d.* : « Non ascendo ad diem festum istum, » hoc est ad diem primum festi instantem, sed, ut dicitur vers. 14, « festo die mediante, » id est sub diem quartum festi. Verum verius est Christum decrevisse ascendere ad diem primum festi, ut ostendam vers. 14.

Aliter Maldonatus, *q. d.* Ego non ascendo, subaudi, sicut vos, o cognati mei, putatis et cupitis, scilicet ut purus homo, ac ut Hierosolymis a populo honorer et celebrer; sed tamen mox eo ascendam, ut Messias Dei Filius, ut populum viam salutis doceam, itaque Dei gloriam, non meam quæram et propagem. Verum hoc videtur coactius.

Vers. 9. 9. HÆC CUM DIXISSET, IPSE MANSIT IN GALILÆA.

Vers. 10. 10. UT AUTEM ASCENDERUNT FRATRES EJUS, TUNC ET IPSE ASCENDIT AD DIEM FESTUM, NON MANIFESTE, SED QUASI IN OCCULTO. — « Tunc, » post tres dies, sub medium festorum, vers. 14, cum furor Judæorum initio festi ipsum exspectantium exardescens, jam sensim per tot dies defervesceret, ut notat Theophylactus et Euthymius, ac S. Augustinus. Verius videtur Christum paulo post cognatos ascendisse Hierosolymam, sed occulte, ita ut initio festi interfuerit, idque innuit hic Lucas, de quo plura vers. 14.

NON MANIFESTE, SED QUASI IN OCCULTO. — Unde videtur Christus non recto itinere per Samariam, sed transito Jordane per Peræam profectus juxta Jerichuntem, dimissis populi turbis eum assectantibus, occulte cum paucis sibi charioribus perrexisse Hierosolymam. Id patet conferenti *Matth.* XIX, 1 et 2, cum *Luc.* IX, 51 et 53, et *Marc.* IX, 29, et cap. X, 1.

11. JUDÆI ERGO QUÆREBANT EUM IN DIE FESTO, ET DICEBANT : UBI EST ILLE? — « Festo » Scenopegiæ, sive Tabernaculorum, de quo vers. 2, puta primis festi diebus quærebant Jesum, ut caperent et occiderent. Nam, ut ait Chrysostomus : « In die festo semper ad cædem ferebantur, et festis eum diebus capere tentabant. » Et Euthymius : « Pulchra sane illorum opera in diebus festis, cum illos cædis facerent occasionem, » ut quibus debebant Christum quærere ad fidem, ut in eum crederent, quærant eumdem ad necem. Sic et hodie multi in festis, quibus Deo reconciliare se deberent, iisdem Deum maxime potando, scortando, rixando, ludendo et blasphemando offendunt : quare festum agunt non Deo, sed diabolo, qui proinde eis festa ignium pro meritis in gehenna rependit. Est hæc fraus et suggestio diaboli, ut festa profanet, ac cultum Deo in iis debitum adimat eumque in se transcribat.

UBI EST ILLE, — agyrta, impostor, populi seductor? « Ex nimio enim odio eum nominatim appellare non patiebantur, » ait S. Chrysostomus.

12. ET MURMUR MULTUM (ita legendum cum Romanis, non *multus*; Arabicus, *murmuratio multa;* Euthymius, *turbatio et contradictio multa*) ERAT IN



TURBA DE EO. QUIDAM ENIM DICEBANT : QUIA BONUS EST. ALII AUTEM DICEBANT : NON, SED SEDUCIT TURBAS, — ut se novæ factionis auctorem faciat, et seditionem vel rebellionem concitet.

BONUS EST — vir, imo doctor et Propheta. Hæc enim erat vox et sententia eorum qui Jesum audierant docentem in Galilæa, ac viderant panes multiplicantem, ægros sanantem, dæmones ejicientem, etc. Contraria vox et sententia erat Scribarum et principum, ac turbæ illos sequentis.

13. NEMO TAMEN PALAM LOQUEBATUR DE ILLO PROPTER METUM JUDÆORUM, — puta Scribarum, Pharisæorum et pontificum, quibus Jesus velut vitiorum censor erat invisus. Hos enim passim Joannes vocat Judæos, non Scribas, non sacerdotes, tum ut dignitati, officio et auctoritati eorum non deroget; tum quia, ut ait Cyrillus, « indignum judicavit homines adeo a pietate remotos, sacerdotes vel seniores appellare. » « Nemo, » intellige, eorum qui pro Jesu stabant, ac dicebant : « Bonus est, » ait Euthymius. Arguta S. Augustinus : « Seducit turbas, inquit, clarius sonabant : Bonus est, pressius susurrabant. »

14. JAM AUTEM DIE FESTO MEDIANTE, ASCENDIT JESUS IN TEMPLUM, ET DOCEBAT. — Syrus et Arabicus, *cum autem dimidiati essent dies festi*, id est cum ageretur dies quartus vel quintus festi Tabernaculorum : hoc enim festum celebrabatur per octo dies. Græce τῆς ἑορτῆς μεσούσης, id est *cum jam media esset festivitas*.

ASCENDIT JESUS IN TEMPLUM. — Censent S. Augustinus, Theophylactus, Euthymius et alii, Christum eodem die ingressum esse Jerusalem et templum, scilicet die quarto festi : veniens enim in urbem pietatis ergo solebat primo adire templum; quod Christi exemplum multi fideles sequuntur. Contrarium censet Toletus, Maldonatus et alii, scilicet Christum paulo post cognatos ascendisse in urbem, ita ut interfuerit initio festi, sed non ascenderit in templum nisi die quarto festi. Id enim plane videtur exigere narratio Joannis hoc versu collata cum vers. 10, et quia Jesus quasi religionis doctor et exemplar, ad aliorum ædificationem voluit totam hanc festivitatem celebrare. Hoc enim lege sancitum erat, *Levit.* XXIII, 42 : « Habitabitis, inquit, in umbraculis septem diebus; omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis. » Adde : quisque sibi hæc tabernacula ante diem primum festi, vel in urbe, vel extra urbem exstruere debebat : quare idem fecisse Jesum est probabile, nisi dicas eum in tabernaculo amici vel discipuli alicujus jam parato exceptum fuisse. Denique occulte hoc modo ad diem primum festi ascendens, nullum adibat periculum, nisi adiret templum : unde illud non adiit nisi quarto die; primis enim tribus diebus delituit in tabernaculo. Tabernacula atque Judæorum extruenda erant in festo Scenopegiæ.

Primo ergo, Christus ascendit in urbem ante diem primum festi, deinde die quarto festi ascendit in templum : ille ascensus occultus fuit,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hic publicus : ille ad diem festum Tabernaculorum, qui celebrabatur non in templo, sed in umbraculis per urbem, vel extra urbem erectis, hic ad docendum in templo.

*Cur Christus ascendens Jerusalem, non ascendit statim in templum.*

Quæres, cur Christus primo die ascendens in urbem, non etiam ascendit in templum? Respondent *primo*, S. Augustinus, Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, ut prius inflammata contra se Scribarum et pontificum in templo degentium ira et indignatio defervesceret.

*Secundo*, quod ante latuerit, exempli fuit et infirmitatis humanæ; quod postea prodierit, potestatis divinæ, ait S. Augustinus, et ex eo Beda.

*Tertio*, ut majus audiendi sui desiderium, per tot dierum moram et exspectationem, auditoribus eum exspectantibus injiceret. Ita Theophylactus.

*Quarto*, ut liberiores haberet auditores, et ab aliis curis expeditos : hi enim primis diebus in tabernaculis adornandis rebusque ad festum necessariis comparandis occupabantur. Ita Theophylactus.

Et docebat, — more suo ea quæ erant salutis docebantque ad regnum cœlorum, idque publice in templo coram Scribis et principibus, quibus erat invisus. Vide hic et imitare Christi magnanimitatem, qua in mediis periculis sine metu periculi versatur, suumque officium intrepide obit, et docet. Etsi enim Scribarum contra eum ira per triduum dilata nonnihil deferbuisset, tamen publico hoc docendi actu rursum facile accendi poterat. Sed Jesus magnanime eam contempsit, tum quia ab iis occidi erat paratus, tum quia sciebat quod Deus diverteret eorum contra se cogitationes et consilia, ne in eum manus injicerent, eo quod necdum tempus moriendi ab eo præstitutum advenisset. Quod ergo per triduum latuit, per hoc voluit nos docere prudentiam, ut persecutorum rabiem ad tempus prudenter et silenter declinemus : quod vero quarto die in publicum prodiens prædicavit, per hoc dedit nobis exemplum fortitudinis, ut officium nobis a Deo commissum strenue obeamus, etiam cum periculo vitæ, Deo confidentes, quod ipse vel nos ex illo eripiet, vel dabit vires et fortitudinem illud patiendi et superandi.

15. Et mirabantur Judæi, dicentes quomodo hic scit litteras, cum non didicerit? — « Mirabantur, orationis et prudentiæ inauditam in eo vim videntes, » ait Cyrillus. Nam, ut ait Theophylactus, « mirabilia dixit, per quæ illos cohibuit, et mentem eorum in miraculum mutavit, » ut furorem suum in amorem et admirationem Christi converterent. « Audiebant enim, ait S. Augustinus, eum de lege disputantem, legis testimonia proferentem, » illaque gratia et modo non humano, sed divino explicantem. Nam, ut addit Augustinus : « Multi noverant ubi natus, quemadmodum fuerit educatus, nunquam eum viderant litteras discentem. »

Cum non didicerit. — Inde inferre debuissent Scribæ : Ergo Jesus scientia et sapientia tanta non est studio acquisita, sed a Deo infusa ; sed odio cæci et stupidi in admiratione consistunt, nec ulterius ad vestigandam rei, quam admirantur, originem pergunt. Ita S. Chrysostomus. Hac enim de causa Deus voluit Jesum non e scholis, sed ab arte fabrili prosilire in cathedram, ut omnes agnoscerent doctrinam non esse humanitus comparatam, sed divinitus inspiratam.

16. Respondit eis Jesus, et dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. — *q. d.* Doctrina mea, hoc est, dogmata mea, quæ ego doceo, non a me inventa sunt, nec meo studio acquisita, nec a me primo et originaliter profecta, sed a Deo Patre, *q. d.* Deus Pater mihi, qua Deus sum, suam omniscientiam communicavit : qua homo vero suam scientiam beatificam et infusam rerum omnium mihi indidit, juxta illud *Isaiæ* xi, 2 : « Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis. » Ita S. Chrysostomus, Leontius, Euthymius et alii, qui et annotant Christum hoc ipso innuere se esse Deum, *q. d.* Ego a Patre cum essentia divina hausi meam omniscientiam et doctrinam. Audi S. Augustinum, *tract.* 29 : « Quæ est doctrina Patris nisi verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, si verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus, et suam doctrinam dixit seipsum, et non suam, quia Patris est verbum. Quid enim tam tuum quam tu? Et quid tam non tuum quam tu, si alicujus est quod es (1). »

17. Si quis voluerit voluntatem ejus (Arabicus, *placita ejus*) facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego ex meipso loquar. — Syrus, *ex voluntate animæ meæ*, hoc est, a me inventum et confictum, ideoque a Dei voluntate dissonum et diversum vel adversum, *q. d.*, ait Chrysostomus : « Si quis sit amator virtutis, verborum meorum vim intelliget, » quod ex Deo manet. A Deo enim manat omnis virtus, cujus ego sum doctor et concionator assiduus. Qui ergo Dei de virtute mandata amat et observat, ille pariter me meaque dicta amabit et observabit, quia ego non alia dico et doceo, quam quæ

(1) Affirmavit Christus, vers. 16, suam doctrinam esse divinam. Jam duo hanc in rem argumenta affert : alterum *internum*, ex ipsius doctrinæ indole et præstantia petitum, vers. 17; alterum *externum*, suam ipsius agendi rationem, quæ doceat se non suæ, sed Dei tantum gloriæ prospicere, vers. 18. Prius argumentum sic institui potest : qui ita animatus est, ut Dei voluntati sibi patefactæ, etsi ipsius cupiditatibus pravis repugnanti, prompte atque lubenter obsequatur, is usu et experientia *cognoscet* meam doctrinam, animos hominum emendantem et spe lætissima replentem, esse humana inventione et sapientia superiorem, nec nisi Deum auctorem habere posse. Argumentum posterius, seu *externum*, infra rectissime ponitur.



Deo sunt placita, ab eoque mandata. Tacite innuit Jesus ipsos amare vitia, non virtutes, ideoque Deo et sibi adversari, ac doctrinæ utriusque reluctari. « Amovete, ait Chrysostomus, dubitationem hanc, et iram et invidiam, et immane contra me odium, et nihil vos impediet, quin cognoscatis Dei vere verba mea esse. Nunc hæc vobis et tenebras offundunt, et rectum verumque judicium corrumpunt : quæ si rejiceretis, non in hac essetis sententia. »

18. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit : qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est. — Hinc a contrario infer cum Cyrillo : « Qui autem gloriam Dei non quærit, sed suam, hic mendax simul et injustissimus est : mendax quidem, quia simulatione legis servandæ, suam voluntatem audiri proponit ; injustissimus vero, quia legislatoris dignitate neglecta, Dominicis præceptis sua præferre audet. »

Est hæc secunda nota et ratio, qua Christus probat se non loqui ex semetipso, et dogmata quæ tradidit, non esse sua et a se conficta, sed esse Patris. Estque talis Christi syllogismus in *Baroco* :

> Qui loquitur a semetipso, gloriam suam quærit.
> Sed ego Jesus non quæro gloriam meam, sed Patris, uti verbis et factis clamo.
> Ergo non loquor a meipso, sed ex corde et ore Patris, cujus unice gloriam quæro, et propagare desidero.

Nam, ut ait Cajetanus : « gloria est præcipuum appetibile ex doctrina. » Inde enim philosophi et hæretici suas scholas aperuerunt, in iisque sua commenta docuerunt, ut discipulos post se traherent, qui magistrum suum glorificarent, ab eoque vocarentur Platonici, Pythagorici, Epicurei, Aristotelici, Ariani, Nestoriani, etc. Appetitus enim gloriæ peperit hæreses et sectas tam philosophorum, quam hæreticorum.

Injustitia, — id est fraus, dolus, deceptio, quia sincere et veraciter docet ea quæ scit Deo placere, ejusque gloriam promovere, cum alii qui suam gloriam quærunt, ut eam ab hominibus extorqueant, iis adulentur, illosque decipiant, variisque dolis et fraudibus illis illudant.

19. Nonne Moyses dedit vobis legem? et nemo ex vobis facit legem? 20. Quid me quæritis interficere? — *Primo*, sensus est, *q. d.* Non mirum vos meam et Patris mei legem non admittere, cum Moysis, quem tanti facitis et mihi objicitis, legem non servetis. Nam ut alia omittam, multi e vobis, maxime primores, me innocentem occidere volunt, quod diserte vetat Moses, *Exod.* xxiii, 7. Ita S. Augustinus : « Si legem facerent, inquit, in ea Christum agnoscerent, et præsentem non occiderent. » Et Glossa : « Gloriamini in lege, inquit, et contra legem, quæ vetat occidere, quæritis me interficere. » Sic et Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

*Secundo*, magis presse et connexe, æque ac profunde Franciscus Lucas sic exponit, *q. d.* Vos o Scribæ et Judæi, me accusatis et deposcitis ad mortem, quasi reum legis neglectæ, et quasi sabbatum violarim, cum in eo paralyticum sanavi : at vos pari modo legem eamdem sabbati violatis, dum in eo circumciditis hominem : majus enim et prolixius opus est circumcidere, quam verbo curare. Quare si ego violavi legem, vos multo magis eamdem violastis; et si vos me judicatis reum mortis, quod legem sabbati transgressus sim in sanando, multo magis judicare debetis vos esse reos mortis, eo quod eamdem legem continue transgrediamini circumcidendo : hoc enim opus meo longe est operosius, magisque carnale et sanguinolentum. Sic enim se mox explicat Christus, vers. 21 et 22.

Respondit turba, et dixit : Dæmonium habes : quis te quærit interficere? — « Dæmonium habes, » id est deliras, insanis, uti faciunt energumeni, et possessi agitatique a dæmone, perinde ac fecit Saul, I *Reg.* xvi, 23. Aut proprie, *q. d.* Dæmon te instigat ad hanc calumniam, qua nobis falso impingis machinationem homicidii, quod scilicet te velimus occidere ; nil enim tale nobis in mentem venit.

Verba sunt turbæ, e quibus alii bene sentiebant de Jesu, alii male, ita tamen ut nollent eum occidere ; sed idipsum volebant Scribæ et principes, eorumque asseclæ, qui turbæ plebis se miscebant : illos ergo hic perstringit Christus : atque illorum occultam cædis suæ machinationem, quam ipsi celabant, propalat, ut sciant ipsum non latere eorum insidias, ideoque esse virum divinum, imo Deum.

21. Respondit Jesus, et dixit eis : Unum opus feci, et omnes miramini. — « Unum opus feci, » quod scilicet paralyticum sanarim sabbato, jusserimque grabatum suum portare, cap. v, 8. Jesus convitium convitio non repulit, sed patienter dissimulavit, et modeste ac prudenter radicem convitii evulsit. « Plane non turbatus, sed in veritate sua tranquillus, inquit Augustinus, non reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto : quibus si diceret, dæmonium habetis vos, verum utique diceret; non enim talia illi dicerent veritati, nisi eos falsitas diaboli irretiret. »

Miramini, — id est mirantes indignamini, quasi contra legem id fecerim ; S. Chrysostomus, « perturbamini et tumultuamini ; » S. Cyrillus, « damnatis ; » Euthymius, « quæritis me interficere. » Est catachresis et metalepsis. Admiratio enim tanti sceleris, puta violati sabbati, ut ipsi putabant, pariebat in eis indignationem, indignatio tumultum, tumultus machinationem necis.

22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex patribus), et in sabbato circumciditis hominem. — « Propterea, »

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Græce διὰ τοῦτο, id est *propter hoc*. Obscura est hoc loco hæc particula, et dubium quo referatur. *Primo*, Theophylactus et Maldonatus referunt ad vers. præced. sicque nectunt: « Omnes miramini propter hoc, » scilicet opus sanationis quod feci in sabbato. Sed repugnat dispunctio codicum Græcorum et Latinorum, qui τὸ *propterea* ponunt vers. 22 sequenti, nectuntque cum τῷ *Moses dedit* (1).

*Secundo*, Euthymius et Jansenius censent τὸ *propterea* hic non esse causale, sed illativum, *q. d.* Itaque, ut non miremini, sed sciatis me recte fecisse curando ægrum in sabbato, advertite quod subjungo de circumcisione, quæ fit in sabbato. Simili modo sumitur subinde τὸ *propterea* in Prophetis, ut *Jerem.* XXX, 16. Et sic τὸ *propterea* reipsa est quoque causale; nam innuit causam ejus, cujus est illativum.

*Tertio*, S. Cyrillus, Toletus et Franciscus Lucas τὸ *propterea* referunt ad id quod sequitur: *sed ex patribus*, sicque verba ordinant, *q. d.* Atqui Moses dedit vobis circumcisionem, non propterea quod illa ex Mose sit, sed propterea quod sit ex patribus: voluit enim Moses præcepta et traditiones patrum studiose conservare, uti par erat; et tamen in sabbato ab eodem Mose sancito, circumciditis hominem.

*Quarto*, proprie et plenissime, τὸ *propterea* est causale, et idem quod *propter hanc causam*, *q. d.* Propterea, vel, ut Græce est, *propter hoc*, id est propter admirationem vestram; quia scilicet vos opus curationis meæ in sabbato ita admiramini et indignamini, ut scilicet eam vobis eximam, et vos mirari desinatis, subjungo argumentum ad id validum, petitum ex circumcisione, quam vos ipsi facitis in sabbato ex decreto Mosis.

NON QUIA EX MOYSE EST, SED EX PATRIBUS. — *q. d.* Non quod Moyses sit circumcisionis institutor, sed patriarcha Abraham, qui illam a Deo acceptam tradidit Isaac, Jacob, Joseph, ac hi posteris suis et Mosi, uti ipse narrat, *Genes.* XVII. Addit hoc, ut doceat Judæos non adeo uni debere incumbere Mosi, ut ejus unius præcepta de sabbato servent, cæterorum vero priorum et antiquiorum negligant; quin potius si illa Mosi decretis adversentur, illis velut antiquiora præponi debeant, ita ut lex Mosis eis locum cedat. Sic enim lex circumcisionis data Abrahæ, elidebat legem sabbati datam Mosi, ut si quis natus esset in sabbato, deberet præcise octavo die, id est sabbato sequenti, circumcidi, nec posset differri circumcisio in posterum diem. Si lex Mosi cedere debet legi Abrahæ, ergo multo magis eadem cedere debet legi Christi et Dei, quæ jubet ut ægro valde afflicto proxis si possis, etiam in sabbato, præsertim si id breviter et verbo facere possis, uti faciebat Christus.

ET IN SABBATO CIRCUMCIDITIS HOMINEM. — « Et, » id est *idcirco*, *q. d.* Quia lex circumcisionis fuit anterior, dataque a Deo Abrahæ, primo Hebræorum patri et Patriarchæ, hinc prævalet sabbato, quod posterius a Mose jussu Dei institutum est: idcirco si octavus a nativitate pueri dies sit sabbatum, illo operose, magno apparatu et molimine circumciditis puerum, ut servetur lex Dei data Abrahæ: « Octavo die circumcidetur infantulus, » *Genes.* XVII et *Levit.* XII, 3.

23. SI CIRCUMCISIONEM ACCIPIT HOMO IN SABBATO, UT NON SOLVATUR LEX MOYSI, MIHI INDIGNAMINI QUIA TOTUM HOMINEM SANUM FECI IN SABBATO? — *q. d.* Si circumcisio, quæ ex genere suo videtur esse opus servile, operosum et prolixum, æque ac molestum et afflictivum, vulnerat enim et mutilat infantem, licita est tamen, imo præcepta in sabbato; cur mihi pariter non liceat in sabbato hominem per 38 annos paralyticum, toto corpore ægrum et afflictum, morbo et afflictione tanta liberare, ac verbo sanitati restituere, idque ad Dei unius laudem et gloriam? Lex enim eleemosynæ et beneficentiæ est juris naturæ, cui omne jus humanum et divinum, quale est sabbatum, cedere debet.

Nota τὸ « totum hominem. » Nam, ut notat Euthymius, « cum totum ejus corpus paralysi dissolutum esset, totum reddidit sanum. » Apposite Christus suam curationem comparat circumcisioni, quia sicut per hanc resecabatur pars superflua præputii, sic per illam resecta fuit paralysis ægri, grassans per totum ejus corpus; sed circumcisio fiebat cum dolore et vulnere, curatio Christi cum voluptate et sanitate integra; nam totum hominem, hoc est, corpus integrum et animam, sanavit. Quare videtur Christus quoque ab anima hujus ægri circumcidisse vitia et peccata, eumque justificasse et sanctificasse, æque ac alios a se sanatos, uti alibi dixi, perinde ac circumcisio circumcidendo carnem circumcidebat et animam; ab illaque resecabat peccatum originale, illique indebat Dei gratiam et justitiam.

24. NOLITE JUDICARE SECUNDUM FACIEM (Græce κατ' ὄψιν, id est secundum visum, aspectum, speciem; Syrus, *per acceptionem vultus*, id est personæ), SED JUSTUM JUDICIUM JUDICATE. — Taxat Judæos de vitio acceptionis personarum, quod in eadem vel simili re Mosen, vel potius seipsos absolvant, Jesum vero accusent et damnent, *q. d.* Vos judicatis secundum apparentiam et acceptionem personarum, ideoque inique et perverse, quia me accusatis quasi violatorem sabbati; quod ægrum solo jussu potenti et divino duntaxat sanarim in sabbato; cum vos ex lege Mosis censeatis licere sabbato circumcidere et vulnerare parvulum, ac circumcisi vulnus adhibitis emplastris sanare, sanguinemque restin-

(1) Hanc tamen Theophylacti interpunctionem secuti sunt, tum veterum multi, tum recentiorum interpretum plurimi; et ea admissa nexus existit orationis accuratior, et luculentior sensus.



guere, quod opus longe operosius, molestius et horribilius est. Causa est, quod non judicatis secundum rei operisque veritatem, sed secundum personarum dignitatem: me enim quasi vilem, pauperem et exosum contemnitis et abjicitis; vos vero cum Mose quasi principes et doctores exaltatis et laudatis. Nam revera, si secundum opus judicaretis, deberetis me cum Mose et vobis absolvere; aut si me damnatis, etiam Mosen et vos ipsos damnare: ego enim totum hominem sanavi sabbato, vos vero cum Mose in eodem parvulum circumcidendo, primo vulneratis, deinde sanatis; ac finis et scopus mihi tam pius est, quam Mosi et vobis, imo magis, quia non nisi ad Dei gloriam id feci, ut ostenderem me esse Messiam, ad salutem hominum a Deo missum: quare opus meum curationis fuit magis pium et divinum, quam sit opus vestrum circumcisionis. Ita S. Augustinus, Leontius, Cyrillus et Chrysostomus. Multi putant Christum hic conferre se cum Mose, illique se anteferre; sed aptius dicas Christum hic non cum Mose, sed cum Judæis, qui juxta legem Mosis circumcidebant in sabbato, se comparare. Nam Moses expresse nusquam jussit circumcidi hominem in sabbato, sed Scribæ ex eo quod Moses jusserat circumcidi infantem octavo die, inferebant: Ergo, si dies octavus sit sabbatum, illo circumcidendus est, non die sequenti.

Vers. 25. 25. DICEBANT ERGO (qui scilicet convicti erant hoc Christi argumento) QUIDAM EX HIEROSOLYMIS. — Arabicus et Syrus, *homines aliqui ex Jerusalem*: in hac enim urbe, utpote metropoli Judææ, in qua sola erat templum Dei, crebro docebat Christus, multaque signa edebat, ob quæ Hierosolymitæ multi in eum erant propensi; sed ob metum principum, id palam ostendere non audebant, ait Cyrillus qui et causam adjicit: « Recte docentium quippe sermo tanquam ostium et porta quædam est ad Dei cognitionem et ad omnem virtutem. »

NONNE HIC EST QUEM QUÆRUNT INTERFICERE? — « Illi noverant, ait S. Augustinus, qua sævitia Jesus quæreretur. » Falso ergo et fraudulenter alii dixerunt vers. 20: « Quis te quærit interficere? »

26. ET ECCE PALAM LOQUITUR, ET NIHIL EI DICUNT (Nonnus, « quid sibi hoc tantum omnium silentium »). NUMQUID VERE COGNOVERUNT PRINCIPES (Syrus, *seniores populi*) QUIA HIC EST CHRISTUS? — Idipsum sane cognoscebant, vel facile cognoscere poterant et debebant; sed superbia et odio excæcati, noluerunt eum ut Christum admittere, sed ad necem persecuti sunt. Non ergo ex amore Jesu, ut putabant hi Hierosolymitæ, illi pepercerunt; sed quia Jesus divina sua virtute cohibebat eorum mentem et manum, ne in se insilirent, quod Hierosolymitæ ignorabant.

27. SED HUNC SCIMUS UNDE SIT: CHRISTUS AUTEM CUM VENERIT, NEMO SCIT UNDE SIT. — *q. d.* Novimus Jesu parentes esse Joseph et Mariam, cap. VI, 42, at Christus « cum venerit, nemo scit, » id est scict, « unde, » id est quibus parentibus sit ortus: nam alioqui in genere Christum ex Bethlehem et semine David nasciturum confitentur ipsimet, vers. 42. Nota, hæc esse verba vulgi imperiti, quod putabat, quando Christus veniret, neminem cogniturum ejus parentes proximos, sed eum repente ignotis progenitoribus mundo appariturum. Quare natum in Bethlehem ibidem occulte latiturum, vel transferendum in longinquas regiones, ibique alendum usque ad virilem ætatem, ac tum ex improviso in Judæa appariturum. Alii alias de Christo fabellas confinxere. Ad quas inducti fuere *primo*, verbis Isaiæ, cap. LIII, 8: « Generationem ejus quis enarrabit; » *secundo*, ex Melchisedech, qui dicitur fuisse ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, id est *carens patre et matre*, *Hebr.* cap. VII, vers. 3; hic enim fuit typus Christi; *tertio*, ex illo Michææ, V, 2: « Egressus ejus a diebus æternitatis; » et ex illo Davidis: « Ex utero ante Luciferum genui te. » Quæ omnino intelligenda sunt, non de humana, sed de divina Christi natura, quam Judæi in Christo negabant; putabant enim ipsum merum fore hominem: quare censebant eum ab æterno fuisse in Bethlehem genitum, inde fuisse occultatum, donec suo tempore Judæis expectantibus sese conspicuum exhiberet: qua de causa Christus in seq. ad hominem respondet, docetque suam originem humanam ab eis sciri, sed non divinam, uti Prophetæ prædixerant. Ita Toletus, Jansenius, Franciscus Lucas et alii.

28. CLAMABAT ERGO JESUS IN TEMPLO DOCENS, ET DICENS: ET ME SCITIS, ET UNDE SIM SCITIS: ET A MEIPSO NON VENI, SED EST VERUS, QUI MISIT ME, QUEM VOS NESCITIS. — Est concessio. Loquitur enim Christus concedendo dandoque Judæis id quod dixerant: « Hunc scimus unde sit, » *q. d.* Concedo et do vobis quod dicitis, vos nosse meam prosapiam et parentes, etsi in rei veritate fallamini, nec eos noscatis: nam Judæi non noverant Christi divinitatem, ignorabant etiam Christi generationem humanam, quia putabant eum esse filium Joseph. Aliter S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et Maldonatus; *q. d.* « Me scitis, » id est me scire et nosse potestis ac debetis, scilicet me esse Messiam Dei Filium. Id enim vobis ex Prophetis probavi, et per miracula mea confirmavi (1).

CLAMABAT, — tum ut ostendat se nosse tacitas Hierosolymitanorum susurrationes, dicentium: « Hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. » « Quæ secrete loqueban-

(1) Multi hunc vers. 28 sic interpretantur: Vos dicitis, et me et patrem meum vobis notum esse; utrumque falso: Pater meus non est faber, ut vos putatis, sed Deus, cujus ego filius, legatus et interpres sum. Videntur tamen potius esse verba concedentis, *q. d.* Concedo vos nosse, me scilicet et natalitia mea; veruntamen veram meam originem, me de cœlo descendisse nescitis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tur, ait Chrysostomus, in medium adducit, aperte eos confundens, » tum ut suo clamore prædicationi suæ, quæ erat de re maximi momenti, attentionem conciliet et pondus addat.

A ME IPSO NON VENI, — sed missus a Patre : unde subdit : « sed est verus, » id est verax et fidelis Deus Pater, qui promissa sua Abrahæ et Davidi facta, de mittendo Messia ad hominum salutem, in me veraciter et fideliter adimplevit : « quem vos nescitis » esse meum Patrem, ac me misisse, ut sequitur, ad mundi redemptionem. Aut « nescitis, » hoc est, ei non obeditis, eum non amatis, nec colitis, perinde ac si eum nesciretis et non cognosceretis. Ita Theophylactus

29. EGO (Syrus, *ego vero*) SCIO EUM : QUIA AB IPSO SUM, ET IPSE ME MISIT. — « Ab ipso sum, » natus, ait S. Augustinus, per divinam et æternam generationem, utpote ejus filius proprius et naturalis; « et ipse me misit » in mundum per incarnationem. « Vide, ait Theophylactus, duas hoc loco in Christo naturas manifestari : per hoc enim quod ait : Ab ipso sum, substantia divina declaratur; cum vero ait : Et ille me misit, humana. »

Confutat ergo hic Christus Hierosolymitas, excusantes quod in ipsum non crederent, eo quod nossent ejus parentes, cum Christi parentes nemo sit cogniturus. Ostendit enim eos nec generationem suam divinam et Patrem æternum, nec humanam nosse, quod videlicet non ex Joseph, sed ex Spiritu Sancto in Virgine sit formatus et incarnatus. Quare hoc non obstare, quo minus in eum ut Messiam, cujus ignota sit prosapia, credere debeant.

30. QUÆREBANT ERGO EUM APPREHENDERE : ET NEMO MISIT IN ILLUM MANUS; QUIA NECDUM VENERAT HORA EJUS. — « Quærebant, » quinam? interrogat Chrysostomus, ac respondet : « Non multitudo, quæ non affectabat principatum, neque capiebatur invidia, sed sacerdotes. » Hi enim invidebant Jesu, quod a populo sibi præferretur, habereturque Messias : quare eum e medio tollere cogitarunt.

QUIA NONDUM VENERAT HORA EJUS, — « quo teneri ac pati decreverat, ait Theophylactus; quando enim tempestivum existimavit quod pateretur, tunc et crucifixoribus se permisit. Unde nomen horæ ostendit evidentem prudentiam et sapientiam Salvatoris : » quod scilicet non nisi hora, id est tempore opportuno et commodo a se destinato, pati morique voluerit. Passio enim hæc Christo fuit voluntaria et libera, non invita vel coacta, idque significat τὸ *hora ejus*, id est ab eo electa et morti suæ destinata. « Hora » vocatur tempus rei conveniens et congruum, ait Cyrillus, qui in exemplari Romano manuscripto fuse hic agit contra Ethnicos illos qui censent horas alias esse faustas hominibus, alias infaustas. Docet enim horas, æque ac homines, a Deo creatas, illius providentiæ subjici et ab ea gubernari.

Hic inciditur et sistit *Commentarius* eruditus S. Cyrilli *in Joannem*, in fine libri quarti ejusdem : nam quatuor libri sequentes, scilicet quintus, sextus, septimus et octavus, injuria temporum interciderunt : quare supplevit eos Judocus Clictovæus nuper Doctor Parisiensis. Ego vero germanos Cyrilli libros duos sequentes, scilicet quintum et sextum manuscriptos Romæ inveni : quare illos deinceps citabo, uti dixi in prœmio.

31. DE TURBA AUTEM MULTI CREDIDERUNT IN EUM, ET DICEBANT : CHRISTUS, CUM VENERIT, NUMQUID PLURA SIGNA FACIET, QUAM QUÆ HIC FACIT? — « De turba, » quia populus erat simplicior, candidior, humilior et avidior salutis suæ, quam sacerdotes et principes, qui auctoritati suæ et lucris metuentes, oderant Jesum, qui a populo summus habebatur doctor et Propheta, imo Messias : quare Scribæ et sacerdotes præ Christo parvi fiebant et negligebantur a populo, quod eos valde pungebat, et in Christi odium incitabat.

CHRISTUS CUM VENERIT. — *q. d.* Si adhuc Christus venturus esset, numquid plura miracula esset facturus quam Jesus faciat? utique non : cur ergo eum præsentem non accipiamus pro Christo? cur alium incertum exspectemus? Prudentis enim est acceptare certum pro incerto, ac præsens pro futuro. Viderat enim turba, et audierat plurima a Christo patrata esse miracula, quæ subticet Joannes, quia ab aliis tribus Evangelistis fuse jam narrata fuerunt. Ita Chrysostomus et Cyrillus, quem ex Romano codice manuscripto audi : « Turba in ducendis conjecturis optime se gerebat, gestarum rerum præstantia, suis quasi pedibus ad debitam credulitatem deducta, solam principum doctrinam circa Christum exspectans. » Et inferius : « Sed caput evasit in caudam, ut scriptum est. Nam qui præest, subsequitur, et cum Pharisæorum improbitate consentiens, in Christum effrænatus impetum facit. »

32. AUDIERUNT PHARISÆI TURBAM MURMURANTEM DE ILLO HÆC : ET MISERUNT PRINCIPES ET PHARISÆI MINISTROS, UT APPREHENDERENT EUM, — « tanquam populum commoventem ad seditionem, » ait Euthymius; sed revera ex invidia, qua Jesu invidebant sequelam et plausum populi.

PHARISÆI, — Græca et Syrus addunt : *et principes sacerdotum*. Pharisæi enim erant e concilio et magistratu, illique apud pontifices Jesum accusarunt, eosque in suam sententiam occidendi Jesum pertraxerunt.

33. DIXIT ERGO EIS JESUS : ADHUC MODICUM TEMPUS VOBISCUM SUM : ET VADO AD EUM QUI ME MISIT. — « Dixit eis, » scilicet ministris principum missis ad se comprehendendum, « ut eos alliceret, ait Chrysostomus, ostendendo se adventus eorum causam intelligere; » utque illi ad dominos suos hæc referrent. « Adhuc modicum tempus, *q. d.* Non diu vestris heris molestus ero, quia molestæ mihi sunt cum homicidis moræ, aufugiam ab impiis, » ait Cyrillus. Ergo adhuc sex menses apud vos vivam, prædicabo et docebo, scilicet a festo



Tabernaculorum, quod celebrabatur in septembri, usque ad Pascha, tunc enim mihi erit hora et tempus moriendi pro salute mundi, a Patre decretum. Quare frustra conamini nunc me capere et occidere; nil enim efficere poteritis Deo invito : ergo frustra laboratis et contra stimulum calcitratis. Ostendit hic Christus suam magnanimitatem, æque ac providentiam et potentiam divinam, qua principum contra se molimina deridet, et velut telas aranearum difflat.

VADO, — id est brevi vadam per mortem ad Patrem, qui me misit. « Dicendo vado, ait ex Chrysostomo Theophylactus, « significat mortem suam, » eamque voluntariam; quare in vanum principes conari illi vim inferre, eumque violenter capere. Nam « vado » idem est quod sponte ibo, meque vobis ad vincula, verbera et mortem offeram.

AD EUM QUI MISIT ME. — Hac particula significat Christus *primo*, se libenter abiturum ad mortem, utpote per eam iturum ad Patrem; *secundo*, persecutiones principum nihil illi nocituras, sed profuturas, quia e terra eum transmittent in cœlum : ita Chrysostomus et Euthymius; *tertio*, principes terret, quod iturus ad Patrem, illorum contra se odia sit Patri relaturus et vindictam postulaturus. Ita quoque Chrysostomus et Cyrillus in manuscriptum, quem audi : « Frustra in me impietatis gladium exacuistis, cohibete invidentiæ telum quod ad nihilum recidet, morti vitam non subjicietis, etc.; resurgam ad eum, qui misit me, ascendam in cœlum, vestræ nequitiæ accusationem apud angelos et homines præ me ferens. Illi enim redeuntem admirabuntur, illi procedentes obviam interrogabunt : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Ego vero respondebo : His plagatus sum in domo dilecti mei, » *Zachar.* XIII, 6.

34. QUÆRETIS ME, ET (id est *sed*) NON INVENIETIS : ET UBI EGO SUM, VOS NON POTESTIS VENIRE. — « Quæretis me, » id est quæretis alium Messiam, quem loco Christi habeatis, sed non invenietis, quia nullus alius est Christus, nisi ego, ita Toletus. Sed hoc obscurius est et remotius (1). Planius ergo et simplicius, *q. d.* Quando post mortem audietis me resurrexisse, ac per discipulos patrare miracula, quæretis me ut iterum capiatis et occidatis, ut scilicet plane meum nomen, famam, religionem exstirpetis et aboleatis : sed non invenietis, quia ego redivivus e terra in cœlum gloriose conscendam; ac licet Apostolos meos necetis, alios tamen substituam, qui vobis invitis meam doctrinam et Ecclesiam propagent per universum mundum, ita Rupertus.

*Tertio*, Jansenius et alii, *q. d.* Post mortem meam et ascensum in cœlum, prædicante Petro et Apostolis in Pentecoste, multi ex vobis, quod me tot bonorum datorem spreverint, pœnitentes et compuncti, ad me convertentur, tuncque quærent et desiderabunt me videre et audire, quem jam præsentem spernunt; sed non invenient, quia in cœlum conscendam. Sic et Cyrillus, qui et moraliter docet bonum, cum præsens est, amplectendum esse, ne, si elabatur, frustra illud requiramus. Nam « fronte capillata est, a tergo occasio calva, » ut apprehendi nequeat.

Tropologice : mirare et imitare Christi hic in respondendo æquanimitatem, æque ac constantiam. « Oportet enim, ait S. Cyrillus, mentem Deo addictam omnes iræ et passionum velut undarum impetus vitare, et mansuetis cogitationibus, velut serenis zephyris delectari. Plurimum autem satage, ut cum longanimitate verseris, et videaris omnibus patienter adversa tolerare; ac mentem quidem prorsus benignam habeas, verba vero vel ad inimicos non indecora facias. »

35. DIXERUNT ERGO JUDÆI AD SEMETIPSOS : QUO HIC ITURUS EST, QUIA NON INVENIEMUS EUM? NUMQUID IN DISPERSIONEM GENTIUM ITURUS EST, ET DOCTURUS GENTES?

36. QUIS EST HIC SERMO, QUEM DIXIT : QUÆRETIS ME, ET NON INVENIETIS : ET UBI SUM EGO, VOS NON POTESTIS VENIRE? — « In dispersionem Gentium; » Syrus, *ad regiones populorum*, hoc est ad gentes et populos toto orbe dispersos; inde epistolæ, quas ad eos scripsit S. Petrus, Jacobus, Joannes et Judas, dictæ sunt Catholicæ, id est universales et encyclicæ, id est circulares, quia scriptæ ad fideles per totum orbem sparsos. Judæi vero Gentiles suggillando vocabant dispersos, quasi toto orbe vagos, ait Chrysostomus, cum ipsi in Judæa collecti et adunati viverent; rursum, quasi varios errores, superstitiones et cultus dispersos, cum ipsi in unius veri Dei orthodoxa fide et religione adunati conspirarent, ac unanimes soli Deo servirent.

Judæi hic mentem Christi non assequuntur, quia in cœlum ipsum iturum non credebant : verum tamen dicunt; nam Judæis fidem Christi repellentibus, Apostoli eam jussu Christi traduxerunt ad Gentes, uti Judæis exprobrat Paulus, *Act.* XIII, 46.

37. IN NOVISSIMO AUTEM DIE MAGNO FESTIVITATIS, Vers. 37.
STABAT JESUS, ET CLAMABAT, DICENS : SI QUIS SITIT, VENIAT AD ME, ET BIBAT. — « In novissimo; » Syrus, *in die autem magno, qui erat ultimus festi*, puta in Octava festi Tabernaculorum : hoc enim festum celebrabatur per octo dies, ac dies octa-

(1) Magis tamen ad Toleti sensum delabor, quem Lampius in h. l. sic evolvit : « *Quæsitio Domini* intelligenda est, non quasi Jesum pro auxiliatore suo actu post excidium accipere Judæi desideraverint, ut Chrysostomus et Theophylactus; aut quasi per miracula ab Apostolis edita ad pœnitentiam ducti fuerint, ut Augustinus et Beda; aut quasi indicaretur, Judæos Jesum etiam post resurrectionem ad perdendum frustra quæsituros, ut Rupertus opinatur : sed quia suo modo, secundum suos conceptus, *quæsituri* erant *Messiam*, quod implicite idem erat ac *quærere Jesum*, quia extra illum alius Messias non erat exspectandus. »

vus tam magnus et celebris erat, quam primus atque vocabatur dies cœtus sive collectæ, quo scilicet totus populus collectus templum adibat, gratias agens Deo eique se commendans, inde domum remeabat. Vide dicta *Levit.* XXIII, 36. Voluit ergo Christus ultimo hoc festi die, toti populo abeunti sui desiderium, ac de sua religione scrupulum, imo ingentem aculeum injicere. Idem faciat concionator, ut in fine concionis aculeum menti abeuntium infigat, qui deinde assidue eos pungat et stimulet ad vitam in melius commutandam. Ita Chrysostomus : « Quoniam domum erant abituri, inquit, præbet eis ad salutem viatica. »

Symbolice : festum Scenopegiæ erat plenum voluptate et gaudio, ideoque erat typus resurrectionis et gaudii Beatorum, ad quod se ire paulo ante dixerat Christus, atque his se lumen eo ducens esse dicit. Ita Cyrillus.

SI QUIS SITIT, — suam salutem, felicitatem, beatam æternitatem : hæc enim summe cuilibet sitienda et desideranda est, tanquam summum et ultimum hominis bonum, ipsaque beatitudo ; hic « veniat ad me, » id est in me credat, uti Christus explicat vers. seq., « et bibat, » id est hauriat a me Evangelicam doctrinam, gratiam et spiritum, ipsumque Spiritum Sanctum, cum omnibus suis donis et virtutibus, qui eum deducat ad gloriam cœlestem, ubi omnis ejus sitis, omne desiderium, omnis cupido satiabitur et explebitur. His ergo aquis ego potabo eum, satiabo et inebriabo. Alludit ad *Isaiæ* LV, 1 : « Omnes sitientes, venite ad aquas, » etc. Vide ibi dicta (1).

38. QUI CREDIT IN ME (sicut oportet, scilicet fide charitate formata, sive qui credit, ut simul mihi meisque mandatis obediat), SICUT DICIT SCRIPTURA. — Hæc verba Chrysostomus cum suis refert ad id quod præcessit : « Qui credit in me. » Omnes enim Prophetæ de Christo prophetant, illique credi et obediri jubent. Melius alii passim referunt ad id quod sequitur : « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Sed ubi id dicit Scriptura ? *Primo*, Rupertus et S. Thomas hic, ac S. Hieronymus, *præfat. in Gen.*, id scriptum putant, *Proverb.* V, 16 : « Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide, » juxta sensum mysticum : nam illius loci alius est sensus litteralis, ut ibi dixi. *Secundo*, Franciscus Lucas id dictum putat *Isaiæ* LVIII, 11 : « Et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. » *Tertio*, plenissime, alii censent id scriptum non in uno loco, sed in multis, idque omnino non quoad verba, sed quoad rem et sensum. Passim enim Prophetæ prædicunt ubertatem spiritus et donorum spiritualium, instar fluminum dandam a Christo, ut *Joel.* II, 28 : « Effundam, ait, spiritum meum (quasi flumen, imo flumina) super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri. » Et *Isai.* XLI, 18 : « Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes : ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum. » Et cap. XLIV, vers. 3 : « Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam : effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. » Similia sunt, cap. LV, 1, et *Ezech.* XXXVI, 25, et *Eccli.* XXIV, 40 : « Ego sapientia, inquit, effudi flumina : Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvii dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso. » Et *Cant.* IV, 15 : « Fons hortorum, ait, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. »

FLUMINA DE VENTRE EJUS FLUENT AQUÆ VIVÆ. — « Flumina, » ait, non *flumen*, inquit S. Ambrosius et Theophylactus, ut denotet maximam copiam et abundantiam, æque ac vim, efficaciam et impetum spiritalium gratiarum et operationum, puta flumina charitatis, flumina virginitatis et virginum, flumina martyriorum et Martyrum ; flumina sapientiæ, flumina eloquentiæ Christianæ. Ita S. Chrysostomus : « Flumina dicit, inquit, ut abundantiam et copiam gratiæ significet. Sic et Rupertus, Theophylactus et alii, et S. Gregorius, homil. 10 *in Ezech.* : « Quia, inquit, de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt. Ventris autem viscera quid sunt aliud, nisi mentis interna, id est recta intentio, sanctum desiderium, humilis ad Deum, pia ad proximum voluntas ? » Flumina aquæ vivæ quæ sint.

Rursum S. Chrysostomus : Considera « Petri linguam, et Pauli impetum, et Stephani sapientiam, quos dicentes nihil effugit, sed omnes sequuntur a fluminibus quibusdam impetu ruentibus rapti, » uti factum est in Pentecoste, cum Petrus flumina spiritus sui eructans, una concione tria, et altera quinque millia Judæorum ad Christum convertit, *Act.* II. Hinc S. Hieronymus, epist. 61 *ad Pammach.* : « Paulus, ait, vas electionis, tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, flumen eloquentiæ Christianæ, etc., quem quotiescumque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua. » Et S. Chrysostomus, homil. 4 *De Laudibus S. Pauli* : « Paulus, inquit, est cœlum solem habens justitiæ, ipse mare sapientiæ purissimum et profundissimum. »

Nota : Christus est fons aquæ vivæ, id est gratiæ vitalis et vivificæ, juxta illud *Psal.* XXXV, 10 : « Quoniam apud te est fons vitæ. » Ex hoc fonte si bibamus, id est si Christo credamus et obediamus, fiet in nobis « fons aquæ salientis in vitam æternam, » ut Christus promisit Samaritanæ, IV, 14. Fons hic est Spiritus Sanctus sive ejus gratia abundans et copiosa : ab hoc fonte in anima habitante, plurima et perfectissima spiritualia dona et virtutes, quasi rivi et flumina multa in ipsam animam et corpus, ejusque potentias, actus et operationes, imo et ad proximos manant et profluunt. « Spiritus enim gratia, ait Chrysostomus, cum menti illapsa est, eamque irrigarit, omni fonte uberius scaturit, nunquam deficit, nunquam vacuatur, nunquam stat. Simul igitur et indeficientem copiam, incredibilem operationem, et fontem et fluvios appellavit. »

(1) Occasionem hæc verba recitandi sumpsisse Christus videtur a ritu singulis hujus festi diebus recepto, secundum quem Sacerdos aliquis cantharo aureo ex fonte *Siloa*, ad radices montis Sion scaturiente, extra Hierosolymam aquam hauriebat, eamque per *aquarum Portam* in Templum perferebat, tandemque vino mixtam, foramini magni altaris infundendo, libabat ; inter quæ *Hallel magnum* canebatur, hoc est *Psal.* CXIII—CXVIII. Hunc ritum exponit Jac. Frey, in Dissert. *de aquæ libatione in festo Tabernaculorum* ; conf. Lightfootum et Sepp, op. cui titulus in versione Gall. : *La Vie de N.-S. J.-C.*, t. I, p. 497.



Rivulus Spiritus Sancti est fides, ait S. Gregorius, rivulus est spes, rivulus est charitas, etc. Id ita esse patet, quia sic explicat Joannes dum subdit : « Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. »

DE VENTRE EJUS. — *Ventrem* per catachresin vocat interiora animæ. « De ventre » ergo, hoc est de corde et mente, quæ quasi venter est animæ ; ita S. Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius. Audi S. Augustinum : Venter interioris hominis est conscientia cordis, quæ isto liquore purgata fontem habebit, et ipsa fons erit : est autem fons et fluvius manans, benevolentia, quæ vult consulere proximo, et ideo non siccatur, quia manat.

FLUENT. — copiose per actus virtutum, per gratiæ effectus, per operationes et impulsus Spiritus Sancti, quibus non se tantum, sed et alios ducant in cœlum. Hujus enim fluminis spiritualis fons, id est scaturigo et origo est in cœlo, quare vi sua eo resilit unde exiliit, ac homines spiritales eodem resultu suo reducit, juxta illud cap. IV, vers. 14 : « Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. »

Aquæ vivæ quid triplex. AQUÆ VIVÆ. — Refer cum Syro ad *flumina*, q. d. Flumina non aquæ stantis et stagnantis, quæ videtur mortua, sed fluentis et exilientis, quæ videtur viva, fluent de ventre ejus. Fluent, inquam, « flumina, » id est abundantia aquæ vivæ, id est

Primo. *primo*, charitatis, ait S. Augustinus ; *secundo*, læ-
Secundo. titiæ spiritalis, juxta illud *Psal.* XLV : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, » ait S. Basilius
Tertio. in *Psal.* XLV ; *tertio*, doctrinæ Evangelicæ, ait
Quarto. S. Ambrosius ; *quarto*, felicitatis et gloriæ cœlestis : hanc enim Joannes comparat fluvio aquæ vitæ splendido tanquam crystallo, procedenti de sede Dei et Agni, *Apocal.* XXII, 1. Vide ibi
Quinto. dicta. *Quinto*, et plenissime, « aquæ vivæ, » id est omnis gratiæ et gloriæ, omnium charismatum et virtutum, omnium donorum Spiritus Sancti. Ita S. Chrysostomus, S. Cyrillus, Origenes, Leontius et alii, idque patet ex seq.

Vers. 39. 39. HOC AUTEM DIXIT DE SPIRITU, QUEM ACCEPTURI ERANT CREDENTES IN EUM : NONDUM ENIM ERAT SPIRITUS DATUS, QUIA JESUS NONDUM ERAT GLORIFICATUS. — « Accepturi » post mortem suam, merito ejusdem in Pentecoste : licet enim ante illam Apostoli aliique Sancti recepissent Spiritum Sanctum, tamen non in illa fluviali copia et abundantia, quæ in illos effusa fuit in Pentecoste : unde ipsi mox, quasi effluentia flumina universum mundum aridum, fluentis suæ prædicationis et virtutis irrigarunt, bonis operibus fœcundarunt, amore Dei inebriarunt, virtutibus omnibus inundarunt, per aquam vivam suæ gratiæ, vitæ et doctrinæ Christianæ.

NONDUM ENIM ERAT SPIRITUS (*sanctus*, ut addunt Græca) DATUS (in tanta copia et effusione, quanta in Pentecoste), QUIA JESUS NONDUM ERAT GLORIFICATUS. — Quia nondum a morte resurgens, et in cœlum conscendens, sedebat in gloria ad dexteram Dei Patris ; τὸ *enim* dat causam cur dixerit *accepturi* in futuro, non *acceperant* in præterito.

Quæres, cur ante ascensionem Christi Spiritus Sanctus non fuit datus visibiliter et copiose, uti post eam in Pentecoste ? Respondeo : *Primo*, S. Leo, serm. 2 *De Pentecoste* : Ut hæc donatio et effusio Spiritus Sancti cognosceretur esse fructus passionis Christi, ejusque ascensionis sive triumphi. Solent enim reges, cum regnum ineunt, vel triumphum de victis hostibus agunt, aurum et argentum copiose in populum spargere, publicæ lætitiæ et gratulationis causa. Sic Christus regnum cœleste iniens, ibique triumphans, mox in Pentecoste in fideles suos copiam gratiarum effudit, juxta illud : « Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre, effudit hunc quem vos videtis et auditis, *Actor.* II, 33. Vide ibi dicta. Unde vere S. Leo loco citato : « Domini ascensio, ait, dandi Spiritus fuit ratio, q. d. Ideo Christus ascendit in cœlum, ut inde mitteret Spiritum Sanctum. Cur Spiritus Sanctus datus post ascensionem Christi ; Causa Prima.

*Secunda* causa est, quod missio et effusio Spiritus Sancti in Pentecoste fuerit glorificatio Christi : Spiritus Sanctus enim per tot tantaque dona gloriam Christi, a quo mittebatur, mire illustravit ; dum per illa, tam mira per Apostolos operatus est, imo totum orbem ad Christum convertit, ut fideles ubique terrarum Christum colant et adorent.

*Tertia*, quia discipuli ante ascensionem Christi non erant capaces tam spiritalis doni : nimis carnaliter enim sentiebant de Christo, cum eoque agebant. Ita Jansenius.

*Quartam* dat S. Augustinus, *tract.* 32 : Noluit Dominus, inquit, dare Spiritum Sanctum nisi post resurrectionem, « ut in resurrectionem charitas nostra flagret, et ab amore sæculi separetur, ut tota currat in eum. » Audi S. Cyrillum : « Tunc Christus renovatæ naturæ principium extitit, cum vincula morti parvipendens iterum revixit. » Et inferius : « In Prophetis, ait, fuit lucens quidam splendor Sancti Spiritus, faxque prælucens, quæ ad futurorum notitiam eos deduceret ; at vero credentibus in Christum non

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

solum facula prælucens Spiritus Sanctus, sed ipse inhabitavit Spiritus Sanctus quasi in templo suo. »

Tunc ergo flumina gratiarum in fideles non paucos, sed plurimos, e cœlo fluxerunt, imo pluerunt. Inde enim manarunt tot millia Martyrum, pro fide Christi equuleos, ignes, leones generose superantium; tot chori virginum pro virginitate Christi et sua usque ad mortem invicte decertantium; tot examina monachorum et anachoretarum, qui in cœnobiis et desertis, a mundo separati Deo vixerunt, quasi homines cœlestes, et angeli terrestres; tot ordines Pontificum et Præsulum, qui sanctissime Ecclesias sibi commissas gubernarunt, et ad omnem sanctitatem efformarunt; tot centuriæ Doctorum, Prædicatorum, Confessorum, qui flumina suæ doctrinæ et pietatis per doctrinam et concionem, perque librorum flumina quaquaversum sparserunt, totumque orbem Dei cognitione illustrarunt, ejusque amore succenderunt; de quibus proinde ait *Eccli.* XXXIX, 9 : « Ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ; » tot denique myriades fidelium tam virorum quam mulierum, quæ sobrie, juste et pie viventes in hoc sæculo, avide exspectarunt et exspectant adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. An non hæc ingens est et perennis Christi glorificatio?

42. NONNE SCRIPTURA DICIT : QUIA EX SEMINE DAVID, ET DE BETHLEHEM CASTELLO, UBI ERAT DAVID, VENIT CHRISTUS? — *q. d.* De Bethlehem oppidulo Judææ, ubi natus et educatus est David, nascetur Christus quasi filius Davidis, uti prædixit Michæas V, 2. Ergo Jesus non est Christus, quia ipse est Galilæus, utpote conceptus, natus et educatus in Nazareth. Sed falluntur et errant; licet enim Christus conceptus et educatus esset in Nazareth, tamen natus erat in Bethlehem, ait Cyrillus, cumque ipsi tot portenta et tam evidentia signa Messiæ vidissent in Jesu, debebant de hoc uno, quod ipsi deesse putabant, certius inquirere, vel Jesum interrogare; quod si fecissent, intellexissent rei veritatem, nec patriam obstare Jesu, quominus ipse esset Christus, cognovissent : sed turbæ ex desidia, Scribæ ex invidia, id investigare neglexerunt, ideoque utrique sunt inexcusabiles.

43. DISSENSIO ITAQUE FACTA EST IN TURBA PROPTER EUM.

44. QUIDAM AUTEM EX IPSIS VOLEBANT APPREHENDERE EUM; SED NEMO MISIT SUPER EUM MANUS. — « Dissensio; » Græce, *schisma*, aliis Christum quasi novatorem accusantibus, aliis quasi Prophetam excusantibus et laudantibus, ac unaquaque parte pro sua opinione rixante, ait Euthymius.

IN TURBA, — « non in principibus : nam principes unius sententiæ fuerunt, ne susciperetur ipse ut Christus. » ait Theophylactus.

QUIDAM (præsertim ministri et satellites ad eum capiendum a principibus missi) VOLEBANT APPREHENDERE EUM (quasi auctorem schismatis, ne propter eum oriretur tumultus et seditio in populo); SED NEMO MISIT SUPER EUM MANUS. — Christus enim sua facundia et vultus majestate, sed multo magis sua occulta vi divina cohibuit eos, ne in se manus injicerent; necdum enim hora patiendi ab eo electa advenerat. Ita Cyrillus.

45. VENERUNT ERGO MINISTRI AD PONTIFICES ET PHARISÆOS (quasi ad heros a quibus missi erant), ET DIXERUNT EIS ILLI : QUARE NON ADDUXISTIS ILLUM? — « Quod venerunt, ait S. Chrysostomus, longe majus fuit, quam si apud Christum remansissent; sic enim liberati fuissent eorum molestia : nunc præcones fiunt sapientiæ Christi, et majorem præ se ferunt animum. »

ILLUM — novatorem, seductorem, falsum prophetam, ad quem capiendum vos misimus. Nomine enim proprio Jesu, eum vocare dedignantur.

46. RESPONDERUNT MINISTRI : NUNQUAM SIC LOCUTUS EST HOMO, SICUT HIC HOMO. — Quia hic non est verus homo, ut cæteri, sed homo Deus, quare loquitur et docet non humana, sed divina gratia, facundia, efficacia, majestate. Vide hic quanta fuerit vis dicendi in Christo, quanta auctoritas et dignitas, quæ ministros pontificum obstupefecit, ut licet vellent eum capere, tamen non possent, imo eum amare, revereri et colere cogerentur, idque ingenue et libere coram heris suis principibus, etiam si Christo infensissimis, profiterentur! Atque ita « principum improbitatem coarguit, ait Cyrillus, ostendens quam imbecilla et temeraria sit contra Deum pugnare. » « Potuissent sane, ait Chrysostomus, se excusare propter turbam (dicendo : Non fuimus ausi capere Jesum, ne turbam in eum propensam ad seditionem contra nos concitaremus), sed animi ostendunt rectitudinem, etc. Neque tam se illum admirari, quam qui se miserant ad eum ligandum, quem audire debuissent, accusare visi sunt, » *q. d.* Cur nos misistis ad talem tantumque veritatis doctorem capiendum? Ab eo enim vi sermonis capti sumus; et si vos ipsum audiretis, eadem caperemini. Quare, ut ait Theophylactus, « non curarunt iram Pharisæorum, neque quia ut servi missi fuerant, quæ placita erant principibus dixerunt, sed testabantur veritati. » Tanta est efficacia veritatis. Vere Sapiens : « Quis, inquit, cogitatus coget? Vis veritatis. »

Quare verisimile est multos ex his suavitate et veracitate Christi allectos et delectatos, postea per Petrum et Apostolos in Pentecoste concionantes, perfecte ad Christum fuisse conversos : Deus enim hoc præmium dedisse videtur eorum testimonio de Christo, tam sincero et magnanimo. Imo Glossa : « Laudabiliter, inquit, seducti erant, qui dimisso malo infidelitatis transierunt ad fidem. » Denique S. Cyrillus, in Manusc., existimat ministros hos ita Christum extulisse supra omnes homines, ut crederent vel suspicarentur eum esse



Deum, *q. d.* Quomodo caperemus eum, qui tantum supra nos extollitur, quantum supra hominem Deus?

47. RESPONDERUNT ERGO PHARISÆI (hostes Christi implacabiles, ut ait Nonnus) : NUMQUID ET VOS SEDUCTI ESTIS — ab hoc plano et impostore? Audi Chrysostomum : « Cum compungi et mutare sententiam oportuisset, accusant eos; mitius tamen, veriti ne tandem deficerent. Sed interrogandum fuerat, quid admiratione dignum Jesus loqueretur? id certe caverunt. » invidia in Jesum excæcati et in odio ipsius obstinati. Urget S. Cyrillus *et vos*, *q. d.* Turbæ ab ipso seductæ parcatur quod in eum credat; sed vos qui nostri estis ministri, et in eadem nobiscum incredulitate contabuistis, quomodo ab eo tam cito seduci potuistis, ut in eum credatis?

48. NUMQUID EX PRINCIPIBUS ALIQUIS CREDIDIT IN EUM, AUT EX PHARISÆIS? — *q. d.* Principes et Pharisæi, qui sunt prudentes et eruditi in lege, non credunt in Jesum; ergo ipse non est Christus. Est argumentum ab auctoritate, sed fallax et mendax; nam Principes hi et Pharisæi erant jurati Jesu hostes, quia ipse vitia eorum taxabat. Falluntur tamen; nam nonnulli Principum privatim et occulte favebant Jesu, in eumque credebant, inter quos fuit Nicodemus, cap. III, vers. 1. Sapienter S. Augustinus : Qui non noverant legem, inquit, credebant in eum, qui miserat legem; eum vero condemnabant, qui legem docebant, ut illud impleretur : Ego veni ut non videntes videant, et videntes cæci fiant.

49. SED TURBA HÆC, QUÆ NON NOVIT LEGEM, MALEDICTI SUNT. — Maledicta est; sed dicunt « maledicti » in plurali, quia in turba erant multi. Est syllepsis. Alludunt ad *Deut.* XXVII, 26 : « Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit; » *q. d.* Maledictus a Deo est, qui a Mose et lege transit ad Jesum ejusque Evangelium, fitque apostata. Hac voce maledictionis Pharisæi ministros cæterosque perterrefacere conantur, et a fide amoreque Jesu abstrahere. Audi Theophylactum : « Maledictam turbam aiunt eo quod credidit, ipsi innumeris maledictis digni, utpote increduli et aliis incredulitatis auctores. » Quocirca Rupertus hanc ipsorum maledictionem in ipsosmet retorquens : « Profecto, inquit, turba illa verius contra dixisset : Istud vanitatis concilium et ecclesia malignantium, quæ non facit legem, maledicti sunt. » Nam, ut ait S. Cyrillus : « Sapientes dum se venditant, fatui redduntur. Nam dum scire se legem profitentur, semetipsos incredulitatis accusant, » æque ac ignorantiæ, quod Christum lege promissum et jam præsentem non agnoscant, ideoque maledicendi et exterminandi a Deo, ut prædixit Moses, *Deut.* XVIII, 19.

50. DIXIT NICODEMUS AD EOS, ILLE QUI VENIT AD EUM NOCTE, QUI UNUS ERAT EX IPSIS :

51. NUMQUID LEX NOSTRA JUDICAT HOMINEM, NISI PRIUS AUDIERIT AB IPSO, ET COGNOVERIT QUID FACIAT? — « Lex nostra, » id est praxis legis nostræ, petita tum ex ipsa lege, tum potius ex ipso jure naturæ et gentium : lex Mosaica enim licet, *Deut.* XIII, 14, jubeat examinari crimen rei, antequam damnetur; tamen expresse non jubet eum audiri, nec vetat inauditum condemnari, si testibus, vel aliis argumentis reus esse convincatur. Taxat Nicodemus collegas suos principes, quasi legis et juris naturæ violatores, sed tacite et modeste, veritus eorum iras, unde suadet ut Jesum audiant et examinent. Nam, ut ait S. Augustinus : « Credebat (sperabat) quia si tantummodo eum vellent patienter audire, forte similes fierent illis (ministris) qui missi sunt tenere, et maluerunt credere. » Porro, Cyrillus asserit Nicodemum ex stimulo conscientiæ hæc dixisse : « Sed noxia adhuc verecundia laborans, inquit, nec zelo loquendi libertatem admiscens, non sinit inhærentem in se fidem nudam conspici, sed obscuro quodam pallio, simulatione se obtegens, adhuc aliquo modo latet Christi defensor; cum deceat credentes apertam præ se ferre libertatem, ac sine metu et pudore clare fidem veram profiteri, » uti fecit Paulus dicens : « Non erubesco Evangelium; virtus enim Dei est in salutem omni credenti, » *Rom.* I. Hæc Cyrillus.

52. RESPONDERUNT, ET DIXERUNT EI : NUMQUID ET TU GALILÆUS ES? SCRUTARE SCRIPTURAS, ET VIDE QUIA A GALILÆA PROPHETA NON SURGIT. — « Galilæus; » Græce, *ex Galilæa*, *q. d.* Numquid tu, ob communem patriam cum Jesu Galilæo, ejus patronus es, fautor et defensor?

SCRUTARE SCRIPTURAS. — « Contumeliose, ait Chrysostomus, tanquam inscio Scripturæ respondent, *q. d.* Acquiesce nobis et disce. » Nam, ut ait Theophylactus : « Ignominia eum afficientes quasi imperitum, dicunt : Scrutare, hoc est vade, disce; quia ad hoc usque tempus non didicisti, quia a Galilæa propheta non surgit. » Legit Interpres cum Nonno et Arabico ἐγείρεται, id est *surgit*, jam legunt ἐγήγερται, id est *surrexit*. Hoc Pharisæorum axioma *primo* falsum est; Debora enim prophetissa fuit Galilæa, puta ex tribu Nephtali vel Zabulon, *Judic.* IV, 4, 5, 6. Sic et Anna prophetissa fuit Galilæa, utpote ex tribu Aser, *Lucæ* II, 36. Sic Nahum propheta fuit Elcesæus, id est oriundus ex Elcese, vico Galilææ, ait S. Hieronymus, proœmio *in Nahum*. Similiter in Samaria, quæ erat vicina Galilææ, ac in toto regno Israel, cujus præcipua pars erat Galilæa, sub regibus idololatris multi fuerunt Prophetæ, qui eos de idololatria redarguerunt, uti Elias, Eliseus et filii Prophetarum, adeo ut Abdias, dispensator Achab regis, centum ex eis absconderit in speluncis, ne a Jezabel, uxore Achab, interficerentur, III *Reg.* XVIII, 4.

*Secundo*, temerarium est, quia, etiamsi ante id tempus nemo Propheta ex Galilæa ortus fuisset, jam tamen oriri et nasci poterat : idem enim ob-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jici potuisset Eliæ Thesbitæ : Ex Thesbi huc usque non surrexit Propheta; ergo Elias, natus in Thesbi, non est propheta; et cuivis alteri prophetæ in sua gente primo.

*Tertio*, stultum est, quia Nicodemus non dixerat Jesum Galilæum esse Prophetam, sed tantum esse audiendum, nec inauditum esse condemnandum. Ita invidia et odio excæcati, actu furoris abripiuntur, ut multa contra judicium rationis perpetrent imprudenter, false, temerarie, stulte.

53. Et reversi sunt unusquisque in domum suam. Vers. 53. — « Timentes ne forte etiam quispiam alius similia Nicodemo diceret, » ait Euthymius; quare distulerunt suum de Jesu capiendo ... necando consilium, sed non revocarunt, nec mutarunt. Hanc dilationem fecit Deus per Nicodemi interlocutionem, quia necdum venerat hora morti Jesu ab ipso decreta.

# CAPUT OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Jesus adulteram a Scribis accusatam absolvit. Secundo, vers. 12, asserit se esse lucem mundi, ac Judæos nisi in se credant, in peccatis suis morituros. Tertio, vers. 25, ait se esse principium, ac credentes in se liberare a peccatis; Judæos vero incredulos esse peccator... ...vos peccati, vers. 34, ac natos ex patre diabolo, vers. 44. Quarto, vers. 49, Judæis sibi objicient... quod habeat dæmonium, et sit Samaritanus, respondet se dæmonium non habere, sed Patrem cœlestem honorificare. Quinto, vers. 58, asseverat se fuisse ante Abraham, ideoque Judæis eum lapidare volentibus sese abscondit.*

1. Jesus autem perrexit in montem Oliveti; 2. et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos. 3. Adducunt autem Scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam; et statuerunt eam in medio, 4. et dixerunt ei : Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. 5. In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. 7. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis : Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. 8. Et iterum se inclinans scribebat, in terra. 9. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus : et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans. 10. Erigens autem se Jesus, dixit ei : Mulier, ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnavit? 11. Quæ dixit : Nemo, Domine. Dixit autem Jesus : Nec ego te condemnabo. Vade, et jam amplius noli peccare. 12. Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens : Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. 13. Dixerunt ergo ei Pharisæi : Tu de teipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum. 14. Respondit Jesus, et dixit eis : Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum; quia scio unde veni, et quo vado : vos autem nescitis unde venio, aut quo vado. 15. Vos secundum carnem judicatis; ego non judico quemquam : 16. et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum; sed ego, et qui misit me, Pater. 17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. 18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. 19. Dicebant ergo ei : Ubi est Pater tuus? Respondit Jesus : Neque me scitis, neque Patrem meum; si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. 20. Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo; et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus. 21. Dixit ergo iterum eis Jesus : Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. 22. Dicebant ergo Judæi : Numquid interficiet semetipsum, quia dixit : Quo ego vado, vos non potestis venire? 23. Et dicebat eis : Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. 24. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris : si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. 25. Dicebant ergo ei : Tu quis es? Dixit eis Jesus : Principium, qui et loquor vobis. 26. Multa habeo de vobis loqui et judicare; sed qui me misit, verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. 27. Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum. 28. Dixit ergo eis Jesus : Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor : 29. et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum; quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper. 30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. 31. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos : Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis; 32. et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. 33. Responderunt ei : Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam; quomodo tu dicis : Liberi eritis? 34. Respondit eis Jesus : Amen, amen dico vobis : quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. 35. Servus autem non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum : 36. si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. 37. Scio quia filii Abrahæ estis; sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. 38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor; et vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. 39. Responderunt, et dixerunt ei : Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. 40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo : hoc Abraham non fecit. 41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati; unum patrem habemus Deum. 42. Dixit ergo eis Jesus : Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me, ego enim ex Deo processi, et veni; neque enim a meipso veni, sed ille me misit. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. 44. Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit; quia non est veritas in eo : cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus. 45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. 48. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes? 49. Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo; sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. 50. Ego autem non quæro gloriam meam : est qui quærat, et judicet. 51. Amen, amen dico vobis : Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. 52. Dixerunt ergo Judæi : Nunc cognovimus quia dæmonium habes : Abraham mortuus est, et Prophetæ; et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. 53. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est, et Prophetæ mortui sunt? Quem teipsum facis? 54. Respondit Jesus : Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est : est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, 55. et non cognovistis eum; ego autem novi eum; et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo. 56. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est. 57. Dixerunt ergo Judæi ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? 58. Dixit eis Jesus : Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. 59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.



1. Jesus autem perrexit in montem Oliveti. — Jesus toto die octavo et ultimo festi Tabernaculorum docuerat Hierosolymis in templo, et Pharisæos confutarat : illi vespere domum ad cœnam lautam redierunt de more, Jesum vero nullus invitavit ad hospitium et cœnam, ob metum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jici potuisset Eliæ Thesbitæ : Ex Thesbi huc usque non surrexit Propheta; ergo Elias, natus in Thesbi, non est propheta; et cuivis alteri prophetæ in sua gente primo.

*Tertio*, stultum est, quia Nicodemus non dixerat Jesum Galilæum esse Prophetam, sed tantum esse audiendum, nec inauditum esse condemnandum. Ita invidia et odio excæcati, actu furoris abripiuntur, ut multa contra judicium rationis perpetrent imprudenter, false, temerarie, stulte.

53. ET REVERSI SUNT UNUSQUISQUE IN DOMUM SUAM. Vers. 53. — « Timentes ne forte etiam quispiam alius similia Nicodemo diceret, » ait Euthymius; quare distulerunt suum de Jesu capiendo et necando consilium, sed non revocarunt, nec mutarunt. Hanc dilationem fecit Deus per Nicodemi interlocutionem, quia necdum venerat hora morti Jesu ab ipso decreta.

# CAPUT OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Jesus adulteram a Scribis accusatam absolvit. Secundo, vers. 12, asserit se esse lucem mundi, ac Judæos nisi in se credant, in peccatis suis morituros. Tertio, vers. 25, ait se esse principium, ac credentes in se liberare a peccatis; Judæos vero incredulos esse peccator[illegible] vos peccati, vers. 34, ac natos ex patre diabolo, vers. 44. Quarto, vers. 49, Judæis sibi objicient[illegible] quod habeat dæmonium, et sit Samaritanus, respondet se dæmonium non habere, sed Patrem cœlestem honorificare. Quinto, vers. 58, asseverat se fuisse ante Abraham, ideoque Judæis eum lapidare volentibus sese abscondit.*

1. Jesus autem perrexit in montem Oliveti; 2. et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos. 3. Adducunt autem Scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam; et statuerunt eam in medio, 4. et dixerunt ei : Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. 5. In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. 7. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis : Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. 8. Et iterum se inclinans scribebat, in terra. 9. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus : et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans. 10. Erigens autem se Jesus, dixit ei : Mulier, ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnavit? 11. Quæ dixit : Nemo, Domine. Dixit autem Jesus : Nec ego te condemnabo. Vade, et jam amplius noli peccare. 12. Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens : Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. 13. Dixerunt ergo ei Pharisæi : Tu de teipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum. 14. Respondit Jesus, et dixit eis : Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum; quia scio unde veni, et quo vado : vos autem nescitis unde venio, aut quo vado. 15. Vos secundum carnem judicatis; ego non judico quemquam : 16. et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum; sed ego, et qui misit me, Pater. 17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. 18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. 19. Dicebant ergo ei : Ubi est Pater tuus? Respondit Jesus : Neque me scitis, neque Patrem meum; si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. 20. Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo; et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus. 21. Dixit ergo iterum eis Jesus : Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. 22. Dicebant ergo Judæi : Numquid interficiet semetipsum, quia dixit : Quo ego vado, vos non potestis venire? 23. Et dicebat eis : Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. 24. Dixi ergo vobis,



quia moriemini in peccatis vestris : si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. 25. Dicebant ergo ei : Tu quis es? Dixit eis Jesus : Principium, qui et loquor vobis. 26. Multa habeo de vobis loqui et judicare; sed qui me misit, verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. 27. Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum. 28. Dixit ergo eis Jesus : Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor : 29. et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum; quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper. 30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. 31. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos : Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis; 32. et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. 33. Responderunt ei : Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam; quomodo tu dicis : Liberi eritis? 34. Respondit eis Jesus : Amen, amen dico vobis : quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. 35. Servus autem non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum : 36. si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. 37. Scio quia filii Abrahæ estis; sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. 38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor; et vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. 39. Responderunt, et dixerunt ei : Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. 40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo : hoc Abraham non fecit. 41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati; unum patrem habemus Deum. 42. Dixit ergo eis Jesus : Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me, ego enim ex Deo processi, et veni; neque enim a meipso veni, sed ille me misit. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. 44. Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit; quia non est veritas in eo : cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus. 45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. 48. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes? 49. Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo; sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. 50. Ego autem non quæro gloriam meam : est qui quærat, et judicet. 51. Amen, amen dico vobis : Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. 52. Dixerunt ergo Judæi : Nunc cognovimus quia dæmonium habes : Abraham mortuus est, et Prophetæ; et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. 53. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est, et Prophetæ mortui sunt? Quem teipsum facis? 54. Respondit Jesus : Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est : est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, 55. et non cognovistis eum; ego autem novi eum; et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo. 56. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est. 57. Dixerunt ergo Judæi ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? 58. Dixit eis Jesus : Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. 59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.

1. JESUS AUTEM PERREXIT IN MONTEM OLIVETI. — Jesus toto die octavo et ultimo festi Tabernaculorum docuerat Hierosolymis in templo, et Pharisæos confutarat : illi vespere domum ad cœnam lautam redierunt de more, Jesum vero nullus invitavit ad hospitium et cœnam, ob metum

Principum et Pharisæorum. Jesus ergo e templo jejunus ivit in montem Oliveti, puta in hortum villæ Gethsemani, ut ibi sub dio pernoctaret in oratione, ut colligitur ex cap. XVIII, vers. 1 et 2, et ex *Matth.* XXVI, 36. Cibus ei vel a Martha ex vicina Bethania submissus fuit, vel a discipulis Hierosolymæ coemptus. Hic igitur Christus hortum hunc in monte Olivarum, quasi nocturnum hospitium, imo oratorium elegit et designavit sex mensibus ante mortem, ultimo die festo Tabernaculorum, ad quod deinceps e Jerusalem noctu oraturus secedere solebat. Unde Judas hanc ejus consuetudinem sciens, ibidem eum Judæis prodidit, *Matth.* XXVI, 36. Vide ibi dicta.

Hortum in monte Olivarum quasi nocturnum hospitium et oratorium elegit sibi Christus [illegible]

Mons Olivarum est olei symbolum et misericordiæ, quam ibi ostendit Christus, orans obsecransque Patrem pro venia et salute peccatorum, juxta illud : « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto, » *Luc.* I. Festum Tabernaculorum significabat Christum et Christianos hic esse hospites et peregrinos, qui in tabernaculis versantur, et tendunt ad patriam cœlestem, ideoque ex urbe Jerusalem opulenta et splendida pergunt ad montem olei cœlestis, ut ibi per orationem, gratiam et gloriam a Deo hauriant.

2. Et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos. — Noctem ergo Christus dabat orationi, diem doctrinæ et prædicationi, ut idem facere a Christo discat vir Apostolicus, uti fecit S. Paulus, S. Franciscus Xaverius et similes.

3. Adducunt autem Scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam; et statuerunt eam in medio.

4. Et dixerunt ei : Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio.

5. In lege autem Moyses mandavit hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? — Nota : hanc adulteræ historiam non habent, nec legunt S. Cyrillus, S. Chrysostomus aliique Græci interpretes, neque Syrus. Legunt tamen eamdem omnes Latini et Arabicus, ac legendam esse docet Vulgata versio, quam probavit Concilium Tridentinum, *sess.* 4. Unde patet illam esse canonicam, ac legitimam partem sanctæ Scripturæ (1).

Lapidare. — Nota : Lex Mosis tantum jubebat occidi adulteras, *Levit.* XX, 10, eas autem lapidari jussere principes ex traditione et explicatione Scribarum et Rabbinorum. Lex enim in simili casu jubebat lapidari feminam viro desponsatam, si adulterasset, *Deut.* XXII, 24. Unde Scribæ multo justius hanc lapidationis pœnam ad uxorem adulteram extenderunt. Ita passim interpretes. Verum, *Levit.* XX; 10, ostendi pœnam mortis intentatam adulteris fuisse lapidationem, quæ ibidem nominatur initio capitis, ideoque ad sequentes casus, et consequenter ad adulteros extendenda est : unde et eadem in fine capitis repetitur, quasi ad cæteros capitis casus pertineat. Idem patet ex *Ezech.* XVI, 38, collato cum vers. 40. Hinc Susannam quasi adulteram voluerunt lapidare; sed ejus innocentia cognita, senes ejus accusatores falsæ accusationis a Daniele convicti, pœna talionis damnati, lapidati sunt, *Dan.* XIII, 62. Sic et Romani, Saxones, Persæ, Ægyptii, Arabes, Parthi, Turcæ, Brasilii aliæque gentes adulteria puniverunt morte, uti ostendi *Gen.* XXXVIII, 24; *Num.* V, in fine capitis.

6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. — « Ut possent accusare eum, » quasi Mosi et legi contrarium, si diceret adulteram non esse lapidandam; sin eam lapidandam assereret, ipsum apud populum traducerent, quasi rigidum et immitem, qui summe volebat haberi clemens. Potius vero putabant eum dicturum non esse lapidandam, « ob servandam suæ mansuetudinis formam, ne populorum favores amitteret, » ait Rupertus. Sic et Beda, Euthymius et S. Augustinus, quem audi : « Animadverterant eum nimium esse mitem, dixerunt ergo apud se : Si eam dimitti censuerit, justitiam non tenebit, quam lex jubet; ut vero mansuetudinem non perdat, in qua jam populis amabilis factus est, eam dimitti debere dicturus est, ita nos ad accusandum occasionem inveniemus : sed Dominus et in respondendo justitiam servavit, et a mansuetudine non recessit. » Putabant ergo eum accusare quod adulteram absolvens, violaret legem, et judicia tribunalium everteret, ac adulterandi januam aperiret. « Dicentes, ait S. Augustinus, hostis es legis, contra Mosen judicas, imo contra eum qui per Mosen legem dedit : reus es mortis, cum illa et tu lapidandus.

Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. — *Primo*, ut vultum averteret, dorsumque obverteret non tam infami adulteræ, ut volunt nonnulli, quam ipsis Scribis eam accusantibus, *q. d.* Quid apud me accusatis adulteram, qui non sum judex civilis, nec peccatorum damnator, sed medicus et salvator? Ita S. Augustinus, Jansenius, Euthymius, Franciscus Lucas. Unde Græci codices nonnulli addunt : μὴ προσποιούμενος, id est *non sibi attrahens*, non usurpans, non advertens se ab eis et eorum accusatione : licet Toletus et alii vertant, « non fingens, non simulans se » scribere, sed revera scribens in terra : utrumque significat vox Græca, et utrumque verum est, ac huic loco congruum.

Cur Christus digito scribebat in terra?

*Secundo* et potius, alludit Christus ad illud *Jerem.* XVII, 1 : « Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino; » et, ut ait S. Augustinus, S. Hieronymus et alii magis proprie ad vers. 13 : « Omnes, qui te derelinquunt, confundentur : recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum, » *q. d.* Vos, o Scribæ, hic ad vivum pinxit Jeremias : vos adulteram accusatis, sed vos majora quam illa perpetrastis scelera; magis ergo vos quam illa lapidandi, imo ad gehennam damnandi estis. Vestrum enim rebellionis, infidelitatis, obstinationis, persecutionis contra me peccatum est indelebile, ac quasi scriptum stylo ferreo in ungue adamantino, quia vos dereliquistis Dominum illique dorsum obvertistis; hinc vicissim ille vos dereliquit et dorsum suum obvertit, sicut ego vobis obverto, atque vos confundet, juxta illud *Jerem.* XVIII, 17 : « Sicut ventus urens dispergam eos (de terra) coram inimico; dorsum, et non faciem, ostendam eis in die perditionis eorum. » Quæsivistis bona terrena, neglectis cœlestibus, hoc est exilia, brevia, vana, idcirco cum illis brevi transibitis et abolebimini, sicut quod in terra scribitur, cito vel vento flante, vel pede calcante aboletur. Recessistis a Deo, idcirco non in cœlo, sed in terra, imo in centro terræ, puta in inferno, scribemini, eritis folles et fomenta gehennæ. Vide dicta *Jerem.* XVII. Ita S. Augustinus, lib. IV *De Consensu Evangel.*, cap. X; S. Ambrosius, epist. 76 *ad Studium* : « Scribebat, ait, in terra digito, quo scripserat legem : peccatores in terra scribuntur, justi in cœlo. »

Symbolice : S. Augustinus loco citato duas alias addit causas. *Prima* est, ut ostenderet se in terra miracula facere; quia cum Deus esset, se humiliavit ut homo fieret : miracula enim sunt signa quæ in terra fiunt. *Secunda*, ut innueret jam adesse tempus, quo in terra, quæ fructum daret, non in lapide sterili, sicut olim, lex ejus conscriberetur. *Tertiam* addit hic, *tract.* 33, ut significaret se eumdem illum esse qui legem veterem digito scripserat in tabulis lapideis, non autem sic legem novam scribendam, sed in terra fructifera.

Quæres, quidnam Christus scribebat in terra? Respondeo : Christus hæc egit et scripsit in atrio templi, quod erat lapidibus stratum : quare in illis non poterat characteres litterarum exprimere, sed tantum digito circumducto delineare. Videtur autem delineasse aliquid, quod Scribis pudorem et ruborem injiceret, aut eorum peccata argueret; nam hanc scripturam mox verbo explicans, subdit : « Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. » Imo S. Hieronymus, lib. II *Contra Pelag.*, ait Jesum in terra scripsisse « eorum qui accusabant (Scribarum) et omnium peccata mortalia. » S. Ambrosius vero, *epist.* 56 : « Quid, ait, scribebat nisi illud propheticum, *Jerem.* XXII, 30, Terra scribe hos viros abdicatos? » quod de Jechonia ad litteram scriptum est. Idem, *epist.* 79, censet Jesum inter alia scripsisse : « Festucam quæ in oculo fratris tui est, vides; trabem vero quæ in oculo tuo est, non vides. » Alii censent scripsisse : *Mane, tekel, phares*, quod Balthasari scriptum attulit exitium, *Daniel.* V, 25, eo enim alludere videtur. Verum quid in particulari scripserit Christus, certo definiri nequit.

7. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis : Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. — « Cum ergo perseverarent, » quia quid Christus in terra delinearet, non satis perspiciebant, vel certe se perspicere dissimulabant. Urgent ergo eum ut ad quæstionem ipsorum captiosam explicite respondeat, putantes Christum non posse hoc eorum dilemma cornutum evadere, qui aut in legem, si adulteram absolveret, vel in misericordiam suam solitam, si eam damnaret, offenderet.

Qui sine peccato est. — Græcum ἀναμάρτητος, duo significat : *primo*, eum qui est impeccabilis, qualis est solus Deus et Beati; *secundo*, eum qui caret peccato. Et sic hic accipitur, *q. d.* Vos, o Scribæ, similia, imo majora, quam hæc adultera commisistis peccata, uti vestra conscientia (ad quam vos prudenter et modeste remitto) vobis attestatur. Ergo nolite tam rigide et importune urgere damnationem hujus adulteræ, sed potius conscii vestrorum scelerum ipsius misereamini, illique parcite, quasi peccatores peccatrici, rei reæ, puniendi puniendæ : alioqui si illam condemnatis, vos pariter condemnare debetis; si illam lapidare vultis, vos multo magis lapidandi, imo comburendi estis. Vide hic prudentiam Christi : concedit Scribis adulteram ream esse mortis, itaque legi patrocinatur; sed addit, Scribas illam ad necem tam pertinaciter perurgere non debere, quin potius ei condolere et misereri, cum ipsi exterius coram populo sanctitatem simulantes, interius vero majorum scelerum conscii, sibi a Deo et hominibus indulgeri, et clementiam veniamque exhiberi velint. Ita S. Augustinus : « Audistis, inquit, impleatur lex, lapidetur adultera : sed numquid in illa lex punienda est a puniendis? » Et nonnullis interjectis : « Non dixit Jesus : Ne lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Absit autem ut diceret : Lapidetur; venit enim non perdere quod invenerat, sed quærere quod perierat. Quid ergo respondit? Qui sine peccato est vestrum, prior in illam lapidem mittat. O responsio sapientiæ! quomodo eos intromisit in se? Foris calumniabantur, seipsos intus non perscrutabantur. » Audi S. Ambrosium, *epist.* 76 : « Quid, inquit, tam divinum, quam illa sententia, ut is peccata puniat, qui ipse expers peccati sit? Quomodo enim feras alieni ultorem et proprii criminis defensorem? Nonne se magis ipse condemnat, qui in alio damnat, quod ipse committit? »

Dices : Christus hic videtur evertere usum et rigorem judicii et tribunalium. Si enim judici dicas : « Qui sine peccato est, primus reum damnet, » nemo eum damnare audebit; omnes enim, quia homines, sunt infirmi et peccatores. Respondeo, Christum hanc sententiam non torquere

(1) Hac de re exstat apud Kuinoelium, in h. l., fusa disputatio.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

in judices, sed contra Scribas, qui quasi privati ex privato zelo contendebant, ut Christus judicium adulteræ sibi usurparet, et juxta legem eam damnaret : quod ipse merito abnuit (quia venerat peccatores salvare, non damnare) et in ipsosmet retorsit, *q. d.* Si vos, cum non sitis judices, urget tanta cupido vel libido adulterium hoc puniendi, vos ipsi ejus judicium usurpate, et adulteram lapidate, si tam puri et sancti estis, ut nec adulterium, nec aliud scelus commiseritis : nam si Scribæ hi fuissent judices, et adulteram juxta legem ad lapidationem damnassent, neutiquam eam Jesus liberasset, nec a merita legis pœna absolvisset. Porro, judicis officium est damnare reum, si is de crimine convincatur, etiamsi ipse ejusdem vel similis sceleris sciat se reum; indecens tamen est, ut ipse, si sit reus, alium ejusdem criminis reum damnet. Quare tacite monet Christus hic judices, ut innocentem vitam agant, itaque digni sint, qui nocentes damnent, ne eis populus occlamet : Si hunc damnas, damna pariter teipsum.

Moraliter docet hic Christus, eum qui vult aliena crimina judicare et carpere, prius debere judicare sua. Causam dat S. Gregorius, lib. IV *Moral.*, cap. XIII : « Qui enim semetipsum prius non judicat, quid in alio rectum judicet, ignorat. Et si novit fortasse per auditum, quod rectum judicare debeat; recte tamen judicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam judicii regulam præbet. Hinc est enim quod insidiantibus quibusdam, et puniendam adulteram deducentibus dicitur : Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Ad aliena quippe punienda peccata ibant, et sua relinquebant. Revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant, et tunc aliena reprehendant. » Hoc significant illa jactata vulgo proverbia : Tua prius vineta cædito : In tuum ipsius sinum prior inspue : In alienis vitiis sumus lynces, et in nostris talpæ : Aliorum medicus, ipse ulceribus scates : Medice, tibi ipsi medicus esto.

8. ET ITERUM SE INCLINANS, SCRIBEBAT IN TERRA.— Tum ut pudorem rursum eis injiceret, tum ut honesta abeundi Scribis spatium daret. Ita S. Hieronymus, lib. II *Contra Pelag.* : « Dedit, ait, verecundiæ eorum clementissimus judex spatium recedendi. » Et Beda : « Alio vultum intendens, ait, liberum eis fecit exire, quos sua responsione perculsos, citius exituros, quam plura interrogaturos esse, præviderat. »

9. AUDIENTES AUTEM UNUS POST UNUM EXIBANT, INCIPIENTES A SENIORIBUS : ET REMANSIT SOLUS JESUS, ET MULIER IN MEDIO STANS. — « Audientes, » Græci codices nonnulli addunt : *et a conscientia redarguti*; Arabicus, *cum autem audissent hoc, ex eo intelligentes ignominiam, cœperunt exire* : quia male sibi conscii erubescebant de suis sceleribus, quodque adulteram damnare vellent, cum ipsi essent adulteri, vel adulteris sceleratiores. Æquam enim sententiam dixerat et dictarat Christus, quæ ipsos, imo quoslibet ferire et compungere potuisset. Quis enim audeat dicere se immunem a peccato, ut quasi sanctus alios peccatores damnare præsumat? Unde S. Augustinus, *epist.* 54 : « Puto, ait, quod hac sententia Domini audita, si præsens fuit etiam maritus ipse, qui violatam sui tori fidem vindicari postulabat, exterritus, animum ad voluntatem parcendi ab ulciscendi cupiditate deflexit. »

EXIBANT. « Abscessu ipso, » ait S. Augustinus, confessi de se, reos esse similium scelerum, ac « tanquam zelo justitiæ percussi, sese inspicientes, et reos invenientes, recesserunt, » timentes ne Christus ulterius pergeret eorum scelera in particulari pandere et carpere, uti fecit *Matth.* XXIII.

INCIPIENTES A SENIORIBUS. — Senes hi in peccatis consenuerant erantque inveterati dierum malorum, similes senibus illis judicibus adulteris, qui Susannam innocentem, quasi ream adulterii, ad lapidationem, contra omne jus damnarant, *Daniel.* XIII. Senes ergo primi exierunt, » vel quod ipsi plura haberent crimina, qui diu vixerant, ait Ambrosius, vel quia priores vim intellexerunt sententiæ, quasi prudentiores. » Et Rupertus : « Seniores primum persenserunt responsum validum et inexpugnabile esse, quod calumniari nequirent, utpote ad intelligendum perspicaciores, ideoque primi loco cesserunt. »

REMANSIT SOLUS (cum Apostolis et turba populi, in cujus) ET MEDIO (erat) MULIER STANS, — ut sequitur, τὸ enim *solus* excludit tantum Scribas, qui Jesum urgebant ad damnandum adulteram. « Relicti sunt duo, ait S. Augustinus, miseria et misericordia : » nimirum « abyssus abyssum invocat, » abyssus miseriæ adulteræ invocabat abyssum misericordiæ Christi; ideoque ipsa non fugit, quia gratiam Christi erat experta, et majorem ab eo sperabat.

10. ERIGENS AUTEM SE JESUS, DIXIT EI : MULIER, UBI SUNT QUI TE ACCUSABANT? NEMO TE CONDEMNAVIT? — S. Ambrosius legit, *nemo te lapidavit?* « Erigens se, » scilicet, ut ait S. Augustinus, levans in illam oculos mansuetudinis, qui justitiæ lingua adversarios ejus repulerat. « Dixit ei : Mulier : » *primo*, ad hoc, ut mulier agnosceret a se abactos esse ejus accusatores, ideoque ipsa beneficium et beneficum Jesum agnosceret, et compuncta ab eo criminis veniam posceret; *secundo*, ut Christus liberius eam absolveret, eo quod ejus accusatores accusationem dimitterent, et fuga se subducerent, quasi causæ suæ æquitati diffisi.

11. QUÆ DIXIT : NEMO, DOMINE. DIXIT AUTEM JESUS : NEC EGO TE CONDEMNABO. VADE, ET JAM AMPLIUS NOLI PECCARE. — « Nec ego te condemnabo; » Græce, κατακρίνω, id est *condemno*; *q. d.* Ego solus qui ab omni peccato sum immunis, ac a Deo constitutus judex omnium hominum, possem te merito damnare, sed nolo, quia veni non ut judicem mundum, sed ut salvem, *Joan.* III, 17. Ita S. Augustinus. Audi S. Ambrosium, *epist.* 76 : « Adverte quomodo propriam sententiam temperavit, ut Judæi de mulieris absolutione calumniari nihil possent, sed in se magis calumniam retorquerent, si queri vellent. Dimittitur enim mulier, non absolvitur, quia deerat accusator, non quia innocens approbatur. Quid ergo quererentur, qui priores a persecutione criminis et ab executione supplicii destiterunt? »

Porro, Christus hisce verbis adulteram absolvit, tum in foro fori coram populo, tum in foro poli, id est in foro conscientiæ, coram Deo, ut patet ex eo quod subdit : « Vade (quia dimitto tibi peccata), et jam amplius noli peccare. » « Vade, » quasi secura de remisso tibi a me adulterio. Sic enim condonans crimina Magdalenæ dixit : « Vade in pace, » *Lucæ* VII. Sed Christus id aperte non dicit; tecte enim loquitur, ne Pharisæi habeant quod carpant. Quare Christus adulteræ huic interius inspiravit dolorem de peccatis, et actum contritionis, ac deinde contritæ et pœnitenti peccata remisit, ac culpam simul cum pœna condonavit. « Non damnat, inquit S. Ambrosius, *epist.* 58, ut redemptio, corrigit quasi vita, quasi fons abluit. » Et Euthymius : « Satis erat, inquit, talis divulgatio et coram tot adversariis erubescentia pro supplicio, maxime cum sciret quod illam toto corde pœniteret. » Sic et Toletus, Jansenius, Franciscus Lucas et alii.

ET (id est *sed*) JAM AMPLIUS NOLI PECCARE. — Græce, *nunc ne amplius pecces*; Arabicus, *vade et ex nunc ne revertaris ad peccatum*, quasi sus lota ad luti volutabrum, et canis ad vomitum, II *Petri* II, 22. Sic enim ingrata amplius peccabis animamque tuam sordidabis; et si non judices, ego certe in die judicii te condemnabo ad gehennam et mortem æternam. Audi S. Augustinum : « Nec ego te condemnabo, quid est? Domine, faves ergo peccatis? non plane ita. Attende quod sequitur : Vade, deinceps jam noli peccare. Ergo et Dominus damnavit, sed peccatum, non hominem; nam si peccatorum fautor esset, diceret : Nec ego te condemnabo : vade, vive ut vis, de mea liberatione esto secura. » Quibus addit Beda : « Quoniam misericors et pius est, præterita relaxat; quoniam justus est, et justitiam diligit, ne amplius jam peccet, interdicit. »

12. ITERUM ERGO LOCUTUS EST EIS JESUS : EGO SUM LUX MUNDI. — Glossa hæc nectit immediate præcedentibus de absolutione adulteræ : « Subdit, inquit, quid possit ex divinitate, ne ambigatur quod possit peccata dimittere, » *q. d.* Ne miremini me liberare adulteram a tenebris peccatorum, quia ego sum lux mundi, non creata, sed increata, hoc est Deus. Unde subdit, vers. 15 : « Ego non judico quemquam, » *q. d.* Ego adulteram non judico, nec absolvo in foro fori, sed tantum in foro poli, puta in foro interno conscientiæ. Planius alii hæc referunt ad vers. 2 : « Sedens docebat eos, » hunc enim Christi docendi actum interruperunt Scribæ, adducentes adulteram ut eam damnaret; mox Christus Scribas pudefecit et abegit, ac adulteram absolvit; quo facto quasi finita cum Scribis lite, rursum docere perrexit. Unde signanter addit τὸ *eis*, scilicet *iisdem*, quos paulo ante docuerat; idque innuit τὸ *iterum ergo*, *q. d.* Quia Christus quæstionem adulteræ, quæ doctrinam interruperat, jam terminavit, idcirco iterum ad docendum rediit, et doctrinam intermissam resumpsit. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Leontius, Ammonius et alii. Unde Arabicus vertit, *deinde locutus est eis Jesus iterum* (1). Addit Chrysostomus : Objiciebant Judæi Christo Galilæam, de ipso dubitantes quod ex Galilæa Propheta non surgeret. Ostendit ergo Christus se non esse unum Prophetarum, sed orbis terrarum illuminatorem, imo Deum et dominatorem. Ita Chrysostomus.

EGO SUM LUX MUNDI. — Hinc Manichæi putabant Christum esse solem : sol enim est lux mundi; ac solem vivere et esse animatum censuere Platonici : unde de eo aliquando dubitavit S. Augustinus utpote Platonicus, ut patet *Ench.* LVIII. Audi S. Augustinum hoc eorum delirium recensentem et confutantem hic *tract.* 34 : « Manichæi solem istum carnis oculis visibilem, expositum et publicum, Christum Dominum esse putaverunt. » Et mox : « Non est Dominus Christus sol factus, sed per quem sol factus est. Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Est ergo lux quæ fecit hanc lucem : hanc amemus, hanc intelligere cupiamus, ipsam sitiamus, ut ad ipsam lucem aliquando veniamus, et in illa ita vivamus, ut nunquam omnino moriamur. Ista enim lux est, de qua prophetia olim præmissa ita in psalmo cecinit : Homines et jumenta salvabis, Domine, sicut multiplicata est misericordia tua, Deus. » Et inferius : « Per hoc lumen factum est lumen solis, et lumen quod fecit solem, sub quo fecit et nos, factum est sub sole propter nos. Factum est, inquam, propter nos sub sole lumen, quod fecit solem. Noli contemnere nubem carnis : nube tegitur, non ut obscuretur sol, sed ut temperetur. Loquens ergo per nubem carnis lumen indeficiens, lumen scientiæ, lumen sapientiæ, ait hominibus : Ego sum lux mundi. »

Ex eo quod Christus se dixerit lucem mundi, Manichæi putabant ipsum esse solem.

Quomodo Christus qua Deus, sit lux immensa

(1) Alii multi probabilius putant ea quæ vers. 12-19 leguntur, alio die a Christo dicta fuisse, tum quia adverbium πάλιν, *iterum*, quam sæpissime ita ponitur ut notet *alio tempore*; tum quia mirandum esset, Joannem, si formula *iterum ergo* non indicare voluisset alio tempore nunc enarranda evenisse, sine ulla annotatione Pharisæos præsentes vers. 13 memorasse, quos tamen antea abiisse dixisset vers. 9.

et increata, quia homo vero sit lux creata, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, juxta illud Zachariæ, *Lucæ* I, « Illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, » dixi cap. I, 4. Rursum quomodo rex sit quasi sol sui regni, per 18 analogias ostendi, *Isaiæ* cap. XLV, 1, quas Christo accommoda; Christus enim est rex mundi.

MUNDI, — hoc est non totius Israelis et Judæorum uti fuit Isaias, Elias cæterique Prophetæ, sed totius mundi, id est omnium omnino gentium: quo tacite significat et prædicit omnium gentium conversionem ad Christi fidem, atque Evangelium ab incredulis Judæis transferendum esse ad Gentes in Christum credituras. Ita Cyrillus, qui et addit Christum, dicendo: « Ego sum lux mundi, » alludere ad columnam ignis, quæ noctu prælucebat et præibat Hebræis per desertum euntibus in terram promissam. Simili enim modo Christus, quasi fax lucidissima, in tenebris errorum et vitiorum mundi nobis prælucet viamque præit in cœlum, *Exod.* XIII, 21; *Num.* XIV, 21.

QUI SEQUITUR ME (in me quasi in Christum credendo meisque jussis obtemperando), NON AMBULAT IN TENEBRIS — errorum et vitiorum, in quibus ambularunt Philosophi cæterique mundi sapientes, *q. d.* Qui me lucem sequitur, hic sine errore et peccato vivit, in luce veræ fidei et virtutis.

SED HABEBIT LUMEN VITÆ, — modo per fidem, postea per speciem, ait S. Augustinus, qui et addit: « Concordant hæc verba cum illis Psalmi: In lumine tuo videbimus lumen, quoniam apud te est fons vitæ. In istis corporalibus aliud lumen, aliud fons; apud Deum quod lumen, hoc fons: qui tibi lucet ut videas, ipse tibi manat ut bibas: si sequaris istum solem visibilem, te deserit in occasu; a Deo si non facias casum, nunquam ad te ille faciet occasum. »

« Lumen vitæ » ergo, juxta Augustinum et Bedam, est lumen gloriæ, beans fideles et Sanctos Christi, quod illi ab ipso percipient in cœlo. Planius alii per « lumen vitæ » accipiunt lumen fidei, sapientiæ et prudentiæ Christianæ, quod nos ducit ad lumen gloriæ ipsamque beatitudinem. Fides enim est quasi fax, quæ fidelibus in tenebris errorum et vitiorum hujus mundi ambulantibus prælucet, ut v(?)eant verum iter virtutis, per quod inoffenso pede contendant in cœlum ad felicitatem æternam. Ita Cyrillus: « Qui sequitur me, inquit, vitæ lumen lucrabitur, id est eorum quæ in me sunt mysteriorum revelationem ipsum in æternam vitam potentem deducere. » Posset *tertio*, « lumen vitæ » exponi lumen vivificans; fides enim cum Dei gratia et charitate conjuncta, est lumen divinum et supernaturale, quod animam vivificat, eique vitam gratiæ hic aspirat, et in cœlo vitam gloriæ aspirabit.

Moraliter hic disce Christi doctrinam et vitam esse imitandam omni homini, qui vult veraciter illuminari et ab omni mentis cæcitate purgari: quare hanc Christi sententiam quasi axioma, imo basin sapientiæ et sanctitatis, Thomas a Kempis præposuit aureo suo libello *De Imitatione Christi*, qui quot habet sententias, tot habet gnomas, imo gemmas practicæ et salutiferæ veritatis, quas quotidie magno gustu fructuque lectito, atque iterum iterumque lectitare semper desidero. Novi nonnullos perfectionis studiosos, qui singulas suas actiones ad aliquam Christi actionem, doctrinam vel sententiam, velut ad exemplar referre eique conformare satagebant, ut illam velut ideam semper intuentes, eamdem in omnibus suis actibus exprimere conarentur: quæ sane pia utilisque ad omnem sanctimoniam est praxis. Hac enim de causa Christus datus est nobis, ut esset speculum sanctitatis. Quid enim sanctius Sancto Sanctorum? quid lucidius sole, ipsaque luce? quid sapientius ipsa sapientia?

Thomas a Kempis libellus De Imitatione Christi commendatur.

13. DIXERUNT ERGO EI PHARISÆI: TU DE TEIPSO TESTIMONIUM PERHIBES: TESTIMONIUM TUUM NON EST VERUM. — « Verum, » id est legitimum, ut recipi credique debeat. Nemo enim, licet sanctus, in judicio accipitur testis de seipso, sed testes alios proferre debet. Vide dicta cap. V, 31.

PHARISÆI. — Jam subduxerant se Pharisæi, qui adulteram accusarant, pudefacti a Christo; sed præter illo(?) alii erant Pharisæi in turba, qui, ut sociorum ignominiam vindicarent, et suam in Christum malevolentiam ostenderent, hoc illi opposuerunt, ut eum vicissim pudefacerent et confunderent. Ita Cyrillus: « In ignorantia enutriti, inquit, Emmanuelem non intelligentes, ipsam gloriam affectare suspicantur, et tanquam in unum ex nostris invehuntur. »

14. RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EIS: ET SI EGO TESTIMONIUM PERHIBEO DE MEIPSO, VERUM EST TESTIMONIUM MEUM: QUIA SCIO UNDE VENI, ET QUO VADO. — « Verum, » hoc est non tantum verax in se, sed et legitimum, ut a quolibet, etiam judice, acceptari credique debeat. « Verum est testimonium luminis, sive se ostendat, sive abdat, » ait S. Augustinus, *q. d.* Lux ipsa non eget alio teste, quia ipsa seipsam clare sua luce ostendit, quod sit lucida, clara et fulgida. Sic Christus est lux mundi, quæ clare se mundo ostendit per opera et miracula divina: quare alio teste non eguit Christus; tamen pro se alium testem profert, eumque summum et irrefragabilem, scilicet Deum Patrem. Unde subdit:

QUIA SCIO UNDE VENI, ET QUO VADO. — *q. d.* Ideo « verum, » id est legitimum est testimonium meum de me, in foro non humano, sed divino, quia testimonio Dei Patris confirmatur, ait Glossa; idque ego scio, sed vos nescitis, quia scire non vultis, cum id ex meis miraculis et argumentis cognoscere et scire deberetis. Ego enim scio unde sim, missus scilicet e cœlo in terram, et cujus legatus sim, nimirum Dei Patris:



sum enim Dei Filius, et Deus verus de Deo vero; unde peracta mea in terris legatione, per mortem ad Deum Patrem, qui me misit, « vado, » id est vadam illico et revertar. Ita S. Augustinus, Ammonius, Leontius, Chrysostomus et Theophylactus.

Nota: Christus obscure loquitur, tum modestiæ causa, ne se jactare videatur; tum ne Judæorum sibi offensorum magis in se iras accendat; alioqui poterat clare dicere: Ego sum Dei Filius et Deus; ergo testimonium meum verum et legitimum est, quia Deo Deique Filio credere debetis. Dei enim, qui est prima et irrefragabilis veritas, testimonium est irrefragabile. Patrem intelligi volebat, ait S. Augustinus, a quo nec veniendo discessit, nec redeundo nos dereliquit. Sicut autem sol iste illustrat faciem videntis et cæci, sed videt ille, iste non videt; sic sapientia Dei ubique præsens est, etiam infidelibus; sed isti, quibus eam videant, oculos cordis non habent: unde subjungit: Vos secundum carnem judicatis, etc., velut inter fideles suos et inimicos distinguens. Sic Augustinus.

15. VOS SECUNDUM CARNEM JUDICATIS. — *Primo*, *q. d.* Vos, o Pharisæi, secundum carnem, id est carnalem affectum quo me ex odio aversamini, non ex rei veritate et æquitate de me judicatis. Ita S. Chrysostomus, qui ait: Secundum carnem vivere, est male vivere, ita secundum carnem judicare est injuste judicare.

*Secundo*, planius, « vos secundum carnem, » quam in me videtis, hoc est, ex solo meo corpore, quod cernitis, judicatis me esse merum hominem, non Deum. Ita Theophylactus: Quia, inquit, in carne sum, carnem me solam putantes, non autem Deum, falso judicatis. Ita quoque Ammonius, Leontius, Euthymius: favet Arabicus, qui vertit, *vos corporeum judicatis*, ideoque judicatis veritatem mentiri, ait Cyrillus; ego enim sum veritas.

*Tertio* et planissime, « vos secundum carnem, » id est juxta carneos vestros sensus et oculos judicatis, *q. d.* Vos ex solis sensibus de me judicatis, scilicet secundum id quod in me videtis oculis carnis; nimirum me esse hominem vilem, pauperem, infirmum, abjectum, non Messiam, non Deum, qui in carne hac, velut candela in laterna, absconditus est et latet, ideoque judicio vestro me condemnatis, quasi superbum et blasphemum, eo quod asseram me esse Dei Filium; quod non faceretis, si non ex carneis oculis, sed ex ratione et spiritu veritatis de me judicaretis. Hæc enim vobis dictaret me esse eum, quem assero, scilicet Messiam Dei Filium. Ita S. Augustinus: Videbant hominem, ait, et Deum non credebant. Et Glossa: Hominem putant, ait, cui in laude sua credendum non sit.

Porro Christus, ait Cyrillus, hic facit ut medicus, qui phreneticorum ægrotantium contumelias nihili facit, ac licet ab eis probris appetitus, congruentem tamen eis adhibet medicinam: pugnat enim contra ægritudinem, quæ hujus insaniæ est causa, non contra ægrum, sed pro ægro, ut eum sanitati corporis et mentis restituat.

EGO NON JUDICO QUEMQUAM, — supple: secundum carnem, ideoque erronee et falso, ut vos facitis; sed secundum rationem et spiritum, ideoque vere et recte judico. Ita S. Augustinus.

*Secundo*, S. Chrysostomus: Quia, inquit, possent Judæi objicere Christo: Si nos secundum carnem perperam judicamus de te, cur tu nos non judicas, et de pravo judicio convincis? his respondet Christus: Ego nunc non judico quemquam, *q. d.* Non est meum de vobis judicare; ego enim veni in mundum, non ut eum judicem, sed ut salvem et redimam. Sed judicabo vos in die judicii; si enim nunc judicarem, utique vos condemnarem; sed nunc tempus judicii non est.

*Tertio*, pro genuino sensu hujus loci nota τὸ *judico* hic præcise non significare « sententiam judiciariam profero, » vel, ut judex decido, sed idem esse quod « quemlibet actum judicialem exerceo. » Unde hic idem est quod *testor*, vel *testimonium profero*. In judicio enim varii sunt actus; scilicet accusatores accusant, testes testantur, judex sententiam profert: hos omnes significat τὸ *judico*; quare *judico* hic idem est quod testor. Adde, qui testantur in judicio, judicem quasi cogunt ad judicandum juxta suum testimonium, hinc testari reipsa est quasi judicare; unde testis subinde idem est quod judex, uti ostendi *Isaiæ* LV, 4. Tota enim hæc Christi cum Judæis quæstio est de testimonio, an scilicet Christi de se testimonium sit legitimum et in judicio acceptandum. Sensus ergo est, *q. d.* Non est necesse ut ego Jesus de me, vel alio quopiam, *q. d.* De vobis tester, et testimonium peri(?)eam: sunt enim alii, qui id faciant; si tamen illud faciam, ac revera tester de me, uti facio vers. 18 proxime sequenti, recte faciam, et verissimum erit meum hoc testimonium, quia solus non sum, sed mecum est et testatur Deus Pater meus. Ita S. Ambrosius, lib. V, *epist.* 20, Maldonatus et alii. Hunc esse sensum liquet ex sequent., præsertim ex vers. 17 et 18, ubi τὸ *judico* Christus explicat per *testimonium perhibeo*: « Ego sum, inquit, qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. » Porro, utitur Christus verbo *judico*, quia videbatur adulteram paulo ante judicasse, et judicialiter absolvisse versu undecimo; idque ægre ferebant Pharisæi, adulteræ accusatores et Christi hostes, *q. d.* Ego adulteram judicialiter non judicavi, nec judicialem absolutionis sententiam pro ea protuli, sed tantum dixi: « Nec ego te condemnabo; » potuissem tamen judicialiter eam absolvere, quia sum Deus Deique Filius: quare nec merus sum homo, uti vos, o Pharisæi, putatis; nec sum solus, quia mecum est Deus Pater meus. Et hoc sensu « judico » hic proprie sumitur pro « judicialem sententiam profero. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

16. Et si judico ego (id est testor de meipso, uti dixi), judicium (id est testimonium) meum verum est (id est legitimum, et in tribunali a judice acceptandum), quia solus non sum; sed ego, et qui misit me, Pater. — S. Chrysostomus exponit, *q. d.* Si ego judicarem, juste vos condemnarem, quia non solus id facerem, sed ego et Pater; at vero tempus nunc judicii non est, sed misericordiæ. Verum genuinus sensus hujus loci est quem dedi vers. 15.

Quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater, — « quia formam servi accepi, sed formam Dei non amisi, ait S. Augustinus; missio tua, Domine, incarnatio est. » Et Interlinearis : Etsi homo sum, inquit, Patrem tamen non deserui; etsi missus sum per carnem, tamen ego et Pater semper simul sumus per deitatem : quare idem utriusque est judicium, eadem pariter voluntas. Unde alibi ait : « Nihil facio a meipso, *q. d.*, ait Cyrillus : Non sum unquam progressus ad aliquam ultionem, quæ Deo Patri non insit; quæcumque Patris natura et vult, et cogitare nata est, ea penitus etiam in me sunt, quia ex illius sinu eluxi, verusque illius substantiæ fructus existo. »

17. Et in lege vestra (*Deut.* xvii, 6, et cap. xix, vers. 15, vide ibi dicta) scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est, — juridice, id est in jure et judicio pro vero legitimoque habetur, et a judice acceptatur, ut secundum illud sententiam juridice veram, id est legitimam, licet speculative subinde et in re ipsa falsam, proferat. Judex enim debet judicare secundum allegata et probata; quare si testes sint falsi, vel occulte muneribus corrupti falsum testimonium dicant, judex bona fide eos sequens, in foro fori justam sententiam profert, sed in rei veritate injustam et falsam. Sensus est, *q. d.* Si duorum testimonium in jure habetur verum et legitimum, quanto magis duarum personarum divinarum, scilicet Dei Filii et Dei Patris testimonium, in omni tribunali, non tantum pro vero, id est legitimo, sed etiam pro verissimo, et in sincerissimo æquissimoque, habendum est? Unde idipsum explicans sibique applicans Christus, subdit : « Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. » Quod autem Deus Pater secum sit et testetur, quodque ipse sit Dei Patris Filius, hoc ex miraculis aliisque testimoniis Christus sat superque superius probavit. Unde illud hic quasi jam probatum præsupponit.

Symbolice S. Augustinus : « Magnam, ait, habet quæstionem, et valde videtur res in mysterio constituta, ubi Deus dixit : In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Nam et Susanna duobus falsis testibus urgebatur, et universus populus mentitus est contra Christum. Per mysterium ergo hoc modo Trinitas commendata est, in qua est perpetua stabilitas veritatis; si vis habere bonam causam, habe duos, vel tres testes, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum. »

18. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. — Probat Christus suum de se testimonium esse verum hoc syllogismo : Vers. 18. Syllogismus Christi.

Ex lege *Deuter.* xvii, 6, duorum testimonium in jure et judicio verum est;
Atqui mihi duo majores hominibus, scilicet Deus Filius et Deus Pater, testimonium perhibent :
Ergo hoc eorum testimonium de me omni jure verum est.

Dices : Nullius de seipso testimonium in judicio accipitur verum et legitimum : ergo nec Christi de seipso testimonium accipi debet ut legitimum. Respondeo negando consequentiam : nam Christus, ut Deus, perhibet testimonium de se, ut homo est; duo autem sunt Deus et homo, ac in Christo alius erat Deus ab homine : alius, inquam, in natura, non in persona. Unde ex hoc loco colligunt Patres contra Nestorianos et Eutychianos, in Christo unam fuisse personam, scilicet divinam; duas vero naturas, scilicet divinam et humanam. Ita Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Leontius, Ammonius, in *Catena Græca*, et S. Ambrosius, lib. V *De Fide*, cap. ii. Porro, Deus Pater et Deus Filius perhibuere testimonium de Jesu, quod esset Messias, per opera divina, præsertim miracula, quæ per eum et pro eo operati sunt, uti dixi cap. v, vers. 31 et 32, ac præsertim cum Pater in Christi baptismo de cœlo intonuit : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, » *Matth.* iii. Ita Beda.

19. Dicebant ergo ei : Ubi est Pater tuus? — ut eum adeamus, et ejus de te testimonium audiamus, *q. d.* Quis est pater tuus? Nos solum te videmus, ostende nobis tecum esse patrem tuum. Et ubi est, vel quis est pater tuus, quem tantopere et toties jactas? Fingunt et simulant studium veritatis cognoscendæ, ut ex ore Christi eliciant claram vocem, qua dicat suum patrem esse Deum in cœlo, ut ea audita, ipsum ut blasphemum accusent, imo lapident, uti facere voluerunt cap. v, 18, et cap. x, 31. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Rupertus et alii.

Minus probabiliter Cyrillus et Leontius censent Pharisæos id dixisse per contemptum et sarcasmum, hoc est hostilem irrisionem, *q. d.* Tuus pater est ignotus et incertus : ostende ergo eum nobis; putabant enim Christum esse spurium et ex adulterio natum. Mitius S. Augustinus et Beda censent eos de patre carnali, puta Josepho, locutos, eo quod eum non cognoscerent. Verum prior sensus est germanus.

Respondit Jesus : Neque me scitis, neque Patrem meum : si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. — Christus directe et clare ad quæstionem respondendo dixisset : Pater meus est in cœlo; sed id facere noluit, quia sciebat Pharisæos captiose quæstionem hanc proposuisse, ut eum illaquearent et caperent : indirecte ergo et tecte hypocritis respondet : « Neque me scitis, neque Patrem meum. » Quo responso tacite ad quæstionem eorum directe respondet, sed ita tecte, ut Pharisæi eum calumniari et accusare non possint, *q. d.* Vos, o Pharisæi, putatis me merum esse hominem, ac proinde non alium habere patrem, quam hominem in terra, puta Josephum, sed erratis : neque enim cognoscitis me ita esse hominem, ut pariter sim Deus, ac proinde neque patrem meum cognoscitis; nec enim Joseph est pater meus, qua homo sum; nec alius mihi est pater quam Deus in cœlo, quod vos non cognoscitis, licet tot miraculis a me probatum sit, quia obstinati in vestro carnali sensu id agnoscere non vultis.

Dices : Quomodo hæc consentiunt cum eo quod dixit Christus, cap. vii, 28 : « Et me scitis, et unde sim scitis? » Respondeo : Ibi locutus est Christus de se ut homo est, quem sciebant conceptum in Nazareth; hic vero loquitur de se ut Deus, et sic eum nesciebant. Addit Origenes ibi loqui Christum Hierosolymitis, qui eum noverant; hic vero Pharisæis, qui eum non noverant, imo erant ejus hostes.

Si me sciretis, forsitan (Græce ἂν quod non est dubitantis, sed asserentis, idemque valet quod *utique*) et Patrem meum sciretis. — *q. d.* Si enim sciretis me esse Deum, sciretis pariter patrem meum non in terra, sed in cœlo quærendum, nec alium esse quam Deum Patrem. Ita Theophylactus, Leontius, Euthymius, Rupertus et alii. Simili modo ait Christus Philippo, cap. xiv, 9 : « Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum. »

Paulo aliter S. Augustinus, *q. d.* Idcirco quæritis quis sit pater meus, quia me non nostis; putatis enim me non esse Deum æternum in cœlo.

*Secundo*, pressius et profundius S. Cyrillus, in Manuscript. : « Concursat, ait, cum Patris appellatione Filii mentio : simulque rursus Filii significationem Genitoris nomen comitatur; atque idcirco tanquam janua quædam Filius est, in Patris cognitionem ducens. » Ita sane dicit cap. xiv, 6 : « Ego sum via, veritas et vita : nemo venit ad Patrem nisi per me. » Unde infert : « Addiscamus ergo quid secundum naturam, et ita deinde tanquam in imagine et charactere exactissimo bene intelligemus archetypum. Videtur enim in Filio Pater, et veluti in speculo, in natura propria prolis apparet. » Filius enim, ut ait Sapiens, cap. vii, 25, « est candor lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius; » et, ut ait Paulus, *Hebr.* i, 3 : « Ipse est splendor gloriæ, et figura (Græce, character) substantiæ ejus. »

Aliter Origenes, qui *nosse* vel *scire* sumit pro *amare*, *q. d.* Si me amaretis, utique et Patrem meum amaretis. Qui enim male vivunt, practice Deum non cognoscunt : hinc et de filiis Heli dicitur quod ignorabant Dominum.



20. Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo (hoc est in atrio templi; hoc enim atrium erat quasi templum laicorum); et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus. — Rupertus censet « gazophylacium » hic nominari quasi causam cur Christus non fuerit apprehensus; quia scilicet hæc dixit in gazophylacio, qui erat locus semotus, ad quem tantum conveniebant sacerdotes lucris intenti, qui ex eo pecuniam afferre, et laici, qui in illud pecuniam inferre volebant. Verum gazophylacium erat locus omnino publicus, ad quem plurimi confluebant. Erat enim porticus ampla, juxta atrium templi, in quo omnis templi gaza, id est pecunia et supellex, servabatur. Sensus ergo est, *q. d.* Christus hæc palam et loco publico, ubi facile a Pharisæis et sacerdotibus capi poterat, clare, libere, fidenter et magnanime locutus est; nec tamen a Pharisæis hostibus suis comprehensus fuit, quia ipse eorum mentem et manus vi divina continebat, eo quod necdum hora passioni ejus a Deo destinata advenisset. Ita S. Augustinus, Beda, Euthymius, Leontius, Theophylactus. Gazophylacium erat locus publicus et amplus.

Porro, de gazophylacio audi Adrichomium in *Descript. Jerusalem*, num. 103 : Gazophylacium, hebr. *Corban* sive *Corbona*, dictum, arca et ærarium erat, in quo ad sacrificium necessaria, ad pauperum alimoniam et ad templi fabricam offerebatur, et oblata servabatur pecunia, ex qua etiam Joas rex, sicut in lib. *Regum* legimus, sarta tecta templi instaurari curavit. Hoc ærarium cum Heliodorus, a Syriæ rege missus, spoliare tentaret, cœlitus ab angelis flagellatus est. Atque Pilatus cum sacrum hunc thesaurum, simili pene temeritate, ad aquarum inductionem expendere vellet, populari tumultu impeditus fuit : quem tamen Romani in urbis expugnatione diripuerunt. Juxta hunc locum Lysimachum occisum legimus. Hic etiam Christus se lucem mundi, et principium, seque a Judæis in cruce exaltandum esse docuit. Hic sedens viduam pauperculam duo æra minuta offerentem, plus omnibus divitibus dedisse pronuntiavit, *Marc.* xii; *Lucæ* xxi. Jam vero ab arca hac æraria, tota porticus in qua erat arca, vocatur hic et alibi « gazophylacium; » non enim in arca, sed in porticu arcæ dixit hæc Christus. Gazophylacium describitur.

Alia causa, cur Christus hæc locutus sit in gazophylacio, secretior, sed proximior fuit : quia gazophylacium Pharisæis erat latebra tenebrarum, hoc est officina avaritiæ aliorumque vitiorum et errorum, quos recenset Christus, *Matth.* cap. v et cap. xxiii, ut quod docerent filios parentibus egentibus dicere *corban*, id est aurum meum dicatum est gazophylacio, Deo ergo dandum est, non tibi, o pater; quod assererent, juramentum per templum non obligare, sed per gazam et aurum templi factum obligare; quod

decimarent mentham, anethum et cyminum, relinquentes misericordiam et fidem; quod populum expilarent et diriperent. Has illorum tenebras ibidem redarguit Christus, ideoque contenta voce clamavit : « Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, » *q. d.* Ego sum vera lux sapientiæ et sanctitatis, quæ doceo gazas terrenas, utpote exiles, viles et caducas, spernere; ambire vero gazas cœlestes, utpote ingentes, pretiosas et æternas. Quare nolite sequi tenebrosos et avaros Pharisæos, suo gazophylacio et lucris terrenis, quasi talpas sordide inhiantes, quia brevi totum illud diripiet Vespasianus et Romani. Me potius sequimini, qui lux sum mundi; ego enim prædico paupertatem spiritus, quasi viam ad immensas cœli opes. Edico enim : « Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cœlorum, » *Matth.* v. Et ex adverso : « Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram, » *Lucæ* vi, 24. Atque hæc fuit causa tantæ antipathiæ et odii Pharisæorum in Christum, ideoque eum assidue usque ad necem et crucem persecuti sunt; imo ex hoc gazophylacio deprompserunt triginta denarios, quos dederunt Judæ, ut Christum sibi proderet, quod summum fuit sacrilegium. Unde ibidem Christus, vers. 28, prædixit se per illud exaltandum in cruce, tuncque ad se omnia tracturum.

Mysticam causam dat Origenes : Christus, inquit, hæc edixit in gazophylacio, quia gazophylacium, vel potius gaza, sunt divini ejus sermones, imaginem magni regis impressam habentes; sicut pecunia quæ in gazophylacium injiciebatur, gerebat effigiem Cæsaris. Numismata, ait Origenes, sunt divina verba : conferat autem quisque ad gazophylacium, id est ad Ecclesiæ ædificationem, quidquid potest ad honorem Dei et utilitatem communem. Et Beda : In gazophylacio, ait, Christus loquitur; quia in parabolis tectis et clausis loquebatur ad Judæos. Cœpit autem tunc gazophylacium quasi aperiri, cum discipulis eas explicuit, et mysteria cœlestia in eis latentia reseravit.

QUIA NECDUM VENERAT HORA EJUS, — non fatalis, sed opportuna et voluntaria, ait Interlinearis, puta a Deo statuta. « Nonnulli, ait S. Augustinus, hoc audientes, sub fato fuisse Christum credunt, sed quomodo fatum habet, per quem factum est cœlum et sidera, cum tua voluntas, si recta sapias, transcendat et sidera? Nondum ergo venerat hora, non qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. »

21. DIXIT ERGO ITERUM EIS JESUS. — Dubium est unde inferatur τὸ *ergo*, et quid significet. *Primo*, aliqui censent τὸ *ergo* hic, uti et alibi, non esse illativum, sed inceptivum, tantumque significare novi sermonis Christi exordium.

*Secundo*, pressius Origenes autumat τὸ *ergo* connectere sequentia cum præcedentibus, ac indicare illa eodem loco et tempore a Christo esse dicta, quo præcedentia.

*Tertio*, Maldonatus refert ad id quod dixerat Christus, vers. 19 : « Neque me scitis, neque Patrem meum, » *q. d.* Veniet ergo tempus, cum et me Deum esse cognoscatis, et quæratis me, et non inveniatis, quia in peccatis vestris moriemini; aut veniet tempus, quo quæretis me, id est cognoscere voletis, sed non poteritis, quia a peccatis vestris non discedetis.

*Quarto* et magis apposite, Rupertus et Toletus τὸ *ergo* referunt ad id quod proxime præcessit, « Et nemo apprehendit eum, » *q. d.* Quia Jesus videbat Pharisæos satis intelligere sua, licet obscure dicta, nec tamen credere, sed magis in iram et odium, ad eum capiendum et occidendum, exardescere, idcirco addidit, dixitque : « Ego vado, et quæretis me. » Aut *q. d.* Quia Pharisæi volebant eum comprehendere, sed impediebantur virtute divina, ad breve tempus, hac de causa subjunxit : « Ego vado, » etc.

ITERUM. — Nam jam ante idem dixerat famulis Pharisæorum cap. VII, vers. 33. Ita Rupertus, *q. d.* Christus id quod coram famulis dixerat, iterum repetiit dixitque ipsis heris, scilicet Pharisæis :

EGO VADO, ET QUÆRETIS ME, ET IN PECCATO VESTRO MORIEMINI. — « Vado, » id est brevi vadam ex hac vita per mortem et crucem ad Patrem, « Christo mors, ait S. Augustinus, profectio fuit, quia in illa non mansit, sed per illam profectus est in cœlum ad vitam immortalem. »

ET QUÆRETIS ME. — id est quæretis alium Messiam, quia non creditis me esse Messiam; sed non invenietis, quia non est alius præter me; ita Toletus. *Secundo* simplicius, « quæretis me, » ut iterum crucifigatis et occidatis. Vide dicta cap. VII, vers. 34. Ita Origenes et S. Augustinus, quem audi : « Quæretis me, non desiderio, sed odio : quæsierunt Christum postquam abscessit ab oculis hominum, et qui oderant, et qui amabant, illi persequendo, isti habere cupiendo. » Unde explicans, subdit :

ET IN PECCATO VESTRO MORIEMINI. — « Et, » id est idcirco, *q. d.* Quia quæretis me post resurrectionem, ut rursum occidatis, utpote obstinati in vestra contra me infidelitate, odio et malitia; idcirco in eadem moriemini, ideoque damnabimini ad tartara. Quare « quo ego vado, vos non potestis venire, » quia ego in cœlum ibo, vos in tartara : frustra ergo quæretis me in terra, cum ego ascensurus sim in cœlum, quo vos non potestis conscendere. Aliter Euthymius : « In peccato vestro, » ait, hoc est propter peccatum vestrum perfidiæ, « moriemini, » id est occidemini a Tito et Romanis, indeque ibitis in mortem secundam gehennæ, quæ pejor est et longior, utpote æterna. Sed prior sensus planior est et nervosior. Terret enim Christus sæpe Pharisæos denuntiatione diei judicii, quo ipse e cœlo descendet judicaturus omnes homines pro meritis, ideoque infideles, quales erant perfidi Pharisæi, damnaturus ad ignem inferni.



Apposite Origenes : « Non potestis, » inquit, quia non vultis; si enim voluissent et non potuissent, non dixisset : « In peccato vestro moriemini; » omne enim peccatum est voluntarium et liberum.

Aliter S. Augustinus, qui censet Christum τὸ « non potestis » dixisse quoque suis discipulis, *q. d.* « Quo ego vado, non potestis venire modo : non abstulit spem, sed prædixit dilationem. » Verum id quod sequitur : « Et in peccato vestro moriemini, » evincit hæc non ad discipulos, sed ad Pharisæos dici.

22. DICEBANT ERGO JUDÆI : NUMQUID INTERFICIET SEMETIPSUM, QUIA DICIT : QUO EGO VADO, VOS NON POTESTIS VENIRE? — Ministri Pharisæorum audientes hæc Christi verba : « Quo ego vado, vos non potestis venire, » quia Christi odio et livore carebant, sapientius intulerunt cap. VII, vers. 35 : « Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes? » At Pharisæi ira et odio Christi excæcati, quia omnino eum occidere cupiebant, ac simul putabant Christum non posse manus eorum evadere, nisi ipse se interficeret, hinc dicunt : « Numquid interficiet semetipsum? » *q. d.* Eat quocumque volet, nos persequemur eum, eat ad Gentes, inde retrahemus eum et occidemus. Ergo per hoc quod dicit : « Quo ego vado, vos non potestis venire, » vult significare quod interficiet seipsum, ut a nobis capi, excarnificari et occidi non possit. Præsumptuosa et fatua erat hæc eorum cogitatio, sed quam odium et livor eis dictabat : nam alioqui multis modis potuisset Christus se ab eis subducere, uti alias fecerat. Christi vero mens hic longe alia erat, scilicet se iturum in cœlum, quo Pharisæi non poterant venire. Nam si non alio quam in mortem iturus erat, et ipsi ad eamdem ituri erant, imo poterant ipsi quoque seipsos interficere. Unde S. Augustinus ait : « Quo vado, dixit, non quo itur ad mortem, sed quo ipse ibat post mortem. »

23. ET (idcirco) DICEBAT ILLIS : VOS DE DEORSUM ESTIS, EGO DE SUPERNIS SUM. VOS DE MUNDO HOC ESTIS, EGO NON SUM DE HOC MUNDO. — Dat causam Christus, cur quo ipse vadit, Pharisæi venire non possint, *q. d.* Vos ex terra estis, et terrena sapitis, ac proinde peccatis vestris estis affixi, ibitisque deorsum in profundum profundi : ego vero de cœlo descendi, et cœlestia sapio, ac proinde post mortem in cœlum redibo, quo vos me sequi non poteritis, ideoque me quærentes non invenietis : ego enim sum quasi aquila cœlestis habitans in altissimis montibus æternitatis; vos vero estis quasi vermes, et scarabæi in terra repentes : quomodo ergo ad me evolare poteritis? Ita Rupertus et S. Augustinus, quem audi : « Vos de deorsum estis, ideo terram sapitis, quia sicut serpentes terram manducatis : quid est, terram manducatis? terrenis pascimini, terrenis delectamini, terrenis inhiatis, sursum corda non habetis. »

*Secundo*, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Leontius, Ammonius, et ex Latinis S. Augustinus et Beda censent Christum hic dare causam, cur Pharisæi verba Christi : « Quo ego vado, vos non potestis venire, » quæ ipse dixerit de suo in cœlos reditu, illi non de illo, sed de sui ipsius interfectione intellexerint; quia nimirum terreni et carnales erant, ideoque cœlum non sapiebant, et cœlestia non intelligebant. Utrumque huic loco appositum et congruum est.

Ethice : « Vos de deorsum estis, » quia nati ex Adam terreno et peccatore, inde concupiscentiam terrenam traxistis, quam proinde quasi nativam sequentes, avaritia, superbia, ira et odio æstuantes, non nisi opes, delicias et honores terrestres concupiscitis : « ego » vero « de supernis sum, » quia, qua Deus natus, sum ex Patre cœlesti, qua homo vero ex Spiritu Sancto, non ex Adam aliove patre terreno; quare cœlestis mihi est indoles, cœlestis amor, cœlestia desideria, ad quæ vos terrestres et animales aspirare non potestis, nisi per meam fidem et spiritum renascamini et reformemini, ut ex animalibus fiatis spiritales, ex terrestribus cœlestes, juxta illud quod dixi Nicodemo, cap. III, vers. 5 : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei. » In re ergo idem est : « Vos de deorsum estis, ego de supernis sum, » cum eo quod Joannes dixit, cap. I, vers. 12 : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. » Et cum eo quod ait Apostolus : « Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis; qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis, » I *Corinth.* XV, 47. Et illud : « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, » *Coloss.* III. Vide utrobique dicta.

Physice docet hic Christus locum in quo quis nascitur, educatur et vivit, suas qualitates eidem affricare : perinde enim ac pisces viventes in aqua, sunt humidi et aquosi, nec extra aquam vivere possunt : lupi vero, leones, equi, boves viventes in terra, sunt terrei, nec extra terram vivere queunt; aves vero viventes in aere, sunt aereæ, nec extra aerem volare possunt : sic pariter Pharisæi nati in terra Chanaan, sive in Judæa erant corpore et mente terrestres, Chananæi et Judæi, juxta illud *Ezech.* XVI, 3 : « Generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa; » Christus vero natus et conversans in cœlo, erat cœlestis, angelicus et divinus.

Metaphysice : « Vos de deorsum estis, » hoc est « vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere : ille homicida erat ab initio, »

ut explicat Christus vers. 44, *q. d.* Vos infernales estis, ac patrem vestrum diabolum imitamini, quia sicut ille Adamum per pomum occidit, sic vos me vultis occidere; « ego vero de supernis sum, » quia sum Filius Dei altissimi. Audi S. Augustinum hic, *tract.* 38 : « Ille erat de supernis : de quibus supernis? de aere? Absit, ibi et aves volitant : de cœlo, quod videmus? Et hoc absit, ibi et stellæ, et sol et luna circumeunt : de angelis? neque hoc intelligatis : per illum et angeli facti sunt, per quem omnia facta sunt. De quibus ergo supernis Christus? Ab ipso Patre, nihil illo Deo superius, qui Verbum genuit æquale sibi, coæternum sibi, unigenitum sine tempore, per quem conderet tempora : sic ergo accipe Christum de supernis, ut excedat cogitatione tua omne quod factum est, universam omnino creaturam, omne corpus, omne conditum spiritum, omnem rem quoquo modo mutabilem. »

Vos DE MUNDO HOC ESTIS, EGO NON SUM DE HOC MUNDO. — « De mundo, » id est de terra hac terreni estis, ut explicet id quod dixit : « Vos de deorsum estis. » *Secundo* et pressius, « de mundo estis, » id est mundani estis, mundanos favores, opes et honores ambitis, vitam agitis talem, qualem agunt mundani et mundo dediti, ut τὸ *de deorsum estis*, naturam eorum explicet; τὸ vero *vos de mundo hoc estis*, eorumdem qualitatem, quæ ex natura consequitur, ait Toletus (1). Audi S. Augustinum, *tract.* 38 : « Nemo dicat : De hoc mundo non sum : quisquis es homo, de hoc mundo es, sed venit ad te, qui fecit mundum, et liberavit te de hoc mundo : si delectat te mundus, semper vis esse immundus : si autem jam non te delectat hic mundus, jam tu es mundus : verumtamen si per aliquam infirmitatem adhuc te delectat mundus, habitet in te qui mundat, et eris mundus; si autem fueris mundus, non manebis in mundo, nec audies quod audierunt Judæi : Moriemini in peccatis vestris. »

24. DIXI ERGO VOBIS, QUIA MORIEMINI IN PECCATIS VESTRIS, — tum infidelitatis, tum cæteris omnibus, quia nullius peccati fit remissio, nisi per fidem in Christum, quem vos respuitis. Unde subdit :

SI ENIM NON CREDIDERITIS QUIA EGO SUM, — scilicet Messias mundi salvator, quem me esse assidue doceo et profiteor, ac per tot signa et miracula probo et evinco. Ita Lyranus, Jansenius, Maldonatus. Subtilius S. Augustinus, Beda et Toletus : « quia ego sum, » supple : « qui sum, » id est sum Deus. Hoc enim proprium est Dei, *Exodi* III. Rupertus vero sic, *q. d.* « Quia ego sum, » scilicet « de supernis, » uti præcessit, « moriemini in peccato vestro, » quia nullus est qui peccata auferat et condonet, nisi ego, quem vos aspernamini.

Vers. 25. 25. DICEBANT ERGO EI : TU QUIS ES? — Dixerat Christus : « Si non credideritis quia ego sum, » etc. Unde Pharisæi id non intelligentes, vel se non intelligere simulantes, apposite rogant : « Tu quis es? »

Christus principium. Primo.

DIXIT EIS JESUS : PRINCIPIUM, QUI ET LOQUOR VOBIS. — S. Augustinus, sæpe Beda, Rupertus, Bernardus et S. Ambrosius, lib. III *De Fide*, cap. IV : « Principium » accipiunt ut nominativi casus, *q. d.* Ego sum principium, id est ego sum primus et novissimus, vel ego sum principium rerum omnium, quia per Verbum Dei facta sunt omnia, juxta illud : « Verbo Domini cœli firmati sunt. » Verum nota : pro *principium* Græce non est ἀρχὴ in nominativo casu, sed ἀρχὴν in accusativo, ita enim constanter habent Græca et Græci; et sic Septuaginta vertere solent Hebraice בראשית *berescit*, id est *in principio*.

Viderunt hoc SS. Augustinus et Ambrosius; unde *secundo*, sic exponunt, *q. d.* Credite me esse principium per quod facta sunt omnia; sed supplent τὸ *credite*, quod non est in textu. Quare dicendum est hic esse græcismum. Græci enim subintelligunt præpositionem κατὰ, ut ἀρχὴν sit idem quod κατ' ἀρχὴν, id est juxta principium, vel a principio, aut in principio; hoc enim est Hebraice, *berescit*. Sensus ergo est, *q. d.* Ego sum a principio, id est ab æterno (ideoque ante Abraham, ut ait ipse, vers. 58). Deus verus de Deo vero, ideoque sum principium temporis et ævi, ac rerum omnium, « qui » tamen « et loquor vobis, » id est qui etiam hoc ipsum vobis annuntio : ideo enim carnem assumpsi, et factus sum homo, ut hoc evangelizem, et eos qui hoc credunt, salvem. Legit noster Interpres cum Arabico ὅς, id est *qui*; jam legunt ὅτι, id est *quod*, *q. d.* Ego sum a principio, quod ipsum loquor et assevero vobis. Aut potius *q. d.* Ego cum sim Verbum, quod a principio, id est ab æterno, dixit et locutus est Pater, jam homo factus, etiam idipsum loquor, et annuntio vobis. Filius enim est Verbum, quo loquitur Pater; ipse quoque Filius est Verbum, quod loquitur nobis. Vox ergo *principium* magis competit Verbo, quam Spiritui Sancto, tum quia Filius cum Patre est principium Spiritus Sancti, ipse vero Spiritus Sanctus nullius alterius personæ divinæ est principium, sed tantum creaturarum; tum quia Filius est principium procedens a principio, puta a Patre. Unde *principium* significat ejus originem, qua genitus est a Patre; id ita esse liquet ex eo quod vers. 27 subdit Joannes : « Et non cognoverunt, quia Patrem suum dicebat Deum : » hoc enim significat τὸ *a principio*, quod Noster sagaciter, non verbo tenus, sed quoad sensum vertit, *principium*. Significatur enim hic verbum æternum, quod fuit a principio, ideoque ipsum esse principium genitum a Patre, ita ut ipsum cum Patre sit principium tam Spiritus

(1) « Vocabulum κόσμος, *mundus*, plerumque in deteriorem partem adhibetur, ita ut designet *vulgus improborum, contumacium, pervicacium*, ἀπίστων, ἀπειθούντων, homines veritatem divinam, doctrinam Christi contemnentes et repudiantes.



Sancti, quam creaturarum omnium. Igitur τὸ *a principio* duo significat : *primo*, ab æterno; *secundo*, a Deo Patre genitum, *q. d.* Ego sum Verbum ab æterno a Deo Patre genitum. Quare idem est dicere : Ego sum a principio, sive ego sum principium, cum eo quod ait Joannes I, 1 : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Et cum eo quod idem sit, *Apoc.* I, 8, de Christo : « Ego sum α et ω, principium et finis. » Et cap. III, vers. 14 : « Qui est principium creaturæ Dei. » Et Paulus, *Coloss.* I, 18 : « Qui est principium. » Vide ibi dicta. Sic Plato : Deus, ait, « est qui principium, medium et finem rerum omnium complectitur. » Et Virgilius : « Ab Jove principium. » Et S. Gregorius Nazianzenus : « A te principium, tibi desinet. » Et hoc voluere S. Augustinus, Ambrosius, Rupertus, Beda et Bernardus, initio citati, qui τὸ *principium* accipiunt in casu nominativo, etiamsi Græce sit in accusativo. Audi Glossam : « Pater est principium, non de principio. Filius est principium a principio, id est a Patre, qui omnia per Filium operatus est. Ipse enim est manus dextra, fortitudo, sapientia et Verbum Patris. » Græcum ἀρχὴ non tantum principium, sed et principatum significat, *q. d.* Christus : Ego sum principium, cui competit principatus, dominium, regnum et imperium rerum omnium, ut alludat ad illud *Psal.* CIX : « Tecum principium (Græce, ἀρχὴ, id est principatus) in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum. Ex utero ante Luciferum genui te. » Et ad illud *Proverb.* VIII, 22 : « Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, » ubi Septuaginta vertunt : « Dominus condidit me principium viarum suarum in opera sua. » Vide ibi dicta. Audi S. Augustinum, lib. III *Contra Maximinum*, cap. XVII, tom. VI : « Pater est principium, non de principio; Filius principium de principio : sed utrumque simul, non duo, sed unum principium : sicut Pater Deus, et Filius Deus, et ambo simul non duo Dii, sed unus Deus. » Vide D. Thomam et Scholasticos, I *part.*, *Quæst.* XXXVI, art. 4, ubi docent Patrem et Filium non duo, sed unum esse principium Spiritus Sancti.

Deus principium et finis actionum nostrarum.

Moraliter : hinc disce ad Christum, qua Deus et homo est, referendum esse principium et finem omnium actionum Christianarum, ut utrumque ei offeramus, et ad utrumque gratiam ab eo flagitemus. Ipse enim eorum omnium principium est et finis. Ita fecit S. Paulus, qui Epistolas suas orditur a Christo, et in eo finit, æque ac fecit S. Petrus, Joannes, Jacobus et Judas. Idem fecit S. Gregorius Nazianzenus, qui monosticha Alphabeti ab hac ἀρχὴ orditur : « Agendorum principium, inquit, et finis sit Deus. » Et S. Paulinus :

In te compositæ mihi sit spes unica vitæ,
Tu mihi principium, tu meta et terminus idem.

Sicut ergo ab unitate oriuntur omnes numeri, a centro omnes lineæ, quæ ad circumferentiam ducuntur; sic pariter a Christo oriuntur omnes actiones Christianæ et sanctæ; quare in ipso, quasi sui centro et principio coire, uniri, inchoari et terminari debent. Vide dicta *Deut.* VI, 6. A Christo ergo, o Christiane, incipe, et in Christum tuum desine. Hoc est quod sancit Apostolus, *Coloss.* III, 17 : « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. »

Aliter Græca trajiciunt, indeque vertunt et explicant Nonnus, Vatablus et Maldonatus, nimirum sic : Ego sum is, vel id, qui, vel quod, a principio vobis loquor, et jam pridem prædico, me scilicet esse Messiam vestrum, quem si velletis, jam pridem ex loquela mea cognoscere potuissetis. Unde Syrus vertit, *etiam id quod incepi loqui vobiscum*, et Vatablus, *principio* vel *in primis, quod et loquor vobis*, sicque explicat, *q. d.* « Omnino hoc ipsum sum quod a principio dixi, » scilicet mundi lux et salus, ut subaudiatur, « et non creditis mihi. » Verum hæc trajectio est insolita et dura.

Alii denique hæc referunt ad sequentia, *q. d.* « In primis, » id est ante omnia, « quia et loquor vobis, » subaudi, et tamen non creditis, propterea « multa habeo de vobis loqui et judicare. » Sed hoc frigidum est, et supplet τὸ *et tamen non creditis*, atque ad quæstionem Pharisæorum nil facit, merumque est responsionis effugium, *q. d.* Christus : Vos indigni estis quibus respondeam, sed digni quos judicem et damnem.

26. MULTA HABEO DE VOBIS LOQUI, ET JUDICARE. — *q. d.* Multa possem contra vos loqui, et de multis vos judicare, id est accusare et arguere, ac in die judicii ea arguam, judicabo et condemnabo. Ita S. Cyrillus : « Non unum, inquit, tantum, sed multa accusabo, et in nulla re mentior, sicut vos : possum condemnare vos tanquam incredulos et infideles, tanquam arrogantes, tanquam contumeliosos, tanquam Deo repugnantes, tanquam impudentes, tanquam ingratos, tanquam malignos, tanquam voluptatum potius quam Dei amatores, tanquam humanam captantes gloriam, Dei vero gloriam non quærentes. »

SED QUI ME MISIT, VERAX EST : ET EGO QUÆ AUDIVI AB EO, HÆC LOQUOR IN MUNDO. — *q. d.* Sed, omissis multis, quæ in vobis juste carpere possem, hoc tantum præcipuum dicam in confutationem vestræ infidelitatis, qua doctrinam meam ridetis, quod Deus Pater, qui misit me in carnem et mundum, verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo, ac proinde illa quæ prædico, vera sunt, ideoque ob omnibus credenda. Ita Jansenius. « Ideo, ait Augustinus, verus in judicio ego, quia filius veritatis, et veritas sum. » Porro alii varie id explicant.

*Primo*, Toletus ex Chrysostomo, Theophylactus et Euthymius, *q. d.* Multa possem de vobis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

loqui et judicare, sed id modo non faciam, quia Pater qui verax est in promissis, sicut promisit se missurum me in mundum ad eum salvandum, non ad judicandum; ita veraciter id ipsum præstat jubetque ut id faciam : quare ego illi obsequens nolo jam vos judicare, sed tantum loquor ea quæ audivi a Patre, scilicet ea quæ ad salutem mundi spectant.

*Secundo*, Maldonatus, *q. d.* Multa possem de vobis vere ac meo jure dicere atque judicare; quod si fecero, nemo poterit judicium meum reprehendere, quia « qui misit me verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. » Verum dure hic pro *sed*, substituitur *quia*.

*Tertio*, Rupertus, τὸ *sed* refert superius ad τὸ *principium*, *q. d.* Licet dixerim me esse principium, id est principem Deum, ac idipsum loquar asseramque vobis, tamen idipsum non loquor ex meipso; sed est Deus Pater, qui misit me, jussitque ut hæc quæ ab ipso audivi, loquar et prædicem.

*Quarto*, alii, *q. d.* Vos quidem non creditis me esse Messiam, sed tamen scitote quod Pater cœlestis, qui misit me quasi Messiam et legatum suum, vult me idipsum loqui et prædicare.

*Quinto*, alii, *q. d.* Multa habeo de vobis judicare in die judicii, quem vos non exspectatis, nec creditis, sed est Pater meus verax, qui sicut promisit me fore judicem in illo die, ut cuique pro meritis fidei vel infidelitatis, præmia vel supplicia assignem, ita reipsa præstabit et opere complebit. Verum sensus quem initio dedi, planus videtur et genuinus.

QUÆ AUDIVI AB EO, — tum qua Deus, tum qua homo. Unde Interlinearis ait : « Idem est audire ab eo, quod esse ab eo. » Et Augustinus : « Dat gloriam Patri æqualis Filius, *q. d.* Do gloriam ei cujus sum Filius, quomodo tu superbis adversus eum cujus es servus ? »

27. ET NON COGNOVERUNT QUIA PATREM EJUS (id est suum) DICEBAT DEUM. — Græca jam tantum habent, *quod Patrem suum eis dicebat*, id est quod Patrem suum eis indicabat esse Deum; et sic cum Græco legunt Syrus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Augustinus et Beda; sed eodem redit sensus, quem Latina versio longe melius et clarius expressit, cui plane consentit versio Arabica. Quare omnino verisimile est olim in Græco extitisse τὸ « Deum. » Loquebatur Jesus tecte et obscure, ne Pharisæorum odia contra se inflammaret : si enim clare dixisset : Ego sum unigenitus Dei Patris Filius, lapidassent eum quasi blasphemum. Dixit ergo involute et tecte : « Ego sum principium, » vel, ut Græce est, *a principio*, id est a Deo Patre ab æterno genitus; et : « Qui misit me verax est. » Quare ex his verbis Pharisæi non cognoverunt Jesum asserere quod Deus esset suus Pater : aliqui tamen argutiores ex eis, id subodorari et suspicari potuerunt, sed clare id non cognoverunt, unde eum arguere nequiverunt : certe neutri cognoverunt, id est crediderunt id esse verum; idque factum est Dei consilio, ne impediretur Christi passio, indeque hominum redemptio : « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, » ait Paulus, I *Corinth.* II, 8. Unde S. Augustinus : « Differo, ait, cognitionem meam, ut impleam passionem meam, » per manus vestras, ait Interlinearis.

28. DIXIT ERGO EIS JESUS : CUM EXALTAVERITIS FILIUM HOMINIS, TUNC COGNOSCETIS QUIA EGO SUM, ET A MEIPSO FACIO NIHIL, SED SICUT DOCUIT ME PATER, HÆC LOQUOR. — « Cum exaltaveritis, » cum me in crucem sustuleritis; crux enim erat in alto. Christus crucifixionem suam vocat « exaltationem : » quia, etsi videretur summa esse ejus depressio, dedecus et ignominia; tamen revera ex Dei providentia, facta est summa ejus exaltatio, decus et gloria, ut omnes gentes Christum crucifixum adorent, et ab eo veniam, gratiam et gloriam sperent et exspectent : hoc enim tanta sui humiliatione meruit Christus, juxta illud Pauli : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, » *Philip.* II. Idem facit Deus cuilibet Christiano et Christi asseclæ, qui propter Christum deprimitur, vel ultro se humiliat et deprimit, juxta illud ejus decretum : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. »

TUNC COGNOSCETIS QUIA (quod) EGO SUM, — scilicet Messias Dei Filius, quem me esse prædico, non autem merus homo, uti vos nunc existimatis. In Christi enim cruce, morte, resurrectione et deinceps, multi Judæorum visa tanta Christi patientia, charitate, zelo, tantisque prodigiis et miraculis compuncti crediderunt in eum : unde iis visis dicebat Centurio : « Vere Filius Dei erat iste; » idque Christus sua cruce meruit, ac a Patre petiit et impetravit, ut patet *Lucæ* XXIII, 48; *Act.* II, 41. Ita S. Augustinus : « Videbat, ait, sibi aliquos post passionem suam credituros. Dicit vero hoc illis, ne quisquam sibi male conscius desperet, quando eis condonatur homicidium, qui occiderunt Christum. » Sic et S. Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, Euthymius, Theophylactus et alii.

ET A MEIPSO FACIO NIHIL, SED SICUT DOCUIT ME PATER, HÆC LOQUOR. — Idem sæpe Christus inculcat, tum ut humiliter de se loquatur, tum ut doctrinæ suæ auctoritatem ex Deo Patre conciliet. Ita Chrysostomus. Porro, « non sic Pater docuit Filium, quasi indoctum genuerit; sed hoc est docuisse, scientem genuisse : hoc est Filio esse, quod nosse. Pater gignendo dedit ei sicut esse, ita et nosse, » ait Augustinus.



29. ET QUI ME MISIT, MECUM EST. — Hoc addit, ait S. Chrysostomus, ne Patre quasi se docente, minor esse putaretur : illud dispensationis, hoc deitatis est. Et S. Augustinus : Misit, ait, Pater Filium, sed non recessit a Filio. Porro Pater est cum Filio, non tantum per indiscretam et eamdem numero essentiam deitatis, ut explicat S. Augustinus, sed etiam per singularem providentiam, regimen et gubernationem humanitatis ab eo assumptæ : hanc enim Deus quasi auriga regebat et dirigebat ad omne opus, quo fiebat ut singula Christi opera essent eximia, perfecta, heroica, divina. Ita Rupertus, Euthymius et alii.

30. HÆC ILLO LOQUENTE, MULTI CREDIDERUNT IN EUM. — Multi ex simplici, candida et docili turba, sed pauci vel nulli ex superbis et invidis Pharisæis. « Crediderunt in eum, » tum quia rationum ejus evidentia convincebantur; tum quia gratia, spiritu, vi et efficacia sermonum ejus capiebantur, dicentes : « Nunquam locutus est homo, sicut homo hic, » cap. VII, vers. 46.

31. DICEBAT ERGO (ut eos in fide jam accepta confirmaret) JESUS AD EOS, QUI CREDIDERUNT EI, JUDÆOS : SI VOS MANSERITIS IN SERMONE MEO, VERE DISCIPULI MEI ERITIS. — « Judæos » intelligit plebeios, quos opponit principibus, Pharisæis et sacerdotibus incredulis. « Si vos manseritis in sermone meo, » id est si in mea doctrina et fide, quam jam accepistis, perseveraveritis, inquit S. Augustinus, Leontius, Chrysostomus, Cyrillus et Theophylactus, « vere discipuli mei eritis, » scilicet fideles et constantes, ut per persecutiones et cruces me generose sequamini usque in cœlum, ibique me discipuli et asseclæ, imo filii et hæredes sitis in felicitate et gloria, sicut hic fuistis in fide et tribulatione : quare digni eritis discipulorum meorum uti nomine et titulo, sic et merito ac præmio.

32. ET COGNOSCETIS VERITATEM, ET VERITAS LIBERABIT VOS. — Per *veritatem* ipsum Christum, qui est via, veritas et vita, intelligunt Græci, S. Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius et Theophylactus, *q. d.* Si permanseritis in fide mea, cognoscetis me esse veritatem, adumbratam in umbris et figuris legis veteris, a quibus proinde liberabo vos, ut serviatis Deo, non in corporis cæremoniis et figuris, sed in spiritu et veritate fidei, spei et charitatis, ut dixi cap. IV, 23.

*Secundo*, et magis proprie ad mentem Christi, *q. d.* Si manseritis in mea doctrina, quam ego vos docui, per ipsam ejusdem experientiam et praxin cognoscetis et quasi gustabitis quam illa sit vera, salutaris, sincera et pura; atque eadem ipsa vos *liberabit*, Græce [illegible], id est liberos et ingenuos reddet, liberos, inquam, a jugo et servitute peccati. De hac enim proprie hic agi patet, ex eo quod subdit vers. 34 : « Qui facit peccatum, servus est peccati. » Fides enim mea deducet vos ad pœnitentiam, contritionem et charitatem, quæ abolet omne peccatum. Ita Rupertus, Jansenius, Maldonatus et alii, ac S. Augustinus, serm. 48 *De Verbis Domini secundum Joannem* : « Si non delectat veritas, inquit, delectet libertas, etc.; plane reddidit libertatem, si abstulit iniquitatem. »

Anagogice, liberabit vos mea doctrina a corruptione hujus mortalitatis, mutabilitatis, corruptionis et exsilii, quia deducet vos ad libertatem beatæ immortalitatis et gloriæ filiorum Dei. Ita S. Augustinus hic, *tract.* 40 : « Quid, ait, promittit credentibus, fratres ? et cognoscetis veritatem. Quid enim non illam cognoverant, quando Dominus loquebatur ? Si non cognoverant, quomodo crediderunt ? Non quia cognoverunt, crediderunt, sed ut cognoscerent, crediderunt : credimus enim ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus : quod enim cogrituri sumus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides ? fides ergo est, quod non vides, credere; veritas, quod credidisti, videre. »

Quadruplex libertas allata a Christo.

Disce hic quadruplicem esse servitutem, quam abstulit, et quadruplicem libertatem, quam attulit Christus. *Prima* servitus fuit sub onere legis veteris, quam Christus abstulit per libertatem Evangelii.

*Secunda* servitus fuit sub jugo peccati : hanc abstulit Christus per libertatem justitiæ.

*Tertia* servitus fuit sub dominio concupiscentiæ, quam Christus abstulit per libertatem spiritus, ac dominium charitatis et gratiæ.

*Quarta* servitus fuit sub morte et mortalitate, omnibusque hujus vitæ ærumnis, quam auferet Christus per libertatem resurrectionis et gloriæ. Quare non agitur hic de libertate arbitrii, quasi peccatores adeo sint servi peccati, ut careant libero arbitrio, quod eis restituat Christus, cum eos justificat. Peccator enim non nisi per liberum arbitrium peccat, et pœnitens non nisi per liberum arbitrium gratia Dei adjutum, pœnitet et justificatur.

Quare inepte Calvinus hic negans tam peccatoribus quam justis liberum arbitrium : « Nos, inquit, servitutis propriæ conscii, non nisi Christo liberatore gloriemur. » Censet enim ipse nos intrinsece non esse liberos, sed extrinsece per libertatem Christi : sicut idem censet nos intrinsece non esse justos per inhærentem nobis justitiam, sed tantum extrinseca per justitiam Christi nobis a Deo imputatam : quorum utrumque hæresis est non tantum impia, sed et imperita, inepta et stolida.

33. RESPONDERUNT (Judæi, non tam credentes in eum, de quibus vers. præced., quam increduli, ut patet ex sequent.) EI : SEMEN ABRAHÆ SUMUS, ET NEMINI SERVIVIMUS UNQUAM; QUOMODO TU DICIS : LIBERI ERITIS ? — Christus dicendo, « Si manseritis in sermone meo, etc., cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos, » Judæi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Judæis objecerat ignorantiam et servitutem, quasi ex utraque eos sit liberaturus per veritatem et libertatem. Judæi de stirpe Abrahæ gloriantes, senserunt se pungi a Christo, ac dissimulantes ignorantiam superbe servitutem arripiunt negantque se esse vel fuisse servos, ac proinde libertate Christi non egere, *q. d.* Nos sumus filii magni patriarchæ Abrahæ, ideoque ingenui et liberi, nec ulli servivimus unquam; quare neque nativitate, neque conditione sumus servi. Sic hodie multi, ait S. Chrysostomus, si arguantur eorum mores impuri et improbi, dissimulant; sed si tangatur eorum genus et nobilitas, exiliunt velut phrenetici. Verum Judæi non intellexerunt Christum; Christus enim non de servitute et libertate civili, sed spiritali loquebatur, quod scilicet e servitute peccati per libertatem gratiæ eos liberaret.

An vere dixerint Judæi: Nemini servivimus unquam.

Quæres, an vere Judæi dicant: « Nemini servivimus unquam? » nam olim servierant Ægyptiis, cum liberati et educti fuere a Mose; item Babyloniis, cum sub Joachim et Sedecia capti et abducti fuere in Babylonem; item Philistæis, Ammonitis, etc., tempore Judicum. Respondent S. Chrysostomus, S. Augustinus, Leontius, Beda, Judæos gloriabundos plus æquo suum genus extollere, ideoque falsum dicere et mentiri; sed hoc sensu mendacium suum velare, quod licet a Babyloniis, Ægyptiis aliisque gentibus fuerint subacti, nunquam tamen in servos, id est in mancipia, fuerint distracti et venditi.

*Secundo*, Cajetanus, Toletus, Jansenius et alii respondent, patres quidem horum Judæorum serviisse Babyloniis et Ægyptiis, hosce vero Judæos tempore Christi nemini serviisse; quia, licet subessent Romanis et Tiberio Cæsari, tamen eorum non erant servi et mancipia, sed subditi duntaxat: necdum enim fuerant a Vespasiano et Tito excisi, tunc enim ab eis omnes Judæi vel occisi fuere, vel ut mancipia capti et divenditi, adeo ut captivorum fuerint 97 millia, occisorum vero et mortuorum undecies centena millia, teste Josepho, lib. VII *Belli*, cap. XVII.

Hic sensus magis congruus videtur. Nam dicere quod Patres ipsorum nemini serviissent unquam, fuisset nimis splendidum mendacium, quod sol ipse erubuisset et Christus illico confudisset. Dicunt ergo: « Nos semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam, » *q. d.* Nos neque origine et genere sumus servi, quia sumus filii nobilis et inclyti Abrahæ: neque etiam sumus servi fortuna et conditione, quia nemini servivimus unquam. Ergo nullo modo sumus servi, sed omni ratione liberi, ingenui et nobiles; quia, licet Romanis subsimus, eis tamen subsumus politice ut subditi, non despotice ut servi et mancipia.

34. 34. AMEN, AMEN (id est vere vere, vel certo certo, id est verissime et certissime. « Veritas, ait S. Augustinus, dicit: multum commendat, quod ita pronuntiat) » DICO VOBIS: QUIA OMNIS QUI FACIT PECCATUM, SERVUS EST PECCATI. — Christus Judæis objicientibus se non esse servos, sed liberos, respondet se loqui de servitute, non civili, sed mystica, qua quis servit peccato. Porro, verecunde et modeste loquitur in genere et in tertia persona, cum proprie velit dicere: Vos facitis peccata multa, ideoque servi estis peccati, a qua servitute nemo vos liberare potest, nisi ego. « O miserabilis servitus, » exclamat S. Augustinus *tract.* 41, causamque subdit: « Servus hominis aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo quiescit: servus peccati quo fugit? secum se trahit quocumque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est quo eat, sequitur se, imo non recedit a se: peccatum enim quod facit, intus est. » Causam aliam dat S. Petrus, *epist.* II, cap. II, vers. 19, dicens: « A quo enim quis superatus est, hujus et servus est. » Vide ibi dicta. Adde tertiam: Qui facit peccatum, servus est diaboli, qui instigat ad peccatum, sicut qui facit justitiam, servus est Dei, qui ad eam impellit. Diabolus autem summus est tyrannus, qui peccatores quasi mancipia exagitat, et ex uno scelere in aliud et aliud semper, ac tandem in gehennam pertrahit, uti videre est in sagis et magis. *Quarto*, quia peccatum post se relinquit concupiscentiam et inclinationem ad peccatum iterandum, quæ concupiscentia etiam post dimissum peccatum manet ad pœnam et tentationem. Unde Apostolus, *Rom.* VII, ait se venumdatum sub peccato, ut quod nolit hoc agat (ut scilicet motus concupiscentiæ invitus sentiat), et bonum quod velit, nequeat perficere, ideoque exclamat: « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » *Quinto*, quia peccator peccato quod fecit, quasi vinculis alligatur, ut se ab eo expedire nequeat, nisi Christus eum gratia sua liberet, juxta illud *Prov.* V, 22: « Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. » Et *Isaiæ* V, 18: « Væ qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. » Vide utrobique dicta. Audi S. Gregorium, lib. IV *Moral.*, cap. XLII: « Qui se pravo desiderio subjicit, iniquitatis dominio dudum libera mentis colla supponit; sed huic domino contradicimus, cum iniquitati quæ nos ceperat, reluctamur. » Idem lib. XXV *Moral.*, cap. IX: « Quanto aliquis libentius peragit perversa quæ vult, tanto iniquitatis servitio obnoxius obligatur. » Est prosopopœia: peccato enim, quæ res inanima est, tribuitur persona heri, sive domini et tyranni, *primo*, ut significetur vis et tyrannis peccati et concupiscentiæ; *secundo*, quia sub peccato intelligitur diabolus, qui in regno peccati imperat, et peccatoribus duro dominatur; *tertio*, ut indicetur reatus peccati, quo peccatum peccatorem reum facit mortis et gehennæ.

Peccator servus peccati est. Causa prima.

Præclare S. Ambrosius serm. 12 *in Psal.* CXVIII, ad illa: *Tuus sum ego, salvum me fac*: « Non potest, inquit, dicere sæcularis: Tuus sum; plures enim dominos habet. Venit libido, et dicit: Meus es, quia ea quæ sunt corporis concupiscis. Venit avaritia, et dicit: Meus es, quia argentum et aurum quod habes, servitutis tuæ pretium est. Venit luxuria, et dicit: Meus es, quia unius diei convivium pretium tuæ vitæ est. Venit ambitio, et dicit: Plane meus es: nescis quod ideo imperare aliis te feci, ut mihi ipse servires? nescis quod ideo potestatem in te contuli, ut meæ te subjicerem potestati? Veniunt omnia vitia, et singula dicunt: Meus es. Quem tanti competunt, quam vile mancipium est? » Porro, peccator qui nequit dicere Deo: « Tuus sum ego, » audit a diabolo, « Meus es tu. » Nam, ut subjicit S. Ambrosius: « Venit et introivit in eum Satanas, et cœpit dicere: Non est tuus Jesu; sed meus est. Ea quæ mea sunt cogitat, quæ mea sunt in pectore voluit: tecum epulatur, et mecum pascitur; a te panem accipit, a me pecuniam; tecum bibit, et mihi tuum sanguinem vendit; tuus est Apostolus, et meus mercenarius. »

35. SERVUS AUTEM NON MANET IN DOMO IN ÆTERNUM: FILIUS AUTEM MANET IN ÆTERNUM. — *q. d.* Qui servus est peccati, uti vos, o Judæi, estis, hic more servorum non habet jus manendi semper in domo heri, puta in Ecclesia Dei; nam post mortem ejicietur in tenebras exteriores gehennæ, uti eodem vos ejiciemini. At filius semper manet in domo heri, utpote patris sui, hoc est, ego semper maneo apud Deum Patrem meum in cœlo: quare si per me meamque gratiam a servitute peccati liberati fueritis, mecum quasi filii adoptivi semper in domo Dei, id est in Ecclesia, tam militante per gratiam, quam triumphante per gloriam in æternum felices et gloriosi manebitis. Ita S. Augustinus, Cyrillus, Beda et alii. Unde sequitur.

36. SI ERGO VOS FILIUS LIBERAVERIT, VERE LIBERI ERITIS. — Nota τὸ *vere*, *q. d.* Nec Abraham, nec Moses, licet Deo charissimi servi, vos a peccato liberare poterunt, sed ego solus qui sum verus Dei Filius, Messias, redemptor et salvator mundi. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et alii.

37. SCIO QUIA FILII ABRAHÆ ESTIS; SED QUÆRITIS ME INTERFICERE, — quod non fecit Abraham; *q. d.* Natura quidem estis filii Abrahæ, sed imitatione degeneres. Quare prosapia Abrahæ vobis non proderit, nisi ad majorem damnationem; Abraham enim in die judicii damnabit vos, dicetque: Ego vos non agnosco pro filiis, quia Christum filium meum et fratrem vestrum persecuti estis et crucifixistis: ite ergo christicidæ in ignem æternum. Ita se Christus explicat vers. 40.

QUIA SERMO MEUS NON CAPIT IN VOBIS, — id est, ut Vatablus, *non habet locum in vobis*; quia scilicet vos eum capere non vultis; Arabicus, *non est firmus in vobis*. Unde Origenes et Chrysostomus censent hæc dici ad eos qui ante crediderant in Christum, sed obiter et leviter, ac repente, cum audirent se a Christo servos vocari irritati et excandescentes, mutata sententia et fide in perfidiam, volebant eum occidere. Planius et probabilius dicemus Christum hæc dicere ad incredulos, qui jam ante ei necem machinabantur.

38. EGO QUOD VIDI APUD PATREM MEUM, LOQUOR; ET VOS QUÆ VIDISTIS APUD PATREM VESTRUM, FACITIS. — *q. d.* Sicut ego loquor et doceo ea quæ vidi et audivi (in spiritualibus enim et divinis idem est *videre* et *audire*, ut dixi cap. V, 30), hoc est cognovi et intellexi a Deo Patre meo, sic pariter vos ea quæ vidistis, id est audistis, (unde Græci codices nonnulli cum Chrysostomo et Leontio legunt, ἠκούσατε, id est *audistis*) et didicistis a patre vestro diabolo, non tantum loquimini, sed reipsa facitis, præsertim dum molimini me occidere. Ita S. Augustinus, Beda, Leontius, Euthymius, Rupertus. Diabolum enim hic vocari patrem Judæorum, non vero Abraham, clare docet Christus vers. 44, dicens: « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere: ille homicida erat ab initio. »

39. RESPONDERUNT, ET DIXERUNT EI: PATER NOSTER ABRAHAM EST, — quia Christus alium videbatur eis assignasse patrem, nec eum nominarat, ut eum ex ore ejus eliciant, repetunt replicantque: « Pater noster Abraham est, » nec alium agnoscimus patrem.

DICIT EIS JESUS: SI FILII ABRAHÆ ESTIS, OPERA ABRAHÆ FACITE. — « Non negat eorum originem, ait S. Augustinus, sed facta condemnat. Caro eorum ex illo (Abraham) erat, vita non erat. » Græci nonnulli codices, et illos secutus Arabicus habent: *Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis.*

40. NUNC AUTEM QUÆRITIS ME INTERFICERE HOMINEM, QUI VERITATEM VOBIS LOCUTUS SUM, QUAM AUDIVI A DEO: HOC ABRAHAM NON FECIT. — Clare explicat probatque Judæos non facere opera Abrahæ, quia Abraham neminem læsit, sed Lot et quotquot potuit, salvavit: Judæi autem Christum lædere et occidere satagebant. Simili modo Hebræi, in *Pirke Avoth*, cap. V: « Ex tribus, inquiunt, cognosces quis sit discipulus Abrahæ, et quis Balaam. Qui enim oculo est gratioso, spiritu benigno et anima satiabili, cui facile satisfit, hic est discipulus Abrahæ. Qui vero est oculo livido et invido, spiritu superbo et anima insatiabili, hic est discipulus Balaam. »

41. VOS FACITIS OPERA PATRIS VESTRI. — Perstat Christus in eo quod dixit, Judæos non Abrahæ, sed alterius patris, cujus opera imitentur, esse filios, scilicet diaboli, quem necdum nominat, sed nominabit vers. 44.

DIXERUNT ITAQUE EI: NOS EX FORNICATIONE NON SUMUS NATI; ET UNUM PATREM HABEMUS DEUM. — *Primo*, Origenes, Cyrillus et Leontius censent Judæos vocem Christi dicentis, quod alium ab Abraham haberent patrem, scilicet adulterum,

Filii fornicationis qui? Resp. Primo.

irritatos, implicite et tacite convicium in ipsum retorsisse, *q. d.* Nos non sumus filii adulteri, sed talis tu ipse es; nam pater tuus non est Joseph, sed alius quis occultus adulter. Unde Origenes : « Atrocius, inquit, respondent, latenter designantes ex adulterio natum Christum. » Hoc enim in vulgus sparserant Pharisæi nonnulli, Christo invidentes, ut ei famam et auctoritatem adimerent. Hoc si verum est, fuit atrox hæc in Christum et B. Virginem calumnia et blasphemia.

*Secundo,* mitius Euthymius et Rupertus, *q. d.* Nos non sumus filii Agar, quæ fuit ancilla et concubina (hoc est secundaria uxor) Abrahæ, ex Ismaele ejus filio, et Agarenis ejus posteris prognati; sed sumus filii Saræ, quæ fuit libera et domina, ideoque primaria uxor Abrahæ, ac ex illa per Isaac, qui fuit primarius filius, indeque hæres benedictionum Abrahæ, descendimus : filii enim concubinarum videbantur illegitimi et spurii, eo quod hæreditate patris excluderentur, etsi revera essent legitimi, sed secundarii.

*Tertio, q. d.* Nos non sumus nati ex fornicatione spirituali, id est ex idololatria, hoc est, non sumus filii Gentium idololatrarum, v. g. Agarenorum, sed sumus filii Abrahæ et Saræ, fidelium fideles proles. Unde explicando subdunt : « Unum patrem habemus Deum. » Objicit Rupertus sic debuisse eos addere vocem adversativam *sed*, quam tamen omisere, ac dixisse : Non sumus ex fornicatione, id est ex idololatria nati, *sed*, unum habemus Deum Patrem, quem colimus. Respondet Maldonatus τὸ *sed*, et similes particulas sæpe omitti et subintelligi. Fornicatio enim in Scriptura præsertim apud Prophetas, mystica intelligitur, id est idololatria, quia per eam anima relicto Deo, qui est verus ejus sponsus, prostituit se idolis et dæmonibus, quasi adulteris. Ita S. Augustinus, Maldonatus et alii. Alludit ad *Osee* I, 2: « Sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra. » Huc accedit Theophylactus, qui exponit, *q. d.* Non sumus nati ex conjugiis Judæorum cum uxoribus gentilibus; hæc enim conjugia lege erant vetita, ideoque illegitima et adulterina a Judæis habebantur.

*Quarto,* simpliciter et plane, Judæi Christo objicienti alium patrem ab Abraham, scilicet diabolum (quem licet Christus non expresserit, Judæi tamen eum ab ipso intelligi subodorati sunt), utpote cujus opera sequerentur, respondent plene, ideoque bifariam, *q. d.* Nobis non alius adulter, ut tu objicis, sed verus pater in terra est Abraham, in cœlo vero unus est Deus : quare nos non sumus ex fornicatione, sed ex legitimo conjugio Abrahæ cum Sara prognati, ac consequenter eumdem Deum verum colimus, quem coluit Abraham pater noster : falso igitur criminaris nos quasi spurios, non facere opera Abrahæ, nec ejus fidem et pietatem imitari, nec Deum ejus colere, sed diabolum ejusque opera et instinctus participere. Inique ergo Deum Abrahæ verum tibi soli appropriās, quasi tui solius patrem, nosque ab ejus filiatione excludis, et alteri, scilicet diabolo, assignas, facisque spurios et adulterinos, ideoque infames et vitiosos. Solent enim spurii levitatem et vitia parentum ex semine contrahere, ideoque esse leves, petulantes, lascivi : qua de causa jure Canonico sunt irregulares et inhabiles ad sacerdotium (1).

42. DIXIT ERGO EIS JESUS : SI DEUS PATER VESTER ESSET, DILIGERITIS UTIQUE ME : EGO ENIM EX DEO PROCESSI, ET VENI. — Multi eorum ex fornicatione nati erant (et hoc satis insinuavit Christus, digito scribens in terra, cum accusarent adulteram, vers. 7 et 8); sed hoc omisso, ait Chrysostomus, utpote occulto, turpi, infami et invidioso, Christus ostendit eos non esse ex Deo, hoc syllogismo :

> Qui diligit Deum, diligit pariter Dei Filium;
> Atqui vos non diligitis Dei Filium, scilicet me,
> qui vobis per tot miracula idipsum probavi:
> Ergo vos quoque non diligitis Deum.

Sicut Ariani, qui negant Christum esse Dei Filium, negant pariter Deum Patrem : nec enim Pater est, aut dici potest, qui non habet filium.

EGO ENIM EX DEO PROCESSI (Græce ἐξῆλθον, id est *exivi,* ita Arabicus) ET VENI. — Græce ἥκω, id est *venio,* id est jam veni. S. Augustinus, Beda, Leontius, Ammonius et S. Hilarius, lib. VI *De Trinit.*, censent hic denotari utramque Christi generationem, scilicet divinam et humanam, *q. d.* Processi a Patre per æternam generationem, veni in mundum per incarnationem nuper factam. « Quod de Deo processit Verbum, æterna processio est, ait S. Augustinus; venit autem ad nos, quia caro factum est : adventus ejus, humanitas ejus. »

Planius Jansenius, Maldonatus et alii utrumque, scilicet « processi et veni, » referunt ad incarnationem, sed ita ut æterna ejus generatio simul innuatur et quasi præsupponatur, *q. d.* Exivi a Deo et veni in mundum, qui ante a Deo genitus exieram, eramque in cœlo Deus Deique Filius. Hoc enim sensu ait Christus, cap. XVI, 27 : « Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi, » scilicet missus in carnem et mundum.

NEQUE ENIM A MEIPSO VENI, SED ILLE ME MISIT. — « Docet sibi non a se esse originem, » ait Hilarius, lib. VI. *De Trinitate.* Addit Origenes : Hoc dicit propter quosdam a se venientes, et non missos a Patre, quos taxat Jeremias, cap. XXIII, 21, dicens : « Non mittebam eos, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. » Hoc nolent Lutherus, Calvinus cæterique hæresiarchæ, qui a nullo auctoritatem habente missi, seipsos intruserunt in cathedras Ecclesiæ ad innovandam et pervertendam veram Dei fidem et religionem.

43. QUARE LOQUELAM MEAM NON COGNOSCITIS? QUIA NON POTESTIS AUDIRE SERMONEM MEUM. — « Non potestis, » quia affixi vestræ superbiæ, avaritiæ, odio et invidiæ contra me, non vultis me « audire » et cognoscere. « Ideo audire non poterant, ait S. Augustinus, quia corrigi credendo nolebant, » sed, ut ait Glossa, « quia ex diabolo estis, in eo perseverare elegistis. » Sic et S. Chrysostomus, Theophylactus, Leontius et Euthymius. Vide S. Gregorium Nazianzenum, *orat.* 4 *De Theolog.*, ubi docet *non posse* in Scriptura subinde idem significare quod *non velle.* Sic *Matth.* XIX, 12, dicitur : « Qui potest (id est qui vult) capere, capiat. » Secundo, magis proprie et nervose, *q. d.* Ideo sermones meos non intelligitis, quia ferre me docentem non potestis, et dicta mea ne ad aures quidem admittere vultis, adeo sum vobis invisus et tanto mei odio laboratis, in eoque mentem obstinastis et obdurastis. Ita Emmanuel Sa.

44. VOS EX PATRE DIABOLO ESTIS. — « Imitando, non nascendo, » ait S. Augustinus, citansque illud *Ezech.* XVI, 3 : « Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa, » addit : « Judæi, imitantes impietates eorum, invenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectantes, pariter damnarentur.

Porro, per *diabolum* hic S. Epiphanius, *hæresi* 38 et 40, accipit Judam proditorem, qui idcirco a Christo, cap. VI, 70, vocatur diabolus; auctor vero *Quæst. novi et veteris Testam.*, apud S. Augustinum, per *diabolum* intelligit Cain, qui Abelem fratrem occidit, sicut Judæi Christum. Sed certum est per *diabolum* hic ad litteram accipi Luciferum, ut patet ex seq.; hunc enim quasi patrem secuti sunt Judæi persequentes Christum : « Non utique successione carnis, sed criminis, » ait S. Ambrosius, lib. IV *in Lucam.*

ET (id est quia) DESIDERIA (græce ἐπιθυμίας, id est concupiscentias, cupiditates) PATRIS VESTRI VULTIS FACERE, — et me occidatis. Explicat et dat causam, cur dixerit eos esse ex patre diabolo, quia scilicet diaboli opera, suggestiones, instinctus sequuntur, et reipsa exequuntur.

Non dixit *opera*, inquit S. Chrysostomus, sed *desideria*, ostendens vehementer et illum et ipsos cædibus delectari. Dæmon enim ardet cupiditate occidendi et perdendi omnes homines, tum quia ipsis gloriam, a qua ipse excidit, invidet; tum ut Deo, quem quasi tortorem suum odit, noceat, eique homines adimat; hos enim Deus creavit ad imaginem suam, atque ad suam gratiam et gloriam æternam vocavit et prædestinavit.

ILLE HOMICIDA ERAT AB INITIO, ET IN VERITATE NON STETIT. — « Homicida, » græce, significanter ἀνθρωποκτόνος; Arabicus, *occisor hominum,* fuit diabolus *ab initio*, creationis tam mundi quam sui, puta sexto mundi die quo creatus est Adam : mox enim, ut ipse creatus est, Lucifer illi invidens eodem die ipsum omnesque ejus posteros occidit; quia persuasit ei ut pomum a Deo sub pœna mortis vetitum comederet, itaque eum in mortem impulit, *q. d.* Sicut diabolus ab initio Adamum omnesque ejus posteros occidit, ita nunc per vos, o Judæi, me pariter, per quem a morte redimendi sunt homines, conatur occidere; perstat enim semper in sua ira, odio, nocendi et occidendi cupiditate, instar pardi et lupi, qui humanis carnibus pascitur; ideoque eorum necem et sanguinem assidue sitit. Quare ille idem est Lucifer, qui ab initio mundi Cainum impulit ut Abelem fratrem necaret, item fratres Joseph, ut eum neci destinarent; ipse reliquos homicidas ad homicidia instigavit et etiamnum instigat : multo magis idem ille sitit necem et exitium animarum, etsi proprie de cæde corporum hic agatur; hanc enim Judæi, instigante diabolo, machinabantur Christo. Ita Euthymius et S. Augustinus, lib. II *Contra Litt. Petil.*, cap. XIII.

ET IN VERITATE NON STETIT. — Hoc est, in integritate, rectitudine et perfectione, puta in gratia, justitia et sanctitate, in qua conditus erat a Deo, « non stetit, » id est non permansit. Sic dicitur verum aurum, quod purum et perfectum est, non adulteratum; sic Nathanael vocatur « verus Israelita, in quo dolus non est, » cap. I, vers. 47. Rursum « in veritate, » id est in officio suo, puta in eo quod æquum et justum erat ipsum facere; hoc enim passim apud Joannem, Davidem et Salomonem significat *veritas.* Vide dicta cap. III, 21. Triplex enim est veritas, cordis, oris et operis. Veritas cordis est, qua cor, sive mens, vere rem concipit et intelligit, sicut ipsa in se est; hæc opponitur falsitati et errori. Veritas oris est, qua quis vere loquitur id quod in corde sentit; hæc opponitur mendacio. Veritas operis est, qua quis operatur vere, id est conformiter ad judicium rationis practicæ, sive qua quis operatur id quod vere in praxi, juxta dictamen rectæ rationis faciendum esse judicat. Hæc opponitur iniquitati et peccato; atque hæc ipsa hic intelligitur, *q. d.* Diabolus, id est Lucifer cum asseclis, « non stetit, » id est non perseveravit, « in veritate, » id est in eo quod ipsum in praxi vere facere oportebat quia scilicet noluit subesse Deo, cui ipse ut creatura subesse debebat, sed superbiens contra eum insurrexit voluitque ei esse par, quasi alter Deus, unde a sua rectitudine, gratia, statu et loco excidit, et dejectus fuit in tartara juxta illud : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? » *Isaiæ* XIV, 12. Ita S. Chrysostomus, *homilia* 54; S. Leo, serm. 10 *De Quadrag.*, et alii. Hinc porro S. Augustinus, lib. IV *Cont. Adimant.*, cap. IV, per « veritatem » accipit legem, *q. d.* Diabolus non

(1) Πορνεία, *fornicatio*, h. l. metaphorice est idololatria, quia populus Israeliticus ob arctissimum vinculum, quo cum Deo per veram religionem et summa beneficia divina jungebatur, sæpe cum uxore a Deo amata comparari solebat, et fides Deo data a populo, idololatriæ studio eodem modo fallebatur, quo fides conjugii adulterio violari solet. Conf. *Jud.* II, 17; I *Paral.* V, 25; *Isai.* I, 21; *Osee* I, 2; IV, 12, etc. Hunc sensum ad *litteram* genuinum esse patet etiam ex seq. : *et unum Patrem habemus Deum.*

perstitit in lege Dei. Alii per « veritatem » accipiunt fidelitatem, *q. d.* Diabolus non perstitit in fidelitate et obedientia quam Deo creatori suo debebat.

*Secundo*, S. Irenæus, lib. V, cap. XXII et XXIII, et ex eo Toletus, proprie hic « veritatem » accipiunt pro veracitate, quæ opponitur mendacio, *q. d.* Diabolus ab initio fuit mendax; suo enim mendacio decepit Adamum et Evam, dicens : « Non moriemini, si ex pomo vetito comedatis, sed eritis sicut dii, scientes bonum et malum, » *Gen.* III. Hic sensus valde congruit cum sequentibus, ubi dicitur : « Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus. » Christus enim videtur taxare hic duo vitia Judæorum quæ a patre diabolo didicerunt : primum est homicidii, quo sibi necem machinabantur, sicut diabolus occidit Adamum ; secundum est mendacii et calumniæ, quo mentiebantur Christum esse falsum prophetam, magum, dæmoniacum, etc.

*Tertio*, Origenes hic, tom. XXIV, accipit veritatem judicii practici quam deseruit Lucifer, cum peccavit, judicans sibi esse superbiendum et rebellandum Deo, quod practice erat falsum et erroneum. Nam, ut dicitur *Prov.* IV : « Errant qui operantur malum, » et e contrario sapiunt qui operantur bonum, quia sequuntur verum judicium practicum rectæ rationis. Omnia hæc vera sunt, et huic loco congruunt atque ex primo consequuntur. Quia enim Lucifer non stetit in veritate operis et officii sui, hinc pariter excidit a veritate cordis et mentis, ut judicia practice falsa sibi persuaderet, atque a veritate oris, id est a veracitate, ut suis mendaciis deciperet Evam ceterosque homines.

NON STETIT. — Hinc recte colligit S. Augustinus, lib. XI *De Civit.*, cap. XIII et seq., atque ex eo Theologi, diabolum a Deo creatum esse in gratia et justitia, sed in ea non stetisse, id est non perseverasse : quare errare Manichæos, dicentes diabolum natura sua esse malum ac a malo Deo creatum esse malum. Manichæi enim abutebantur illo dicto S. Joannis, *Epist.* I, cap. III : « Ab initio diabolus peccat. » Alius autem est illius loci sensus, ut ibi dixi.

QUIA NON EST VERITAS IN EO. — Scilicet nec veritas cordis, nec oris, nec operis, uti jam dixi; hæ enim tres veritates quasi sorores sunt connexæ et se mutuo comitantur : hic tamen proprie « veritas » significat veracitatem ; probat enim diabolum non stetisse in veritate operis ex effectu, quia scilicet excidit a veracitate, mentitur, fallit et decipit ; quia enim diabolus excidit a veritate operis et officii sui, hinc pariter excidit a veritate oris, id est a veracitate, hoc est, mentitur, et plurima mendacia profert ut sequitur. Ita S. Augustinus loco jam citato.

CUM LOQUITUR MENDACIUM, EX PROPRIIS LOQUITUR, QUIA MENDAX EST, ET PATER EJUS. — Arabicus; *quando loquitur mendacium, tantummodo loquitur quod est illi*, *q. d.* Diabolo, postquam a veritate officii et gradus statusque sui angelici excidit, atque sua libertate ex angelo pulcherrimo se fecit teterrimum cacodæmonem, proprium et quasi innatum est fallere et decipere, ejusque officium peculiare et proprium est mentiri, ut homines seducat et in gehennam suumque regnum pertrahat. Hoc enim totus agit, huc omnes suas cogitationes et studia confert; aliud non cogitat, nec desiderat, nec molitur. — *Ex propriis loquitur, quid?*

*Secundo*, « ex propriis, » id est ex propria inventione; quia diabolus fuit inventor mendacii, ac primo omnium mentitus est, cum decepit Evam. Homines vero post illum et ab illo decepti, cœperunt fallere et mentiri, ideoque non ex propriis, sed ex alieno, puta ex diaboli imitatione et suggestione, fallunt et mentiuntur. Ita Origenes, S. Chrysostomus et S. Augustinus, probantque ex eo quod sequitur : « Quia mendax est, et pater ejus. »

*Tertio*, « ex propriis, » id est ex intrinsecis, ex intimis animæ suæ penetralibus, quod Hebræi dicunt *benaphsco*, id est, *ex anima sua*, loquitur quia intime gaudet mendaciis, gestitque cum mentiri et fallere potest, sicut fur gaudet suis furtis.

QUIA MENDAX EST, — ex continuo fallendi et mentiendi usu, habitu et officio, adeo ut totus ex fraudibus et mendaciis consutus et conflatus videatur; quod si aliquando verum dicit, coactus dicit, aut certe hoc fine dicit, ut per verum persuadeat falsum et in fraudem inducat.

ET PATER EJUS. — « Ejus, » scilicet diaboli, ait Nonnus. Unde Caiani hæretici per diabolum accipiebant Cain. S. Epiphanius vero, *hæresi* 38, accipit ipsum Judam proditorem, quorum pater fuit diabolus mendax, æque ac ipsi fuere mendaces. Manichæi vero, teste S. Augustino, *tract.* 62, dicebant ipsum diabolum habere patrem, scilicet Deum malum, a quo creatus foret, qui mendax esset, æque ac filius ejus diabolus. Verum dico, diabolus dicitur hic pater « ejus, » scilicet « mendacii » quod præcessit, quodque rursum in concreto « mendax » includitur. Diabolus autem dicitur pater mendacii : *primo*, « pater, » id est inventor, quia primus mentitus est artemque mentiendi et fallendi adinvenit, quam deinde homines docuit. Sic *Genes.* IV, 20, dicitur Jabel « pater habitantium in tentoriis, » et frater ejus Jubal « pater canentium cithara et organo; » *pater*, id est inventor. *Secundo*, « pater, » quia ipse gignit et fingit mendacia, sicut figulus ex luto format et fingit vasa testacea, ipse ergo est « pater, » id est figulus mendacii. Ita S. Augustinus, Leontius, Chrysostomus et alii. Est hebraismus. Audi Origenem : « Diabolus mendacium genuit. Seductus est a seipso; in hoc deterior, quod alii ab eo falluntur, ipse sibi deceptionis est auctor. » Et S. Augustinum : « Non omnis qui mentitur est pater mendacii, sed qui aliunde mendacium non accepit, ut diabolus. »



Hinc diabolus est pater et auctor hæresum, ideoque hæresiarchæ habuerunt dæmonem paredrum sive assessorem, qui eis hæreses et argumenta ad eas confirmandas suggessit, uti de se fassus est Lutherus. Talem habuit Arius, Eunomius, Calvinus, etc., et talem habebit Antichristus; unde Apostolus, I *Timoth.* IV, 1, hæreses vocat « doctrinas dæmoniorum. » Vide ibi dicta.

45. EGO AUTEM SI VERITATEM DICO, NON CREDITIS MIHI. — Est hæc minor propositio, quam sub majore subsumit Christus, ut probet Judæos esse ex patre diabolo. Hic enim ejus est syllogismus :

*Syllogismus Christi probans Judæos esse diaboli filios.*

Quicumque credit mendacio, non veritati, hic est filius diaboli, qui est mendax, et pater ejus;
Atqui vos creditis mendacio, non veritati :
Ergo vos estis filii diaboli.

« Si, » id est *quia*, ut habet Græcus et nonnulli Latini, *q. d.* Quia ergo veritatem dico, vere vestra vitia taxans, ac vere asserens me esse Messiam, vestrum doctorem et salvatorem mundi, idque per miracula probo, vos quia non vultis vestra vitia dimittere, nec ea redargui, hinc mihi veritatem dicenti et docenti credere non vultis, sed diabolo, qui suis mendaciis vobis persuadet me esse pseudoprophetam, meaque miracula esse præstigias, ideoque esse ficta, non vera. Hinc Arabicus omisso *si* vertit : *Ego autem veritatem loquor, et non creditis mihi.*

46. QUIS EX VOBIS ARGUET ME DE PECCATO ? — Est occupatio; occurrit enim objectioni Judæorum. Hi enim excipere poterant ac dicere : Nos non credimus tibi, quia tu legem nostram violas et peccas, v. g. sabbatum violas, dum in eo curas paralyticos. Respondet Christus : Proferte aliquod peccatum, quo legem violem, illudque probate, et patiar mihi a vobis non credi; nam alias demonstravi curationem meam in sabbato esse legis non violationem, sed sanctificationem. Proferte ergo aliud meum peccatum si potestis, meque de illo arguite. En mei censuram et judicium vobis, licet juratis meis hostibus, permitto. Magna fuit hæc Christi innocentia et confidentia, qua non tantum peccatum, sed vel umbram et suspicionem peccati a se removet, ita ut nullus quidquam ei objicere posset, quod vel minimam peccati haberet speciem. Ipse enim erat impeccabilis, tum propter visionem beatificam, qua fruebatur, uti ob eamdem Beati in cœlo sunt impeccabiles : quia enim Deum vident summum esse bonum, hinc necessario illud totis viribus amant, et oderunt quidquid illi displicet; tum propter unionem hypostaticam cum Verbo : quia enim humanitas ejus subsistebat in persona Verbi, hinc Verbum humanitatem suam immunem ab omni peccato, in plena sanctitate conservabat. Si enim humanitas Christi peccasset, persona Verbi peccasset, quod est impossibile. Actiones enim virtutum vel vitiorum sunt personarum, et personis attribuuntur. Hinc S. Ambrosius, *in ps.* XL, vers. 13, Deum Patrem ita Christum alloquentem inducit : « Inter peccatores versatus es, omnium peccata suscepisti, peccatum pro omnibus factus es, sed nullus usus ad te potuit transire peccati. Ita inter homines versatus es, quasi inter angelos versareris. Fecisti terram esse, quod cœlum est, ut et ibi peccatum tolleres. »

SI VERITATEM DICO, QUARE NON CREDITIS MIHI ? — Alteram Judæorum exceptionem hic excludit. Dicere enim potuissent Judæi : Nos non credimus tibi, non ob peccatum aliquod a te commissum, sed quia illa quæ dicis et doces, non sunt vera. Occurrit Christus, aitque : Ego tot rationibus et miraculis probavi vobis doctrinam meam, ut nemo prudens, et odio non excæcatus dubitare possit quin illa sit verissima. Si ergo mea vita est innocentissima, et mea doctrina est verissima, cur mihi non creditis? Veritatem ergo hic non nude assertam, sed ratione demonstratam accipe, ut veritas veritatis demonstrationem complectatur.

47. QUI EX DEO EST, VERBA DEI AUDIT : PROPTEREA VOS NON AUDITIS, QUIA EX DEO NON ESTIS. — Christus hic veram causam assignat, cur Judæi sibi non credant; quia scilicet non Deum, sed diabolum, quasi patrem sequuntur et audiunt, *q. d.* Hæc vera est ratio a priori, cur mihi non credatis : quia scilicet non estis ex Deo nati, sed ex diabolo, hoc est, quia non Dei spiritum et instinctum, sed diaboli auditis et sequimini : « Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei, » *Rom.* VIII. Diabolus enim corda vestra cupiditate, odio et invidia mei excæcavit : quare vos verba Dei, quæ ego a Deo missus, vobis annuntio, non auditis, quia illa audire et intelligere non vultis. Quia ergo non estis Dei veracis, sed diaboli mendacis filii, hinc ejus mendaces suggestiones auditis eisque obeditis; Dei vero veracia verba, a me prolata, ad aures admittere non vultis.

Porro S. Augustinus, *tract.* 42, et S. Gregorius, *homil.* 18, hanc sententiam intelligunt de electis et reprobis, *q. d.* Qui a Deo prædestinatus et electus est, hic verba Dei audit; propterea vos ea non auditis, quia non estis a Deo prædestinati, sed reprobati. Verum hic sensus est accommodatitius, non litteralis et genuinus. Nam, ut recte advertit Toletus et Maldonatus, hæc non fuit præcisa causa, cur Judæi non crederent Christo, sed ea quam dixi. Nam multi ex his qui nunc non crediderunt Christo, postea prædicante Petro et Apostolis, crediderunt et salvati sunt, ut patet *Act.* II. Vice versa nonnulli, qui nunc crediderunt Christo, postea a fide ejus defecerunt, ideoque reprobati sunt, ut colligitur ex *Joan.* VI, 67.

Denique perperam ex hoc loco Manichæi, teste S. Augustino hic, inferebant aliquos homines ex natura sua esse bonos, eo quod a Deo bono creati, particulam ejus naturæ et bonitatis acceperint; alios vero natura sua esse malos, eo quod a malo principio conditi sint.

Moraliter ex hac Christi sententia infert S. Gregorius, *homil.* 48, aitque : « Interroget se unusquisque si verba Dei in aure cordis percipit, et intelliget unde sit. Cœlestem patriam desiderare veritas jubet, carnis desideria conteri, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penset ergo apud se unusquisque vestrum, si hæc vox Dei in cordis ejus aure convaluit, et quia jam ex Deo sit, agnoscet. » Et paulo post : « Et sunt nonnulli, qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur, sed post lacrymarum tempus, ad iniquitatem redeunt. Hi profecto verba Dei non audiunt, quia hæc exercere opere contemnunt. »

Hinc colligit S. Gregorius signum divinæ prædestinationis esse, si quis verba Dei audiat ejusque sanctis inspirationibus obediat; reprobationis vero, si quis illas repellat, juxta illud *Prov.* cap. I : « Quia vocavi, et renuistis, etc., ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit. » Nam, ut ait Christus, *Joan.* X : « Oves meæ vocem meam audiunt. » Sicut enim ovis, quæ audit vocem pastoris, secura est a lupo et salva; quæ vero non audit, errans a lupo devoratur : sic et qui Christi pastoris vocem audiunt, salvantur; qui non audiunt, a dæmone devorantur. Quocirca Christus clare edicit : « Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, » *Luc.* cap. X. Hinc S. Bernardus, serm. 1 *in Septuag.*, monachis suis hoc maximum prædestinationis dat signum, quod verba Dei cum fructu audiant. Eorum enim quasi perpetuus erat pastus, quidquid procedit de ore Dei, legendo, meditando, orando investigare et opere adimplere.

48. RESPONDERUNT ERGO JUDÆI, ET DIXERUNT EI : NONNE BENE (recte, vere) DICIMUS NOS, QUIA SAMARITANUS ES TU, ET DÆMONIUM HABES? — « Dicimus, » id est diximus, et dicere solemus : hinc constat id eos dicere solitos, etiamsi id alibi scriptum non sit. Sed cur Christum vocarunt Samaritanum? *Primam* causam dat Rupertus, quod Christus cum Samaritanis versatus fuisset, cap. IV, vers. 40. Unde objiciebant ei quod esset transfuga, et ex Judæo effectus Samaritanus. *Secundam* dat Maldonatus, quod Judæi Christum vocarint *Galilæum*, quia conceptus et educatus erat in Nazareth, quæ est urbs Galilææ. Galilæi autem vicini erant Samaritanis, unde quasi similes, vel iidem, pari loco et vilitate a Judæis habebantur. *Tertia* et potissima causa fuit, quod Samaritani partim erant Judæi, partim Gentiles, quia cum Deo Judæorum colebant Deos Assyriorum, a quibus prognati erant, IV *Reg.* XVII. Sic Christus eis videbatur partim Judæus, partim Gentilis, quia novam fidem et religionem inducebat; quare videbatur legem adulterare, æque ac majorum traditiones atque legem miscere cum Evangelio, uti Samaritani judaismum miscebant et corrumpebant gentilismo. Denique Samaritanus idem apud Judæos erat, quod schismaticus et apostata : Samaritani enim a Judæis fecere schisma, et templum sibi erexerunt in monte Garizim, quasi æmulum et oppositum templo Judæorum Hierosolymitano, uti dixi cap. IV, vers. 9. Ita Origenes, Theophylactus, Ammonius, Leontius, Euthymius. Quare vocare quemquam Samaritanum, ingens erat convicium et probrum; quale nunc apud Hispanos est vocare aliquem Maurum vel Marranum.

ET DÆMONIUM HABES? — *Primo*, « quia in Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicis dæmonia, » uti ipsi objiciunt Christo, *Luc.* XI, 15. Ita Theophylactus. *Secundo*, quia Christus faciebat se Deum, itaque gloriam Dei ad se transferebat, sicut dæmon, scilicet Lucifer, appetiit esse Deus, et gloriam Dei sibi vindicare. Ita Leontius. Hic sensus videtur genuinus, et ita intellexit Christus; unde respondet : « Ego gloriam meam non quæro. » *Tertio*, « dæmonium habes, » id est deliras, insanis, perinde ac lunatici et energumeni, a dæmone agitati delirant et insaniunt. Sic enim dicitur, cap. X, vers. 20 : « Dæmonium habet et insanit, quid eum auditis? » et cap. VII, vers. 20 : « Dæmonium habes, quis te quærit interficere? » Atrox hoc fuit Judæorum in Christum convicium et blasphemia, ideoque stupenda Christi in eo tolerando modestia et patientia, ut patet ex modestissimo ejus responso. Ait enim :

49. EGO DÆMONIUM NON HABEO, SED HONORIFICO PATREM MEUM, ET VOS INHONORASTIS ME. — Mirare hic Christi in tanta contumelia mansuetudinem, qua ut verax illam ut falsam negat, sed ut potens convicium non reddit. Unde S. Gregorius, *hom.* 18 : « Ecce, inquit, injuriam suscipiens Deus, non contumeliosa verba respondet : cum a proximis contumeliam accipis, etiam eorum vera mala tacere debes, ne ministerium justæ correptionis in arma vertatur furoris. » Et Chrysostomus : « Ubi oportebat Dominum eos docere, et contra eorum superbiam invehi, asper erat; ubi vero exprobrantes sufferre, multa mansuetudine utebatur, ut scilicet disceremus, quæ ad Deum pertinent, vindicare; quæ vero ad nos, despicere. » Et Augustinus : « Imitemur ejus patientiam, ut perveniamus ad potentiam. »

Dissimulavit Christus nomen Samaritani, quia merum erat convicium contra se, non contra Deum jactum : suam ergo injuriam ulcisci noluit, sed Dei honorem tueri; et quia omnes sciebant ipsum esse Galilæum, non Samaritanum; et quia refutando se habere dæmonium, refutabat pariter se esse Samaritanum. Samaritani enim quasi schismatici, erant mancipia dæmonis. Aliam causam, sed mysticam, non litteralem dat S. Gregorius, *homil.* 18 : « Samaritanus, inquit, interpretatur custos, et ipse veraciter custos est, de quo Psalmista ait : Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam; et cui per Isaiam dicitur : Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Respondere noluit Dominus : Samaritanus non sum; sed : Ego dæmonium non habeo. Duo quippe ei illata fuerunt : unum negavit, aliud tacendo consensit. Custos namque humani generis, et si Samaritanum se non esse diceret, esse se custodem negaret. »

EGO DÆMONIUM NON HABEO. — Sed vos potius habetis, ait Leontius, *q. d.* Ego adeo Dei gloriam non adimo, nec eam mihi usurpo, ut fecit dæmon, puta Lucifer, ut assidue honorificem Deum Patrem, dicamque omnia me ab illo habere, me ab ipso esse missum, ejus voluntati per omnia obedire, me universa mea illi accepta referre, et ad ejus honorem gloriamque dirigere : vos potius inhonoratis Deum Patrem, quia inhonoratis et acerbissimis conviciis afficitis me, qui sum Dei Patris Filius et legatus in mundo. Ita Leontius. Cæteri generalius explicant de peccato, *q. d.* Ego honorifico Patrem per opera sancta, vos eum inhonoratis per peccata vestra. Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Beda, Theophylactus.

50. EGO NON QUÆRO GLORIAM MEAM (sed Dei Patris) : EST QUI QUÆRAT, ET JUDICET. — *q. d.* Est Deus Pater qui requiret et judicabit, id est vindicabit et puniet acerrime eos qui gloriam meam non ferunt, nec quærunt, sed omnibus modis dehonorant et deturpant, uti vos facitis. Ita Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius.

Dices : Id contrarium videtur illi dicto Christi, cap. V, vers. 22 : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. » Respondeo : Ibi Christus loquitur de judicio publico et universali, quod Pater commisit Filio, ut illud peragat in die extremi judicii; hic vero loquitur de judicio privato et quotidiano, quo solet Deus Pater injurias Filio ejusque Sanctis factas in hoc mundo vindicare, sicut fecit dum Judæos per Titum et Romanos evertit, ob cæsum ab eis Christum; idque hoc loco tacite innuit et prædicit Christus. Ita Jansenius, Maldonatus et alii. Aliter Glossa : « Est qui judicet, » inquit, hoc est qui discernat meam gloriam a vestra, qui secundum sæculum gloriamini, juxta illud Davidis : « Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta. »

51. AMEN, AMEN DICO VOBIS : SI QUIS SERMONEM MEUM SERVAVERIT, NON GUSTABIT (id est non sentiet, non experietur) MORTEM IN ÆTERNUM. — Christus tam atroci Judæorum convicio non commotus ad indignationem, sed potius ad eorum commiserationem, perstat in sua sententia et doctrina, ostenditque se non quærere gloriam suam, sed Judæorum salutem. Unde ait : « Amen, amen, » id est in veritate, verissime et certissime dico, et, ut censet Augustinus, juro vobis quod, si mea dogmata servaveritis, nunquam moriemini morte animæ, id est nunquam peccabitis (peccatum enim est mors animæ), sed semper vivetis, hic in Dei gratia, et in cœlo in Dei gloria : corpore autem moriemini quidem, sed ab hac morte ego vos in die judicii suscitabo, faciamque ut deinde in omni felicitate corporali et spirituali vivatis in omnem æternitatem. Ita S. Augustinus.

52. NUNC COGNOVIMUS QUIA DÆMONIUM HABES. — Dæmon enim tibi suggerit, ut tam superba quam falsa et absurda loquaris; nimirum quod tuus sermo profligabit a tibi credentibus mortem, cum videamus omnes omnino mori, etiam Prophetas et Sanctos, qualis fuit Abraham. Sed, ut ait S. Gregorius, *homil.* 18, « Solum carnis mortem aspicientes, in veritatis sermone caligabant. » Nam, ut ait Beda, Abraham, quem citant, mortuus quidem erat corpore, anima autem vivebat. Disce hic, o Religiose, o prædicator, o Christiane, a Christo tuo pro bono opere recipere calumnias, pro beneficiis maledictiones et maleficia : disce etiam ingratis benefacere. Christus enim assidue Judæos docens, sanans, a dæmonibus liberans, ab eis contumelias et probra sibi illata benigne sustinuit, pro beneficiis ingratitudinem, pro miraculis blasphemias, pro doctrina irrisiones et reprehensiones recepit, et tamen ingratis benefacere non destitit. Hic est apex patientiæ et charitatis.

ABRAHAM MORTUUS EST, ET PROPHETÆ; ET TU DICIS : SI QUIS SERMONEM MEUM SERVAVERIT, NON GUSTABIT MORTEM IN ÆTERNUM. — *q. d.* Abraham et Prophetæ, qui Dei sermonem servarunt, mortui tamen sunt. Ergo tu blasphemas, dum te facis non solum majorem Abraham et Prophetis, sed et Deo ipso, utpote qui dicis sermonem tuum posse credentes servare immunes a morte, cum Dei sermo Abraham et Prophetas a morte liberare non potuerit. Sed alius et potentior erat sermo Dei in ore Christi promulgatus, quam sermo Dei prolatus ad Abraham et Prophetas; nec Abraham et Prophetæ mortui erant quoad animam, ac licet corpore mortui, resuscitandi tamen erant a Christo ad vitam æternam.

53. NUMQUID TU MAJOR ES PATRE NOSTRO ABRAHAM, QUI MORTUUS EST? ET PROPHETÆ MORTUI SUNT. QUEM TEIPSUM FACIS? — Contenti fuere Abraham nominare, quia Abraham erat pater Synagogæ et credentium omnium : quare absurdissimum putabant, horrendum et blasphemum, si Christus se præferret Abrahæ, uti revera prætulit; erat enim ipse Deus et homo, cum Abraham merus esset homo; sed id ignorabant, vel potius credere nolebant Judæi.

54. SI EGO GLORIFICO MEIPSUM, GLORIA MEA NIHIL EST (Arabicus, *non esset gloria mea quidquam*) : EST PATER QUI GLORIFICAT ME. — « Hoc ait propter illud quod dixerunt : Quem teipsum facis? inquit S. Augustinus, refert enim gloriam suam ad Patrem suum, de quo est et qui Deus est. »

GLORIA MEA NIHIL EST, — id est nullius ponderis est, nullius valoris, nullius momenti, idque apud vos, ut ait Chrysostomus, sed et apud cæteros homines. Nam in omni tribunali nulli creditur de seipso, sed aliis, puta testibus pro ipso

testantibus. Hoc est quod asseruit, cap. v, vers. 31. «Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum (id est legitimum) : alius est qui testimonium perhibet de me.» Hinc Salomon canit atque, *Prov.* XXVII, 2 : «Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua.» Objiciebant Ariani : Pater glorificat Filium, ergo ipse major est Filio. Respondet S. Augustinus : «Hæretice, non legisti ipsum Filium dicentem, quod glorificat Patrem suum : sed et ille Filium glorificat, et Filius Patrem glorificat : pone perniciem, agnosce æqualitatem, corrige perversitatem.»

55. ET NON COGNOVISTIS EUM; EGO AUTEM NOVI EUM. — *Primo* et plane, *q. d.* Vos Deum verum, quem colitis, non cognoscitis, qui nescitis ipsum esse unum in essentia, et trinum in personis; putatis enim unum esse in persona, sicut unus est in essentia : nescitis Deum esse Patrem, et me Filium genuisse, ac mecum spirando produxisse Spiritum Sanctum. Si enim id sciretis, utique cognosceretis et crederetis me esse Messiam Dei Filium; ac vice versa, «si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis,» ait Christus, cap. XIV, 7. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et Beda.

*Secundo*, S. Augustinus, *q. d.* Creditis unum esse Deum, licet eum non cognoscatis, id est licet eum non videritis, nec audieritis, juxta illud cap. v, vers. 37 : «Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem vidistis.» Ergo pariter mihi ejus Filio credere deberetis, ob tot signa et prodigia, quæ edo, etsi divinitatem in me latentem non videatis.

*Tertio*, «non cognovistis eum,» id est non credidistis illi testimonium de me perhibenti dicentique : «Hic est Filius meus dilectus :» non enim cognovistis, vel cognoscere noluistis hanc veram veri Dei fuisse vocem.

*Quarto*, Euthymius : «Non cognovistis,» id est non ostendistis vos ipsum cognoscere, quia vivitis impie, non ut Dei cultores, sed ut Gentes idololatræ, estisque ex illis, de quibus dicit Paulus *ad Titum*, cap. I, vers. 16 : «Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.»

ET SI DIXERO QUIA NON SCIO EUM, ERO SIMILIS VOBIS, MENDAX. — Maldonatus censet Judæos a Christo vocari mendaces, quia ei dixerant : «Samaritanus es, et dæmonium habes;» hæc enim erant duo crassissima mendacia, imo blasphemiæ. Magis ad rem S. Chrysostomus, Ammonius, Theophylactus asserunt eos a Christo mendaces vocari, quia cum dicerent se nosse Deum, mentiebantur : non enim credebant eum habere Filium, ac trinum esse in personis, uti dixi vers. 55.

SED SCIO EUM, ET SERMONEM EJUS SERVO. — Τὸ *et* per *quia* exponit Theophylactus, *q. d.* Ostendo vita et factis me Deum Patrem nosse, revereri et colere, quia sermonem ejus reverenter observo et constanter adimpleo. Melius *et* accipias pro *ideo, idcirco*, *q. d.* Quia ego nosco Deum Patrem ejusque majestatem, potentiam et sanctitatem clare perspicio; idcirco illam ut homo summe revereor, ejusque sermonem, id est præcepta plane pleneque observo, quæ vos, o Judæi, non observatis, quia ejus majestatem non nostis, nec perspicitis, ideoque eam non reveremini. Ita Theophylactus. Porro S. Augustinus : «Sermonem Patris, inquit, tanquam Filius loquebatur, et ipsum erat Verbum Patris, quod hominibus loquebatur,» *q. d.* Apte Christus dixit «sermonem,» non præceptum, quia ipse erat λόγος, id est Verbum, vel sermo Patris, atque idipsum eum loqui et prædicare hominibus præceperat Pater, ut scilicet ipsi tam Deum Patrem, quam Deum Filium agnoscerent, crederent, colerent.

56. ABRAHAM PATER VESTER EXULTAVIT, UT VIDERET DIEM MEUM : VIDIT, ET GAVISUS EST. — «Exultavit,» id est exultanti animo expetivit, ait Vatablus; Arabicus, *desideravit*. Nam, ut ait S. Augustinus : «Non timuit, sed exultavit, credens exultavit sperando, ut videret intelligendo.» Est catachresis.

DIEM MEUM. — Quem? S. Augustinus accipit diem æternitatis, quo ab æterno Filius a Patre erat genitus, *q. d.* Cupiebat Abraham cognoscere meam generationem æternam ac divinitatem, ut eam crederet et per eam salvaretur. «Vidit, inquit S. Augustinus, diem meum, quia mysterium Trinitatis agnovit.» S. Augustinum ut magistrum more suo sequitur Beda. Huc accedant S. Hieronymus, in cap. VIII *Daniel.*, et S. Gregorius hic, *hom.* 18, qui diem hunc accipiunt illum, quo per tres angelos sibi apparentes, et unum ex eis duntaxat loquentem, quasi per symbolum illi revelatum est mysterium S. Trinitatis. Nam tres vidit, et unum adoravit, *Gen.* XVIII, 2. Abraham quando vidit diem Christi?

Verum alii passim accipiunt hic diem humanitatis Christi, non Deitatis. Unde *primo*, S. Chrysostomus, Ammonius, Theophylactus, Leontius, Euthymius, per diem Christi accipiunt diem passionis, crucifixionis et mortis, *q. d.* Abraham optabat videre crucem et mortem meam, ut per eam ipse cæterique homines salvarentur.

*Secundo* et planius, accipias diem quo incarnatus, et quo post novem menses natus est Christus, *q. d.* Abraham exultavit ut videret diem quo ego incarnarer et nascerer, quia ex me sperabat salutem sibi totique mundo. Omnes enim Prophetæ et Patriarchæ, quorum pater et patriarcha erat Abraham, summe desiderabant adventum Messiæ, et Verbi incarnationem Christique nativitatem, ut per eam a peccatis, atque ac e limbo liberarentur. Unde Joannes Alba, *Elector. sanctæ Script.*, cap. XCVII : Abraham, inquit, desideravit videre diem Christi, hoc est potiri felicitate et gratiis a Christo allatis. Videre enim sæpe significat potiri, frui, possidere, per catachresin. Ut, «Credo videre bona (hoc est frui bonis) Domini in terra viventium.»



VIDIT ET GAVISUS EST. — «Vidit,» id est per fidem cognovit et credidit, ac rursum, quasi per figuram inspexit, cum jussus fuit a Deo immolare Isaac filium, *Gen.* XXII, 10 et 18; hæc enim immolatio erat typus et figura immolationis Christi in cruce. Ita S. Chrysostomus, S. Augustinus, Theophylactus, Euthymius, Leontius, Ammonius. Addit S. Augustinus et S. Bernardus, *serm.* 6 *De Vigilia Natalis Domini*, respici hic ad factum Abrahæ, quo manu admota femori adjuravit servum suum, significans ex femore suo nasciturum Christum, *Gen.* XXIV, 2.

*Secundo*, alii : «Vidit,» inquiunt, id est per propheticam revelationem cognovit, sicut cæteri Prophetæ. Verum hæc non fuisset visio, sed prævisio et prophetica prænotio, quæ spectat futurum, cum visio sit rei præsentis. Ita Eucherius in Quæst. *in Joannem*.

*Tertio* ergo et genuine, Abraham in limbo existens «vidit,» id est cognovit diem et tempus, quo incarnatus et natus est Christus, non tantum ex eo quod Simeon, qui Christum ulnis exceperat, paulo post moriens descendensque in limbum, annuntiaret Abrahæ natum esse Christum, seque eum vidisse et ulnis gestasse (idem Abrahæ nuntiavit Anna prophetissa, item Zacharias; Anna, mater Deiparæ, ac Joannes Baptista, qui ante Christum mortui descenderunt ad limbum); sed insuper idipsum proprie «vidit,» id est oculis mentis, per Dei et Angelorum revelationem, perque claram cognitionem, sive abstractivam, sive potius intuitivam; hanc enim proprie significat τὸ *vidit*. «Videre» enim idem est quod intueri, aspicere. Abraham ergo e limbo, oculis mentis a Deo elevatis, vidit Christum incarnari et nasci, sicut angeli et beati e cœlo vident quæ fiunt in terra et inferno; et S. Anselmus oculis corporeis a Deo elevatis, vidit ea quæ in loco secreto post murum agebantur. Hoc enim summe desiderabat Abraham videre, et quasi præsens aspicere. Atque hoc Abrahæ tanquam patri Christi, cui promissio solemnis de Christo ex se nascituro sæpius a Deo facta fuerat, ob ejus fidem, obedientiam, sanctitatem, ac tot tantaque merita quasi debebatur, ut scilicet Abrahæ patri fidei et credentium, qui per duo millia annorum, sine sua culpa, imo cum magna sanctitate, fide et spe detinebatur in limbo, avidissime exspectans Christum liberatorem, ad suam et sociorum patrum consolationem, ac ad leniendam tam longam anxiamque Christi exspectationem; cognosceret diem quo incarnatus et natus est Christus. Natus enim est Christus post Abraham anno bis millesimo, uti ostendi in Chronotaxi, quam præfixi Pentateucho. Abraham ergo per bis mille annos avide exspectavit Christum, languens et suspirans ad ejus diem natalem : quare Deus illum ipsi revelavit, et in spiritu ostendit; hincque exultavit et jubilavit Abraham omnesque Sancti in limbo. Ita Jansenius, Maldonatus et alii. Denique angeli, qui solantur animas in Purgatorio, multo magis solabantur animas Abrahæ, Patriarcharum et Prophetarum in limbo : quare eis Christi adeo exoptati nativitatem annuntiaverunt, uti iidem eamdem annuntiaverunt pastoribus, *Lucæ* II.

Dicit hoc Christus *primo*, hoc fine, ut ostendat se majorem esse Abrahamo, esseque Deum; *secundo*, ut ostendat quantam de se absente existimationem habuerit Abraham, quem Judæi Abrahæ filii præsentem jam contemnebant; *tertio*, ut oblique eos pungat, *q. d.* Abraham tantum mei desiderium habuit, vos vero me respuitis : ergo non estis genuini Abrahæ filii, sed spurii et degeneres; unde ait : «Abraham pater vester,» hoc est Abraham, cujus vos filios esse gloriamini, cum ego de eo non glorier, sed potius Abraham de me glorietur et exultet.

57. DIXERUNT ERGO JUDÆI AD EUM : QUINQUAGINTA ANNOS NONDUM HABES, ET ABRAHAM VIDISTI? — ut vicissim Abraham te quoque viderit, vidensque exultarit, uti dixisti. Hinc S. Irenæus, lib. II, cap. XXXIX et XL, colligit Christum in terris ad 50 annos vixisse, sed falso. Communis est enim doctorum sententia, Christum non vixisse nisi 34 annos, eosque non plenos; scilicet explesse 33 annos, et mortuum esse anno ætatis 34 per tres menses inchoato. S. Chrysostomus et Euthymius pro 50 legunt 40, quia Græce litteræ μ et ν, quæ sunt notæ 40 et 50 vicinæ sunt, ut ex una in aliam facilis sit lapsus. Sed passim Latini, Græci, Syrus et Arabicus legunt 50. Videntur Judæi respicere ad annum sæcularem, puta quinquagesimum, qui erat annus jubilei, *q. d.* Tu, o Jesu, nondum unum sæculum explesti, necdum jubilæum absolvisti; quomodo ergo dicis te vidisse Abraham, qui vixit ante quadraginta sæcula, sive ante 40 jubileos? ita Severus Antiochenus, in *Catena*. Euthymius vero censet Christum ob maturitatem judicii, ac ob vultus et morum gravitatem; addunt alii, ob itinera et labores in prædicando exantlatos Judæis visum fuisse 50 annorum. Sed facillime dicas Judæos, ne carpi, vel erroris argui possent, majorem posuisse ætatis Christi numerum et terminum, ad quem certo sciebant Christum non pervenisse. Si enim dixissent 40, timebant ne forte in eo errarent, et a Christo redarguerentur. Multi enim sunt 40 annorum, qui intuentibus videntur vix excedere trigesimum.

58. DIXIT EIS JESUS : AMEN, AMEN DICO VOBIS, ANTEQUAM ABRAHAM FIERET, EGO SUM, — id est fui ab æterno, quia «ego sum qui sum,» *Exodi* III. id est ego sum Deus. Τὸ ergo *sum* notat æternitatem, quia illa semper est præsens, caretque omni præterito et futuro. «Ego *ergo* sum» æternus, immutabilis, idemque semper et constans. Ita S. Augustinus, Beda, S. Gregorius, Leontius, Euthymius. Quare ego qua Deus non tantum 50 annos, sed et sæculum Abrahæ infinitis durationis

passibus anteeo et antecedo. Nam, ut ait Tertullianus, lib. *De Trinit.*. « Nisi fuisset Deus, consequenter cum ex Abraham fuisset, ante Abraham esse non posset. » Audi S. Augustinum verba Christi prementem et exprimentem, *tract.* 43, in fine : « Antequam Abraham fieret : intellige, fieret ad humanam naturam, sum vero, ad divinam pertinere substantiam. Fieret, quia creatura erat Abraham. Non dixit, antequam Abraham esset, ego sum; sed antequam Abraham fieret, qui nisi per me, non fieret, ego sum. Neque hoc dixit : Antequam Abraham fieret, ego factus sum. In principio enim fecit Deus cœlum et terram : nam in principio erat Verbum. Antequam fieret Abraham, ego sum. Agnoscite creatorem, discernite creaturam. Qui loquebatur, semen Abrahæ factus erat, et ut Abraham fieret, ante Abraham ipse erat. »

59. TULERUNT ERGO LAPIDES, UT JACERENT IN EUM, — tanquam blasphemum, eo quod se præferret Abrahæ, et conferret æquaretque Deo æterno. Blasphemus enim jubetur lapidari, *Levit.* cap. XXIV, vers. 16. Liquet Judæos hosce non fuisse eos qui, vers. 30, dicuntur credidisse in Christum, ut vult Theophylactus, sed alios Christo adversos et incredulos. Apte S. Augustinus : « Quo, ait, curreret tanta Judæorum duritia, nisi ad lapides? » Et S. Gregorius, *hom.* 18 : « Quem intelligere non poterant, obruere quærebant. »

JESUS AUTEM ABSCONDIT SE, ET EXIVIT DE TEMPLO. — « Abscondit, » non in angulo aliquo templi; ibi enim eum Judæi sedulo scrutati invenissent, sed « abscondit se » ab oculis eorum, quia vi divina eis se fecit invisibilem, quod et Beati facere possunt : invisibilis ergo per medios hostes ivit illæsus, et e templo exiit, cedens illorum furori. Ita Leontius, Theophylactus, Euthymius et alii. Audi S. Gregorium, *hom.* 18 : « Si potentiam exercere voluisset, eos in suis actibus ligaret, aut eos in pœnas subitæ mortis obrueret; sed qui pati venerat, judicium exercere nolebat. » Et S. Augustinum : « Magis erat commendanda sapientia, quam exercenda potentia. Deserit eos quasi correctionem non suscipientes, non abscondit autem se in angulo templi, quasi timens, aut in domunculam fugiens, aut post murum aut columnam divertens, sed cœlica potestate invisibilem insidiantibus se constituens, per medium illorum exivit, tanquam homo a lapidibus fugit : sed væ illis, a quorum lapideis cordibus Deus fugit! »

Moraliter : Docemur hoc exemplo, ait S. Gregorius, iram superbientium, etiam cum resistere possumus, humiliter declinare. Unde Arabicus vertit, *et retrocessit Jesus, et exiit de templo, et transivit per medium eorum excurrens sic.*

# CAPUT NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus cæcum natum die sabbati illuminat. Unde, vers. 14, Pharisæi Christum quasi sabbati violatorem criminantur; verum cæcus jam videns eum defendit, ideoque, vers. 34, extra Synagogam ejicitur, sed eum recipit, edocetque Christus.*

1. Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate. 2. Et interrogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? 3. Respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo. 4. Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est : venit nox, quando nemo potest operari : 5. quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. 6. Hæc cum dixisset, exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus, 7. et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus). Abiit ergo, et lavit, et venit videns. 8. Itaque vicini, et qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant : Nonne hic est qui sedebat, et mendicabat? Alii dicebant : Quia hic est. 9. Alii autem : Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat : Quia ego sum. 10. Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt tibi oculi? 11. Respondit : Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi : Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, et lavi, et video. 12. Et dixerunt ei : Ubi est ille? Ait : Nescio. 13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. 14. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus. 15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis : Lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et video. 16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam : Non est



hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant : Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. 17. Dicunt ergo cæco iterum : Tu, quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit : Quia propheta est. 18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus qui viderat, 19. et interrogaverunt eos, dicentes : Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? 20. Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt : Scimus quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est; 21. quomodo autem nunc videat, nescimus; aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus; ipsum interrogate; ætatem habet, ipse de se loquatur. 22. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos : jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. 23. Propterea parentes ejus dixerunt : Quia ætatem habet, ipsum interrogate. 24. Vocaverunt ergo rursum hominem qui fuerat cæcus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est. 25. Dixit ergo eis ille : Si peccator est, nescio : unum scio, quia cæcus cum essem, modo video. 26. Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? 27. Respondit eis : Dixi vobis jam, et audistis : quid iterum vultis audire? numquid et vos vultis discipuli ejus fieri? 28. Maledixerunt ergo ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis; nos autem Moysi discipuli sumus. 29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit. 30. Respondit ille homo, et dixit eis : In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos; 31. scimus autem quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. 32. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. 33. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. 34. Responderunt, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et ejecerunt eum foras. 35. Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras; et cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei? 36. Respondit ille, et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum? 37. Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. 38. At ille ait : Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. 39. Et dixit Jesus : In judicium ego in hunc mundum veni; ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. 40. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, et dixerunt ei : Numquid et nos cæci sumus? 41. Dixit eis Jesus : Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis : Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

1. ET PRÆTERIENS JESUS VIDIT HOMINEM CÆCUM A NATIVITATE. — Arabicus, *cæcum natum.* « Præteriens, » id est transiens per medios suos hostes turbamque populi. Unde hæc vox significat cæci curationem statim (licet id alii negent) ab egressu Christi e templo contigisse; cum scilicet invisibiliter abeuntem secuti discipuli, mox ubi oculos hostium effugerat, rursum visibilem factum, agnitumque consecuti sunt. Causam dat S. Chrysostomus. « Exiens e templo, » inquit, curavit cæcum, sui absentia furorem mitigans, et per signi operationem eorum duritiem molliens.

VIDIT, — hoc est benignis fixisque in eum oculis intuitus, tanquam ejus misertus eumque visui redditurus. Unde hic Christi intuitus dedit occasionem discipulis quærendi causam cæcitatis ejusdem. Ita S. Chrysostomus. Ipse, inquit, vidit cæcum, non cæcus ad eum accessit. Respexit vero ita attente, ut discipuli interrogarent id quod sequitur. Mystice, infideles et peccatores cæci sunt : quare Christum videre et quærere nequeunt, sed necesse est ut Christus eos prior aspiciat oculisque gratiæ suæ complexus illuminet.

CÆCUM A NATIVITATE, — ut ostendatur cæcitas fuisse naturalis et incurabilis; nam cæci per casum facti, ut per humores oculum obducentes, vel per pelliculam oculo obnatam, illis discussis, et hac acu diducta, naturaliter a medicis et chirurgis curantur : quod vero cæcus a nativitate curetur, « non artis est, sed potestatis, ait S. Ambrosius. Donavit enim Dominus sanitatem, non medicinam exercuit. Eos enim sanavit Dominus, quos nemo curaret. »

Porro, cæcus hic vocabatur Cedonius, sive Celidonius, qui qualis quantusque per Christum evaserit, dicam vers. 38. Nomen hujusce cæci.

Mystice : cæcus a nativitate est genus huma-

passibus anteeo et antecedo. Nam, ut ait Tertullianus, lib. *De Trinit.* : « Nisi fuisset Deus, consequenter cum ex Abraham fuisset, ante Abraham esse non posset. » Audi S. Augustinum verba Christi prementem et exprimentem, *tract.* 43, in fine : « Antequam Abraham fieret : intellige, fieret ad humanam naturam, sum vero, ad divinam pertinere substantiam. Fieret, quia creatura erat Abraham. Non dixit, antequam Abraham esset, ego sum; sed antequam Abraham fieret, qui nisi per me, non fieret, ego sum. Neque hoc dixit : Antequam Abraham fieret, ego factus sum. In principio enim fecit Deus cœlum et terram : nam in principio erat Verbum. Antequam fieret Abraham, ego sum. Agnoscite creatorem, discernite creaturam. Qui loquebatur, semen Abrahæ factus erat, et ut Abraham fieret, ante Abraham ipse erat. »

59. TULERUNT ERGO LAPIDES, UT JACERENT IN EUM, — tanquam blasphemum, eo quod se præferret Abrahæ, et conferret æquaretque Deo æterno. Blasphemus enim jubetur lapidari, *Levit.* cap. XXIV, vers. 16. Liquet Judæos hosce non fuisse eos qui, vers. 30, dicuntur credidisse in Christum, ut vult Theophylactus, sed alios Christo adversos et incredulos. Apte S. Augustinus : « Quo, ait, curreret tanta Judæorum duritia, nisi ad lapides ? » Et S. Gregorius, *hom.* 18 : « Quem intelligere non poterant, obruere quærebant. »

JESUS AUTEM ABSCONDIT SE, ET EXIVIT DE TEMPLO. — « Abscondit, » non in angulo aliquo templi; ibi enim eum Judæi sedulo scrutati invenissent, sed « abscondit se » ab oculis eorum, quia vi divina eis se fecit invisibilem, quod et Beati facere possunt : invisibilis ergo per medios hostes ivit illæsus, et e templo exiit, cedens illorum furori. Ita Leontius, Theophylactus, Euthymius et alii. Audi S. Gregorium, *hom.* 18 : « Si potentiam exercere voluisset, eos in suis actibus ligaret, aut eos in pœnas subitæ mortis obrueret; sed qui pati venerat, judicium exercere nolebat. » Et S. Augustinum : « Magis erat commendanda sapientia, quam exercenda potentia. Deserit eos quasi correctionem non suscipientes, non abscondit autem se in angulo templi, quasi timens, aut in domunculam fugiens, aut post murum aut columnam divertens, sed cœlica potestate invisibilem insidiantibus se constituens, per medium illorum exivit, tanquam homo a lapidibus fugit : sed væ illis, a quorum lapideis cordibus Deus fugit ! »

Moraliter : Docemur hoc exemplo, ait S. Gregorius, iram superbientium, etiam cum resistere possumus, humiliter declinare. Unde Arabicus vertit, *et retrocessit Jesus, et exiit de templo, et transivit per medium eorum excurrens sic.*

# CAPUT NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus cæcum natum die sabbati illuminat. Unde, vers. 14, Pharisæi Christum quasi sabbati violatorem criminantur; verum cæcus jam videns eum defendit, ideoque, vers. 34, extra Synagogam ejicitur, sed eum recipit, edocetque Christus.*

1. Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate. 2. Et interrogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur ? 3. Respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo. 4. Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est : venit nox, quando nemo potest operari : 5. quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. 6. Hæc cum dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus, 7. et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus). Abiit ergo, et lavit, et venit videns. 8. Itaque vicini, et qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant : Nonne hic est qui sedebat, et mendicabat ? Alii dicebant : Quia hic est. 9. Alii autem : Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat : Quia ego sum. 10. Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt tibi oculi ? 11. Respondit : Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi : Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, et lavi, et video. 12. Et dixerunt ei : Ubi est ille ? Ait : Nescio. 13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. 14. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus. 15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis : Lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et video. 16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam : Non est



hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant : Quomodo potest homo peccator hæc signa facere ? Et schisma erat inter eos. 17. Dicunt ergo cæco iterum : Tu, quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos ? Ille autem dixit : Quia propheta est. 18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus qui viderat, 19. et interrogaverunt eos, dicentes : Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est ? Quomodo ergo nunc videt ? 20. Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt : Scimus quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est; 21. quomodo autem nunc videat, nescimus; aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus; ipsum interrogate; ætatem habet, ipse de se loquatur. 22. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos : jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. 23. Propterea parentes ejus dixerunt : Quia ætatem habet, ipsum interrogate. 24. Vocaverunt ergo rursum hominem qui fuerat cæcus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est. 25. Dixit ergo eis ille : Si peccator est, nescio : unum scio, quia cæcus cum essem, modo video. 26. Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi ? quomodo aperuit tibi oculos ? 27. Respondit eis : Dixi vobis jam, et audistis : quid iterum vultis audire ? numquid et vos vultis discipuli ejus fieri ? 28. Maledixerunt ergo ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis; nos autem Moysi discipuli sumus. 29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit. 30. Respondit ille homo, et dixit eis : In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos; 31. scimus autem quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. 32. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. 33. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. 34. Responderunt, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus, et tu doces nos ? Et ejecerunt eum foras. 35. Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras; et cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei ? 36. Respondit ille, et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum ? 37. Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. 38. At ille ait : Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. 39. Et dixit Jesus : In judicium ego in hunc mundum veni; ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. 40. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, et dixerunt ei : Numquid et nos cæci sumus ? 41. Dixit eis Jesus : Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis : Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

1. ET PRÆTERIENS JESUS VIDIT HOMINEM CÆCUM A NATIVITATE. — Arabicus, *cæcum natum.* « Præteriens, » id est transiens per medios suos hostes turbamque populi. Unde hæc vox significat cæci curationem statim (licet id alii negent) ab egressu Christi e templo contigisse; cum scilicet invisibiliter abeuntem secuti discipuli, mox ubi oculos hostium effugerat, rursum visibilem factum, agnitumque consecuti sunt. Causam dat S. Chrysostomus. « Exiens e templo, » inquit, curavit cæcum, sui absentia furorem mitigans, et per signi operationem eorum duritiem molliens.

VIDIT, — hoc est benignis fixisque in eum oculis intuitus, tanquam ejus misertus eumque visui redditurus. Unde hic Christi intuitus dedit occasionem discipulis quærendi causam cæcitatis ejusdem. Ita S. Chrysostomus. Ipse, inquit, vidit cæcum, non cæcus ad eum accessit. Respexit vero ita attente, ut discipuli interrogarent id quod sequitur. Mystice, infideles et peccatores cæci sunt : quare Christum videre et quærere nequeunt, sed necesse est ut Christus eos prior aspiciat oculisque gratiæ suæ complexus illuminet.

CÆCUM A NATIVITATE, — ut ostendatur cæcitas fuisse naturalis et incurabilis; nam cæci per casum facti, ut per humores oculum obducentes, vel per pelliculam oculo obnatam, illis discussis, et hac acu diducta, naturaliter a medicis et chirurgis curantur : quod vero cæcus a nativitate curetur, « non artis est, sed potestatis, ait S. Ambrosius. Donavit enim Dominus sanitatem, non medicinam exercuit. Eos enim sanavit Dominus, quos nemo curaret. »

Porro, cæcus hic vocabatur Cedonius, sive Celidonius, qui qualis quantusque per Christum evaserit, dicam vers. 38. Nomen hujusce ci.

Mystice : cæcus a nativitate est genus huma-

num, Adæ peccato originali occæcatum, ait S. Augustinus et Beda, quod Jesus præteriens viam mortalitatis nostræ, ait Glossa, miserens vidit et illuminavit. Nam, ut ait S. Augustinus, contigit cæcitas in primo homine per peccatum; de quo omnes originem duximus : cæcum ergo humanum genus est a nativitate. Et Beda : Christi iter, ait, est de cœlis in terram descensus; vidit autem cæcum, cum misericorditer respexit humanum genus.

Rursum, hic cæcus natus notat Gentiles in cæca infidelitate et idololatria natos et educatos, ad quos Christus expulsus de cordibus Judæorum, transivit, ait Beda, eosque luce fidei et Evangelii sui illuminavit, idque in hac cæci illuminatione, quasi in typo designare et præsignificare voluit Christus, inquit S. Cyrillus, Rupertus et Beda.

2. Et interrogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? — Interrogatio hæc processit ex rudis vulgi opinione, qua censent morbos esse pœnas peccatorum, et, ut ait S. Ambrosius, « debilitates corporum referunt ad merita delictorum. » Interrogant ergo, an hujus cæcitatis causa sit culpa cæci, vel parentum? Qua in re errant. Etsi enim id sæpe fiat, at non semper : Job enim innocens a Deo morbis multis afflictus fuit, ad probandam et augendam ejus patientiam, æque ac Tobias aliique multi, idque hic vers. seq. docet Christus. Unde S. Chrysostomus et Theophylactus ajunt hanc interrogationem esse impertinentem et absurdam.

Alii putant discipulos ad hoc interrogandum fuisse commotos, ex illo Christi ad paralyticum dicto, cap. v, 14 : « Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. »

Hic. — Quia propriæ cæcitatis, utpote pœnæ, videtur causa esse culpa propria, non aliena. Et vere peccatum originale est causa omnium pœnarum et malorum, quæ nobis in hac vita accidunt, ac nominatim morborum, qui infantibus obveniunt, uti docet S. Augustinus, lib. III *Contra Julianum*, cap. iv, sed tamen ipsum non fuit causa propria, cur hic præ aliis infantibus cæcus nasceretur. Unde S. Augustinus ait : Non quidem hic aut sine peccato originali natus erat, aut vivendo nihil addiderat : habebat ergo peccatum ipse, et parentes ejus; sed non ipso peccato factum est, ut cæcus nasceretur.

Porro, S. Cyrillus putat discipulos fuisse imbutos errore Pythagoræ et Platonis, qui censebant animas ante corpora extitisse, et ob peccata sua in corpora fuisse detrusas, quod postea sensit Origenes. Leontius vero putat discipulos loqui de peccato cæci, non ante nativitatem præterito, sed post eam futuro; quasi illud futurum prævidens Deus punierit prævia cæcitate. Verum sive hic, sive quis alius fuerit discipulorum sensus (quem difficile est conjectare), certum est eos errasse : nec enim animæ fuerunt ante corpus, nec Deus punit peccata futura, sed præterita.

Aut parentes ejus. — Solet enim Deus sæpe parentes ob sua peccata punire in filiis; hi enim sunt partus et membra parentum. Unde ob parentum libidines aliasque iniquitates, proles sæpe nascuntur debiles, infirmæ, cæcæ, mancæ, deformes, monstrosæ, aut cito moriuntur, uti mortuus est infans Davidis ex adulterio genitus, II *Regum* xii, 14. Hoc est quod Deus sanxit, *Exodi* xx, 5 : « Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem.

3. Respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo. — Christus non negat cæcum et parentes ejus peccasse peccato originali aliisque actualibus illud consequentibus; sed negat eum ob hæc peccata, præ aliis, qui eadem et majora commiserant, cæcitate damnatum. Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Leontius, Beda; Theophylactus, Euthymius; frustra ergo Pelagiani hoc loco abutuntur, ut peccatum originale negent et tollant.

Causa igitur cur Deus huic cæco cæcitatem immiserit, fuit, « ut opera Dei, » id est miraculosa Dei virtus et operatio in eo per Christum curando eluceret, ut per hoc Christus cognosceretur a Deo missus, esseque verus Messias. Ita Patres jam citati. Mysticam causam dat Glossa, scilicet ut cæcum illuminando, inquit, et per eum, quid in cæcitate generis humani facturus significando, Filius Dei manifestetur, *q. d.* Ideo Christus cæcum illuminavit in carne, ut significaret se simili modo homines illuminaturum in mente per suam gratiam et doctrinam Evangelii. Hinc et cæcus hic non solum carne, sed et mente a Christo illuminatus est, ut patebit vers. ult. Quocirca, dum cæcus natus fuit, non injusta passus est, sed beneficium accepit per cæcitatem, ait S. Chrysostomus, per hanc enim interioribus respexit oculis, et quidem eum, qui ex non ente eum deduxit ad esse, atque clarius ab eo, tam sensus quam mentis lumen accepit.

4. Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est : venit nox, quando nemo potest operari. — S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Leontius et Rupertus per *diem* accipiunt præsens sæculum usque ad finem mundi, per *noctem* vero sæculum futurum. Verum hic dies ad operandum statutus est omnibus hominibus : Christus vero diem hunc sibi appropriat suæque operationi attribuit; quare melius et pressius S. Augustinus, Beda, Cyrillus, per *diem* accipiunt tempus vitæ Christi, quo corporaliter præsens erat mundo; *noctem* vero vocat mortem et tempus absentiæ suæ. Ergo venit nox, hoc est instat mihi mors, post quam nec ego, nec quis alius operari potest. Sensus est, *q. d.* Sicut homines noctu ob tenebras operari non possunt, ita ego post mortem nil operabor eorum quæ nunc pro salute et redemptione hominum operor. Sic cap. viii, 56, dixit : « Abraham exultavit ut videret diem meum, » id est diem meæ nativitatis et vitæ inter homines. Dicit hoc Christus, ut sternat viam ad cæci illuminationem, *q. d.* Ego missus sum in mundum, ut assidue operer ea quæ sunt salutis hominum, v. g., ut cæcos illuminem : en hic cæcus se offert; utar ergo occasione, et eum illuminabo.



Symbolice Interlinearis : Nox, inquit, est persecutio Apostolorum, et maxime persecutio Antichristi.

Tropologice : cuique homini tempus vitæ est dies ad operandum et merendum gloriam sempiternam; nox vero est mors ejusdem. Quare qui sapit, sequatur consilium Sapientis : « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas, » *Eccles.* cap. ix, 10. Vide ibi dicta. Unde S. Augustinus hic : Nox, inquit, est de qua dicitur : Projicite eum in tenebras exteriores : ibi ergo erit nox, ubi nemo potest operari, sed recipere quod operatus est : dum vivis, operare, ne nocte illa præveniare. Sic et Philosophi ac Poetæ vitam vocarunt diem, mortem vero noctem. Unde Pythagoras aiebat vitam hominum similem esse diei solemni, ad quem multi conveniunt, alii certaturi, alii negotiaturi, nonnulli spectatores futuri. Ita refert Laertius, lib. VIII, cap. i. Et Epicharmus, cum audisset disputantes de vivendi spatio, dum quidam tres, quidam quatuor, alii plures sibi tribuerent annos adhuc vivendos, dixit : « Quid mutuo contenditis et litigatis de paucis diebus? omnes enim qui convenimus, quodam fato propinqui sumus morti. Ita Ælianus, lib. II *De varia histor.* Anonymus alter rogatus, qualis esset hominis vita? cum parumper se ostendisset, mox se abscondit, significans brevem et diariam, imo momentaneam esse hominis vitam. Thales aiebat nihil interesse inter vitam et mortem. Cuidam vero obstrepenti : Cur tu ergo non moreris? Respondit : Ob hoc ipsum, quia nihil interest; potius enim habetur id quod accersitur. Ita Laertius, lib. I, cap. i. Musonius interrogatus, « quis optime extremum diem clauderet? » respondit : « Qui semper postremum vitæ diem sibi instare proposuerit. » Ita Maximus, *serm.* 36. Secundus Philosophus interrogatus ab Adriano Imperatore, « quid esset mors? » respondit : « Æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somnii pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium. » Ita Laertius. Hinc illud :

« In æternam clauduntur lumina noctem, » id est mortem. Et : « Omnes una manet nox : Omnibus una nox dormienda; » sed ab hac nocte evigilabimus in resurrectione.

Quocirca Messodanus vir sanctissimus, jam senex, cum ab amico in crastinum vocaretur ad convivium : « Cur me vocas in crastinum, inquit, qui a multis annis crastinum non habui, sed mortis adventum in singulos dies exspectavi; » uti cuique fideli et Religioso faciendum esse monuit S. Antonius apud S. Athanasium, et Barlaam apud Damascenum, in *Historia.* Quocirca sapienter S. Hieronymus : « Facile, inquit, contemnit omnia, qui semper se cogitat moriturum, » qui quemlibet diem auguratur sibi fore ultimum; nam,

> Stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus
> Omnibus est vitæ,

ait Virgilius, lib. X *Æneid.*

5. Quandiu sum in mundo, lux sum mundi. — *q. d.* Lucis autem est illuminare; ergo hunc cæcum illuminabo, ut me mundi lucem et solem esse ostendam. Vide dicta cap. i, vers. 9, et cap. viii, vers. 12.

6. Hæc cum dixisset, exspuit in terram, et fecit (Syrus, *pinxuit*) lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus. — Christus cæcum illuminavit per lutum, quod natura sua magis oculos obturat et excæcat, ut ostenderet se non naturaliter, sed supernaturaliter, puta per id quod plane morbo erat contrarium, ipsum curare. Symbolica causa fuit, ait S. Chrysostomus, ut significaret se esse eum (Deum) qui initio mundi hominem quasi figulus e luto formarat, *Genes.* i, ac proinde suum jam esse, hominem a se formatum, sed cæcitate deformatum, illuminando refingere et reformare; atque consequenter se pariter esse Dominum omnium, etiam sabbati, ut eo operari, et cæcum curare possit, quidquid obstrepant Pharisæi. Ita Cyrillus, Leontius, Theophylactus. Unde Glossa interlinearis : Ecce collyrium, ait, quo ungitur genus humanum, scilicet cogitatio suæ vilitatis, quod ex luto factum sit, ut per eam superbia, quæ illud excæcavit, curetur, juxta illud : « Memento homo quia pulvis es, et in pulverem reverteris. »

Saliva sua Christus usus est, ait Cyrillus, *primo*, ut ostenderet carnem suam quoque salutiferam esse, et vim medendi supernaturalem habere. *Secundo*, quia saliva providentiæ, ac consequenter visus recuperandi, erat symbolum : saliva enim ex cerebro (ubi est sedes judicii et prudentiæ) descendente, ciborum sapores dijudicamus. Unde et saliva a sale dicitur, quod fere salis saporem habeat : sal autem symbolum est sapientiæ. Aut saliva dicitur quasi salvia, quod instar salviæ multos morbos sanet et salvet, uti docet Galenus et Plinius, lib. XXII, cap. xxv, et lib. XXVIII, iv. Hominum saliva jejuna, ait, contra serpentes præsidio est, etc. Idem, lib. XXVIII, iv, ait lippitudines oculorum quotidiana jejunæ salivæ inunctione sanari, multaque alia salivæ commoda affert, sed quæ sortilega et magica

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sunt. *Tertio*, sputo usus est, ait Chrysostomus, ut nihil ascriberetur fonti Siloe, sed virtuti oris ejus, ex quo sputum manabat; suo enim ore jubens cæcitatem abegit. *Quartam* causam dat idem Chrysostomus, ut miraculum hoc apud omnes foret magis testatum et celebre; ac *quintam*, ut fidem et obedientiam cæci probaret. Audi Chrysostomum : « Quare eum mittit ad Siloe? ut omnes viderent euntem, et lutum super oculos habentem. Non autem erat timendum, ne Siloe curatio ascriberetur; multi enim laverant ibi, et curati non fuerant. Adde, quod fides cæci demonstrata est, qui non contradixit, nec apud se ita cogitavit : Lutum magis excæcat, sæpe lavi in Siloe, et nihil adjutus sum, si virtutem Christus haberet, præsens curasset; sed simpliciter obedivit. » Verba S. Chrysostomi æque ac S. Augustini quia fusiora sunt, in pauca contraxi, ne lectorem prolixiore citatione morer et fatigem.

Allegorice S. Augustinus : Christus fecit lutum de saliva, inquit, quia Verbum caro factum est : unxit oculos cæci, sed nondum ille videbat; quando enim unxit, forte catechumenum fecit. Mittit ad piscinam Siloe; baptizatus enim in Christo illuminatur. Et Glossa : Saliva, ait, est sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiit; terra est caro Christi : ungere oculos est catechumenum facere. Qui credit Verbum carnem factum, mittitur ut lavet, id est baptizetur, in Siloe, id est in misso, hoc est in Christo : baptizatus autem lumen mentis recipit per fidem, gratiam et charitatem, quæ illi a Deo in baptismo infunduntur.

7. Et dixit ei : Vade, et lava in natatoria (piscina, in qua natant pisces; Syrus, *in baptisterio*) Siloe, quod interpretatur Missus. — Arabicus, *vade et lavare in fonte Siloe, cujus interpretatio est missus.*

[illegible] Nota *primo* : Siloe fons est ad radices montis Sion, qui non jugiter, sed incertis horis diebusque, inquit S. Hieronymus, ebullit cum sonitu, inde silet, id est abscondit se sub terra, et per canales in piscinam Siloe defertur, unde per tubos cum silentio et suaviter derivatur in hortos regios, eosque rigat. Audi S. Hieronymum, in cap. VIII *Isaiæ* : « Siloam autem fontem esse ad radices montis Sion, qui non jugibus aquis, sed incertis horis diei ebulliat, et per terrarum concava, ad antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, nos præsertim qui in hac habitamus provincia. » Hæc Hieronymus. Quomodo vero fons ille primum eruperit precibus Isaiæ, et unde nomen acceperit, Epiphanius his verbis ejusmodi recenset historiam : « Fontem quippe Deus Siloam causa Prophetæ effecit : quoniam priusquam moreretur, pusillum precatus est uti undas illinc erumpere dignaretur, et confestim dimisit illi cœlitus aquam viventem; unde sortitus est [illegible] ille appellationem Siloam : quod si quis interpretetur, sonat demissum. Sub Ezechia quoque rege, antequam stagnum piscinasque fabricasset, precibus Isaiæ effectum, ut exigua lympha scaturiret; quod populus in obsidione hostium teneretur, ne ipsa periret undis destituta civitas. Milites igitur perscrutabantur undique, ubinam sedare sitim daretur, ignorabant enim. Urbe quippe jam potiti obsidebant Siloam : quandocumque itaque indigentes Judæi aquatum venerant, scaturiebat eis unda, et aquabant : exterarum vero nationum homines reperire nesciebant, latex namque aufugiebat. Eoque usque ad hodiernum diem eructatur clanculum, quo significetur mysterium. »

Hæc omnia S. Epiphanius, lib. *De Vita Prophet.*, Fons sab-
cap. VII, in *Isaia.* Quocirca Baronius, tomo I, batizans
anno Christi 33, cap. XXVI : Huic fonti Siloe, inquit, similis videtur fons ille sive fluvius, item in Palæstina, Sabbaticus dictus, eo quod die sabbati tantum fluat, cæteris diebus alveo sicco appareat, uti narrat et certo asseverat Josephus, lib. VII *Belli Judaici*, cap. XIV. Sic enim fons Siloe interruptis diebus ebulliens et fluens, maxime die sabbati, qui apud Hebræos erat solemnis et sacer, fluxisse videtur. Quare hac de causa Christus cæcum hunc ad oculos in Siloe lavandos, die sabbati pariter misisse videtur. Ita S. Irenæus, lib. IV, cap. XIX : « Siloa, inquit, sæpe sabbatis curavit, et propter hoc assidebant ei multi die sabbatorum. »

Nota *secundo* : Ex hoc fonte Siloe, cum interruptis vicibus emanet, atque in Palæstina, utpote calida regione, sit aquarum penuria, derivabatur aqua fluens silentio et sine strepitu, ut habet Isaias, VIII, 6, in κολυμβήθραν, id est natatoriam, sive piscinam, ut vertit Noster, cap. V, 2, et inde in hortos aqua deducebatur, ideoque fons hic ab emissis hoc modo et derivatis aquis dictus est Siloe; et magis proprie Chald. *schiluchа*, id est missus, emissus, dimissus, a radice שלח *schalach*, id est misit, emisit, dimisit.

Quæres, cur Christus cæcum illuminaturus Christus
miserit eum ad fontem vel piscinam Siloe? Res- est Siloe.
pondeo, quia Siloe erat typus Christi : *Primo*, Primo.
quia Christus a Patre missus erat in mundum, ad eum luce et doctrina divina illuminandum, cujus virtute cæcus hic illuminabatur, non autem aquarum Siloe vi aut efficacitate, ait S. Chrysostomus et Irenæus, lib. IV, cap. XIX.

*Secundo*, sicut aquæ Siloe vadunt cum silentio, Secundo.
ut ait Isaias, VIII, 6, sic Christus est lenis, mansuetus, et quasi agnus ductus ad mortem : ipse enim missus et emissus est a Patre, a quo arcano silentio procedit, qua Deus in cœlis, et qua homo per Virginem in terris. Rursum Christus est Siloe, id est fons aquæ salientis in vitam æternam.

*Tertio*, quia Christus est fons gratiarum, qui Tertio.
sua charismata, quasi per rivos in fideles emanat et distribuit, juxta illud *Isaiæ* XII, 3 : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris, » et illud *Zachar.* XIII, 1 : « In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. » Vide ibi dicta. Fons enim est Christus. Hinc, si credimus S. Epiphanium, fontis Siloe auctor fuit Isaias, qui suo tam nomine, quam prophetica vita et martyrio expressus fuit typus Jesu Christi. Hinc et Isaias juxta Siloe fuit sepultus. Vide tabulam urbis Hierosolymæ apud Adrichomium.

*Quarto*, quia juxta aquas Siloe, sive Geon (utroque enim nomine fons hic vocabatur), Salomon unctus est in regem, III *Reg.* I, 45. Hinc aquæ Siloe significant regiam stirpem et sceptrum Davidis et Salomonis. Eo ergo misit Christus cæcum, ibique eum illuminavit, ut innueret se esse filium Davidis et Salomonis, hoc est, se esse Messiam.

*Quinto*, quia Messiæ nomen erat *Siloach*, quod Latini et Græci pronuntiant *Siloe*, id est missus, vel mittendus, scilicet legatus a Deo, juxta illud *Genes.* XLIX, 10 : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; » Hebr. *donec veniat Siloach* : pro quo corrupte jam legitur *Siloh*, littera ח *cheth* in vicinam ה *he* conversa et corrupta; Chald. *donec veniat Messias.* Misit ergo Christus cæcum ad Siloe, ut refricaret Judæis oraculum Jacobi patriarchæ de Messia, q. d. Ego qui in *Siloe* curo cæcum, sum *Siloach* sive *Siloe*, id est Messias, missus et legatus a Deo Patre, quem hoc nomine *Siloe* venturum prædixit Jacob, ante 1700 annos. Atque hac de causa Christus passim hic disputans contra Pharisæos, se vocat *Siloach*, id est missum et legatum Patris, sive eum quem misit Pater, hoc est Messiam, cujus nomen ex officio erat *Siloach*. Proprium enim Christi officium fuit agere legatum Dei apud homines : quare proprium officii et dignitatis ejus nomen fuit *Siloach*, id est missus.

Sexto, Siloe erat typus baptismi Christi, quo spiritualiter illuminamur : unde et baptismus græce vocatur φωτισμός, id est *illuminatio*, *Hebr.* VI, 4 : ita Rupertus, Beda, Jansenius, Maldonatus et Ambrosius, *epist.* 75, et S. Augustinus, *hom.* 43, *inter.* 50. Unde S. Irenæus, lib. V, cap. XV, cæcum hunc non tantum corpore, sed et mente [illegible] illuminatum in Siloe, uti fit in baptismo.

Denique, magna est affinitas fontis et lucis, ablutionis et illuminationis. Fons enim est quasi oculus et lux terræ, et flumina sunt quasi lumina agrorum lumina. Unde Hebr. עין *ain* tam oculum quam fontem significat. Sicut enim oculus est quasi lux totius corporis, sic fons est quasi lux terræ, et sicut ex oculo manant lacrymæ, sic ex fonte aquæ. Hinc et Hebr. נהר *nahar* tam flumen quam lumen significat, et verbum נהר *nahar*, tam confluere quam illuminare denotat : quia et Cicero ac Quintilianus lumina ingenii, animi, orationis, virtutis, vocant flumina. Imo Psaltes lumen gloriæ vocat fontem sive flumen vitæ : « Quoniam, inquit, apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen, » *Ps.* XXXV, 10. Quocirca Christus hic lucem jungit fonti. Cum enim dixisset : « Ego sum lux mundi, » illico misit cæcum ad fontem Siloe, ut ibi lumen oculorum reciperet. Aquæ enim crassos et noxios humores oculorum abluunt et abstergunt, itaque eos illuminant. Unde medici suadent mane aqua fontana abluere oculos, ad acuendum eorum visum.

Porro Bartholomæus Salignacus, lib. X *Itinerarii Hierosol.*, cap. I, et ex eo Adrichomius, in *Siloe*, pag. 171, num. 200 : « Siloe, inquit, fons, cui piscina sive natatoria Siloe, quæ et piscina inferior nuncupatur, conjuncta est, in occidentali latere vallis Josaphat, e radice montis Sion scaturit. Aqua ejus clara, dulcis et uberrima, cum silentio placideque fluit in torrentem Cedron. » Et paulo post : « Fontis hujus aqua hodie adhuc ipsis etiam Saracenis in pretio est. Nam cum corpora naturaliter instar hircorum foteant, in hoc fonte se et pueros suos lavant, eaque lotione fetorem suum mitigant. Quin et eam Turcæ magni faciunt, quod ejus usum oculorum visui conferre experiantur. » Nimirum sicut Christus baptizatus in Jordane, suo contactu aquas sanctificavit, iisque vim peccata abluendi in baptismo indidit; sic et per aquas Siloe illuminans cæcum, aliquam similem alios illuminandi vim eisdem communicasse videtur, ut, cum omnes aquæ fontanæ oculos clarificent, præ cæteris tamen id faciant aquæ Siloe. Quocirca S. Helena, mater Constantini Imperatoris, ad fontem Siloe magnifica et mirifica construxit opera, ait Nicephorus, lib. VIII, cap. XXX. Audi S. Chrysostomum hic : Significat, ait, quod in Siloe erat virtus Christi, quæ cæcum curavit. Sicut enim Apostolus dixit Christum esse portam spiritalem, ita et Christus erat Siloe spiritalis. Sic et Cyrillus, ac S. Basilius, in *Isaiæ* VIII, 6, et Eusebius, lib. VII *Demonstr.*, cap. II.

Quod interpretatur Missus, — quia fons hic erat typus Messiæ, cujus nomen erat *Siloach*, id est missus vel mittendus a Deo, uti jam dixi. Nam, ut ait S. Augustinus : « Nisi ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus. »

Abiit ergo, et lavit, et venit videns, — virtute non aquarum Siloe, sed Christi, aquis hisce quasi instrumento utentis ad cæci illuminationem, sicut utitur aquis baptismi ad mentis purificationem et illuminationem. In Siloe, inquit, Chrysostomus erat virtus Christi, quæ cæcum curavit. Meruit hoc non de condigno, sed de congruo cæci fides et obedientia, qua credidit se, lutum oculis suis a Christo impositum abluendo aquis Siloe, visum recuperaturum : nisi enim hoc credidisset, lutum super oculos non gestasset, cum irrisione [illegible], nec ad Siloe ivisset, eoque lutum ab oculis abstersisset. Minus vero ergo



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Glossa hic ait : « Quomodo iste sine fide sanatus est, cum nemo legatur a Christo sanatus exterius sine sanatione interiori? hoc de illis dicitur, qui propter peccata infirmabantur; at iste propter Dei gloriam languebat : » nam, ut ostendi, magna fuit cæci hujus fides et obedientia, ac per eam pariter justificatus est, ut audiemus in fine capitis. Sic Elisæus per aquas Jordanis Naaman Syrum purgavit a lepra, IV *Reg.* v. Idem per sal in aquas amaras et salsas injectum eas dulcoravit, IV *Reg.* II, 20. Causas varias, cur in Siloe illuminatus sit, dedi paulo ante. Hinc S. Augustinus : Dies, inquit, erat Christus, qui inter lucem et tenebras divisit, cum cæco cæcitatem depulit, eique visum restituit.

8. ITAQUE VICINI, ET QUI VIDERANT EUM PRIUS, QUIA MENDICUS ERAT, DICEBANT : NONNE HIC EST, QUI SEDEBAT, ET MENDICABAT? ALII DICEBANT : QUIA HIC EST. 9. ALII AUTEM : NEQUAQUAM, SED SIMILIS EST EI. ILLE VERO DICEBAT : QUIA EGO SUM. — Magnitudo facti, ait Chrysostomus, incredulitatem inducebat; et aperti oculi vultum cæci mutaverant, ait S. Augustinus, ut eum intuentes dubitarent an videns hic esset prior ille cæcus; sed diligenter inspicientes per longam viam euntem, agnoverunt eumdem esse, nec id negari posse. Ita Chrysostomus.

MENDICUS. — Mirabilis Dei clementia, ait Chrysostomus, eos qui mendicabant, cum multa devotione curabat, ignobiles etiam sua dignos ducens providentia; pro salute enim omnium venerat. Sic hodie ad B. Virginem Lauretanam et Sichenensem, plerique pauperes et tenuis fortunæ miracula et beneficia per B. Virginem impetrant : tum quia ipsi majori sunt in necessitate et egestate, quam divites; tum quia magis innocentis sunt vitæ, tum quia majorem præ se ferunt fidem et devotionem, tum quia Deus eorum, utpote derelictorum, peculiarem gerit curam, juxta illud : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. » Unde S. Jacobus, cap. II, vers. 5 : « Nonne, ait, Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide? » Et Christus : « Pauperes evangelizantur, » *Matth.* cap. XI. Assecla Christi ergo pauperes non spernat, sed exemplo Christi ambiat.

10. DICEBANT ERGO EI : QUOMODO APERTI SUNT TIBI OCULI? 11. RESPONDIT : ILLE HOMO, QUI DICITUR JESUS, LUTUM FECIT, ET UNXIT OCULOS MEOS, ET DIXIT MIHI : VADE AD NATATORIA SILOE, ET LAVA. ET ABII, ET LAVI, ET VIDEO. — « Ille homo, » quia nondum sciebat Jesum esse Deum, ait Euthymius et Theophylactus.

QUI DICITUR JESUS. — Nomen Jesu cæcus didicerat, vel ex communi fama, vel interrogando a circumstantibus. Quod Jesum non vocet Rabbi vel Dominum, partim simplicitati et candori ejus, partim veracitati ascribendum : ne quid enim suæ de Christo existimationi dare videretur, nude veritatem aperit, cumque Jesum duntaxat nominat : forte etiam id facit, ne Judæos Christo infensos magis contra eum concitaret.

AD NATATORIA, — scilicet stagna in plurali. Ita Romani; alii legunt, *ad natatoriam*, scilicet piscinam. Idem ergo est sensus.

12. ET DIXERUNT EI : UBI EST ILLE? AIT : NESCIO. — Jesus enim fugiens laudem se subduxerat. Recedebat Christus ubi curasset, ait Chrysostomus : non enim quærebat gloriam, nec se ostentare.

13. ADDUCUNT EUM AD PHARISÆOS QUI CÆCUS FUERAT. ERAT AUTEM SABBATUM, QUANDO LUTUM FECIT JESUS, ET APERUIT OCULOS EJUS. — « Ad Pharisæos, » ut illi quasi Rabbini et principes rem examinent. Consilio Dei id factum est, ut miraculum fieret testatissimum et celeberrimum, ipsique Pharisæi illud negare non possent. Unde S. Augustinus : « Cæcus, inquit, confitebatur, et cor impiorum frangebatur. » Adducunt ergo cæcum ad Pharisæos, quasi ad judices, ideoque in domo judicii congregatos, ait Theodorus Heracleensis in *Catena*. Hæc autem domus videtur fuisse synagoga, juxta templum : agebatur enim hic quæstio religionis et fidei, ut scilicet Pharisæi, quasi doctores et judices, examinarent hoc miraculum, et ex eo judicarent an ejus patrator esset Propheta et Messias, an non.

ERAT AUTEM SABBATUM. — Hoc addit, ait Chrysostomus, demonstrans illorum malam mentem; quærebant enim occasionem contra Jesum, et volebant miraculo detrahere per apparentem legis prævaricationem. Nam revera facere lutum, ut illo cæcum illumines, in sabbato, uti fecit Christus, sabbati non est prævaricatio, sed sanctificatio.

17. DICUNT ERGO CÆCO ITERUM : TU, QUID DICIS DE ILLO, QUI APERUIT OCULOS TUOS? ILLE AUTEM DIXIT : QUIA PROPHETA EST. — « Propheta, » id est vir sanctus, eximius, thaumaturgus et divinus. Sic *Gen.* XX, 7, Abraham vocatur Propheta, id est vir sanctus et eximius. Vide dicta I *Cor.* XIV, initio capitis, et *Eccli.* XLVIII, 12, ubi varias nominis Prophetæ significationes recensui. Adhuc inunctus, ait S. Augustinus, in corde nondum Filium Dei confitebatur, non tamen mentiebatur; ipse enim Dominus de se ait : « Non est propheta sine honore, nisi in patria sua. »

TU, QUID DICIS DE ILLO? — Iterum iterumque interrogabant cæcum, ex acerbo odio et invidia in Christum, tum ut cæcum in eamdem cum Christo culpam et calumniam involvant; tum ut ex ore ejus aliquid eliciant, quo sibi contradicat, itaque eum mendacii arguant; sed Deus invidos et astutos comprehendit in sua astutia, dum effecit ut per hoc crebrum examen, magis constans cæci confessio, indeque Christi miraculum et gloria elucesceret. Ita Leontius et alii. Sapienter S. Chrysostomus : Hæc, ait, est veritatis natura, ut per quæ putatur insidias pati, fortior fiat, quod et nunc accidit : parentes in medium ducuntur, qui maxime suum filium cognoscebant, qui filii dicta confirmant.



Vers. 18. 18. NON CREDIDERUNT ERGO JUDÆI DE ILLO, QUIA CÆCUS FUISSET ET VIDISSET, DONEC VOCAVERUNT
Vers. 19. PARENTES EJUS QUI VIDERAT : 19. ET INTERROGAVERUNT EOS, DICENTES : HIC EST FILIUS VESTER, QUEM VOS DICITIS, QUIA CÆCUS NATUS EST? QUOMODO ERGO NUNC VIDET?
Vers. 20. 20. RESPONDERUNT EIS PARENTES EJUS, ET DIXERUNT : SCIMUS QUIA HIC EST FILIUS NOSTER, ET QUIA
Vers. 21. CÆCUS NATUS EST : 21. QUOMODO AUTEM NUNC VIDEAT, NESCIMUS : AUT QUIS EJUS APERUIT OCULOS, NOS NESCIMUS : IPSUM INTERROGATE; ÆTATEM HABET, IPSE DE SE LOQUATUR. — Pharisæi cæci responso confusi, convertunt se ad ejus parentes ex majori livore et rabie, ut ex eorum ore eliciant quippiam quo vel cæcum, vel Christum redarguant; scilicet vel cæcum hunc non fuisse natum cæcum, vel non fuisse plane cæcum, sed lusciosum, vel per artem magicam, ut ait Chrysostomus, non per miraculum a Christo fuisse illuminatum. Quærebant, ait S. Augustinus, quomodo hominem calumniarentur, ut eum de synagoga ejicerent, uti paulo post fecerunt. Et Theophylactus hoc eorum fuisse dilemma asserit : Aut falsum est quod filius vester nunc videat, aut quod antea cæcus fuit; constat autem eum videre : falsum ergo est quod dicit, se cæcum fuisse. Parentes autem caute respondent : Scire se filium hunc esse suum, ac cæcum esse natum, sed a quo et quomodo sit illuminatus, nescire. Prudenter, ut nec veritatem negent, nec periculum excommunicationis incurrant : sed timide; unde aiunt : « Ætatem habet; » *q. d.*, ait Augustinus : Juste cogeremur loqui pro infante, quia ipse pro se loqui non posset : at hic est vir qui pro se loqui potest; ergo « ipsum interrogate. »

22. HÆC DIXERUNT PARENTES EJUS, QUONIAM TIMEBANT JUDÆOS : JAM ENIM CONSPIRAVERANT JUDÆI, UT, SI QUIS EUM CONFITERETUR ESSE CHRISTUM, EXTRA SYNAGOGAM FIERET.

23. PROPTEREA PARENTES EJUS DIXERUNT : QUIA ÆTATEM HABET, IPSUM INTERROGATE. — « Extra synagogam; » Græce ἀποσυνάγωγος, hoc est *asynagogus*, scilicet ejectus e synagoga, et quasi excommunicatus. Verum, ut ait S. Augustinus, jam non erat malum fieri extra synagogam; quia illi expellebant, sed Christus expulsum suscipiebat. « Propterea parentes dixerunt : » quia imbecilliores erant filio, ait Theophylactus, qui testis adstat intrepidus veritatis.

24. VOCAVERUNT ERGO RURSUM HOMINEM, QUI FUERAT CÆCUS, ET DIXERUNT EI : DA GLORIAM DEO, NOS SCIMUS QUIA (quod) HIC HOMO PECCATOR EST. 25. DIXIT ERGO EIS ILLE : SI PECCATOR EST, NESCIO : UNUM SCIO, QUIA CÆCUS CUM ESSEM, MODO VIDEO. 26. DIXERUNT ERGO ILLI : QUID FECIT TIBI? QUOMODO APERUIT TIBI OCULOS? 27. RESPONDIT EIS : DIXI VOBIS JAM, ET AUDISTIS : QUID ITERUM VULTIS AUDIRE? NUMQUID ET VOS VULTIS DISCIPULI EJUS FIERI? — « Da gloriam Deo. » Est modus, sive phrasis obtestandi et adjurandi apud Hebræos, ut patet *Josue* VII, 19, *q. d.* Dic veritatem ad Dei gloriam : fatere tu idipsum quod nos scimus esse verum, scilicet hunc hominem, puta Jesum, esse peccatorem, atque hac veritatis, quæ latebat, confessione a te manifestata, glorificabis Deum, qui est prima et æterna veritas. « Dare gloriam Deo, » inquit Glossa, est veritatem de aliquo, quasi Deo præsente dicere, *q. d.* Confitere istum non esse Deum, sicut nos, sed peccatorem : nimirum prætextu religionis, ait Chrysostomus, ad hoc volunt cæcum inducere, ut neget se a Christo curatum, aut ficte et magice per præstigias curatum; *q. d.*, ait Interlinearis : Nega beneficium et miraculum quod a Jesu accepisti : quod est blasphemare, non Deo gloriam dare. …rum de cæco nato sanati disquisitio.

SI PECCATOR EST, NESCIO; UNUM SCIO, QUIA CÆCUS CUM ESSEM, MODO VIDEO. — Prudenter et caute respondet, quia nec patet calumniæ, nec veritatem celat, ait Interlinearis. Objicit Chrysostomus : Quomodo dixit cæcus paulo ante, « Propheta est, » qui nunc dicit : « Si peccator est, nescio? » Respondet : Non hoc dicit asserendo, nec timendo, sed quia volebat Jesum a rei testimonio, non a sua voce, ab incusatione eripi, *q. d.* Nunc dicere vel disputare vobiscum nolo, an Jesus sit peccator, necne : unum dico, quod certo scio, me jam esse videntem, qui prius fui cæcus.

QUOMODO APERUIT TIBI OCULOS? — Modum curationis iterum inquirunt, more canum, ait Chrysostomus, qui leporem nunc huc, nunc illuc investigant (1).

QUID ITERUM VULTIS AUDIRE? — *q. d.* inaniter interrogatis, non volentes addiscere, sed cavillari, ait S. Chrysostomus.

NUMQUID ET VOS VULTIS DISCIPULI EJUS FIERI? — sicut ego jam video, et non invideo, ait Interlinearis. Imo discipulum me esse Jesu profiteor, ac vos pariter ejus discipulos fieri opto : loquebatur hæc, ait S. Augustinus, jam stomachans adversus duritiem Judæorum, et ex cæco videns, non ferens cæcos. Nota hic heroicam constantiam et magnanimitatem cæci, in tuendo Jesu coram Pharisæis juratis Christi hostibus, unde meruit a Christo suscipi et exaltari.

28. MALEDIXERUNT ERGO EI, ET DIXERUNT : TU DISCIPULUS ILLIUS SIS : NOS AUTEM MOYSI DISCIPULI SUMUS. 29. NOS SCIMUS QUIA MOYSI LOCUTUS EST DEUS : HUNC AUTEM NESCIMUS UNDE SIT. — « Maledixerunt, » dicendo : Maledicte, esto maledictus, maledicat tibi Deus, ito in malam crucem; aut quid simile : aut « maledixerunt, » id est maledicta et convicia in eum jecerunt; Arabicus, *opprobriis eum affecerunt*. Verum inefficax fuit eorum maledictio, et a Christo conversa in benedictionem; laus enim piorum est ab impiis maledici. Unde S. Augustinus, maledictum est, ait, si cor

(1) « Et audistis. » Græca aliæque fere omnes versiones habent καὶ οὐκ ἠκούσατε, *et non audistis*, id est, *annon satis audistis?* vel, *sed non attendistis*.

discutias, non si verba perpendas : tale autem maledictum sit super nos et super filios nostros.

Hunc autem nescimus unde sit, — an a Deo missus, uti fuit Moyses, an a diabolo. Ita Euthymius.

30. Respondit ille homo (cæcus a Christo illuminatus), et dixit eis : In hoc enim (q. d. Hoc sane. Est hebraismus) mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit oculos meos. — q. d. Vestrum, utpote doctorum et legis peritorum, erat, scire Jesum, qui tanta patrat miracula et me modo illuminavit, non nisi a Deo missum esse ; Deus enim est, qui per eum miracula operatur. Ubique signum illuminationis suæ induit, ait Chrysostomus, quia hoc depravare non poterant, sed ab eo convincebantur.

31. Scimus autem quia peccatores Deus non audit. — Quæres, quomodo hoc sit verum? Nam Deus peccatores, si pœnitentes veniam petant, illam eis indulget, et peccatoribus bona temporalia, quin et spiritualia petentibus sæpe elargitur. Respondeo primo : Deus ordinarie peccatores non exaudit, peccatores, inquam, in peccato perseverantes ; aliquando tamen eos exaudit, sed id rarum est. Ita Jansenius. Id ita esse patet ex Scriptura. Audi Isaiam : « Aggravata est auris ejus, ut non exaudiat, sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, » *Isaiæ* LIX, 1 et 2. Et : « Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis, » *Prov.* XXVIII, 9. Et : « Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? » *Psalm.* XLIX, 16. Et : « Maledicam benedictionibus vestris, » *Malach.* II, 2. De justis autem dicitur : « Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum, » *Psalm.* XXXIII, 16. Et : « Oculi Domini ad timentes eum, » *Eccli.* XV, 20.

*Secundo*, et magis proprie ad rem propositam, Deus non exaudit peccatores ; nimirum hac ratione et modo, ut ad declarandam eorum sanctitatem (quæ nulla, vel ficta et simulata est) miracula faciat, uti facit per Jesum, ad testandum ipsum esse Messiam : de hac enim re hic agebatur. Ita Theophylactus, Euthymius et Maldonatus hic, ac Suarez, tom. II *De Relig.*, lib. *De Orat.*, cap. XXV : Deus, inquit, peccatores non audit, si orent mala intentione, v. g., ad confirmationem hypocrisis vel mendacii.

*Tertio*, S. Augustinus, lib. III *De Baptism. contra Donat.*, cap. XX, respondet cæcum hunc id dixisse generaliter, cum adhuc esset catechumenus, et necdum satis in fide instructus ; nam generaliter idipsum non esse verum. Quare sententiam hanc non omnino esse veram, nec esse sententiam S. Scripturæ, sed S. Scripturam tantum asserere illam prolatam esse a cæco : quod verum est et canonicum.

Audi S. Augustinum : « Hæc adhuc inunctus loquitur ; nam et peccatores Deus exaudit : alioqui frustra publicanus diceret, Deus propitius esto mihi peccatori ; ex qua confessione meruit justificationem, sicut et cæcus ille illuminationem. »

Ex hoc loco S. Cyprianus, *epistol.* 64 et 86, et ejus sequaces Donatistæ, inferebant baptismum a ministro hæretico collatum, esse invalidum, ideoque iterandum, quia hæreticus est magnus peccator, quem Deus non audit. Sed perperam : nam simili modo Catholici sacerdotis qui in peccato vivit, baptisma esset irritum et iterandum ; hic enim est peccator. Dico ergo, alia est vis Sacramenti, alia orationis. Sacramentum enim habet vim ex opere operato, oratio vero ex opere operantis, puta ex sanctitate et meritis orantis. Quare si peccator, v. g., hæreticus, baptizet, validum est Sacramentum, suamque habet vim ex institutione Christi, qui per Sacramentum gratiam confert : Christus enim est principalis auctor baptismi, qui per ministrum, quasi instrumentum baptizat. Adde, esto Deus non audiat preces peccatoris in quantum ipse persona privata est ; audit tamen ejusdem preces, quatenus ipse persona publica est, puta minister Ecclesiæ ; Ecclesia enim est sancta, quia caput, puta Christum, habet sanctum, multaque membra, hoc est multos fideles habet sanctos, quorum preces Deus exaudit.

32. A sæculo non est auditum, quia (quod) quis aperuit oculos cæci nati, — q. d. Esto, Moyses et Prophetæ multa fecerint miracula, nunquam tamen cæco nato visum restituerunt : Jesus ergo, qui mihi cæco nato visum reddidit, magnus Propheta in mundum a Deo missus sit oportet, imo major Mose et Prophetis cæteris. Pungit et retundit dictum Pharisæorum : « Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus, » q. d. Vos Mosen antefertis Christo ; ego vero Christum antefero : vos Moysi discipuli esse vultis, ego malo Jesu esse discipulus. Ita Cyrillus, Leontius et alii.

33. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam, — in curanda cæcitate mea. Dicit hoc cæcus libere, constanter et veraciter, ait S. Augustinus, Dei enim opus supernaturale et proprium est illuminare cæcos.

34. Responderunt, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus, et tu doces nos? — « Totus, » scilicet et anima et corpore ; nam ob peccatum tuum cæcus es natus : hinc stigma peccati in oculis ostentas. Censent enim cum Pythagora, Platone et aliis, animam ante corpus exstitisse, et ob peccata in corpus deforme, v. g., cæcum, esse detrusam. Ita Cyrillus, Leontius et alii. Aliter Maldonatus, q. d. Ab utero matris usque in hodiernum diem nil didicisti, nisi peccare. Sic et S. Chrysostomus et Theophylactus : A primæva ætate, inquiunt, continuo peccas.

Et tu doces nos? — q. d. Tu, o cæce peccator, vis docere nos, qui sumus videntes, sapientes et justi?

Et ejecerunt eum foras, — extra domum privatam, in qua erant, quasi stultum et indignum, cum quo tanti magistri disputarent, ait Maldonatus ; vel, ut Theophylactus ex S. Chrysostomo, extra templum, ac consequenter extra synagogam, ait Leontius, hoc est, excommunicaverunt eum, et extra cœtum, sive Ecclesiam suam, ejecerunt ; sed invenit eum Dominus templi (Christus), ait Chrysostomus, et suscepit. Utrumque eos fecisse est credibile, scilicet cæcum ex domo, et hoc symbolo ex Ecclesia sua ejecisse. Hoc enim apud eos jam decretum erat, ut patet vers. 22. Atque hoc satis significant vers. 28, cum dicunt : « Tu illius discipulus sis, nos autem Moysi discipuli sumus, » q. d. Abi a Mose et nobis, o apostata, ad tuum Jesum ; nimirum huc eos agebat livor et odium Christi. Denique idipsum suadet, quod hæc acta sint in domo judicii, quæ videtur fuisse domus publica, non privata, puta synagoga juxta templum, ut dixi vers. 31. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Leontius. Idipsum magis patebit cap. X, vers. 1, ubi ob cæcum hunc e synagoga expulsum, Christus ait se esse ostium ovilis Dei, id est Ecclesiæ.

35. Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras : et cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei? 36. Respondit ille, et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum? 37. Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. 38. At ille ait : Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. — Christus cæcum, a Judæis ob sui confessionem ejectum, benigne suscipit ejusque constantiam remunerat ; quare quem prius carne, eumdem nunc mente illuminat. Nam cum eum carne illuminavit, simul ei communia et confusa quædam fidei semina injecerat, quæ nunc particulatim efformat et perficit, ut Jesum quem quasi illuminatorem sui credebat esse Prophetam, sed hominem, nunc credat esse quoque Deum Deique Filium. Unde Glossa : Habebat cæcus, inquit, jamdudum cor paratum ad credendum, sed in quem credere deberet, ignorabat. Unde ait : « Quis est, Domine, ut credam in eum? » Discit ergo hoc a Christo, ut scilicet in se, quasi in Messiam, Dei Filium, ideoque Deum verum, credat.

Et cum invenisset, — utique studio Christi quæsitum eo loci, ubi ipsum esse sciebat. Nemo enim invenit, nisi id quod antea quæsivit : nimirum pastoris boni est quærere ovem errantem, quæ se in viam reducere nequit, nisi ab illo quæsita et reducta. Unde S. Augustinus, *tract.* 4 : « Illi pellunt, inquit, excipit Dominus : magis enim quia expulsus est, Christianus factus est. »

Credis. — Jesus non requisivit fidem cæci in sanatione corporis, sed hic in sanatione mentis eam exposcit ; quia, ut ait S. Augustinus, serm. 13 *De Verbis Apostoli* : « Qui fecit te sine te, non justificat te sine te ; fecit nescientem, justificat volentem. »

Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. — « Et vidisti eum, » nunc cum se tibi ipse videndum offert, quem hucusque cæcus videre non potuisti. Nam cæcus illuminatus fuerat in Siloe absente Christo, unde Christum hucusque non viderat. Insinuat ergo Christus se esse eum qui ipsi paulo ante visum restituit. Reducit enim ei in memoriam sanitatem, ait Theophylactus, et quod ab eo virtutem videndi acceperat, ut sic credat ipsum non tantum esse Filium hominis, sed et Filium Dei.

Credo, Domine, et procidens adoravit eum, — Jesum, tanquam genuinum et proprium Dei Filium, ideoque Deum verum latria adorandum. Porro cæcus, Christo interius eum illustrante et impellente, dicens : « Credo, » simul elicuit actus spei, contritionis, charitatis, religionis et adorationis erga Christum, et per illos a peccatis purgatus et justificatus est. Quocirca vir sanctus et Apostolicus evasit : scripsit ejus vitam Petrus de Natalis, episcopus Esquilinus, in *Catalogo Sanctorum* lib. V, cap. CII : « Cedonius Episcopus, inquit, vel Sidonius, fuit ille cæcus a nativitate, quem Dominus lutum ex sputo faciens, et oculos liniens, illuminavit, ut habetur *Joan.* IX, qui et ab aliquibus dicitur fuisse unus ex 72 Christi discipulis. Sive autem ex numero illorum fuerit, sive non, planum habetur ex chronicis et gestis discipulorum, quod Christi discipulus fuit ; et post ascensionem Domini ab Apostolis baptizatus, S. Maximino specialiter adhæsit, et cum eodem, et Lazaro atque sororibus ejus naviculæ impositus, a finibus Judæorum expulsus fuit. Postquam autem præfati Sancti provinciam Provinciæ, ad quam Deo duce applicuerunt, ad Christum converterunt ; et postquam beatus Lazarus Massiliæ, et beatus Maximinus Aquis ordinati sunt, ipse in ministerio Maximini, Aquensis civitatis Episcopi, permansit, et ejusdem prædicationis coadjutor : ubi et post dies multos in pace quievit, et juxta magistrum reconditus jacuit, ut supra dictum est. »

39. Et dixit Jesus. — Nonnulli codices addunt *ei*, scilicet cæco ; sed cum Romanis, Græcis, Syro et Arabico delendum τὸ *ei*. Christus enim hæc dixit non ad cæcum, sed ad Pharisæos.

In judicium ego in hunc mundum veni (Arabicus, *veni ut judicem hunc mundum*), ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant. — « In judicium, » id est ad condemnationem, ait Cyrillus, Leontius, Theophylactus et Chrysostomus, ut scilicet superbos et mundanos Pharisæos, qui sibi videntur videre et sapere, cæcitatis arguam, convincam et condemnem.

Melius alii accipiunt *judicium* non condemnationis, sed examinis et discretionis, q. d. Ego incarnatus sum et veni in terram, ut discernam et separem credentes ab incredulis, bonos a malis, pios ab impiis ; nimirum ut humiles, qui antea in ignorantia Dei et salutis vivebant in cæcitate mentis, instar cæci hujus

mihi credentes, Dei et rerum ac salutem spectantium cognitione illuminem; superbos vero mihi credere nolentes, uti sunt Pharisæi scientia legis inflati, superbia sua excæcari permittam, ac excæcatos cæcitatis arguam et refutem. Ita S. Augustinus.

Posset *secundo*, judicium hic significare arcanum Dei consilium, et mirabile decretum, sed justo ejus judicio statutum et fixum, quo Deus effecit ut Gentiles Deum ignorantes, ideoque cæci, lumen fidei Christi viderent, illudque humiliter et avide susciperent; Scribæ vero, Pharisæi et mundi sapientes sua scientia inflati, per infidelitatem excæcarentur, Christique fidem et lucem repellerent. Humilitas ergo Gentes insipientes se Christo subdentes fide Christi illuminavit : superbia vero Scribas sapientes Christum repellentes infidelitate cæcavit. Ita Cyrillus, vel potius Clictovæus, qui Cyrillum hic supplevit. Hoc est quod exclamat Apostolus, *Rom.* XI : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » Nimirum, « judicia Dei abyssus multa. » Causam præmisit Apostolus ibidem vers. 25, dicens : « Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret. » Ita Clictovæus, in Impresso, et Cyrillus, in *Catena*. Porro Theodoretus, in *Catena*, hæc ad Paulum et Judam adaptat; Paulus enim ex cæco videns, Judas autem ex vidente cæcus factus est.

Ubi nota τὸ *ut*, *propterea*, *ideo*, *idcirco*, etc., apud Joannem sæpe non causam, sed effectum vel consecutionem significare. Non enim hac causa et hoc fine venit Christus, ut Scribæ excæcarentur, sed cæcitas eorum ex adventu et prædicatione ejus consecuta est, non per actionem Christi, sed per ipsorum superbiam et culpam. Ita Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et alii.

40. ET AUDIERUNT QUIDAM EX PHARISÆIS, QUI CUM IPSO ERANT, ET DIXERUNT EI : NUMQUID ET NOS CÆCI SUMUS? — Senserunt Pharisæi Christi dicto, « ut videntes cæci fiant, » se tangi et pungi, Christumque loqui de cæcitate non corporis, uti vult Theophylactus, sed animi : ita Cyrillus et Leontius. Videbant enim se corpore non esse cæcos, quare si eos oculis captos dixisset, ipsum stolidum explosissent; rogant ergo : « Numquid et nos cæci sumus? » *q. d.* Itane tu venisti, ut cæcos corporaliter illumines, et nos spiritualiter videntes legisque doctores excæces, et insipientes amentesque efficias? Ostende nobis hanc cæcitatem et amentiam.

41. DIXIT EIS JESUS : SI CÆCI ESSETIS, NON HABERETIS PECCATUM; NUNC VERO DICITIS : QUIA VIDEMUS. PECCATUM VESTRUM MANET. — Arabicus, *firmatum est*. *Primo*, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius exponunt de cæcitate corporis, *q. d.* Si cæci essetis corpore, minus superbiretis et peccaretis. Cæcitas enim corporis humiliaret animum vestrum.

*Secundo*, et magis genuine, S. Augustinus, *tract.* 44, « si cæci essetis, » scilicet vestro sensu et judicio, hoc est, si cæcos, id est ignorantes et insipientes in rebus salutis vos esse humiliter cognosceretis, non haberetis peccatum; quia cæcitatis vestræ remedium quæreretis, et a me quærentes acciperetis. Sic et Beda, Maldonatus et alii.

*Tertio*, præcise et scholastice, *q. d.* Si essetis cæci, scilicet per ignorantiam Scripturæ et legis naturalis, non haberetis peccatum juxta ignorantiam hanc operando, et me Messiam vestrum non agnoscendo; scilicet si ignorantia vestra esset plane inculpata et invincibilis, haberetis quidem aliquod peccatum, sed minus grave et excusabile, atque facile a me, ignorantiam vestram mea doctrina dispellente, possetis illuminari et curari; nunc vero apud vos « dicitis : Quia (quod) videmus, » hoc est, putatis vos videre eosque sapientes, ut de Christi adventu et persona optime judicetis; *idcirco*, ut habet Græcus, Arabicus et Syrus, « peccatum vestrum manet, » *q. d.* Idcirco vos ex malitia et arrogantia permanetis in vestro infidelitatis contra me peccato, idcirco obstinatis et obfirmatis animum, ut me Messiam esse credere nolitis, etiamsi ego idipsum plurimis signis et miraculis verum esse demonstrarim. Quocirca nulla ratione a me illuminari et curari potestis, quia obstinate me audire non vultis. Ita Theophylactus, Jansenius et alii.



# CAPUT DECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus de se duas parabolas dat, unam ostii, aliam pastoris ovium, et utramque sibi attribuit. Unde ait vers.* 7 : Ego sum ostium ovium; qui ergo per me non intrat in ovile, ille fur est et latro. *Et vers.* 11 : Ego sum pastor bonus, *etc.*, et animam meam pono pro ovibus meis. *Secundo, Judæi inter se de Jesu dissentientes, vers.* 19, *rogant eum ut clare dicat an ipse sit Messias, id est Christus. Respondit Jesus se esse Christum, sed Judæos id nolle agnoscere, eo quod non sint oves suæ. Hinc tertio, Judæi, vers.* 31, *tollunt lapides, ut in eum jaciant, sed Christus se et sua dicta tuetur illo dicto Psalm.* LXXXI : Ego dixi, Dii estis. *Quare Judæis eum capere volentibus, ipse invisibiliter elabitur.*

1. Amen, amen dico vobis : Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro. 2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. 3. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. 4. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit : et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. 5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo; quia non noverunt vocem alienorum. 6. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. 7. Dixit ergo eis iterum Jesus : Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. 8. Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones, et non audierunt eos oves. 9. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. 10. Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. 11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. 12. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispergit oves : 13. mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. 14. Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. 15. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem; et animam meam pono pro ovibus meis. 16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor. 17. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. 18. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam; et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo. 19. Dissensio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos. 20. Dicebant autem multi ex ipsis : Dæmonium habet, et insanit; quid eum auditis? 21. Alii dicebant : Hæc verba non sunt dæmonium habentis, numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? 22. Facta sunt autem Encænia in Hierosolymis; et hiems erat. 23. Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis. 24. Circumdederunt ergo eum Judæi, et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. 25. Respondit eis Jesus : Loquor vobis, et non creditis : opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me; 26. sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. 27. Oves meæ vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me : 28. Et ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. 29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est; et nemo potest rapere de manu Patris mei. 30. Ego et Pater unum sumus. 31. Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. 32. Respondit eis Jesus : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? 33. Responderunt ei Judæi :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mihi credentes, Dei et rerum ad salutem spectantium cognitione illuminem; superbos vero mihi credere nolentes, uti sunt Pharisæi scientia legis inflati, superbia sua excæcari permittam, ac excæcatos cæcitatis arguam et refutem. Ita S. Augustinus.

Posset *secundo*, judicium hic significare arcanum Dei consilium, et mirabile decretum, sed justo ejus judicio statutum et fixum, quo Deus effecit ut Gentiles Deum ignorantes, ideoque cæci, lumen fidei Christi viderent, illudque humiliter et avide susciperent; Scribæ vero, Pharisæi et mundi sapientes sua scientia inflati, per infidelitatem excæcarentur, Christique fidem et lucem repellerent. Humilitas ergo Gentes insipientes se Christo subdentes fide Christi illuminavit : superbia vero Scribas sapientes Christum repellentes infidelitate cæcavit. Ita Cyrillus, vel potius Clictovæus, qui Cyrillum hic supplevit. Hoc est quod exclamat Apostolus, *Rom.* XI : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » Nimirum, « judicia Dei abyssus multa. » Causam præmisit Apostolus ibidem vers. 25, dicens : « Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret. » Ita Clictovæus, in Impresso, et Cyrillus, in *Catena*. Porro Theodoretus, in *Catena*, hæc ad Paulum et Judam adaptat; Paulus enim ex cæco videns, Judas autem ex vidente cæcus factus est.

Ubi nota τὸ *ut*, *propterea*, *ideo*, *idcirco*, etc., apud Joannem sæpe non causam, sed effectum vel consecutionem significare. Non enim hac causa et hoc fine venit Christus, ut Scribæ excæcarentur, sed cæcitas eorum ex adventu et prædicatione ejus consecuta est, non per actionem Christi, sed per ipsorum superbiam et culpam. Ita Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et alii.

40. ET AUDIERUNT QUIDAM EX PHARISÆIS, QUI CUM IPSO ERANT, ET DIXERUNT EI : NUMQUID ET NOS CÆCI SUMUS? — Senserunt Pharisæi Christi dicto, « ut videntes cæci fiant, » se tangi et pungi, Christumque loqui de cæcitate non corporis, uti vult Theophylactus, sed animi : ita Cyrillus et Leontius. Videbant enim se corpore non esse cæcos, quare si eos oculis captos dixisset, ipsum stolidum explosissent; rogant ergo : « Numquid et nos cæci sumus? » *q. d.* Itane tu venisti, ut cæcos corporaliter illumines, et nos spiritualiter videntes legisque doctores excæces, et insipientes amentesque efficias? Ostende nobis hanc cæcitatem et amentiam.

41. DIXIT EIS JESUS : SI CÆCI ESSETIS, NON HABERETIS PECCATUM; NUNC VERO DICITIS : QUIA VIDEMUS. PECCATUM VESTRUM MANET. — Arabicus, *firmatum est*. *Primo*, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius exponunt de cæcitate corporis, *q. d.* Si cæci essetis corpore, minus superbiretis et peccaretis. Cæcitas enim corporis humiliaret animum vestrum.

*Secundo*, et magis genuine, S. Augustinus, *tract.* 44, « si cæci essetis, » scilicet vestro sensu et judicio, hoc est, si cæcos, id est ignorantes et insipientes in rebus salutis vos esse humiliter agnosceretis, non haberetis peccatum; quia cæcitatis vestræ remedium quæreretis, et a me quærentes acciperetis. Sic et Beda, Maldonatus et alii.

*Tertio*, præcise et scholastice, *q. d.* Si essetis cæci, scilicet per ignorantiam Scripturæ et legis naturalis, non haberetis peccatum juxta ignorantiam hanc operando, et me Messiam vestrum non agnoscendo; scilicet si ignorantia vestra esset plane inculpata et invincibilis, haberetis quidem aliquod peccatum, sed minus grave et excusabile, atque facile a me, ignorantiam vestram mea doctrina dispellente, possetis illuminari et curari; nunc vero apud vos « dicitis : Quia (quod) videmus, » hoc est, putatis vos videre esseque sapientes, ut de Christi adventu et persona optime judicetis; *idcirco*, ut habet Græcus, Arabicus et Syrus, « peccatum vestrum manet, » *q. d.* Idcirco vos ex malitia et arrogantia permanetis in vestro infidelitatis contra me peccato, idcirco obstinatis et obfirmatis animum, ut me Messiam esse credere nolitis, etiamsi ego idipsum plurimis signis et miraculis verum esse demonstrarim. Quocirca nulla ratione a me illuminari et curari potestis, quia obstinate me audire non vultis. Ita Theophylactus, Jansenius et alii.



# CAPUT DECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

***Primo***, *Christus de se duas parabolas dat, unam ostii, aliam pastoris ovium, et utramque sibi attribuit. Unde ait vers.* 7 : Ego sum ostium ovium; qui ergo per me non intrat in ovile, ille fur est et latro. *Et vers.* 11 : Ego sum pastor bonus, *etc.*, et animam meam pono pro ovibus meis. *Secundo, Judæi inter se de Jesu dissentientes, vers.* 19, *rogant eum ut clare dicat an ipse sit Messias, id est Christus. Respondit Jesus se esse Christum, sed Judæos id nolle agnoscere, eo quod non sint oves suæ. Hinc tertio, Judæi, vers.* 31, *tollunt lapides, ut in eum jaciant, sed Christus se et sua dicta tuetur illo dicto Psalm.* LXXXI : Ego dixi, Dii estis. *Quare Judæis eum capere volentibus, ipse invisibiliter elabitur.*

1. Amen, amen dico vobis : Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro. 2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. 3. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. 4. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit : et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. 5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo; quia non noverunt vocem alienorum. 6. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. 7. Dixit ergo eis iterum Jesus : Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. 8. Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones, et non audierunt eos oves. 9. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. 10. Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. 11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. 12. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispergit oves : 13. mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. 14. Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. 15. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem; et animam meam pono pro ovibus meis. 16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor. 17. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. 18. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam; et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo. 19. Dissensio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos. 20. Dicebant autem multi ex ipsis : Dæmonium habet, et insanit; quid eum auditis? 21. Alii dicebant : Hæc verba non sunt dæmonium habentis, numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? 22. Facta sunt autem Encænia in Hierosolymis; et hiems erat. 23. Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis. 24. Circumdederunt ergo eum Judæi, et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. 25. Respondit eis Jesus : Loquor vobis, et non creditis : opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me; 26. sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. 27. Oves meæ vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me : 28. Et ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. 29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est; et nemo potest rapere de manu Patris mei. 30. Ego et Pater unum sumus. 31. Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. 32. Respondit eis Jesus : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? 33. Responderunt ei Judæi :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. 34. Respondit eis Jesus : Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi : Dii estis? 35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura : 36. quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas : quia dixi, Filius Dei sum? 37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. 38. Si autem facio; et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre. 39. Quærebant ergo eum apprehendere; et exivit de manibus eorum. 40. Et abiit iterum trans Jordanem, in eum locum ubi erat Joannes baptizans primum, et mansit illic. 41. Et multi venerunt ad eum, et dicebant : Quia Joannes quidem signum fecit nullum. 42. Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

Vers. 1. 1. AMEN, AMEN (id est in veritate, sive verissime et certissime) DICO VOBIS : QUI NON INTRAT PER OSTIUM IN OVILE OVIUM, SED ASCENDIT ALIUNDE, ILLE FUR EST ET LATRO. — Proponit hic Christus parabolam ostii ovilis, ut per eam ostendat quis ipse sit, et quales sint sui æmuli et adversarii, puta Scribæ et Pharisæi. Incipit hæc parabola, vers 1, et finitur vers. 11, ubi Christus aliam pastoris parabolam inducit.

Parabola ostii ovilis.

Occasio et causa cur Christus hanc parabolam proposuerit, fuit quod Pharisæi cæcum a se illuminatum ob Christi fidem et confessionem, e Synagoga quasi ex ovili suo ejecerant, quo facto significabant Jesum non esse Messiam, nec membrum Synagogæ, sive Ecclesiæ suæ; sed esse pseudoprophetam, ac consequenter eos qui in ipsum credebant, uti crediderat cæcus ab eo illuminatus, errare in fide, et aberrare a Synagoga esseque Ecclesiæ suæ apostatas. Proponit ergo Christus parabolam ostii ovilis, ut per illam doceat contrarium, scilicet adeo se non esse pseudoprophetam, ut potius omnes alii, qui per ipsum tanquam verum ovilis, id est Ecclesiæ Dei, ostium, in illam non intrant, sint seductores et falsarii; illi vero sint legitimi pastores, Prophetæ et doctores, qui per ipsum in hoc ovile, id est in Ecclesiam Dei, intrant. Quare Synagogam Pharisæorum jam judaizantem, esse Synagogam non Dei, sed Satanæ; veram autem Dei Ecclesiam esse Christianam, quam Christus instituebat, Synagogæ Judaicæ surrogabat, ac proinde cæcum a Synagoga excommunicatum, per fidem in Christum ingressum esse in Ecclesiam veram, scilicet Christianam.

Ut totam parabolam lector facile comprehendat, totam ejus synopsin hic oculis subjiciam. *Primo,* ovile Dei est Ecclesia, quæ vetus apud Judæos Synagoga dicebatur. *Secundo,* herus ovilis, id est dominus Ecclesiæ, est Deus Pater. *Tertio,* ostium est Christus, sive fides in Christum, qui clausus est Scriptura legis et Prophetarum, velut ostio suis seris obserato. *Quarto,* ostiarius est Spiritus Sanctus. *Quinto,* oves sunt non soli prædestinati, ut opinatur S. Augustinus, et electi ad gloriam. sed quivis fideles et discipuli Christi, sive omnes qui sunt in Ecclesia. *Sexto,* veri pastores et Prælati sunt, qui per Christum intrant. *Septimo,* his ostiarius, id est Spiritus Sanctus, aperit ostium, quia fides in Christum, per quam ingrediuntur in Ecclesiam, est donum Spiritus Sancti, ipseque Spiritus Sanctus eis potestatem veram et legitimam impertit, ut quæ ipsi fecerint, rata sint et habeantur a Deo. *Octavo,* hi educunt oves, id est fideles, ad pascua sacræ doctrinæ, gratiæ et virtutum, eisque suo vitæ probæ exemplo præeunt; ac nominatim eas vocant, quia sigillatim uniuscujusque curam gerunt, et singulos ad meliora hortantur, stimulant, compellunt. *Nono,* qui per Christum non intrat in ovile, sed vel per murum in illud transilit, vel per fenestram aut maceriam in illud irrumpit, ille fur est et latro ovium, id est fidelium; hos enim mactare et perdere satagit. Cætera fere sunt emblemata, quæ ad elegantiam pertinent, nec rei per eam significatæ sunt applicanda.

Nunc singula sigillatim expendamus, et ad incudem revocemus.

QUI NON INTRAT PER OSTIUM IN OVILE (græce αὐλὴν, id est stabulum) OVIUM, SED ASCENDIT ALIUNDE (Arabicus, *per alium locum*), ILLE FUR EST ET LATRO, — *q. d.* Qui per me Christum, qui sum ostium Ecclesiæ, in eam non intrat, ille non est pastor, sed fur et latro, qui fideles laniare, necare et perdere molitur. Tales fuere Judas Galilæus et Theodas, *Act.* v, 36 et 37, ac similes, qui se finxerunt esse Messiam, aut id quod Messiæ erat proprium, sibi arrogare et profiteri conati sunt. Tales etiam jam esse incipiebant Scribæ et Pharisæi, qui antea per merita Christi legitimam a Deo docendi et gubernandi populum potestatem acceperant, ideoque ejus veri erant pastores et doctores; jam autem Christo præsenti se opponentes, et populum ab eo avertentes, fiebant lupi, imo fures et latrones fidelium. Ita S. Augustinus et ex eo Glossa : Contra Pharisæorum, inquit, qui se videre jactabant, arrogantiam, similitudinem proponit, ostendens nec sapientiam, nec bonam vitam quidquam valere, nisi per eum. Et Chrysostomus : Dicens *aliunde*, inquit, Scribas significat, qui docebant doctrinas et mandata hominum, et legem transgrediebantur. Tales quoque olim fuere pseudoprophetæ, et nunc sunt hæretici, de quibus Jeremias, cap. XXIII, 21 : « Ipsi, inquit, currebant, et ego non mittebam eos. » Audi S. Augustinum : « Dicant Pagani, vel Judæi, vel hæretici : Bene vivimus; si per ostium non intrent, quid eis prodest? non bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. »



Tropologice addit Augustinus : Humilis janua est Christus : qui intrat per hanc januam oportet humilem esse, ut sano capite (ne in superliminare attollens caput impingat) possit intrare; qui non se humiliat, sed per maceriam vult ascendere, ideo exaltatur ut cadat. Idem S. Augustinus, serm. 49 *De Verbis Domini* : Intrat per ostium, inquit, qui intrat per Christum ejusque passionem imitatur et humilitatem. « Fur » est, quia oves, id est fideles, Christo surripere sibique arrogare contendit. Idem « latro » est, quia fidelium animas occidit et gehennæ mancipat. Ita S. Augustinus : Fur est, inquit, quia quod alienum est, suum dicit; nimirum oves Dei suas faciendo, ait Glossa. Latro est, quia quod furatur occidit, ait S. Augustinus.

Ad beneficia Ecclesiastica varia porta.

Tropologice : festive noster Salmeron, tom. VII, pag. 88 : In Ecclesiam, inquit, id est ad beneficia ecclesiastica, varii varie intrant. *Primo,* nonnulli per ostium sive portam Cæsaream; nimirum aulici per commendationem Cæsarum, regum, principum. *Secundo,* alii intrant per portam auream, scilicet divites. *Tertio,* alii per portam sanguineam, puta per parentes, cognatos et amicos potentes. *Quarto,* alii per portam munerariam, hoc est per dona et munera. *Quinto,* alii per portam famulariam, scilicet servi et famuli, qui propter obsequia ab Episcopis promoventur ad beneficia. Hi jacent languentes et exspectantes aquæ, id est sedis vacantis, motum; tunc enim qui prior est in gratia apud successorem, beneficium obtinet.

2. QUI AUTEM INTRAT PER OSTIUM, PASTOR EST OVIUM. — S. Chrysostomus per *ostium* intelligit sacras Scripturas : Hæ enim, inquit, Dei cognitionem aperiunt, oves custodiunt, lupos prohibent, hæreticis aditum præcludentes. Sic et Theophylactus, Leontius et Euthymius. Accedit Theodorus Heracleotes, in *Catena,* qui et aliam causam addit : S. Scriptura est ostium, inquit, quia ille verus est pastor, cui ostium ingressum, id est S. Scriptura auctoritatem præbet et fidem conciliat. Verum S. Augustinus, Cyrillus, Beda, Rupertus hic et S. Gregorius, homilia 15 *in Ezech.*, per *ostium* intelligunt Christum. Ipse enim, vers. 7, diserte ait : « Ego sum ostium. »

Dices : Christus est pastor ovium; ergo nequit esse ostium : pastor enim intrat per ostium, ergo ipse non potest esse ostium. Respondet S. Augustinus : Dominus (Christus) ipse ostiarius, et pastor, et ostium ipse, se aperit qui seipsum exponit; vel ostiarius est Spiritus Sanctus, de quo Dominus : « Ipse vos docebit omnem veritatem; » ostium ergo est Christus, qui est veritas, quam qui docet, ostium aperit. Hæc Augustinus. Et Glossa : Omnes, ait, qui veritatem tenent et docent, in Christo pastore sunt unus pastor; sibi Christus soli tenuit quod ostium est, per quem oves intrent ad Deum; intrat autem pastor ostium : Christum enim Christus ipse et alii pastores prædicant. Simplicius cum Maldonato, dicas Christum pastorem per ostium, id est per seipsum intrare in Ecclesiam, quia sua auctoritate in eam intrat, cæteri vero intrant auctoritate a Christo accepta. Nec enim in parabolis omnia ad amussim accommodare est possibile. Porro, Syri et Hebræi gaudent parabolis easque conduplicant et multiplicant, imo unam alteri inserunt et commiscent. Unde Christus Scribis non nisi in parabolis loquebatur, *Matth.* XIII, 35. Sic hic Christus parabolas ostii et pastoris commiscet.

3. HUIC OSTIARIUS APERIT, — id est Moyses, inquit Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, cui ostium, id est Dei eloquia credita sunt. Moyses enim Christo testimonium perhibens, eum quasi principem in Ecclesiam inducit, juxta illud cap. v, vers. 46 : « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim scripsit. »

*Secundo,* Cyrillus ostiarium censet esse angelum qui præest toti Ecclesiæ, puta S. Michaelem. Ostiarius est Christus ipse, ait S. Augustinus, verbis jam citatis.

*Tertio* et genuine, idem S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Rupertus, Maldonatus et alii : Ostiarius, inquiunt, est Spiritus Sanctus, per quem nobis Scripturæ reseratæ Christum pastorem indicant, ait Theophylactus. Aut potius Spiritus Sanctus Christo aperuit ostium in Ecclesiam, dum eum Ecclesiæ pastorem constituit, et suo testimonio, gratia et miraculis auctoravit, ut cum in Christi baptismo specie columbæ in eum descendit, ac deinde per eum cæcos illuminavit, ægros sanavit, mortuos suscitavit. Idem alios quoslibet pastores, legitimos Christi successores, præficit Ecclesiæ, facitque ut ab Ecclesia agnoscantur et recipiantur, ac per eos cæteros fideles in Ecclesiam inducit. Idem pseudopastorum, ut hæreticorum, fraudes detegit facitque ut ab Ecclesia expellantur.

ET OVES VOCEM EJUS AUDIUNT. — *q. d.* Sicut oves ex consuetudine et ex pastorali cura et benevolentia pascendi agnoscunt suum pastorem, ejusque vocem audiunt, id est sentiunt, dignoscunt, et quid ille velit intelligunt, illudque ei obediendo exequuntur et faciunt, ut, dum pastoris præeuntis sibilum audientes, illum, relicto etiam pabulo, sequuntur : sic pariter fideles et Christiani Christum verum pastorem, et illos quos ipse sibi vicarios substituit, agnoscunt ejusque vocem audiunt, illique per omnia obediunt. S. Augustinus et ex eo Beda, per oves solos prædestinatos accipiunt; hi enim oves vocantur et ab hædis dis-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cernuntur, *Matth.* XXIII, 33. Sed ibi agitur de judicio, ubi electi et salvandi a reprobis secernuntur; hic vero agitur de Ecclesia in terris militante, ubi electi cum reprobis commixti sunt, nec ab iis secerni possunt. Quare utrique vocantur oves: oves ergo sunt omnes fideles; hi enim sunt in ovili, id est in Ecclesia, et Christum pastorem agnoscunt, amant et colunt.

ET PROPRIAS OVES VOCAT NOMINATIM. — Arabicus, *et vocantur oves ejus nominibus suis.* « Nominatim, » id est sigillatim, *q. d.* Pastor singularum ovium curam gerit, omnesque et singulas evocat, ut se ad pascua præeuntem sequantur; ac si quæ ægra sit, illam solam avocat, ungit, medetur, imo, si opus sit, in humeros tollit. Adde, solent pastores solertiores suis vaccis, canibus, ovibus nomina imponere, ac per ea illas ad se evocare. Sic pariter Christus et quilibet post eum pastor Christianis, dum eos baptizat, nomen proprium indit, illoque eos compellat et vocat, ac singulorum curam gerit, ut eos verbo, exemplo et SS. Sacramentis pascat, itaque ad salutem et gloriam cœlestem deducat.

Notat Leontius Christum hic tradere octo veri pastoris signa et munia. *Primum* est, quod per ostium ingrediatur; *secundum*, quod ostiarius illi aperiat; *tertium*, quod oves ejus vocem agnoscant illique pareant; *quartum*, quod singulas oves nominatim appellare possit; *quintum*, quod oves educat; *sextum*, quod ante eas vadat; *septimum*, quod oves eum sequantur; *octavum*, quod animam suam ponat pro ovibus. Talis fuit S. Chrysostomus, qui cum de expulsione ejus ageretur, *hom.* 11, sic suos affatur: « Vos estis mihi pater, vos mihi mater, vos mihi vita, vos mihi gratia: si vos profeceritis, mihi placebit. Vos estis corona mea, et divitiæ meæ, vos estis thesaurus meus. Ego millies pro vobis immolari paratus sum; et nec gratia mihi in hoc est, sed debitum reddo. Bonus enim pastor debet animam suam pro ovibus suis ponere; hujusmodi enim mors immortalitatem parit. »

ET EDUCIT EAS — ad pascua, quæ non extra, sed intra ipsum ovile, hoc est, in ipsa Ecclesia continentur. In Ecclesia enim pastor docet populum, Missam celebrat, baptizat, Sacramenta administrat, etc. Adde, Ecclesia est cœtus fidelium: ubi ergo sunt fideles, ibi pariter est Ecclesia, vel pars Ecclesiæ.

4. ET CUM PROPRIAS OVES EMISERIT (ad pascua), ANTE EAS VADIT, — ut iter præeat, ut eas a lupo et raptore defendat, ut per rectum iter commodumque eas ad meliora pascua se sequentes deducat. Sic pariter Christus et quilibet verus pastor, *primo*, fidelibus iter in cœlum prævit sanctæ vitæ exemplo. Cogitet ergo pastor se fidelium debere esse in sanctitate anteambulonem et ducem, eosque omnes præire, ut cunctis illustre det virtutum exemplum, in quod singuli intuentes ipsum ad alta sequantur, juxta illud S. Petri, *Epist.* I, cap. V, 3: « Non dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. » *Secundo*, pastor fideles ab hæreticis, scandalis cæterisque noxis sua vigilantia et robore tuetur et defendit. *Tertio*, eis rectum iter in cœlum commonstrat, ac melioribus, quibus potest documentis, consiliis, monitis eos pascit ac nutrit. Ita Theophylactus, Beda, Euthymius et alii.

Anagogice S. Augustinus: « Quis, ait, est qui oves præcessit, nisi qui surgens a mortuis jam non moritur, et Patri dixit: Quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum.

ET OVES ILLUM SEQUUNTUR, QUIA SCIUNT VOCEM EJUS. — Hoc est, dignoscunt vocem pastoris sui a voce cujusvis alterius, ideoque ejus vocem et sibilum sequuntur.

5. ALIENUM AUTEM NON SEQUUNTUR, SED FUGIUNT AB EO: QUIA NON NOVERUNT VOCEM ALIENORUM, — v. g., hæreticorum, Judæorum, Paganorum omniumque improborum et fraudulentorum; hos enim quasi lupos fugiunt veri fideles, qui sunt genuinæ Christi oves.

6. HOC PROVERBIUM DIXIT EIS JESUS. ILLI AUTEM NON COGNOVERUNT QUID LOQUERETUR EIS. — « Proverbium, » Græce παροιμίαν, id est *parœmiam*, similitudinem, parabolam, ut vertit Arabicus. Vide dicta *Prov.* I, 5. « Illi autem, » scilicet Pharisæi et Judæi, contra quos parabolam hanc intorsit Christus, quin et Apostoli eamdem non intellexerunt, eo quod in se involuta sit, enigmatica et obscura.

7. DIXIT ERGO EIS ITERUM JESUS: AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUIA EGO SUM OSTIUM OVIUM. — Maldonatus censet hic Christum duplex ostium statuere, scilicet ostium domus, et hoc esse S. Scripturas, et ostium ovilis, et hoc esse Christum. Credo, inquit, alio sensu dixisse Christum: Qui non intrat per ostium; alio vero: Ego sum ostium. Nam cum dixit: « Qui non intrat per ostium, » de ostio, per quod pastores; cum dixit: « Ego sum ostium, » de ostio, per quod oves ingrediuntur et egrediuntur, loquebatur, quod diversum omnino est; illud est porta prima domus, hoc ostiolum ovilis; per illud pastorem, per hoc oves dixit ingredi debere; illud quod esset, non declaravit, hoc se esse dixit: « Ego, ait, sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet. » Verum hæc distinctio ostii subtilior est, quam solidior: ubique Christus de uno eodemque ostio, scilicet ovilis, loquitur. Quod enim ante parabolice et obscure dixit, vers. 1: « Qui non intrat per ostium, etc., fur est et latro, » cum illud discipuli non intelligerent, Jesus eis parabolam explicuit, dicens: « Ego sum ostium ovium: omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones. » « Ecce, ait S. Augustinus, quod clausum est, aperuit. Ipse est ostium: intremus, ut nos intrasse gaudeamus. » Rursum hæc distinctio difficultatem quidem unam evadit,



scilicet quomodo Christus, quasi pastor per ostium, id est per S. Scripturas sibi attestantes, ingrediatur in domum Ecclesiæ: alteram tamen, quomodo scilicet idem sit pastor et ostium, non evadit. Dicendum ergo Christum hic miscere more Syrorum inter se duas parabolas, unam ostii, alteram pastoris, ut dixi vers. 2. Duo enim hic docere intendit Christus: Prius, neminem posse ingredi in Ecclesiam, indeque in cœlum, hoc est, neminem posse justificari et salvari, nisi per se, scilicet per fidem, credendo Jesum esse salvatorem mundi; hoc ostendit per parabolam ostii. Sicut enim non patet ingressus in ovile, nisi per ostium, sic nec patet ingressus in Ecclesiam militantem et triumphantem, nisi per Christum. Posterius, se verum esse pastorem, qui animam ponat pro ovibus suis, cæteros vero mercenarios: quare oves se sequi debere non mercenarios: hoc ostendit per parabolam pastoris; porro, quia hoc posterius priori immixtum et connexum est, idcirco parabolam ostii parabolæ pastoris immiscet et innectit.

8. OMNES QUOTQUOT VENERUNT, FURES SUNT ET LATRONES, ET NON AUDIERUNT EOS OVES. — Dices: ergone omnes Prophetæ, qui venerunt ante Christum populumque docuerunt, fures sunt et latrones? Respondent S. Augustinus, lib. XVI *Contra Faustum*, cap. XII, et S. Hieronymus, lib. II *Contra Pelag.*, et Beda hic, Prophetas non venisse sua sponte, sed missos esse a Deo. Rursus eos non venisse præter Christum, sed cum Christo: ut scilicet quasi ejus præcursores ipsius adventum prænuntiarent. Quare Prophetas non diversos, sed eosdem censeri cum Christo, quia Christi causa, jussu et ductu venerant. Audi S. Augustinum: « Prophetæ non præter Christum venerunt; venerunt enim cum Verbo Dei: venturus præcones misit, et eorum quos miserat, corda possidebat. » Addit Euthymius, Prophetas venisse quidem ante Christum, sed per ostium ingressos fuisse. Denique Christus proprie hic agit de iis qui venerant ante ipsum titulo pastoris, sive Messiæ, *q. d.* Omnes qui ante me venerunt, seseque venditarunt pro pastore Ecclesiæ a tot sæculis exspectato, scilicet pro Messia, sive Christo, hi fures sunt et latrones, quia oves, id est fideles, ut fures, Deo et Christo surripere, sibique ascribere, eosque infamare et perdere conati sunt. Tales fuere Judas Galilæus, Theodas, et post Christum Simon Magus, Barchochabas pluresque alii, qui sibi Christi nomen et titulum arrogarunt. Ita S. Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et alii.

SED NON AUDIERUNT EOS OVES, — quia deprehenderunt eos non afferre signa Messiæ a Prophetis prædicta, sed velle fideles Christo surripere eosque sibi arrogare, mactare et in gehennam præcipitare.

9. EGO SUM OSTIUM. PER ME SI QUIS INTROIERIT, SALVABITUR: ET INGREDIETUR, ET EGREDIETUR, ET PASCUA INVENIET. — Rupertus censet hic aliud ostium a priori diversum statui, et aliud ovile, juxta illud vers. 16: « Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili. » Verum frustra. Nam unum est tantum ovile Christi; puta una duntaxat Ecclesia. Unde, vers. 16, subjicit Christus: « Et fiet unum ovile, et unus pastor. » Idem ergo hoc est ostium cum eo quod præcessit. Ostium enim jam dictum Christus partim confirmat, partim explicat, dum subdit: « Per me si quis introierit, » id est si quis in me crediderit, itaque per fidem et gratiam meam ingrediatur Ecclesiam, hic « salvabitur, » id est justificabitur et beabitur, si videlicet in fide, gratia et charitate mea usque ad mortem persistat. Ita S. Gregorius, *epist.* 49, lib. VII: « Ille, ait, ad ovile ovium intrat per ostium, qui intrat per Christum. Ipse autem per Christum ingreditur qui de eodem creatore et redemptore humani generis vera sentit et prædicat, et prædicata custodit. »

ET INGREDIETUR ET EGREDIETUR. — Non significat ingressum in Ecclesiam, et egressum ex ea, ut *Ingreditur et egreditur,*
patet, sed « egredietur, » scilicet ad pascua, et *quid?*
post pastum « ingredietur » in locum, ubi recubet, uti faciunt oves, *q. d.* Fidelis quasi ovis ingredietur caulam Ecclesiæ bene pastus, et rursum esuriens egredietur ad pascua animæ suæ, sine ullo periculo, me pastore ducente et reducente. Ita Maldonatus.

Aut potius *ingredi et egredi* apud Hebræos significat libere versari, suo munere fungi, solitum agere, et quævis negotia paragere, atque nectendum est cum eo quod sequitur: « Et pascua inveniet, » *q. d.* Fidelis ubique libere sine metu versabitur, suo munere fungetur, ac quidquid agat, tam domi, quam foris, ubique pabulum animæ inveniet. Significat enim hæc phrasis *primo*, securitatem; *secundo*, fiduciam; *tertio*, libertatem conversandi ubilibet, suo munere fungendi, et quælibet negotia peragendi pro Christo et per Christum. Ita Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

Symbolice et tropologice S. Augustinus, Beda et S. Gregorius, *hom.* 14: Ingreditur fidelis intra se per contemplationem, egreditur per actionem ad bona opera. « Ingredietur, ait S. Augustinus, ad internam meditationem, et egredietur ad externam actionem. » Auctor *De Spiritu et Anima*: « Ingredietur, inquit, ad divinitatem meam, et egredietur ad humanitatem, et in utriusque contemplatione mira pascua inveniet. » Denique alio loco Gregorius: « Ingredientur, ait, et egredientur, et pascua invenient: intus quippe habent pascua contemplationis, foris pascua boni operis; intus mentem devotionibus impinguant, foris se piis operibus satiant. » Denique Theophylactus: « Ingredietur, ait, qui curam gerit interioris hominis; egredietur, qui mortificaverit membra sua super terram. »

Anagogice Rupertus: Ingreditur fidelis Eccle-

siam per fidem, ut in ea pascua inveniat; egreditur, cum ex ea moriens migrat in cœlum. « Ingreditur, ait S. Augustinus, per ostium fidei in Ecclesiam, et egreditur per idem ostium fidei viventis in vitam æternam, ubi pascua inveniet. » Et S. Gregorius: « Ingredietur, ait, ad fidem, egredietur autem ad spem, pascua vero inveniet in æterna satietate. »

10. Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. — Ostendit quis sit finis et scopus ejus quem paulo ante furem vocavit, et quis ex adverso suus, *q. d.* Fur et latro ovium, qui per ostium, id est per me, non intrat in ovile Ecclesiæ, sed aliunde clam irrumpit, puta hæreticus, schismaticus, Scriba, Pharisæus, ac præsertim Pseudochristus, qui se pro Messia venditat, uti fecit Theodas et Judas Galilæus, hic non venit, ut oves, id est fideles, tueatur et salvet, sed ut eos furetur, ac Deo et Ecclesiæ, cujus sunt proprii, surripiat, eosque ad se, id est ad synagogam Satanæ, transferat, ibique eos per hæresim et vitia mactet, ac in gehennam ducat et perdat. Ego vero qui sum verus ovium, id est fidelium pastor, e cœlis veni et descendi in terram, non mei, sed fidelium causa, ut scilicet per me a peccatis liberati, « vitam *gratiæ* habeant, *imo* abundantius habeant. » Græce περισσὸν ἔχωσιν, id est *abunde habeant*, vel *abundantem habeant*, scilicet vitam: τὸ enim περισσὸν potest accipi ut adverbium, vel ut nomen adjectivum, *q. d.* Ego veni ut dem fidelibus vitam, non qualem qualem, sed περισσὴν, id est præstantem, eximiam, abundantem, novam, modum excedentem, ut scilicet abundent mea doctrina et gratia, per eamque in spiritu vegeti, læti, pingues et abundantes donis spiritalibus vivant, tum in hoc sæculo per gratiam, tum in futuro per gloriam. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Beda et alii. Huc accedit expositio Ruperti: Ut Christiani, inquit, abundantiorem habeant gratiam, quam Judæi in lege veteri. Hinc et Arabicus vertit, *ut abundantius eis sit*; Vatablus, *ut abundent pascuis.* Hanc abundantem spiritus vitam a Christo aspiratam videre licet in S. Petro, Paulo cæterisque Apostolis; in S. Stephano, Laurentio cæterisque Martyribus; in S. Athanasio, Gregorio cæterisque Confessoribus; in S. Cæcilia, Catharina cæterisque Virginibus, etc. Hinc illa ardens Pauli vox: « Quis me separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia? etc. Certus sum quia neque mors, neque vita, etc. » *Rom.* VIII.

11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. — Græce ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, id est *ille pastor, ille bonus,* scilicet per excellentiam, hoc est præclarus, optimus et præstantissimus, imo unicus et singularis ille princeps pastorum, qui solus ita animam meam pro ovibus, id est fidelibus meis, ponam, ut eos mea morte a morte redimam, ac vitam præsentem et æternam eis conferam: quod non fecere Prophetæ, nec Apostoli, nec quis alius. Esto enim ipsi pro fidelibus non suis, sed Christi occisi sint; tamen eos morte sua a peccatis non redemerunt, nec sanctificaverunt, vel bearunt. Ita Rupertus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Addit S. Augustinus et Beda, Prophetas et Apostolos censeri unum eumdemque pastorem cum Christo, quia Christo fuere subordinati, ab eoque missi, directi, adjuti et protecti. Christus ergo est eximius ille et unicus pastor, quem venturum prædixit Ezechiel pastorum principem, dicens cap. XXXIV, 23: « Suscitabo super eas (oves meas) pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David (puta Christum Davidis filium), ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem, » etc. Vide ibi dicta.

Transit Christus a parabola ostii ad parabolam præclariorem pastoris. Ipse enim ita est ostium per quod oves, id est fideles, ingrediuntur in Ecclesiam, ut idem sit pastor ovium, non qualis qualis, sed principalis, singularis et divinus: unde ipse per ostium, id est per seipsum, puta sua auctoritate intrat ad oves, id est fideles Ecclesiæ.

Porro Christus gaudet titulo pastoris, ut proprio et suavissimo. Hinc olim pingebatur ut pastor humeris suis ovem bajulans, uti [illegible] videre est in picturis antiquissimis [illegible] in basilica Lateranensi, in Ecclesia [illegible] et Damiani, in cryptis et cœmeteriis S. Priscillæ, S. Laurentii, S. Sebastiani, etc. Hinc primi Patriarchæ, et parentes typique Christi, fuere pastores ovium, ut Abraham, Isaac, Jacob et Moses, qui pascendo oves didicit pascere et regere homines, ait Philo. Hinc et David a pastu ovium traductus est ad regnum. Hinc et Homerus Agamemnonem, regem Græcorum, passim vocat ποιμένα λαῶν, id est pastorem populorum. Vis ergo nosse et sequi officium veri pastoris, inspice et fac sicut pastor ovium se gerit erga suas oves: esto tam eminens doctrina et sanctitate inter fideles tuos, ut inter oves irrationales videaris esse pastor rationalis, ac quasi angelus inter homines, ait S. Chrysostomus.

[illegible]

*Primo* ergo, sicut pastor oves singulas agnoscit, curat, compellat; sic et pastor animas singulas suæ curæ commissas agnoscat, curet, instruat, moneat, dirigat. Prima.

*Secundo*, pastor oves educit ad meliora pascua: idem faciat pastor fidelium. Secunda.

*Tertio*, pastor ante oves vadit: sic pastor suos fideles præeat virtutis exemplo. Hoc est quod Paulus præcipit Tito, quem Cretæ Episcopum constituerat, cap. II, vers. 7: « In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, » etc. Tertia.

*Quarto*, pastor fugat lupos, serpentes omniaque ovibus damnosa: sic Parochus fuget hæreticos omnesque noxios. Quarta. Rursum pascat oves sua doctrina et Sacramentis, non vero impinguet semetipsum lacte et lana ovium, *Ezech.* XXXIV, 2. Ne sit ergo mercenarius, ut sua lucra quærat, suos honores, ut urbanos nobilesque pastoratus ambiat, rusticanos et ignobiles aspernetur; Christus enim obiit vicos et castella, aitque: « Pauperes evangelizantur, » *Matth.* XI. Memorabile hac in re exemplum dedit Joannes Fischerus, Episcopus Roffensis, qui exiguum et tenuem suum Episcopatum noluit commutare cum locuplete et honorato, quem ei offerebat Henricus VIII, Angliæ rex, dictitans se facilius et melius Christo in die judicii rationem redditurum pro paucis ovibus et lucris, quam pro multis. Nam si multi, inquit, scirent, quam ratio hæc futura sit exacta, non ambirent magnos et opimos Episcopatus. Ita Sanderus, in *Schism. Anglic.*

*Quinto*, pastor agnos tenere pascit fovetque, oves infirmas consolidat, ægrotas sanat, confractas alligat, errantes reducit, *Ezech.* XXXIV, 4. Vide ibi dicta, præsertim sub finem capitis. Idem Christianis faciat Parochus et Episcopus. Exemplum illustre est in Vita S. Abrahami, quam conscripsit S. Ephrem: hic enim ex anachoreta factus pastor populi ferocis, barbari et indomabilis, ab eo male acceptus, et crebro verberatus usque ad mortem: sua tamen invicta patientia, mansuetudine et charitate eum domuit et Christi legibus subjecit.

*Sexto*, verus ovium pastor fuit Jacob, qui de se ait: « Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, » *Gen.* cap. XXXI, vers. 40; et nascente Christo pastores noctu vigilabant super gregem suum. Unde hujus vigiliæ merito allectus angelus, eis apparuit nuntians Christi ortum, *Lucæ* II. Sic Parochus et Episcopus sit vigil gregique suo invigilet. Prima ejus dos sit vigilantia.

*Septimo*, pastor pro tuendis ovibus vitam suam periculo exponit. Idem faciat Parochus cum ingruit persecutio, pestis, hostis, uti fecit S. Athanasius, S. Chrysostomus, S. Basilius, S. Ambrosius.

Denique S. Petrus, summus Ecclesiæ Pastor, hæc pastoribus sibi subditis dat præcepta, *Epist.* I, cap. V, vers. 2: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; nec turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. » Vide ibi dicta. Plura et particularia pastorum documenta vide apud S. Gregorium in exacto et eximio ejus *Pastorali.* Et apud S. Bernardum in aureis libris *De Considerat. ad Eugenium Pontificem*, ac S. Augustinum, tract. *De Pastoribus et ovibus*, tom. IX.

Porro horum omnium origo, fons et causa, deoque summa et compendium est charitas. Hæc



enim omnia jam recensita, sunt munia et officia charitatis: charitas enim summe amat Deum et fideles sibi a Deo commissos propter Deum. Unde S. Augustinus hic, *tract.* 123: Amor, inquit, in eo qui pascit oves, in tam magnum debet spiritalem crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem. » Hinc Christus volens Petrum Ecclesiæ pastorem constituere: « Petre, inquit, amas me? eoque respondente: Domine, tu scis quia amo te; » subjecit: « Pasce oves meas, » uti audiemus cap. ult.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. — « Animam, » id est vitam. Hæc pars, uti et illa vers. 3: « Proprias oves vocat, nominatim, » non tam parabolæ quam rei per parabolam significatæ convenit: pastor enim ovium pluris debet facere vitam suam, utpote hominis, quam suarum pecudum et bestiarum; potest tamen ipse oves suas tueri, uti et alia bona contra lupos et fures cum discrimine vitæ. Verum pastor animarum ex officio debet vitam suam temporalem periculo exponere, pro vita spiritali et salute fidelium sibi commissorum. Hinc tempore pestis tenetur eis assistere, vel providere de alio idoneo qui ægrotis Sacramenta administrat, uti fecit S. Carolus Borromæus, qui inde sanctitatis nomen adeptus est. Sic omnes Apostoli, uno excepto S. Joanne, pro fidelibus sibi commissis mortem oppetiverunt, et martyrium obierunt, æque ac omnes pene Pontifices Romani a S. Petro usque ad S. Sylvestrum per 300 annos. Horum omnium dux fuit Christus, qui solus, quasi optimus pastor, pro ovibus suis dedit vitam suam in redemptionis lytrum et pretium, cum cæteri omnes id fecerint ad fidei speculum duntaxat, et virtutis exemplum.

12. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves. — « Mercenarius; » Græce μισθωτός; Hebraice שכיר *sachir*, est qui pro mercede temporali oves pascit, unde non ovium bonum, sed suum lucrum quærit et spectat. Mercenarii, ait S. Augustinus, sunt, qui non ea quæ Christi et ovium, sed quæ sua sunt, quærunt. Sic et S. Basilius, orat. *De S. Mamante.* Porro Apostoli, licet oves non suas, sed Christi paverint, ab eoque mercedem spiritalem receperint, non tamen fuere mercenarii, quia non sua temporalia, sed Christi fidelium lucra spiritualia et æterna quæsiverunt. Unde S. Gregorius, *hom.* 14: « Non pastor, inquit, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit; terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur. »

Videt lupum venientem. — « Tranquillitatis enim

tempore, ait S. Gregorius, plerumque ad gregis custodiam sicut verus pastor, sic etiam mercenarius stat; sed lupus veniens indicat quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus enim super oves venit, cum quilibet injustus et raptor fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is qui pastor esse videbatur et non erat, reliquit oves et fugit; quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere ejus injustitiæ non præsumit. »

Fugit. — « Non mutando locum, ait S. Gregorius, sed subtrahendo solatium. Fugit, quia injustitiam vidit et tacuit. Fugit, quia se sub silentio abscondit. Quibus bene per Prophetam dicitur : Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini, » *Ezech.* XIII, 5.

Et lupus rapit. — « Lupus, » *primo*, est hæreticus; *secundo*, quivis sceleratus, qui fideles verbo vel exemplo rapere et pervertere studet; *tertio*, lupus est diabolus, ait S. Gregorius, « qui rapit oves, cum hunc ad luxuriam pertrahit, alium ad avaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit; hunc invidia stimulat, illum in fallacia supplantat. Quasi ergo lupus gregem dissipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat. Sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur; quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. »

Hinc per antithesin Christus colligendum relinquit, quod bonus pastor, dum vidit lupum venientem, non fugit, nec dimittit oves, sed pro iis stat et pugnat usque ad mortem, adeoque pro ovibus animam suam ponit, ut paulo ante dixi. Quando pastori in persecutione fugere liceat, quando non, dixi *Matth.* X, 23. Vide S. Augustinum, epist. 180 *ad Honoratum.* Liberalius hic utor verbis S. Gregorii, quia ipse rem hanc optime explicat, utpote quam per longam praxim et experientiam exactam optime callebat.

Vers. 13. 13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. — « Sola

Mercenarius quis? enim causa est, ait S. Gregorius, ut mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si aperte diceretur : Stare in periculo ovium non potest, qui in eo quod ovibus præest, non oves diligit, sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat. »

Hinc Arabicus vertit : *Mercenarius tantummodo fugit, quia mercede conductus est, et* (idcirco) *non habet curam de ovibus*, utpote alienis, non suis, nec ad se pertinentibus; Græce οὐ μέλει αὐτῷ, id est *non est ei cura de ovibus*; Vatablus, *oves non sunt ei curæ.* Nemo enim curat tam diligenter res alienas quam suas : quare vitam suam magis amat et curat mercenarius, quam oves alienas : veniente ergo lupo fugit, ut vitæ suæ consulat magis quam ovium.

14. Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas (*quas pasco*, ut addit Arabicus), et cognoscunt me meæ. — Idem repetit Christus, et confirmat ex conditionibus boni pastoris, quas sibi convenire ostendit, inter quas prima est, quod cognoscat oves suas, et cognoscatur ab ovibus. Per « oves, » ut dixi, intellige non solos prædestinatos, ut vult S. Augustinus et Beda, sed quoslibet fideles; hi enim sunt in ovili Christi, id est in Ecclesia. Hos ergo cognoscit Christus, non tantum divinitatis suæ, ut ait Cyrillus, sed et humanitatis suæ (Christus enim ut homo est pastor Ecclesiæ) providis benignisque oculis, ut sciat qui et quales sint ejus fideles, quæ eorum dotes, æque ac infirmitates : ut illas augeat, has curet et sanet. Agnoscit ergo eas tum speculative, tum practice, id est approbat, amat et sedulo curat eas eisque de omnibus providet abunde, ut dixi vers. 10, imo eas omnibus suis donis, beneficiis et gratiis cumulat.

Et cognoscunt me meæ, — oculis fidei, spei et charitatis, quia in me credunt, sperant meque summe amant. Τὸ *et* significat effectum, *q. d.* Quia ego agnosco et diligo oves meas; hinc vicissim oves me agnoscunt et diligunt, quia amantem sui redamant; magnes enim amoris est amor : si vis amari, ama. Efficax philtrum et illicium est amor. Ita Theophylactus. Ad hæc Christi amor erga nos causat amorem vicarium in nobis erga Christum, quia enim Christus amat nos, hinc inspirat nobis charitatem, qua ipsum redamemus. Hæc enim charitas summum est bonum, non Christi, sed nostrum, adeoque ipsa nos ad cœlum deducit et beatos efficit.

15. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem; — supple, sic pariter agnoscunt me oves meæ, et ego agnosco illas, uti præcessit : inde enim pendet hæc sententia et comparatio, quam indicat τὸ *sicut*, ut advertit Cyrillus, qui sic explicat, *q. d.* Sicut Pater agnoscit me Filium, quasi sibi proprium, ac vicissim ego agnosco Patrem, quasi mihi proprium; sic pariter ego agnosco fideles meos, et illi vicissim me agnoscunt. Hac comparatione significat Christus tum causam et originem, tum intentionem et magnitudinem agnitionis et amoris, qua suas oves, id est fideles, persequitur, *q. d.* Cognitio et amor immensus, quo Pater me prosequitur, et ego Patrem, est origo, fons et causa cognitionis et amoris, quo ego prosequor fideles, et illi me : tum quia amor divinus et increatus est fons omnis amoris humani et creati, tum quia Pater vult ut ego magno et insigni amore amem fideles, sicut ipse immense amat me, et ego illum; vult enim per me filium naturalem fideles meos adoptare, eosque facere sibi filios adoptivos : quare eos ut filios summe amat et diligit. Idem facio et ego, quia Patris amori et voluntati per omnia consentio et respondeo, imo idem mihi cum Patre est amor, sicut eadem est voluntas, natura et divinitas.



Adverte, τὸ *sicut* significare similitudinem, non æqualitatem. Nam Pater increato, ideoque infinito amore diligit Filium, æque ac Filius Patrem : Filius vero ut homo diligit fideles suos amore creato et finito, similique ab eis diligitur. Erit tamen quædam hic æqualitas, si cum Maldonato sic exponas et transponas, ut cum Christus dicit : « Cognosco oves meas, » loquatur ut Deus; cum vero dicit : « Novit me Pater, et ego agnosco Patrem, » loquatur de se ut homine. Nam quemadmodum Christus, tanquam Deus oves suas novit, oves autem ipsius, tanquam homines illum vicissim cognoscunt : ita Pater Filium, ut Deus hominem novit; et Filius ut homo Patrem suum recognoscit, et Deum suum, sicut et nos, appellat : « Ascendo, inquit, ad Deum meum, et Deum vestrum, » infra. XX, 17.

Et animam meam pono pro ovibus meis. — Refer hæc non ad proxime præcedentia, sed ad vers. 14 : « Ego cognosco oves meas : » cognosco practice, hoc est, amo oves vehementissime, *q. d.* Quia ego summe amo fideles, « et, » id est idcirco, « animam meam pono, » id est brevi ponam pro eis. Interposuit enim Christus τὸ *sicut novit me Pater*, ut originem et vehementiam amoris sui erga fideles, per amorem erga Patrem repræsentaret : nam hic amor stimulavit eum, ut animam suam pro ovibus poneret. Τὸ « pono » significat mortem Christo non fuisse coactam, sed voluntariam, electam et dilectam pro salute fidelium. Ita Leontius, idque exprimit Christus, vers. 18 : « Nemo, inquit, tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso. » Rursum « pono, » id est ad modicum tempus depono, puta ad tres dies animam meam deponam in limbo patrum, ita ut tertio die illam resumam, et gloriose resurgam. Mors ergo Christi non tam fuit mors, quam depositum animæ in limbo ad tres dies.

16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient. — « Alias oves » vocat, quæ needum in præsenti sunt, sed postea futuræ sunt oves, id est fideles per anticipationem. Τὸ « habeo » ergo ample accipitur extenditurque ad futurum : « habeo, » id est, brevi habebo. Gentiles intelligit, qui idola colebant, ideoque erant oves non Christi, sed Satanæ, quas Christus ex ovili Satanæ transtulit in ovile suum, id est in Ecclesiam suam, quam primitus ex Judæis collegerat. Prædicit ergo hic vocationem et conversionem Gentium, ut ostendat se fore regem et pastorem omnium gentium, æque ac hucusque fuerat Judæorum, ac proinde non curare si Judæi pauci sibi sint increduli et rebelles, cum in eorum locum surrogaturus sit gentes plurimas et numerosissimas. Ita Rupertus. Unde subdit : « Et vocem meam audient, » quo dicto tacite pungit Judæos, *q. d.* Scio Judæos plerosque in me non credituros : sed parvi hoc facio; nam eorum loco Gentes omnes avide « vocem meam » per ora Apostolorum loquentem audient illique obedient, et in me credent (1).

Et fiet unum ovile, et unus pastor. — Nonnulli vulgo sic explicant, *q. d.* Sub finem mundi Deus per Eliam omnes Judæos, et per Henoch omnes gentes simul ad Christum convertet, sicque ex utrisque, id est ex omnibus hominibus, fiet una Ecclesia, et unus pastor Christus, ejusque vicarius summus Pontifex; unde exspectant Pontificem, sub quo id futurum sit, qui proinde vocandus sit *pastor angelicus*, uti nominatur in catalogo Pontificum, quem obscure per symbola conscripsit S. Malachias : extat apud Arnoldum Wion, in Vita S. Malachiæ. Verum errant : nam nec Elias omnes Judæos, nec Henoch omnes Gentes ad Christum convertet. Erunt enim tunc multi infideles et asseclæ Antichristi. Porro, longe alia est mens Christi hic, nimirum hæc, *q. d.*, Post meam mortem et resurrectionem Apostoli spargentur per omnes gentes, illasque ad me convertent; quare tunc gentes, antea aversæ a Judæis, simul cum eis aggregabuntur Ecclesiæ meæ, quæ cœpit ex Judæis; tunc ergo fiet « unum ovile, » id est una Ecclesia collecta ex Judæis et Gentibus in me credentibus, et unus pastor, nimirum Christus ejusque vicarius Pontifex Romanus. Quare id non quasi adhuc futurum exspectatur, sed jam pridem factum est tempore Apostolorum, et tempore Constantini Magni, qui primus Christianus Imperator omnes pene gentes suo imperio subditas Christianas effecit. Graphice idipsum ob oculos ponit Apostolus, *Ephes.* II, toto cap.

17. Propterea me diligit Pater : quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. — Ne Judæi Christum, eo quod sese pro ovibus suis moriturum dixerat, contemnant quasi mortalem et in cruce moriturum, occurrit Christus hanc mortem sibi in optatis esse et gloriosam fore, eo quod ex amore et obedientia Patris eam sponte sit obiturus, ideoque a Patre diligendus, honorandus et exaltandus, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, *Philip.* II, *q. d.* Mors crucis mihi est dilecta et electa, quia eadem est dilecta et electa a Patre. Pater enim decrevit me crucifigi et mori pro salute hominum, mihique jussit crucem et mortem hanc capessere. Quare ego ipsi obediens, ex ejus amore ultro eam capesso. Idcirco me tam — Christus quomodo ponat animam ut iterum sumat eam?

(1) Haud pauci e Rationalistarum schola, v. g. Paulus, in *Commentar.*, pag. 512, contendunt per *oves alias* intelligendos esse *Judæos extra Palæstinam viventes*, itaque Jesu consilium Ecclesiam in toto orbe terrarum efformandi e Judæis Gentibusque mixtam, quæ caput habeat unum et solum Christum, custodem pastoremque unicum, negare conantur : quos docte confutatos videas apud Kuinoelium ad h. l.

sui amantem sibique in re tam ardua obedientem summe diligit Pater, ideoque summe me exaltabit et glorificabit.

Pono animam. — « Animam » proprie accipe cum S. Augustino, Beda et aliis, qui hinc contra Apollinarium negantem in Christo fuisse animam creatam, eo quod loco animæ esset ipsa Verbi divinitas, probant vere in Christo fuisse animam humanam. Alii per « animam » accipiunt vitam metonymice; hanc enim causat anima unita corpori. Eodem ergo uterque sensus redit.

Ut iterum sumam eam. — Τὸ ut refer ad pono, q. d. Animam meam non perdo, non interimo, non annihilo, sed ad breve tempus pono, ut tertio die resurgens iterum sumam eam. Cyrillus vero refert ad τὸ diligit Pater, q. d. Propterea diligit me Pater, quia non solum pono animam meam pro ovibus meis, sed etiam quia iterum sumo eam, id est non solum quia morte mea oves meas libero, sed etiam quia resurgendo vivifico. « Traditus est, inquit D. Paulus, propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram, » Rom. iv, 25.

18. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso. — Explicat et confirmat quod dixit: « Ego pono animam meam, » q. d. Nemo animam, id est vitam, tollit a me per vim ab invito, sed ego sponte eam pono pro salute hominum, puta « a meipso, » id est, mea voluntate, ut vertit Arabicus, et libertate: licet enim Judæi me per vim occisuri sint, tamen hæc vis eorum nil contra me valeret, nisi ego sponte illam admitterem. Rursum admissa eorum vi, in mea adhuc potestate et libertate est mori, vel non mori. Possum enim mea divinitate ita fulcire et roborare corpus meum, ut nullis clavis, plagis, flagellis, quin et vulneribus sponte acceptis possit interimi; perinde ut fulcio corpora Beatorum, eaque reddo impassibilia. Ita Toletus. Hinc Christus in cruce clamans exspiravit, ut ostenderet se sponte et libere mori, cum adhuc vivere posset, si vellet; qui enim habebat vires ad clamandum, habebat etiam vires ad adhuc vivendum. Unde centurio videns quod clamans exspirasset, dixit: « Vere Filius Dei erat iste, » Matth. xxvii. Hinc et Christus habuit superiorem quamdam et excellentem voluntatem, ut posset cum vellet morti tradi, non ante, inquit Suarez, III part., Quæst. XX, art. 2.

Et potestatem habeo ponendi eam (per mortem voluntariam et liberam): et potestatem habeo iterum sumendi eam, — per potentem et gloriosam resurrectionem, quam faciet anima mea beata, per vim divinitatis sibi hypostatice conjunctæ. Significat ergo hic Christus se esse Deum æque ac hominem; ut homo enim ponit animam, ut Deus illam resumit. Ita Cyrillus.

Hoc mandatum accepi a Patre meo. — Arabicus præponit quia. Dat enim Christus causam cur positurus sit animam, seseque facturus victimam pro salute mundi; scilicet quia id ei erat mandatum a Patre, ne Judæi, vel quis alius ei objiciat: Tu ex te assumpsisti hoc officium et dignitatem, ut habearis et colaris quasi mediator, Messias et salvator mundi.

Hinc patet Christum accepisse a Patre mandatum durum et grave, patiendi scilicet et moriendi in cruce, indeque die tertia resurgendi. Unde Apostolus, Philip. ii: « Factus est, inquit, obediens (Patri mandanti; obedientia enim proprie dicta præsupponit præceptum, imo ejus est correlativum; nam obedientia est rei præceptæ obedientia, ac vicissim præceptum est obedientiæ præceptum: hoc enim est formale obedientiæ objectum) usque ad mortem, mortem autem crucis. » Ita S. Augustinus, tract. 82; Cyrillus et S. Ambrosius, lib. V De Fide, cap. v; S. Thomas, Suarez et Theologi, III part., Quæst. XX, art. 2, et Quæst. XLVII, art. 2. Porro hoc mandatum physice non determinabat voluntatem Christi ad illud implendum, quare illam in se indifferentem et liberam relinquebat; sed ad personam Verbi pertinebat, voluntatem Jesu prævenire tot tantisque gratiæ auxiliis, quibus ipsam libere consensuram et mandatum impleturam præsciebat: atque hoc respectu, scilicet ob custodiam Verbi continuam, humanitas Christi dicitur impeccabilis extrinsece, non quod Verbum illam prædeterminaret, sed quod congrua illi auxilia suggereret, quibus prævidebat illam libere præceptum facturam. Per hanc enim præscientiam futurorum conditionalium optime salvatur libertas Christi, uti fuse docet Suarez, III part., Quæst. XVIII. Atque hac tam generosa obedientia in re adeo difficili Christus meruit nobis salutem et sibi gloriam, ut ibidem asserit Apostolus. Hoc Dei Patris mandatum, et hanc Christi obedientiam tibi ob oculos pone, o Religiose, cum tibi a superiore quid difficile et arduum imperatur. Præclare R. Juda, in Pirke Avoth, cap. v: « Esto, inquit, audax ut leopardus, agilis ut aquila, celer ut hinnulus, animosus ut leo, ut exequaris voluntatem Dei Patris tui, qui in cœlis est. »

20. Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, et insanit: quid eum auditis? 21. Alii dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis, numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? « Dæmonium habet: » quia superbit ut Lucifer, dum ejus instinctu patrem suum facit Deum, seque Filium Dei constituit.

Insanit. — Syrus, insaniendo insanit, id est summe delirat et insanit, dum se ait animam ponere, id est sponte mori, cum videamus eum vivere; et nemo sponte moriatur, sed necessitate naturæ, vel vi illata coactus. Porro Christus ad hæc probra et calumnias non respondit, tum quia indigna erant responso, tum quia jam ante iis responderat, tum quia permisit alios sibi faventes pro se respondere, ut sequitur; aliis enim magis creditur, quam sibi de seipso testanti. Ita Theophylactus.



22. Facta autem sunt Encænia in Hierosolymis; et hiems erat. — « Encænia, » Syrus, festum Encæniorum, hoc est, festum dedicationis templi, cum scilicet novum (καινὸν enim est novum: unde ἐγκαινίζειν est renovare, dedicare, initiare: unde Encænia idem sunt quod renovalia vel initialia) templum Deo dicatum est, sive primitus ædificatum a Salomone, III Reg. viii, ut vult Cyrillus; sive reædificatum a Zorobabele, post reditum a captivitate Babylonica, I Esdræ vi, 16, ut opinantur S. Chrysostomus, Theophylactus, Leontius, Euthymius, sive (quod longe verius est) rursum dedicatum a Juda Machabæo. Hic enim templum profanatum et ex parte dirutum ab Antiocho Epiphane, rursus consecravit et dedicavit, I Machab. iv, 59, jussitque hujus dedicationis memoriam, et festum solemne quotannis per octo dies renovari et celebrari die 25 mensis Casleu, id est decembris; Casleu enim incidebat partim in novembri, partim in decembri. Unde sequitur: « et hiems erat. » Hoc festum celebrabatur magna populi lætitia, ob restitutam Hebræis a Juda cum templo religionem et libertatem. Unde et « festum Luminum » vocabatur, ait Josephus, lib. XII Antiq., cap. ii, præsertim quia eodem die celebrabant festum dati, id est cœlitus restituti, ignis, quo cremari solebant victimæ, ut patet II Machab. i, 18. Quare omnia quæ narravit Joannes a cap. vii, 2, hucusque, contigerunt duobus mensibus, scilicet octobri et novembri, puta a festo Scenopegiæ, ut ibi dicitur, id est Tabernaculorum, quod celebrabatur in fine septembris, usque ad festum Encæniorum, quod celebrabatur in decembri: inde vero usque ad sequens Pascha in Nisan, sive martio, supersunt tres circiter menses, quibus Christus omnia gessit, quæ deinceps usque ad finem libri narrat Joannes hic, et Lucas a cap. xv usque ad finem Evangelii.

Tropologice: Encænia hæc significabant renovationem animæ peccato pollutæ, quæ per pœnitentiam rursus se sanctificat et consecrat Deo. Vide Riberam, lib. IV De Templo, xvii.

Et hiems erat. — Hoc dicit Evangelista, ait Theophylactus, ad significandum proximum tempus passionis; in vere enim sequenti passus est Dominus. Addit Cyrillus hoc dici, ut significetur causa cur Jesus ambularit in porticu; quia scilicet hiems erat tempusque frigidum, vel pluvium: quare Jesus non in atrio, quod erat sub dio, sed in porticu superne tecta ambulabat, ut ab injuriis aeris se defenderet. Mystice per hiemem, ait Glossa, significatur Judæorum frigiditas, qui non accedunt ad ignem, id est in Christum non credunt. Audi S. Augustinum: « Judæi frigebant diligendi charitate, et ardebant nocendi cupiditate; non accedebant prosequendo, sed premebant persequendo. » Et Theophylactum: « Tu etiam, inquit, dum hiems est, id est vita præsens turbinibus iniquitatis concutitur, spiritualia encænia templi tui celebra, renovando teipsum semper, et ascensiones in corde tuo disponens, eritque tibi Jesus præsto in porticu Salomonis, pacificum statum tribuens. » Sic et S. Gregorius, lib. II Moral., ii.

23. Et ambulabat Jesus in templo, — hoc est, in porticu templi, ut sequitur. Porticus enim templi est pars extima templi, ideoque templum vocatur.

In porticu Salomonis. — q. d. Cum dico Jesum ambulasse in templo, intelligo non ipsum templum (in templo enim non decet ambulare), sed porticum templo adjacentem. Quæres, quænam fuit hæc porticus? Nota: Templum Judæorum proprie duas habebat partes: prior dicebatur hebraice Hechal, latine Sanctum, in quo soli versabantur sacerdotes, in eaque tria munia peragebant; scilicet primo, quotidie mane et vespere adolebant Deo thymiama in altari thymiamatis; secundo, accendebant septem lucernas, quæ erant in candelabro; tertio, quovis sabbato novos panes duodecim, juxta 12 tribus, ponebant coram Domino, in mensa panum propositionis, et veteres auferebant. Posterior hebraice dicebatur דביר debir, latine oraculum et Sanctum Sanctorum, in quod solus pontifex semel in anno ingrediebatur, puta in festo Expiationis, ut præscribitur Levit. xvi. Cum ergo utraque pars templi solis sacerdotibus prognatis ex tribu Levi pateret, Christus autem non fuerit sacerdos oriundus ex Levi, sed ex tribu Juda; hinc sequitur Christo non licuisse ingredi templum, hoc est Sanctum, multo minus Sanctum Sanctorum.

Porro, ante templum hoc bipartitum, erat אילם ulam, id est atrium vel vestibulum, sub dio, pariter bipartitum. Prior enim ejus pars vicina Sancto, erat atrium sacerdotum, in quo sacerdotes offerebant victimas in altari holocaustorum. Posterior ejus pars erat atrium exterius, contiguum atrio interiori sacerdotum, vocabaturque atrium laicorum; in quo scilicet populus orabat et spectabat sacrificia, quæ fiebant in atrio sacerdotum: unde hoc atrium erat templum populi, in eoque versatus est et docuit Christus. Hoc atrium a latere circumcirca habebat porticus superne tectas, ad quas populus tempore pluviæ, venti, grandinis etc., se reciperet, uti patet III Reg. vi, 3. Has porticus hic vocari porticum Salomonis, censet Ribera, lib. I De Templo, cap. vi, Adrichomius et alii, q. d. Joannes: Christus ambulabat in templo, at non in ipso atrio templi, sed in porticu, quæ cingebat atrium.

Alii cum Vilalpando, Maldonato et aliis verisimilius (1) opinantur peculiarem hanc fuisse porticum, quæ dicta sit Salomonis, eo quod Salomon

(1) Imo vere. Hieme densior erat multitudo in porticu: quam occasionem captant Jesu inimici. Tales enim fuisse qui hoc loco Christum circumdedisse narrantur, eosque simulasse tantum se cupiditate flagrare ipsum Messiam agnoscendi, ex ipsa Christi responsione agnoscitur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

diu post ædificatum templum, complanato montis clivo, ad partem orientalem templi porticum hanc ædificarit, teste Josepho, lib. VI *Belli*, cap. VI, qui ait Salomonem montem Sion, in quo erat templum, muro cinxisse, et planitiem aggere munivisse, ac in planitie porticum exstruxisse. Dicta ergo fuit *Salomonis*, non quod in ea Salomon soleret orare, ut vult Interlinearis, sed ad distinctionem aliarum porticuum, quas alii deinde, ac præsertim Herodes, templo adjecerunt: sive ipsa porticus a Salomone ædificata, reliquo templo a Chaldæis combusto, sola superstes manserit, ut censet Baronius et alii; sive quod eodem loco, et eadem forma et modo, reædificata sit, quo primitus a Salomone fuerat constructa. Plura de hac porticu dixi, *Act.* III, 11.

24. Circumdederunt ergo eum Judæi (Judæorum Scribæ et principes Christo infensi), et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? — Syrus, *retines?* Arabicus, *affligis?* hoc est, quousque nos tenes suspensos, dubios et ambiguos. Sic enim nos affligis; videris enim mentem nostram suspendere, dum mentis nostræ cogitationes et curas tenes in suspenso. Optamus enim videre Messiam, ac cupimus ut tu sis teque Messiam esse profitearis. Fingunt enim se id cupere, ut confessionem ex ore Christi eliciant, quam calumnientur. Nam, ut ait S. Augustinus, non veritatem desiderant, sed calumniam præparant, ut accusent eum quod se faciat Messiam. Sic et Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius; sed Christus, ait Glossa, sic responsionem temperat, ut nec calumniæ locus sit et fidelibus constet ipsum esse Christum Dei Filium.

Si tu es Christus, dic nobis palam. — Græce παῤῥησίᾳ, id est libere, fidenter, clare, ut te pro Messia nostro publice omnes colere et venerari possimus. Ita isti hypocritæ et insidiatores Christi, de quibus vere prædixit David: « Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me, » *Psalm.* XXI, 17. Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis, » *Psal.* CXVII, 12. Nam, ut ait Chrysostomus, Christus palam omnia dicebat, et nihil occulte loquebatur. Unde S. Augustinus: Quærebant, inquit, audire: Ego sum Christus: quod si diceret, calumniarentur, quasi sibi arrogaret regiam potestatem.

25. Loquor vobis, et non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. — *q. d.* Palam et clare dixi vobis me esse Messiam, sed vos mihi non creditis; unde dixistis, cap. VIII, 13: « Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. » Porro ego id quod de me dixi, scilicet me esse Messiam, operibus Dei et miraculis confirmavi et assidue confirmo; hæc enim ego facio « in nomine, » id est auctoritate, voluntate, jussu, vi et potentia supernaturali Dei Patris: quare illa testimonium perhibent de me, quod ego sim Dei Patris Filius, ab eo quasi Messias missus et legatus in terram; sed vos in perfidia obstinati, operibus hisce non creditis, imo ea esse opera diaboli calumniamini; quomodo ergo verbis meis credetis? Ita Chrysostomus.

26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. — Quia scilicet non vultis mihi quasi pastori subjici, non vultis mei esse fideles et discipuli, non vultis me pro vestro Messia et Salvatore agnoscere; sed ipsi vultis me vobis subjicere, ac mei esse non pastores, sed superiores, censores et calumniatores. Ambitio ergo est, quæ facit vos mihi invidere primatum Ecclesiæ, ideoque mihi credere nolle. S. Augustinus per « oves » accipit prædestinatos, *q. d.* Vos non creditis, quia non estis prædestinati, sed reprobi. Verum hæc causa non est propria, nec adæquata: non propria, quia reprobatio Dei non est causa, sed potius effectus infidelitatis et peccati. Non enim quia Deus reprobaverat Judæos, ideo ipsi erant infideles, et peccabant; sed quia ipsi volebant esse infideles et peccare, ideo fuere a Deo reprobati. Non adæquata, quia multi ex Judæis erant prædestinati, qui tamen tunc non credebant in Christum, sed postea prædicante Petro et Apostolis, *Act.* II, in eum crediderunt. Rursum nonnulli tunc credebant in Christum, qui tamen non erant prædestinati, quia postea vel a fide, vel a charitate per peccatum exciderunt, uti excidit Judas, Nicolaus Antiochenus et alii.

27. Oves meæ vocem meam audiunt. — Christus Judæis subsumendum relinquit: vos autem vocem meam non auditis, ergo non estis ex ovibus meis. Hoc enim probare intendit. Vide dicta vers. 4.

28. Et ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. — Duplices sunt oves Christi: *primo*, omnes fideles et Christiani; *secundo*, omnes et soli prædestinati electique ad gloriam. Iis secundis proprie competunt hæc verba Christi; priores enim, puta fideles omnes, sunt oves Christi gregales et communes, e quibus multi pereunt et damnantur. Ita S. Augustinus. Ostendit, ait, quare non pereant; de ovibus enim de quibus dicitur: « Novit Dominus qui sunt ejus, » nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Posteriores ergo sunt oves Christi, e grege fidelium selectæ et singulares, e quibus nullus perit, sed omnes salvantur: de prioribus tamen quoque ait Christus: « Ego vitam æternam do eis, » quantum scilicet ex me est; quia nimirum promitto eis vitam æternam, meamque opem et gratiam, omniaque necessaria ad illam ipsis offero, optoque ut salventur. Quod ergo nonnulli ex eis pereant et damnentur, non mea, sed ipsorum est culpa, qui me audire gratiæque meæ cooperari nolunt. Nam nec diabolus, nec quis alius tam potens est, ut eas rapere possit de manu mea, si ipsi in ea permanere velint nolintque rapi. Gratia enim mea, quam eis do, tam potens



est et valida, ut, si ei cooperari usque ad finem vitæ velint, nemo eos possit a me abripere; sed si ipsi libere me relinquant, non est hic raptus, sed liber eorum abitus, apostasia, discessus. Ita Cyrillus, Leontius, Theophylactus, Maldonatus. Vult enim dicere Christus, nullam esse tantam vim, quæ fideles a se abstrahere et abripere possit, esto ipsorum libertatis sit posse a Christo abire eumque deserere.

« Ego » ergo omnibus ovibus, id est Christianis, « do vitam æternam, » videlicet quantum est ex parte mea, si nimirum ipsi oves meæ maneant, ac in fide et obedientia mea persistant. « Do eis, inquam, vitam æternam, » in hoc sæculo per gratiam in spe, reipsa daturus in futuro per gloriam. Hac enim promissione invitat Judæos ut velint esse oves, id est fideles sui, ac redarguit eos quod oves suæ esse nolint.

Denique fideles sunt « in manu, » id est tutela, protectione, providentia, benevolentia, beneficentia Christi; horum enim omnium symbolum est manus. Hinc « *manus*, ait S. Isidorus, lib. XI *Etymol.*, cap. I, dicitur, quod sit totius corporis *munus*. Ipsa enim cibum ori ministrat, ipsa operatur omnia atque dispensat, per eam accipimus et damus. »

29. Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est (ita legendum cum Romanis, S. Augustino, Ambrosio, Tertulliano, Ruperto, Beda; licet Græca et Syrus habeant μείζων, id est *major*): et nemo potest rapere de manu Patris mei. — Probat Christus neminem posse oves rapere de manu sua. Quia, inquit, id quod gignendo dedit mihi Pater, puta natura divina, ejusque omnipotens vis et potestas, omnibus rebus creatis, etiam angelis et dæmonibus, est major, ac proinde sicut nemo potest eas rapere de manu Patris, sic nec de mea, quia eadem est manus, id est vis et potestas Patris et mea. Ita S. Augustinus, Beda, Maldonatus hic, et S. Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. XVIII; Hilarius, lib. VII *De Trinit.*, et Tertullianus, lib. *Contra Praxeam*. Opponit Christus hoc Judæis, qui eum putabant merum esse hominem, *q. d.* Vos me contemnitis, quasi nil habeam nisi naturam humanam vobis communem, quam dedit mihi mater mea; sed scitote Patrem æternum mihi insuper dedisse naturam et hypostasim divinam, quæ omni natura humana, angelica et creata longe major, sublimior et potentior est.

Aliter alii, *q. d.* Ecclesia ovesque, id est fideles, mihi a Patre commissæ, sunt majus quid rebus cæteris, id est pluris faciendæ sunt quam quidvis aliud, quas sicut nemo rapere potest de manu Patris, sic nec de mea. Sed prior sensus uti sublimior, sic et nervosior est.

Porro, Græci et Syrus legunt, *Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus est*, idque sic exponit Cyrillus, *q. d.* Pater meus, qui omnium rerum est Dominus, omniaque regit et gubernat, mihi filio suo incarnato dedit, id est commisit, curam ovium, id est fidelium; mihi, inquam, qui sum vita, ut eamdem vitam gratiæ et gloriæ eisdem communicem. « Pater » autem « major omnibus est: » unde nemo potest oves rapere de manu Patris, ac consequenter nec de mea, quia eadem est potestas Patris et mea, qua Deus sum; qua homo vero, manus mea fulcitur omnipotenti manu Patris. Unde Interlinearis « de manu » exponit *de me, qui sum manus Patris*. Nam, ut ait Augustinus, solent homines dicere manus suas illos per quos faciunt quod volunt. Et sic utraque lectio et expositio eodem redit.

30. Ego et Pater unum sumus, — non tantum voluntatis concordia et consensu, uti volunt Ariani, sed *unum* in essentia et deitate, eadem numero, non specie; alioqui enim plures essent dii. Loquitur enim Christus hic, qua Deus est, et Verbum Patris: unde S. Athanasius, Augustinus, Cyrillus, Basilius, Ambrosius cæterique Patres hinc probant Filii divinitatem contra Arianos. Et ita intellexerunt Judæi, qui idcirco voluerunt Christum lapidare, ut sequitur, quasi blasphemum, eo quod se faceret Filium Dei Deoque Patri æquaret. Ita quoque exposuit Christus, quia cum Judæi ob hoc ejus dictum vellent eum lapidare, confirmans illud, respondit quod « Filius Dei sum. » Denique id patet ex argumentatione Christi: Christus enim probat neminem posse oves rapere de manu sua, ex eo quod nemo possit eas rapere de manu Dei Patris, eo quod ipse et Pater unum sint, *q. d.* Quia unum sum cum Patre in essentia, hinc eamdem cum eo habeo manum, id est potestatem et omnipotentiam; ubi enim eadem est essentia, ibi eadem quoque est potentia. Ergo nemo potest rapere oves de manu mea, quia manus mea est manus Patris, de qua nemo eas rapere prævalet. Ita S. Hilarius, lib. VIII *De Trinit.*: Unum sunt, inquit, Pater et Filius, non solum voluntate et unanimitate, ut dicunt hæretici (quomodo dicitur de fidelibus, cap. XVII: « Ut sint unum, sicut et nos unum sumus »), sed natura, honore et virtute. Et S. Augustinus: A Charybdi, inquit, et Scylla liberat: cum dicit, « unum, » ab Ario; cum dicit « sumus, » a Sabellio; « unum » enim significat unitatem essentiæ, « sumus » pluralitatem personarum, quam negabat Sabellius, dicens Deum esse unum in persona, sicut est unus in essentia. Idem Augustinus, lib. VI *De Trinit.*, cap. II: « Unum sunt, inquit, secundum essentiam, non secundum relationem, quæ constituit personam. » Vide Bellarminum, lib. I *De Christo*, cap. VI.

31. Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum, — quasi blasphemum, eo quod se faceret Dei Filium, ideoque Deum. Ecce hic produnt Judæi suam hypocrisim, malignitatem, livorem et odium in Christum, quodque non sincere, sed ficte et insidiose rogarint eum, ut palam ediceret se esse Christum. Sed Christus, quia Deus, Vers. 31. Jesum lapidare volunt Judæi.

continuit eorum mentes et manus, ne lapides, quos tenebant, in eum jacerent. Apte S. Augustinus more suo : «Duri, inquit, ad lapides cucurrerunt.» Mystice S. Hilarius, lib. VII *De Trinit.* : «Et nunc, inquit, hæretici verborum lapides injiciunt, et Christum de throno suo, si possent, detraherent : instigati nimirum a Lucifero, qui thronum hunc divinitatis ambivit, ideoque eum Christo invidet, et per hæreticos auferre satagit.»

32. RESPONDIT EIS JESUS : MULTA BONA OPERA OSTENDI (id est exhibui, præstiti, uti dixi cap. V, vers. 20) VOBIS EX PATRE MEO : PROPTER QUOD EORUM OPUS ME LAPIDATIS? — «Respondit,» non verbis, utpote quæ nulla præcesserunt, sed intentioni et machinationi Judæorum. «Respondit» ergo, id est interrogavit (est catachresis) qua de causa, sive propter quod opus vultis me lapidare? «Opera» vocat miracula, quæ auctoritate et ope supernaturali Dei Patris fecerat, cæcos illuminando, energumenos sanando, mortuos suscitando, etc. Ubi tacite arguit pungitque eorum ingratitudinem et malignitatem, *q. d.* Ego vestros cæcos, claudos, ægros omni ope humana destitutos virtute divina curavi, cur ergo, vos ingrati, tot beneficiis meis rependitis maleficia, neque vultis lapidare?

33. RESPONDERUNT EI JUDÆI : DE BONO OPERE (propter bonum opus) NON LAPIDAMUS TE, SED DE BLASPHEMIA; ET (id est) QUIA TU HOMO CUM SIS, FACIS TEIPSUM DEUM. — Ecce Judæi, ait S. Augustinus, intellexerunt quod Ariani non intelligunt. Senserunt enim non posse dici : «Ego et Pater unum sumus,» nisi ubi æqualitas est Patris et Filii.

34. RESPONDIT EIS JESUS : NONNE SCRIPTUM EST IN LEGE VESTRA (id est in veteri Scriptura sive Testamento, nimirum *Psal.* LXXXI, 6), QUIA EGO DIXI : DII ESTIS? — «Dii,» hebr. *Elohim*; *Elohim* enim est plurale, et tam Deum quam Deos significat. Dicitur enim Deus *Elohim*, quatenus orbem regit et gubernat, ac quatenus judex est scelerumque vindex et ultor. Unde angeli et judices, qui hanc potestatem regendi et judicandi a Deo accipiunt et participant, vocantur *Elohim*, *Psal.* LXXXI, 6. Hi ergo vocantur dii, non natura, nec unione hypostatica, ut Christus, sed participatione eminentiæ et judicii divini. Sic *Exodi* VII, 1, ait Deus Mosi : «Constitui te Deum Pharaonis,» *Deum*, id est principem, castigatorem et vindicem vice Dei. Et *Exodi* XXII, 28 : «Diis,» id est judicibus, «non maledices.» Et *Psal.* VIII, 6 : «Minuisti eum paulo minus ab Angelis;» Hebr. *ab Elohim*. Sed tunc, ut advertit S. Hilarius, lib. VII *De Trinit.*, ex adjunctis nomen *Elohim* limitatur, ut appareat illud non Deum, sed angelos vel judices significare, ut hoc *Psal.* LXXXI, limitatur, ex eo quod additur : «Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat.» Dii ergo qui judicantur, sunt homines vel angeli; qui vero eos dijudicat, solus est Deus, unus et verus, sicut hic Christus quasi Deus, Pharisæos et principes Judæorum, qui quasi quidam terrestres erant dii, velut summus judex dijudicat, examinat et coarguit, ait S. Augustinus. Atque ut hoc innueret Christus, hac de causa locum hunc psalmi præ aliis citavit; Hebr. enim *Psal.* LXXXI, sic habetur : «Elohim judicat elohim,» id est Deus, qui per essentiam est *Elohim*, id est gubernator et judex omnium, judicat *elohim*, id est judices, quibus divinam suam potestatem regendi et judicandi communicavit, *q. d.* Summus et cœlestis Elohim judicat inferiores et terrestres elohim, id est judices et principes. Unde Chaldæus vertit, *Deus cujus majestas commoratur in congregatione justorum, qui potentes sunt in lege, in medio judicum in veritate judicat*. Idem Chaldæus, *Psal.* LXXXI, 6, pro «Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes,» vertit, *estis sicut angeli Dei excelsi* : quod proprie de judicibus dicitur; potest tamen extendi ad omnes Israelitas et fideles, uti extendit ibidem S. Augustinus. Hi enim sunt filii Dei. Nam alibi ubi *Elohim* absolute ponitur, nec ex adjunctis limitatur, significat Deum unum et verum.

*Elohim Hebræum quid?*

Christus ergo hic, ait Chrysostomus, non destruit opinionem Judæorum existimantium quod ipse se Deo parem diceret, sed magis confirmat.

35. SI ILLOS DIXIT DEOS, AD QUOS SERMO DEI FACTUS EST (quos sermo Dei judices constituit, id est quibus Deus suo sermone et jussu auctoritatem judicandi dedit per Mosen ejusque successores; item proprie, ad quos sermo Dei factus est illo *Psal.* LXXXI, quo mandat Deus judicibus ut recte judicent, quasi participantes suam auctoritatem, suique vicarii, ideo dii quidam terræ : ita Euthymius), ET NON POTEST SOLVI (irritari, fieri falsa et mendax) SCRIPTURA. — *q. d.* Nemo potest irritare et auferre a judicibus nomen deorum, quod Scriptura divina et irrevocabilis eis dedit.

36. QUEM PATER SANCTIFICAVIT, ET MISIT IN MUNDUM (me scilicet), VOS DICITIS : QUIA (quod) BLASPHEMAS, QUIA DIXI : FILIUS DEI SUM. — Est argumentum non a pari, ut volunt Ariani, sed a minori ad majus, *q. d.* Si judices, qui participant potestatem Dei, vocantur dii, quanto magis ego vocandus sum Deus, qui sum Filius Dei naturalis, ab eo sanctificatus missusque in mundum.

Acutius quam germanius S. Augustinus et Beda censent in eo quoque argumenti vim esse, quod dicat : «Ad quos sermo Dei factus est,» quasi diceret : Si illi, qui sermonis Dei participes fuerunt, Scriptura teste, «quæ solvi,» id est mentiri, «non potest,» dii merito vocati sunt; quanto magis ego, qui non sermonis Dei particeps, sed ipse Dei sermo sum, Deus vocari possum.

Nota : Τὸ *quem Pater sanctificavit*, primo idem est quod cui Pater sanctitatem, qua ipse sanctus est, communicavit, sive cui Pater gignendo ut sanctus esset dedit, quia sanctum genuit, ait S. Augustinus. Nam sanctus Deus Pater genuit sanctum Deum Filium. Sic et Beda, Toletus et





alii : Filius ergo est sanctus per generationem et essentiam.

*Secundo*, Christum, qua homo est, Pater sanctificavit per unionem hypostaticam; per hanc enim præcise summe sanctificata est humanitas Christi : hoc ipso enim quo hypostasis Verbi, quæ ipsa est sanctitas increata et infinita, humanitatem assumpsit sibique hypostatice copulavit, eam plane sanctificavit. Ideoque sanctitatem eximiam charitatis, gratiæ omniumque virtutum animæ ejusdem infudit. Ita S. Hilarius : Jesus, ait, sanctificatus est in Filium, dicente Paulo quod «prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis.» Sic et S. Chrysostomus et S. Athanasius, lib. *De Incarnatione Verbi*, sub initium : «Sanctificavit» ergo idem est quod «signavit,» uti dixi cap. VI, vers. 27.

*Tertio*, Theophylactus : «Sanctificavit,» inquit, hoc est, sanxit sacrificari pro mundo, in quo se ostendit non esse Deum ut cæteri; salvum enim facere mundum, Dei opus est, non autem hominis deificati per gratiam. Simili modo ait Christus, cap. XVII, vers. 19 : «Pro eis ego sanctifico (id est sacrifico, et in sanctam victimam offero) meipsum.»

*Quarto*, Maldonatus : «Sanctificavit,» inquit, hoc est, designavit et destinavit ad officium Salvatoris, ut homines sanctificaret et salvaret, ut alludat ad *Jerem.* I, 5 : «Antequam exires de vulva, sanctificavi te;» hoc est, destinavi te Prophetam. Unde explicans, subdit : «Et Prophetam in Gentibus dedi te;» quanquam et alius sit germanior illius loci sensus, ut ibi dixi.

37. SI NON FACIO OPERA PATRIS MEI, NOLITE CREDERE MIHI. — Identidem Christus appellat ad opera sua, id est miracula quæ faciebat jussu et potestate supernaturali Dei Patris; hæc enim, utpote divina, evincebant ipsum esse Dei Filium, a Deo missum ad mundi salutem.

38. SI AUTEM FACIO, ET SI MIHI NON VULTIS CREDERE, OPERIBUS CREDITE, UT COGNOSCATIS, ET CREDATIS QUIA PATER IN ME EST (tam divina operans), ET EGO IN PATRE, — per eamdem deitatem et omnipotentiam quam ab eo accepi. Unde S. Augustinus, Cyrillus, Leontius, Beda et Euthymius censent τὸ «Ego in Patre, et Pater in me est,» idem esse cum τῷ «Ego et Pater unum sumus.» Audi S. Augustinum, *tract.* 48. Non possumus dicere : «In Deo sumus, et Deus in nobis. Ego et Deus unum sumus, numquid possumus dicere? In Deo es, quia Deus continet te : Deus est in te, quia templum Dei factus es; sed numquid, quia in Deo es, et Deus est in te, potes dicere : Qui me videt, Deum videt, quomodo Unigenitus dixit : Qui me videt, videt et Patrem; et Ego et Pater unum sumus? Agnosce proprium Domini, et munus servi. Proprium Domini est æqualitas Patris, munus servi est participatio Salvatoris.»

39. QUÆREBANT ERGO EUM JUDÆI APPREHENDERE; ET EXIVIT DE MANIBUS EORUM, — ut eorum furor, ait Chrysostomus, per absentiam sedaretur. Acute, sed symbolice S. Augustinus : «Non apprehenderunt, inquit, quia manus fidei non habuerunt.» Exivit autem virtute divina, faciendo se invisibilem, uti fecit, cap. VIII, vers 59.

40. ET ABIIT ITERUM TRANS JORDANEM, IN EUM LOCUM, UBI ERAT JOANNES BAPTIZANS PRIMUM, — puta in Bethania, sive Bethabara, ubi Christus a Joanne fuerat baptizatus : nam postea Joannes baptizavit in Ænnon, juxta Salim, cap. III, vers. 23, et crebro mutans locum, alias Jordanis regiones baptizando obivit, ut dixi superius. Secessit Christus in Bethabara, ut turba ipsum eodem secutura, recordaretur testimonii quod ibidem ipsi perhibuerat Joannes, scilicet ipsum esse Messiam, æque ac testimonii Dei Patris in ejus baptismo intonantis : «Hic est Filius meus dilectus,» *Matth.* III, itaque in eum crederent, uti et factum esse patet ex vers. sequent. Ita S. Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius.

ET MANSIT ILLIC, — donec imminente Paschate et passione sua, rediit in Judæam et Jerusalem, ibique suscitavit Lazarum : unde Scribæ et principes irritati, eum ceperunt et crucifixerunt, uti patebit cap. sequenti.

41. ET MULTI VENERUNT AD EUM, ET DICEBANT : QUIA (quod) JOANNES QUIDEM SIGNUM FECIT NULLUM. — *q. d.* Et tamen credidimus ei. Ergo multo magis debemus credere Jesu dicenti se esse Messiam, qui id probat per tot signa et miracula. Ita Chrysostomus.

Est altera ratio, quæ persuasit hisce credere in Christum; nimirum quod reipsa deprehenderent Jesum esse fortiorem Joanne, in patrandis miraculis, in efficacia sermonis, in vitæ sanctitate, uti eis prædixerat Joannes; unde inferebant : Si cætera, quæ dixit Joannes de Jesu, vera esse cernimus, ergo pariter verum est id quod idem Joannes asseruit de Jesu, scilicet ipsum esse Messiam.

42. ET MULTI CREDIDERUNT IN EUM. — Græca addunt, *ibi*, puta in Bethabara, ob memoriam testimonii Dei Patris ac Joannis Baptistæ, ut dixi vers. 40. Nimirum, ut ait S. Augustinus, «apprehenderunt permanentem, non quomodo Judæi volebant apprehendere discedentem : et nos ergo per lucernam veniamus ad diem; Joannes enim lucerna erat, et diei testimonium perhibebat.»

# CAPUT UNDECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus a morte et sepulcro suscitat Lazarum. Hinc, vers. 47, pontifices invidentes Christo cogunt contra eum concilium, in quo Caiphas pontifex prophetat expedire ut Christus pro populo moriatur : quare, vers. 54, Christus eorum iras declinans, ad paucos dies secedit in Ephrem.*

*Ante hoc caput Jansenius et alii claudunt acta tertii anni prædicationis Christi; nam hæc Lazari suscitatio et historia contigit circa quartum et ultimum Christi Pascha, ut patet vers. 55, quo ipse occisus et crucifixus est : quare videtur ipsa contigisse sub illud tempus, quo ipsa solet legi ab Ecclesia in Missæ sacrificio, scilicet quatuordecim diebus ante Parasceven et passionem Christi. Ita censent viri eruditi. Vide* Chronotaxim, *quam Evangeliis præposui.*

1. Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ, sororis ejus. 2. (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis; cujus frater Lazarus infirmabatur). 3. Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur. 4. Audiens autem Jesus, dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. 5. Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum. 6. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus; 7. deinde post hæc dixit discipulis suis : Eamus in Judæam iterum. 8. Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterum vadis illuc? 9. Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt horæ diei? si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt. 10. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. 11. Hæc ait, et post hæc dixit eis : Lazarus amicus noster dormit; sed vado ut a somno excitem eum. 12. Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si dormit, salvus erit. 13. Dixerat autem Jesus de morte ejus : illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret. 14. Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste : Lazarus mortuus est; 15. et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum. 16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos, ut moriamur cum eo. 17. Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. 18. (Erat autem Bethania juxta Hierosolymam quasi stadiis quindecim). 19. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. 20. Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi, Maria autem domi sedebat. 21. Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; 22. sed et nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. 23. Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus. 24. Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissima die. 25. Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet; 26. et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? 27. Ait illi : Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. 28. Et cum hæc dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te. 29. Illa, ut audivit, surgit cito, et venit ad eum : 30. nondum enim venerat Jesus in castellum; sed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha. 31. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes : Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. 32. Maria ergo, cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dicit ei : Domine, si fuisses hic, non



esset mortuus frater meus. 33. Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum, 34. et dixit : Ubi posuistis eum? Dicunt ei : Domine, veni, et vide. 35. Et lacrymatus est Jesus. 36. Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum. 37. Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? 38. Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum : erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei. 39. Ait Jesus : Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat : Domine, jam fetet, quatriduanus est enim. 40. Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? 41. Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. 42. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti. 43. Hæc cum dixisset, voce magna clamavit : Lazare, veni foras. 44. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus : Solvite eum, et sinite abire. 45. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. 46. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus. 47. Collegerunt ergo Pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? 48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem. 49. Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam, 50. nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. 51. Hoc autem a semetipso non dixit; sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quod Jesus moriturus erat pro gente, 52. et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. 53. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. 54. Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. 55. Proximum autem erat Pascha Judæorum; et ascenderunt multi Hierosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos. 56. Quærebant ergo Jesum, et colloquebantur ad invicem, in templo stantes : Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem pontifices et Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

1. ERAT AUTEM QUIDAM LANGUENS (Arabicus *infirmus*) LAZARUS A BETHANIA, DE CASTELLO MARIÆ ET MARTHÆ, SORORIS EJUS. — Syrus, *erat autem quidam, qui morbo detinebatur, Loazar ex Beth Ania* (domo afflictionis) *pago, frater Mariam et Marthæ;* Vatablus, *ægrotabat autem Lazarus;* Nonnus, *morboso gravia habens genua flagellabatur Lazarus æstu, membrisora plaga tabefactus, vicinus morti.* Ergo morbus hic erat gravis et lethalis, nam paulo post mortem attulit (1).

LAZARUS, — nobilis et dives, ideoque alius a Lazaro mendico et ulceroso jacente ad fores Epulonis, *Luc.* XVI.

A BETHANIA, EX CASTELLO MARIÆ ET MARTHÆ. — Est appositio, *q. d.* A Bethania, id est ex castello (hoc est, oppido vel pago) Marthæ et Mariæ Magdalenæ, in quo scilicet ipsæ habitabant, ejusque erant non tam dominæ, quam honoratiores incolæ, ac Christi discipulæ et hospites. Ita Theophylactus, Leontius et alii. Sic cap. I, 44,

(1) « Narrationi de Lazaro a Jesu in vitam revocato adeo aperta veritatis vestigia impressa sunt, sive orationem illius et formam, sive argumentum spectes; ea etiam cum reliqua Jesu historia adeo accurate cohæret, et causas proximorum eventuum adeo clare et perspicue continet (vid. *Joan.* XI, 46-57; XII, 1-9), ut de historiæ h. l. a Joanne (cujus veracitatem et fidem tota etiam Evangelii ipsius indoles arguit) enarrata veritate dubitari nullo pacto possit. » Ita Kuinoelius ad h. l. Suspecta quidem visa est nonnullis hæc historia, eo quod eam solus Joannes retulerit; at aliorum Evangelistarum silentii plures haud improbabiles causæ possunt afferri. Nempe Evangelistæ, ut notum est, vitam Christi omnem nolebant exponere; eorum quisque e magna rerum memorabilium a Jesu gestarum multitudine delectum faciebat; ac Matthæus quidem, Marcus et Lucas res potissimum in Galilæa a Jesu gestas persecuti esse videntur, prætermissis autem pluribus a Jesu, auctore Joanne, in Judæa et Hierosolymis peractis. Evangelistis reliquis Christi facinora æque certa et gravia dignitatis Messianæ documenta erant ac mortuorum ad vitam revocatio; igitur cum jam Matthæus, Marcus et Lucas enarrassent Jairi filiæ, et Lucas iterum adolescentis Naimitici resurrectionem (quam historiam reliqui etiam Evange-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Bethsaida vocatur civitas Petri et Andreæ, quia ipsi ejus erant incolæ, et non domini.

*Bethaniæ significatio. Primum.* Mysticè : « Bethania » hebraice idem est *primo*, quod *domus afflictionis*, ut vertit Syrus, idque hic congruit. Lazari enim morbus et mors affligebat tam ipsum, quam sorores ejus. *Secundo*, *Secundum.* « Bethania » idem est quod *domus obedientiæ*. Unde S. Bernardus, serm. *ad milites templi*, cap. XIII : « Hoc loco, ait, intimatum est quod nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lacrymæ pœnitentis extra Bethaniam accepta esse poterunt illi, qui tantam habuit obedientiam, ut vitam ipsam perdere maluerit, factus obediens Patri usque ad mortem. »

*Tertio*, « Bethania, » ait Pagninus, idem est quod *domus responsionis*, vel exauditionis Domini, quia ibi Christus Mariam et Martham pro vita Lazari orantes exaudivit. Radix enim ענה *ana* per *ain*, significat *affligi*, *obedire*, *respondere* et *exaudire*.

Transit Joannes a gestis Christi in festo Encæniorum, ut patet cap. X, 22, ad gesta Christi paulo ante ultimum Pascha, ut patet hoc cap., vers. 55, hoc est, salit a decembri ad martium : omittit ergo gesta Christi in januario et februario, quia illa fuse recenset Lucas a cap. XV usque ad XIX, ex quo eadem summatim recensui in Chronotaxi, num. 51 usque ad 57.

2. MARIA AUTEM ERAT, QUÆ UNXIT DOMINUM UNGUENTO, ET EXTERSIT PEDES EJUS CAPILLIS SUIS. — Luc. VII, 37, ostendi eamdem fuisse Mariam, quæ bis, vel ut alii, ter unxit Christum, nimirum Mariam Magdalenam : esto aliqui opinentur fuisse duas, alii tres. Minus recte ergo Leontius, quem sequuntur moderni hæretici, τὸ *unxit* accipit de unctione non præterita Lucæ, sed paulo post futura sex diebus ante mortem Christi, de qua cap. seq., vers. 3, ut hic sit anticipatio.

CUJUS FRATER LAZARUS INFIRMABATUR. — Arabicus, *erat autem Lazarus infirmus frater ejus*. Addit hoc Joannes, ut insinuet causam suscitationis Lazari, nimirum quod frater esset Magdalenæ, quæ tota devota suo Jesu, ab eo impetravit fratris Lazari suscitationem.

3. MISERUNT ERGO SORORES EJUS AD EUM (Jesum) DICENTES : DOMINE, ECCE QUEM AMAS, INFIRMATUR. — Cyrillus, Theophylactus et Leontius censent hæc verba esse admirantis et admirationis, *q. d.* Qui fieri potuit, ut ille quem tu amas, Domine, qui vitæ et necis habes imperium, in morbum inciderit? quomodo tui amantem ausa fuit ægritudo invadere? et quomodo eum tenet languor, quem tui occupat amor?

Simplicius alii censent sorores ex modestia et fiducia id dixisse. Audi S. Augustinum et ex eo Bedam : « Non dixerunt : Veni, amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere : Veni et sana. Non ausæ sunt dicere : Ibi jube et hic fiet; cur enim non et istæ, si fides centurionis illius inde laudatur? Ait enim : Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantum : Domine, ecce quem amas infirmatur, sufficit ut noveris : non enim amas et deseris. » Est ergo insinuatio hæc oratio, sed occulta et implicita, quia significat necessitatem et desiderium remedii, quæ sæpe efficacior est postulatione aperta, quia magis humilis, verecunda, reverens et confidens. Ita ex S. Thoma Suarez, tract. *de Oratione*.

Itaque hæc petitio sororum præ se fert *primo*, magnam fidem; non enim dicunt : Veni, accelera, ne mors eum præoccupet. Credunt enim Christum posse curare absentem, imo mortuum suscitare. Ita Cyrillus, Theophylactus, Rupertus. *Secundo*, ingentem fiduciam, qua confidebant Christum solo nuntio morbi accepto, illi remedium allaturum. Unde verba et preces non multiplicant. *Tertio*, eximiam charitatem : « Ecce quem amas, » inquiunt, *q. d.* Tu nos amas, et nos te : sufficit ergo amanti amati morbum indicare. Amor enim precibus omnibus prævalet. *Quarto*, resignationis : resignant enim se totas in providentiam Christi, ut ille de morbo et morbido hoc statuat et disponat quod ejus prudentiæ et charitati libuerit. Quare efficax fuit hæc earum oratio, nobisque crebro est imitanda et usurpanda.

Tropologice Rabanus et ex eo Glossa : Lazarus, inquit, est peccator, qui a Domino amatur; ipse enim non venit vocare justos, sed peccatores : sorores sunt viri sancti, vel bonæ cogitationes, quæ pro peccatis dissolvendis orant.

Porro, ipsæ sorores non iverunt ad Jesum, sed nuntios duntaxat miserunt, tum quia feminæ erant, quas decet domus cura, et dedecet longum iter; tum quia Lazaro fratri ad mortem decumbenti debebant assistere; tum quia Christi benignitati et amori confidentes, solum nuntium sufficere existimabant. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus et Euthymius.

4. AUDIENS AUTEM JESUS, DIXIT EIS : INFIRMITAS HÆC NON EST AD MORTEM (Syrus, *non est lethalis*; Arabicus, *non est infirmitas mortis*), SED PRO GLORIA DEI, UT GLORIFICETUR FILIUS DEI PER EAM. — « Non est ad mortem, » *primo*, quia hæc mors

istæ miserunt), non necesse putabant historiam quoque Lazari redivivi litteris consignare. Joannes vero, cum res a Jesu potissimum in Judæa, Hierosolymis et in hujus urbis vicinia gestas memoriæ prodiderit, cumque ultima Jesu fata copiosius et accuratius vellet exponere, utpote scriptor historiæ pragmaticæ, imprimis e re sua esse putabat, historiam Lazari redivivi, cum historia mortis et calamitatum Christi arcte cohærentem, litteris mandare. Alia quoque haud improbabilis causa silentii reliquorum Evangelistarum de Lazaro in vitam revocato a pluribus allata est : monuerunt nimirum, eo tempore quo Matthæus, Marcus et Lucas scriberent, adhuc vixisse Lazarum, præteriisse ergo eos hoc insigne factum Christi, ne Lazaro ejusque familiæ negotium facesserent.



Lazari, non tam erit mors, quam somnus; nam illico ex ea evigilabit et resurget. Unde, vers. 11, ait : « Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum. »

*Secundo*, *q. d.* Infirmitatis Lazari finis et scopus non est mors, sed gloria Dei; Deus enim non immisit morbum hunc Lazaro hoc fine, ut vitam ei per mortem adimat, sed potius ut vitam ei majorem restituat, itaque gloriam Dei adaugeat. Ita S. Augustinus : « Non est ad mortem, inquit, quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum, quo facto crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. »

*Tertio*, « non est ad mortem, » scilicet talem, qualis esse solet communis hominum mors; nimirum, ut homo in ea permaneat, nec amplius ad hanc vitam et hoc sæculum redeat : licet enim mors separaret animam Lazari a corpore, tamen non imponebat finem huic sæculo, ut ad illud non rediret; quod tamen facit mors. Nam mox a Christo resuscitatus ad illud rediit, magis vivus, sanus et vegetus quam ante. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius et alii. Unde Nonnus vertit, « non est ad æternam mortem. »

SED PRO GLORIA DEI. — Per gloriam *primo*, Andreas Cretensis, in *Catena*, intelligit crucem et mortem Christi : hanc enim Judæi invidi irrogarunt Christo ob suscitatum ab eo Lazarum, et hæc maxime glorificavit Christum. *Secundo*, Theodorus Heracleotes, in *Catena*, accipit gloriam, quæ obventura erat Christo, ob divulgationem et celebritatem hujus suscitationis factæ ab eo per totam Judæam, imo per totum orbem. *Tertio*, et genuine, gloriam Dei accipe, quia homines videntes Lazarum a Christo suscitatum, in eum ut Messiam et Dei Filium crediderunt, itaque tam Christum quam Deum Patrem glorificaverunt. Sic enim hanc gloriam explicat Joannes, dicens vers. 45 : « Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. » Unde S. Augustinus : « Talis glorificatio, ait, non ipsum auxit, sed nobis profuit. »

5. DILIGEBAT AUTEM JESUS MARTHAM, ET SOROREM EJUS MARIAM, ET LAZARUM. — ob singularem earum erga se amorem, devotionem, liberalitatem, qua Jesum cum Apostolis alebant; Martha enim habebat curam hospitalitatis Jesu; Maria a Christo sanata et conversa totam se ei addixerat, imo eum per oppida proficiscentem ac prædicantem comitabatur sumptusque suppeditabat, Lucæ VIII, 2. Lazarus sorores imitabatur. Dilectionis Jesu mentionem injicit hic Joannes, non tam ut illam fuisse causam ægrotationis Lazari significet, ut censet Cyrillus, *q. d.* Ideo Jesus immisit morbum Lazaro; quia illum ejusque sorores diligebat, juxta illud : « Ego quos amo, arguo et castigo, » *Apoc.* III, 19, sed ut significet Jesum accepto nuntio plane menti et memoriæ infixisse morbum Lazari, ut eum sanaret, sed modo et tempore opportuno. Dilectio enim faciebat eum sollicitum de Lazari salute, ideoque Lazari causa fecit omnia quæ versu sequenti et deinceps narrat Joannes, illudque significat τὸ *ergo*, cum statim subdit : « Ut ergo audivit, » *q. d.* Diligebat Jesus Lazarum, ut ergo audivit eum ægrotare, cœpit serio cogitare de eo sanando, omniaque sua ita disposuit, ut congruo eum tempore vitæ et sanitati restitueret.

Porro adeo Jesus dilexit Lazarum et sorores ejus, ut propter eas Lazarum a morte suscitarit etiamsi sciret suscitationem Lazari sibi fore causam mortis et crucis : ob Lazarum enim suscitatum Pharisæi Christum occiderunt. Vita ergo Lazari fuit mors Christi.

6. UT ERGO AUDIVIT QUIA (quod) INFIRMABATUR, TUNC QUIDEM MANSIT IN EODEM LOCO (in Bethabara, cap. præced., vers. 20) DUOBUS DIEBUS, — tum ut hominum multitudini ad se confluenti satisfaceret eique ostenderet se esse Messiam a Joanne ibidem demonstratum; tum ut illud idem confirmaret miraculo insigni et omni exceptione majori, scilicet suscitatione Lazari. Mansit ergo ibidem per biduum, ut interim moreretur Lazarus, quia volebat non ægrum sanare, sed mortuum, imo sepultum quatriduanum et fetentem suscitare : quod longe erat majus tum beneficium quam miraculum, ne calumniæ Judæorum foret locus, ut dicerent Lazarum non vere fuisse mortuum, ideoque nec suscitatum, sed tantum syncopen vel deliquium animi passum, ex illo non ope Christi, sed vi naturæ et juvenilis vigoris, ultro ad se rediisse. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et Rupertus.

7. DEINDE POST HÆC DIXIT DISCIPULIS SUIS : EAMUS IN JUDÆAM ITERUM, — nimirum ex Bethabara eamus in Bethaniam, ad suscitandum Lazarum. Præmonendo præmunit Christus Apostolos timidos : timebant enim redire cum Jesu in Judæam, eo quod Judæi paulo ante, capite præcedent., vers. 31, voluissent eum lapidare. Ita S. Chrysostomus : « Nusquam alias, inquit, Dominus prædixit discipulis, quo iturus esset, nisi hic, quia valde formidabant, ne si repente (sine præmonitione) discederet, conturbarentur : formidabant vero et pro ipso, et pro se; nondum enim erant in fide firmati. » Ita quoque Theophylactus, Euthymius et Theodorus Heracleotes. Porro S. Augustinus : « Christus, ait, e Judæa discessit ut homo, ne lapidaretur; sed in redeundo, quasi oblitus infirmitatem, ostendit potestatem. »

8. DICUNT EI DISCIPULI : RABBI (o magister, et Domine noster), NUNC QUÆREBANT TE JUDÆI LAPIDARE, ET ITERUM VADIS ILLUC? — « Nunc, » id est paulo ante : nam exinde jam duo menses effluxerant, uti initio capitis dixi, et colligitur ex cap. præced., vers. 22 et sequent. Dicunt hoc disci-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

puli, quia a Judæis metuebant Christo, et magis sibi ipsis. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

9. Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt horæ diei? — *Primo*, Lyranus ejusque sequaces sic exponunt, *q. d.* Sicut per diem mutantur duodecim horæ, cum eis mutatur aura aeris : sic Judæorum animi facile mutari possunt, ut qui ante me oderant, jam ament et suscipiant.

*Secundo*, S. Augustinus, Beda et Rupertus, *q. d.* Sicut duodecim horæ sequuntur diem, id est solem ejusque cursum, ut sibi ex ordine vicissim succedant : sic vestrum est me sequi; ego enim sum quasi vester sol et dies, vos autem me stipatis quasi duodecim horæ. Audi S. Augustinum : Ut se diem ostenderet, duodecim discipulos elegit; in hoc autem verbo non ipsum Judam, sed ejus successorem prævidebat. Et Glossa : Se dicit Christus diem, in quo debent ambulare, ne offendant, et sine quo ambulantes, offendunt, ut modo discipuli nolentes eum mori, qui pro hominibus venit mori : illos autem dicit horas, quæ diem sequuntur.

*Tertio*, S. Cyrillus, *q. d.* Adhuc aliquot horæ meæ diei, id est vitæ, supersunt, quibus oportet me prædicare et benefacere Judæis : « veniet nox, » id est cædes et mors mea, ob quam tenebris excidii et calamitatum per Titum eos involvam; nox enim symbolum est vindictæ et calamitatum.

*Quarto* et genuine, *q. d.* Certum et statutum est diei tempus, scilicet duodecim horarum (erat enim jam martius, cujus 21 est æquinoctium, quo dies sunt æquales nocti, ac consequenter duodecim horarum : quanquam et aliis mensibus Judæi dividebant diem in 12 horas, sed inæquales, æque ac noctem in quatuor vigilias, quæ in hieme erant longiores, in æstate breviores), intra quod duodecim horarum spatium, si quis ambulet, offendere non potest, quia lucem habet, qua videt saxa aliaque offendicula, ideoque cavet ne in ea impingat : sic pariter mihi certum a Deo Patre constitutum est vitæ tempus, in quo ambulare, vivere, et opera mea ad quæ missus sum, operari debeo : quod proinde diem appello; ac proinde in illa a Judæis nihil mihi aut vobis timendum est periculi : nec enim ante constitutum mihi tempus a Patre, hoc est, antequam vitæ meæ nox et occasus veniat, occidi possum. Ita Rupertus, Toletus, Maldonatus et alii.

10. Si quis ambulaverit in die, non offendit; quia lucem hujus mundi videt : si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. — *Primo*, S. Augustinus exponit, *q. d.* Hortor vos, o discipuli mei 12, ut me sequamini, sicut duodecim horæ sequuntur diem et solem, si non vultis offendere et impingere. Et S. Chrysostomus : Ne formidetis Judæos, inquit, nihil enim dignum morte gessimus. Vel : Si quis lucem hujus mundi videt, securus est : multo magis qui mecum est, securus est, nisi se amoverit a me.

*Secundo*, S. Cyrillus, *q. d.* Quamdiu est dies vitæ, hoc est, quamdiu ego vivo, Judæis benefacio, nihil vobis a Judæis timendum est : hæc enim dies est, id est tempus benignitatis et beneficentiæ; at ubi venerit nox, id est tempus vindictæ, quo Deus per Titum exscindet Hierosolymam et Judæam, tunc vobis timendam, et e Judæa fugiendum erit.

*Tertio* et genuine, *q. d.* Dum dies est, id est dum tempus vitæ mihi suppetit, non offendetis, o discipuli, me sequendo in Judæam; at ubi venerit nox, id est mors, et vitæ meæ occasus, tunc Judæi vos persequentur, et occident quasi meos discipulos, sicut me persecuti sunt et occiderunt. Ita Rupertus, Toletus et Maldonatus.

*Mystice*, qui diem, id est solem et lucem fidei et gratiæ sequitur, non offendit, non ruit in peccata; at qui nocte, id est in tenebris ignorantiæ et concupiscentiæ ambulat, hic ruit in varias culpas et pœnas. Ita Interlinearis. Unde Apostolus : « Eratis, inquit, aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino : ut filii lucis ambulate : fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate, » *Ephes.* v, 8.

11. Hæc ait, et post hæc dicit eis : Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut a somno excitem eum. — Mortem vocat *somnum*, quia mox ab ea suscitandus et evigilaturus erat Lazarus. Audi S. Augustinum : Domino dormiebat, qui cum tanta facilitate excitavit de sepulcro, quanta tu excitas dormientem de lecto; hominibus autem mortuus erat, qui eum suscitare non poterant. Sic Paulus mortuos dormientes appellat, quia sunt resurrecturi.

12. Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si dormit, salvus erit. — Arabicus, *si est dormiens, expergiscetur*. Solet enim somnus in ægrotis redituræ sanitatis esse argumentum et præsagium, ac sæpe causa. Ita Cyrillus, Augustinus, Jansenius, Maldonatus et alii. Somnus enim naturam vegetat, cerebrum confortat, humores superfluos concoquit et consumit, sudorem ciet, calorem naturalem fovet et auget, itaque materiam morbi superat, dissipat et absumit, vel ejicit. Sensus est, *q. d.* Si dormit Lazarus, sinamus eum dormire, ut citius convalescat, quare non est quod ad eum pergamus. Ita S. Augustinus et Cyrillus.

13. Dixerat autem Jesus de morte ejus : illi autem putaverunt quia (quod) de dormitione somni diceret, — quia simpliciter acceperunt *dormit* ut sonat; non symbolice, ut Christus intelligebat, de morte.

14. Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste : Lazarus mortuus est. — Ostendit Christus se esse Prophetam, imo Dei Filium, eo quod arcana et absentia revelet : talis enim erat hæc mors Lazari, quam hic clare enuntiat, ut discipulis errorem de ejus somno eximat. Nuntius enim morbum duntaxat nuntiarat Christo, non mortem.



15. Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. — Hæc ultima necte cum *gaudeo*, uti nectit Arabicus, *q. d.* Gaudeo me non fuisse ibi, scilicet in morte Lazari præsentem, ut vos in me credatis, scilicet firmius, perfectius et robustius, ait S. Augustinus, visa ejus resuscitatione, quam facturus sum : si enim fuissem præsens ægrotanti ad preces Marthæ et Mariæ debuissem ægrum sanare, alioqui Judæi culpassent me impotentiæ vel immisericordiæ; aut certe debuissem recens mortuum illico suscitare, quod minus fuisset miraculum magisque dubium : jam autem a quatuor diebus defunctum suscitabo, ut omnes videant hanc suscitationem omnem naturæ vim excedere esseque clarum miraculum, nec nisi Dei solius opus. Ita Cyrillus, Euthymius, Rupertus et alii. Aliter S. Augustinus et Beda, *q. d.* Gaudeo me non fuisse præsentem Lazaro morienti, ut absens vobis mortem ejus annuntiem, indeque cognoscatis me esse Messiam, et in me magis credatis; Lazarus enim æger fuerat nuntiatus, non mortuus. Christus ergo mortuum nuntians, ostendebat se non humanitus, sed divinitus id scire. Quomodo enim, ait Augustinus, lateret eum qui creaverat? ad cujus manus anima morientis exierat? Prior ratio uti validior, ita germanior est.

Sed eamus ad eum. — Christus de mortuo, quasi de vivo loquitur, quia mox facturus erat ut esset redivivus. Ita Cyrillus.

16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos, et moriamur cum eo. — « Thomas, » inquit Pagnines in *Interpret. nomin. Hebr.*, idem est quod *abyssus* sive *vorago*; hæc enim Hebraice dicitur תהום *tehom*; aut *geminus* sive *gemellus*, id est eodem partu cum alio natus : תאומים *teomim* enim sunt *gemelli* eodem partu editi, quasi conjunctis corporibus.

Qui dicitur Didymus. — Syrus, *qui dicitur gemellus*. Thomas ergo non fuit binomius, ut scilicet duo habuerit nomina, *primo* Thomæ, *secundo* Didymi, uti vult Nonnus, sed unum idemque : Hebr. enim Thomas idem est quod Græce Δίδυμος, Latine *gemellus*. Sicut Hebraice Messias idem est quod Græce χριστός, Latine *unctus*, ait Angelus Caninius in *Hebr. nom.*, cap. xiii. *Dicitur* ergo idem est quod *interpretatur*.

Thomas igitur dictus est Didymus, id est gemellus, sive quod eodem partu cum fratre altero natus sit, uti Jacob et Esau fuere gemelli, ut vult Euthymius; sive quod hoc nomen a majoribus acceperit, quomodo apud Romanos quosdam Spurios, alios Crassos, alios Claudios vocatos legimus, etiamsi illi ipsi nec spurii, nec crassi, nec claudi forent. Ita Toletus, Maldonatus et alii.

Addit Leontius, Joannem solius Thomæ nomen interpretari, ut significetur aliqua ejus excellentia; Theophylactus vero, ut significentur ejus mores, inquit, quod scilicet esset Didymus, id est gemellus, varius, inconstans, dubius, duplex; sed hoc huic loco non quadrat : quadrat tamen cap. xx, vers. 24, ubi Thomas ob incredulitatem resurrectionis Christi vocatur Didymus. Potius videtur Thomas hic dici Didymus, quasi gemellus frater Christi; talem enim se hic ostendit, dum pro Christo et cum Christo vivere et mori paratum sese offert, ac alios ad idem faciendum hortatur, dicens : « Eamus et nos, et moriamur cum eo. » Solent enim gemelli mutuo sese valde diligere, imo moribus et amoribus esse similes, ut uno gaudente, ridente, flente, gaudeat, rideat, fleat et alter, imo uno ægrotante vel moriente, ægrotet vel moriatur et alter. Hoc subinde fit, at non semper. Nam Jacob et Esau moribus fuere dissimiles et diversi, imo invicem adversi.

Eamus et nos, et moriamur cum eo, — non Lazaro, ut volunt nonnulli; hoc enim insulsum videtur, sed Christo, qui paulo ante dixerat : « Eamus ad eum. » Thomas, ait Beda, præ omnibus socios hortatur, ut eant et moriantur cum illo, in quo magna ejus apparet constantia. Et Interlinearis : Ecce verus amantium affectus, vel cum eo vivere, vel cum eo mori : quales apud Gallos erant Soldurii, quorum lex et fœdus erat in bello, vel simul vincere, vel simul occumbere, teste Julio Cæsare in *Comment.*, quo videtur allusisse S. Paulus dicens, II *Cor.* vii, 3 : « In cordibus nostris estis ad commoriendum et convivendum, » ut ibidem dixi (1).

Porro quod Thomas ait : « Eamus et moriamur, » perinde est ac si dicat : Si imus cum Jesu, nobis cum eo moriendum est, ob summa Judæorum contra illum odia. Si ergo ipse it, eamus et nos, quasi generosi ejus discipuli et milites, ac cum eo quasi duce nostro animose moriamur : si ille mortem spernit, imo invadit, nos quoque spernamus et invadamus. Non enim satis intellexerat quod Christus, vers. 9, insinuarat, nihil adhuc sibi a Judæis imminere periculi. Ita Cyrillus. Offert ergo se pro Christo certæ morti, hanc enim imminere putabat : quod insigne fuit fortitudinis ejus eximiæ, æque ac amoris in Christum singularis argumentum.

17. Venit (*in Bethaniam*, ut addunt nonnulli codices Græci) itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem, — hoc est a quatuor diebus sepultum. Venit enim nuntius a sororibus ad Jesum de morbo Lazari, ait Chrysostomus, eo die quo Lazarus est defunctus, deinde duobus sequentibus mansit Jesus in Bethabara, die quarta demum ivit Bethaniam : quare videtur Lazarus eodem die, quo sorores nuntium miserunt ad Christum, fuisse mortuus

(1) Legitur in passione S. Cypriani : « Quum duceretur, populus fratrem plangens et ejulans dicebat : Et nos cum eo decollemur. » Et apud Virgilium est :

Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum.

et sepultus : alioqui enim veniente Christo, non fuisset quatriduanus in morte et sepulcro, uti hic dicitur.

Probabilius Euthymius et Maldonatus censent Lazarum quidem eo die, quo nuntius ad Christum venit, fuisse defunctum; sed postero die sepultum, ne forte quid occultæ vitæ in eo lateret ; inde Christum biduo mansisse in Bethabara, quarto die inde discessisse versus Bethaniam : sed quia hoc iter erat decem circiter horarum (ut patet ex tabulis Geographicis terræ sanctæ, quas edidit Adrichomius et alii), quod ægre a Christo et Apostolis pedibus confici potuisset uno die; hinc Christum postero mane, qui dies quintus erat a sepultura Lazari, appulisse Bethaniam, ac suscitasse Lazarum : nec enim decebat eum vespere (ne phantastica videretur suscitatio), sed mane, vel plena die suscitari. Quare Lazarus jam erat quatriduanus, hoc est integros quatuor dies exegerat in monumento, sive sepulcro, jamque agebatur quintus dies a sepultura, ut constaret omnibus eum non tantum esse mortuum, sed fetentem et a vermibus comestum. Hinc suscitatio ejus facta a Christo fuit certissimum et clarissimum miraculum, quod a Scribis nullo modo obscurari aut vellicari potuit.

Tropologice : quatriduanus est peccator habens habitum peccandi; qui peccato immortuus, in eo quasi sepultus, sine spe veniæ et vitæ spiritalis, quasi desperatus jacet. *Primus* enim dies est, quo quis consensu voluntatis peccat; *secundus*, quo quis peccatum opere consummat; *tertius*, quo illud frequentat ejusque consuetudinem et habitum sibi inducit; *quartus*, quo hic habitus callum obducit, et quasi in naturam vertitur, juxta illud S. Augustini, lib. VIII *Confess*, cap. v : « Ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas : quibus quasi ansulis quibusdam sibi innexis, unde et catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus. » Talis ergo magna et rara Christi gratia ab hoc peccati sepulcro excitandus est : quod ut significaret Christus, magna voce clamavit : « Lazare, veni foras. » Ita S. Augustinus.

Rursum Alcuinus : *Primus* dies, inquit, est elatio in corde; *secundus*, consensus voluntatis in peccatum; *tertius*, factum, cum illud opere exequimur; *quartus*, consuetudo, cum illi consuescimus, et consuescendo inhæremus. Sic fere et S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in monte*, cap. xxiii : « Sicut, inquit, tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione; ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tanquam tres mortes. Una quasi in domo, id est cum in corde consentitur libidini; altera jam prolata quasi extra portam, cum in factum procedit assensio; tertia, cum vi consuetudinis malæ, tanquam mole terrena, premitur animus, quasi in sepulcro jam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Evangelium legit, agnoscit. Et fortasse considerat, quas differentias habeat etiam ipsa vox resuscitantis, cum alibi dicit : Puella, surge; et alibi : Juvenis tibi dico surge ; alibi, infremuit in spiritu, et flevit, et rursus fremuit, et post deinde voce magna exclamavit : Lazare, veni foras. » Vide eumdem *De Verbis Domini secundum Joannem*, tract. 44 : « Prima, ait, est titillatio delectationis in corde; secunda, consensus; tertia, factum; quarta, consuetudo.

*Tertio*, Glossa ex S. Augustino et Beda. *Primus* dies mortis est, inquit, quo nascimur cum peccato originali; *secundus*, quo ad annos discretionis venientes naturalem legem transgredimur; *tertius*, quo legem contemnimus; *quartus*, quo ipsum quoque Christi Evangelium et gratiam aspernamur : ex adverso S. Bernardus, serm. 4 *De Assumpt.*, per quatuor dies accipit quatuor motus et actus pœnitentis : *primus* est timoris; *secundus*, certaminis contra peccata; *tertius*, doloris; *quartus*, pudoris eorumdem.

18. Erat autem Bethania juxta Hierosolymam, quasi stadiis quindecim. — Stadium est octava pars milliaris Italici, sive mille passuum : continet ergo 125 passus : quare quindecim stadia continent 1875 passus; sedecim enim stadia continent duo millia passuum faciuntque duo milliaria Italica. Addit hoc Joannes, ut significet multos Hierosolymis venisse in Bethaniam, utpote adeo vicinam, ut Martham et Mariam, ob Lazari mortem mœstas solarentur. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Cyrillus et alii. Unde sequitur :

19. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. — « Multi, » præsertim cognati, affines, amici; erant enim hæ sorores honoratæ, divites et nobiles, quæ multos habere solent vel amicos vel asseclas. Accedit, quod acerbus sit funeris fraterni luctus, ad quem proinde leniendum multi, etiam exteri et incogniti, consolandi causa accurrere solent. Est enim hic mortis luctus toti naturæ nostræ communis, unde et communis in eo omnium accedit consolatio. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

20. Martha autem ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi : Maria autem domi sedebat, — silentio, luctui et orationi more suo vacans : quare nuntius adventus Christi, non ad Mariam, sed ad Martham pervenit; Martha enim erat senior, et domui præerat, totaque actuosa et negotiosa : quare litteræ et nuntii omnes ad illam primo deferebantur, non ad Mariam. Sed cur ipsa Mariam non significavit Christum adventare? Respondeo : *Primo*, quia occursus adventantis Christi moram nullam patiebatur. Videtur enim Christus domui fuisse vicinus, cum Martha ei occurrit. *Secundo*, quia Martha secreto volebat agere cum Christo, ut ab eo exploraret, num qua spes foret fratri resuscitandi vel adjuvandi, ut patet ex vers. seq. *Tertio*, quia Maria, ut dixi, quieti et orationi erat addicta. *Quarto*, quia, si Mariam evocasset, omnes Judæi eam secuti fuissent; itaque tumultus exortus fuisset, et forte eorum cum Christo disputantium lis et contentio. Ita Leontius. Denique lætitia ob adventantem Christum, totam eam rapiebat ad occurrendum Christo, ut de sorore vocanda non cogitaret. Malim hoc dicere, quam, quod nonnulli autumant, eam hanc laudem occursus Christi voluisse præripere sorori suæ; hoc enim nimis inane et femineum est, ac tanta tamque sancta virgine indignum.

21. Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus, — quia scio te tam potentem, ut mortem arcere possis; scio pariter te ipsius et nostri adeo amantem, ut eum mori non permisisses. Tacite, inquit Chrysostomus, Cyrillus et Theophylactus, sed reverenter, dolendo, quasi arguit Christum, quod serius venerit. Verum huic sententiæ obstat, quod eodem die quo venit nuntius de morbo Lazari ad Christum, ipse sit mortuus. Quare etiam si statim Christus accinxisset se ad iter, tamen, antequam venisset Bethaniam, Lazarus fuisset mortuus. Erat enim iter novem horarum. Potius ergo Martha incusat seipsam, quod non citius nuntium miserit ad Christum, aut certe in genere dolet et luget Christi absentiam, quod scilicet non fuerit præsens, ut Lazaro ægrotanti sanitatem restitueret, quomodo dolemus de casuali medici absentia, si quis eo absente in morbum incidat. Non videtur Martha adhuc habuisse perfectam fidem de Christi deitate, omniscientia et omnipotentia. Si enim hanc habuisset, credidisset Christum etiam absentem scivisse mortem Lazari, eumque potuisse curare. Eum ergo credebat esse Prophetam præ cæteris Prophetis; non tamen Deum, sed evecta et illuminata a Christo mox id credidit, vers. 28.

22. Sed et nunc scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. — ac consequenter si poscas a Deo resuscitationem Lazari, licet quatriduani jam in sepulcro, dabit eam tibi Deus. Putabat, ait Cyrillus, quod Christus veniret, non ut suscitaret Lazarum, sed ut se et Mariam solaretur; idcirco rogat eum ut Lazarum suscitet, sed tacite et cum modesta humilique voluntatis suæ in Christum resignatione. Unde, ut advertit S. Augustinus : « Non dixit : Sed et modo rogo te ut resuscites fratrem meum : unde enim sciebat, si fratri ejus resurgere utile fuerit? hoc tantum dixit : Scio quia potes; si vis, facies : utrum enim facias, judicii tui est, non præsumptionis meæ. »

Dices : Cur Martha non servavit corpus Lazari insepultum, et balsamo conditum usque ad adventum Christi, ut sic facilius Christum permoveret ad eum suscitandum? Respondeo *primo* : Quia Judæis mos erat postero die defunctos sepelire. *Secundo*, quia nesciebat an Christus eum esset



suscitaturus, nec ne. *Tertio*, quia quatriduanum mortuum domi detinere insepultum, fuisset res insolens, fetida et calumniis obnoxia. *Quarto*, quia credebat Christum etiam sepultum posse suscitare, uti ipsa hic dicit. Denique Christus hanc mentem ei injecerat, ut naturæ cursum sequens fratrem mortuum sepeliret, hoc fine, ut ipse jam sepultum suscitaret, itaque majus foret ejus miraculum et beneficium. Hic enim est mos Dei.

Hinc moraliter disce, Deum sæpe permittere nos in tribulationes incidere, easque sinere ut crescant ad summum, ac tum vi magna succurrere, ut suam omnipotentiam summamque clementiam et providentiam ostendat. Quare tunc fideli non est desperandum, sed augenda spes et oratio, ac maxime sperandum. Cum enim omne humanum deficit auxilium, tunc prope est et accurrit divinum, aiebat Philo, legatus ad Caium imperatorem. Sic Deus succurrit Abrahæ in arctis posito, *Genes.* xx, et Joseph in carcere oblivioni tradito, *Genes.* xli, 12; item Hebræis a Pharaone oppressis, *Exodi* i et seq., ac præsertim cum eosdem hinc mari, inde montibus, aliunde exercitu Pharaonis undique cinctos, diviso mari Rubro salvos per illud traduxit, ac Pharaonem insequentem reducto mari, cum toto exercitu submersit, *Exodi* xiv. Sic tempore Judicum permisit eosdem opprimi nunc a Madianitis, nunc a Moabitis, nunc ab Ammonitis, nunc a Philistinis, ut eos induceret ad ferventer orandum et clamandum ad se; quo facto illico mittebat eis Gedeonem, Aod, Samsonem aliosque judices, qui eos liberarent. Sic Judæos neci destinatos ab Holopherne liberavit per Judith, et ab Aman per Mardochæum, et ab Antiocho per Machabæos. Sic Davidem in spelunca a Saule circumdatum liberavit, misso ad Saulem nuntio, Philistæos Judæam populari, II *Reg.* xxiii, 26 et 27.

Simili modo in bellis sæpe desperatio est causa spei, imo victoriæ : milites enim de vita desperantes, pro ea pugnant acerrime, ne moriantur inulti; quare sunt formidabiles et sæpe hostes victores vincunt. Unde illud militare axioma : « Hostem ne cogas ad desperationem. Hosti fugienti aureum sterne pontem. Cum desperato manus ne conferas. »

Dei ergo proprium est, ut defectum naturæ supplere, sic et derelictis desperatisque succurrere, juxta illud : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. » Et illud : « Deus ex machina; Deus ex improviso apparens. »

23. Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus. — Mœstam Martham de morte fratris solatur Jesus spe resurrectionis, sed ambiguæ, ut sensim illam evehat ad tanti miraculi, quo eum mox suscitare destinabat, fidem et spem, qua se disponat et quasi mereatur illud. Ita Leontius.

24. Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione (Syrus, *in consolatione*) in novissimo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DIE. — Christus dixerat Lazarum resurrecturum, sed ambigue, non exprimendo an nunc, an in die judicii. Martha ergo, ut hujus ambigui resolutionem ex ore Christi eliciat, subdit : Scio eum resurrecturum in die judicii ; verum hoc non erit ei peculiare beneficium, sed commune omnium hominum ; sin ante illud resurrecturus sit, et nunc a te suscitandus, clare velim edicas ; erit enim hoc singulare illi nobisque omnibus privilegium. Disce hic, Judæos et præsertim Pharisæos credidisse immortalitatem animæ, indeque resurrectionem corporum, idque patet II Machab. XII, 43 ; Job, XIX, 25 ; Act. XXIII, 8. Martha enim hic loquitur ex Judæorum sensu, licet Theophylactus autumet ipsam didicisse resurrectionem a Christo.

25. DICIT EI JESUS : EGO SUM RESURRECTIO ET VITA. — Syrus, *Ego sum consolatio et vita*. Syri enim resurrectionem vocant *consolationem*, quia illa hominibus in hujus vitæ omnimoda desolatione, summa est consolatio tum animæ, tum sensuum et membrorum omnium, ac totius hominis.

EGO SUM RESURRECTIO ET VITA, — non formalis, sed causalis, *q. d.* Ego sum qui resuscito, ego qui vitam præbeo (sic I *Cor.* I, dicitur : « Qui factus est nobis justitia, et sanctificatio, et redemptio, » hoc est justificator, sanctificator, redemptor), per me et mortui resurgunt, et viventes vivunt ; itaque possum ego jam statim ante resurrectionem communem, fratrem tuum a morte redivivum suscitare. Unde S. Augustinus : « Dicis, inquit, resurget frater meus in novissimo die : verum dicis ; sed per quem tunc resurget, potest et modo, quia ego sum resurrectio et vita ; » hoc est, ego sum causa resurrectionis et vitæ, ita ut omnes per me resurgant, ac nemo nisi per me resurgere valeat. Causa sum, inquam, quadruplex, scilicet meritoria, efficiens, exemplaris et finalis. Ego enim merui mea morte omnium resurrectionem, eamdemque physice efficiam in die judicii, ac ejusdem exemplar dedi in mea resurrectione, quæ est finis resurrectionis omnium. Resurgent enim fideles omnes hoc fine, ut mihi resurgenti in gloria conformentur, meque glorificent in æternum.

Porro Christus tacite respondet illo dicto Marthæ : « Quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus ; » quæ verba innuunt imperfectam Marthæ fidem, ait Theophylactus, quare eam perficit Christus. Illa enim dicebat : Quæcumque petieris, etc. Christus autem ostendit se esse a quo oporteat petere, ait Chrysostomus. Dicit ergo : « Ego sum resurrectio, » *q. d.* Mihi non est opus poscere a Deo resurrectionem fratris tui, quia ego ipse per me eamdem præstare possum ; sum enim resurrectio et vita, nimirum resurrectio mortuorum et vita viventium, quia mortuos a morte suscito, et viventibus vitam tribuo. « Vitam » intelligit, qua resurgentes vivunt et aliquid amplius. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et alii. Unde aliqui sic exponunt : Ego sum resurrectio et vita, id est ego sum resurrectio ad vitam, ut sit hendiadys. Hinc vitam hanc explicans, subdit :

QUI CREDIT IN ME, ETIAMSI MORTUUS FUERIT, VIVET. — Christus Marthæ petenti Lazaro restitui vitam corporis, amplius respondet et tribuit, nimirum vitam quoque animæ, ut scilicet anima ejus vivat hic novam vitam per majorem gratiam, et in futuro per gloriam. Vivet anima, ait S. Augustinus, donec resurgat caro, nunquam postea moritura. Sensus ergo est, *q. d.* Non tantum frater tuus me suscitante resurget, sed et quilibet fidelis, qui credit in me fide viva, et per charitatem formata, « etiamsi mortuus fuerit, vivet ; » tum quia anima ejus semper vivet per vitam charitatis et gratiæ, ac gloriæ in cœlo ; tum quia corpus ejus a morte per me suscitabitur ad vitam beatam et æternam in die judicii, quod proprie hic spectat Christus. Quare, licet illud moriatur, tamen erit hoc ad tempus modicum duntaxat, ita ut mors illa non tam mors quam somnus et dormitio esse videatur ; nam ex ea evigilabit et resurget in die judicii. Unde S. Cyprianus, lib. *De Mortalit.*, hunc locum citans et explicans : « Si in Christum credimus, inquit, fidem verbis et promissis ejus habeamus, et non morituri in æternum, ad Christum, cum quo et victuri et regnaturi semper sumus, læta securitate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur ; nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire : non est exitus iste, sed transitus, et temporali itinere decurso, ad æterna transgressus. »

26. ET OMNIS QUI VIVIT, ET CREDIT IN ME, NON MORIETUR IN ÆTERNUM. — Probat Christus se esse resurrectionem et vitam, id est causam resurrectionis et vitæ omnibus fidelibus et sanctis ; resurrectionem quidem, dicens : « Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet ; » quia scilicet a morte per me suscitabitur ad vitam beatam ; vitam vero, dicens : « Et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum, » *q. d.* Ego sicut fideles mortuos ad vitam beatam suscitabo, sic et viventes adhuc, qui in me credunt, in vita æterna conservabo faciamque ut non moriantur in æternum ; quia, licet ad modicum tempus ex debito naturæ moriantur, tamen paulo post a morte eos suscitabo ad vitam æternam, ita ut non tam mortui fuisse, quam dormiisse videantur. Quare ego omnium tam mortuorum quam viventium fidelium sum resurrectio et vita, quia per resurrectionem omnibus tribuam vitam perpetuam. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Leontius, Euthymius. Infideles enim et impii, licet resurrecturi quoque sint ad vitam, tamen quia resurgent ad tormenta gehennæ, hinc vita eorum potius mors dicenda est, quam vita.

Rursum nonnulli magis ample sic exponunt, *q. d.* Omnis qui vivit vita naturali, et credit in me,



itaque per fidem charitate formatam vivit vita gratiæ supernaturali, hic non morietur in æternum, quia anima ejus non morietur per peccatum mortale, sed permanebit in vita gratiæ : intellige, nisi ipse ultro eam peccando prodigat et abjiciat : quoad corpus vero, licet moriatur ad breve tempus, tamen non manebit in morte, sed suscitabitur ad vitam æternam, juxta illud cap. III, vers. 15 : « Ut omnis qui credit in me, non pereat, sed habeat vitam æternam. » Hic sensus undequaque planus est : Christus tamen magis hic spectat resurrectionem corporis, quam vitam animæ, agit enim de suscitando Lazaro.

CREDIS HOC ? — Fidem resurrectionis Christus exigit, non a Lazaro, utpote mortuo, sed a sorore ejus Martha, ut per hanc ipsa impetret fratris suscitationem, simul ut et ipsa excitetur ad majorem resurrectionis fidem et spem, itaque majori studio et sanctitate ad eamdem se comparet. Sic a patre poscente filium liberari a dæmone, exigit Christus fidem, ut crederet se posse hoc facere, *Marc.* IX, 22, et a portitoribus Paralytici similem exigit fidem, *Matth.* IX, 3.

Vers. 27. 27. AIT ILLI : UTIQUE, DOMINE, EGO CREDIDI, QUIA (quod) TU ES CHRISTUS (Messias Judæis promissus) FILIUS DEI VIVI, QUI IN HUNC MUNDUM VENISTI. — Arabicus et Græcus, ἐρχόμενος, id est *veniens* (quod erat nomen Messiæ) ; Syrus, *venturus es*, ut mundum redimas et salves.

FILIUS. — Græce ὁ υἱός, id est *ille Filius*, scilicet verus, naturalis et unicus Dei. Marthæ fidem imperfectam perficit Christus, dicens : « Ego sum resurrectio et vita. » Unde ipsa interius illuminata a Christo, in actum fidei perfectum erupit dixitque : Credo te esse Messiam verum Dei Filium, ideoque Deum, et omnis resurrectionis et vitæ causam primam. Credo te ut Deum posse Lazarum et quoscumque defunctos velis, illico suscitare et vivificare. Ita S. Augustinus, Cyrillus, Leontius, Maldonatus, Ribera, et S. Hilarius, lib. VI. *De Trinit.*

At vero S. Chrysostomus, Euthymius et Toletus censent Martham non intellixisse verba Christi dicentis : « Ego sum resurrectio et vita, » etc., ideoque in genere et in confuso dixisse : Credo te esse Christum Filium Dei vivi, non distinguendo, an Filius Dei naturalis esset, an adoptivus, sed eximius et singularis præ cæteris Sanctis et Prophetis.

28. ET CUM HÆC DIXISSET, ABIIT, ET VOCAVIT SORORRM SUAM SILENTIO, DICENS : MAGISTER (Arabicus et Syrus addit, *noster*) ADEST, ET VOCAT TE. — Hinc patet Jesum jussisse vocari Mariam, licet Evangelista id ante non narrarit, brevitatis studio, contentus idipsum hic per Marthæ jussum Christi exequentis verba insinuare. Ita S. Augustinus, Cyrillus, Leontius, Toletus, Maldonatus et alii.

SILENTIO, — quia Maria circumdata erat Judæis eam consolantibus. Secreto ergo eam vocat Martha, ne Judæorum tumultum excitet, si dicat palam Jesum adesse, et vocare Mariam. Paulo aliter Theophylactus : Christi præsentiam, inquit, vocationem reputavit. Præsentia enim Christi ultro vocabat Mariam, sicut amor vocat amantem ad amatum.

29. ILLA UT AUDIVIT, SURGIT CITO, ET VENIT AD EUM ; 30. NONDUM ENIM VENERAT JESUS IN CASTELLUM (Syrus, *in pagum*, in Bethaniam) ; SED ERAT ADHUC IN ILLO LOCO, UBI OCCURRERAT EI MARTHA ; — quia Jesus volebat adire sepulcrum Lazari, quod more Judæorum erat extra pagum, vel oppidum ; hinc noluit Bethaniam ingredi, ne mox rursus egredi deberet ad sepulcrum. Mansit ergo extra eam, ut vicinior esset sepulcro, ibique exspectavit Mariam, quæ evocata, audito nomine Jesu, ardens ejus amore et desiderio, illico advolavit, perinde ut filii accurrunt audientes matrem peregre rediisse. Ita S. Chrysostomus : « Nec dignitas, inquit, nec luctus, nec assidentes eam sunt remorati, etc. Ferventior erat sorore ; non enim est turbam verecundata, nec Judæorum de Christo opinionem timuit, sed omnia humana contempsit præsente magistro. »

31. JUDÆI ERGO QUI ERANT CUM EA IN DOMO, ET CONSOLABANTUR EAM, CUM VIDISSENT MARIAM, QUIA CITO SURREXIT ET EXIIT, SECUTI SUNT EAM, DICENTES : QUIA VADIT AD MONUMENTUM, UT PLORET IBI. — Martha secreto in aurem dixerat Mariæ Jesum adesse ; illa ergo sola hoc audivit, non Judæi, qui proinde subitum ejus velocemque abitum videntes, putarunt eam ire ad monumentum fratris, planctus et ploratus causa, ideoque secuti sunt eam. Dei providentia id factum est, ut Judæi plurimi sequentes Mariam, viderent Jesum suscitantem Lazarum, itaque hujus suscitationis forent testes irrefragabiles, atque in eum crederent et alii alios ad credendum inducerent. Ita S. Augustinus.

32. MARIA ERGO, CUM VENISSET UBI ERAT JESUS, VIDENS EUM, CECIDIT AD PEDES EJUS, ET DICIT EI : DOMINE, SI FUISSES HIC, NON ESSET MORTUUS FRATER MEUS. — Cecidit ad pedes reverentiæ et gratitudinis causa, utpote quos nuper lacrymis rigans, et capillis tergens, audierat : « Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace, » *Luc.* VII. Idem autem dicit quod soror ejus Martha, quia idem ei erat doloris sensus, eadem fides, indeque eadem verba quæ Marthæ : non tamen dicit omnia quæ Martha, lacrymis nimirum impedita, ait Beda.

SI FUISSES HIC, — quia, ut ait Interlinearis, te præsente, nulla infirmitas ausa fuit apparere, apud quas vita noverat hospitari.

33. JESUS ERGO, UT VIDIT EAM PLORANTEM, ET Vers. 33.
JUDÆOS QUI VENERANT CUM EA, PLORANTES, INFREMUIT SPIRITU, ET TURBAVIT SEIPSUM. — Quæres : qualis hic fuit Christi fremitus et turbatio ? *Primo*, Eusebius Emissenus, vel potius Gallus (quo nomine jam impressus est in *Biblioth. Patr.* ultimo Parisiis et Coloniæ edita), *hom.* in hæc verba : « Infremuit, » Fremitus Christi quis? Resp. Primo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

inquit, id est ingemuit, ut doceret nos super peccantes gemere : sed gemitus est miserentis, fremitus vero indignantis. Nonnus vertit, « paterno agitatus vel commotus spiritu. » Sed hoc nimis generale est, nec quis vel qualis fuerit hic motus, explicat.

*Secundo*, Theophylactus per *spiritum* accipit divinitatem, *q. d.* Jesus spiritu, id est divinitate sua, potenter quasi fremendo repressit lacrymas, et commiserationis affectum, qui in ipso ob ploratum Mariæ et Judæorum exoriebatur, ne ulterius prorumperet in lacrymas, et in ploratum cum aliis se effundens, vocem flebilem et lacrymabilem emitteret, qualis virum tam gravem et sanctum dedecebat.

Huc accedit S. Chrysostomus, *hom.* 62, et Euthymius, Cyrillus et Leontius, qui per *fremitum* accipiunt affectum animositatis, indignationis et iræ, quo Christus sibi quasi vim inferens, commiserationis affectum, et lacrymas in se exorientes, vultu severo torvoque cohibuit et repressit, *q. d.* Christus « infremuit spiritu, » id est comminatus est spiritui, cohibuit spiritum et naturam suam humanam, ne in fletum prodiret. Verum obstat *primo*, quod necdum plane exortus erat hic commiserationis affectus, cum Christus fremeret, sed paulo post, cum turbavit seipsum. *Secundo*, quod in Christo hæ passiones et affectus non erant involuntarii et violenti, sed voluntarii et libere assumpti, ut mox dicam. *Tertio*, quia post fremitum turbavit seipsum. Ergo fremitum non repressit, sed potius turbando auxit.

Dico ergo Christum hic elicuisse affectum actumque fremitus, id est indignationis in spiritu, id est in mente, et intimis animi sensibus, quem signo et fremitu, id est voce indignante, exterius ostendit, ut significaret dolorem, quem conceperat ex morte Lazari, ac ploratu Mariæ et Judæorum, de quo mox plura; utque hoc fremitu quasi se pararet et animaret ad arduum cum morte duellum, ut innueret quam difficilis foret Lazari quatriduani a morte suscitatio, præsertim resistente diabolo, ob gloriam quam inde Christo obventuram prævidebat. Unde S. Augustinus, « In voce frementis, ait, apparet spes resurgentis ; » imo prævidebat Jesus se ob suscitationem Lazari ab invidis Pharisæis crucifigendum ; hoc tamen non obstante se vicit, et Lazarum suscitare voluit : qui fuit actus heroicæ fortitudinis, quem hoc fremitu patefecit. Sic milites instante prælio fremunt, et iras excitant acuuntque ad instantem pugnam arduam et periculosam : ita enim est cos virtutis et fortitudinis. Hinc leones cum tauris et elephantis dimicaturi iras acuunt rugiuntque, ut animos viresque exsuscitent, ac hostem rugitu percellant. Hinc et ingruente tentatione dæmonis, carnis vel mundi, ira in eos acuenda est, ut illam superemus ; ira enim vincitur concupiscentia, æque ac operis ardui difficultas.

Porro fremitus, id est indignatio hæc, *primo*, erat in mortem et diabolum, cujus invidia mors intraverat in orbem terrarum, quæ tanti luctus et ploratus hujus fuerat causa. Ita Cyrillus, Augustinus, Beda, Lyranus, Jansenius et Ribera.

*Secundo*, et magis particulatim, ac proprie ad rem præsentem, fremebat, id est indignabatur Jesus contra judaicam perfidiam Pharisæorum et Scribarum illorum, propter quam Lazarum mori decreverat Deus, ut eum Jesus resuscitaret, qui, scilicet ex ejus morte tot lacrymæ et ploratus Marthæ, Mariæ amicorumque omnium processerant. Ita Toletus. « Ira, ait S. Basilius, hom. *De Ira*, est rationi adjutrix contra peccatum, seu miles apud ducem. Nervus est animæ indignatio, fortitudinem constantiamque ac robur ad res bene et ordine gerendas præbens : quæ animam voluptate lascivientem, velut ferro quodam cohibet. Sicut canis pastori, sic rationi ira obediens, vitia quasi lupos allatrat et fugat, » juxta illud *Psal.* IV : « Irascimini, et nolite peccare. » Sic Christus assumens iram, vendentes e templo flagello ejecit, *Joan.* II. Sic Moses occidens 22 millia, idololatriam vituli cohibuit, *Exod.* XXXII. Sic Elias tres quinquagenarios ad se capiendum a rege missos, igne cœlesti consumpsit, IV *Reg.* I. Irascendum ergo est peccato, concupiscentiæ, tentationi. Audi S. Gregorium Nazianzenum, qui sic carmen *De Ira* orditur :

Irascor iræ, dæmoni intus condito.

Ira enim est quasi dæmon internus, cui prompte irascendum est. Hæc enim est justa ira, « quæ est quasi miles quidam, rationis satelles, cupiditatis vindex, » ait Nicetas in *orat.* 43 *Nazianzeni*. De S. Malachia, Episcopo Hiberniæ, sic scribit S. Bernardinus in ejus Vita : « Ira ejus in manu ejus. Vocata veniebat, exiens non erumpebat : nutu, non impetu ferebatur. Non urebatur illa, sed utebatur. » Et paulo ante : « In sua tribulatione patiens, in aliena compatiens erat, plerumque et impatiens. Siquidem repletus zelo, pro aliis in alios movebatur, ut eripiens inopes, et reprimens fortes, consuleret omnibus in salutem. » Et inferius : « Sine turbatione versabatur in turbis : sine otio tempus, quod otio dederat, transigebat, » etc. Hoc est quod ait Christus, *Isaiæ* LXIII, 5 : « Salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos in indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum (1). »

(1) Hæc Rosenmullerus ad h. l. « Ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, id est *commotus est misericordia*, vel potius *tristitia affectus est*. Nam verbum ἐμβριμᾶσθαι, quod alias est *fremere*, graviter et vultu irato increpare, h. l. mitiori sensu accipiendum est. Significat enim quemlibet animi motum graviorem, sive ille ex ira sit, sive ex metu, sive, ut hic, ex dolore. Sic etiam verba זעם et זעף interdum ad tristitiam referuntur. Alii, inter quos Kuinoelius, significationem hujus verbi primitivam retinendam esse censent, et Domino arbitrantur indignationem movisse et Mariæ et reliquorum præsentium lacrymas. Quæ tamen interpretatio nullo modo admitti potest, quum neque Maria, neque Judæi testes interfuerint colloquio quod Jesus cum Martha habuerat, vers. 21-27. Quare Dominus solam Martham ob fidei infirmitatem, vers. 40, corrigere videtur. Ἐν πνεύματι, h. e. ἐν ἑαυτῷ. »



ET TURBAVIT SEIPSUM, — hoc est, elicuit in se libere et sponte affectum magnum tum indignationis jam dictæ, tum commiserationis et lacrymarum, ob ploratum communem Marthæ, Mariæ et cæterorum : illis enim non condolere, nec compati inhumanum fuisset ; iis ergo se Jesus turbavit.

Nota : Hæ passiones indignationis, tristitiæ, commiserationis, fletus, ita fuerunt in Christo, ut rationem et voluntatem ejus non prævenirent, neque invito exorirentur, ut oriuntur in nobis ; sed potius rationem sequerentur, et ab ea imperarentur et excitarentur. Unde eas semper dirigebat et moderabatur recta ratio. Hinc ait : « Turbavit seipsum, » non autem, turbatus est. Quare hæ passiones in Christo non tam fuere passiones, quam propassiones libere assumptæ, uti ex Damasceno docent Theologi. Poterat enim Christus eas pro arbitrio suo excitare, sopire, moderari, regere, flectere, multo magis quam auriga regit suos equos et currum. Vide dicta *Matth.* XXVI, 27 ; unde ait S. Augustinus : « Quis eum posset, nisi ipse turbare ? turbatus est, quia voluit ; esuriit, quia voluit : in illius potestate erat sic vel sic affici. » Causam dat Theophylactus : « Ostendit, inquit, se verum esse hominem, et non apparentem, et nos docet compati. »

Turbavit ergo seipsum induens affectum doloris, iræ et compassionis, eumque ostendens mutato vultu et voce præ dolore. Igitur propria causa hujus fremitus et turbationis Christi fuit mors Lazari, indeque ploratus Mariæ et Judæorum, ut patet ex ipsis verbis. Ait enim : « Jesus ergo ut vidit eam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum. » Jesus enim videns tantas afflictiones Marthæ et Mariæ suarum discipularum, ac communem omnium ploratum ob mortem Lazari, excitavit in se fremitum, hoc est actum indignationis, quo indignabatur familiam hanc adeo sibi hospitalem, amicam et devotam in tantam afflictionem et luctum incidisse, quæ merebatur omnem consolationem et omne gaudium. Quare consequenter indignabatur totum genus humanum, tam nobile, integrum, sanum et immortale a Deo conditum, in has morborum et mortis ærumnas, indeque in tot ploratus et gemitus incidisse (hoc enim videbatur indignum), indeque indignabatur peccato, æque ac diabolo, qui tantæ indignitatis, ac horum omnium malorum fuit origo et causa, atque indignatione hac plane obfirmavit animum, mala hæc imprimis a Martha et Maria, suscitando statim Lazarum, ac deinde a toto genere humano, per suam crucem et mortem jam instantem, depellere. Miseria ergo Lazari et hominum excitavit commiserationem Christi, commiseratio excitavit indignationem in tantas ærumnas, indignatio auxit commiserationem, simulque cum ea excitavit zelum, et propositum ærumnas illas depellendi, etiam cum jactura vitæ suæ per mortem in cruce, qua res tanta illi emenda erat, juxta illud *Isaiæ* LXIII, 4 : « Dies ultionis in corde meo, etc., indignatio ipsa auxiliata est mihi. »

34. ET DIXIT : UBI POSUISTIS EUM ? DICUNT EI : DOMINE, VENI, ET VIDE. — Sciebat Christus locum sepulturæ Lazari ; nam, ut arguit S. Augustinus : « Scisti quia mortuus sit, et ubi sit sepultus, ignoras ? » Interrogat tamen, quia humano more cum hominibus agebat, et interrogando parabat se viamque sternebat ad Lazari suscitationem, ac simul Mariam, Martham et Judæos excitabat ad tanti miraculi attentionem, ut attente considerarent omnia dicta et facta Christi, qui eum erat suscitaturus.

Symbolice S. Gregorius, lib. IV *epist.* 42 : Christus, ait, Evæ peccatum mulieribus memorans, dicit : Ego virum in paradiso posui, quem vos posuistis in sepulcro.

VENI, ET VIDE. — Avide invitant Jesum ut veniat et videat, sperantes eum, qui mortuos exteros suscitarat, etiam Lazarum domesticum, adeo sibi dilectum, suscitaturum. Unde mystice Interlinearis : « Vide, » inquit, id est miserere : nam, ut ait S. Augustinus, videt Dominus quando miseretur, juxta illud : « Vide humilitatem meam, et dimitte omnia peccata mea. » Aliter S. Chrysostomus et ex eo Theophylactus. Ita videbatur iturus, ait, ut lacrymaturus, non ut resuscitaturus.

35. ET LACRYMATUS EST JESUS, — viso Lazari sepulcro (licet Chrysostomus lacrymatum putet cum infremuit et turbavit seipsum, quod pariter est probabile), ut significaret dolorem conceptum ex ejus morte et suum in eum amorem.

*Secundo*, ut cum sororibus et Judæis lacrymantibus collacrymaretur, idemque nos facere doceret. Ita S. Augustinus. Audi S. Ambrosium, lib. IV *in Lucam*, in fine proœmii : « Christus omnibus omnia factus est, pauper pauperibus, dives divitibus, flens flentibus, esuriens esurientibus, sitiens sitientibus, profluus abundantibus. In carcere cum paupere est, cum Maria flet, cum Apostolis epulatur, cum Samaritana sitit. »

*Tertio*, ut lacrymas orationi addens, eam faceret vehementiorem et efficaciorem ; lacrymæ enim vehementis doloris et afflictionis, æque ac affectus et desiderii sunt signum : quare orationes lacrymis conditas, et quasi armatas Deus exaudire solet. Sic Christus in cruce « preces supplicationesque, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia, » *Hebr.* V, 7. Sic Tobias, cap. XII, vers. 12, audivit a S. Ra-

phacle : « Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, etc., ego obtuli orationem tuam Domino. » Sic Jacob luctans cum angelo, obtinuit benedictionem, *Genes.* XXXII, 36. Quare? quia « flevit et rogavit eum, » *Osee* XII, 4. « Lacrymæ pœnitentium, ait S. Bernardus, vinum sunt angelorum. » Mentis enim compunctio in oratione est, quæ movet et quas. cogit Deum ad miserendum, juxta illud : « Cor contritum et humiliatum Deus non despicies, » *Ps.* L, 19, sicut lacrymæ infantis movent matrem, et ab ea impetrant quod ille petit; Deus enim exhibet viscera matris.

Alii alias lacrymarum Christi dant causas. *Primo*, Cyrillus ait Christum flevisse humani generis miserias per peccatum invectas. *Secundo*, Andreas Cretensis ait eum flevisse Judæorum incredulitatem, quodque viso suscitationis Lazari miraculo, non essent tamen in Christum credituri. *Tertio*, Isidorus Pelusiota, in *Catena*, et Rupertus censent Christum flevisse, eo quod Lazarum ex limbo, hoc est ex portu et statu quietis revocaturus esset ad procellas, pericula et ærumnas hujus vitæ.

*Christus ter lacrymatus.* Porro Christus ter legitur lacrymatus. *Primo*, hic in morte Lazari; *secundo*, in cruce, *Hebr.* V, 7; *tertio*, videns Jerusalem ejusque excidium, *Lucæ* XIX, 41. Porro S. Bernardus, serm. 3 *in die Nativ.* : « Lacrymæ Christi, ait, mihi et pudorem pariunt et dolorem, etc. Adhucne ludam et deludam lacrymas ejus? » Et mox : « Compatitur Filius Dei, et plorat; homo patitur, et ridebit? » Et S. Augustinus hic, *tract.* 49 : « Flevit, ait, Christus, fleat se homo : quare enim flevit Christus, nisi quia flere hominem docuit? Quare fremuit, et turbavit semetipsum, nisi quia fides hominis sibi merito displicentis, fremere quodammodo debet in accusatione malorum operum, ut violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi? »

37. QUIDAM AUTEM EX IPSIS DIXERUNT : NON POTERAT HIC, QUI APERUIT OCULOS CÆCI NATI, FACERE UT HIC NON MORERETUR? — Utique id facere poterat, sed noluit, quia longe amplius facere decreverat, scilicet mortuum et quatriduanum suscitare : quod Judæi putabant impossibile, ideoque mirantur Christum non impedivisse Lazari mortem. « Qui noluit facere, ut non moreretur, ait S. Augustinus, plus est quod facturus est, ut mortuus suscitetur. »

38. JESUS ERGO RURSUS FREMENS IN SEMETIPSO, VENIT AD MONUMENTUM. — De hoc fremitu dixi vers. 33. Nota : Christus hic ter valde commotus, et lacrymatus fuit : *primo*, vers. 33, cum vidit Mariam et Judæos plorantes; *secundo*, vers. 34, cum vidit sepulcrum Lazari; *tertio*, hic, cum ad illud pervenit, ut ostenderet quam miseranda esset sors Lazari mortui, et typice sors peccatorum per peccata spiritualiter mortuorum, ac in gehennæ tormentis perpetim moriturorum. Hæc enim ipsi in agonia mortis sanguineas elicuit lacrymas, *Lucæ* XXII, 44.

ERAT AUTEM SPELUNCA, ET LAPIS SUPERPOSITUS ERAT EI. — Judæi enim nobiliores in speluncis, sive cryptis sepeliebantur, ut patet in sepultura Abrahæ, *Genes.* XXIII, 9; Isaac et Jacob, *Gen.* XLIX, 31; Joseph ab Arimathia, *Matth.* XXVII, 60.

Mystice S. Augustinus : Lapis hic, inquit, notat legem Mosaicam, quæ in tabulis lapideis scripta, omnia concludebat sub peccato.

Tropologice idem S. Augustinus, serm. 44 *De Verbis Domini secundum Joannem* : « Moles illa, ait, imposita sepulcro, ipsa est vis duræ consuetudinis, qua premitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur. »

39. AIT JESUS : TOLLITE LAPIDEM. — Jussit hoc Christus *primo*, ut Judæi, sublato lapide, viderent corpus Lazari, itaque ipsum non tantum mortuum cernerent, sed et putidum olfacerent, itaque suscitationem ejus pluris facerent. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius hic, et S. Ambrosius, lib. *De Fide resurrec. Secundo*, ut coram corpore Lazari orationem faceret, illudque mortuum Deo sisteret, ac ab eo resuscitari flagitaret.

Tropologice S. Bernardus, serm. 4 *De Assumpt.* : « Tollatur lapis, ait, sed maneat pœnitentia, non jam premens et onerans, sed vividam et robustam mentem roborans, atque confirmans : nimirum cujus cibus sit (quem antea nesciebat) Domini facere voluntatem; sic et disciplina non jam constringit liberum, secundum illud : Justis non est lex posita; sed voluntarium regit, et dirigit in viam pacis. »

DICIT EI MARTHA, SOROR EJUS QUI FUERAT MORTUUS : DOMINE, JAM FETET, QUATRIDUANUS (a quatuor diebus sepultus) EST ENIM. — Origenes, Cyrillus et Rupertus censent Martham id suggerere, ne Christus deformitate et fetore cadaveris Lazari offenderetur; Chrysostomus vero, Theophylactus, Euthymius, Leontius et Maldonatus, quia diffidebat Lazarum quatriduanum a Christo suscitari posse, ne id tentaret Christus : quod ipsa nullo modo fieri posse putabat, idque innuit reprehensio ejus mox facta a Christo : « Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? »

Mystice S. Augustinus, serm. 44 *De Verbis Domini secundum Joannem* : « Quatriduanus Lazarus, ait, significat peccatorem in peccati consuetudine sepultum, et quasi desperatum; ut dicatur, quatriduanus est, jam putet. Venit ergo Dominus, cui utique facilia erant omnia, et difficultatem quamdam ostendit. Ibi infremuit spiritu, ostendit multo clamore objurgationis opus esse ad eos qui consuetudine duruerunt. Tamen ad vocem clamantis Domini rupta sunt vincula necessitatis. Tremuit inferni dominatio, redditus est Lazarus vivus. Liberat enim et de mala consuetudine Dominus quatriduanos mortuos; nam ipse quatriduanus Christo volenti resuscitare dormiebat. »

40. DICIT EI JESUS : NONNE DIXI TIBI, QUONIAM (quod) SI CREDIDERIS, VIDEBIS GLORIAM DEI? — puta



miraculosam resuscitationem Lazari, per quam glorificetur Deus auctor tanti miraculi. Ita Euthymius, Maldonatus et alii. Hæc enim resuscitatio magnam gloriam attulit Christo et Deo. Tacite hic Christus coram Judæis incredulis insinuat se esse Deum; ipse enim suscitaturus erat Lazarum suo imperio suaque virtute, quod opus est solius Dei.

« Videbis gloriam Dei » ergo idem est quod « videbis gloriam meam, » qui sum Deus Deique Filius. Ita Leontius et Euthymius.

Sed ubi id Marthæ dixit Christus? Respondeo, Christum id non verbo tenus, sed quoad rem et sensum dixisse nuntiis a Martha missis, vers. 4, cum ait : « Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. » Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et Rupertus. Rursum et clarius ipsi Marthæ, vers. 23 : « Resurget frater tuus. » Et vers. 25 : « Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, etc. Credis hoc? »

SI CREDIDERIS. — Excitat Christus nutantem Marthæ fidem et spem; licet enim ipsa ante Christo occurrens dixerit, vers 27 : « Ego credidi quia tu es Filius Dei vivi; » et vers. 22 : « Scio quia quodcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus; » tamen cum ad rem ventum est, cum, inquam, Christus Lazarum suscitaturus jussit aperiri sepulcrum, cœpit Martha titubare; unde dixit : « Domine, jam fetet; quatriduanus est enim. » Habuit ergo alternantes motus gratiæ et naturæ, fidei et diffidentiæ, spei et desperationis de resurrectione Lazari, quales in nobis experimur, cum conversi ad Deum speramus omnia, licet difficilia, nos superaturos; conversi vero ad nostram infirmitatem, cum jam rem arduam aggredi debemus, trepidamus, hæremus, et pene diffidimus illam a nobis posse confici. Sic tirones ante prælium animos ingentes ostentant, at ubi prælium ingruit, primo hostium incursu terrentur et diffugiunt. Unde illud : « In pace leones, in prælio cervi. » Veterani vero milites ante prælium trepidant ut cervi, in prælio vero consistunt, pugantque ut leones. Hoc discrimine veteranum dignoscas a tirone.

41. TULERUNT ERGO LAPIDEM, — quo sublato, cadaver Lazari olidum et putidum apparuit, ut omnibus constaret eum vere esse mortuum, utque Christus ipsum ut talem Deo per preces sisteret, ac resuscitandum offerret.

JESUS AUTEM ELEVATIS SURSUM OCULIS (ad Deum Patrem, ut nos in oratione oculos, et magis mentem ad Deum in cœlum elevare doceret. Ita Damascenus, in *Catena*, ibidem Andreas Cretensis addit Christum in cœlum, quasi in patriam suspexisse, ut inde in terram se venisse innueret) DIXIT : PATER GRATIAS AGO TIBI, QUONIAM AUDISTI ME. — Hinc *primo*, nonnulli opinantur Christum, cum spiritu infremuit vers. 33, tacite in mente orasse Patrem, ut Lazarum suscitaret, ac ab eo responsum tulisse, Lazarum ab eo fore suscitandum, ideoque Christum hic dicere : « Pater gratias tibi ago, quoniam audisti me. » Hoc est probabile.

*Secundo*, alii putant Christum antea non orasse, quare Patrem non exaudisse ejus orationem, sed desiderium, quo desiderabat Lazarum suscitare. Deus enim piorum vota prævenit et desideria exaudit, juxta illud : « Desiderium animæ ejus tribuisti ei. » Et : « Desiderium pauperum exaudivit Dominus, » *Psal.* IX. Et : « Antequam clament ad me, ego exaudiam, » *Isaiæ* LXV, 24. Sic sensus erit, *q. d.* Gratias tibi ago, o Pater, quia annuisti votis meis, et voluisti Lazari resurrectionem, quam me velle et desiderare videbas. Ita S. Chrysostomus, Euthymius, Titelmannus, Jansenius et Ribera. Porro improbabile est quod addit Origenes, cum Christus pararet se ad orandum pro suscitatione Lazari, Deum Patrem eum prævenisse, ac ante orationem, animam Lazari corpori restituisse. Nam non ante, sed post eam fuisse corpori restitutam, patet ex vers. 43 et 44.

*Tertio*, plane et plene, *q. d.* Gratias tibi ago, o Pater, quia hactenus me orantem semper exaudisti, et assidue exaudis, ac præsertim nunc, cum tacite saltem et mentaliter, pro suscitatione Lazari te invoco et obsecro. Asseccuras enim me quod mox eum suscitabo. Docet hic Christus nos modum orandi, ut scilicet initio orationis gratias agamus Deo pro beneficiis acceptis. Hæc enim gratiarum actio Deum nobis conciliat, flectitque ad nova beneficia quæ poscimus, largiendum. Qui enim gratus est pro minoribus, majora meretur accipere. Est hæc fiducialis filiorum oratio. Unde subjicit Christus :

42. EGO AUTEM SCIEBAM QUIA (quod) SEMPER ME AUDIS, SED PROPTER POPULUM QUI CIRCUMSTAT, DIXI, UT CREDANT QUIA TU ME MISISTI. — *q. d.* Quod vocaliter dixi vers. 41 : « Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me, » non dixi propter me, quasi novum mihi sit me a te audiri; ego enim scio quod semper me vel sola mente orantem audis, sed propter populum astantem, ut is credat quod me miseris, ex eo quod videat me exaudiri a te, uti jam me exauditum videbit, cum ope tua supernaturali suscitabo Lazarum.

43. HÆC CUM DIXISSET, VOCE MAGNA CLAMAVIT : LAZARE, VENI FORAS. — « Voce magna, » *primo*, ut ostenderet vocem hanc habere vim magni et potentis imperii, quo a morte suscitabat Lazarum, quasi Deus imperans naturæ et morti. Unde Cyrillus : « Deo dignum, ait, et regium imperium est : Lazare, veni foras. » Dixit enim hoc non obsecrando, sed jubendo et imperando. Magna vox ergo significat magnam vim et potentiam, quæ Lazarum a morte ad vitam revocabat. Hoc enim opus erat difficillimum, ideoque summam et divinam exigebat potentiam, æque ac vocem. Rursum vox magna manabat a magna animi affectione et contentione, quam hic habuit Christus, ejusque erat indicium. *Vers. 43. Clamans voce magna Lazarum suscitat Christus.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

*Secundo*, ut significaret animam Lazari e loco remoto, puta e limbo patrum et centro terræ, ad corpus in terra sepultum revocari : remotis enim magna voce inclamamus, ut audiant, quanquam animabus separatis clamore non sit opus ; hunc enim non magis audiunt, quam vocem submissam, cum sint nudi et incorporati spiritus.

*Tertiam* causam dat Theophylactus : Altius clamavit, inquit, propter Gentilium errorem, fabulantium in tumulis esse animas defunctorum ; quasi enim longe manentem in limbo vocat per clamorem.

Symbolica et anagogica causa fuit, ut hac voce magna repræsentaret vocem tubalem Archangeli in die judicii, qua suscitabuntur omnes mortui. Unde S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, asserunt Christum hic reipsa monstrare voluisse quod dixerat cap. v, vers. 25 : « Venit hora, et nunc est, quando mortui audiunt vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent. » Audi S. Ambrosium, lib. *De Fide resurrectionis* : « Ostendit tibi Dominus quamadmodum resurgas. Non enim unum Lazarum, sed fidem omnium suscitavit. Quod si credas cum legis, mens quoque tua, quæ mortua fuerat, in illo Lazaro revixit. Quid enim sibi vult, quod Dominus ad monumentum accessit, magna voce clamavit : Lazare, exi foras, nisi ut futuræ resurrectionis specimen præstaret, exemplum ederet? cur voce clamavit, quasi spiritu non soleat operari, quasi tacitus non soleat imperare? sed ut illud ostenderet, quod scriptum est : Quoniam in momento oculi, in novissima tuba surgent incorrupti. »

Tropologice : magna vox Christi significat magnum impulsum gratiæ excitantis, qua opus est ut peccator e consuetudine peccati, in qua sepultus jacet, ad gratiam et novam vitam evocetur. Ita S. Augustinus, cujus verba recitavi vers. 30. Hinc illud Pauli, *Ephes.* v, 14 : « Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. »

LAZARE. — Vocat eum nomine proprio : « Ne, ut ait S. Ambrosius, *De Fide resurrect.*, alius resuscitatus pro alio videretur, aut fortuita magis resurrectio, quam imperata. » Rursum, mortuum quasi viventem compellat, quia Deo etiam omnes mortui vivunt, ait S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

VENI FORAS. — non quasi jam ante resurrexeris, et nunc tantum foras extra sepulcrum proditurus sis, uti hinc male collegit Origenes. Sed, « veni foras, » id est resurge, redi ex atris et arcanis mortis et inferni antris ; redi, o Lazari anima, ex intimis limbi patrum finibus in corpus hoc, indeque in vitam, auram et lucem hanc omnibus viventibus communem.

Tropologice : audi S. Gregorium, *homil.* 26 : « Veni foras : Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur ; sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur : Veni foras, ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur : Cur reatum tuum intra conscientiam tuam abscondis? foras jam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. »

Paulo aliter S. Bernardus, serm. 4 *De Assumpt.* : « Lazare, veni foras, *q. d.* Quousque conscientiæ tuæ caligo te detinet? quamdiu in cubiculo tuo gravi corde compungeris? Veni foras, procede, respira in luce miserationum mearum. Hoc enim est quod in Propheta legisti : Infrenabo os tuum laude mea, ne pereas. »

44. ET STATIM PRODIIT QUI FUERAT MORTUUS, LIGATUS PEDES ET MANUS INSTITIS. — « Statim. » Notatur vis vocis Christi, quæ celerrime mortuum suscitavit, ut dictum foret factum.

INSTITIS. — Græce κειρίαις, id est fasciis funereis et sepulcralibus, ita Syrus, quibus manus et pedes mortui constringebantur, ut in loculum arctum inferri, ibique apte componi possint. Arabicus vertit, *linteaminibus* ; Nonnus, *a pede usque ad caput constrictum complicatis totum corpus habebat fasciis sepulcralibus*. Porro, instita proprie est tenuissima fasciola, quæ stolæ extremitatem ambibat eique subsuebatur, qua honestæ matronæ utebantur. Unde Horatius, lib. I *Serm.*, satyra 2 :

> Quarum subsuta talos tegat instita veste.

ET FACIES ILLIUS SUDARIO ERAT LIGATA, — more Judæorum, ut mortuus significaretur, ac ne cui facies pallida et horrida horrorem incuteret.

Quæres, cur Christus mortuum suscitans, non simul vincula ejus dissolvit? Cur Christus vincula Lazari suscitati non solvit?

Respondent *primo*, SS. Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Leontius et alii, ut Judæi viderent eumdem Lazarum suscitari, qui paulo ante ut mortuus, ab ipsis fuerat fasciis et sudario obvolutus ; non vero esse phantasma, vel virum quempiam in sepulcro absconditum, ad fucum faciendum.

*Secundo*, ut duplex esset miraculum : *primum* enim fuit mortui suscitatio ; *secundum*, quod mortuus suscitatus quidem, sed adhuc pedibus colligatus, et faciem obvolutus, directe tamen ambularet, et extra sepulcrum recta ad Christum pergeret. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

Tropologice S. Augustinus, *tract.* 49 : « Processit, ait, et adhuc ligatus est, adhuc involutus ; tamen jam foras processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus jaces ; et si tanta, quanta dixi, contemnis, sepultus jaces ; quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occulto velut exeundo te manifestari? sed ut confitearis Deus facit, magna voce clamando, id est magna gratia vocando. »



Rursum S. Gregorius, IV *Moral.*, XXV : « Redemptor noster, ait, puellam in domo, juvenem extra portam, in sepulcro autem Lazarum suscitavit. Adhuc quippe quasi mortuus jacet in domo, qui latet in peccato. Jam quasi extra portam adducitur, cujus iniquitas usque ad inverecundiam publicæ perpetrationis aperitur. Sepulturæ vero aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam usu consuetudinis pressus gravatur. Sed hos ad vitam miseratus revocat, quia plerumque divina gratia non solum in occultis, sed etiam in apertis iniquitatibus mortuos et mole pravæ consuetudinis pressos, respectus sui lumine illustrat. »

Anagogice : S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quæst.*, Quæst. LXV : Lazarus, inquit, exiens de monumento, est anima recedens a carnalibus vitiis, sed ligata, id est nondum aliena a molestiis carnis, dum in corpore vivit ; facies sudario est tecta : plena enim cognitio in hac vita haberi non potest ; sed dicitur : « Solvite eum : » post hanc enim vitam auferentur velamina, ut facie ad faciem videamus.

DIXIT EIS JESUS : SOLVITE EUM, ET SINITE ABIRE — domum suam. Jussit hoc Christus Judæis, ut ipsi Lazarum contrectantes, miraculum a se factum ejusque suscitationem quasi manibus tangerent et palparent. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

Symbolice : Christus peccatores peccatorum funibus constrictos mittit ad Apostolos et sacerdotes, ut ab iis solvantur et absolvantur, dicens : « Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis, » *Matth.* XVIII, 18. Ita S. Augustinus : « Quid, ait, est, Solvite et sinite abire? quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo. » Sic et Beda, Rupertus et S. Gregorius, hom. 26 *in Evang.*, et lib. XXI *Moral.*, cap. IX.

Porro, advertit S. Gregorius Christum prius suscitasse Lazarum ad vitam, deinde misisse eum solvendum ad discipulos, ut significaretur peccatorem prius debere excitari a Christo ad pœnitentiam et propositum novæ vitæ, deinde a peccatis absolvi ab Apostolis. Addit S. Gregorius, optandum esse ut Christus prius eum per actum contritionis perfectæ vivificet et justificet culpamque aboleat, ac deinde eum sacerdotes a pœna absolvant. Verum hoc rarum est, nec necessarium. Multi enim non contriti, sed attriti duntaxat peccata sua confitentur sacerdoti, qui ab eo vi Sacramenti absolvuntur tam a culpa, quam a pœna.

Denique Lazarum ingentes egisse gratias Christo (etsi id sileat Joannes) nulli est dubium ; nam et vitam, quam ab ipso acceperat, eidem dedicavit factus ejus discipulus, prædicator et Episcopus Massiliensis. Unde ut talis Catalogo Sanctorum ascriptus legitur in *Martyrol. Rom.*, die 17 decembris, atque in ejus honorem magnificam basilicam exstruxit Leo VI Imperator, teste Zonara, lib. III. Vitam ejus ex actis S. Marthæ, Magdalenæ et Maximini collectam, paucis ita describit Petrus de Natal., Episcopus Esquilinus, lib. I *Catalog. Sanctorum*, cap. LXXII : « Lazarus Episcopus, frater Marthæ et Mariæ Magdalenæ, nobilis, de genere Judæorum, dives ac præpotens, patre Syro, matre Eucharia exortus : quatriduanus defunctus a Domino ex mortuis suscitatus, discipulus Christi et Apostolorum consocius fuit, et in die Pentecostes unus ex numero centum viginti discipulorum extitit, in quos Spiritus Sanctus corporaliter effusus est. Et deinde una cum cæteris prædicationi verbi Domini instabat, distractisque omnibus, sicut et cæteri, pretium Apostolorum pedibus præsentavit et apostolicam vitam et formam assumpsit. Verum persecutione Judæorum, quæ facta est post Stephani lapidationem, ita ut cuncti discipuli dispergerentur per civitates præter Apostolos, ut dicitur *Act.* VIII, ipse una cum sororibus suis, et S. Maximino, et S. Cælidonio, qui fuerat cæcus a nativitate, et cum Marcella pedissequa Marthæ, naviculæ sine remo vel duce impositi sunt, et mari expositi, a Judæorum finibus expulsi. Qui, Deo duce, Massiliam pervenerunt, ubi prædicante Magdalena, et omni provincia ad Deum conversa, ipse anno 14 a clero et populo Episcopus Massiliensis constitutus est. Et postquam Magdalena deserta montium petiit, ipse Massiliæ degens Dei populum feliciter gubernavit, ubi et in Domino requievit 16 Kal. januarii ; cujus ibidem in matrice Ecclesiæ caput ostenditur. Dicitur quod Lazarus a Domino suscitatus, confestim Christum interrogavit, an eum iterum mori oporteret ; et quod de cætero nunquam risit. »

45. MULTI ERGO EX JUDÆIS, QUI VENERANT AD MARIAM ET MARTHAM, ET VIDERANT QUÆ FECIT JESUS, CREDIDERUNT IN EUM. — Evidentia enim et magnitudine tam miraculosæ suscitationis Lazari convincebantur Jesum esse Prophetam, imo Messiam, ut ipse profitebatur.

46. QUIDAM AUTEM EX IPSIS ABIERUNT AD PHARISÆOS, ET DIXERUNT EIS QUÆ FECIT JESUS. — Dubitat S. Augustinus an bono animo, an malo id fecerint : sive annuntiando ut crederent, sive prodendo ut sævirent, ait Glossa ; poterant enim bono id facere, scilicet hac mente, ut Pharisæos, si non ad Christi fidem, certe ad mitiorem in Christum animum inflecterent, uti opinatur Origenes. Verum alii passim censent id eos malo animo fecisse : quare visa Lazari suscitatione non crediderunt (S. Joannes enim opponit hos iis qui crediderunt vers. præced.) in Christum, imo non crediderunt verum esse miraculum, sed magicum et præstigiosum, uti nunc hæretici, cum vident miracula B. Virginis Lauretanæ, vel Sichenensis, eadem calumniantur dicuntque esse vel conficta, vel præstigiosa. Probabiliter suspicatur Euthymius, hos Christi delatores fuisse illos, qui vers. 37 dixerant : « Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

non moreretur? » Quid ergo intendebant hac sua denuntiatione? *Primo*, Pharisæorum gratiam captare, male de Christo, et hoc ejus miraculo loquendo, ait Cyrillus. *Secundo*, calumniari hanc suscitationem, quasi præstigiosam, ac Christum quasi præstigiatorem accusare, ait Euthymius. *Tertio*, per hanc suscitationem, Pharisæorum invidiam et indignationem in Christum magis accendere, ait Rupertus. Unde et mox Pharisæi coacto concilio Jesum occidendum decreverunt. Addit Theophylactus et Leontius, intendisse eos Christum accusare quasi sacrilegum, eo quod mortui corpus effodisset. Magna ergo fuit eorum malitia et malignitas, qua Christo pro tanto beneficio, tantum maleficium, pro miraculo blasphemiam, pro vita mortem rependerunt eumque Pharisæis ad crucem damnandum objecerunt et adegerunt.

47. COLLEGERUNT (convocarunt) ERGO PONTIFICES ET PHARISÆI CONCILIUM, ET DICEBANT: QUID FACIMUS (quid facere nos oportet? Syrus, *quid agemus?*) QUIA HIC HOMO MULTA SIGNA FACIT? — Debebant ipsi ex tot Jesu signis et miraculis convinci et credere ipsum esse Messiam Dei Filium; sed odio et invidia excæcati, contrarium dicunt et agunt; unde nec nominare eum dignantur, sed dicunt: « Hic homo, » quasi merus et vilis esset homo (hominem adhuc vocant, ait Chrysostomus, qui tantam deitatis ejus demonstrationem susceperant), ac de ejus cæde deliberant eique vitam eripere destinant, qui Lazaro vitam reddiderat, et a quo vitam æternam petere et sperare debebant. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus. « Non dicebant: Credamus, ait S. Augustinus, plus enim perditi homines cogitabant, quomodo nocerent ut perderent, quam quomodo sibi consulerent, ne perirent. » Infatuatum est ergo insipiens cor eorum, quo sibi totique suæ Judæorum nationi exitium præsens et æternum accersiverunt.

Quanta insipientia, ait Origenes, et cæcitas, qui cum testificentur multa peregisse miracula, se putent contra illum posse aliquid, quasi ab eorum insidiis se non possit eximere.

48. SI DIMITTIMUS EUM SIC, OMNES CREDENT IN EUM; ET VENIENT ROMANI, ET TOLLENT LOCUM NOSTRUM ET GENTEM. — *q. d.* Romani perdent Judæam totamque gentem Judaicam. S. Chrysostomus et Theophylactus, per « locum » accipiunt Hierosolymam, metropolim Judææ, indeque totum ejus regnum. Maldonatus vero accipit templum; hoc enim cum suis victimis et lucris eripi sibi a Romanis metuebant pontifices.

OMNES CREDENT IN EUM. — Vide hic invidiæ genium et effectum ipsa condignum: pontifices volentes Christi gloriam obscurare, eam magis illustrant, dicendo quod omnes in eum credituri sint. Cur ergo vos quoque in eum non creditis? Audi S. Gregorium, lib. VI *Moral.*, cap. XIII: « Intulerunt ei mortem, ut ab eo absconderent fidelium devotionem: sed fides inde crevit, unde se hanc exstinguere infidelium crudelitas credidit. »

ET VENIENT ROMANI, ET TOLLENT (Vatablus, *transferent nos alio*) LOCUM NOSTRUM ET GENTEM. — Nonnulli opinantur eos hoc sentire, *q. d.* Si omnes credant in Iesum, omnes a nobis nostroque Judaismo, Synagoga et republica ad eum abibunt, et sic nullus erit, qui pro nobis contra Romanos nobis jugum inducere volentes depugnet. Unde S. Augustinus: « Timebant, ait, ne, si omnes in Christum crederent, nemo maneret, qui contra Romanos civitatem templumque defenderet. Temporalia ergo perdere timuerunt, et vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt. Tulerunt autem Romani et locum et gentem, expugnando et transferendo. »

Cur a Romanis propter Christum sibi metuunt Judæi? Verisimilius alii, *q. d.* Si omnes credant Jesum esse Messiam regem Judæorum, irritabuntur contra nos Romani, Judææ domini, quod nobis novum regem et Messiam, puta Jesum creaverimus, ac a Cæsare Tiberio ad eum defecerimus: quare armati venient et tollent, Græce ἀροῦσι, id est capient, vastabunt et perdent Hierosolymam et Judæam, cum tota Judæorum gente et republica. Ita Chrysostomus. Volebant, inquit, populum concitare, ut periclitaturum ex suspicione tyrannidis, *q. d.* Si Romani viderint Jesum turbas ducentem, suspicabuntur tyrannidem et destruent civitatem. At quos Christus armigeros circumducebat et equites? Verum livor et odium excæcabat eos, ut plane errarent et paralogizarent. Nam *primo*, Jesus erat rex Judæorum, non temporalis, sed spiritalis, qui regnum temporale Cæsaris non tangebat, imo augebat. Dabat enim ei tributum aliisque dandum esse docebat, adeoque cum populus eum regem temporalem creare vellet, aufugit, *Joan.* VI, 15. *Secundo*, Judæi pluris facere debebant salutem animæ æternam, quam temporalem corporis. Quare potius perdere debuissent corpus, quam animam; potius Judæam, quam cœlum. Adde: Christus, si in se credidissent, ab eis omne malum, etiam temporale, avertisset. *Tertio*, si credidissent in Jesum, ab eo didicissent obedire Romanis, quasi rerum dominis, eisque tributa pendere: quare a Romanis nil eis metuendum fuisset. *Quarto*, ideo Romani perdiderunt Judæam, quia ipsi suum occiderunt Messiam, justa Numinis vindicta, uti censuit ipse Titus, eorum eversor, teste Josepho. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius, Theophylactus, qui et addunt pontifices non vere hoc in animo sensisse, nec metuisse Romanorum adventum et excidium propter Jesum, sed idipsum tantum invidiæ et odio suo in Jesum, quasi velum prætexuisse. Porro ipsi excæcati occidentes Jesum, in Romanorum gladium et excidium, ac, quod magis est, in mortem æternam et gehennam incurrerunt.

Sic hodie Machiavelistæ et Politici, qui politiam præferunt religioni, regnum fidei, rempublicam Ecclesiæ, et bona terrena cœlestibus, temporalia æternis, utraque perdunt, uti recte advertit S. Augustinus. Illustre exemplum hoc sæculo fuit Volsæus, qui offensus Carolo V, suasit Henrico VIII, Angliæ regi, ut Catharinam uxorem Caroli amitam repudiaret, quod ipsum desiderare sciebat; sed tandem ipse justo Dei judicio in Henrici indignationem incidit, ac ab eo captus, dixit: « Juste hæc patior, quia dum regis gratiam cum offensa Dei aucupatus sum, Dei gratiam amisi, nec regis gratiam acquisivi. » Ita Sanderus, in *Schism. Anglican.* Hi ergo hinc discant quod fides et pietas non tollunt politiam et regnum temporale, sed potius conservant et augent; infidelitas vero et impietas illud evertunt. Unde notat Chrysostomus, *hom.* 6, Judæos a Deo non fuisse punitos, nisi cum Dei fidem et cultum deseruerunt, idque probat ex historia Achior, *Judith*, cap. V.

Vers. 49. 49. UNUS AUTEM EX IPSIS, CAIPHAS NOMINE, CUM ESSET PONTIFEX ANNI ILLIUS, DIXIT ILLIS. — Consultantibus cæteris, nec quid facto opus esset invenientibus, vel definientibus, Caiphas quasi pontifex consilium suggerit et rem totam definit. Dicitur autem « pontifex anni illius, » quia cum ex lege, *Exodi* XXVIII, deberet pontificatus durare pontifici usque ad mortem, ac post eam in filium primogenitum, jure quasi hæreditario derivari; Romani præsides eos crebro mutabant vel pro arbitrio, vel accepto ab ambientibus pretio. Audi Josephum, lib. XVIII *Antiq.*, cap. III. Augusto Cæsari in imperio successit Tiberius: « A quo, ait, quintus Judæorum præses missus est in Annii Rufi locum Valerius Gratus. Hic adempto Anano sacerdotio Ismaelem, Fabi filium, jussit esse pontificem: quo paulo post dejecto, in Eleazarum, Anani pontificis filium, eum honorem transtulit. Elapso deinde anno, et hunc redegit in ordinem, et Simoni, Camithi filio, pontificatum tribuit, hic quoque anno in hac dignitate exacto, jussus est eam cedere Josepho, qui cognominabatur Caiphas. »

Pontificatus apud Judæos non annuus?

Non ergo annuus apud Judæos erat pontificatus, ut ex hoc loco colligere videtur S. Augustinus, sed per annos plures vel pauciores, imo per eumdem annum subinde mutabatur.

Porro « Caiphas, » ait Pagninus, hebr. idem est quod *vomens ore* (קוא *kaa* enim est vomere, פה *pe* est os), vel *sagax investigator* et scrutator. Apte, quia evomuit hic impiam in Christum sententiam ejusque sagax fuit scrutator et inventor.

50. VOS NESCITIS QUIDQUAM, NEC COGITATIS QUIA EXPEDIT VOBIS UT UNUS HOMO MORIATUR PRO POPULO, ET NON TOTA GENS PEREAT. — *q. d.* Vos quasi plebeii et privati estis bardi et stipites, nil hac in re intelligitis, nec quid facto sit opus cognoscitis, nil expeditis, nil definitis, nullum consilium congruum suggeritis, sed ego quasi pontifex a Deo illuminatus, rem verbo expedio; consilium optimum do, et rem totam definio; dicendo: « Expedit ut unus homo, » puta Jesus, licet de nullo crimine accusatus, imo innocens et Propheta, ac tanti miraculi opifex, « moriatur (occidatur a nobis) pro populo, » ut scilicet populus propter eum non periclitetur apud Romanos; ne videlicet Romani propter Jesum, quasi Messiam et regem Judæorum, tollant eorum locum et gentem, itaque gens tota non pereat, sed eo sublato incolumis salvaque consistat. Hoc ergo fuit impium, falsum et injustum judicium Caiphæ, scilicet expedire ad salutem populi, ut Christus innocens occideretur, ne propter eum Romani Judæam et Judæos vastarent. Ratio ejus erat, quia præstat unum perire, quam multos, juxta illud: Satius est ut pereat unus, quam unitas et communitas, *q. d.* Quid ergo cunctamini? quid deliberatis? mihi non est dubium expedire unum Jesum pro omnibus Judæis mori. Ita Toletus, Jansenius, Maldonatus et alii.

Symbolice Origenes: Nil noverant, inquit, qui Jesum non noverant, juxta illud:

> Si Jesum noscis, satis est, si cætera nescis.
> Si Jesum nescis, nil est, si cætera noscis.

51. HOC AUTEM A SEMETIPSO NON DIXIT: SED, CUM ESSET PONTIFEX ANNI ILLIUS, PROPHETAVIT, QUOD JESUS MORITURUS ERAT PRO GENTE — Judæorum. Vers. 51
Nota, Caipham cum aliis principibus sacerdotum Christo infensissimum; ex privato in eum odio idem voluisse clare dicere, quod alii tacite innuebant, sed non exprimebant, scilicet Christum esse tollendum e medio pro salute populi, ne a Romanis invaderetur, uti jam dixi: sed Spiritus illi volenti hoc eloqui, quasi pontifici et capiti Ecclesiæ, ea verba objecit, quibus contrarium potius diceret, et verissimam in Christum fidem confirmaret et definiret, scilicet expedire ut Christus pro populo, id est pro salute populi moreretur, ac morte sua quasi dato pretio eumdem a peccato, diabolo, morte et gehenna redimeret, ne alioqui ille periret in æternum. Hoc enim verba Caiphæ proprie et præcise significant: alioqui enim secundum impiam in Christum Caiphæ mentem, ipse potius dicere debuisset sic: Expedit ut unus Jesus moriatur præ toto populo, vel potius quam totus populus; jam autem non dicit *præ*, sed *pro* populo: quod proprie significat pro salute populi, ut salvet populum; ac licet hoc Caiphas non intelligeret; multo minus intenderet, solerter tamen id suggerente Spiritu Sancto advertit hic S. Joannes, et sicut ipse advertit, sic et alii viri sinceri et probi Caipham audientes, idipsum tunc advertere potuerunt, æque ac nos advertimus. Hinc disce, quantam curam habeat Deus Ecclesiæ, quamque assistat Pontifici; qui ejus est caput, præsertim in lege nova, quam instituit, sanxit regitque



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Christus; quasi ejus caput et sponsus, ne scilicet Ecclesia Christi sponsa a fide et veritate aberret.

Porro, quia Caiphas hoc mysterium non intellexit, hinc proprie Propheta non fuit, ut notat Origenes, quia Spiritus Sanctus per os ejus locutus est, sicut angelus locutus est Balaam impio per os asinæ, *Num.* XXII et seq. Caiphas ergo scelestissime verba Spiritus Sancti detorsit ad necem Christi. Intendit enim dicere expedire ut Christus tolleretur, ne Judæi per eum Romanos Cæsares et præsides offenderent. Unde S. Chrysostomus ait Spiritum Sanctum Caiphæ linguam, non cor movisse.

Dices : Ergo Caiphas hic erravit in fide. Respondeo : Nego consequentiam, imo veram fidem definivit, scilicet expedire ut Christus pro salute mundi moreretur, uti jam dixi; esto id ipse non intelligeret, nec dicere intenderet; intendebat enim Christum esse tollendum, ne propter eum populus a Romanis vastaretur, qua in re, licet erraret contra justitiam et pietatem, non tamen contra fidem. Error enim hic versabatur circa factum politicum, scilicet an Christus esset occidendus pro statu politico, nec ne. Adde, pontifex Judaicus non habebat illam infallibilem assistentiam Spiritus Sancti, quam a Christo, et post Christum habent Pontifices christiani; præsertim cum jam Synagoga Judæorum, præsente Christo, cadere inciperet, et ejus loco surgeret et succederet Ecclesia Christi. Unde paulo post Caiphas cum toto concilio Sanedrim, Jesum quasi pseudo-messiam reum mortis proclamavit; qui erat error in fide : quare tunc desiit eorum Synagoga esse Ecclesia Dei cœpitque esse Synagoga Satanæ, dum Christum a Deo missum negavit et occidit : de quo *Matth.* XXVII, 1 et seq.

Denique prophetia hæc Caiphæ fuit de morte Jesu certo futura, certo, inquam, in causis. Intendebat enim Spiritus Sanctus hoc per os ejus significare, scilicet expedire ut Christus moreretur pro salute hominum, ac pro ea certo moriturum, ex odio, prava mente et sententia Caiphæ ejusque sociorum, quam hic vultu et gestu satis ostenderunt. Unde paulo post Jesus reipsa ab eis occisus est et mortuus. Quare quidquid hic fuit prophetiæ, non meritis Caiphæ, sed pontificali ejus officio dedit Spiritus Sanctus. Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Beda et cæteri.

52. ET NON TANTUM PRO GENTE (sua Judaica), SED UT FILIOS DEI, QUI ERANT DISPERSI, CONGREGARET IN UNUM. — *q. d.* Expedit mori Christum, non tantum pro sua gente et nostra, id est pro Judæis, sed etiam pro Gentibus universis credituris in Christum, ac per totum mundum dispersis. Hi enim vocantur « filii Dei, » non jam actu et reipsa, sed in Dei præscientia et prædestinatione : quia scilicet per Dei gratiam futuri erant fideles et sancti, ideoque filii Dei. Ita S. Augustinus et Chrysostomus. Hoc est quod prædixit Christus, cap. X, 16 : « Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili (ex Synagog. Jud.), et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor. »

53. AB ILLO ERGO DIE (Græce *hora*) COGITAVERUNT UT INTERFICERENT EUM. — Ecce hic clare patet iniqua mens, intentio et sententia Caiphæ et sociorum. Pro « cogitaverunt, » Græce est συνεβουλεύσαντο, quod nonnulli vertunt, *consultabant*. Ita Vatablus. Arabicus, *consulucrunt*; melius Cyrillus, Leontius et Chrysostomus : « Consultationem finierunt et firmarunt communi decreto, et quasi senatus consulto. » Unde Noster vertit, *cogitaverunt*, id est decreverunt; Syrus, *machinabantur, ut eum interficerent*.

54. JESUS ERGO JAM NON IN PALAM (Græce ἐν παῤῥησίᾳ, id est libere, aperte, publice) AMBULABAT. Vers. 54.
— Audi Cyrillum : « Tanquam Deus; quid de se statuissent Judæi, nemine nuntiante cognovit, tanquam homo se subduxit, » quia necdum venerat hora mortis ejus a Patre decreta. Fecit hoc ut nobis exemplum daret per fugam pericula vitæ declinandi. Ita idem Cyrillus, Theophylactus, Origenes, Augustinus, Beda, Rupertus.

SED ABIIT IN REGIONEM JUXTA DESERTUM, IN CIVITATEM QUÆ DICITUR EPHREM, ET IBI MORABATUR CUM DISCIPULIS SUIS. — « Ephrem » idem est quod « Ephraim; » Græci enim pro *Ephraim* dicunt *Ephrem*, ut *Psal.* LXXVII : « Filii Ephrem intendentes, et mittentes arcum. » Leontius opinatur Ephrem quænam urbs?
Ephrem esse Bethleem, in qua natus erat Christus : sed hoc parum est verisimile, quia Bethleem erat vicina Jerusalem, et ibi maxime a pontificibus se quærendum sciebat Jesus. S. Hieronymus, in *Locis Hebr.*, et ex eo Jansenius putant « Ephrem » esse *Ephron*, de quo II *Paral.* XIII, 19, sed ibi Ephron scribitur per *ain* et *nun*; Ephraim vero sive Ephrem scribitur per *aleph* et *mem*. Ribera Ubinam?
et alii putant Ephrem sitam fuisse supra Jericho, juxta ejus desertum; Adrichomius vero, pag. 26, num. 40, Ephrem collocat in quinto milliario Bethelis versus Orientem, septem horis distantem a Jerusalem, juxta desertum Hai, non longe a torrente Carib, ad quem Elias fugiens Jezabel secessit ibique pastus fuit a *corvis*, III *Reg.* XVII. Secessit eo Jesus, tum ut iras pontificum ad tempus declinaret, tum ut in hoc secessu orationi et contemplationi vacans, animaret et armaret se ad instantem mortem et arduum cum pontificibus, imo cum Lucifero in cruce duellum. Hinc Ephraim et Ephrem hebr. idem est quod *fertilitas*, ac Christi typus fuit Ephraim, filius Joseph, cui pater hoc nomen indidit, vaticinando dicens : « Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ, » *Genes.* XLI, 52; sic enim crevit Christus in terra quam sterilem ipse fertilem virtutum et Sanctorum effecit.

Hinc Ephraim symbolice typus est Ecclesiæ Gentium, quæ fructum hunc copiosum protulit. Ita Origenes : « Conversabatur Jesus, ait, dudum inter Judæos, Verbum scilicet divinum per Prophetas; sed abiit, nec est apud illos; accessit autem ad villam, quæ est prope desertum, de qua dicitur : Multi filii desertæ magis quam conjugatæ; interpretatur autem Ephrem fertilitas. Fuit vero Ephraim, frater Manasse, senioris populi oblivioni traditi; post populum enim oblivioni datum prætermissum, prodiit ex Gentibus abundantia. Discedens ergo Dominus a Judæis, venit in terram totius orbis, prope desertam Ecclesiam, quæ dicitur civitas fecunda, ibique moratur cum discipulis usque nunc. »



Tropologice : Ephrem sita juxta desertum, symbolum est animæ sanctæ vacantis solitudini et orationi; hæc enim fit Ephrem, id est fructifera bonorum operum; quare in ea per gratiam suam copiosam commoratur Jesus.

55. PROXIMUM AUTEM ERAT PASCHA JUDÆORUM, — scilicet ultimum Pascha Christi, quo ipse quasi agnus paschalis in cruce immolatus est pro salute mundi, ideoque illud avide exspectabat. Syri pro *Pascha* dicunt *Pezcho*, quod interpretantur *hilaritas*, quia erat hoc festum cæteris hilarius, æque ac Christianis summe est hilare, ob Christi in eo factam in cruce redemptionem nostram ac resurrectionem.

ET ASCENDERUNT MULTI HIEROSOLYMAM DE REGIONE (de vicinis oppidis, pagis et vicis, ita Syrus) ANTE PASCHA, UT SANCTIFICARENT SEIPSOS, — id est, ut sacrificiis et cæremoniis purgarent se ab omnibus immunditiis legis, ac orationibus et sacrificiis se præpararent ad Pascha rite celebrandum et comedendum, ut ait S. Thomas et Jansenius, et ideo aliquot diebus ante Pascha erant in Jerusalem.

56. QUÆREBANT ERGO JESUM, ET COLLOQUEBANTUR AD INVICEM, IN TEMPLO STANTES : QUID PUTATIS, QUIA NON VENIT AD DIEM FESTUM? DEDERANT AUTEM PONTIFICES ET PHARISÆI MANDATUM, UT SI QUIS COGNOVERIT UBI SIT, INDICET, UT APPREHENDANT EUM. — « Quia (quod) non venit : » Græce ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ, quod Cyrillus, Leontius et Vatablus vertunt negative, *quod non venerit*; S. Chrysostomus vero, Theophylactus et Maldonatus vertunt dubitative, *num venturum non esse ad diem festum?* Accedit Syrus, *quid putatis non venturum esse ad festum?* et Arabicus, *videturne vobis ipsum non venire ad festivitatem?* Cyrillus putat hanc esse interrogationem eorum qui in Christum credebant, qui non credentibus interrogando dicebant : Quare Jesus de more non venit ad commune hoc Paschæ festum? Utique quia ut Deus præsentit sibi in eo a Scribis parari insidias. Planius S. Augustinus, Chrysostomus, Beda, Theophylactus, Rupertus, Euthymius censent hanc esse interrogationem pontificum, Pharisæorum eorumque asseclarum et ministrorum, qui Jesum comprehendere decreverant, ideoque indignantes rogare : Cur Jesus non venit ad festum Paschæ? Itane hoc festum non celebrabit? Itane erit legis contemptor et violator, uti nos ei objicimus? cur diebus hisce Paschæ præviis non comparet, ut se cum cæteris purificet et ad tantum festum comparet?

# CAPUT DUODECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Jesus Bethaniæ convivio excipitur, in quo Magdalena ungit Christum, qui contra murmur Judæ eam defendit. Secundo, vers. 12, Christus postero die, id est in Dominica Palmarum, vectus asino, cum pompa quasi Messias Jerusalem ingreditur. Tertio, vers. 24, per parabolam grani frumenti, quod moriens copiose resurgit, prædicit instantem sibi passionem, et vox de cælo eum clarificat, ut exaltatus a terra omnia trahat ad seipsum. Quarto, vers. 37, narrat Judæos per tot signa Christi non credidisse in eum, nonnullos tamen occulte credidisse.*

1. Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem
suscitavit Jesus. 2. Fecerunt autem ei cœnam ibi, et Martha ministrabat; Lazarus vero
unus erat ex discumbentibus cum eo. 3. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici,
pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis; et domus impleta est ex
odore unguenti. 4. Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus :
5. Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis?
6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos
habens, ea quæ mittebantur, portabat. 7. Dixit ergo Jesus : Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.
8. Pauperes enim semper habetis vobiscum; me autem non
semper habetis. 9. Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic est; et venerunt, non

Christus; quasi ejus caput et sponsus, ne scilicet Ecclesia Christi sponsa a fide et veritate aberret.

Porro, quia Caiphas hoc mysterium non intellexit, hinc proprie Propheta non fuit, ut notat Origenes, quia Spiritus Sanctus per os ejus locutus est, sicut angelus locutus est Balaam impio per os asinæ, *Num.* XXII et seq. Caiphas ergo scelestissime verba Spiritus Sancti detorsit ad necem Christi. Intendit enim dicere expedire ut Christus tolleretur, ne Judæi per eum Romanos Cæsares et præsides offenderent. Unde S. Chrysostomus ait Spiritum Sanctum Caiphæ linguam, non cor movisse.

Dices : Ergo Caiphas hic erravit in fide. Respondeo : Nego consequentiam, imo veram fidem definivit, scilicet expedire ut Christus pro salute mundi moreretur, uti jam dixi; esto id ipse non intelligeret, nec dicere intenderet; intendebat enim Christum esse tollendum, ne propter eum populus a Romanis vastaretur, qua in re, licet erraret contra justitiam et pietatem, non tamen contra fidem. Error enim hic versabatur circa factum politicum, scilicet an Christus esset occidendus pro statu politico, nec ne. Adde, pontifex Judaicus non habebat illam infallibilem assistentiam Spiritus Sancti, quam a Christo, et post Christum habent Pontifices christiani; præsertim cum jam Synagoga Judæorum, præsente Christo, cadere inciperet, et ejus loco surgeret et succederet Ecclesia Christi. Unde paulo post Caiphas cum toto concilio Sanedrim, Jesum quasi pseudo-messiam reum mortis proclamavit; qui erat error in fide : quare tunc desiit eorum Synagoga esse Ecclesia Dei cœpitque esse Synagoga Satanæ, dum Christum a Deo missum negavit et occidit : de quo *Matth.* XXVII, 1 et seq.

Denique prophetia hæc Caiphæ fuit de morte Jesu certo futura, certo, inquam, in causis. Intendebat enim Spiritus Sanctus hoc per os ejus significare, scilicet expedire ut Christus moreretur pro salute hominum, ac pro ea certo moriturum, ex odio, prava mente et sententia Caiphæ ejusque sociorum, quam hic vultu et gestu satis ostenderunt. Unde paulo post Jesus reipsa ab eis occisus est et mortuus. Quare quidquid hic fuit prophetiæ, non meritis Caiphæ, sed pontificali ejus officio dedit Spiritus Sanctus. Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Beda et cæteri.

52. ET NON TANTUM PRO GENTE (sua Judaica), SED UT FILIOS DEI, QUI ERANT DISPERSI, CONGREGARET IN UNUM. — *q. d.* Expedit mori Christum, non tantum pro sua gente et nostra, id est pro Judæis, sed etiam pro Gentibus universis credituris in Christum, ac per totum mundum dispersis. Hi enim vocantur « filii Dei, » non jam actu et reipsa, sed in Dei præscientia et prædestinatione : quia scilicet per Dei gratiam futuri erant fideles et sancti, ideoque filii Dei. Ita S. Augustinus et Chrysostomus. Hoc est quod prædixit Christus, cap. X, 16 : « Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili (ex Synagog. Jud.), et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor. »

53. AB ILLO ERGO DIE (Græce *hora*) COGITAVERUNT UT INTERFICERENT EUM. — Ecce hic clare patet iniqua mens, intentio et sententia Caiphæ et sociorum. Pro « cogitaverunt, » Græce est συνεβουλεύσαντο, quod nonnulli vertunt, *consultabant*. Ita Vatablus. Arabicus, *consulucrunt*; melius Cyrillus, Leontius et Chrysostomus : « Consultationem finierunt et firmarunt communi decreto, et quasi senatus consulto. » Unde Noster vertit, *cogitaverunt*, id est decreverunt; Syrus, *machinabantur, ut eum interficerent.*

54. JESUS ERGO JAM NON IN PALAM (Græce ἐν παῤῥησίᾳ, id est libere, aperte, publice) AMBULABAT. — Audi Cyrillum : « Tanquam Deus; quid de se statuissent Judæi, nemine nuntiante cognovit, tanquam homo se subduxit, » quia necdum venerat hora mortis ejus a Patre decreta. Fecit hoc ut nobis exemplum daret per fugam pericula vitæ declinandi. Ita idem Cyrillus, Theophylactus, Origenes, Augustinus, Beda, Rupertus. Vers. 54.

SED ABIIT IN REGIONEM JUXTA DESERTUM, IN CIVITATEM QUÆ DICITUR EPHREM, ET IBI MORABATUR CUM DISCIPULIS SUIS. — « Ephrem » idem est quod « Ephraim; » Græci enim pro *Ephraim* dicunt *Ephrem*, ut *Psal.* LXXVII : « Filii Ephrem intendentes, et mittentes arcum. » Leontius opinatur Ephrem esse Bethleem, in qua natus erat Christus : sed hoc parum est verisimile, quia Bethleem erat vicina Jerusalem, et ibi maxime a pontificibus se quærendum sciebat Jesus. S. Hieronymus, in *Locis Hebr.*, et ex eo Jansenius putant « Ephrem » esse *Ephron*, de quo II *Paral.* XIII, 19, sed ibi Ephron scribitur per *ain* et *nun*; Ephraim vero sive Ephrem scribitur per *aleph* et *mem*. Ribera et alii putant Ephrem sitam fuisse supra Jericho, juxta ejus desertum; Adrichomius vero, pag. 26, num. 40, Ephrem collocat in quinto milliario Bethelis versus Orientem, septem horis distantem a Jerusalem, juxta desertum Hai, non longe a torrente Carib, ad quem Elias fugiens Jezabel secessit ibique pastus fuit a corvis, III *Reg.* XVII. Secessit eo Jesus, tum ut iras pontificum ad tempus declinaret, tum ut in hoc secessu orationi et contemplationi vacans, animaret et armaret se ad instantem mortem et arduum cum pontificibus, imo cum Lucifero in cruce duellum. Hinc Ephraim et Ephrem hebr. idem est quod *fertilitas*, ac Christi typus fuit Ephraim, filius Joseph, cui pater hoc nomen indidit, vaticinando dicens : « Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ, » *Genes.* XLI, 52; sic enim crevit Christus in terra quam sterilem ipse fertilem virtutum et Sanctorum effecit.

Ephrem quænam sit?

Ubinam?

Hinc Ephraim symbolice typus est Ecclesiæ Gentium, quæ fructum hunc copiosum protulit. Ita Origenes : « Conversabatur Jesus, ait, dudum



inter Judæos, Verbum scilicet divinum per Prophetas; sed abiit, nec est apud illos; accessit autem ad villam, quæ est prope desertum, de qua dicitur : Multi filii desertæ magis quam conjugatæ; interpretatur autem Ephrem fertilitas. Fuit vero Ephraim, frater Manasse, senioris populi oblivioni traditi; post populum enim oblivioni datum prætermissum, prodiit ex Gentibus abundantia. Discedens ergo Dominus a Judæis, venit in terram totius orbis, prope desertam Ecclesiam, quæ dicitur civitas fecunda, ibique moratur cum discipulis usque nunc. »

Tropologice : Ephrem sita juxta desertum, symbolum est animæ sanctæ vacantis solitudini et orationi; hæc enim fit Ephrem, id est fructifera bonorum operum; quare in ea per gratiam suam copiosam commoratur Jesus.

55. PROXIMUM AUTEM ERAT PASCHA JUDÆORUM, — scilicet ultimum Pascha Christi, quo ipse quasi agnus paschalis in cruce immolatus est pro salute mundi, ideoque illud avide exspectabat. Syri pro *Pascha* dicunt *Pezcho*, quod interpretantur *hilaritas*, quia erat hoc festum cæteris hilarius, æque ac Christianis summe est hilare, ob Christi in eo factam in cruce redemptionem nostram ac resurrectionem.

ET ASCENDERUNT MULTI HIEROSOLYMAM DE REGIONE (de vicinis oppidis, pagis et vicis, ita Syrus) ANTE PASCHA, UT SANCTIFICARENT SEIPSOS, — id est, ut sacrificiis et cæremoniis purgarent se ab omnibus immunditiis legis, ac orationibus et sacrificiis se præpararent ad Pascha rite celebrandum et comedendum, ut ait S. Thomas et Jansenius, et ideo aliquot diebus ante Pascha erant in Jerusalem.

56. QUÆREBANT ERGO JESUM, ET COLLOQUEBANTUR AD INVICEM, IN TEMPLO STANTES : QUID PUTATIS, QUIA NON VENIT AD DIEM FESTUM? DEDERANT AUTEM PONTIFICES ET PHARISÆI MANDATUM, UT SI QUIS COGNOVERIT UBI SIT, INDICET, UT APPREHENDANT EUM. — « Quia (quod) non venit : » Græce ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ, quod Cyrillus, Leontius et Vatablus vertunt negative, *quod non venerit*; S. Chrysostomus vero, Theophylactus et Maldonatus vertunt dubitative, *num venturum non esse ad diem festum?* Accedit Syrus, *quid putatis non venturum esse ad festum?* et Arabicus, *videturne vobis ipsum non venire ad festivitatem?* Cyrillus putat hanc esse interrogationem eorum qui in Christum credebant, qui non credentibus interrogando dicebant : Quare Jesus de more non venit ad commune hoc Paschæ festum? Utique quia ut Deus præsentit sibi in eo a Scribis parari insidias. Planius S. Augustinus, Chrysostomus, Beda, Theophylactus, Rupertus, Euthymius censent hanc esse interrogationem pontificum, Pharisæorum eorumque asseclarum et ministrorum, qui Jesum comprehendere decreverant, ideoque indignantes rogare : Cur Jesus non venit ad festum Paschæ? Itane hoc festum non celebrabit? Itane erit legis contemptor et violator, uti nos ei objicimus? cur diebus hisce Paschæ prævils non comparet, ut se cum cæteris purificet et ad tantum festum comparet?

# CAPUT DUODECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Jesus Bethaniæ convivio excipitur, in quo Magdalena ungit Christum, qui contra murmur Judæ eam defendit. Secundo, vers. 12, Christus postero die, id est in Dominica Palmarum, vectus asino, cum pompa quasi Messias Jerusalem ingreditur. Tertio, vers. 24, per parabolam grani frumenti, quod moriens copiose resurgit, prædicit instantem sibi passionem, et vox de cælo eum clarificat, ut exaltatus a terra omnia trahat ad seipsum. Quarto, vers. 37, narrat Judæos per tot signa Christi non credidisse in eum, nonnullos tamen occulte credidisse.*

1. Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. 2. Fecerunt autem ei cœnam ibi, et Martha ministrabat; Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. 3. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis; et domus impleta est ex odore unguenti. 4. Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus : 5. Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis? 6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. 7. Dixit ergo Jesus : Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. 8. Pauperes enim semper habetis vobiscum; me autem non semper habetis. 9. Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic est; et venerunt, non

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis. 10. Cogitaverunt autem principes Sacerdotum, ut et Lazarum interficerent; 11. quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum. 12. In crastinum autem, turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Hierosolymam, 13. acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel. 14. Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est : 15. Noli timere, filia Sion; ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. 16. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum; sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo, et hæc fecerunt ei. 17. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. 18. Propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. 19. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos : Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit. 20. Erant autem quidam Gentiles, ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo. 21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, et rogabant eum, dicentes : Domine, volumus Jesum videre. 22. Venit Philippus, et dicit Andreæ : Andreas rursum et Philippus dixerunt Jesu. 23. Jesus autem respondit eis, dicens : Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. 24. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, 25. ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. 26. Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. 27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. 28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo : Et clarificavi, et iterum clarificabo. 29. Turba ergo, quæ stabat et audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant : Angelus ei locutus est. 30. Respondit Jesus, et dixit : Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. 31. Nunc judicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. 32. Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. 33. (Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus). 34. Respondit ei turba : Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum; et quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? 35. Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant; et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. 36. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus; et abiit, et abscondit se ab eis. 37. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum; 38. ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit : Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? 39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias : 40. Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos. 41. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo. 42. Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur. 43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. 44. Jesus autem clamavit, et dixit : Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. 45. Et qui videt me, videt eum qui misit me. 46. Ego lux in mundum veni; ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. 47. Et si quis audierit verba mea, et non custodierit; ego non judico eum; non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. 48. Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum : sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. 49. Quia ego ex meipso non sum locu-



tus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar. 50. Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

Vers. 1. 1. JESUS ERGO ANTE SEX DIES PASCHÆ VENIT BETHANIAM, UBI LAZARUS FUERAT MORTUUS, QUEM SUSCITAVIT JESUS. — Jesus ex Ephrem, instante Paschate, quo sibi moriendum erat in cruce, venit in Bethaniam, ut ad mortem se pararet, imo morti se offerret, ejusque occasionem daret per Judæ proditoris avaritiam. Tò *ergo* dat causam, cur Jesus non Jerusalem, sed Bethaniam primo venerit, *q. d.* Cum pontifices, cap. præced., vers. ult., mandatum dedissent, ut Jesus apprehenderetur, ipse id Spiritu divino sciens, a Jerusalem divertit ac Bethaniam venit, ubi Lazarum suscitaverat, et multos benevolos habebat, ideoque apud eos secure degere poterat, ut inde quasi agnus paschalis immolandus pro salute mundi, paulo post in Dominica Palmarum Jerusalem solemni pompa ingrederetur.

Porro Bethania, quæ adjacet monti Oliveti, Hebraice idem est quod domus obedientiæ, ex qua Christus ire voluit in Jerusalem ad crucem. Unde Glossa : Venit, ait, in Bethaniam, id est domum obedientiæ, ipse Patri obediens usque ad mortem, obedientiam docens Ecclesiam quæ est in Monte olei, id est misericordiæ, nec potest abscondi, in qua suscitat sepultos a peccatis gravibus. Ibi fit cœna in fide et devotione justorum. Martha ministrat, dum quilibet fidelis opera devotionis Domino impendit : Lazarus, id est suscitati, cum iis qui manserunt in justitia, læti epulantur de præsentia Domini.

Ante sex dies Paschæ quid? ANTE SEX DIES PASCHÆ, — id est ante sex dies qui præcedunt Pascha, puta feria sexta, sive die veneris vespere, Jesus ex Ephraim venit Bethaniam, inde sequenti sabbato fecerunt ei convivium, ac postero die, puta Dominica Palmarum, solemniter ingressus est Jerusalem; Pascha enim eo anno incidebat in feriam quintam, sive in diem jovis proximæ hebdomadæ : quare sex dies diem Paschæ præcedentes, ante quos Jesus venit Bethaniam, hi sunt : sabbatum, Dominica, feria prima, secunda, tertia, quarta. Venit ergo feria sexta, cum sequenti hebdomade feria sexta esset crucifigendus. Non venit sabbato, quia eo juxta legem non licebat iter agere, sed quiescendum erat.

Symbolice Glossa : Deus, ait, sex diebus omnia fecit, sexta die hominem condidit, sexta mundi ætate eumdem redimere voluit, sexta feria passus est, sexta hora crucifixus.

QUEM SUSCITAVIT JESUS. — Ut hujus suscitationis suæ recentis memoriam et admirationem civibus Bethaniæ sua præsentia renovaret, itaque eos excitaret, ut se postera die Dominica solemniter ingressurum Jerusalem, quasi Messiam cum ramis ovantes clamantesque Hosanna comitarentur.

2. FECERUNT AUTEM EI COENAM IBI, ET MARTHA MINISTRABAT : LAZARUS VERO ERAT UNUS EX DISCUMBENTIBUS. — Hæc cœna eadem est cum illa quam narrat Matthæus, cap. XXVI, ubi eam explicui. « Lazarus vero unus erat ex discumbentibus, » ut non phantasma, sed vera ejus resurrectio probaretur. Nam, ut ait S. Augustinus, « vivebat, loquebatur, epulabatur, veritas ostendebatur, infidelitas Judæorum confundebatur. »

3. MARIA (Magdalene) ERGO (ne Martha ministrante ipsa partibus suis deesset, ut ipsa plus cæteris Christum honoraret omnesque superaret obsequio, quos vincebat amore) ACCEPIT LIBRAM UNGUENTI NARDI PISTICI, PRETIOSI. — Syrus, *multi pretii*. Ex libra quis suspicetur unguentum hoc fuisse spissum et crassum; crassa enim ponderantur libra, liquida vero mensurantur amphora. Nardinum enim unguentum ex variis aromatibus commixtum erat, ut docet Plinius, lib. XIII, cap. II, ideoque densum. Verum hoc liquidum fuisse, non spissum, colligitur ex eo quod effusum fuerit super caput Christi, ut ait Matthæus, cap. XXVI, 7. Liquida enim subinde in vasis ponderantur, aut certe nardus ipsa, ex qua liquor unguenti distillatur et elicitur. Aut potius libra hæc non ponderalis erat, sed mensuralis. Sicut enim Romanis, ita et Judæis, qui jam Romanis suberant, duplex erat libra : mensuralis erat mensura cornea, qua oleum admetiebantur, intersecta lineis quibusdam, ipsam in duodecim partes æquales, quæ unciæ dicebantur, dividentibus, ait Franciscus Lucas.

Mystice S. Augustinus : Unguentum quo Maria unxit Jesum, justitia fuit, ideo libra fuit. Et Glossa : Maria olim pœnitens unxit pedes, nunc vero ubi non pœnitentium rudimenta, sed perfectorum justitia designatur, caput et pedes ungit, unde libra dicitur unguenti, id est justitiæ perfectio : caput ungit, qui alta de Christo prædicat, pedes qui infima veneratur.

NARDI PISTICI, — hoc est unguenti nardini pistici, sive ex nardo pistica confecti.

Quæres, quænam sit nardus pistica? *Primo*, Auctor *Comment. in Marcum*, cap. XIV, qui exstat inter opera S. Hieronymi, *pistici* interpretatur *mystici*; sed hoc tam ridiculum est, quam S. Hieronymo indignum. *Secundo*, S. Augustinus hic, *tract.* 50 : Pistica, ait, dicta est a loco unde afferebatur; sed hoc incertum est, et æque incognitus est locus pisticus, atque nardus pistica. *Tertio*, Maldonatus : « Pisticus, » inquit, dicitur ἀπὸ τοῦ πίνειν, id est *potare, bibere* : « pistici » ergo idem est quod potabilis et liquidi, ut in caput et pedes Jesu effundi posset; alia enim unguenta sunt spissa et crassa. *Quarto*, alii « pisticum »

Pistica nardus quæ? Resp. Primo. Secundo. Tertia. Quarta.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

derivant a πιέζω, id est premo, quasi pisticus πιεστικός, id est pressus, expressus : unde teste Francisco Luca, unus codex pro *pistici* habet *pestici*. Sed hi duo ultimi nil insigne, nil novum huic unguento tribuunt, nec *pisticus* eo sensu usitatum est.

Quinto. *Quinto*, communius et significantius, alii passim : « Pistici, » inquiunt, id est *fidelis* (πίστις enim est fides), hoc est puri, sinceri, non sophistici, non misti, nec adulterati : nam facile nardum pseudonardo, sive lavendula et aliis herbis adulterari docet Plinius, lib. XII, cap. XII. Ita Euthymius et Theophylactus, in cap. XII *Marci*; Baronius, Ribera, Vatablus, Jansenius, Toletus et alii. Verum nil de pistica nardo apud Dioscoridem, Plinium aut alios legimus, et si a fide dicta esset, πιστὴ vel πιστικὴ dicenda fuerat, non πιστική.

Sexto. Genuine. *Sexto ergo*, τὸ *pistici* idem est quod *spicati* (sic enim legunt omnes fere codices veteres et novi, paucis exceptis minoris fidei, qui pro *spicati*, ex Græco habent *pistici*. Vide Franciscum Lucam in Notis hic), ut habet Marcus, XIV, 3. Id ita esse colligitur, *primo*, ex eo quod Græci codices tam in Marco quam in Joanne constanter habent πιστικῆς. Ergo cum latinus Vulgatus Interpres Marci (qui fuit vel ipse Marcus, vel aliquis ei familiaris et coævus) τὸ πιστικῆς interpretetur *spicati*, non dubium quin in Joanne quoque ita hoc loco interpretandum sit; nam de hac nardo Joannem hic idem velle dicere, quod de ea dixerat Marcus, patet conferenti utrobique Syra, Arabica, Græca et Græcos interpretes. *Secundo*, quia pro τῷ πιστικῆς, Syrus tam in Marco, quam in Joanne vertit, *nardin risoio*, id est *nardum capitalem*, hoc est, primam et præstantissimam; Arabicus, *optimam* : talis autem est nardus spicata. *Tertio*, quia apud omnes constat quæ sit nardus spicata, de pistica nihil uspiam legimus. Nardus enim et spicas et folia habet; ex utrisque conficitur unguentum; illud spicatum, hoc foliatum dicitur. Vide Plinium, lib. XII, cap. XII. Spicatum autem, quia plus habet substantiæ et medullæ, hinc præstantius est quod Galenus ναρδόσταχυν, officinæ *nardispicam* nuncupant. Videntur ergo Græci Latinam vocem *spicati* corrupisse, et corrupte per metathesin, sive litterarum transpositionem pronuntiasse πιστικῆς, sive quod hoc pronuntiatu esset facilius et suavius (unde Græcis difficile est pronuntiatu *spicati*, imo ipsi nullum habent nomen vel verbum, quod post *sp* habeat *cappa*), sive quia non intelligebant τὸ *spicati*, sive quia τὸ πιστικῆς magis accedit ad Græcum πίστις, id est *fides*. Pro σπικάτης ergo, vel σπικάτης dixerunt πιστικῆς; unde et unus manuscriptus codex in Joanne habet *spiciti*. Porro Joannes diu scripsit post Marcum, cum ergo ex Marco vox πιστικῆς pro *spicati* apud fideles esset usu recepta, Joannes eamdem retinuit ad fidem rei tam obscuræ. Ita Franciscus Lucas et nonnulli recentiores linguarum periti.

Simili modo pleraque nomina ex una in aliam linguam transeuntia, per metathesin deflexa et corrupta sunt, ut *effeta* pro *hippatach*, *golgota* pro *gulgolta*, *psomtomphanic*, ut vertunt Septuaginta, pro *sophnepaneach*, id est salvator mundi, *Gen.* XLI, 45. Metathesis in Hebraicis.

Sic pro Hebræo *sippor* Latini per metathesin dicunt *passer*; pro *darag*, *gradus*; pro *mecar*, *mercor*; pro *erets*, *terra*; pro *Jesaiahu*, *Isaias*; pro *Jecheskiel*, *Ezechiel*.

Sic pro ἅρπαξ Latini dicunt *rapax*; pro μορφὴ *forma*; pro νεῦρον, *nervus*; pro κρέας, *caro*; pro κρίκος, *circus*; pro κρίνω, *cerno*; pro ἄκρα, *arx*; pro ταχύ, *cito*.

Sic Itali pro *vermes* aiunt *cremesi*; pro *paludes*, *paduli*; pro *Hieronymo*, *Gerolamo*; pro *vespertilio*, *pistrello*.

Sic Hispani pro *parabola* dicunt *palabra* (Itali et Galli *parola*, unde *parlare*); pro *periculum*, *peligro*; pro *miraculum*, *milagro*; pro *oblivio*, *olvido*.

Sic pro Hebræo *Jehochanan*, Latini et Græci dicunt *Joannes*; Itali, *Giovanni*; Hispani pronuntiant *Juan*, alii *Goan*; Germani, *Hans*, Illyrici, *Juan*; Galli, *Jean*; Flandri, *Jan*; Rustici, *Hennen* et *Hennen*.

Moraliter hic disce bona opera, quibus quasi unguentis pretiosis ungimus Christum, debere esse spicata, sive pistica, id est sincera, solida, eximia, præstantia : talia enim tanto Domino debentur. Hinc victimæ Abel placuerunt Deo, quia meliores, Caini displicuerunt, quia deteriores, *Gen.* IV. Quocirca David, *Psalm.* LXV, 15 : « Holocausta medullata (pinguia et plena medullis), inquit, offeram tibi. » Et *Psalm.* XIX, 4 : « Holocaustum tuum pingue fiat. » Azarias in medio ignis orans, ait : « Suscipiamur, etc., sicut in millibus agnorum pinguium, » *Daniel* III, 40. Imo Deus olim ex victima adipem sibi deposcebat, *Levit.* III, 16 : « Omnis adeps, ait, Domini erit jure perpetuo. » Et *Numer.* XVIII, 17 : « Adipes adolebis in suavissimum odorem Domini. » Rursum *Levit.* XXIII, 19, jubet Deus ut victima sibi immolanda sit mascula, et carens omni macula, id est vitio, scilicet ut sit integra et perfecta, unde cæcas, fractas, scabiosas sibi offerri vetat. Denique *Num.* XVIII, 29, ita sancit Deus : « Omnia quæ offeretis ex decimis, et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt. » Optima Deo offerenda.

ET UNXIT PEDES JESU. — Addit Matthæus, *et caput*. Mystice Alcuinus : Caput, ait, est divinitatis sublimitas; pedes, humilitas incarnationis. Vel caput est ipse Christus, pedes sunt pauperes, qui sunt membra Christi : hos ungimus, dum eis damus eleemosynam.

ET EXTERSIT PEDES EJUS CAPILLIS SUIS. — Est hysteron proteron. Prius enim pedes tersit a pulvere et luto, deinde unxit; Christus enim incedebat nudipes solea tantum calceatus, quam deponebat more gentis mensæ accubiturus : si enim Maria prius unxisset pedes Jesu, et postea capillis extersisset, potius unxisset ipsa capillos suos, quos minime unctos volebat et indignos unctione



censebat, quam pedes Jesu. Adde, unguentum hoc odoratum et pretiosum non erat abstergendum, sed in pedibus Christi, ad eos fovendos relinquendum.

CAPILLIS SUIS, — ut eos, in quibus olim vane gloriata erat, sordidaret sordibus pedum Jesu, ac cum illis totum suum caput pedibus ejus summa humilitate et reverentia substerneret. « Nam cum capillis abstergeret pedes ejus, honorabilius in toto corpore membrum, caput dico suum pedibus Christi subjiciebat, ait Chrysostomus, etc., neque tanquam homini adest, sed tanquam Deo. »

ET DOMUS IMPLETA EST EX ODORE UNGUENTI. — Mystice S. Augustinus : Mundus, ait, impletur bona fama pietatis et virtutis, qualem hic exercuit Maria, juxta illud Pauli : « Christi bonus odor sumus, » bonis vitæ in vitam, sed malis mortis in mortem, uti hic contigit. Unde sequitur :

Vers. 4. 4. DIXIT ERGO UNUS EX DISCIPULIS EJUS, JUDAS IS-
Vers. 5. Judas in Magdalenam murmurat. CARIOTES, etc. 5. QUARE HOC UNGUENTUM NON VENIIT TRECENTIS DENARIIS, ET DATUM EST EGENIS? — Matthæus et Marcus addunt : « Ut quid perditio ista unguenti? » Respondet Beda : Non perditio est, sed sepulturæ officium : nec mirum mihi dedisse bonum odorem fidei, cum ego pro ea fusurus sim sanguinem.

Vers. 6. 6. DIXIT AUTEM HOC, NON QUIA DE EGENIS PERTINEBAT AD EUM, SED QUIA FUR ERAT, ET LOCULOS HABENS, EA QUÆ MITTEBANTUR (offerebantur Christo), PORTABAT. — « Fur, » imo sacrilegus, utpote « in suum usum rapiens, quæ in divinum dabantur, » ait Theophylactus; nam « ministerio portabat, furto exportabat, » ait S. Augustinus. Cupiebat enim Judas unguentum hoc venumdari, sibique pretium dari; cumque sciret Christum nolle tantum pecuniæ in loculis suis asservari, sed velle illud in pauperes distribui, ille partem aliquam in pauperes distribuisset, reliquam sibi suffuratus fuisset. Vide hic, ut occasio faciat furem, quamque periculosum sit viris sanctis et religiosis tractare pecunias, præsertim toti communitati communes; facile enim quid ex eis suggerente concupiscentia, in suos vel suorum usus avertitur.

Cur Christus Judam furem elegit? Sed cur Jesus Judæ commisit loculos, cum sciret eum fore furem? Respondeo : Quia Judas aptior erat ad res temporales procurandas, quam cæteri Apostoli : furtum vero permisit, quia inde nata est occasio proditionis et passionis suæ, quam ipse ambiebat. Rursum S. Augustinus : Quia, inquit, Ecclesia loculos habitura erat, fures admisit, ut ejus Ecclesia potentes fures dum patitur, toleraret, ut doceret tolerandos esse malos, ne corpus Christi dividamus : tolera malum bonus, ut venias ad præmium bonorum. Addit Chrysostomus : Commisit Dominus furi loculos, ut omnem ei abscinderet proditionis occasionem, ne videretur ob pecuniæ defectum eum prodere. Theophylactus vero : Quidam, ait, dicunt Judam, ut omnium minimum, pecuniæ administrationem suscepisse.

Denique S. Bernardus, lib. IV *De Consider.*, cap. VI, docet Christum hic Prælatos docere voluisse, ut rerum temporalium curam facile cuivis confidant, spiritualium vero dispensationem sibi reservent, cujus contrarium nonnulli faciunt. Rursum fecit id Christus, ne miremur si in Sanctorum cœtibus, monasteriis, congregationibus, subinde reperiantur aliqui vitiosi et scandalosi. Unde S. Augustinus, *epist.* 37, cum unus e monachis suis scandalum dedisset, ob quod populus illi occlamabat, prudenter respondit : « Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, et inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quam arca Noe, ubi inter octo homines reprobus unus inventus est; aut melior sit quam domus Abrahæ, ubi dictum est : Ejice ancillam et filium ejus; aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui; aut melior sit quam domus Jacob, ubi lectum patris filius incestavit; aut melior sit quam domus David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit; aut melior sit quam cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni perfidum et furem Judam toleraverunt; aut melior sit postremo quam cœlum, unde angeli ceciderunt. »

Nimirum permittit id Deus sapienti sua providentia, ut ex unius vel paucorum improbitate cæterorum probitas et sanctitas per antithesin magis resplendeat, sicut lux inter tenebras, aurum inter plumbum, sol inter nubes, sapiens inter stultos magis emicat et refulget : contrarium enim contrarii oppositum magis elucescit, uti docet *Ecclesiasti.* XXXIII, 15. Vide ibi dicta.

ET LOCULOS HABENS, EA QUÆ MITTEBANTUR, PORTABAT. — Hinc recte colligunt Jansenius et alii, Christum cum suo Apostolorum collegio habentem loculos, ipso facto suoque exemplo ostendisse Ecclesiam licite habere loculos et opes, nec derogare perfectioni, habere commune marsupium pro sumptu opportuno et moderato. Nihil enim imperfectionis fecit Jesus in vita sua, utpote qui perfectionis omnis fuerit magister.

Hoc ut a fundamentis intelligas, nota Christum, licet ratione unionis hypostaticæ cum Verbo, haberet excellens et quasi divinum in omnes creaturas dominium; tamen paupertatem, id est carentiam humani dominii, prout illud est in usu hominum, professum esse, ut perfectioris vitæ esset magister ejusque nobis daret exemplum. Patet id ex *Matth.* VIII, 20 : « Vulpes, ait, foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. » Et *Matth.* XIX, 21 : « Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, etc., et veni, sequere Christus paupertatem professus est, cur?

me. » Et vers. 27 : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. »

Nota *secundo*, Christum habuisse dominium pecuniarum et rerum sibi a fidelibus oblatarum, in communi, non in particulari : quia loculi hi ad totum collegium Apostolorum pertinebant, quod illorum habebat dominium : non ergo Christus ipse illos habebat quasi proprios, ut illorum particularis esset dominus. Hinc et cap. IV, vers. 8, dicuntur discipuli abiisse in civitatem, ut cibos emerent. Et cap. VI, Jesus ait ad Philippum : « Unde ememus panes ut manducent hi? »

Perfecti habent bona in communi.

Igitur ex hoc Christi exemplo sequitur, perfectioni nihil derogare habere bona in communi, ut habent passim ordines Religiosi, uti definit Joannes XXII, Extravag. *Ad conditorem*. Potest enim pro diversitate personarum, statuum et finium, quos quisque sibi proponit, aliquando hoc esse perfectius, et aliquando non. Videtur tamen Christus aliquando caruisse omni dominio, etiam in communi, ut cum ait : « Filius hominis non habet ubi caput reclinet; » cum mulieres eum sequentes, eum alerent, *Luc.* VIII, 3; item in cruce, ubi rebus omnibus, etiam vestibus, ultro se abdicavit. Et hoc tantum videtur velle Nicolaus IV (qui in speciem videtur Joanni XXII adversari), can. *Exiit qui seminat*, De verb. signific. in VI.

Porro loculos in communi non officere perfectioni, ratione a priori probat S. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXXVIII, art. 7 : Quia, inquit, paupertas tantum est instrumentum perfectionis, ex eo quod tollat tria divitiarum damna, quæ sunt impedimenta charitatis : primum est, sollicitudo eas parandi et servandi; secundum, earum amor; tertium, ob eas superbire. Atqui habere loculos in communi, nec sollicitudinem eorum affert, nec amorem, nec superbiam. Ergo hoc non est charitatis impedimentum, sed potius adjumentum. Nam minuit sollicitudinem, quam sæpe experiuntur pauperes plane et mendici in mendicando, et procurando sibi victum et vestitum : « Manifestum est enim, ait S. Thomas, quod minimam sollicitudinem ingerit servare res usui hominum necessarias, tempore congruo procuratas. »

Quocirca omnes veteres Religionum fundatores, viri sancti et sapientes, sanxerunt ut Religiosi haberent bona in communi, ut sine cura vacarent orationi, studio, prædicationi, sicut patet ex Constitut. S. Basilii, S. Augustini, *epist.* 109; S. Benedicti, S. Bernardi, S. Brunonis, S. Romualdi, S. Dominici. Unde nata est Justiniani Imperatoris Constitutio, in *Auth.*, col. 1, Constit. 5, § *Illud*, et col. 9, Constit. 15, § *Si qua*, qua jubet ut eorum bona, qui monachi fiunt, eo ipso ad eorum monasteria pertineant. Tota enim paupertatis vis in eo sita est, ut nihil proprium et singulare habeatur, licet deinde sit aliquid commune, ex quo juxta formam Apostolicam dividatur singulis, prout cuique opus est. Apostoli enim cum fidelibus primis, qui erant sanctissimi et religiosissimi, possidebant bona in communi, quæ deinde singulis pro necessitate cujusque distribuebant, ut patet *Actor.* II et seq. Vide ibi dicta. Hoc est quod de Religiosis suæ ætatis ait S. Hieronymus, *epist.* 22 : « Non licet dicere cuiquam : Tunicam et sagum, textaque juncis strata non habeo. Præfectus omnium ita universa partitur, ut nemo quid postulet, nemo non habeat. Si quis vero cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, et tanto senum ministerio refovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum. »

Paupertatis Evangelicæ vis in quo sita.

Idem passim docent Patres et Scholastici. Vide Suarez, III *part.*, *Quæst.* XL, art. 3, disp. XXVIII, sect. 2; Bellarminum, in lib. IV *De Summo Pontif.*, cap. XIV; Dom. Soto, lib. IV *De Justitia*, Quæst. I, art. 1.

An loculos habere perfectionem minuat?

Dices : Nicolaus IV loco jam citato insinuat quod loculos habere sit perfectionem minuere : ait enim Christum, cum loculos habuit, sese infirmioribus accommodasse, ut omnibus esset exemplo. Respondet Suarez : Nicolaum solum asseruisse, in genere paupertatis minorem minusque rigidam esse illam, quæ loculos habere permittit; inde vero non concludi id majoris esse perfectionis absolute; potest enim quod minus perfectum est in paupertate, magis esse perfectum in charitate, vel alia virtute. Agit enim Nicolaus de Franciscanis (qualis ipse fuit), quorum Religio pro scopo et fine habet paupertatem summam, ut se S. Francisco fundatori conformet, qui summe summam paupertatem et nuditatem rerum omnium adamavit. At vero aliæ Religiones alios habent fines pios et sanctos, ad quos convenientius est habere bona in communi : quare hoc in iis congruentius et perfectius est. Sic Carthusiani sancte servant silentium et solitudinem. Alii magnam sectantur vitæ austeritatem. Qui vero prædicationi et missionibus ad infideles vacant, inter homines versentur et magnis viribus sint oportet, ut magnos instituti sui labores sustinere valeant : quare austeritatem vitæ charitate in proximum compensant. Utrique ad suum institutum et finem sibi propositum congrue, pie et apposite. Diversus enim finis diversa exigit media. Denique Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. III, concedit omnibus Religiosis, exceptis Franciscanis, ut bona immobilia possidere possint.

Vers. 7.

7. Dixit ergo Jesus : Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. — « Ut servet, » id est ut servasse ostendatur. Unde Græce est in præterito, *in diem sepulturæ meæ servavit illud*. Sic et Syrus. Cætera huc spectantia explicui *Matth.* XXVI, 12, etc. Audi S. Augustinum : « Non illi ait : Propter furta tua dicis ista : furem noverat et prodere nolebat, sed potius tolerabat et ad perferendos malos in Ecclesia, nobis exemplum patientiæ demonstrabat. »

Vers. 9.

9. Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic (in Bethania) est : et venerunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem



suscitavit a mortuis. — « Curiositas, ait S. Augustinus, eos adduxit, non charitas, » ut scilicet Lazarum a morte redivivum viderent, audirent, interrogarent ubi post mortem fuisset, quid vidisset, quid egisset? Ita Cyrillus, Theophylactus, Leontius.

10. Cogitaverunt (Græce ἐβουλεύσαντο, id est *consultaverunt* : ita Syrus, Arabicus et Vatablus, et consultando decreverunt) autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent. — Vide hic virulentam principum invidiam et malitiam, qua invidentes Jesu gloriam, invident Lazaro et vitam, ne vita ejus gloriam Jesu adaugeat. Instabat enim festum Paschæ, quo omnes Judæi confluentes Hierosolymam, visuri erant Lazarum a morte suscitatum ac admiraturi Christi virtutem eum suscitantem, ideoque multi in eum credituri : quod ut impediant principes, Lazarum e medio tollere decernunt. Verum recte exclamat in eos S. Augustinus, *tract.* 50 : « O stulta cogitatio et cæca sævitia! Dominus Christus, qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Christo potestatem? Si aliud vobis videtur mortuus, aliud occisus; ecce Dominus utrumque fecit, et Lazarum mortuum, et seipsum suscitavit occisum? »

Denique Lazari suscitatio erat opus proprium Deo; qui ergo eum occidere satagebant, contra Deum pugnabant eumque quasi ad duellum provocabant.

11. Quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum. — « Abibant, » Græce ὑπῆγον, id est *subducebant se*, relinquebant eos, deserebant eorum factionem; τὸ *ex Judæis* refer ad *multi*, uti refert Syrus et Arabicus, et colligitur ex Græco : potest tamen referri quoque ad τὸ *abibant*, *q. d.* Multi Judæorum abibant a Judæis Christo adversantibus, et transibant ad Christum.

12. In crastinum autem. — Hoc est, die crastino, sive postero a cœna Jesu facta sabbato in Bethania, puta die Dominica Palmarum, quæ erat quinta ante diem Paschæ, eratque dies decima mensis Nisan, quo Christus, quasi agnus paschalis, solemni ritu ingressurus erat Jerusalem, ut ibi fieret victima et piaculum mundi : nam die decimo agnus paschalis, qui erat Christi typus, immolandus die 14 inducendus erat in Jerusalem, juxta legem *Exod.* XII, 3. Cætera quæ sequuntur usque ad vers. 17, de pompa Christi ingredientis in Jerusalem, explicui *Matth.* XXI, 7.

17. Testimonium ergo perhibebat (de suscitatione Lazari, quod scilicet Jesus Lazarum vere, non ficte a morte suscitasset) turba, quæ erat cum eo (Jesu), quando Lazarum vocavit de monumento.

18. Propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. — Joannes dat causam, cur cives Hierosolymæ nunc turmatim occurrant Jesu cum tanto plausu, quod nunquam antea fecerant, quia scilicet turba, quæ suscitationi Lazari interfuerat, hoc Jesu miraculum per totam Hierosolymam sparsit, dicens se illud oculis suis vidisse. Hæc ergo tanti miraculi novitas excitavit cives, ut turmatim occurrerent Jesu acclamantes Hosanna ipsi quasi suo Messiæ et Regi.

19. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos (inter se conferentes consilia) : Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit. — Arabicus, *totus mundus sequitur illum*. Est hyperbole, *q. d.* Plurimi abeunt a nobis creduntque in Jesum. Viderant enim ingentem hominum turbam illi quasi Messiæ occurrere et acclamare Hosanna, eosque ex omni sexu, ætate, genere, nimirum tam viros quam feminas, tam senes quam pueros, tam Judæos quam Gentiles, ut patet vers. sequenti. Notat Cyrillus Pharisæos hic tacite prophetare quod omnes gentes totius mundi ad Christum converterentur, licet id ipsi non intelligerent.

S. Chrysostomus et Theophylactus censent eos, qui hæc dicebant, fuisse credentes in Christum, aut certe in illum propensos, quasi ipsi aliis incredulis Christum persequentibus dicant : Videmus quod persequendo Christum, nihil contra eum proficimus, sed potius ejus sectam et gloriam augemus : nam totus mundus post eum abiit; cessemus ergo ab eo persequendo. Unde Græca, Syrus et Arabicus habent, *videtis nos nihil proficere*.

Verius Cyrillus, Euthymius et alii censent eos fuisse incredulos et Christi hostes; tales enim erant Pharisæi, *q. d.* Nuper omnes cum Caipha decrevimus Jesum occidere, interim idipsum facere differimus et tardamus; et ecce dilatione et tarditate hac nostra nihil proficimus, sed potius malum augemus; nam totus mundus post eum abiit : quanto satius fecissemus, si nuper, cum decrevimus eum occidere, statim eum occidissemus, antequam secta ejus adeo cresceret et inclaresceret. Quid ergo nunc nobis faciendum incumbit? ut quantocius decretum nostrum exequamur, eumque e medio tollamus. Quid igitur cunctamur, quid moras nectimus? si tardamus, omnes a nobis ad Jesum abibunt, nec eos revocare poterimus : turba vincemur, nisi astu vincamus.

20. Erant autem quidam Gentiles, ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo. — Mirum est nonnullos putare hos fuisse Judæos inter Gentiles commorantes, cum Joannes diserte dicat eos fuisse Gentiles. Fuere ergo hi partim proselyti, hoc est, qui Judæorum religionem jam amplexi erant, vel potius amplecti cogitabant, uti opinantur Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius; partim vero Gentiles, qui unum esse Deum censebant, quem cum viderent a Judæis adorari tanta majestate in templo Hierosolymitano, a tanta hominum multitudine in Paschate, ipsi

idem cum eadem facere destinarant, præsertim allecti fama sanctitatis et miraculorum Jesu, quem videre et audire cupiebant, ut ait hic Joannes. Ita Cyrillus, Leontius et Theophylactus. Simili modo Eunuchus Candacis reginæ venit adorare in Jerusalem, ad quem angelus misit alterum Philippum, scilicet Diaconum (non hunc Apostolum), qui eum ad Christum convertit, *Act.* VIII. Sic etiam Gentilium reges templum Jerusalem venerabantur, et ei dona mittebant, ut Cyrus, I *Esdræ*, I; Darius Hystaspis, ibidem, cap. VI; Seleucus et alii reges Asiæ, II *Machab.* III.

Vers. 21. 21. HI ERGO ACCESSERUNT AD PHILIPPUM (Apostolum), QUI ERAT A BETHSAIDA GALILÆÆ, ET ROGABANT EUM, DICENTES : DOMINE, VOLUMUS JESUM VIDERE. — Philippum præ aliis adierunt, vel quia is eis erat notus, vel quia primus eis occurrit, vel quia voce et vultu majorem candorem, facilitatem et benignitatem præ se ferebat, itaque omnes ad se alliciebat; Christum enim ipsum, utpote virum sanctissimum et Prophetam eximium, adeoque Judæum (Judæi enim abhorrebant a Gentilibus), illi cum Gentiles essent, accedere non audebant, ait Cyrillus. Chrysostomus et Leontius. Mediatorem ergo inter se et Christum adhibent Philippum, ut is ad eum aditum faciat.

Vers. 22. 22. VENIT PHILIPPUS, ET DICIT ANDREÆ (quasi majori et antiquiori Apostolo), ANDREAS RURSUM ET PHILIPPUS DIXERUNT JESU. — Andreas enim majoris apud Christum erat auctoritatis, utpote qui primus omnium Jesum adierat et ad eum Petrum fratrem suum adduxerat, cap. I, vers. 40. Communicato ergo inter se consilio, rem totam deferunt ad Jesum, antequam ipsos Gentiles adducant, quia audierant a Jesu : « In viam Gentium ne abieritis, » *Matth.* X, 5.

Vers. 23. 23. JESUS AUTEM RESPONDIT EIS, DICENS : VENIT HORA UT CLARIFICETUR FILIUS HOMINIS. — Græce δοξασθῇ, id est *glorificetur*. Ita Syrus et Arabicus, *q. d.* Nolite Gentiles arcere a me, sed eos ad me adducite. Quod enim dixi olim : « In viam Gentium ne abieritis, » vobis dixi initio prædicationis meæ, qua ad Judæos solos a Deo destinabar; nunc autem cum finitur prædicatio, æque ac vita mea, cumque Judæi prædicationem meam repellant, ego illam per vos transferam ad Gentes. Instat ergo nunc hora, id est tempus, quo ego post mortem meam (et per eam) quæ mihi imminet, ac per meam e morte resurrectionem, ascensionem in cœlum et missionem Spiritus Sancti, non tantum a Judæis, sed a Gentilibus per totum orbem clarificer, id est velut Messias salvator agnoscar, colar, adorer per vestram, o Apostoli mei, ubique prædicationem.

Porro Christi clarificatio, Christianorum omnium clarificatio est. Nam, ait S. Augustinus, serm. 176 *De Temp.* : « Nos Christi mors vivificavit, nos resurrectio erexit, nos ascensio consecravit. » Quia, ut idem ait, *serm.* 184 : « Cum Jesus ascendit, Spiritus Sanctus ad nos descendit. »

24. AMEN, AMEN DICO VOBIS : NISI GRANUM FRU- Vers. 24.
MENTI CADENS IN TERRAM MORTUUM FUERIT, IPSUM SOLUM MANET : 25. SI AUTEM MORTUUM FUERIT, Vers. 25.
MULTUM FRUCTUM AFFERT. — Docet Christus claritatem sive gloriam jam dictam, sibi per mortem crucis obventuram, ne illa turbentur et scandalizentur Apostoli et fideles. Audi S. Augustinum, *tract.* 51 : « Seipsum Jesus dicebat : ipse erat granum mortificandum et multiplicandum; mortificandum in infidelitate Judæorum, multiplicandum in fide omnium populorum, » *q. d.* Sicut granum tritici seminatum in terra, nisi in ea moriatur, id est corrumpatur, mortificetur, et in aliam substantiam, scilicet in germen terræ calore resolvatur, non germinat, nec fructum facit : sin autem moriatur, germinando multum fructum affert seque multiplicat, ut unum granum ex se producat 20, 30, 60 grana. Supple : sic pariter ego, qui sum quasi granum tritici, e cœlo in terram jactum, mori debeo, ut per mortem meam ejusque meritum, æque ac exemplum, multos virtutum et fidelium fructus, eosque insignes et celebres proferam, scilicet tot millia Martyrum, Virginum, Doctorum, Confessorum cæterorumque fidelium, per totum orbem sparsa, et futuris sæculis spargenda. Idem contingit in morte Martyrum, ut uno moriente, multi pro eo surgant et fidem Christi amplectantur. Quocirca Ecclesia hæc legit in festo S. Laurentii cæterorumque Martyrum. Vere Tertullianus, in fine *Apolog.* : « Sanguis Martyrum, inquit, est semen Christianorum. » Unde addit idem ibidem : « Cruciate, torquete, damnate, atterite nos; probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra. » Et mox : « Exquisitior crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ; plures efficimur, quoties metimur a vobis. » Exemplum illustre S. Gregorius, lib. III *Dialog.*, cap. XXXI, dat S. Hermenigildum, qui propter orthodoxam fidem occisus a patre Leovigildo, rege Ariano, ipsum et fratrem suum Reccaredum totamque Visigothorum gentem ab arianismo ad rectam fidem convertit : « Unus ergo, ait Gregorius, in gente illa mortuus est, ut multi viverent, et dum unum granum fideliter cecidit ad obtinendam fidem animarum, seges multa surrexit. »

Anagogice Beda : Seminatus est Jesus, inquit, de semine Patriarcharum in agro mundi hujus, id est incarnatus est : solus mortuus est, cum multis surrexit. Denique audi S. Bernardum, serm. 15 *in Cant.* : « Moriatur granum, et surgat gentium seges. Oportet pati Christum, et surgere a mortuis, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum, non solum in Judæam, sed etiam in omnes gentes, quatenus ab uno nomine, quod est Christus, millia millium credentium Christiani dicantur, et dicant : Oleum effusum nomen tuum. »

QUI AMAT ANIMAM SUAM, PERDET EAM; ET QUI ODIT ANIMAM SUAM IN HOC MUNDO, IN VITAM ÆTERNAM CUSTODIT EAM. — *Primo, q. d.* « Qui amat animam, » id est vitam suam præ mea fide et fidei professione, ut malit fidem negare, quam vitam amittere, hic « perdet » animam et vitam, quia incurret mortem æternam et gehennam. « Qui » vero « odit animam, » id est vitam, ut malit eam potius quam fidem amittere, hic « custodit eam, » ut in æternum beatus vivat in cœlo. Rursum, « qui amat animam suam, » id est animæ suæ desideria et concupiscentias, præ voluntate et mandatis meis, q. d. malit concupiscentias suas sequi quam mandata mea, hic « perdet » animam suam in gehenna : « qui » vero eam « odit » resistendo ejus concupiscentiis legi Dei contrariis, hic « custodit eam, » ut æternam beatitudinis vitam a me consequatur. Ita fecere Martyres, Anachoretæ, Religiosi, Virgines cæterique Sancti. Uterque sensus huic loco est congruus, et a Christo intentus, ideoque jungendus, uti jungunt S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Videbat enim Christus Apostolos et Christianos post mortem suam persecutionem et martyria passuros a Judæis et Gentibus : voluit ergo contra illa ipsos hic præmonere et præmunire, *q. d.* Me defuncto, insurgent contra vos Scribæ, principes et tyranni : videte ergo ne fidem meam negetis, ut vitam temporalem conservetis, quia hoc faciendo perdetis vitam æternam et beatam, quam acquiretis, si vitam temporalem pro fide mea morti exposueritis.

Rursum voluit Christus fideles omnes docere, quod assidue concupiscentiis resistere cum eisque luctari debeant : « Caro enim concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem, » *Gal.* VI. Hoc est quod ait Christus, *Matth.* X, 39 : « Qui invenit animam suam, perdet illam. » Et cap. XVI, 25 : « Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet illam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. » Et *Eccli.* XVIII, 30 : « Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. » Vide ibi dicta.

Porro, perperam hunc locum intelligebant hæretici dicti Circumcelliones, qui, teste S. Augustino hic, seipsos occidebant, ut sic vitam æternam a Christo hic promissam consequerentur. Aliud enim est odisse animam, aliud eam occidere, quod omni lege vetitum est.

Denique audi S. Augustinum, *tract.* 51 : « Qui amat animam suam, perdet eam. Quod duobus modis intelligi potest : Qui amat, perdet, id est si amas, perdes : si cupis vitam tenere in Christo, noli timere mori pro Christo. Item alio modo : Qui amat animam suam, perdet eam : noli amare, ne perdas : noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Hoc autem quod posterius dixi, magis habere videtur Evangelicus sensus. » Et nonnullis interjectis : « Magna et mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor, ut pereat; odium, ne pereat : si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. » Unde post multa concludit : « Cum ergo causa articulus venerit, ut hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum : quorum duorum homo si cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere; ibi oderit in hoc mundo animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam. » Audi et S. Chrysostomum : « Amat animam in hoc mundo, qui desideria ejus inconvenientia facit; odit autem, qui non cedit ei noxia concupiscenti. Dixit vero, odit : sicut enim eorum qui odio habentur, nec vocem audire sustinemus, ita animam contraria Deo volentem cum vehementia avertere oportet. » Et Theophylactus, quia grave erat audire odio habendam animam, consolatur dicens : In hoc mundo, in quo temporis brevitatem indicat, emolumentum æternum subjungens. Addit Chrysostomus : Christum, cum videret discipulos de morte sua contristandos, eos erexisse ad majora, *q. d.* « Quid dico : Si mortem meam generose non feretis : nisi vos ipsi moriamini, nullum vos sequetur emolumentum. » Hæc Chrysostomus hic, *tract.* 66.

Hæc ergo Christi sententia est axioma, basis, fundamentum et compendium vitæ Christianæ. Ipsa enim est radix et principium virtutum omnium, quæ ex illa, perinde ac conclusiones ex præmissis eliciuntur : qui ergo in schola Christi doctus, eximius et perfectus evadere cupit, hanc gnomen assidue ruminet, expendat, voluntati imprimat, et opere exequatur, ut omnes suas actiones illi quasi Lydio lapidi adaptet, adæquet et conformet : ita verus et singularis Christi discipulus, assecla et imitator evadet, ac pro vita temporali quam negligit, beata vitæ æternæ gaudia nanciscetur.

26. SI QUIS MIHI MINISTRAT, ME SEQUATUR. — *q. d.* Qui cupit meus esse minister, assecla et discipulus, me imitetur per mortem et mortificationem, ac per bona opera, ait S. Chrysostomus; ut vias meas ambulet, ait S. Augustinus, non suas, non quæ sua sunt quærens, sed quæ Jesu Christi, quæcumque bona, sive in temporalibus sive in spiritualibus, faciens propter eum.

ET UBI SUM EGO, ILLIC ET MINISTER MEUS ERIT. — Ecce fructum (pergit S. Augustinus) et mercedem : gratis amatur, et operis quo ministratur illi pretium est esse cum illo, ut ibi sit adoptatus, ubi est unitus; nimirum in cœlo, in visione et possessione Dei, in felicitate et gaudio æterno. Ita S. Chrysostomus. Vide dicta *Lucæ* XXII, 7 et sequent.

SI QUIS MIHI MINISTRAVERIT, HONORIFICABIT EUM PATER MEUS, — honore cœlesti, coram angelis,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Beatis et toto mundo. Non dixit : Ego honorificabo eum : nondum enim de eo decentem opinionem habebant, sed majorem de Patre, ait Chrysostomus.

27. NUNC ANIMA MEA TURBATA EST. — Nota : Christus hic, quia mortis post tres dies sibi instantis (dixit enim hæc Dominica Palmarum) mentionem fecerat, permisit in se excitari naturalem ejus horrorem, uti fit in nobis, et hoc horrore seipsum turbavit. Unde ait, « salvifica, » id est eripe me « ab hac hora, » et horrore mortis mihi imminentis. Simile fuit in horto, cum tristis usque ad mortem oravit : « Transeat a me calix iste. »

Causam dat S. Chrysostomus : Exhortatus, inquit, fuerat Christus suos ad sui sequelam per mortem ; ne ergo dicant eum extra dolorem existentem facile de morte philosophari et alios ad eam adhortari, ostendit etiam se in agonia esse, et tamen mortem non recusare, ut nos eum sequamur idemque faciamus in horrore mortis et mortificationis.

Causam secundam dat S. Cyrillus, ut se ostenderet non tantum Deum, sed et verum hominem esse, passionibus et ærumnis nostris obnoxium.

Tertiam dat S. Augustinus et ex eo Beda, ut Christus in se nostras infirmitates suscipiens curaret nosque roboraret. Audi Augustinum : « Sequi jubes animam meam, sed turbari video animum tuam; qualefundamentum quæram, si petra succumbit? Agnosco misericordiam tuam, Domine; nam qui charitatis voluntate turbaris, infirmos, ne desperando pereant, consolaris; in se caput nostrum suscepit membrorum suorum affectum. » Et rursum : « Sicut nos excitavit ad summa, ita nobis compatitur ad infima. » Et mox Christum nobis ita loquentem inducit : « Audisti ad te vocem fortitudinis meæ; audisti in me vocem infirmitatis tuæ; vires suggero ut curras, nec reprimo quod acceleras; sed transfero in me quod trepidas, et substerno quo transeas. »

ET QUID DICAM? PATER, SALVIFICA ME EX HAC HORA. — Theophylactus et Leontius sic exponunt, *q. d.* In hac turbatione et agonia hæreo, et animo fluctuo, et nescio quid agam vel dicam. Dicamne ergo : Pater, salvifica me ex hac hora? fugiamne mortem? minime; sed vincam meam agoniam, et ultro morti obviam ibo.

Simplicius et planius alii, *q. d.* Quid in hac agonia dicam? quo confugiam? quem invocem? utique Patrem qui salvat. Dicam ergo : « Pater, salvifica me ex hac hora, » id est libera me ab hac agonia mortis. Nam, ut ait S. Augustinus, Beda et Rupertus, similis est hæc oratio illi in horto : « Pater mi, si fieri potest, transeat a me calix iste, » quæ fuit oratio partis inferioris, sive appetitus naturalis, qui mortem horrebat; unde mox eam pars superior, puta mens et voluntas superior correxit dixitque : « Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.» Eodem modo et hanc corrigit, dum statim subjicit :

SED PROPTEREA VENI IN HORAM HANC. — Est correctio, qua Christus corrigit partem inferiorem, quæ dixerat : « Salvifica me ex hac hora, » *q.* . Etsi naturaliter horream mortem, absolute tam nolo naturale meum desiderium impleri, cum a hoc venerim in mundum, ut hanc mortis horam subeam et calicem passionis bibam. Ita S. Augustinus, Beda, Rupertus et alii.

28. PATER, CLARIFICA NOMEN TUUM, — ut per mortem mihi a te decretam, quam libenter accepto, clarificem, id est glorificem nomen tuum, per meam extremam obedientiam et religionem, qua me tibi in victimam pro peccatis totius mundi offeram, itaque homines peccato perditos vitæ gratiæ restituam, tibique reconciliabo, ac in cœlum deducam, ut te glorificent in æternum. Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Euthymius. Sic de Petro dicitur, XXI, 19 : « Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. » Audi Augustinum : Clarifica me passione et resurrectione. Et S. Chrysostomum : Quod pro veritate moritur, gloriam Dei vocat : futurum enim erat, ut post crucem cognosceretur ab orbe nomen Dei. Et Glossa : Salvationem quæro, sed passionem non recuso, propter quam passionem clarifica me, quod est gloria nominis tui.

*Secundo,* « clarifica nomen tuum » hoc quoque momento, ut Gentiles qui ad me venerant, itemque Judæi cognoscant me a te missum, ut homines morte mea redimam, ideoque te tuamque beneficentiam clarificent. Hanc enim orationem exaudiens, Pater respondit illico : « Et clarificavi, et iterum clarificabo. » Ita Theodorus Heracleotes.

VENIT ERGO VOX DE COELO : ET CLARIFICAVI, ET ITERUM CLARIFICABO. — « Clarificavi, » *primo,* communicando ei quasi Filio meo unigenito meam claritatem, id est majestatem, gloriam et divinitatem ab omni æternitate, juxta illud cap. XVII : « Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te. » Ita S. Augustinus et Beda.

*Secundo,* per eumdem creando mundum, et omnia quæ in eo sunt in tempore. Ita Rupertus.

*Tertio,* et aptissime, per vocem e cœlo in baptismo delapsam : « Hic est Filius meus dilectus; » item per tot tantaque miracula et virtutum opera, quæ Christus passim edidit; et in præsenti, hac voce mea e cœlis clarifico, « et iterum clarificabo, » scilicet in morte et post mortem Jesu, quando per ejus resurrectionem, ascensionem in cœlum, missionem Spiritus Sancti, Apostolorum prædicationem et miracula, omnes Gentes ipsum quasi Christum Filium Dei, ac consequenter Deum Patrem agnoscent, colent, amabunt, adorabunt. Ita Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Leontius, Euthymius, Jansenius, Maldonatus et alii.

29. TURBA ERGO, QUÆ STABAT ET AUDIERAT (hanc vocem tubalem Dei Patris), DICEBAT TONITRUUM Vers. 29.



ESSE FACTUM, — quia vox hæc maxima, crassissima et resonantissima erat instar tonitrui. Forte etiam quia confuse, non articulate vocem excipiebant, uti excipitur sonus confusus tonitrui. Unde Chrysostomus : « Aperta quidem, inquit, et significativa erat vox, sed et crassis et carnalibus cito evolavit, tantumque sonum retinuerunt. » Et mox : « Qui quod articulata quidem esset, noverant, sed quid significaret non capiebant. » Sed verius est, ait Rupertus, et ex eo Maldonatus, omnes hanc vocem articulate loquentem intellexisse ejusque significationem cognovisse, verbi gratia, quod Jesus esset Filius Dei, Messias et Salvator; verum propter vocis magnitudinem persuadere sibi non potuisse veram esse vocem, sed aut tonitru esse, seque falli, qui humanam articulatamque vocem audisse sibi viderentur, aut certe vocem esse angeli. Atque propterea hoc Evangelistam commemorasse, ut doceret vocem non fuisse tacitam aut obscuram, ita ut solus audiret Christus, nec alii ejus essent testes; sed tam magnam, tam claram fuisse, ut non solum omnes audierint, verum ita audierint ut alii tonitruum, alii vocem angeli, nemo humanam esse judicaverint. Atque hoc ipsum indicabat vocem esse divinam, quod illi existimarent esse tonitruum ; nam et tonitrua voces Dei vocari solent.

Tonitru e cœlo Christi divinitatem testatur. Symbolice : Tonitruum hoc significabat Jesum esse Filium Dei altitonantis, ac proinde ipsum quoque esse Deum altitonantem; tonitruum enim hic ad suum quasi recurrit auctorem, ut ipsum veneraretur et Gentilibus indicaret. Rursum significabat Jesum, qua homo erat, non tantum ore tonare et corde fulminare, ut dura hominum corda permoveret ad pœnitentiam, et frigida ad amoris ardorem; sed etiam Apostolos cæterosque suos faceret tonantes et fulminantes. Unde ipse Joanni et Jacobo id indidit nomen *Boanerges*, id est filii tonitrui, *Marc.* III, 17. Hinc et Paulus a S. Hieronymo, *epist.* 61, vocatur « tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, tonitru Gentium. » Subdit enim : « Quem quotiescumque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua. » Audi S. Chrysostomum, homil. 32 in *epist. ad Rom.*, in Moral. : «Tonitru ita terribile non est, sicut vox Pauli dæmonibus. Si enim vestimenta ipsius horruerunt, multo magis vocem. Ipsa vinctos illos et captivos egit, hæc orbem terrarum expurgavit, hæc morbos dissolvit, vitium expulit, veritatem superinduxit, Christum habuit inhabitatorem. Is ubique cum illo profectus est; et quod erant Cherubim, hoc erat et vox Pauli. Quemadmodum in potentatibus illis sedit Deus, ita et in lingua Pauli. » Sic « S. Basilii oratio erat tonitru, quia vita ejus erat fulgur, » ait Nazianzenus, *Orat.* 20. Hinc vox Christi assimilatur voci aquarum multarum, *Apoc.* I, 15, et voci multitudinis, *Daniel.* X, 6.

ALII DICEBANT : ANGELUS EI LOCUTUS EST. — Erat enim vox hæc augustior humana, ideoque angelica, imo divina. Angelus enim subiens personam Dei Patris, vocem hanc instar tonitrui in aere formarat.

30. RESPONDIT JESUS ET DIXIT : NON PROPTER ME HÆC VOX VENIT, SED PROPTER VOS, — ut scilicet in me credatis, itaque salvemini; ego enim hac voce non egeo. Sum enim Verbum Patris, quod increata et immensa laude et gloria glorificat Deus Pater et Spiritus Sanctus, quare creata et modica vocis hujus laude non egeo; vos vero illa egetis, quia mihi nonnulli e vobis objiciunt me non esse Dei Filium, nec a Deo missum; alii de eo dubitant; contrarium enim utrisque hæc vox Patris vobis proclamat, ut omne dubium vobis eximat. Ita S. Augustinus, Beda, Rupertus, Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Vers. 30.

31. NUNC JUDICIUM EST MUNDI; NUNC PRINCEPS HUJUS MUNDI EJICIETUR FORAS. — « Judicium » sæpe condemnationem quæ fit in judicio, metonymice significat, et sic hoc loco accipit Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius, *q. d.* Nunc instat mundi, id est Judæorum mundanorum condemnatio et vindicta Dei, eo quod me innocentem, imo Messiam et Dei Filium ad mortem condemnarint. Melius alii accipiunt « judicium, » non pro condemnatione nocentis, sed pro innocentis absolutione, vel potius oppressi ab oppressore et tyranno liberatione, *q. d.* « Nunc est, » id est nunc instat tempus quo mundus per tyrannidem oppressus a diabolo, ab eo liberetur. Instat enim mors mea, per quam homines a peccato et consequenter a potestate et tyrannide diaboli liberabo, ac diabolum, qui hucusque mundo tyrannice dominatus est, ejiciam foras, ut scilicet extra mentes fidelium et sanctorum ablegetur in mentes infidelium et impiorum. Unde argute Rupertus : « Duos, inquit, mundos vult intelligi, videlicet alterum inimicum, alterum reconciliatum; sive alterum damnatum, et alterum salvatum, dum dicit primo sine articulo : Judicium est mundi; secundo autem signanter cum articulo : Princeps, inquit, hujus mundi. Quod ergo judicium mundi et quæ est ejectio principis hujus mundi? utique præsens passio ipsius, qui hæc loquitur, Domini nostri Jesu Christi, judicium est mundi, id est salvatio, discernens a reprobis universitatem electorum, qui fuerunt ab initio sæculi usque ad horam ejusdem passionis; ejectio vero principis hujus mundi, qui principatum tenet in amatoribus hujus mundi, reconciliatio est Gentilium electorum, in quibus diabolus per idololatriam inhabitabat, ante sæpe dictam clarificationem ejusdem Domini nostri Jesu Christi. » Significat hic ergo Christus, *primo,* se mundum, id est gentes e toto mundo in se credituras, per mortem suam liberaturum a peccato et diabolo. *Secundo,* se diabolum ejecturum ex animis fidelium, item ex aris et templis, ut in iis deinceps colatur Deus verus ejectis idolis et dæmonibus. Vers. 31.

*Tertio*, se diabolo adempturum vim et potestatem, qua ante suum adventum, tentando validissime homines, omnes pene trahebat ad peccatum, indeque ad suum jugum; quare infregit vires diaboli Christus, ut nunc nec toties, nec tam valide sicut ante homines tentare possit, atque hominibus gratiam potentem largitur, qua facile, si ei conniti velint, tentationi resistere valeant.

*Quarto*, Christus multos dæmones ejecit a corporibus hominum totoque terræ ambitu, eosque in infernum relegavit. Unde Prosper, in *Dimidio Temp.*, cap. II, legit : « Nunc princeps hujus mundi missus est deorsum, » in tartara. Hinc et dæmones expulsi a Christo, eum rogabant ne mitteret ipsos in abyssum, *Luc.* VIII, 31. Audi S. Augustinum : « Providebat post passionem et glorificationem suam, per universum mundum multos populos credituros, e quorum cordibus diabolus, quando ei ex fide renuntiant, foras ejicitur. Est quidem et de veterum justorum cordibus ejectus, sed dicitur nunc ejiciendus, quia quod in paucissimis factum est tunc, in multis magnisque populis mox erat futurum. Ejicitur quidem diabolus foras, attamen tentare non cessat; sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare. » Simile dat S. Chrysostomus : « Ut si quis, ait, debitores feriat et in vincula mittat, eademque dementia eum, qui nihil debet, in carcerem ducat, is eorum quæ in alios fecit pœnas, dabit : sic diabolus per ea quæ in Christum ausus est, eorum etiam quæ in nos fecit pœnas dedit. »

Hoc est quod Christus dixit, *Luc.* XI, 21 : « Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet. »

Christus igitur hic videns Gentiles sui videndi cupidos, indoluit totum mundum gentilismo oppressum, in idolis adorare diabolum; quare optavit mortem suam accelerari, ut eis a Deo fidem et gratiam impetraret ac Apostolos mitteret, qui eos ad Deum converterent; ideoque ait : « Nunc judicium mundi est, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Simili modo S. Gregorius, teste Joanne diacono in ejus Vita, lib. I, cap. XXI, cum Romæ videret venales juvenes Anglos, vultu venustos, et rogaret qui et quales essent, unde venirent, an regio eorum christiana foret vel pagana, cumque paganam audisset, acriter ingemiscens : « Heu, proh dolor! inquit, quam splendidas facies princeps tenebrarum nunc possidet tantaque frontis species vacuam ab interna Dei gratia mentem gestat. Rursum interrogavit quod esset vocabulum gentis illius? Mercator respondit : Angli vocantur. At ille : Bene, inquit, Angli, quasi angeli; quia et angelicos vultus habent, et tales in cœlis angelorum decet esse concives. Iterum ergo interrogavit, quod nomen haberet ipsa

S. Gregorius visis Anglis juvenibus venustis de conversione Angliæ sollicitus est

provincia? Mercator respondit : Provinciales illi Deiri vocantur. Et Gregorius : Bene, inquit, Deiri, quia de ira sunt eruendi et ad Christi gratiam convocandi. Rex, ait, illius provinciæ quomodo nuncupatur? Mercator respondit : Ælle vocatur. Et Gregorius alludens ad nomen dixit : Bene, quia rex dicitur Ælle : Alleluia etenim, in laude Creatoris, in partibus illis oportet decantari. » Mox itaque accessit ad Pontificem Benedictum ab eoque petiit in Angliam mitti, ut Anglos converteret, unde ipse ab Anglis quasi eorum Apostolus colitur.

32. ET EGO SI EXALTATUS FUERO A TERRA, OMNIA TRAHAM AD ME IPSUM. — « Si exaltatus fuero, » per resurrectionem et ascensionem in cœlum, ait Chrysostomus. Melius alii passim, *q. d.* Si exaltatus fuero in crucem, id est si in alta cruce crucifixus fuero. Unde Joannes id explicans subdit : « Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. » Loquitur Christus, ait Maldonatus, de se tanquam de milite cum diabolo pugnante : solet miles eo fortior esse, et adversario superior, quo ex altiore loco pugnat : significavit ergo se ex cruce sua, tanquam ex altissima et munitissima arce pugnaturum diabolumque victurum esse : propterea genus illud mortis « exaltationem » appellavit. Traxit exaltatus omnia ad semetipsum, quemadmodum aquila in sublime volans prædam trahit.

Sic Marcus, Arethusæ in Syria Episcopus, sub Juliano Apostata suspensus in alto, ac melle perunctus, ut vespis et apibus fieret pabulum, suos tortores irridebat dicebatque « illos esse humiles et terrenos, se vero arduum et sublimem, » ait Theodoretus, lib. III *Hist.*, cap. VII, et Sozomenes, lib. V, cap. X. Magis ad litteram alludit Christus ad id quod dixit cap. III, vers. 14 : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. » Moraliter docet hic Christus crucem non esse horrendam, sed ambiendam, quia sola crux exaltat.

OMNIA, — id est animam et corpus, ait S. Augustinus et Beda. At Rupertus, « omnia, » hoc est cœlum, terram, homines, angelos et dæmones; quia scilicet eadem « ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, » *Philip.* II.

*Tertio* et planissime, « omnia, » id est omnes homines omnium gentium, qui in me credere volent, puta omnia hominum genera, ait S. Augustinus. Unde S. Cyrillus, Chrysostomus et Theophylactus, pro « omnia » legunt *omnes*, sed « *omnia* » magis emphaticum est, *q. d.* Omnia spolia diaboli, puta omnia mundi opima, hoc est totius mundi gentes, quæ in me credent. Quem enim paulo ante vocavit « mundum, » hic vocat « omnia. » Arabicus, *traham ad me unumquemque* : Syrus, *omnes*.

TRAHAM, — id est abstraham ab invito diabolo, ut ipsos non invitos, sed volentes blandiendo suaviter, sed efficaciter traham ad meipsum, ut eos fratres meos, imo filios efficiam; ut, sicut ego sum Filius Dei naturalis, sic illi sint filii Dei adoptivi. Græce enim est ἑλκύσω, id est traham per vim, scilicet invito diabolo, ei violenter prædam eripiens, ac homines animans et roborans, ut sibi suisque concupiscentiis vim faciant, juxta illud : « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, » *Matth.* XI.

Audi S. Leonem, serm. 8 *De Passione*, eleganter et pathetice totum hunc locum pertractantem : « O admirabilis potentia crucis, o ineffabilis gloria passionis! in qua et tribunal Domini, et judicium mundi, et potestas est crucifixi. Traxisti enim, Domine, omnia ad te, et cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem et contradicentem tibi, confitendæ majestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti, Domine, omnia, cum in execrationem Judaici sceleris, unam protulerunt omnia elementa sententiam, cum obscuratis luminaribus cœli, et converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis universaque creatura impiorum se usui negaret. » Efficacius deinde hunc Christi tractum prosequitur et perurget : « Traxisti, Domine, omnia ad te, quoniam scisso templi velo Sancta sanctorum ab indignis pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, et lex in Evangelium verteretur. Traxisti, Domine, omnia ad te, ut quod in uno Judææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertoque sacramento universarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc enim et ordo clarior Levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacratior est unctio sacerdotum : quia crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. »

Porro Christus a terra exaltatus in crucem, ut medius penderet inter cœlum et terram, traxit ad se omnia. *Primo*, quia cœlum terræ, angelos Gentibus, Gentes Judæis, Deum hominibus reconciliavit : « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso, in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso, » *Ephes.* II, 14.

*Secundo*, quia omnes totius mundi gentes ad fidem et amorem sui traxit : traxit autem illas a terra ad crucem, puta ad pœnitentiam, continuam mortificationem, martyrium, et a cruce ad cœlum; traxit, inquam, *primo*, sanguinis sui merito et pretio; *secundo*, suo exemplo; *tertio*, suo amore. Quis enim Christum ex amore pro nobis ultro morientem non redamet? Quis non dicat cum S. Ignatio Martyre inter leones con-





stituto : « Amor meus crucifixus est? » Vide dicta *Zachariæ* XIII, 6, ad illa : « His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. »

*Tertio* symbolice, Christus in cruce traxit ad se omnia, id est Deum creatorem cum omnibus creaturis. Deus enim hoc Christi sacrificio placatus fuit hominibus, sol et cœli obstupuerunt; unde quasi lugentes creatoris sui mortem, radios a terra subtraxerunt; luna sub sole se abscondit, aer tenebris densissimis sese involvit, terra tota e centro convulsa et conquassata intremuit, petræ scissæ sunt et monumenta aperta, ut tam sepulti quam vivi mortem Christi plangerent, uti insinuavit S. Leo. Omnes ergo creaturæ ad Christum crucifixum quasi se erexerunt, tanquam obstupescentes et offerentes se ad pugnandum pro eo contra Judæos christicidas eosque disperdendum.

Porro perperam hinc colligebant Origenistæ. Christus traxit ad se omnia : ergo etiam damnatos ex inferno traxit et salvavit, quia, ut explicat S. Gregorius, lib. VI, *epist.* 15, Christus traxit omnia, scilicet electa : « nam trahi ad Deum post mortem non potuit, inquit, qui se a Deo male vivendo separavit. »

Symbolice, S. Bernardus, serm. 21 *in Cant.*, hanc Christi sententiam sibi omnibusque Religiosis adaptat. Hi enim per contemptum terrenorum et amorem cœlestium exaltantur a terra, itaque omnia ad se trahunt; quia omnia tam adversa quam prospera eis cooperantur in bonum, atque ipsi omnia quasi calcando possident; « fideli enim totus mundus divitiarum est. »

33. HOC AUTEM DICEBAT, SIGNIFICANS QUA MORTE ESSET MORITURUS, — nimirum morte crucis : in hac enim pendens exaltatur a terra. Sunt verba non Christi, sed Joannis verba Christi interpretantis : unde parenthesi intercipiuntur.

34. RESPONDIT EI TURBA : NOS AUDIVIMUS EX LEGE, QUIA (quod) CHRISTUS MANET IN ÆTERNUM, ET QUOMODO TU DICIS, OPORTET EXALTARI FILIUM HOMINIS? — Intellexerunt Judæi quod Christus de morte sua in cruce dixisset : exaltari enim a terra idem est quod crucifigi; quærunt ergo quomodo se dicat moriturum, cum lex asserat Christum non moriturum? Aliter S. Augustinus : « Intellexerunt, ait, eum hoc dixisse, quod ipsi facere cogitabant, nec verborum obscuritatem eis aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia. » Vers. 34.

EX LEGE. — « Lex » vocatur totum vetus Testamentum. Ergo Christum mansurum in æternum, ideoque non moriturum, Judæi colligebant ex illo *Michææ* V, 2 : « Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. » Et *Psal.* CIX, 4 : « Tu es sacerdos in æternum. » *Psal.* LXXXVIII, 30 : « Ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli. » Et vers. 38 : « Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

in æternum, et testis in cœlo fidelis. » Et *Psal.* LXXXI, 5 : « Et permanebit cum sole et ante lunam in generatione et generationem. » *Isaiæ* IX, 7 : « Vocabitur pater futuri sæculi. » Similia sunt *Isaiæ* XL, 8; *Ezech.* XXXVII, 27; *Daniel.* IX, 26. Verum hæ Scripturæ loquuntur de regno Christi glorioso, quod post mortem resurgens et ascendens in cœlo adeptus est; hoc enim erit æternum. Nam alioqui Christum ante hoc regnum moriturum expresse prædixit Isaias, toto cap. LIII; David, *Psal.* XXI, 12 et 17; Daniel, IX, 26; Jeremias, XI, 19.

Quis est iste Filius hominis? — *q. d.* Si tu es ille Filius hominis, de quo loqueris (uti apparet ex eo quod te soleas Filium hominis appellare), quomodo ergo vis haberi Christus? Christus enim secundum legem, id est juxta oracula Prophetarum jam citata, est æternus, nec mori potest, cum tu ex adverso dicas Filium hominis debere mori et exaltari in cruce. Quod si quis alius est Filius hominis, de quo loqueris, edicito quis ille sit? Ita Toletus et Jansenius. Paulo aliter Maldonatus censet Judæos hic, quasi Christum convicissent, ei insultare et victo illudere : Quis est iste Filius hominis? quemadmodum si barbarus miles et victoria insolens, capto a se in bello regi et in servitutem redacto, dicat : Quis est iste rex? et quemadmodum eidem Christo iisdem postea Judæi capto dixerunt : « Ave rex Judæorum (1). »

Vers. 35. 35. Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant : et (id est quia) qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. — Christus noluit directe ad objectionem Judæorum respondere, quia sciebat eos indignos et incapaces esse responsi, ait Cyrillus. Indirecte ergo respondet, ut ea quasi luce utantur; brevi enim hanc lucem extinctum iri per mortem, cum frustra eam sint requisituri : quod si hac luce uti velint, ab ea illuminationem recepturos, qua objectionis suæ solutionem videant cæteraque ad salutem necessaria cognoscant. Latini passim τὸ *modicum* referunt ad *lumen*, *q. d.* Habetis adhuc modicum luminis et intelligentiæ, quo intelligitis Christum mansurum in æternum. Sed non cognoscitis ipsum moriturum quoque et resurrecturum. « Ambulate » ergo « dum lumen habetis, » hoc est, pergite et proficite in indaganda et cognoscenda veritate, dum hoc intelligentiæ lumen habetis. Sic enim cognoscetis qua ratione Christus moriturus quidem sit, sed tamen resuscitatus mansurus sit in æternum. Ita S. Augustinus, Beda, Rupertus, S. Bernardus, serm. 49 *in Cant.*, Lyranus et alii.

Verum τὸ *modicum* non refertur ad *lumen*, sed ad χρόνον, id est tempus. Græca enim habent, ἔτι μικρὸν χρόνον, τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι, hoc est, *adhuc ad modicum tempus lux vobiscum est*. Ita Syrus; et Arabicus, *lumen*, ait, *est vobiscum tempore modico*. Christus vocat seipsum « lumen » vel « lucem, » sive solem mundi, ob causas quas recensui cap. I, 4, et epist. I *Joan.* I, 5.

S. Chrysostomus ergo et Theophylactus censent Christum hic se assimilasse luci, sive soli, quia sicut lux solis noctu non exstinguitur, sed absconditur duntaxat ad modicum tempus, ut mane rursum oriatur et luceat toto die; sic et se moriturum quidem, sed tertio die resurrecturum, indeque victurum et regnaturum in æternum, quod quærebant Judæi.

*Secundo*, planius et germanius exponas, *q. d.* Ego Christus, qui sum lux mundi, eum illuminans doctrina et cognitione Dei, salutis et rerum divinarum, adhuc modico tempore (per tres dies) vobiscum, o Judæi, corporaliter ero, conversabor, docebo, prædicabo : quare, si sapitis, quamdiu me sic habetis vobis præsentem, ac doctrina et miraculis prælucentem, ambulate, id est amplexamini et sectamini hanc lucem, id est, ut sequitur, credite in me, audite me, interrogate me, ego omnia vestra dubia resolvam, ac nominatim quomodo Christus moriturus sit, et tamen mansurus in æternum, quod nunc mihi proposuistis : nam si id non feceritis, brevi a vobis auferetur hæc lux, id est brevi ego moriar, ac tum tenebræ errorum vos occupabunt et involvent. Licet enim Apostolos post me relicturus sim, qui lucem Evangelii a me allatam prosequentur; tamen illos parvi facietis et persequemini, frustra me, qui sum ipsa originalis lux, requisituri. Simili modo Christus iisdem Judæis, cap. VII, 33, ait : « Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum qui misit me. Quæretis me, et non invenietis. »

« Lucem » ergo Christus vocat seipsum suamque vitam. Quare minus apte et genuine Chrysostomus, Theophylactus et Rupertus, per « lucem » accipiunt cujusque fidelis vitam, quæ cuique quasi sua dies est, *q. d.* Ambulate, id est bene agite, credite in me, dum lux vitæ vobis suppetit; nam post eam succedent tenebræ mortis, cum credere et bene agere non licebit.

Symbolice, Leontius per « tenebras » accipit peccata; Rupertus vero damnatorum pœnas : inter has enim una sunt tenebræ exteriores. *Matth.* VIII, 12.

36. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. — Ecce hic explicat τὸ « ambulate dum lucem habetis, » per « credite in lucem, » scilicet in me, qui sum lux mundi; credite, inquam, quod ego sim Messias Filius Dei, et salvator mundi, mihique et Evangelio meo obedite : ita Cyrillus, Theophylactus; « ut sitis filii lucis, » ut scilicet sitis filii mei, qui sum lux mundi; ac consequenter filii gratiæ, charitatis, virtutis et sanctitatis in hac vita, ac filii resurrectionis, felicitatis et gloriæ in altera. Vide dicta I *Joan.* I, 5 : « Quoniam Deus lux est. » Et in Evang. ejusdem, cap. I, 4. Et *Ephes.* V, 8 : « Ut filii lucis ambulate : fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate. »

Tropologice : cum sentis Spiritus Sancti illuminationes, instinctus, afflatus, eos illico sequere et exsequere, quia instar fulguris apparent et disparent. Sic S. Franciscus, cum audiret Dei inspirationem, licet iter agens, subsistebat, ut eam exciperet statimque eam in opus conferebat.

Abscondit se Jesus a Judæis. Hæc locutus est Jesus, et abiit, et abscondit se ab eis. — Quia prævidebat eorum cogitationes, quod vellent eum capere ante præfinitum a Patre tempus. Ita Chrysostomus, Theophylactus et alii. « Abscondit se, » modico tempore, puta noctu. Nam Christus hisce tribus ultimis vitæ suæ diebus per diem docebat in templo, noctu vero secedebat in montem Oliveti, indeque in Bethaniam, ut patet *Luc.* XXI, 37. Unde Maldonatus censet Christum se abscondisse secedendo in Bethaniam.

Ab eis. — Non « ab eis, » ait S. Augustinus, et ex eo Beda, qui credere et diligere cœperant; non « ab eis » qui cum ramis palmarum et laudibus obviam venerant, sed « ab eis » qui videbant et invidebant, quia nec videbant, sed in lapidem illum cæcitate offendebant.

Symbolice Rupertus : Abscondit, inquit, Christus se ab eis, non loco, sed gratia; quia eos in sua infidelitate reliquit, excæcavit et obduravit, ut sequitur.

Vers. 37. 37. Cum autem tanta (Græce τοσαῦτα, id est tot et tanta, sive tam magna) signa fecisset coram eis, non credebant in eum. — S. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius opinantur Jesum hoc tempore multa miracula patrasse, ut iis Judæos ad credendum in se permoveret de iisque hic loqui, sed illa a Joanne brevitatis studio esse omissa. Melius alii censent Joannem loqui de omnibus miraculis, quæ toto prædicationis tempore Jesus operatus est. Dat enim causam cur Jesus dixerit : « Credite in lucem, » quasi dicat : Ego tot signis probavi me esse Messiam et doctorem mundi, cur ergo in me non credidistis? Non est quod plura a me exspectetis. Ego enim jam ad finem mortemque pergo. Si ergo sapitis, antequam abeo, illico credite in me.

Tres causæ cur Judæi non credunt Christo. Causa cur pauci in Jesum crediderint, ac plurimi non crediderint, fuit partim eorum animalis vita, qua bonis terrenis suisque cupiditatibus affixi, bona cœlestia et mundanorum contemptum, quæ Christus prædicabat, non capiebant; partim timor Scribarum, pontificum et principum, quos sciebant Jesu adversari : populus enim sequitur fidem suorum principum; partim Christi paupertas, modestia, humilitas, quam ipsi spreverunt. Sperabant enim, et etiamnum sperant, Messiam suum venturum cum magna pompa magnisque opibus, quasi alterum Salomonem regem Israelis.

38. Ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit : Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? — Τὸ ut non finem et scopum a Deo intentum, sed consecutionem, sive id quod secutum est significat, *q. d.* Unde ex Judæorum incredulitate secutum factumque ut sermo Isaiæ, quo eam prædixit, impleretur. Ita Chrysostomus, Cyrillus et alii.

Quis credidit auditui nostro? — Citat *Isaiæ* cap. LIII, 1, ubi ea plenius explicui : quare breviter hic perstringam.

Auditui nostro, — id est prædicationi et sermoni audito, quem scilicet Judæi a me Christo meisque apostolis evangelizantibus audierunt, *q. d.* Quam pauci Judæi crediderunt Evangelio, quod a me et Apostolis prædicatum ipsi audierunt! Est hebraismus : nam שמועה *scemua*, id est *auditus*, ponitur pro prædicatione quæ auditur, scilicet potentia vel actus ponitur pro suo objecto, quod crebrum est apud Hebræos.

Brachium Domini. — Id est Christus, *q. d.* Quam paucis Judæis Christus cognitus et revelatus fuit! Christus enim dicitur « Brachium Domini, » quia *primo* a Patre ὁμοουσίως procedit, sicut brachium a corpore et capite illi consubstantiale emanat; *secundo*, quia Christus qua Deus, Patris est brachium, id est virtus, robur et fortitudo, per quam omnia potenter operatur; *tertio*, quia Christus, qua homo in carne assumpta, apud homines magnæ virtutis et potentiæ Dei opera exercuit. Ita S. Augustinus, Beda, Rupertus, Toletus, Jansenius, Maldonatus et alii hic, ac S. Hieronymus, in *Isai.* LIII; et S. Athanasius, lib. *De communi essentia Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Potest *secundo*, simplicius et planius « brachium » accipi pro divina virtute et potentia, quæ in miraculis Christi se exerebat, *q. d.* Quam pauci Judæi agnoverunt Dei virtutem, in Christo tot tantaque operantem! Ita Jansenius et Maldonatus. Christus est brachium Domini.

39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias : 40. Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum : ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos. — « Propterea, etc., quia. » Nota has duas particulas causales hic non sumi proprie, nec causam significare, *q. d.* Causa incredulitatis Judæorum fuit Dei excæcatio, ut vult Calvinus; sed tantum significare consecutionis necessitatem, et sequelæ ordinem, *q. d.* Fieri non poterat ut, cum Isaias dixerit et prædixerit Judæos non credituros in Christum, ipsi tamen ei crederent, quia non potest mentiri Scriptura, nec falli præscientia Dei, quæ eos non credituros per Isaiam prædixit. Id autem prædixit, quia prævidebat eos sua li-

(1) Præstat Toleti explicatio : Joannes summam tantum orationis præcedentis retulit, verbis aliquot omissis; Christus, cum de sua evectione diceret, nominavit *Filium hominis*. Dubitant igitur Judæi quis esset hic Filius hominis, *q. d.* Te videris Messiam et Filium hominis pro eodem habere; attamen hunc Filium hominis dicis e terra sublatum iri, nos vero e litteris sacris accepimus, Messiam perpetuo his in terris regnaturum esse : quisnam est igitur ille Filius hominis?

bertate pertinacia et malitia non credituros Christo. Ideo enim Deus prævidit eos non credituros, quia ipsi libere non erant credituri. Non autem ideo ipsi non crediderunt, quia Deus prævidebat eos non credituros. Prius enim est ipsos non credituros, quam Deus eos non credituros prævideat; Deus enim prævidet futurum, quia id revera futurum est : nil enim Deus prævidere potest, nisi quod jam revera fore vel futurum præsupponitur. Objectum enim visum prius est ipsa visione; nil enim videri potest, nisi quod jam est vel erit. Ita Chrysostomus, Jansenius, Maldonatus et alii.

Verum S. Augustinus, et ex eo Toletus sic exponit, *q. d.* Propterea Judæi non poterant credere Christo, quia ipsi obdurati et excæcati erant, sicut prædixit Isaias; sed tunc *non poterant*, non absolutam necessitatem, sed vel moralem, id est magnam difficultatem, vel conditionalem significat, *q. d.* Judæi non poterant credere Christo, posito eo quod ipsi suis vitiis, tenebris et erroribus affixi, iis adhærere animum obfirmarant, ideoque sua malitia se obdurassent et excæcassent. Alioqui enim excæcati et obdurati, quia habent liberum arbitrium, nec gratia sufficiens eis deest, absolute possunt suam obdurationem deponere seseque ad Deum convertere.

Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum. — Citat Christus *Isai.* cap. vi, vers. 9 et 10, ubi fuse hæc explicui : quare breviter ea hic repetam. Nota *primo*, excæcari proprie intellectum, obdurari vero affectum et voluntatem. *Secundo*, excæcationis et obdurationis directam et propriam causam esse propriam hominis libertatem et malitiam, juxta illud *Sapient.* ii, 21 : « Excæcavit illos malitia eorum. » Unde Arabicus hic vertit, *Excæcati sunt oculi eorum, et indurata sunt corda eorum*; Syrus, *Occæcati sunt oculi eorum, et tenebris offusa sunt corda eorum.* Deus tamen dicitur hominem excæcare et obdurare indirecte et improprie, quia illi lumen veritatis et gratiæ sensim subtrahit, ac errorum et vitiorum occasiones ei a diabolo, carne et mundo objici permittit, ad puniendum priora ejus peccata.

Porro, in Isaia pro « excæcavit » est « excæca cor populi : » quæ sunt verba Dei ad Isaiam, sed eodem redit sensus. « Excæca » enim idem est quod prædic eum a me indirecte excæcandum. « Excæcavit » ergo idem est quod « excæcabit; » ponitur enim præteritum pro futuro, ut significetur rei certitudo, scilicet rem tam certo futuram, ac si jam facta esset; nimirum tam certo excæcandos fore Judæos, ac si jam excæcati essent.

41. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo. — « Gloriam ejus, » scilicet Christi sive Filii Dei incarnati, de quo sermo præcessit et sequitur. Ita Cyrillus, Nonnus, Leontius, Augustinus et passim veteres contra Arianos. Hinc ergo patet Christum, Dei Filium, vere esse Deum, Patri ὁμοούσιον, qui scilicet eamdem cum Patre habeat substantiam, majestatem et gloriam. Nam verba hæc et gloriam hanc divinam fuisse Dei Patris non negant Judæi, nec de eo dubium esse potest; hic vero dicitur eamdem gloriam fuisse Filii. Eamdem fuisse Spiritus Sancti patet, *Act.* xxviii, 25; ideoque sanctæ Trinitati sic coram Isaia apparenti Seraphini acclamabant ter : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth; plena est omnis terra gloria ejus. »

Hæc ergo gloria, quam vidit Isaias, cap. vi, fuit gloriosa effigies, qua sanctæ Trinitatis essentia, et personæ singulæ clare ei per symbolum aliquod imaginarium, modo nobis ineffabili repræsentabantur. Effigies autem hæc fuit species humana : Deus enim visus fuit Isaiæ, quasi homo vel rex sedens in throno excelso : unde tam faciem quam pedes Dei nominat et describit Isaias. Denique hæc species gloriose adornata fuit ingenti lumine et majestate : unde Joannes illam hic vocat « gloriam. » Itaque Isaias in illa visione, aiunt Ribera, Maldonatus, Toletus et alii, cognovit apertissime, quantum ab homine in hac mortalitate cognosci potest, tres personas in unitate essentiæ, tum ex clamore Seraphim, tum ex altissima revelatione quam habuit, et ideo dicit : « Quando vidit gloriam ejus, » id est quando ei per revelationem ostensa est persona Filii coæqualis et consubstantialis Patri et Spiritui Sancto. Plura de hac visione dixi, *Isaiæ* vi, 1.

42. Verumtamen et ex Principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur. — « Principes » vocat non summos pontifices et magistratus : hi enim paulo post Jesum ceperunt et occiderunt, sed Primores et Proceres, ut vertit Syrus, qui cæteris sapientia, auctoritate, opibus eminebant, tam inter sacerdotes quam inter laicos. Ita Rupertus. Ili ergo convicti veritate ac sanctitate et miraculis Jesu, crediderunt ipsum esse Messiam; sed id palam profiteri non audebant, ne extra synagogam pellerentur. Hoc enim jam decretum erat a Pharisæis, ut audivimus cap. ix, vers. 22.

43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. — « Gloria » hic primo active accipi potest, *q. d.* Dilexerunt glorificare magis homines, puta Judæos et Pharisæos, dicendo illos esse sapientes et veros legis doctores quam Jesum a Deo missum, ut profiterentur ipsum esse Messiam, lucem et doctorem mundi.

*Secundo* et potius, passive, *q. d.* Dilexerunt magis glorificari ab hominibus quam a Deo, ut scilicet a Pharisæis audirent : Vos estis veri Israelitæ, qui in fide patrum constantes, Mosen priscum novatori Jesu, antiquam Israelitarum religionem novitiæ Christianorum sectæ prætulistis. Ita S. Augustinus, Cyrillus, Beda, Chrysostomus, Theophylactus et alii. Hi ergo habebant fidem Christi, sed non charitatem; si enim eam habuissent, magis dilexissent gloriam Dei quam hominum, et fidem Christi quam corde tenebant, ore professi fuissent : « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, » *Rom.* cap. x.



Tales hodie multi sunt in Anglia, Germania, Polonia, qui fidem et pietatem in mente colunt, sed exterius ostendere non audent, ne hæreticorum vel mundanorum irrisiones et scommata incurrant, contra quos fulminat Christus : « Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris et sanctorum angelorum, » *Luc.* ix, 26.

Sapienter Glossa ex S. Augustino, *tract.* 53, in fine : Ideo, ait, crux figitur in fronte, ubi est sedes verecundiæ, ne de Christi nomine erubescamus magisque Dei quam hominum gloriam quæramus.

44. Jesus autem clamavit, et dixit : Qui credit in me, non credit in me (tantum, ut addit Arabicus), sed (etiam) in eum qui misit me. — An Jesus hæc dixerit eodem tempore quo præcedentia, vers. 35, ut vult Maldonatus, antequam se absconderet et abiret, ut dixi vers. 36 (quasi illud ibi dicatur per anticipationem, cum recto ordine ponendum sit in fine capitis); an vero alio tempore, ut vult Theophylactus, incertum et ambiguum, ideoque problema est. Christus enim hisce tribus ultimis vitæ suæ diebus, noctu secedebat in montem Oliveti et Bethaniam, mane vero redibat ad templum ibique docebat et concionabatur. Cum videret ergo alios sibi non credere, alios vero credere, sed non audere fidem suam profiteri, ex pudore et metu Pharisæorum, « clamavit » contenta voce ut pudorem hunc et metum eis eximeret : « Qui credit in me, » non credit in merum pauperem miserumque hominem, sed in hominem qui simul est Deus, ideoque « credit in Deum, qui misit me, » puta in Deum Patrem, cui sum ὁμοούσιος et consubstantialis, *q. d.* Non vos pudeat meæ paupertatis et humilitatis, quia, etsi exterius pauper sim et humilis, interius tamen sum dives et sublimis : sum enim Deus de Deo; quare qui in me credit, in Deum credit. Quid autem dignius et gloriosius, quam in Deum credere? Quid metuat vel erubescat, qui in Deum credit? Addit Cyrillus : « Clamavit » Jesus, ut significaret se nolle timide et occulte coli, sed velle ut fidem libere et clare profiteamur et proclamemus. *Tertio*, « clamavit, » quia parum illi temporis ad prædicandum restabat, ait Rupertus; nam post tres dies crucifixus est, *q. d.* Qui vult me audire, credere et salvari, illico id faciat; nam post triduum nemo me audire poterit. Ita S. Chrysostomus : Quid formidatis, ait, credere in me? in Deum fides pervenit per me : sicut qui fluminis aquam accipit, nonne accipit eam quæ est fontis? Et S. Augustinus : « Quia, ait, homo apparebat hominibus, cum lateret Deus, ne putarent eum esse tantum quod videbant (hominem), talem ac tantum se credi volens (Deum) qualis et quantus est Pater, inquit : Qui credit in me, non credit in me, id est in hoc quod videt, sed in eum qui me misit, id est Patrem. »

Hinc ergo patet Filium esse Deum, Deoque Patri consubstantialem. Negabant id Ariani et objiciebant : Qui credit Apostolis a Deo missis, in Deum credit; et tamen non credit Apostolos esse Deos. Ergo pariter qui credit Christo a Deo misso, esto in Deum credat, non tamen credit Christum esse Deum. Respondeo negando sequelam. Nos enim credimus quidem Apostolis, sed non in Apostolos. Christus autem hic ait : « Qui credit in me, credit in eum qui misit me. » Nemo autem credit in aliquem, nisi in eum qui est Deus. Ergo si in Christum credimus, credimus ipsum esse Deum, cumque non nisi unus sit Deus, credimus ipsum eumdem numero esse Deum cum Deo Patre, ideoque ait : « Qui credit in me, credit in eum qui misit me, » *q. d.* Qui credit in me Dei Filium, credit pariter in Deum Patrem meum, quia una utrique est natura, una majestas. Ita S. Augustinus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius et alii. Unde, ut id clarius significet, subdit Christus :

45. Et qui videt me, videt eum qui misit me, — quia unica est utrique natura : quare eo modo, quo per humanitatem videt deitatem meam in ea latentem, eodem modo videt quoque deitatem Patris mei, cum una sit eademque. Ita S. Augustinus. Ostendit, ait, adeo nihil distare inter se et Patrem, ut qui se videret, videret et Patrem.

Audi S. Cyrillum, in *Concilio Ephesino* : « O fideles auditores mei! ne parva et humilia de me opinemini. Quin potius id de me persuasum habetote, nempe si in me quem in hoc corpore cernitis, credideritis, non in unum aliquem ex multis credituros vos esse, sed in ipsum Patrem per me Filium, qui licet vestri causa caro factus sim; Patri tamen omnino æqualis, nullaque in re ab eo divulsus aut separatus sum, utpote eadem qua ille natura, potentia ac gloria præditus. »

46. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. — Identidem Christus se vocat lucem mundi, quæ veram in Deum fidem, cultum, pietatem, virtutem omniaque ad salutem conducentia ostendat, ac infidelitatis, idololatriæ, errorum et vitiorum omnium tenebras dispellat, ut quod sol in mundo est corporaliter, hoc ipse in mundo sit spiritualiter. Nomen *lux*, ait Cyrillus, indicat divinitatem; Deo enim proprium est esse lucem mundi. Deus enim per essentiam est lux spiritualis, increata, immensa, a qua omnis lux creata tam spiritualis quam corporalis, tam angelorum et hominum, tam solis et cœlorum, quam elementorum, velut radius a sole derivatur. Proprium vero Filio est, quod a Deo Patre per modum radii et lucis procedat, juxta illud Symboli Nicæni : « Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero : » ipse enim

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

procedit a Patre per intellectum et cognitionem, quasi verbum mentis, quod quasi lucidissimum speculum omnia repræsentat. Quocirca de eo ait Sapientia, cap. VII, vers. 26 : « Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. » Atque ex Sapiente Apostolus, *Hebr.* I, 3 : « Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, » etc. Et *Eccli.* XXIV, 6 : « Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens. » Hæc de Christo qua Deus est; qua homo vero, missus est a Deo Patre in mundum, ut eum tenebris ignorantiæ, infidelitatis et peccatorum obsitum, quasi sol cœlestis illuminaret, uti dixi cap. I, vers. 9 et seq.

Symbolice S. Gregorius, lib. XXV *Moral.*, cap. IV : « Lux æterna, ait, quæ Deus est, quanto immutabiliter fulget, tanto penetrabiliter videt, et neque occulta nescit, quia cuncta penetrat; neque penetrata obliviscitur, quia incommutabilis durat. Proinde quoties indignum aliquid corde concipimus, toties in luce peccamus, quia ipsa nobis et non sibi præsentibus præsto est, et perverse gradientes in ipsam impingimus, a qua per meritum longe sumus. Cum vero nos videri non credimus, in sole clausos oculos tenemus. Illum videlicet nobis abscondimus, non nos illi. »

Idem S. Gregorius, lib. VII, epist. 32 *ad Dominicum* : « Lux gregis, ait, flamma est pastoris. Decet enim pastorem, decet Dominicum sacerdotem moribus et vita clarescere, quatenus in eo, tanquam in vitæ suæ speculo, plebs commissa et eligere quod sequatur et videre possit quod corrigat. »

47. ET SI QUIS AUDIERIT VERBA MEA, ET NON CUSTODIERIT, EGO NON JUDICO EUM. — « Non custodierit, » id est mente non retinuerit, *non crediderit*, » ut habent Græca (quæ habent πιστεύσῃ, id est *crediderit*, pro quo Noster cum Syro et Arabico legit τηρήσῃ, id est *custodierit*, et sic explicat Christus, vers. sequent. : « Ego non judico, » *q. d.* Ego non veni in carnem et mundum, ut eum judicem et damnem, sed ut redimam et salvem. Talis tamen qui non credit in me, jam judicatus est et damnatus per suam ipsius malitiam et infidelitatem, atque per æternum Patris mei decretum. Patet ex sequenti; ita Cyrillus, Theophylactus, Leontius et alii. Vide dicta cap. III, vers. 18. Hoc autem decretum Patris ego exequar in die judicii, cum quasi judex redibo ut judicem mundum, qui jam veni quasi redemptor ut salvem mundum. Unde Chrysostomus : « Ego non judico, » hoc est, ait, *q. d.* Ego non sum causa perditionis illius, sed ipse sui ipsius, qui verba mea spernit.

NON ENIM VENI UT JUDICEM MUNDUM, SED UT SALVIFICEM (salvum faciam) MUNDUM, — id est homines mundi incolas : quia nunc tempus est misericordiæ, post autem judicii, ait S. Augustinus.

48. QUI SPERNIT ME, ET NON ACCIPIT VERBA MEA, HABET QUI JUDICET EUM. — *q. d.* Qui « non accipit, » id est animo non amplectitur (et, ut paulo ante dixit, non custodiit), hoc est non credit verba mea, habebit Deum Patrem vindicem, qui eum puniet et damnabit per me judicem in die judicii. Nam, ut ait S. Augustinus, lib. I *De Trinit.* : « Non judicabit Christus ex potestate humana, sed ex potestate Verbi Dei. »

SERMO, QUEM LOCUTUS SUM, ILLE JUDICABIT EUM IN NOVISSIMO DIE. — S. Augustinus, *tract.* 54, per « sermonem » accipit Christum; hic enim erit judex in die judicii : « Satis, ait, manifestavit seipsum judicaturum in novissimo die; seipsum quippe locutus est, seipsum annuntiavit, seipsum januam posuit, qua ipse ad oves pastor intravit. »

Planius et nervosius alii, *q. d.* Sermo meus a Judæis auditus, et non creditus, contra eos in die judicii accusabit eos eosque dignos gehenna muta voce proclamabit. Ita Rupertus : « Ille sermo, ait, quem audierunt, quem verum esse nescire non possunt, utpote magnificis operum testimoniis comprobatum, ille judicabit eum, ille arguet, ille convincet eum. Ubinam iste talis judex sedebit? Quales de solio suo voces aut sententias judicii sui dabit? Prope aderit, intus sedebit, in conscientia cujusque justas sententias terribiliter personabit. » Est prosopopœia. Sermo enim Christi hic inducitur quasi persona et testis accusans incredulos apud Christum judicem in die judicii.

49. QUIA EGO EX MEIPSO NON SUM LOCUTUS, SED QUI MISIT ME PATER, IPSE MIHI MANDATUM DEDIT QUID DICAM, ET QUID LOQUAR. — Tò *quia* dat causam cur sermo Christi Judæos condemnaturus sit; quia scilicet Christus hunc sermonem locutus est, non ex se, sed ex Patris mandato : quare qui illi non credidit, Deo non credidit; qui illum sprevit, Deum sprevit, ideoque eum judicem et vindicem experietur. Ita Syrus. Paulo aliter Rupertus : « Inde, inquit, sermo, quem locutus sum, fortitudinem habet judicandi, quia ego eum a meipso non loquor. » Porro S. Augustinus, S. Ambrosius et Beda censent Christum hic de se loqui, quatenus Deus est, *q. d.* Ego Christus qua Deus, ex me non loquor, sed ex Patre, qui dedit mihi mandatum quid dicam et loquar, hoc est, dedit mihi divinam naturam, et cum ea omniscientiam omnemque dicendi et loquendi vim. Audi S. Augustinum : « In Sapientia Patris, quod est Verbum, omnia mandata sunt Patris : dicitur autem mandatum datum, quia non est a seipso is cui dicitur datum. Est autem dare Filio, Filium gignere. » Porro Chrysostomus : « Omnia hæc, ait, propter eos dicebantur, et nullam habeant excusationem. » Et Glossa : « Mandatum dedit Filio Pater, ipsum Verbum ei sapientiam, in qua sunt omnia mandata, gignendo, sicut ei vitam dedit, ipsum, qui vita est, gignendo. » Vers. 49

Simplicius S. Cyrillus, Chrysostomus, Leontius et Theophylactus putant Christum hic loqui de se, quatenus ipse homo est : sic enim proprie accepit a Patre mandatum hæc illave dicendi et



loquendi, non alia. Demisse enim de se loquitur Christus, ut superbos Judæos, qui non credebant ipsum esse Deum, permoveat, *q. d.* Esto purus essem homo, ut vos putatis, tamen mihi credere deberetis, quia ego nihil ex me loquor; sed omnia quæ loquor, a Patre audivi, imo ab eo mandatum illa dicendi accepi. Hinc colligunt Doctores Theologi (etsi nonnulli id negent) Christum accepisse a Deo mandatum, uti dicendi omnia quæ dixit, sic et agendi omnia quæ egit. Si enim minora uti sunt loqui et dicere, mandavit illi Pater, ergo et majora, uti sunt operari et facere virtutes et miracula.

Accommodatitium est quod ait Rupertus : « Mandatum a Patre accepi, quid nunc dicam patienter contradicentibus, et quid in futuro judicio loquar terribiliter, ubi nemo contradicere audebit. »

Loqui et dicere quomodo differant. QUID DICAM, ET QUID LOQUAR. — Inter *dicere* et *loqui* hoc interest, quod *dicere* sit graviter quid asserere, docere, prædicare; *loqui* vero sit familiariter quid eloqui. Unde Varro, lib. V *De Lingua Latina* : « Loquar, ait, dicitur a loco; infans enim primo fari dicitur, deinde loqui. Loquitur ergo, qui suo loco quodque verbum sciens ponit. » Hinc *loquax*, qui nimium loquitur; *eloquens*, qui copiose loquitur; *colloquium*, cum conveniunt in unum locum loquendi causa. Hinc et *allocutum* mulieres ire aiunt, cum eunt locutum ad aliquem, consulendi causa. Ibidem Varro *dico* derivat a Græco δείκω, id est judico, sive jus dico. Hinc illa : « Indico bellum, Indico funus, Addixit præmium. » Hinc *dictum* in mimo, *dictata* in ludo, *dictator* magister populi, quod is a Consule debeat dici. Hinc *doceo* declinatum, vel quod cum docemus, dicimus; vel quod qui docentur, inducuntur in id quod docentur, ab eo quod scit ducere, qui est *dux* aut *ductor*, qui ita inducit, ut doceat : a docere *disciplina* et *discere*, litteris paucis commutatis. Ab eodem principio *documenta*, id est exempla, quæ docendi causa dicuntur. Hæc omnia Varro. Paulo aliter Rhetores : *Loqui*, inquiunt, est simpliciter disserere, vel enuntiare; *dicere* vero est ornate, disposite et diserte perorare. *Loqui* ergo est Dialecticorum, *dicere* Oratorum, ita Cicero, lib. *De Oratore*, et Quintilianus, lib. X, cap. VII.

50. ET SCIO QUIA MANDATUM EJUS VITA ÆTERNA EST. — Hoc est, causa est et via ducens homines ad vitam æternam, juxta illud : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, » *Matth.* XIX. Porro mandatum formaliter quoque est vita æterna, quia mandatum Dei est lex æterna, quæ vivit in ideis et æternis rationibus, quæ sunt in viva mente Dei. Verum de eo non agit hic Christus : asserit ergo mandatum esse vitam æternam causaliter, non formaliter; quia scilicet causat, meretur et efficit vitam æternam. Dicit hoc Christus, ait Chrysostomus, ut Judæos invitet ad sibi credendum in illis quæ mandato Patris loquebatur; invitet, inquam, spe summi præmii, scilicet vitæ æternæ, ac consequenter timore summi supplicii, si non credant, nimirum mortis æternæ in gehenna : hanc enim per antithesin tacite eis comminatur, ac ne de eo dubitent, asseveranter ait : « scio, » *q. d.* Ex certa scientia dico et assevero quod mandatum Dei est causa vitæ æternæ, quia ego id a Deo ipso audivi, indeque certissime scio id ab eo esse decretum, ut sit inviolabile. Simili modo ait Christus, *Joan.* XVII, 3 : « Hæc est vita æterna (id est via ad vitam æternam), ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. »

Alludit Christus ad illud *Eccli.* I, 5 : « Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna. » Et ad *Baruch* cap. III, vers. 9 : « Audi, Israel, mandata vitæ, etc. Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longævitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum et pax. » « Si ergo, ait S. Augustinus, serm. 186 *De Temp.*, in fine, vultis vivere de Spiritu Sancto, tenete charitatem, amate veritatem, desiderate unitatem, et pervenietis ad æternitatem. »

Christus igitur omnem suam doctrinam omnesque suas ad populum conciones conclusit hac gnome : « Mandatum ejus vita æterna; » ut æternitatis jugem memoriam, et æternæ vitæ desiderium, quasi stimulum ad suam fidem moresque sectandum, ituras jam ad mortem, Judæis omnibusque posteris infigeret. Nil enim ita mentem ad bonum exstimulat, atque æternitatis seria et crebra meditatio. Nam, ut ait Psaltes, *Ps.* CXVIII : « Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis, » *q. d.* Omnes res sublunares suum habent finem, at vero mandatum Dei non habet finem, sed durat in æternum, atque sui observatores ducit ad beatam æternitatem, contemptores vero ad supplicia et incendia æterna. « Momentaneum quod cruciat, æternum quod delectat. Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. »

Symbolice S. Augustinus : « Si vita æterna, inquit, est ipse Filius, et vita æterna est mandatum Patris; quid aliud dictum est, nisi Ego sum mandatum Patris? »

QUÆ ERGO EGO LOQUOR (id est, qui meipsum Verbum annuntio, ait Interlinearis), SICUT DIXIT MIHI PATER, SIC LOQUOR, — id est, ait Interlinearis : « Sicut verax me veritatem genuit, sic veritas me veritatem annuntio. » Et S. Augustinus : « Ita ille dixit ut verax, ita iste loquitur ut veritas; verax genuit veritatem. »

Hic redit Commentarius genuinus S. Cyrilli impressus inchoatque librum nonum : nam quatuor medii libri Cyrilli, scilicet quintus, sextus, septimus et octavus, interciderunt : unde eos supplevit Judocus Clictovæus, uti superius monui. Ego tamen manuscripto Cyrilli usus sum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# CAPUT DECIMUM TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus ante institutionem Eucharistiæ lavat discipulorum pedes. Secundo, vers. 17, prædicit se esse prodendum a Juda, eumque Joanni per buccellam panis indicat. Tertio, vers. 34, dat novum dilectionis mandatum, ac Petro trinam sui negationem prædicit.*

1. Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem; cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. 2. Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ: 3. sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, 4. surgit a cœna, et ponit vestimenta sua; et cum accepisset linteum, præcinxit se. 5. Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum et extergere linteo, quo erat præcinctus. 6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? 7. Respondit Jesus, et dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. 8. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum. 9. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput. 10. Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed et mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. 11. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit: Non estis mundi omnes. 12. Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua: cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? 13. Vos vocatis me Magister, et Domine; et bene dicitis: sum etenim. 14. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, et Magister; et vos debetis alter alterius lavare pedes. 15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. 16. Amen, amen dico vobis: non est servus major domino suo; neque Apostolus major est eo qui misit illum. 17. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. 18. Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim; sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. 19. Amodo dico vobis, priusquam fiat; ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum. 20. Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. 21. Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu; et protestatus est, et dixit: Amen, amen dico vobis: quia unus ex vobis tradet me. 22. Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. 23. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. 24. Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei: Quis est, de quo dicit? 25. Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine, quis est? 26. Respondit Jesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ. 27. Et post buccellam, introivit in eum satanas. Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citius. 28. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. 29. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret. 30. Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox. 31. Cum ergo exiisset, dixit Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis; et Deus clarificatus est in eo. 32. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso; et continuo clarificabit eum. 33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me; et sicut dixi Judæis: Quo ego vado, vos non potestis venire; et vobis dico modo. 34. Mandatum novum do vobis: ut diligatis in-



vicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. 35. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. 36. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Jesus: Quo ego vado, non potes me modo sequi; sequeris autem postea. 37. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam. 38. Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.

1. Ante diem festum Paschæ, — id est pridie Paschatis, puta die 13 primi mensis, cum postridie, scilicet die 14 juxta legem a Judæis celebrandum esset Pascha, inquiunt Græci. Ipsi enim ex hisce Joannis verbis contendunt Christum ob instantem passionem suam, uno die anticipasse pascha illudque celebrasse die 13, ac proinde agnum comedisse cum pane fermentato, non in azymo. Usus enim azymi panis incipiebat cum Paschate die 14. Quocirca Christum consecrasse Eucharistiam tunc in pane fermentato, ideoque ipsi eamdem consecrant et celebrant in pane fermentato, non azymo.

Verum hoc repugnat cæteris tribus Evangelistis, qui asserunt Christum celebrasse Pascha, et instituisse Eucharistiam primo die azymorum, quo Judæi immolabant pascha, id est agnum paschalem. Ergo id fecit eodem die quo Judæi, scilicet 14 die mensis, non 13. Sic enim lex, *Exodi* XII, sancit et præscribit. Quod ergo Joannes ait, Christum id fecisse « ante diem festum Paschæ, » intellige eum id fecisse die 14 ad vesperam, quæ præcedebat festum Paschæ, hoc est primum diem azymorum, qui erat 15 dies, puta mane diei feriæ sextæ, sive diei veneris, quo crucifixus est Christus.

Pro quo nota, quod licet immolatio agni fieret die 14 ad vesperam, tamen festum primæ diei azymorum proprie incipiebat postero mane diei 15. Atque hoc respectu ait Joannes Christum celebrasse pascha ante diem festum Paschæ, quia celebravit die 14 ad vesperam, quæ erat pridie primæ diei azymorum, quæ incipiebat sequenti mane diei 15. Cæteri vero tres Evangelistæ, quia vesperam diei 14 qua immolabatur agnus paschalis, nectunt cum postero mane diei 15 quasi unum eumdemque diem festum (festa enim ab Hebræis inchoabantur a vespera pridiana et durabant ad vesperam postridianam, uti etiamnum fit in Vesperis officii ecclesiastici), hinc dicunt Christum celebrasse Pascha et Eucharistiam primo die azymorum, id est 14 die mensis ad vesperam, quia hæc erat inchoatio festi: vespera enim hæc erat confinium diei 14 et diei 15; finiebatur enim in ea dies 14 et incipiebat dies 15, quare ad utrumque diem pertinebat. Unde si eam accipias ut finem diei 14, censenda est ipsa esse ante diem 15 sive ante diem festum Paschæ, hoc est, ante primum diem azymorum. Sin vero eamdem accipias ut initium festi postridie 15 celebrandi, sic ipsa pertinebat ad diem 15 vocabaturque dies 15, sive prima dies azymorum, uti eam vocant tres cæteri Evangelistæ, sicut dixi *Matth.* XXVI, 17.

Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut (per crucem et mortem) transeat ex hoc mundo ad Patrem. — Alludit ad nomen Paschæ. Pascha enim idem est quod *transitus*, vel potius *transultus*, ut dixi *Exodi* XII, *q. d.* Sciens Jesus jam esse Pascha, id est festum transitus, quo Hebræi olim, duce Mose, exierunt ex Ægypto et transierunt in terram promissam per immolationem agni (hujus enim sanguine liberati sunt ab Angelo percutiente Ægyptios), quæ erat typus immolationis suæ futuræ in cruce, per quam ex hoc mundo transiturus erat in cœlum et rediturus ad Patrem in die ascensionis suæ, ita ut nos eodem faceret transire, et post mortem ex mundo salire in cœlum: hoc, inquam, sciens, ipse ad hunc diem se comparavit per actus heroicos summæ humilitatis, qua pedes discipulorum lavit, et summæ charitatis, qua Eucharistiam instituit. Hisce enim se comparavit ad mortem, et disposuit ad martyrium, ut nos doceret idem facere, scilicet sub finem vitæ multiplicare et intendere actus virtutum, præsertim humilitatis et charitatis, idque *primo*, quia decet nos quotidie cum vita crescere et proficere, uti in annis, sic et in virtutibus, ultimosque vitæ dies et horas sanctissime transigere, ac cœlitum (ad quos aspiramus et contendimus) vitam, cogitationes et mores inchoare, sicut motus naturales eo velociores sunt, quo magis ad terminum suum appropinquant, v. g., lapis sua gravitate eo velocius descendit, quo magis appropinquat ad suum centrum.

Christus lavit pedes discipulorum, cur? Respond. Primo.

*Secundo*, quia decet nos fratribus, sociis, amicis totique mundo, cum ex eo abimus, magnum virtutis exemplum relinquere. Tenacius enim ea inhærent animis amicorum, quæ abeuntes vel morientes eis facimus et exhibemus.

*Tertio*, quia decet nos hac ratione ad generosam mortem, ac subinde ad martyrium præparari illudque quasi a Deo emereri. Sic S. Laurentius biduo ante martyrium ad illud se comparavit, lavando pedes pauperum eisque thesauros Ecclesiæ, juxta S. Sixti Pontificis mandatum, distribuendo; atque hæc fuit illi occasio, imo causa et meritum martyrii tam gloriosi. Idem fecere SS. Marius et Martha conjuges eorumque filii Abacum et Audifax, Persæ, qui Romam venientes ac visitantes martyres carceri inclusos,

eorumque pedes lavantes et alimenta ministrantes, meruere et ipsi illustrem martyrii agonem. Sic S. Cyriacus, Largus, Smaragdus et Sisinnius Diaconi, servientes decem millibus militum Christianorum, ac postea martyrum, qui Maximiano Imperatore damnati erant ad convehenda saxa, portandam arenam, parandam calcem, etc., pro fabrica thermarum Diocletiani Imperatoris, ac senum onera humeris suis gestantes, eisque eleemosynas a S. Marcello Pontifice, et Thrasone viro divite submissas afferentes et distribuentes, nobilem martyrii lauream in præmium adepti sunt, ut patet ex eorum actis apud Surium.

Porro aliter fideles et pii transeunt de hoc mundo, aliter infideles. Nam, ut ait S. Augustinus, *tract.* 55 : « Aliud est transire de mundo, aliud transire cum mundo; aliud ad Patrem, aliud ad hostem. Nam et Ægyptii transierunt : non enim persequendo manserunt; non tamen pertransierunt per mare ad regnum, sed in mari ad interitum. »

Cum dilexisset suos (fideles et domesticos, puta Apostolos quibus mox pedes lavit) qui erant in mundo. — Cyrillus putat hoc addi ad distinctionem angelorum, qui sunt in cœlo, non in mundo, id est in terra; S. Chrysostomus vero, Theophylactus et Euthymius, ad distinctionem Patriarcharum et Prophetarum, qui jam non erant in mundo, sed limbo, utpote vita functi. Germanius et aptius referas ad id quod præcessit : « Ut transeat ex hoc mundo, » *q. d.* Jesus transiturus ex hoc mundo, cum in mundo, id est in tot tantisque mundi ærumnis, periculis, persecutionibus, postse relicturus esset Apostolos filios suos dilectissimos; hinc eorum misertus, antequam abiret, summam in eos dilectionem ostendit, ac summum contra omnes mundi tribulationes remedium dedit, nimirum Eucharistiam, ut in ea ipse præsens illis semper adesset eosque contra omnia adversa muniret et roboraret.

In finem dilexit eos. — « In finem, » scilicet vitæ, id est usque ad mortem, ait Cyrillus, S. Augustinus et Rupertus; sive *semper*, ut explicat S. Chrysostomus, *hom.* 69, et ex eo Ribera. Unde Nonnus : « Cum suos socios, inquit, dilexisset ab initio, sic dilexit et ad finem; » Æthiopicus, *in sempiternum*.

*Secundo*, « in finem, » scilicet amoris et dilectionis, *q. d.* Extremo amore, et summe dilexit eos : ut Græcum τέλος, id est finis, ponitur pro τελείωσις, id est perfectio, uti explicant S. Chrysostomus, Leontius, Theophylactus. Accedit Euthymius, qui « in finem » exponit *vehementer*; » τέλος enim est rei finis, ultimum, extremum et summum, summa perfectio, exitus, consummatio, apex et culmen, *q. d.* Christus hactenus valde dilexit discipulos suos, sed jam ab eis abiturus et transiturus ad Patrem, perfectissimum amorem eis ostendit, lavando eis pedes, Eucharistiam instituendo, et ardentissima charitate eos exhortando, et inflammando ad Dei amorem, constantiam omnemque virtutem. Prior sensus planior est et simplicior, ideoque primo a Christo intentus; posterior vero significantior et prægnantior, ideoque eum comitanter hic innuit et intendit Christus. Ita Toletus. Significat enim tantum fuisse suum erga discipulos amorem, ut, licet sciret sibi instare atrocissimam mortem, tamen ejus quasi oblitus, totum se in amorem et obsequium discipulorum effuderit. Quocirca S. Thomas, *Opusc.* LVII, loquens de institutione Eucharistiæ ex summo Christi amore, ait : « Unde ut arctius charitatis hujus immensitas fidelium cordibus infigeretur, in ultima cœna, quando pascha cum discipulis celebrato, transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum instituit, tanquam passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipso factorum maximum, et de sua contristatis absentia solatium singulare. »

Symbolice : S. Augustinus et Beda per finem accipiunt Christum. Christus enim « est finis legis, » *Rom.* x, 4. Dilexit ergo ipse suos « in finem, » id est propter se aut suam gloriam illis communicando. Audi S. Augustinum : « In finem dilexit, ut et ipsi de hoc mundo ad suum caput dilectione transirent; quid est enim in finem, nisi in Christum? Finis enim legis Christus, finis perficiens, non interficiens : vel in finem, id est usque ad mortem, non tamen dilectionem morte finivit, vel usque ad mortem dilexit, id est usque ad mortem dilectio ipsa illum perduxit. » Et Interlinearis : Dilexit suos in finem, inquit, nimirum pro eis moriens, ut ejus dilectione ipsi transirent de mundo.

2. Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas (filius) Simonis Iscariotæ. — *q. d.* Peracta cœna agni legalis, item cœna communi, ante cœnam sacram, id est ante institutionem Eucharistiæ, Christus lavit discipulorum pedes. Volebat enim hac lotione ostendere, quanta puritate et humilitate accedendum sit ad Eucharistiam. Nota : Christus hic triplicem cœnavit cœnam cum Apostolis. *Prima* fuit cæremonialis, qua comedit agnum paschalem. *Secunda* fuit communis, sive usualis : quia enim in amplis familiis multarum et edacium personarum, agnus non sufficiebat ad explendam omnium famem, hinc post ejus esum succedebat cœna communis, qua alias carnes et cibos more aliorum dierum comedebant. *Tertia* fuit cœna Eucharistiæ. Itaque Christus post duas priores cœnas, ante hanc tertiam lavit Apostolorum pedes, ob causam jam dictam. Unde liquet lotionem hanc pedum factam a Christo, non fuisse illam communem et usitatam apud Judæos et Gentiles, qua hospitibus et convivis ante convivium, pedes (iis enim nudis incedebant) lavare solebant, sed fuisse lotionem Sacramentalem, qua scilicet Christus discipulos præparabat ad Eucharistiam sumendam; Christus enim lotionem communem traduxit ad lotionem cæremonialem et sacram. Perperam ergo nonnulli ex hoc loco arbitrantur Christum lavasse pedes discipulis post Eucharistiam, ante sermonem illum prolixum, quem post eam ad ipsos habuit, uti subdit Joannes. Ita arbitratus est S. Cyprianus (vel quisquis est auctor), tract. *De Ablutione pedum* : « Jam, inquit, Sacramenta corporis sui Apostolis Dominus distribuerat, jam exierat Judas, cum repente de mensa surgens, linteo se præcinxit, et ad genua Petri lavaturus pedes ejus, ipse genibus flexis Dominus, servo consummatæ humilitatis obtulit famulatum. »

Cum diabolus, etc., — *q. d.* Cum Christus jam prodendus esset a Juda, suasu diaboli, et occidendus a Judæis, voluit Christus ante mortem sibi instantem, sui memoriale perpetuum nobis relinquere, scilicet Eucharistiam, quæ ejus passionem et mortem pro nobis obitam jugiter in memoriam revocaret, itaque nos in ejus amorem vicarium accenderet. *Secundo*, meminit Joannes proditionis Judæ, ut Christi eximiam humilitatem, patientiam et charitatem exaggeraret, *q. d.* Christus cum jam sciret se venditum, et mox prodendum a Juda, adeo tamen in amore discipulorum perstitit, ut eis, imo ipsi Judæ, pedes lavare voluerit. Ita S. Cyrillus, Chrysostomus, Augustinus, Theophylactus, Euthymius et Rupertus. Dicit autem diabolum proditionem hanc immisisse in cor Judæ, ut ejus indignitatem et atrocitatem significet, scilicet eam fuisse tantam, ut non nisi diaboli opus esse potuerit.

Vers. 3. 3. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit. — *Primo*, *q. d.* Cum sciret Christus se esse talem et tantum, ut omnia haberet in sua potestate, imo se esse verum Deum de Deo vero, ac, uti a Deo exierat, sic ad Deum mox rediturum, et sessurum a dextris Dei; tamen adeo se demisit et humiliavit, ut genu flexo voluerit lavare pedes discipulis suis, imo ipsimet Judæ proditori suo. Ita Cyrillus, Augustinus, Beda et S. Gregorius, lib. III *Moral.*, cap. XII. Addit Maldonatus Christum scivisse omnia sibi a Patre tradita esse, id est jam sibi licere ex Patris præscripto perficere omnia, quæ sibi commisisset; ante non licuisse sibi mori, quia tempus a Patre constitutum nondum advenerat, jam venisse tempus, quo omnia sibi concessisset, omnia sibi licere agere, quæ ad hominum redemptionem pertinerent : tale autem erat lavare pedes discipulis, ideoque eos lavare voluit.

Tres causæ lotionis pedum Christi. Prima. *Secundo*, aptius et efficacius, Joannes hic assignat tria motiva, sive tres causas, quæ Christum impulerunt ad hanc lotionem pedum discipulorum. *Prima* est, quia « omnia dedit ei Pater in manus, » id est quia Pater ei credidit hominum salutem ejusque omnimodam curam ei tradidit et commisit : hæc enim eum incitavit, ut stupenda hæc summæ humilitatis et charitatis opera hominibus ante discessum suum ederet et imitanda relinqueret. Quid sit Christo omnia a Patre esse tradita, dixi *Matth.* XI, 27.

Altera causa fuit, quia « a Deo exivit, » *q. d.* Secunda. Decuit ut Christus Filius Deo Patri summam hac lotione charitatem et reverentiam exhiberet; nulla enim re magis honoratur et delectatur Deus, quam humilitate nostra. Humilitas ergo est summa laus Dei.

*Tertia* fuit, « quia ad Deum vadit, » *q. d.* Sciebat Christus instare sibi mortem, et ultimum vitæ actum pro salute hominum, qui debet esse excellentissimus et summæ vitæ virtutis; quare summum hic humilitatis et charitatis actum edere, et posteris quasi testamento relinquere voluit : ita Toletus. Tertia.

4. Surgit a cœna, et ponit vestimenta sua : et cum accepisset linteum, præcinxit se. — Joannes sigillatim omnes lotionis Christi actus, conditiones et circumstantias recenset, ut ostendat quam Christus in hoc opere, uti et cæteris omnibus, fuerit attentus, sedulus, exactus, eximius, servansque τὸ πρέπον, id est decorum, ut nos idem doceret facere etiam in rebus minimis, juxta illud : « In omnibus operibus tuis præcellens esto, » *Eccli.* XXXIII, 23. Vers. 4.

Ponit vestimenta sua, — scilicet extimam tunicam, retenta interiore, ne corpus nudaret; aut potius vestem cœnatoriam, quam supra vestem communem cœnaturi de more assumebant : Græce enim est ἱμάτια, id est *vestes extimas*, hoc est vestem extimam, qualis est toga, vel pallium. Est enallage numeri, quia ponitur numerus pluralis pro singulari.

Præcinxit se — linteo, tum ne vestes suas sordidaret, tum ut expeditior esset ad opus lavandi, tum ut et pedes ablutos extergeret, tum ut a servile hoc ministerium servilem habitum et vestem congruam assumeret, itaque plane se demitteret et humiliaret. « Quid autem mirum, ait S. Augustinus, si surrexerit a cœna et posuerit vestimenta sua, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit? » Humilitas enim est propria Christi et Christianorum virtus. Humilitas est virtutum thesaurophylacium, ait S. Basilius, cap. XVI *Constitut.* Humilitas est Christianismi signum, ait S. Macarius, *homil.* 15, quo qui caret, vas est diaboli : humilitas est saburra virtutum.

Audi S. Augustinum, in *Psal.* XXXIII, conc. 1 : « Quod David prostravit Goliath, Christus est qui occidit diabolum. Quid est autem Christus qui diabolum occidit? Humilitas occidit superbiam. Cum ergo Christum nomino, fratres mei, maxime nobis humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit per humilitatem, quia per superbiam recesseramus a Deo : redire ad eum nisi per humilitatem non poteramus, et quem nobis præponeremus ad imitandum, non habebamus. Omnis enim

mortalitas hominum superbia tumuerat. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu sicut erant Prophetæ, Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei. »

5. DEINDE MITTIT AQUAM IN PELVIM, ET COEPIT LAVARE PEDES DISCIPULORUM, ET EXTERGERE LINTEO, QUO ERAT PRÆCINCTUS. — Notant S. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius Christum hæc omnia per se solum, sine alicujus ope vel ministerio fecisse, ut nos erudiret quam sedulo, accurate et studiose aliis servire debeamus. Addit Euthymius Christum per se ab hero domus pelvim petivisse, aquam hausisse et bajulasse. « Quid mirum, ait S. Augustinus, *tract.* 55, si misit aquam in pelvim, unde lavaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? quid mirum, si linteo, quo erat præcinctus, pedes quos laverat tersit, qui carne, qua erat indutus, Evangelistarum vestigia confirmavit?

Symbolice S. Ambrosius, Prol. lib. I *De Spiritu Sancto* : « Hæc erat aqua, inquit, ros ille cœlestis; hoc prophetabatur, quod rore illo cœlesti discipulorum suorum Dominus Jesus pedes lavaret. » Et mox : « Veni ergo, Domine Jesu : exue te vestimenta tua, quæ propter me induisti, esto nudus, ut nos misericordia tua vestias. Præcinge te propter nos linteo, ut nos tui muneris immortalitate præcingas. Mitte aquam in pelvim, lava non solum pedes, sed etiam caput. Nec solum corporis nostri, sed etiam mentis vestigia volo exuere, omnes nostræ sordes fragilitatis, ut et ego dicam : Nocte exui tunicam meam, quomodo induam eam? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? » *Cant.* v. Vide ibi dicta.

6. VENIT ERGO AD SIMONEM PETRUM, — ut scilicet a Petro, quasi a capite et primate Apostolorum, uti alias, ita et hic lotionem inciperet. Si enim prius venisset ad alios Apostolos, utique illi hanc Domini sui tantam; tamque insolitam demissionem recusarent, æque ac Petrus; sed, cum Petrum a Christo reprehensum acquiescere viderunt, acquieverunt deinde et ipsi sibique pedes a Christo lavari permiserunt. Ita S. Augustinus, Beda, Rupertus, Maldonatus et alii.

Tropologice : indicat hic Christus visitationem et reformationem a capite, et iis qui præsunt, inchoandam esse; sic enim fideles eis subditos facile licebit reformare. Origenes tamen et Leontius censent Petrum in hac lotione fuisse ultimum. Idem cum Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio opinantur Christum primo omnium lavisse pedes Judæ, ut eum emolliret et a scelere proditionis revocaret, utque nobis daret exemplum amoris inimicorum, ut maleficia beneficiis compensemus, ipsisque eo magis benefaciamus, quo magis ipsos in nos maleficos sentimus.

ET DICIT EI PETRUS : DOMINE, TU LAVAS MIHI PEDES? — id est lavare paras. Significatur actio inchoata, vel potius destinata; necdum enim Christus lavare cœperat. Dixit hoc Petrus stupens et admirans tantam Christi humilitatem, ex profunda ejus reverentia, ait Cyrillus; unde verba ejus singula habent emphasin : « Tu, » qui es Rex regum et Dominus dominantium, « mihi, » qui sum vilis piscator et terræ vermiculus, « lavas » manibus tuis benedictis, « pedes » meos lutulentos, spurcos et fœtidos. « Cogitanda sunt hæc, ait Augustinus, potius quam dicenda; ne forte quod ex iis verbis aliquatenus dignum concepit anima, non explicet lingua. »

7. RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI : QUOD EGO FACIO TU NESCIS MODO, SCIES AUTEM POSTEA. — Significat Christus in hac lotione pedum occulta latere mysteria, quæ Petrus necdum cognoscebat. « Petrus, ait S. Ambrosius, lib. *De iis qui initiantur*, cap. VI, non advertit mysterium, et ideo ministerium recusavit, quod gravari humilitatem servi crederet, si sibi obsequium Domini patienter admitteret. » Ait ergo Christus : Hoc mysterium modo nescis, sed scies postea. Scilicet *primo*, cum paulo post vers. 14, dicam me hoc facere, ut tibi, et Apostolis cæterisque fidelibus dem exemplum summæ humilitatis et charitatis, quod imitemini. Ita Cyrillus.

*Secundo*, quia hac lotione significatur pœnitentia, quæ præmitti debet Eucharistiæ, uti tu, o Petre, intelliges post missionem Spiritus Sancti, ipse enim vos docebit omnia. Ita S. Cyprianus, tract. *De Cœna Domini*; S. Pacianus, epist. 1 *Contr. Novat.*; S. Gregorius, lib. IX, *epist.* 39, idque insinuant quoque S. Augustinus et Bernardus. In hujus rei symbolo sacerdotes Aaronici, ingredientes templum ad sacra faciendum, lavabant manus et pedes in labro æneo ad hoc erecto ante Sanctum, idque puritatis corporalis causa, ut per illam puritatis spiritalis in mente admonerentur, *Exodi* xxx, 19.

Peculiaris est hic S. Ambrosius, qui lib. III *De Sacram.*, cap. I, et lib. *De iis qui initiantur*, cap. VI, censet hanc corporalem pedum ablutionem omnibus fidelibus esse necessariam ante baptismum, ut per eam præpararentur ad sacram Synaxim, sicut ad eamdem Christus hic præparavit Apostolos pedes eis abluendo. Quare hanc pedum lotionem esse Sacramentale quippiam, sive ritum sacrum a Christo hic sancitum, quo contra diaboli supplantationem muniamur. Hinc ipse inter alias baptismi cæremonias, sive ritus, annumerat pedum lotionem : unde illa in usu fuit Mediolani, ut mox dicam. Hinc et S. Bernardus, serm. *De Cœna Domini*, hanc pedum ablutionem vocat Sacramentum, innuitque eam valere ad remissionem peccatorum venialium : « Nam ut de remissione quotidianorum non dubitemus, inquit, habemus ejus Sacramentum, pedum ablutionem. » Sed S. Bernardus ibi per *sacramentum* intelligit [illegible]



symbolum, typum, figuram, significationem mysticam, uti ipse paulo post explicat, de quo mox plura.

Symbolice : Origenes et S. Hieronymus, epist. *ad Damasum, de prima visione Isaiæ*, censent Christum lavisse pedes Apostolis, ut eos præpararet in prædicationem Evangelii, juxta illud : « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! » *Isaiæ* cap. LII, vers. 7; *Rom.* cap. X, vers. 15.

*Secundo*, S. Ambrosius, lib. *De iis qui initiantur mysteriis*, cap. VI, censet Christum in baptismo abluere peccata actualia, abluendo caput; hic vero abluendo pedes, abluisse reliquias peccati originalis, id est motus concupiscentiæ; hac enim lotione pedes, id est affectus eorum, roborasse, ut cupiditatibus generose resistant.

*Tertio*, S. Augustinus et S. Bernardus, *De Cœna Domini* : « Pedibus, inquit, quibus terram calcamus, significantur terreni amores, sordes et defectus, qui, dum in terra, id est inter res terrenas, conversamur, veluti pulvis aut lutum nostris pedibus, id est affectibus, adhærescunt, quos abluere oportet per lacrymas et pœnitentiam, præsertim ante sanctam communionem.

*Quarto*, S. Cyprianus *De Cœna Domini*, et S. Gregorius, lib. IX, *epist.* 39 : Pedum, inquit, qui sunt infima et ultima pars hominis, lotio, significat non tantum exteriora opera nobis esse scrutanda, sed descendendum nobis esse in imas et intimas conscientiæ latebras, easque ab omni occulta macula et prava intentione esse expurgandas, per contritionem, lacrymas et gemitus.

Ex hac Christi lotione pedum manavit consuetudo Mediolani, et in nonnullis aliis Ecclesiis, ut baptizandis pedes abluerentur ab Episcopo, ac deinde a sacerdotibus et clericis in fonte, qui ad hoc erectus erat ante fores Ecclesiæ; Episcopus deinde pedes a se ablutos osculabatur, et posterior pars pedis imi super Episcopi caput imponebatur. Hunc morem refert et defendit S. Ambrosius, lib. III *De Sacram.*, cap. I, dicitque eum a S. Petro et Christo hoc loco manasse, unde miratur eum in Ecclesia Romana non servari. Et Concilium Toletanum XVII, cap. III, sancit ut Episcopi et sacerdotes lavent pedes fidelium in cœna Domini, ad exemplum Christi, jubetque revocari ejus usum intermissum. Hoc autem Concilium celebratum fuit æra 732, hoc est anno Christi 694.

Causam hujus lotionis mysticam affert idem Ambrosius, lib. *De initiandis*, cap. VI, dicens : « Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat : habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantavit serpens et persuasit errorem; ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur. » Alludit ad illud Dei ad serpentem de homine : « Tu insidiaberis calcaneo ejus, » *Genes.* III, 15. Idem Ambrosius, lib. III *De Sacram.*, cap. I : « Quia Adam, ait, supplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, ut in mysterio non erubescamus, quod non dedignamur in obsequio. »

Alia causa magis litteralis erat, quia baptizandi olim nudis pedibus incedebant, ut humilitatem præ se ferrent. Unde hæc nuditas vocatur humilitas pedum a S. Augustino, lib. II *De Symbolo ad catech.*, cap. I; quare sordes nudis pedibus contractas abluebant. Hic mos a Mediolanensi Ecclesia ad alias manavit, ut patet ex S. Augustino, epist. 118 *ad Januar.*, et epist. 119. Unde et Palladius, in *Lausiac.*, cap. LXXIII, narrat Serapionem Sindonitam duos mimos convertisse eisque pedes abluisse, ac deinde eos baptizasse; postea vero, quia nonnulli putabant hanc ablutionem pedum ad salutem sufficere, nec opus esse baptismo, hinc ablutio illa vetita fuit in Concilio Elibertino, cap. XLVIII. Ecclesia tamen Mediolanensis in sua consuetudine pedes abluendi perstitit : abluere autem pedes baptizandorum solebat die jovis sancto, eadem die qua Christus lavit pedes Apostolorum, ac deinde Vigilia Paschalis eosdem baptizabat. Postea cœperunt pedes abluere post baptismum, ipso sabbato sancto. Verum quia hæc ablutio pedum derogare videbatur baptismo, quasi ipse non omnem culpam et pœnam peccatorum aboleret, sed pro venialibus abolendis opus adhuc esset ablutione pedum; hac de causa Concilium Elibertinum in Hispania ritum hunc abluendi pedes sustulit. Ita Gabriel Vasquez, III p., tract. *De Baptismo*, disput. 160, cap. V, in fine. Ubi et addit in Hispania ritum hunc abluendi pedes viguisse, alioqui enim illum ibidem non vetuisset Concilium Elibertinum. Fuse de hoc ablutionis pedum ritu agit Josephus Vicecomes, lib. III *De Ritibus baptismi*, cap. XVII et seq., omniaque a me dicta confirmat et probat. Porro ex S. Augustini epistola 119, liquet baptizandos die jovis sancto, non solum pedes, sed et totum corpus abluisse, ut sordes corporis jejunio quadragesimali contractas abluerent, itaque se ad baptismum sabbato sancto decenter suscipiendum disponerent, ne corpore immundo et sordido illum susciperent. Rursum apud varios, imo apud eosdem, variis temporibus varius erat abluendi mos. Alii enim ante baptismum, alii post eum, alii tam ante quam post abluebant, alii pedes duntaxat, alii pedes et totum corpus; nunc autem hæc omnia cessant : jamdiu enim hic abluendi ritus exolevit, uti notat Vasquez.

Hinc rursum Mediolani, eodem die jovis sancto, Episcopus multis e clero Christi exemplo pedes lavabat. Idem faciunt Superiores in multis Capitulis et monasteriis. Imo Romanus Pontifex quotannis eodem die, ut hanc lotionem Christi repræsentet, solet duodecim pauperibus manibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

propriis pedes abluere eosque deinde nova veste donare et convivio excipere.

Vers. 8. Resistit Petrus lotioni pedum suorum.

8. DICIT EI PETRUS : NON LAVABIS MIHI PEDES IN ÆTERNUM. — Origenes accusat Petrum protervæ audaciæ et inobedientiæ; sed recte excusat eum S. Augustinus, *tract.* 56, quod hæc ejus vox processerit a summa fide, reverentia, timore, humilitate et dilectione, *q. d.* Ego sum vilis homuncio, tu es Rex gloriæ et Dominus majestatis; quare non patior te mihi lavare pedes. « Ego (sunt verba Cypriani, tract. *De Ablut. pedum*), si oportuerit me mori tecum, paratus sum; hoc enim debeo, hoc amplector. Pro te libenter cervicem porrigo percussori; sed Deum meum et Dominum meum ad pedes meos prostratum non patior, non audeo sustinere. »

RESPONDIT EI JESUS : SI NON LAVERO TE, NON HABEBIS PARTEM MECUM. — *Primo,* S. Augustinus hoc mystice accipit, *q. d.* Nisi per pœnitentiam (quam lotio pedum repræsentat et excitat) lavero peccata tua venialia, non dabo tibi Eucharistiam, quam jam instituere paro, nec ingredieris cœlum, quia nil coinquinatum in illud ingreditur. Sic et S. Cyprianus, tract. *De Ablut. pedum.*

*Secundo,* S. Chrysostomus et Cyrillus, *q. d.* Nisi susceperis humilitatis documentum, quod ego hac lotione pedum tibi trado, non habebis partem mecum; quia soli humiles Dei gratiam et gloriam nanciscuntur.

*Tertio,* genuine ad litteram, *q. d.* Si, o Petre, te mihi resistentem non lavero, id est si obstinate persistas in inobedientia, ut nolis tibi a me lavari pedes; tu quia inobediens, non habebis partem mecum, id est non communicabis mecum in mensa Eucharistica, non dabo tibi partem panis consecrandi in corpus meum, a sacra synaxi te excludam, non habebo te familiarem et mensæ sacræ socium. Minatur enim Christus Petro privationem suæ familiaritatis et Eucharistiæ, non autem gratiæ et gloriæ; licet enim ægrius Petrus obediret, id tamen erat ex profunda humilitate et reverentia, ideoque venia dignum. Ita Toletus, qui et rationem addit : Minatur, inquit, Petro, quod non sit ei daturus Eucharistiam, per quam Christus in eo et ipse in Christo mansurus erat; ad hoc enim præcipue lavabat ipsorum pedes, ut dispositis et mundis seipsum in cibum daret, et realiter cum eis uniretur. Et hoc est quod Petro comminatur : Si non te lavero, non eris particeps mei; nam convivium mei ipsius modo præparo, iis solis quos lavero daturus. Petrus verbum hoc distincte non intellexit, tunc quando prolatum est; sed id tantum concepit nihil se cum Christo habiturum commune, ab eoque se separandum, nisi lotus fuisset; quod quidem magna erat pœna; postea tamen rei mysterium cognovit. Similis phrasis est III *Reg.* XII, 16, ubi populus offensus sævitia Roboam, ait : « Quæ nobis pars in David? vel quæ hæreditas in filio Isai? » *q. d.* Nolumus deinceps amici familiares et subditi esse familiæ Davidis, sed alium nobis creabimus regem.

Ita S. Basilius, orat. *De Peccato* : « Hanc ob rem, inquit, a Christo in Petrum ejusmodi factæ sunt minæ, ut nisi promptitudine ac velocitate obedientiæ voluntatem suam correxisset, non illi illæ beatitudines a Deo in eum profectæ, non dona, non promissiones, non etiam illa ipsa Dei et Patris talis ac tantæ erga unigenitum Filium propensæ voluntatis declaratio suffecissent ad præsentem inobedientiam expiandam.

Hinc idem S. Basilius ex hoc loco duas insignes colligit regulas morales, *regul.* 12, cap. II. Prima est : « Qui jussis Domini adversatur, licet id pio et amico animo faciat, is tamen ob eam causam abalienatur a Domino. » Altera est : « Quod quidquid a Domino dicatur, id summa cum animi expletione debemus suscipere. »

Porro, ex hoc loco S. Ambrosius putavit lotionem pedum omnibus fidelibus esse necessariam in baptismo, quasi præparationem et dispositionem ad Eucharistiam a Christo sancitam, uti dixi vers. 7.

9. DICIT EI SIMON PETRUS : DOMINE, NON TANTUM PEDES MEOS, SED ET MANUS, ET CAPUT. — Petrus ictus hac Christi comminatione, quasi fulmine, illico Christo obedit ac plura quam Christus postularat, offert, scilicet manus et caput, quæ alias subinde lavari solent. Hinc S. Basilius, in *Regul. brevior.*, resp. 60, utilem dat regulam : « Rescindendum, inquit, est quidquid præter præceptum Domini ante statutum est. Hoc aperte demonstrat in apostolo Petro, qui ante statuerat : Non lavabis mihi pedes in æternum; ubi vero affirmative audivit Dominum dixisse : Nisi lavero te, non habebis partem mecum; confestim sententiam mutavit et dixit : Domine, non tantum pedes, sed et manus. »

Rursum Basilius, *Respons.* 233, ex hoc loco docet obedientiam cæteris virtutibus esse præferendam : Petrus, ait, cum ei talium ac tantorum recte factorum testimonium a Domino fuisset datum, atque eo modo appellatus, et beatus laudatus, ubi una tantum in re, ab obedientia visus est discedere, atque hoc ipsum non ex negligentia superbiave, sed ex reverentia honoreque erga Dominum suum; propter hoc ipsum tantum ei dicitur : « Nisi lavero te, non habebis partem mecum. »

10. DICIT EI JESUS : QUI LOTUS EST, NON INDIGET NISI UT PEDES LAVET, SED EST MUNDUS TOTUS. — Nota, Christum hic alludere ad eos qui se lavant in balneis, qui toti quidem loti et mundi ex eis exeunt; sed quia pedibus nudis terram calcant, itaque pedes inquinant, idcirco eos tantum deinde lavant. Nota *secundo,* Christum per anagogen, hic more suo a lotione corporali ad spiritualem assurgere, *q. d.* Qui lotus est spiritaliter per baptismum, quo ego vos, o Apostoli, ablui; aut qui lotus est per contritionem et pœnitentiam, hic totus est mundus in anima, sed tamen indiget ut solos pedes lavet, id est ut animi affectus, qui ex terrenarum rerum, in quibus versantur, contagio subinde maculantur et leves sordes contrahunt, sæpe expurget per contritionem, castigationem corporis et similes virtutes (quarum hæc lotio mea est symbolum), præsertim ante sacram Synaxim et sumptionem Eucharistiæ. Sic fere S. Augustinus, Beda, Rupertus et S. Bernardus, serm. *In Cœna Domini,* quem audi : « Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet. Lotus est, qui gravia peccata non habet, cujus caput, id est intentio, et manus, id est operatio et conversatio, munda est; sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati aliquando voluptati aut curiositati, plusquam oporteat, cedat animus vel ad horum. In multis enim offendimus omnes. Veruntamen nemo contemnat aut parvipendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile est ea dilui nisi per Christum Jesum, et a Christo (1). »

Igitur Christus hac lotione pedum expurgavit Petri et Apostolorum peccata, venialia præsertim, quia per illam ac per tantam suam demissionem compunxit eorum mentes, eosque admonuit internæ lotionis per contritionem faciendæ in anima, per quam venialia peccata expiantur.

Hac de causa sacerdotes in veteri Testamento lavabant pedes et manus ante sacrificium, uti jam dixi. Idem fecere Gentiles multi, quos recenset Brissonius, *lib.* I *De Formulis Roman.*, pag. 4. Idem olim fecere Judæi, ut patet *Marci* VII, 4, et etiamnum faciunt.

Denique, S. Augustinus, epist. 108 *ad Seleucianum,* ex τῷ *qui lotus est,* probabiliter colligit Petrum et Apostolos ante Eucharistiam fuisse baptizatos, tum quia nemo capax est Eucharistiæ, nisi baptizatus; tum quia ante mortem Christus eos baptizavit; nam post mortem neminem baptizavit, constat autem ipsos omnes a Christo, vel immediate, vel mediate fuisse baptizatos. Denique τὸ *lotus* proprie lotionem, quæ fit in baptismo, notare videtur.

ET VOS MUNDI ESTIS, SED NON OMNES. — Tacite Christus pungit Judam, ut a sua proditionis machinatione et scelere resipiscat; noluit tamen eum nominare, ne infamaret et ne Apostoli in eum ut proditorem insurgerent eumque male tractarent.

(1) Ad convivium vocati solebant prius lavari in balneo; in domo vero convivatoria nonnisi pedes, quibus in via pulvis aut sordes adhæserant, a servis abluebantur, ne macularentur lecti super quibus accumbebant, ut ex profanis scriptoribus probat Wetstenius. Idem hoc etiam apud Judæos receptum esse videtur, atque hoc ritu discipuli procul dubio defuncti erant. Quapropter Christus dixit, lotis non alia lotione opus esse nisi pedum, ut totum corpus purum sit.



11. SCIEBAT ENIM QUISNAM ESSET QUI TRADERET EUM : PROPTEREA DIXIT : NON ESTIS MUNDI OMNES. — Vers. 11.
Hinc S. Augustinus, lib. II *Contr. Petil.*, cap. XXIII, colligit Judam tunc præsentem fuisse, ac proinde a Christo lotum S. Synaxim sumpsisse : licet S. Cyprianus, tract. *De Ablut. pedum,* neget Judam lotioni et consequenter Eucharistiæ interfuisse.

13. VOS VOCATIS ME MAGISTER ET DOMINE; ET BENE Vers. 13.
DICITIS : SUM ETENIM. — « Magister et Domine. » Christus non tantum qua Deus, sed etiam qua homo erat magister et dominus omnium hominum et totius mundi. nec tantum exterius loquendo docebat, ut faciunt communes magistri, sed interius mentes illuminabat, et voluntatem quocumque vellet, impellebat; unde ipse solus perfectus, cœlestis et divinus est magister, uti ipse ait *Matth.* XXIII, 10. Vide ibi dicta.

15. EXEMPLUM ENIM DEDI VOBIS, UT QUEMADMODUM Vers. 15.
EGO FECI VOBIS, ITA ET VOS FACIATIS, — non mihi, In exemplum
utpote jam eunti ad mortem, sed aliis proximis subditis præ-
vestris, cum necessitas aut pietas id exigit; v. g., eunt Præ-
cum hospites peregre veniunt. Nam, ut ait S. Gre- lati.
gorius, *Præfat. in libros Dialog.*, « ad amorem patriæ cœlestis plus exempla quam prædicamenta succendunt. » Unde « Jesus cœpit » primo « facere, » deinde « docere, » *Act.* I, 1, plusque docuit facto quam verbo. Hinc S. Basilius, lib. I *Moral.*, regul. 70, cap. X, docet eum qui præest, debere prius facere ea quæ subditos facienda esse docet, ac cap. XXIV, docet eum uti dignitate, sic et humilitate subditos præire oportere. Prævidebat Christus Apostolos paulo post inter se superbe disceptaturos, quis eorum esset major; unde hoc humilitatis exemplum eis præmisit objecitque ut hanc eorum ambitionem infringeret et comprimeret, atque ita eam reipsa, si non elisit, certe infregit.

Ex hac Christi sententia usus invaluit, ut multi Prælati, imo principes et reges die Jovis sancto subditorum vel pauperum pedes lavent; imo S. Ambrosius censuit Christum hic idipsum præcipere, uti superius dixi. Ita pedes pauperum laverunt S. Ludovicus, rex Franciæ; S. Elisabetha, uxor Lantgravii Hessiæ; S. Hedwigisa, Ducissa Poloniæ; S. Brigida aliique plures. Vide Gretserum, in *Pellilavio.*

16. AMEN, AMEN DICO VOBIS, NON EST SERVUS MAJOR DOMINO SUO, NEQUE APOSTOLUS MAJOR EST EO QUI MISIT ILLUM. — Insistit Christus humilitati Apostolis inculcandæ, quia prævidebat eorum de primatu contentionem mox secuturam, *q. d.* Si ego vester dominus me humiliavi et lavi pedes vestros, multo magis decet vos humiliare et pedes alterutrum lavare. Si enim dominus lavit, lavet et servus : nec enim servus dedignari potest opus quod fecit dominus; nec apostolus sive legatus recusare potest officium quod præstitit ejus Prælatus vel princeps qui eum misit.

17. SI HÆC SCITIS, BEATI ERITIS, SI FECERITIS EA. — *q. d.* Si hæc scitis, uti scire vos scio (quis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

enim nescit dominum esse majorem servo, et Prælatum suo apostolo sive legato?), beati eritis, si uti scitis, sic et feceritis ea opereque compleveritis. Beati, inquam, in spe, sed needum in re; futuri autem beati in re post mortem, si usque ad eam hæc facere perrexeritis, et in mei sequela perseveraveritis, uti vos omnes facturos et perseveraturos scio, uno excepto Juda: unde eum excipiens subdit:

18. NON DE OMNIBUS VOBIS DICO — vos hæc quæ dixi facturos, quia scio Judam id non facturum.

EGO SCIO, QUOS ELEGERIM. — S. Augustinus, *tract.* 59, explicat de æterna Dei prædestinatione ac electione ad gloriam, *q. d.* Non de omnibus dico, sed de iis tantum quos elegi ad gloriam, ad quam non elegi Judam, ac proinde de eo non sum locutus, sed eum excipio. Verum hoc durisculum videtur, tum quia culpa omnis in Judam rejicienda est, non in Christum Christique electionem, a qua Judam exclusit: unde, vers. seq., Christus culpam in Judam conjicit; tum quia Christus, quando loquitur de æterna Dei electione et prædestinatione ad gloriam, nunquam solet eam sibi tribuere, sed Patri; ipsa enim est pars primaria providentiæ, quæ Patri appropriatur. Agit igitur Christus hic de temporali sua electione, qua ut homo elegit duodecim Apostolos, et inter eos ipsum quoque Judam, de qua dicitur *Luc.* VI: « Vocavit ad se discipulos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit; » inter duodecim autem unus erat Judas. Loquitur ergo Christus hic de electione ad apostolatum, ait Toletus et Maldonatus, *q. d.* Ego scio et scivi quos et quales elegerim in Apostolos; scio et scivi, qui eo digni, qui indigni futuri sint, qui perseveraturi, ideoque beati futuri, qui non; scio eos, qui hæc quæ dixi facturi sint, qui non; uti scio et scivi Judam a me electum ea non facturum, sed fore meum proditorem; quare non ex ignorantia elegi eum in Apostolum, quasi ignorarim eum me proditurum; imo idipsum optime præscivi et prævidi, sed tamen elegi eum, ut ejus malitia uterer ad commune bonum, scilicet ut per eum impleretur mea passio, et per eam hominum salus et redemptio. Unde subdit:

SED UT IMPLEATUR SCRIPTURA: QUI MANDUCAT MECUM PANEM, LEVABIT CONTRA ME CALCANEUM SUUM. — *q. d.* Sciebam Judam fore proditorem, sed tamen elegi eum in Apostolum, ut per eum impleretur mea passio, et consequenter Scriptura, quæ eam ejusque modum prædixit; scilicet illam fore inchoandam per proditionem unius mihi familiaris et domestici, puta Judæ, qui mea amicilia et familiaritate perfide abusus est ad me prodendum; atque ego id permittere volui, ut ex ejus malitia ingens bonum eliciam, scilicet mundi redemptionem, sicut permisi lapsum Luciferi et Adami, ut inde elicerem Christi incarnationem.

LEVABIT CALCANEUM. — Citat Psalm. XL, 9, ubi Septuaginta vertunt, *magnificavit super me supplantationem;* S. Hieronymus, *levavit contra me plantam,* id est, me decipere, supplantare, prodere et perdere conatus est; imo reipsa me dolo et fraude supplantavit, me cadere fecit in manus Judæorum, me adegit ad crucem et mortem. Nam « supplantare » proprie est plantam, seu pedem vel calcaneum inter alterius crura immittere in lucta vel cursu, itaque facere ut pedes currentis ad pedem supplantantis illisi impingant, cadant et corruant.

Loquitur David ad litteram de Achitophel, proditore suo apud Absalomum filium suum, ut habet Chaldæus; mystice de Juda proditore Christi, cujus typus fuit Achitophel, sicut David Christi.

19. AMODO DICO VOBIS, PRIUSQUAM FIAT; UT CUM FACTUM FUERIT, CREDATIS QUIA EGO SUM. — « Amodo, » græce ἀπάρτι, quod verti potest primo, *ex nunc, ex hoc tempore,* ut vertit Syrus; secundo, *confestim, jam jam,* cito, illico; et sic hic accipitur, et hoc significat *amodo;* notat enim instantem proditionem Judæ, *q. d.* Jam jam post paucas horas Judas prodet me, ideoque id vobis prædico, ut cum mox videritis me prodi, capi, occidi, non turbemini, sed « credatis, » id est in fide mea perseveretis « quia ego sum, » scilicet quod ego sim Messias Filius Dei, sponte me offerens morti pro redemptione hominum; ideo enim hæc prædico, ut sciatis me hæc omnia præscire et posse præcavere meque subducere, sed nolle, imo velle pati pro salute mundi; tunc pariter videbitis me vere dixisse non omnes vos esse mundos, sed Judam esse immundum et scelestum, ideoque reprobandum et damnandum, cum videritis eum ex sceleris conscientia et immanitate laqueo se præfocare. Hæc ergo mea prædictio conjuncta cum rei prædictæ eventu, vos in fide mea nutaturos stabiliat et confirmet. Ita Cyrillus.

20. AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUI ACCIPIT SI QUEM MISERO, ME ACCIPIT: QUI AUTEM ME ACCIPIT, ACCIPIT EUM QUI ME MISIT. — Non apparet quomodo hæc verba cohæreant cum præcedentibus. *Primo,* Chrysostomus, *homil.* 71, et ex eo Theophylactus, hæc referunt ad passionem et crucem Christi quasi ad eam fortiter imitandam hortetur Apostolos per sui exemplum, *q. d.* Nolite timere persecutiones, mortes et cruces, quas prædicando fidem meam patiemini; quia in hac re me sequemini; patiemini enim ut mei legati, a me missi, et consequenter a Deo Patre. Quare passio hæc vobis non erit ignominiæ, sed gloriæ. Verum hic non agitur de passione, sed de susceptione Apostolorum. Vers. 20. Difficilis horum verborum cum præcedentibus connexio.

*Secundo,* Cyrillus, lib. IX, cap. XII, putat Christum hic ostendere immanitatem proditionis Judæ argumento ducto a contrario, *q. d.* Sicut qui a me missum excipit et honorat, me excipit et honorat; sic ex adverso qui a me missum respuit, non tantum mihi, sed et Deo, qui me misit, gravem contumeliam et injuriam irrogat. Verum hic multa supplere oportet, quæ non dicit Christus.

*Tertio,* Cajetanus, Jansenius et Ribera probabilius censent Christum, cum jam finire vellet sermonem de ablutione pedum, nunc addere nonnulla et ad ipsum redire exhortarique omnes fideles, ut recipiant missos ad se Apostolos, benefaciant eis, sicut ante exhortatus fuerat Apostolos, ut benefacerent fidelibus; qua in re etiam Apostolos consolatur, ut ait Chrysostomus, *homilia* 71, quos pro omnium salute, in charitatis officiis laborare jusserat.

*Quarto,* magis particulatim et proprie, Toletus opinatur hæc pertinere ad exemplum lotionis pedum datum a Christo, ut hoc Apostoli et fideles imitentur, nec ab eo excusent se, quod hæc lotio sit vilis hominemque vilem et abjectum efficiat, cum Christus ipse eam usurparit, et usurpando honorarit atque quasi nobilitarit, *q. d.* Nolite subterfugere hospites eisque pedes abluere; quia qui hospites fideles, præsertim Apostolos, hospitio accipit eisque pedes lavat, me qui eos misi, quasi hospitio accipit: qui autem me accipit, accipit et Patrem qui misit me (1).

Ergo qui meos fideles et legatos recipit, Deum recipit, et honor qui eis impenditur, Deo impenditur; ac vice versa, qua injuria quis eos afficit, eadem me et Deum ipsum afficit. Docet ergo hic Christus humilitatis officia, quale est lavare pedes, esse obeunda etiam ab Apostolis et Prælatis, nec recusari debere ob officii dignitatem, ne illa vilescat et contemnatur, quia per illa potius honorabuntur, ut veri imitatores et vicarii Christi, quia qui eos honorat, Christum et Deum ipsum, qui eos misit, honorat. Humilitas ergo Prælatos non dedecorat, sed ornat et decorat. Ita Toletus, Jansenius et alii. Hinc noster S. Franciscus Xaverius navigans in Indiam, cum ægrorum lectos sterneret, cibos coqueret, medicinas porrigeret, audiretque sibi objici hæc tam vilia munia dedecere Legatum Apostolicum, qualis ipse erat, respondit ea decere discipulum et apostolum Christi, quia Christus similia obivit eaque quasi nobilitavit. In schola enim Christi sola humilitas nobilitat et exaltat, quia Christo Deo et Domino nostro nos assimilat. Ita Tursellinus in ejus Vita. Humilitas Prælatos decorat. S. Franciscus Xaverius.

S. Carolus Borromæus in supplicatione publica, nudis pedibus, laqueo ad collum appenso, crucem bajulans incedebat, pauperibus serviebat, peste laborantibus ministrabat, vilia quæque obibat; et tamen per hæc dignitatem Archiepiscopalem et Cardinalitiam non turpavit, sed magis ornavit ac sancti Cardinalis nomen obtinuit; sicut enim gemma carbunculi in pala ornat annulum aureum, sic humilitas exornat purpuras et coronas.

21. CUM HÆC DIXISSET JESUS, TURBATUS EST SPIRITU: ET PROTESTATUS EST (id est palam, aperte et clare testatus est) ET DIXIT: AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUIA UNUS EX VOBIS TRADET ME. — Syrus, *hæc dixit Jeschua, et infremuit spiritu, et testatus est, dixitque: Amin, amin dico vobis, unus ex vobis prodet me;* Arabicus, *commotus est spiritu,* etc. Turbatio ergo hæc fuit ingens dolor et indignatio ob scelus Judæ, quod ille jam jam cum esset proditurus Judæis: ob hujus enim sceleris immanitatem, æque ac ob Judæ perditionem et damnationem, intimis animi sensibus indoluit Christus et infremuit spiritu; hunc autem dolorem non involuntarie passus est, sed libere admisit Christus, imo ultro assumpsit hic, æque ac in morte Lazari, cap. XI, vers. 33, ut ibi dixi. De hac Christi prædictione proditionis Judæ, dixi *Matth.* XXVI, 21 et sequent.

Quæritur hic, quando hæc Christi prædictio contigerit, an ante institutionem Eucharistiæ, an post? Joannes enim illam institutionem hic omittit, quia a cæteris tribus Evangelistis diserte fuit enarrata; Matthæus autem et Marcus prædictionem hanc Christi præponunt institutioni Eucharistiæ, Lucas vero postponit. Sunt hic tres sententiæ probabiles.

*Prima* est Jansenii et Francisci Lucæ, qui censent Christum prædixisse Judæ proditionem post institutionem Eucharistiæ, ut habet Lucas; quare Matthæum et Marcum, qui ante Eucharistiam prædictionem hanc enarrant, uti anticipatione: unde ipsi institutionem Eucharistiæ collocant immediate ante hunc versum 21 Joannis. Ratio est, quia, si ante Eucharistiam Judæ proditionem prædixisset, turbasset Apostolos et commovisset ad iram, ac minus dispositos attentosque ad Eucharistiam reddidisset. Verum hæc ratio non concludit. Nam ante Eucharistiam prædixit Christus suam passionem et mortem, quæ multo magis apostolos turbavit, ac paulo post Eucharistiam, ut ipsi fatentur, prædixit proditionem Judæ, quæ tunc eos turbavit, ut ad recollectionem animi, quæ post Eucharistiam requiritur, minus attenderent. Denique hæc Christi prædictio proditionis Judæ ante Eucharistiam; valuit tum ad Judam a scelere deterrendum, tum ad Apostolorum animos compungendos et sollicitos reddendos, ut conscientiam suam quisque examinaret, ne in ea Christus quid inveniret, quod ipse æque ac scelus Judæ revelare et carpere posset.

(1) Alii rem nodant dicendo hunc vers. 20 ab aliena manu h. l. ascriptum fuisse: Ita Kuinoelius, quem audi: « Suspicor sententiam quam vers. 20 continet, primo ab aliena manu ad verba vers. 16 in margine enotatam fuisse, librarios vero, qui viderent eam non satis cohærere cum verbis vers. 16, neque tamen omittendam putarent, eam, finita vers. 19 oratione Christi, adscripsisse. » Sed cum hæc verba in omnibus qui ad nostra tempora pervenerunt codicibus leguntur, talem consensum nil docere non licet. Verecundius, necnon probabilius quidam asserunt Joannem hic nonnulla ad nexum perutilia prætermisisse. Ex nostra quidem sententia, Christus vers. 20 cavere voluit ne discipuli proditionis Judæ æque passionis scandalo offendantur, *q. d.* Cæterum ne animo desperetis, vos, quos constitui veritatis in toto orbe doctores; nam *qui accipit,* etc.

*Secunda sententia* plane contraria est Baronii, anno Domini 34, cap. LVIII, et aliorum, qui censent Christum prædixisse Judæ proditionem, non post, sed ante institutionem Eucharistiæ, ut habent Matthæus et Marcus; quare Lucam, qui eam illi postponit, uti postpositione. Putat ergo Baronius rem gestam esse eo ordine, quo a Joanne recensetur; nimirum post pedum ablutionem de sua proditione Jesum sermonem habuisse, tunc et Joanni de proditore roganti signum illud per intinctam buccellam dedisse; sed quod dicit accepta buccella continuo exiisse, id quidem non ita accipiendum putamus, ait Baronius, ut tunc temporis statim et nulla interposita mora abierit; sed quod velut furore quodam percitus, non exspectaverit prolixam illam post cœnam habitam a Domino orationem. Nam S. Lucas aperte testatur Judam cum cæteris permansisse usque ad finem communicationis Eucharistiæ, post quam nihil jam videbatur esse reliquum in mensa (secundum prædictum Judæorum ritum) quo potuerit panis intingi; sicque nec dici posse videtur, illum panem intinctum fuisse Eucharistiam.

Verum Judas post buccellam «exivit continuo,» imo eodem momento, ut habet Syrus; non ergo exspectavit prolixam Apostolorum synaxin, si illa post datam buccellam contigit. Unde verisimilius alii hujus sententiæ sectatores opinantur, buccellam hanc Judæ a Christo datam fuisse ipsam Eucharistiam : post hanc enim indigne sumptam, a diabolo actus quasi in furorem, illico exiit ad scelus, quod machinabatur, perficiendum. Porro, in institutione Eucharistiæ, et post eam Christus accubuit mensæ, ibique prædixit proditionem Judæ, ut habet Lucas. Ergo omnino verisimile est mensam tunc necdum fuisse sublatam, sed in ea ex tribus Christi cœnis præcedentibus, remansisse panem et ciborum reliquias, ex quibus Christus buccellam accipere et intingere, intinctamque Judæ dare posset.

*Tertia* ergo sententia inter duas jam dictas media verior videtur, scilicet Christum prædixisse proditionem Judæ, tam ante Eucharistiam, quam post eam illam iterasse : tum quia valde illam ejusque atrocitatem sensit et indoluit, imo turbatus est spiritu, ut ait hic Joannes; tum ut Judæ suum scelus objiceret, ac se illud scire indicaret eumque ab illius executione absterreret; tum ut Apostolorum animos compararet et hac prædictione præmuniret, ne mox reipsa visuri Judæ proditionem et Jesu captivitatem percellerentur, sed in fide Jesu constanter persisterent. Hac ratione enim conciliamus optime Matthæum et Marcum cum Luca, ut utrique verum dixerint remque suo ordine narrarint. Est hæc sententia expressa S. Augustini, lib. III *De Consensu Evang.*, cap. I, Euthymii et Toleti, qui asserunt hunc fuisse rei gestæ ordinem. Peracta jam paschalis agni cœna, et communi incepta, illis cœnantibus surrexit Christus lavitque discipulorum pedes, quibus lotis, iterum recumbens dixit omnia hæc quæ Joannes narrat; spiritu ergo turbatus de suo loquitur traditore, et interrogat unusquisque : «Numquid ego sum?» et audit Judas : «Tu dixisti.» His peractis Eucharistiam instituit; qua instituta et mysterio peracto, iterum de traditore loquitur, ut refert Lucas, cap. XXII : «Verumtamen, inquit, ecce manus me tradentis mecum est in mensa,» etc. Tunc interrogat Petrus Joannem : «Quis est de quo dicit?» et Joannes interrogans Jesum audit : «Cui ego panem intinctum porrexero.» Et post hanc buccellam introivit in Judam Satanas, et recessit; quo recedente et cœna omnino absoluta, Christus habet ad suos discipulos mirabilem concionem a Joanne paulo post descriptam. Hinc patet institutionem Eucharistiæ non ante hunc versum, ut vult Jansenius, sed ante vers. 32 : «Erat ergo unus,» etc., collocandam esse.

22. ASPICIEBANT ERGO AD INVICEM DISCIPULI, HÆSITANTES DE QUO DICERET, — imo interrogantes singuli : «Numquid ego sum, Domine?» ut habet *Matth.* XXVI, 22. Nam, ut ait Chrysostomus, «quia nominatim non dixit, in omnes induxit timorem; et licet sibi male conscii non essent, tamen Christo magis quam propriis cogitationibus credebant.» Et ut Origenes, «recordabantur velut homines, mutabiles esse affectus etiam provectorum.»

23. ERAT ERGO RECUMBENS UNUS EX DISCIPULIS EJUS IN SINU JESU, QUEM DILIGEBAT JESUS, — puta ipse Joannes. *To ergo* continuat sermonem prædictionis Christi de proditione Judæ, etsi is interruptus fuerit per institutionem Eucharistiæ, eo quod illam hic omittat Joannes; Eucharistiam enim instituit Jesus immediate ante hunc versum, post primam prædictionem proditionis Judæ, quam recensent Matthæus et Marcus : deinde instituta jam Eucharistia, et peracta S. Synaxi, Christus eamdem prædictionem iteravit et resumpsit, dicens, ut habet Lucas, cap. XXII, vers. 21 : «Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa;» cumque Apostoli cuperent scire nominatim quis ille foret, Petrus avidior et ferventior cæteris, innuit Joanni in sinu Jesu recumbenti, ut a Jesu eum sibi designari postularet, ut hic narrat Joannes idque insinuat τὸ *ergo, q. d.* Joannes erat vicinior et charior Jesu illique proximus, utpote in sinu ejus recumbens : «ergo,» id est hac de causa, innuit Petrus Joanni ut a Jesu suo dilecto nomen proditoris exquireret. Dicitur autem Joannes in sinu Jesu recubuisse, quia veteres non assidebant mensæ, sed recumbebant bini vel terni in singulis lectulis mensalibus, ita ut cubito dextro innixi, non tam sederent, quam jacerent ad mensam, quo fiebat ut secundus ad sinistram primi proxime sequens, in ejus sinu quasi jacere et recumbere videretur. Vide Ciacconum *de Triclinio*.



QUEM DILIGEBAT JESUS, — non tantum amore amicitiæ humanæ, velut ætate minimum, ut vult Toletus, sed etiam amore charitatis, ob virginitatem et puritatem, modestiam et mansuetudinem, moresque suaves et sanctos, quibus cæteros antecellebat; ita Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et S. Hieronymus, epist. *ad Heliodorum*. Hinc tamen non sequitur Joannem absolute omnibus Apostolis fuisse sanctiorem; poterat enim Petrus illo esse in charitate ardentior, ideoque sanctior. Sanctitas enim maxime in charitate consistit illaque mensuratur, ut, quanta est charitas, tanta sit gratia et sanctitas cujusque.

Porro, quod Joannes in sinu et supra pectus Jesu recubuit, non solum fuit præsentis amoris indicium, sed etiam futuræ rei signum, «quod scilicet inde vocem sumeret, quam postea cunctis seculis inauditam emitteret,» ait Beda.

24. INNUIT ERGO HUIC SIMON PETRUS, ET DIXIT EI : QUIS EST DE QUO DICIT? — Hinc patet Petrum Joanni innuisse, non tantum signo nictus et nutus, ut vult S. Augustinus, sed etiam modeste verbo suggerendo dixisse : «Quis est de quo dicit?» uti narrat hic Joannes. Ita Origenes, Chrysostomus et Cyrillus. Rogat autem id Petrus; non quia Apostolorum princeps, licet id velit Cyrillus, nec quasi metuens sibi ne ipse foret proditor, ut opinatur Chrysostomus, sed ex zelo, ut tantum scelus et Christi proditionem impediret, uti in horto Christi captivitatem impedire voluit, amputando aurem Malcho eum capere volenti.

*Petro suggerente interrogat Christum de proditore Joannes.*

Vers. 25. 25. ITAQUE CUM RECUBUISSET ILLE SUPRA PECTUS
Vers. 26. JESU, DICIT EI : DOMINE, QUIS EST? 26. RESPONDIT JESUS : ILLE EST, CUI EGO INTINCTUM PANEM PORREXERO; ET CUM INTINXISSET PANEM, DEDIT JUDÆ SIMONIS ISCARIOTÆ. — «Cum recubuisset.» Videtur Joannes innuenti Petro, vel vestem ejus secreto trahenti, aures et corpus admovisse, itaque a sinu Christi nonnihil recessisse, ut audiret Petri petitionem, qua audita rursus corpus reclinasse et recubuisse ad pectus Jesu, ut id quod suggesserat Petrus, posceret a Jesu.

INTINCTUM PANEM. — Nota, Judam interfuisse celebrationi agni paschalis, item Eucharistiæ, eamque cum aliis Apostolis sumpsisse, uti docent S. Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus et alii passim; immo nonnulli opinati sunt hunc «panem intinctum» fuisse Eucharistiam, sed perperam; nec enim Christus «panem intinctum» consecravit, sed panem siccum, æque ac vinum purum et merum. Quare post S. Synaxim, Christus ex mensa accepit partem sive buccellam panis residui, eamque intinxit in embamma, vel jusculum aliquod delicatius, quod adhuc erat in mensa (nec enim decet in convivio ab hero dari convivæ panem siccum) illamque dedit Judæ, ut hoc signo ipsum esse proditorem a se designatum indicaret Joanni : nec enim alii Apostoli verba Christi ad Joannem de signo hoc proditoris audierunt, utpote modeste a Christo soli Joanni in aurem dicta.

Porro Christus eum apposite hoc signo indicavit, quia panis mensalis signum est pacis et amicitiæ : unde per illum Christus non tantum personam proditoris, sed et ejus qualitatem modumque proditionis demonstravit : quod Judas simili amicitiæ symbolo, puta osculo, eum proditurus esset. Mystice, intinctio hæc panis fictionem et fraudem animi in Juda denotabat, ait S. Augustinus.

Rursum S. Cyrillus et Augustinus aiunt Judam a Christo buccella panis indicatum fuisse, ut impleretur illud *Psal.* XL : «Qui manducat mecum panem, levavit contra me calcaneum;» imo Chrysostomus ait tacite ipso facto Christum hic idipsum Judæ exprobrasse, *q. d.* Quomodo non pudet te, o Juda, me prodere, qui mensæ meæ es socius et conviva.

Denique Judas accepta a Christo buccella, ex conscientia sceleris, et hoc indicio Christi sentiens se notari, impudenter et obstinate in proposito prodendi Christum perstitit. Nam omnino detectum et infamatum se videns, quasi amens et furens, instigante diabolo, egressus est ad scelus perficiendum abiitque ad principes sacerdotum, ut ab eis satellites postularet, qui se duce et indice Jesum comprehenderent. Licet enim Matthæus hæc verba et responsum Christi ponat ante Eucharistiam : unde S. Augustinus, lib. III *De Consensu Evang.*, cap. I, censet ante eam esse dicta; tamen ex verbis Lucæ et Joannis liquet ea dicta esse post Eucharistiam; Matthæus enim more suo omnes has Christi prædictiones Judæ in unum convolvit, ne cogeretur eas dissecare, et iterato narrare post Eucharistiam. Nam plane verisimile est Judam, audito Christi responso : «Tu dixisti,» confusum et indignantem illico exiisse. Exiit autem illico post acceptam buccellam, ut ait hic Joannes. Ergo statim post acceptam buccellam rogavit : «Numquid ego sum, Rabbi?» et audiit : «Tu dixisti,» iisque auditis, erubescens et indignans confestim exivit. Unde sequitur :

27. ET POST BUCCELLAM (Græce ψωμίον, id est buccellam, offulam), INTROIVIT IN EUM SATANAS, — Vers. 27.
eum impellens et exagitans ad vindicandam hanc suam infamiam, ut scilicet Christum suum scelus prodentem Judæis proderet. Satanas ergo qui prius in Judam ingressus erat ad proditionem machinandam, ut dictum est vers. 2, hic rursus in eum ingressus est ad eam perficiendam et in opus conferendam : tum quia Judas jam ab Apostolis et Christo audiens *proditor*, ulterius inter eos manere non audebat, ne ab eis male mulctaretur; tum quia hora proditioni congrua et a Juda destinata imminebat, scilicet qua post cœnam sciebat Christum de more iturum ad montem Oliveti, orationis causa, ubi facile comprehendi poterat. Quare Joanni non opus fuit Judam a

*Satanas in Judam intrat.*

Christo sibi indicatum Petro roganti indicare; quia mox ipse Judas seipsum prodidit, tum sua interrogatione, tum suo discessu et exitu.

Introivit ergo hic in Judam Satanas, ut eum totum quasi possideret, idque certo et firmiter, unde mox eum ad laqueum adegit; non quod buccella a Christo data in eum diabolum immiserit, nam hæc amoris Christi fuit indicium, quo ejus animum ad se redamandum allicere volebat, sed quod Judas huic amori Christi ingratus, eam in sinistram partem acceperit: putabat enim quod Christus ex odio et vilipendio, ut ejus scelus Apostolis proderet, buccellam ei daret. Quare Judas tunc apostolatui Christi et collegio Apostolorum nuntium remittens, abiit ad familiam et famulatum Satanæ et Judæorum, velut transfuga et apostata. Ita S. Chrysostomus, S. Augustinus et Cyrillus, qui notat beneficium ingratis nocere, non ex se, sed ex eorum vitio et ingratitudine. Audi S. Ambrosium, lib. II *De Cain et Abel*, cap. IV: « Ubi se Satanas immisit in corde Judæ, Christus recessit ab eo, momentoque eo quo illum recepit, hunc amisit. Denique sic scriptum est: Post buccellam introivit in eum Satanas. » Introivit autem tribus de causis: *primo*, propter ingratitudinem, ait S. Augustinus, cum enim omnia officia charitatis Christus erga illum præstitisset, nec ita mereretur, relictus est plene possidendus a diabolo. *Secundo*, quoniam diabolus ex verbis illis Domini et ex signis cognovit jam illum esse obstinatum in malo et relictum a Domino, ut ait Chrysostomus, *homil.* 71, et Euthymius, *Matth.* XXVI. *Tertio*, quoniam ipse Judas intellexit se jam omnibus manifestum esse, et quasi segregatum a discipulis et a magistro, et ideo confirmatus est in malo et plane cor suum tradidit diabolo, quasi desperans; ideo etiam continuo exivit, non sustinens Domini et Apostolorum conspectum, aut metuens ne ab eis laceraretur, ait Euthymius ex S. Chrysostomo. Ita Ribera. Sic videmus peccatores, cum eorum peccata occulta publicantur, frontem perfricare, mentem obstinare, fremere et furere, ut sua crimina defendere velint et in iis glorientur, ac in profundum scelerum omnium ruant. Vide hic in Juda, quomodo homo deserens Christum, sensim deseratur a Christo, ac desertus invadatur a Satana, invasus possideatur; possessus in omne nefas, indeque in abyssum præcipitetur: sicut Judas ex Apostolo factus est diabolus, æque ac Lucifer ex pulcherrimo angelo factus est teterrimus cacodæmon, et sicut ex suavissimo vino fit acidissimum acetum, et ex monacho, v. g., Luthero, fit hæreticus, imo hæresiarcha.

Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citius. — « Citius, » id est *cito*, ut vertit Syrus; ponitur enim comparativus pro positivo. Non præcipit Christus Judæ proditionem, sed permittit. Hæc ergo verba sunt Christi non præcipientis, sed prædicentis, *q. d.* Ne putes te latere me; scio te machinari meam proditionem. Non præcepit facinus, ait S. Augustinus, sed prædixit, non tam in perniciem perfidi sæviendo, quam ad salutem fidelium festinando. *Secundo*, permittentis, *q. d.* Age quod cœpisti, perfice quod destinasti; possem te mille modis impedire, ne scelus perficias; sed nolo, imo permitto te tuæ libertati: fac quod mente designasti. *Tertio*, sunt exprobrantis, ait Chrysostomus, *q. d.* Scio te mihi, a quo tot dona accepisti, extrema mala moliri: hæccine sunt tua maleficia, quæ tot beneficiis meis rependis? sed age quod agis. Etsi enim tuum scelus aperuerim, non id feci eo animo, quasi illud extimescam et impedire velim: si vellem enim, valerem et facerem: sed ut tuam malitiam et impudentiam tibi in faciem objiciam et exprobrem. *Quarto*, sunt animi celsi, contemnentis omnia Judæ machinamenta, *q. d.* Adeo non curo, nec timeo omnes tuas contra me machinationes, ut summe desiderem meam captivitatem et mortem per te accelerari, ut citius Deo Patri me in victimam offeram et homines redimam: « Quod facis ergo, fac citius. » Audi S. Leonem, serm. 7 *De Passione*: « Vox hæc non jubentis est, sed sinentis; nec trepidi, sed parati, qui habens omnium temporum potestatem, ostendit se moram non facere traditori, et sic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem, ut facinus quod a præsentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret. *Quinto*, sunt verba excludentis Judam incorrigibilem a sua familia et societate Apostolorum, *q. d.* Quoniam tu te a nobis separare vis, excludo te a mea mensa, domo, apostolatu, societate: vade ergo ad tuos Judæos et Satanam, cui te mancipasti. Ita S. Ambrosius, lib. II *De Cain*, cap. IV.

Porro nove Cyrillus, lib. IX, cap. XVII, secutus Origenem, censet hæc a Christo dici non Judæ, sed Satanæ in Judam introeunti. Nam sicut, inquit, si vir fortis, adversus quem fremens quispiam feratur, ipse vero viribus suis fretus, casurum illum non dubitet magnaque voce minitans dicat: Quod facis, fac citius, ut meæ dexteræ vires experiaris; non tam properantis mori verba esse diceremus, quam præscientis potius quia cadet adversarius. Sic Dominus noster velocius currere diabolum, ad ea quæ præparavit, jubet, ut citius victus atque vinctus a tyrannide sua orbem dimittat. Verum liquet ex antecedentibus et sequentibus hæc dici Judæ, non Satanæ, uti passim docent Patres et interpretes.

28. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. 29. Quidam enim putabant quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret. — Vers. 28. Vers. 29. Licet enim ex verbis Christi scirent Judam fore proditorem, tamen non sciebant eum tam cito, scilicet eadem nocte, Christum proditurum; sed suo tempore. Quare non intellexerunt Christum dicentem: « Quod facis, fac citius, » de proditione sua loqui, sed ad emendum necessaria pro instante Paschate transtulerunt. Erat enim Judas procurator Christi et Apostolorum.

30. Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo, — tum quia post buccellam possessus fuit a diabolo, qui eum impulit ad exeundum, ad perficiendam proditionem; tum quia Christus verbis jam dictis, eum a sua familia et domo ejiciens, eum expulit. Utrumque respicit et notat τὸ *ergo*. Porro, exeunte immundo, ait S. Augustinus, omnes mundi cum suo mundatore manserunt, velut triticum zizaniis separatis.

Moraliter notat Cyrillus, lib. IX, cap. XIX, diabolum impulisse Judam, ut illico exiret ad Christum prodendum, ne virtute Eucharistiæ, licet indigne sumptæ, eum pungentis et stimulantis, pœniteret et resipisceret. Audi eum: « Diabolus magnas ad imperandum eis, quos omnino jam cepit, possidet vires: timet ne morando locus pœnitentiæ detur, et quasi a temulentia mentem suam rectius cogitans homo eripiat, ea de causa festinat et impellit: nam et Judam, cum post panem separaverit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne scintillam in animo ejus accenderet, ac inde illuminaret, et ad meliora retraheret, magna præcipitem egit celeritate. » Origenes vero addit tam efficacem fuisse Christi doctrinam, ut proditorem suum postea commoverit ad pœnitentiam, ut diceret: « Peccavi tradens sanguinem justum; » imo ad tantum dolorem, ut seipsum non ferens, nec vivere sustinens, laqueo se necarit, « ostendens, ait, quantum potuerit Jesu doctrina, etiam in peccatore, fure et proditore, non valente in totum contemnere quæ a Jesu didicerat. » Hinc colligas, quod iis qui vehementi tentatione a dæmone pulsantur, ut scelus illico perpetrent, injiciendæ sint moræ, ut rem differant; ipsa enim dilatione, re maturius considerata, videtur sceleris turpitudo, damna et pœnæ, quæ hominem ab eo absterrent; audiuntur prudentium consilia, remoræ variæ interjici possunt. Denique ipse æstus tentationis ipsa mora defervescit et languescit.

Ex adverso, in bonis virtutum propositis exequendis, v. g. in statu sacerdotii vel Religionis capessendo, festinato opus est, ne parentes, socii, diabolus, moras injiciendo, rem totam disjiciant et dissipent, uti sæpe fieri videmus. Audi S. Chrysostomum, hom. 57 *ad Pop.*: « Dum fervens est tibi hic amor, abi statim ad illos ipsos angelos eumque magis accende. Ne dicas: Alloquar prius propinquos resque meas expediam. Torporis initium est hæc dilatio. Patrem sepelire discipulus voluit, nec id Christus permisit. Quid ita? quoniam acer instat diabolus, ut se in animum insinuet, et si vel brevem arripuerit vacationem vel prorogationem, ad magnum inducit teporem. Ideo quidam admonet: Ne differas de die in diem. » Et S. Anselmus, *epist.* I: « Festina, ait, ad tantum bonum, quia nullo bono efficacius pervenies ad summum bonum. Plures vidi promittentes et differentes, quos ita mors tulit, ut nec id perficerent, quo se impediebant; nec id inciperent, quod promittebant. » Atque idem mox subjicit: « Qui differt in futuram, et forsitan non futuram ætatem, suam vitam corrigere, certum bonum dimittit procul dubio, et contemnendo quod perdit, probat se non amare quod exspectat, et meretur non accipere. » Et S. Bernardus, serm. in illud, *Ecce nos reliquimus omnia*: « Cum a Deo, inquit, verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii angelus: quid aliena consilia præstolaris? quis enim fidelior, quisve sapientior illo? Deduc me, Domine, et deducar; fortior esto, et invalesce. Novi ego quænam sint quæ oportet fieri cito. » Vide S. Thomam, *Opusc.* XVII, cap. IX et X.

Erat autem nox (1). — Addit hoc Joannes *primo*, ad historiæ integritatem, ut tempus notet, quo Christus a Juda proditus, a Judæis captus fuit; *secundo*, ut indicet diaboli festinationem, Judam nocte intempesta, ad conquirendum lictores forte dormientes impellentis; *tertio*, hoc subditur, ait Chrysostomus, *hom.* 71, ut discas Judæ temeritatem, quando nec tempus importunum eum tenuit.

Symbolice Glossa: Nox, ait, congruit sacramento: erat enim qui exiit filius tenebrarum, faciens opera tenebrarum. Nox ergo indicat tenebras mentis in quibus Judas versabatur, ait S. Ambrosius, lib. II *De Cain*, cap. IV, item impœnitentiam et damnationem ad tenebras gehennæ, ad quos Judas tendebat. Audi S. Gregorium, lib. II *Moral.*, cap. 2: « A qualitate temporis finis exprimitur actionis, sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Judas exiisse perhibetur, cum egrediente illo ab Evangelista dicitur: Erat autem nox. Hinc enim et iniquo diviti dicitur: Hac nocte repetent animam tuam abs te. Anima quippe, quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. »

31. Cum ergo exiisset, dixit Jesus: Nunc clarificatus est (Græce est ἐδοξάσθη, id est ut Syr et Arabicus, *glorificatus est*) Filius hominis, Deus clarificatus est in eo. — « Clarificatus est, id est jam jam clarificabitur et glorificabitur. Ponitur enim præteritum pro futuro instanti et imminenti, *q. d.* Judas jam exiit ad me prodendum et occidendum, ergo imminet mihi crux et mors, quæ adeo non cedit mihi ad ignominiam, ut per eam summe sim glorificandus. In ea enim agnoscar non tantum esse Filius hominis et homo, sed et Filius Dei ac Deus: agnoscetur enim in humanitate mea latens divinitas ex obscuratione

(1) *Nox*, scil. initium noctis, nam qui sequuntur sermones, in multam noctem sunt protracti.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

solis et fissione petrarum, ex apertione sepulcrorum et sepultorum resurrectione, ex concussione totius terræ, etc., hæc enim omnia significabunt Deum pati et mori in cruce. Item ex ejus effectu : nam per crucem subjugabo mihi totum mundum, omnes dæmones ac peccatum, mortem et gehennam, quasi omnium Deus et Dominus. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Origenes, Theophylactus, Euthymius. Ubi nota : Per hæc signa, et per hos effectus Deus et deitas Christi non tantum clarificavit humanitatem Christi, sed et seipsam quoque; in iis enim apparuit immensa deitatis Christi bonitas, potentia, sapientia, majestas et gloria. Hoc est quod sequitur :

32. SI DEUS CLARIFICATUS EST IN EO, ET DEUS CLARIFCABIT EUM IN SEMETIPSO : ET CONTINUO (græce εὐθύς, id est *cito, statim*; ita Syrus) CLARIFICABIT EUM. — *Primo*, « si, » id est *quia*, *q. d.* Quia Christus factus obediens Patri usque ad mortem crucis, hac sua obedientia, reverentia et sacrificio summe clarificavit, id est honoravit et glorificavit Deum Patrem; hinc vicissim Deus Pater clarificabit et glorificabit Filium « in semetipso, » nimirum declarando et demonstrando divinitatem in ipso latentem; idque faciet « continuo » et cito, quia die tertia eum in morte redivivum et gloriosum suscitabit, ac 40 die triumphantem in cœlum conscendere, et die 50 Spiritum Sanctum e cœlis in Apostolos mittere efficiet : e quibus omnibus maxime clarescet latens in eo gloriosa divinitas. Per hæc omnia enim innotuit toti mundo Jesum non tantum esse hominem, sed et Deum Deique Filium. Ita Cyrillus et Chrysostomus. Duplex, ait Origenes, hom. 6 *in Exod.*, fuit Christi glorificatio : prior, in morte, qua glorificatus est in humilitate mortalitatis; posterior, in resurrectione, qua glorificatus est in sublimitate immortalitatis.

*Secundo*, nervosius S. Hilarius, lib. V *De Trinit.*, et ex eo Toletus, censent Deum dici clarificatum in Christo, cum in ejus morte et resurrectione ipse ostendit suam divinitatem, ac sese esse Filium Dei et Deum verum demonstravit, suscitando seipsum a morte, in cœlum vi sua ascendendo, inde mittendo Spiritum Sanctum ac per Apostolos plurima miracula patrando; hoc enim exigit τὸ *in eo*, et *in semetipso*; *q. d.* « Si Deus clarificatus est in eo, » id est si Deus in eo (Christo) esse et sub humanitate ejus absconditus latere jam jam declarabitur, cum magna ejus claritate et gloria; ergo « et Deus clarificabit eum in semetipso, » ostendens scilicet eum in semetipso habere latentem divinitatem, idque faciet continuo, hoc est illico, *q. d.* Latuit in Christo Deus et divinitas usque ad mortem, sed in morte ejus emicuit seseque exeruit, ac ostendit Christum non tantum esse hominem, sed et Dei Filium; utpote, qui virtute divinitatis suæ se a morte suscitarit, in cœlum ascenderit indeque miserit Spiritum Sanctum. Nam, ut ait Origenes : « Filius est totius divinæ gloriæ fulgor, ut Paulus ait, unde splendores perveniunt ad totam rationatem creaturam; totum enim divinæ gloriæ fulgorem capere solus Filius potest. » Hic fulgor in morte ejus emicuit, sicut faces ardentes inclusæ lagenis testaceis, iis complosis et confractis a militibus Gedeonis emicuerunt, et terruerunt fugaruntque Madianitas, *Judic.* VII, 19. Sic pariter Christi corpore in morte confracto, emicans per signa jam dicta, ejus divinitas eum glorificavit, quia per eadem signa, ac plura, quæ secuta sunt, ut miracula Apostolorum et conversionem totius mundi, ostendit eum vere esse Dei Filium omnipotentem, et Patri coæqualem, ideoque fugavit diabolum, peccatum et mortem.

Porro τὸ *in semetipso* potest referri *primo*, ad Filium hominis, *q. d.* Deus clarificavit Christum hominem, ostendendo quod ipse ut homo in seipso contineat inhabitantem Deum Verbique deitatem. *Secundo*, ad τὸ *Deus*, *q. d.* Deus glorificavit hominem Christum, ostendendo quod ipse in seipso, hoc est in Deo, puta in hypostasi divina Verbi, subsistat : humanitas enim in Christo non habet suam subsistentiam humanam, sed subsistit in eadem subsistentia divina, in qua subsistit Verbum, quæ magna est humanitatis Christi exaltatio, sublimitas et gloria.

33. FILIOLI. — Nota hic teneritudinem affectus et amoris Christi erga suos fideles et Apostolos; non enim ait « filii, » sed « filioli : » materna ergo viscera erga eos, quasi infantes recens a se genitos ostendit. Rursum « filioli, » quia Apostoli adhuc parvuli erant in fide et amore Christi; nam ejus plenitudinem et quasi virilem ætatem acceperunt a Spiritu Sancto in Pentecoste. Symbolice Cyrillus : Omnes Sancti, inquit, quantumcumque perfecti, respectu Christi sunt filioli, id est parvuli.

ADHUC MODICUM (modico tempore) VOBISCUM SUM, — quia post horam a Juda prodar et tradar Judæis. Christus hic suis ultimum dicit vale, *q. d.* Valete, o filii mei dilectissimi; ego enim a vobis abeo ad mortem, deinceps vobiscum more solito non versabor, sed redibo ad cœlum.

Sic S. Antonius moriens, ad suos discipulos conversus ait : « Valete, viscera mea. Antonius enim migrat, et jam non erit in præsenti sæculo vobiscum. » Ita S. Athanasius in ejus Vita. Et S. Ephrem in suo Testamento : « Dimittite me, quia deficiens abeo. Reminiscamini autem mei abjecti in vestris piis orationibus. Etenim in vanitate vitam peregi meam. » Et S. Dominicus vocatus ab angelo dicente : « Veni, dilecte mi, ingredere in vera gaudia; » suis edixit : « Vos quidem, carissimi, nunc me sanum videtis; sed ego ante celeberrimam B. Matris Dei Assumptionem, ad Dominum proficiscar. » Dictum factum. Ita habet ejus Vita, lib. IV, cap. XII. Et S. Franciscus : « Valete, filii omnes, in timore Domini,

Ultima verba S. Antonii.

S. Ephrem.

S. Dominici.

S. Francisci.



et permanete in eo semper, et quoniam futura tentatio et tribulatio appropinquat, felices qui perseverabunt in his quæ cœperunt. Ego vero ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes commendo. » Ac paulo post dicens : « Me exspectant justi, donec retribuas mihi, » spiritum Deo reddidit. Ita S. Bonaventura in Vita ejus, lib. I, cap. XIV.

QUÆRETIS ME; ET SICUT DIXI JUDÆIS (cap. VII, vers. 34) : QUO EGO VADO, VOS NON POTESTIS VENIRE : ET VOBIS DICO MODO. — *q. d.* Ego per mortem redeo ad cœlum : vos, o Apostoli, mea præsentia destituti, in tribulationibus et persecutionibus, quæ vos manent, quæretis me et optabitis me præsentem, ut me in dubiis consulatis et in adversis consolationem ac confortationem a me accipiatis; sed « quo ego vado, vos non potestis venire, » tum quia vestra virtute, vestris pedibus, vestris naturæ viribus, me in cœlum scandentem sequi non potestis; tum quia supernaturales gratiæ vires necdum habetis, ut me sequi possitis : necdum enim estis tam fortes, ut me ad crucem, mortem et martyrium comitari valeatis; necdum estis ita in gratia, virtute et charitate perfecti, ut apti et digni sitis regno cœlesti. Denique necdum ad illud potestis venire, quia Pater meus cœlestis decrevit vos post meam mortem mittere evangelizatum per totum orbem, ut omnes gentes ad meam fidem et salutem perducatis. Hisce ergo verbis tacite Christus Apostolos hortatur, et roborat ad omnia adversa pro fide sua fortiter toleranda. Ita Cyrillus, lib. IX, cap. XXII.

SICUT DIXI JUDÆIS. — Addit hoc, ait Chrysostomus, ut ostendat id non esse novum et recens, sed jam diu ante a se prævisum et prædictum, ac a Patre decretum. Rursum, ut ostendat eos a Judæis persecutionem passuros et occidendos, sicut ipse ab eis afflictus et occisus fuit. *Tertio*, ut indicet ipsos tribulationes multas ac tandem mortem passuros, sicut Judæi passi sunt, sed dispari causa et fine : Judæi enim ob scelera sua excisi iverunt in tartara; Apostoli vero ob Evangelium occisi, avolarunt in cœlum.

ET VOBIS DICO MODO, — tum ut prædictione hac mea vos modo præmuniam et obarmem contra omnes tribulationes vobis imminentes; tum ut sciatis modo, id est hoc tempore, vos necdum me sequi posse, secuturos tamen postea, cum in virtute et meritis fueritis perfecti, cumque me morientem sequentes morte vestra, pro fide mea merebimini lauream martyrii in regno cœlorum. Unde clare id explicans Christus, vers. 36, ait Petro : « Non potes me modo sequi, sequeris autem postea. »

Vers. 34. Mandatum dilectionis novum. Cur?

34. MANDATUM NOVUM DO VOBIS : UT DILIGATIS INVICEM. — Cur « novum? » Varii varias dant causas. S. Augustinus, « novum, » inquit, quia per dilectionem fidelis exuit veterem hominem et induit novum; Jansenius, « novum, » inquit, hoc est a Christo renovatum, eo quod in mentibus hominum foret antiquatum; Maldonatus, « novum, » id est præstans, eximium. Sicut *Apocal.* VII, dicuntur virgines canere « canticum novum, » id est singulare et eximium.

Verum dico mandatum dilectionis dici « novum, » quia novi Testamenti est proprium et præcipuum, ac a Christo verbis et exemplis præcipue commendatum, sicut ex adverso mandatum timoris erat antiquum et præcipuum apud Judæos. Lex enim nova est amoris, sicut lex vetus est timoris.

*Secundo*, « novum, » quia Christus hoc dilectionis mandatum hic explicatius, arctius et firmius quam antea fuerat, ac proinde novum, nobis tradidit, ideoque effudit Spiritum Sanctum in Pentecoste, ut novum hoc amoris mandatum novo amoris spiritu impleremus.

*Tertio*, et magis proprie ad rem præsentem, « novum » dicitur ratione novi objecti et causæ diligendi : Christo enim, qui est caput Ecclesiæ, incarnato, facta est singularis communicatio et unio membrorum Ecclesiæ, tum inter se, tum cum Christo capite suo jam homogeneo : unio, inquam, tum per naturam humanam a Christo assumptam, tum per gratiam, quam ipse in nos, ceu caput in membra, influit, tum maxime per Sacramentum Eucharistiæ hic recenter ab eo institutum, quæ unio fundamentum est et radix magis singularis et arctioris amoris Christi et Christianorum, majorisque obligationis ad amandum sese invicem; per hanc enim arcte uniti sumus non tantum humanitati Christi, sed et deitati totique S. Trinitati, ac in ea et per eam nobis invicem.

Hunc sensum innuit Christus, dum subdit : « Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, » *q. d.* Quia ego nove et singulariter dilexi vos, assumens carnem vestram eamque vobis dans quasi cibum animæ vestræ per Eucharistiam, quam paulo ante institui, ut in eo omnes vos mihi unirem, ac in me vos vobis mutuo arctissime copularem; hinc pariter exigo a vobis novum et singularem amorem, quo vos, o Christiani, invicem diligatis, non tantum sicut homo diligit hominem, quia ejusdem naturæ humanæ consortium, sed sicut Christianus diligere debet Christianum, id est eum qui summe sibi in Christo unitus, ejusdem Ecclesiæ et Eucharistiæ Christi est consors et particeps.

Recte enim advertit Toletus hoc Christi præceptum, non omnibus hominibus, sed solis Christianis hic dari : hi enim se invicem diligere debent, non tantum quasi proximos propter Deum, sed quasi fratres et unius corporis Christi membra, propter Christum.

Vide dicta I *Joan.* II, 8, ad illa : « Mandatum novum scribo vobis, » ubi fuse octo rationes recensui, ob quas dicitur « novum. »

« Hæc dilectio, ait Tertullianus, lib. *De Pa-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*licentia*, est summum fidei sacramentum, » id est signum et symbolum Christianorum. Unde idem Tertullianus, *Apolog.* cap. XXXIX, ait Gentiles admirantes hanc mutuam Christianorum dilectionem, dicere solitos : Videte quomodo Christiani se mutuo diligant, et ut alter pro altero mori sit paratus, ut ex uno patre et eadem matre nati videantur, quos nec lingua, nec natio, nec patria consuetudo, nec nativi loci diversitas divîdit. Hæc est illa, ait Toletus, quam si servaremus omnes, sicut non natio beatior ulla est quam Christiana, ita nec ulla foret illa fortior aut potentior. Unde S. Pachomius militans in exercitu Constantini Imperatoris, videns Christianorum charitatem, qua militibus cibum, potum omniaque necessaria ultro et gratis offerebant, a gentilismo conversus est ad christianismum, imo ad monachismum, adeoque cœnobiticæ vitæ fundator et princeps evasit.

SICUT DILEXI VOS, UT ET VOS DILIGATIS INVICEM. Ut scilicet sicut ego, cum in forma Dei essem, vestri amore formam servi assumpsi, ut vos docerem, salvarem, bearem : sic et vos ad infima et aspera quæque demittatis, ut vobis invicem succurratis ; ego jam pedes vestros lavi, et vos invicem pedes lavate ; ego me in cibum dedi in Eucharistia, et vos proximos vestros pascite ; ego jam pro vobis crucifigar et moriar, et vos mortem quamlibet corpoream excipite, ut animas salvetis : ego amavi vos nullis vestris meritis præcedentibus, cum inimici essetis ; amavi vos, non meam utilitatem, sed vestram salutem quærens, amavi usque ad sanguinis effusionem ; amavi, ita ut nihil tam abjectum et laboriosum esset, quod recusaverim, si vobis utile esset : hæc eadem vos præstare debetis fratribus. Ita S. Chrysostomus et Cyrillus. Hoc est quod ait Joannes, *epist.* I, cap. III, vers. 16 : « In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. »

Nota : Tò *sicut dilexi vos*, potest referri *primo*, ad id quod præcessit, quasi pertineat ad substantiam hujus mandati, *q. d.* Mando vobis ut diligatis vos invicem, simili modo quo ego dilexi vos, scilicet, ut, sicut ego prior dilexi vos, sic et vos priores diligatis invicem, et vos mutuo amore præveniatis. Ita S. Chrysostomus. Rursum, ut, sicut ego pro vita vestra spirituali dedi vitam meam corporalem, sic et vos pro salute animarum impendatis vitam corporis. Ita Cyrillus. *Secundo* et melius, referas τὸ « sicut dilexi vos, » ad id quod sequitur, « ut et vos diligatis invicem, » ne sit tautologia, et idem quod ante dictum est, iterum repetatur. Unde Complutenses, Toletus et alii ante τὸ *sicut dilexi vos*, ponunt duo puncta. Et Syrus clare hæc distinguens vertit, *præceptum novum do vobis, ut diligatis alius alium, prout ego dilexi vos, vos quoque diligatis alium*; ut prior pars significet substantiam præcepti, scilicet juberi ut diligamus nos invicem; posterior vero pars post duo puncta, significet modum præcepti, nimirum ut diligamus invicem, simili modo quo Christus nos dilexit, uti paulo ante exposui. Insuper, ut addat nobis stimulum acrem ad diligendum invicem, *q. d.* Stimulus ingens vobis, o Christiani (hos enim omnes Christus alloquitur, quia Apostoli hos omnes repræsentabant), ad mutuum amorem esse debet dilectio Christi, qua vos dilexit. *Primo*, quia Christus sicut vos dilexit, sic dilexit et socios vestros omnesque fideles; hos ergo, quos Christus adeo dilexit, vos quoque, o Christi asseclæ, diligite. *Secundo*, Christus vos diligens pro compensatione suæ dilectionis, hoc exigit a vobis, ut et vos diligatis proximos. Hanc ergo talionem dilectionis, et vicarium amorem illi rependite quoad potestis; nec enim vestra dilectio, utpote vilis et exigua, dilectionem Christi, utpote eximiam et inexhaustam, æquare poterit, etiamsi cresceret assidue usque ad diem judicii. *Tertio*, *q. d.* Christus : Ego proximos vestros vobis in dilectione mea conjunxi, astrinxi et associavi, æque ac in communione corporis et sanguinis mei in Eucharistia. Vos ergo ita vobis mutuo in me conjuncti, et quasi consanguinei, imo fratres effecti, ut tales vos invicem diligite et redamate.

35. IN HOC COGNOSCENT OMNES QUIA (quod) DISCIPULI MEI ESTIS, SI DILECTIONEM HABUERITIS AD INVICEM. — *q. d.* Schola mea est doctrina et disciplina dilectionis, schola mea est academia charitatis; si ergo me doctorem audire et sequi, si discipuli mei esse ac ut tales ab omnibus haberi et agnosci cupitis, vos invicem diligite. Hoc ergo privilegium soli concessum est charitati : non enim miracula, non ingenium, non eloquentia, non robur, non quid aliud, sed sola dilectio facit nos Christi discipulos, ait Chrysostomus. Ipse enim dilectionis est magister, primipilus, rex, dux et princeps.

Hinc dilectio proximi a S. Jacobo, cap. 2. vers. 8, vocatur lex regalis, ob septem causas, quas ibidem recensui. Hinc et Paulus, *Rom.* XIII, 8 : « Qui diligit proximum, ait, legem implevit. » Tales fuere primi Christiani, de quibus Lucas ait, *Act.* IV, 32 : « Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, erantque illis omnia communia. » Vide ibi dicta. Appositum exemplum dat Dorotheus doctrina sexta. Sicut, inquit, in circulo, lineæ a circonferentia ductæ ad centrum, quo magis accedunt ad centrum, eo magis accedunt ad se invicem; quo vero magis recedunt et elongantur a centro, eo magis recedunt a se invicem : sic pariter quo quis magis accedit ad amorem Dei et Christi, eo magis accedit ad amorem proximi; quantum vero recedit ab amore Dei, tantum quoque recedit ab amore proximi. Deus enim est centrum mundi, æque ac cordis et amoris nostri; proximi vero sunt quasi lineæ ductæ ad centrum. In Deo ergo omnis proximorum



amor coit et unitur. Audi S. Augustinum : « Non est prætermissum illud magnum mandatum de diligendo Deum : qui enim spiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit, nisi Deum? Sic et qui Deum diligit, non potest contemnere præcipientem ut diligat proximum; bene itaque intelligentibus utrumque mandatum invenitur in singulis. » Hinc S. Basilius, in *Regulis fusius disp.*, Reg. 3, docet nos amori Dei satisfacere per amorem proximi : « Quippe, ait, cum ipse beneficium illud perinde accipiat, ac si in se proprie fuisset collatum, » juxta illud : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, » *Matth.* XXV.

36. DICIT EI SIMON PETRUS : DOMINE, QUO VADIS? — Rogat hoc Petrus, non ut sciat, sed ut Christum, quem summe amabat, sequatur, ait Chrysostomus. Verum Petrus plus æquo de se præsumebat, ait Cyrillus; putabat enim se posse Christum sequi per omnia, quod necdum poterat. Unde Christus eum reprimens, subjicit : « Non potes me sequi modo, sequeris autem postea. »

Romæ extat locus sacello decoratus, ante portam S. Sebastiani, in quo Christus visibiliter occurrens S. Petro, e carcere Mamertino rogatu Christianorum fugienti rogantique : « Domine, quo vadis? » respondit : « Vado Romam iterum crucifigi. » Unde S. Petrus intelligens Christum de se loqui, Romam ad carcerem rediit ac paulo post a Nerone crucifixus est : quocirca sacellum illud usque hodie vocatur, « Domine, quo vadis? »

RESPONDIT JESUS : QUO EGO VADO, NON POTES ME MODO SEQUI, — quia necdum recepisti Spiritum Sanctum, cujus robore mortem superes, ait Cyrillus. Oportebat enim Christum præcedere et mortem superare, *q. d.* Nunc non habes eam animi firmitatem et id robur, ut pro me mori possis : veniet in te Spiritus Sanctus, et tunc poteris, ait S. Augustinus, *tract.* 66. Rursum, Petrum Christus destinarat, ut post se esset caput Apostolorum, Ecclesiæ princeps et gubernator ac Pontificatus Romani fundator, etc., hæc ergo prius Petrum peragere congruebat.

SEQUERIS AUTEM POSTEA — me in cruce, et per crucem ad cœlum. Ita Cyrillus. Hanc primam Christi sequelam in eadem cruce, merebatur tunc amor et fervor Petri.

37. DICIT EI PETRUS : QUARE NON POSSUM TE SEQUI MODO? ANIMAM (vitam) MEAM PRO TE PONAM. — Dicit hoc Petrus ex solito suo fervore et zelo, sed non secundum scientiam, ignaro scilicet et indiscreto : suspicabatur enim Christum ad mortem, uti prædixerat, ire : quare se comitem et fidum Achatem in omni periculo offert, *q. d.* Paratus sum tecum omnem periculorum aleam subire, offero me tibi socium ad omnia adversa, mortem tecum et pro te libens excipiam. Laudandus pius erga Christum Petri affectus, esto carens effectu et evanidus; necdum enim alas amoris, ad in tam sublimem crucem volandum, a Spiritu Sancto acceperat.

38. RESPONDIT EI JESUS : ANIMAM (vitam) TUAM PRO ME PONES? AMEN, AMEN DICO TIBI, NON CANTABIT GALLUS, DONEC TER ME NEGES. — Christus Petrum sibi præfidentem humiliat permittitque eum cadere in sui negationem, ut discat non suis viribus, sed Christi gratiæ confidere. Quocirca sæpius id Petro prædixit Christus : nam hæc apud Joannem prædictio diversa est ab aliis quas commemorant cæteri tres Evangelistæ. Porro, quando et quomodo Petrus ante secundum et ultimum galli cantum ter Christum negarit, ostendi *Matth.* cap. XXVI, vers. 70 et seq. Audi S. Chrysostomum, *homil.* 72 : « Experientia cognosces nihil esse dilectionem tuam sine gratia divina : unde constat hunc casum Jesum pro ipsius utilitate permisisse. » Et S. Augustinum, *tract.* 66 : « Itane facies pro me, quod ego nondum pro te? animam tuam pro me pones; præire potes, qui sequi non potes? quid tantum præsumis? quid esse te credis? audi quid sis : Non cantabit gallus, donec ter me neges. »

# CAPUT DECIMUM QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus abiens e terra solatur discipulos, dicens quod vadat eis parare locum in domo Patris. Secundo, vers. 6, Thomæ roganti :* Quo vadis? *et qua via? respondet Christus :* Ego sum via, veritas et vita; *ac Philippo cupienti sibi ostendi Patrem :* Philippe, *inquit*, qui videt me, videt et Patrem meum. *Tertio, vers. 16, promittit se suis alium Paracletum e cœlo missurum. Quarto, Judæ Thaddæo respondet eum se diligere, qui servat mandata sua. Quinto, vers. 27, pacem suam eis donat.*

1. Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis : quia vado parare vobis locum. 3. Et si abiero, et præparavero vobis locum : iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*ticentia*, est summum fidei sacramentum, » id est signum et symbolum Christianorum. Unde idem Tertullianus, *Apolog.* cap. XXXIX, ait Gentiles admirantes hanc mutuam Christianorum dilectionem, dicere solitos : Videte quomodo Christiani se mutuo diligant, et ut alter pro altero mori sit paratus, ut ex uno patre et eadem matre nati videantur, quos nec lingua, nec natio, nec patria consuetudo, nec nativi loci diversitas dividit. Hæc est illa, ait Toletus, quam si servaremus omnes, sicut non natio beatior ulla est quam Christiana, ita nec ulla foret illa fortior aut potentior. Unde S. Pachomius militans in exercitu Constantini Imperatoris, videns Christianorum charitatem, qua militibus cibum, potum omniaque necessaria ultro et gratis offerebant, a gentilismo conversus est ad christianismum, imo ad monachismum, adeoque cœnobiticæ vitæ fundator et princeps evasit.

Sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. Ut scilicet sicut ego, cum in forma Dei essem, vestri amore formam servi assumpsi, ut vos docerem, salvarem, bearem : sic et vos ad infima et aspera quæque demittatis, ut vobis invicem succurratis ; ego jam pedes vestros lavi, et vos invicem pedes lavate ; ego me in cibum dedi in Eucharistia, et vos proximos vestros pascite ; ego jam pro vobis crucifigar et moriar, et vos mortem quamlibet corpoream excipite, ut animas salvetis : ego amavi vos nullis vestris meritis præcedentibus, cum inimici essetis ; amavi vos, non meam utilitatem, sed vestram salutem quærens, amavi usque ad sanguinis effusionem ; amavi, ita ut nihil tam abjectum et laboriosum esset, quod recusaverim, si vobis utile esset : hæc eadem vos præstare debetis fratribus. Ita S. Chrysostomus et Cyrillus. Hoc est quod ait Joannes, *epist.* I, cap. III, vers. 16 : « In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. »

Nota : Τὸ *sicut dilexi vos*, potest referri *primo*, ad id quod præcessit, quasi pertineat ad substantiam hujus mandati, *q. d.* Mando vobis ut diligatis vos invicem, simili modo quo ego dilexi vos, scilicet, ut, sicut ego prior dilexi vos, sic et vos priores diligatis invicem, et vos mutuo amore præveniatis. Ita S. Chrysostomus. Rursum, ut, sicut ego pro vita vestra spirituali dedi vitam meam corporalem, sic et vos pro salute animarum impendatis vitam corporis. Ita Cyrillus. *Secundo* et melius, referas τὸ « sicut dilexi vos, » ad id quod sequitur, « ut et vos diligatis invicem, » ne sit tautologia, et idem quod ante dictum est, iterum repetatur. Unde Complutenses, Toletus et alii ante τὸ *sicut dilexi vos*, ponunt duo puncta. Et Syrus clare hæc distinguens vertit, *præceptum novum do vobis, ut diligatis alius alium, prout ego dilexi vos, vos quoque diligatis alium*; ut prior pars significet substantiam præcepti, scilicet juberi ut diligamus nos invicem; posterior vero pars post duo puncta, significet modum præcepti, nimirum ut diligamus invicem, simili modo quo Christus nos dilexit, uti paulo ante exposui. Insuper, ut addat nobis stimulum acrem ad diligendum invicem, *q. d.* Stimulus ingens vobis, o Christiani ( hos enim omnes Christus alloquitur, quia Apostoli hos omnes repræsentabant ), ad mutuum amorem esse debet dilectio Christi, qua vos dilexit. *Primo*, quia Christus sicut vos dilexit, sic dilexit et socios vestros omnesque fideles; hos ergo, quos Christus adeo dilexit, vos quoque, o Christi asseclæ, diligite. *Secundo*, Christus vos diligens pro compensatione suæ dilectionis, hoc exigit a vobis, ut et vos diligatis proximos. Hanc ergo talionem dilectionis, et vicarium amorem illi rependite quoad potestis; nec enim vestra dilectio, utpote vilis et exigua, dilectionem Christi, utpote eximiam et inexhaustam, æquare poterit, etiamsi cresceret assidue usque ad diem judicii. *Tertio*, *q. d.* Christus : Ego proximos vestros vobis in dilectione mea conjunxi, astrinxi et associavi, æque ac in communione corporis et sanguinis mei in Eucharistia. Vos ergo ita vobis mutuo in me conjuncti, et quasi consanguinei, imo fratres effecti, ut tales vos invicem diligite et redamate.

35. In hoc cognoscent omnes quia (quod) discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. — *q. d.* Schola mea est doctrina et disciplina dilectionis, schola mea est academia charitatis; si ergo me doctorem audire et sequi, si discipuli mei esse ac ut tales ab omnibus haberi et agnosci cupitis, vos invicem diligite. Hoc ergo privilegium soli concessum est charitati : non enim miracula, non ingenium, non eloquentia, non robur, non quid aliud, sed sola dilectio facit nos Christi discipulos, ait Chrysostomus. Ipse enim dilectionis est magister, primipilus, rex, dux et princeps.

Hinc dilectio proximi a S. Jacobo, cap. 2. vers. 8, vocatur lex regalis, ob septem causas, quas ibidem recensui. Hinc et Paulus, *Rom.* XIII, 8 : « Qui diligit proximum, ait, legem implevit. » Tales fuere primi Christiani, de quibus Lucas ait, *Act.* IV, 32 : « Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, erantque illis omnia communia. » Vide ibi dicta. Appositum exemplum dat Dorotheus doctrina sexta. Sicut, inquit, in circulo, lineæ a circonferentia ductæ ad centrum, quo magis accedunt ad centrum, eo magis accedunt ad se invicem; quo vero magis recedunt et elongantur a centro, eo magis recedunt a se invicem : sic pariter quo quis magis accedit ad amorem Dei et Christi, eo magis accedit ad amorem proximi; quantum vero recedit ab amore Dei, tantum quoque recedit ab amore proximi. Deus enim est centrum mundi, æque ac cordis et amoris nostri; proximi vero sunt quasi lineæ ductæ ad centrum. In Deo ergo omnis proximorum amor coit et unitur. Audi S. Augustinum : « Non est prætermissum illud magnum mandatum de diligendo Deum : qui enim spiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit, nisi Deum? Sic et qui Deum diligit, non potest contemnere præcipientem ut diligat proximum; bene itaque intelligentibus utrumque mandatum invenitur in singulis. » Hinc S. Basilius, in *Regulis fusius disp.*, Reg. 3, docet nos amori Dei satisfacere per amorem proximi : « Quippe, ait, cum ipse beneficium illud perinde accipiat, ac si in se proprie fuisset collatum, » juxta illud : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, » *Matth.* XXV.



36. Dicit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis? — Rogat hoc Petrus, non ut sciat, sed ut Christum, quem summe amabat, sequatur, ait Chrysostomus. Verum Petrus plus æquo de se præsumebat, ait Cyrillus; putabat enim se posse Christum sequi per omnia, quod necdum poterat. Unde Christus eum reprimens, subjicit : « Non potes me sequi modo, sequeris autem postea. »

Romæ extat locus sacello decoratus, ante portam S. Sebastiani, in quo Christus visibiliter occurrens S. Petro, e carcere Mamertino rogatu Christianorum fugienti rogantique : « Domine, quo vadis? » respondit : « Vado Romam iterum crucifigi. » Unde S. Petrus intelligens Christum de se loqui, Romam ad carcerem rediit ac paulo post a Nerone crucifixus est : quocirca sacellum illud usque hodie vocatur, « Domine, quo vadis? »

Respondit Jesus : Quo ego vado, non potes me modo sequi, — quia necdum recepisti Spiritum Sanctum, cujus robore mortem superes, ait Cyrillus. Oportebat enim Christum præcedere et mortem superare, *q. d.* Nunc non habes eam animi firmitatem et id robur, ut pro me mori possis : veniet in te Spiritus Sanctus, et tunc poteris, ait S. Augustinus, *tract.* 66. Rursum, Petrum Christus destinarat, ut post se esset caput Apostolorum, Ecclesiæ princeps et gubernator ac Pontificatus Romani fundator, etc., hæc ergo prius Petrum peragere congruebat.

Sequeris autem postea — me in cruce, et per crucem ad cœlum. Ita Cyrillus. Hanc primam Christi sequelam in eadem cruce, merebatur tunc amor et fervor Petri.

37. Dicit ei Petrus : Quare non possum te sequi modo? animam (vitam) meam pro te ponam. — Dicit hoc Petrus ex solito suo fervore et zelo, sed non secundum scientiam, ignaro scilicet et indiscreto : suspicabatur enim Christum ad mortem, uti prædixerat, ire : quare se comitem et fidum Achatem in omni periculo offert, *q. d.* Paratus sum tecum omnem periculorum aleam subire, offero me tibi socium ad omnia adversa, mortem tecum et pro te libens excipiam. Laudandus pius erga Christum Petri affectus, esto carens effectu et evanidus; necdum enim alas amoris, ad in tam sublimem crucem volandum, a Spiritu Sancto acceperat.

38. Respondit ei Jesus : Animam ( vitam ) tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges. — Christus Petrum sibi præfidentem humiliat permittitque eum cadere in sui negationem, ut discat non suis viribus, sed Christi gratiæ confidere. Quocirca sæpius id Petro prædixit Christus : nam hæc apud Joannem prædictio diversa est ab aliis quas commemorant cæteri tres Evangelistæ. Porro, quando et quomodo Petrus ante secundum et ultimum galli cantum ter Christum negarit, ostendi *Matth.* cap. XXVI, vers. 70 et seq. Audi S. Chrysostomum, *homil.* 72 : « Experientia cognosces nihil esse dilectionem tuam sine gratia divina : unde constat hunc casum Jesum pro ipsius utilitate permisisse. » Et S. Augustinum, *tract.* 66 : « Itane facies pro me, quod ego nondum pro te? animam tuam pro me pones; præire potes, qui sequi non potes? quid tantum præsumis? quid esse te credis? audi quid sis : Non cantabit gallus, donec ter me neges. »

# CAPUT DECIMUM QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

**Primo**, *Christus abiens e terra solatur discipulos, dicens quod vadat eis parare locum in domo Patris. Secundo, vers.* 6, *Thomæ roganti :* Quo vadis? *et qua via? respondet Christus :* Ego sum via, veritas et vita; *ac Philippo cupienti sibi ostendi Patrem :* Philippe, *inquit*, qui videt me, videt et Patrem meum. *Tertio, vers.* 16, *promittit se suis alium Paracletum e cœlo missurum. Quarto, Judæ Thaddæo respondet eum se diligere, qui servat mandata sua. Quinto, vers.* 27, *pacem suam eis donat.*

1. Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis : quia vado parare vobis locum. 3. Et si abiero, et præparavero vobis locum : iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

sum ego, et vos sitis. 4. Et quo ego vado, scitis, et viam scitis. 5. Dicit ei Thomas : Domine, nescimus quo vadis : et quomodo possumus viam scire? 6. Dicit ei Jesus : Ego sum via, et veritas, et vita : nemo venit ad Patrem, nisi per me. 7. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis : et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum. 8. Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. 9. Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis : Ostende nobis Patrem? 10. Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor, Pater autem in me manens, ipse facit opera. 11. Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? 12. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet; quia ego ad Patrem vado. 13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; ut glorificetur Pater in Filio. 14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. 15. Si diligitis me, mandata mea servate. 16. Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, 17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit. 18. Non relinquam vos orphanos : veniam ad vos. 19. Adhuc modicum, et mundus me jam non videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo, et vos vivetis. 20. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. 21. Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. 22. Dicit ei Judas, non ille Iscariotes : Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, et non mundo? 23. Respondit Jesus, et dixit ei : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. 24. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis, non est meus; sed ejus qui misit me, Patris. 25. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. 26. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. 28. Audistis quia ego dixi vobis : Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater major me est. 29. Et nunc dixi vobis priusquam fiat; ut, cum factum fuerit, credatis. 30. Jam non multa loquar vobiscum; venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. 31. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

1. NON TURBETUR COR VESTRUM. CREDITIS IN DEUM, ET IN ME CREDITE (1). — Videbat Christus animos discipulorum turbatos, hoc est mœstos, pavidos, anxios et consternatos, ex eo quod eis prædixerat instare suum discessum et passionem per proditionem Judæ ac scandalum Petri ter se negaturi. Timebant enim ne et ipsi, metu Judæorum victi, Christum negarent. Si enim Petrus, qui videbatur fortis ut petra, erat eum negaturus, quid facturi erant cæteri eo debiliores et timidiores? Huic turbationi medetur Christus dicens : « Creditis in Deum, et in me credite. »

Pro *creditis*, Græce est πιστεύετε, quod tam est imperativi modi, quam indicativi. Unde Syrus et Arabicus vertunt, *Credite in Deum, et in me credite.* Sensus est, *q. d.* Si creditis in Deum, uti scio vos credere, in me quoque credite et consequenter sperate. Ego enim sum Deus, Deo Patri consubstantialis, ut hac fide et fiducia omnem turbationem et pavorem superetis et promissorum meorum fiatis participes. Hoc enim fiet, si aciem mentis per fidem et spem in me uno defigatis, ac omnem pavorem vestrum, sollicitudinem et anxietatem in me, quasi Deum et Dominum vestrum conjiciatis. Ego enim esto corpore abeam a vobis, spiritu tamen, cura et gubernatione mea semper vobis adero.

(1) Christus quum arrogantiam Petri, confidentius quam par erat, de se prædicantis, cohibuisset, ut ille nihil auderet reponere, rursus ad omnes convertit orationem, idque eo consilio, ut vocem illam solatii plenissimam, *sequeris autem postea* (XIII, 36), pluribus verbis explanaret. Quæ promissio ad universos pariter pertinebat.



Audi S. Chrysostomum : Divinitatis virtutem ostendit, ea prodens quæ illi habebant in mente, *q. d.* Timetis adversa, quæ mihi et vobis imminent : metum ponite, quia fides in me et in Patrem, potentior est his quæ supervenient, et nihil contra eam potest prævalere. Et S. Augustinum : « Ne mortem Christi tanquam homines timerent, et ideo turbarentur, consolatur eos, Deum se esse contestans, *q. d.* Mortem metuitis huic formæ servi, non turbetur cor vestrum, suscitabit illam forma Dei. » Porro Christus hic facit, ait Ribera, quod facere solent agricolæ, qui vitem ut imbecillem ulmo adjungunt, ut inde firmitatem accipiat, ad scandendum et crescendum, etiam si venti et imbres in eam sæviant : ita Dominus ad se, tanquam ad murum firmissimum Apostolos adjungit per fidem, ut fiat illud *Psal.* XXVI : « Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo? » Audi et Cyrillum : « Quis superabit divinis armis undique cataphractos? arma vero, latusque clypeus, qui telis hostium frangi non potest, fides est. » Idem sibi a Christo dici putet Christianus, cum tentatione, turbatione aut pavore gravi pulsatur. Credis in Deum, et in Christum tuum crede; ille tibi aderit, vires dabit, viam evadendi aperiet, victorem te faciet.

Vers. 2. In domo Patris cœlestis mansiones multæ. 2. IN DOMO PATRIS MEI MANSIONES MULTÆ SUNT. — Dixerat Christus se iturum ad Patrem, et Petrum se postea eodem secuturum, de cæteris discipulis tacuerat : timebant ergo illi, ne domo Patris et cœlo excluderentur. Hunc timorem eis eximit Christus, *q. d.* Ne metuite : esto enim vos modo mecum comites in regnum Patris mei non assumam, tamen faciam ut me suo tempore sequamini, nec putetis solum Petrum me eodem secuturum, quasi ibi non sit locus nisi mihi et Petro, assero vobis ibidem vobis non defore locum, quia in domo Patris mei mansiones multæ sunt : quare non est quod timeatis ne illæ omnes a me et Petro, vel aliis præoccupentur, ut vobis in cœlo locus non supersit. Cœlum enim empyreum vastissimum est, et plurimas habet mansiones, quæ omnibus omnino hominibus capiendis sufficient. Audi S. Augustinum : « Hoc subjungit, quia sibi discipuli metuebant, cum Petro dictum esset : Non cantabit gallus, ut a turbatione recreentur, fidentes etiam post pericula tentationum, se apud Christum cum Deo mansuros esse. » Et Chrysostomum : « Quia Dominus dixerat Petro : Sequeris autem postea; ne existiment ei soli hanc promissionem datam, ostendit et illos etiam in eam regionem suscipiendos. »

Porro τὸ *multæ* insinuat varios in cœlo beatitudinis et gloriæ fore gradus et ordines, *q. d.* Suus cuique Sancto in cœlo erit locus, sua cuique beatitudo, sua cuique gloria, sed pro meritis dispar. Ita Patres contra Jovinianum, qui uti censebat virtutes esse pares, sic et paria eorum fore præmia in cœlo. Unde Interlinearis : Mansiones multæ, hoc est, inquit, diversa præmia meritorum.

Audi S. Augustinum : « Mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Est quidem denarius æqualis, id est vita æterna, quod ad æternitatem pertinet, sed sunt diversæ meritorum dignitates. Fit quidem per charitatem, ut quod habent singuli, commune sit omnibus : sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero, quod ipse non habet. Respuendus est autem illorum error, qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum cœlorum erit aliquid, ubi beati maneant parvuli ex hac vita decedentes sine baptismo : absit enim ut regnantium quisquam sit extra regnum; nec Dominus dixit, in beatitudine, sed in domo Patris mei. »

Rursum S. Gregorius, lib. IV *Moral.*, cap. XXXI : « In multis mansionibus, ait, erit retributionum diversitas concors : quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Unde et non æque laborantes in vinea, æque cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem mansiones multæ sunt; et tamen eumdem denarium dispares laboratores accipiunt, quia una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnium sublimitas vitæ. » Has mansiones multas, magnitudine lucis plenas, Stephano cuidam ostensas narrat idem S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. XXXVI. Igitur Christus hisce verbis, et hac ostentatione præmii cœlestis, animat Apostolos, ut tentationes et persecutiones sibi imminentes non reformident, sed ambiant, utpote per quas præmium hoc consecuturi sint.

SI QUO MINUS, DIXISSEM VOBIS : QUIA VADO VOBIS PARARE LOCUM. — « Si quo minus, » id est si secus esset, si aliter se res haberet, si videlicet in domo Patris non essent mansiones multæ, « dixissem vobis quia (quod) vado parare vobis locum, » *q. d.* Dixissem quod a vobis abeam, et vadam ut parem vobis locum in cœlo, nisi jam ibidem multæ mansiones paratæ essent; sed quia illæ jam paratæ sunt, idcirco non dixi vobis : Vadam illas paratum. Secundo, ex Græco et Syro, qui carent τὸ *quia*, Arias Montanus et Ribera sic simpliciter exponunt, *q. d.* Multæ mansiones sunt in domo Patris mei : quod si ita non esset, plane vobis dicerem, nec vos vana spe deciperem, quoniam eo ut parem vobis locum, *q. d.* Cum tantum vos amem, ut recedam a vobis causa parandi vobis locum, quomodo hoc non dicerem, aut in re tanta paterer decipi, quos tantopere diligo? parare autem locum est in possessionem cœli venire, quod usque ad illud tempus fuerat hominibus clausum, *q. d.* Me ascendente aperientur vobis cœli, juxta illud : « Attollite portas principes vestras, et introibit rex gloriæ. » Et *Michææ* II : « Ascendet enim pandens iter ante eos. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dices : Si Apostolis jam paratæ erant mansiones in cœlo, quomodo ergo Christus vadit parare eis locum? Respondeo : Utrumque verum est. Nam *primo*, hæ mansiones a Deo paratæ erant Apostolis et cæteris electis ab æterno, ex Dei prædestinatione quasi in actu primo. *Secundo*, Christus tamen vadit, ut paret eas quasi in actu secundo, ut scilicet de facto Apostolos in eas inducat : tum quia Christus iter in cœlum, antea clausum et invium, ... in illud ascensione aperuit, stravit et complanavit; tum quia ipse sanguine suo et morte in cruce, solvit Deo pretium mansionum harum cœlestium, illoque eas nobis coemit : ita S. Cyrillus; tum proprie, quia Christus e cœlis misit Spiritum Sanctum, qui sua gratia, virtutibus et meritis heroicis Apostolos cæterosque electos cœlo dignos efficeret. Ita S. Augustinus : « Quomodo, ait, parat, si jam multæ sunt? nondum sunt si parandæ sunt : easdem quas prædestinando præparavit, præparat operando. Jam ergo sunt in prædestinatione; alioqui dixisset : Ibo et præparabo, id est prædestinabo; sed quia nondum sunt in operatione; dicit : Si abiero et præparavero, etc. Parat modo mansiones, præparando mansores : domus enim Dei, de qua Apostolus, Templum Dei sanctum quod estis vos, adhuc ædificatur, adhuc præparatur; dicitur vero abire, ut præparet, quia justus ex fide vivit : si autem vides, non est fides; id ne videatur, latet ut credatur : tunc locus paratur, si ex fide vivatur, creditus desideretur, ut desideratus habeatur : vadit latendo, venit apparendo, sed nisi maneat regendo, ut proficiamus bene vivendo, non parabitur locus, ubi possimus permanere perfruendo. » Et Glossa : « Credendi colligitur meritum, eunti redditur præmium, desiderium dilectionis præparatio est mansionis. »

3. ET SI ABIERO, ET PRÆPARAVERO VOBIS LOCUM : ITERUM VENIO, ET ACCIPIAM VOS AD MEIPSUM, UT UBI SUM EGO, ET VOS SITIS. — « Si, » id est *cum*, *q. d.* Cum in cœlum abiero, ibique vobis vestrisque successoribus, id est omnibus electis, locum præparavero, dando eis successive per singula sæcula usque ad finem mundi, Spiritum Sanctum ejusque gratiam et merita, quibus se ad gloriam cœlestem præparent eaque se dignos efficiant : quo facto iterum veniam in die judicii, ut vos omnes accipiam ad meipsum, ut digno præmio in cœlis coronem. Sæpe enim in Evangeliis prædixit Christus se rediturum in extremo judicio, ut fideles et Apostolos, qui pro eo laborarunt et multa passi sunt, ad se recipiat et glorificet.

4. ET QUO VADO, SCITIS, ET VIAM SCITIS. — « Scitis, » id est scire facile potestis et debetis, quia sæpe a me audistis quod eam ad Patrem in cœlum, ac viam in cœlum esse meam fidem, doctrinam, vitam, passionem et crucem. Et sciebant Apostoli Christum hæc dixisse; sed necdum illa intelligebant, unde nec eorum meminerant. Unde Augustinus : « Sciebant quidem, ait, sed se scire nesciebant; » sciebant habitu, nesciebant actu : sciebant confuse et obscure, nesciebant distincte et in particulari, quomodo scilicet Christus sit via, Pater vero sit meta et terminus viæ. Ita Ribera, Toletus, Maldonatus et alii.

5. DICIT EI THOMAS : DOMINE, NESCIMUS QUO VADIS, ET QUOMODO POSSUMUS VIAM SCIRE? — *q. d.* Cum nesciamus quo eas, quomodo possumus scire viam, quæ eo, quo is, tendit? qui enim nescit terminum, viam quoque ad terminum nesciat oportet. Audivimus quidem te dicere, quod eas in domum Patris tui, ubi mansiones multæ sunt, parare nobis locum; sed ubi est hæc domus Patris? ubi mansiones illæ multæ? Si domus hæc est cœlum, uti suspicamur, clarius et explicatius nobis idipsum edicito, plenius has mansiones exponito, ubinam et in qua regione illæ sitæ sunt? Magna enim, et quasi immensa est cœli, imo cœlorum plurium vastitas. Ita Thomas. « Christus vero, ait Cyrillus, nihil ad tantam curiositatem respondit : non enim totam rem exponit; sed ea opportuno tempori relicta, quod modo necessarium est, illud explanat. » Unde sequitur :

6. DICIT EI JESUS : EGO SUM VIA, ET VERITAS, ET VITA. — Breviter sensus genuinus est, *q. d.* Quæris, o Thoma, duo, scilicet meam viam et ejus terminum, nimirum quo vadam et qua via? Respondeo : Ego sum via, quam quæris; via, inquam, non fallax, sed vera, quæ ducit ad veram vitam, puta ad Deum Patrem in cœlis, ubi est domus Patris mei, in qua mansiones multas esse dixi; unde id explicans, subdit : « Nemo venit ad Patrem nisi per me. » Pater ergo est terminus; ego sum via. Est hendiadys : « Via et veritas, » id est via vera. Rursum, « veritas et vita, » est vera vita. Tò enim « veritas, » cum ponatur inter τὸ « via et vita, » ad utrumque referri potest. Jam : « Ego sum via, » hoc est mea fides, doctrina, gratia et vita est via quæ ducit ad cœlum. Sæpe enim in Scriptura Christus ponitur pro adjunctis Christo, puta pro Christi fide, gratia, doctrina. Aut « ego sum via, » id est ego sum doctor, index et dux viæ veræ, quæ recta ducit ad æternam et beatam vitam, *q. d.* « Ego sum via, » quia indico et doceo veram fidem et sanctam conversationem, quæ vera est via ad vitam æternam. Alludit ad illud *Isaiæ* XXX : « Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : hæc est via, ambulate in ea. »

Vers. 6. Christus est via, veritas et vita.

Verum, quia aliæ viæ sunt veræ et rectæ, aliæ falsæ et erroneæ, juxta illud : « Est via quæ homini videtur recta, et novissima ejus ducunt ad mortem, » *Prov.* XVI, hinc Christus vocatur « via et veritas, » id est via vera et recta, juxta illud *Isaiæ* XXXV : « Et hæc vobis erit directa via, ita ut stulti non errent per eam, » *q. d.* Judæi, Gentiles et philosophi multa dixerunt et docuerunt de beatitudine et beata vita, et de virtutibus : quæ quasi via ad illam ducunt, sed in multos errores inciderunt, ideoque homines non ad vitam, sed ad interitum et gehennam duxerunt : quia sicut non veram, sed fucatam et falsam beatitudinem, beatamque vitam constituerunt in opibus, honoribus, deliciis et vanis scientiis; sic non veram, sed fucatam et falsam vitam ad beatam vitam inierunt aliosque docuerunt. At ego doceo veram fidem, pietatem, charitatem cæterasque virtutes quibus quasi recta via pervenitur ad veram vitam æternam, quæ est apud Patrem et consequenter apud me. Nam ego et Pater unum sumus. Sicut ergo Pater est vita beata tum formalis, tum causalis, quia eamdem nobis communicat; tum objectiva, quia Deus est objectum visionis beatificæ, sic et ego sum eadem ipsa veritas et vita. Ego sum ergo, qui rectam viam in cœlum vobis demonstro; ego sum qui quasi veritas omni errore mentis vos libero; ego sum, qui ad veram vitam vos duco. Quare nolite turbari mea morte instante et vestra secutura; sed credite et sperate in me. Ego enim tam me quam vos a morte ad beatam vitam et gloriosam suscitabo; ego enim sum via, veritas et vita.

Hinc patet quod Christus sit via. *Primo*, quia ipse per meritum passionis suæ nobis viam in cœlum aperuit. Ita Jansenius et Maldonatus. *Secundo*, quia ipse sua doctrina nobis viam eamdem ostendit. *Tertio*, quia ipse inspirat nobis fidem, gratiam et sancta opera meritaque, quibus quasi viis tendimus ad vitam æternam. *Quarto*, quia ipse hanc viam in cœlum sua sancta vita et passione præivit primusque calcavit, ut eum in eadem sequentes et imitantes, perveniamus ad cœlum quo ipse ascendit et pervenit.

Hic est genuinus hujus loci sensus. Verum, quia aurea hæc est Christi gnome, audi varios et elegantes Patrum de eo partim sensus, partim sententias.

*Primo* igitur, S. Leo, serm. 2 *De Resurrect.* : « Christus, ait, est via sanctæ conversationis, veritas doctrinæ divinæ, vita beatitudinis sempiternæ. »

*Secundo*, S. Cyrillus, lib. IX, cap. XXXIII, Christus, ait, nobis est via per vitæ actionem, veritas per fidei rectitudinem, vita per sanctificationis fontem. Additque : « Tria sunt, ait, necessaria ut cœlestes mansiones consequamur, operatio virtutis, fides recta, spes vitæ; » et ideo Dominus dixit : « Ego sum via, » quia legem nobis dedit, et verbo et exemplo docuit nos mundum contemnere et sancte operari. Veritas est, quia ipse est rectissima regula fidei nostræ et docuit nos veritates divinas. Vita est, quia vitam quam speramus, nemo nobis largiri potest nisi ipse. Sic sensus erit, *q. d.* Nemo venit ad Patrem (qui est ipsa vera vita et beatitudo) nisi per charitatem ambulet in me, qui sum via; ac per fidem credat in me, qui sum veritas; et per spem confidat in me, qui sum vita æterna.

*Tertio*, S. Bernardus, serm. 2 *De Ascens.* : « Sequamur, ait, Domine te, per te, ad te, quia tu es via, veritas et vita : via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. » Idem Bernardus, serm. 7 *in Cœna Domini* : « Ego, ait, sum via, per quam est eundum; et veritas, ad quam veniendum; et vita, in qua permanendum. Ego sum via sine errore, veritas sine falsitate, vita sine morte. Ego sum via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Ego sum via habilis, veritas irrevocabilis, vita interminabilis. Ego sum via lata et spatiosa, veritas potens et copiosa, vita delectabilis et gloriosa. » Hucusque S. Bernardus, vel quisquis est auctor; stylus enim arguit alium esse auctorem.

*Quarto*, S. Augustinus : Christus, ait, est via secundum humanitatem, qua ad nos venit et rediit ad Patrem; idem est veritas et vita secundum divinitatem. Audi eum, serm. 55 *De Verbis Domini secundum Joannem* : « Qua vis ire? ego sum via; quo vis ire? ego sum veritas; ubi vis permanere? ego sum vita. Veritatem et vitam omnis homo cupit; etiam Philosophi Deum esse vitam quamdam et veritatem viderunt, viam non omnis invenit. Verbum ergo Dei, quod apud Patrem est veritas et vita, assumendo hominem, factum est via : ambula per hominem et pervenies ad Deum; melius est in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare. » Idem Augustinus hic, *tract.* 69 : « Per formam servi, ait, Dominus venit ad nos et rediit ad se, carnem de morte ad vitam reducens : venerat per carnem Deus ad homines, veritas ad mendaces : est autem Deus verax, sed omnis homo mendax; non reliquit autem se, cum veniret ad nos : nam et qui loquitur, quodammodo ad auditores procedit, nec se relinquit; cum autem tacet, veluti ad se redit, et cum illis manet, si teneant quod audierunt. Ipse Dominus per seipsum, et ad seipsum, et ad Patrem, et nos per ipsum, et ad ipsum, et ad Patrem imus. »

*Quinto*, S. Hilarius, lib. VII *De Trinit.* : « Non nos seducit, ait, qui via est; nec illicit per falsa, qui veritas est; nec in mortis relinquit horrore, qui vita est. » Idem, lib. *De Essentia Patris et Filii* : « Nec ducit, ait, per erratica, quia est via; nec illudit per falsa, quia est veritas; nec in mortis horrore relinquit, quia est vita : si via, duce alio non indigetis; si veritas, non loquor falsa; si vita, etiam morientes ad me venietis. »

*Sexto*, S. Chrysostomus, hom. 72 : « Sum via, ait, quia per me venietis; sum veritas, quia sine dubio hæc erunt quæ dixi; sum vita, quia neque ipsa mors prohibere poterit, quo minus ad me perveniatis. » Huc accedit Toletus, qui sic explicat : « Ego sum via, » quia per me a peccato ad justitiam, ab hoc sæculo ad æternam beatitudinem transeundum est. « Ego sum veritas, » quia justitiam et beatitudinem, quam promitto,

reipsa præsto; ergo ne dubitetis me venturum ad vos et assumpturum ad me. At ne aliquando turbemini, cum vos occidi et necari propter me videritis, dicentes : Quomodo ergo ibimus ad te? « Ego sum vita, » qui vos resurgere a morte faciam, ut assumam vos ad me; mors enim non poterit impedire quominus ad me veniatis, quia ego sum vitæ causa.

*Septimo*, S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, cap. XII : « Christus ait : Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Ingrediamur hanc viam, teneamus veritatem, vitam sequamur. Via est quæ perducit, veritas quæ confirmat, vita quæ perseverantibus redditur. » Et post pauca : « Sequimur te, Domine Jesu, sed ut sequamur accersi, quia sine te nullus ascendit. Tu enim via es, veritas et vita, quia in via possibilitas, in veritate fides, in vita præmium. Suscipe nos quasi via, confirma quasi veritas, vivifica quasi vita. »

Symbolice : Christus est via incipientium, purgans eos per odium peccati et detestationem vitæ prioris; idem est veritas proficientium, illuminans eos per exempla virtutum ac studium novæ sanctæque conversationis; idem est vita perfectorum, uniens eos Deo, per puri amoris affectum. Audi S. Bernardum, serm. 7 *in Cœna Domini*, multa conglomerantem : « Ego sum via incipientium, veritas proficientium, vita pervenientium; ego sum via lucis et serena, veritas vivens absque pœna, vita felix et amœna; ego sum via in patibulo, veritas in inferno, vita in resurrectionis gaudio; ego sum via, in qua non est spina vel tribulus; veritas, in qua non est falsitatis stimulus; vita, in qua reviviscit mortuus; ego sum via recta, veritas perfecta, vita sine fine mansura; ego sum via reconciliationis, veritas retributionis, vita æternæ beatitudinis. Nemo venit ad Patrem, nisi per me, *q. d.* Nemo venit ad me veritatem et vitam, nisi per me viam. »

Tropologice : S. Basilius notat Christum dici viam, ut denotet Christianos quotidie in via virtutis ambulare et proficere debere, juxta illud Psaltis : « Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion. Audientes viam, ait, seriem et ordinem intelligimus per opera justitiæ, perque illuminationem scientiæ ducentem ad legitimum profectum, semper ad anteriora festinantes, et ad ea quæ restant nosmetipsos extendentes, donec perveniamus ad beatum finem, quæ est Dei cognitio, quam Dominus per sese, in ipsum credentibus largietur. Revera enim bona est via, exorbitationis errorisque nescia, Dominus noster Jesus, ad Patrem, qui vere est bonus, perducens. Nemo, inquit, venit ad Patrem, nisi per me. Talis est noster ad Deum reditus per Filium. » Hucusque S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. VIII, qui Christum ait esse viam, non tantum per fidem, sed etiam per operationem virtutum. Rursum Theophylactus : Cum exerces, inquit, vitam activam, fit tibi Christus via; veritas autem, cum in contemplativa perseveras; adjecta est autem vita, quia ad Deum referenda est actio et contemplatio.

Anagogice S. Augustinus, in *Sententiis*, n. 288 : « Dominus ait : Ego sum via, veritas et vita, id est per me venitur, ad me pervenitur, in me manetur. Cum enim ad ipsum pervenitur, etiam ad Patrem pervenitur, quia per æqualem ille cui æqualis est cognoscitur, vinciente atque agglutinante nos Spiritu Sancto, ut in summo atque incommutabili bono sine fine maneamus. » Hinc S. Bernardus moriens apparuit cuidam absenti dicens se sursum conscendere, « quia sursum est veritas : » nam in terra deorsum nil est nisi vanitas et falsitas, ut docet Ecclesiastes. « Nulla (aiebat S. Bernardus) hic scientia, nulla veri cognitio; sursum scientiæ plenitudo, sursum vera notitia veritatis. » Ita habet Vita ejus, lib. V, cap. III. Et S. Benedicto moriente, de eo duobus ejus monachis hæc visio exhibita est. « Viderunt namque, ait S. Gregorius, lib. II *Dialog.*, cap. XXXVII, quia strata palliis atque innumeris corusca lampadibus, via recto Orientis tramite ab ejus cella in cœlum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cujus esset via quam cernerent, inquisivit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait : Hæc est via, qua dilectus Domino cœlum Benedictus ascendit. »

NEMO ENIM VENIT AD PATREM, NISI PER ME. — Ego enim sum via ad Patrem, qui est terminus : Pater enim est ipsa vita beata, omnes Sanctos beans, uti jam dixi. « Nemo, » scilicet hominum. Addit Suarez : « nemo » quoque angelorum; hos omnes enim omnem suam gratiam et gloriam accepisse a Christo ejusque meritis, ipse censet multisque probat, III *part.*, *Quæst.* XIX, art. 4, disp. XLII, sect. 1.

7. SI COGNOVISSETIS ME, ET PATREM MEUM UTIQUE COGNOVISSETIS. — Occurrit Christus objectioni. Poterant enim discipuli objicere : Tu, o Christe, asseris te esse viam, Patrem vero terminum ad quem vadis. At nos non cognoscimus Patrem; unde nec cognoscimus terminum ad quem tibi nobisque eundum est; fac ergo ut Patrem cognoscamus. Rursum, si Pater est terminus, tu via, quomodo ergo dixisti : « Ego sum via, veritas et vita, » id est ego sum via et terminus viæ? Respondet Christus utrumque esse verum. Ego enim, inquit, unam cum Patre habeo essentiam, unam eamdemque divinitatem. Quare « si cognovissetis me » plane et perfecte, « et Patrem meum utique cognovissetis. » Cognoscebant quidem et credebant Apostoli Christum esse Dei Filium, sed necdum credebant eum esse consubstantialem Patri, et eamdem numero cum eo habere essentiam et deitatem, sed id postea recepto Spiritu Sancto cognoverunt. Unde subdit :

ET AMODO COGNOSCETIS EUM, ET VIDISTIS EUM. — Ita Romani, S. Chrysostomus quoque et S. Hilarius legunt « cognoscetis » in futuro; *q. d.* Jam jam cognoscetis Patrem in Pentecoste per illuminationem Spiritus Sancti, imo jam vidistis eum in me : « qui » enim « videt me, videt et Patrem meum, » uti subdit Christus. Græcus, Syrus et Arabicus habent, γινώσκετε, id est *cognoscitis*, in præsenti; *q. d.* Jam cognoscitis Patrem, quia vidistis eum in me tot virtutes et miracula operantem. Esto enim non videritis eum nude in sua essentia et deitate, vidistis tamen eum velatum in me meaque humanitate ceu nube, per signa et miracula, quæ quasi fulmina et tonitrua ex ea evibrat. Ita Cyrillus, Chrysostomus et alii.

Vers. 8. Petit Philippus a Christo ut sibi Patrem ostendat.

8. DICIT EI PHILIPPUS : DOMINE, OSTENDE NOBIS PATREM, ET SUFFICIT NOBIS. — Philippus non intellexit responsum Christi, quomodo scilicet qui cognoscit Christum, cognoscat et Patrem; instat ergo ut Christus Patrem ipsum ostendat, *q. d.* Ais Patrem in te esse, et quasi latere absconditum. Aperi te, et eum nobis ostende. Pater enim est principium, fons et origo divinitatis, ut ait S. Dionysius, cap. III *De Divin. nomin.*; S. Augustinus, lib. V *De Trinit.*, cap. XIII et XIV; et Concilium Toletanum VI, in *Confess. fidei*.

ET SUFFICIT NOBIS. — *Primo*, S. Chrysostomus, *q. d.* Non aliud cupimus, quam ostendi nobis Patrem.

*Secundo*, S. Cyrillus, « sufficit nobis, » scilicet ad beatitudinem, ut omni turbatione, mœrore et pavore liberemur, quia Pater cum sit Deus, ipse beabit nos.

*Tertio*, « sufficit nobis, » ad confundendum Judæos, qui negant te esse Dei Filium. Ita quoque Cyrillus.

*Quarto*, simplicius, « sufficit nobis, » ut tibi, iisque quæ jam dixisti et nobis promisisti de mansionibus multis in cœlo, credamus et fidem adhibeamus, *q. d.* Pro omnibus rationibus quas, o Christe, accumulas, ut nos de tua morte mœstos soleris, unam poscimus, ut ostendas nobis Patrem; hæc enim una nobis vice omnium erit et sufficiet. Sic fere S. Hilarius, lib. VII *De Trinit.*

Anagogice Interlinearis : Pater sufficiet nobis, quia in eo sufficientia erit nobis. Et Glossa, *q. d.* In quo sufficientia, et non in te. Audi S. Augustinum, lib. I *De Trinit.*, cap. VIII : « Illa lætitia, quæ nos adimplebit cum vultu suo, nihil amplius requiritur; quod bene intellexerat Philippus, ut diceret : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis; sed nondum intellexerat se posse dicere : Domine, ostende nobis te, et sufficit nobis; quod ut intelligeret, responsum est ei : Tanto tempore vobiscum sum, » etc.

Hinc verum est illud S. Augustini : « Sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus tuus. Deus enim est *Saddai*, id est sufficientia, copia, abundantia bonorum omnium, uti ostendi *Genes.* XVII, 1. Ipse enim solus est saties cordis, requies animi, jubilus mentium. Unde Psaltes : « Satiabimur cum apparuerit gloria tua, » *Psalm.* XVI, 15. Et : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, » *Psalm.* XXXV, 9. Et : « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? defecit caro mea et cor meum. Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum, » *Psalm.* LXXII, 25.

Ratio a priori est, quod Deus hominem crearit ad imaginem et similitudinem suam; quare indidit ei capacitatem infinitam et desiderium infinitum, quod multis bonis finitis expleri et satiari non potest. Ergo necessum est, ut solus Deus, qui est bonum infinitum, illud impleat et satiet, juxta illud S. Augustini, lib. I *Confes.*, cap. I : « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. » Unde idem S. Augustinus, in *Psalm.* CII : « Pecori, ait, bonum est implere ventrem, dormire, gustare, vivere, sanum esse, generare. Tale tu bonum quæris? Cohæres Christi, quid gaudes quod socius es pecorum? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium, ipse erit bonum, a quo tu in tuo genere factus es bonus et omnia in genere suo facta sunt bona : qui satiat in bonis desiderium tuum. » Idem, in *Psalm.* LXII : « Amas divitias, ait, ipse Deus tibi erit divitiæ tuæ; amas fontem bonum? quid præclarius illa sapientia? quid lucidius? Quidquid hic potest amari, pro omnibus tibi erit, qui fecit omnia. Tanquam adipe et pinguedine repleatur anima mea. »

9. DICIT EI JESUS : TANTO TEMPORE VOBISCUM SUM (per triennium conversatus docui vos quis ego sim), ET NON COGNOVISTIS (Græca, Chrysostomus et Cyrillus legunt, *non cognovisti* in singulari) ME, — quod scilicet non tantum sim homo, sed et Dei Filius, non essentia et existentia ab eo diversus, sed ipsi Deo Patri ὁμοούσιος et consubstantialis. Idcirco enim me viso cupis videre Patrem, quod putes Patrem a me plane esse diversum et diversam habere naturam, *q. d.* Vidi Jesum Dei Filium, superest ut videam ejus Patrem ab eo diversum, uti apud homines fit. Hæc est radix erroris tui; quocirca eam succidens, tibi assevero, dicoque :

PHILIPPE, QUI VIDET ME, VIDET ET PATREM. — *q. d.* Cum ego et Pater unum plane et idem simus, puta una essentia divina, una, inquam, non tantum specie, sed una in individuo; hinc qui videt me per humanitatem quam assumpsi, eo modo quo videt me, videt et Patrem meum, quia ego et Pater unum sumus. Ubi nota : In Christo humanitas videbatur per se, divinitas vero per accidens, quia non in se, sed tantum per humanitatem videbatur, sicut videtur anima per corpus, in quo movetur et operatur. Quare qui oculo corporeo (de quo maxime rogabat Philippus, et respondebat Christus; nam oculo mentis ait, illos se non cognovisse, scilicet plene et perfecte) videbat per se hunc hominem, puta Jesum, indirecte et per accidens videbat ejus deitatem, quia hic homo revera erat Deus. Quocirca cum unus idemque sit Deus, qua ratione videbat Deum

Qui videt Christum, videt et Patrem, quo sensu?



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Filium, eadem videbat et Deum Patrem; loquor quoad essentiam, quæ utrique eadem est et communis, non quoad personam : persona enim Filii assumpsit humanitatem, non vero persona Patris. Quare qui directe videbat hunc hominem, directe videbat personam Filii Dei in homine latentem, non vero personam Patris, nisi per concomitantiam, uti dicam vers. 10. Simili modo, qui oculo mentis videbat, et ex miraculis cognoscebat hunc hominem, puta Jesum esse Dei Filium, cognoscebat quoque ex eisdem Deum esse ejus Patrem, tum quia Deum Filium nemo generare potest, nisi Deus Pater; tum quia una est tantum divinitas, quæ proinde eadem numero est in Patre et Filio : quare qui videt sive cognoscit deitatem Filii, cognoscit quoque deitatem Patris, cum una sit eademque. Ita S. Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, Hilarius et alii Patres passim contra Arianos, qui ex hoc loco probant *primo*, Jesum vere fuisse Deum, ita ut qui videret hunc hominem, videret pariter et Deum. *Secundo*, aliam esse personam Filii Dei, aliam Dei Patris : quod negabat Sabellius; hanc enim diversitatem personarum notant hæ voces : « Me et Patrem meum; » alia enim est persona Patris, alia Filii, utpote a Patre geniti. *Tertio*, Filium esse Patri ἴσον, nisi enim esset ἴσος Patri, posset videri Filius non viso Patre, et vice versa posset videri Pater non viso Filio, ut in humanis fit, ubi sæpe filii cognoscuntur non cognitis parentibus. Erras ergo, o Philippe, dum viso me cupis videre Patrem, quasi alium Deum aliamque deitatem sis visurus, cum non nisi una sit eademque : « Quomodo ergo tu dicis : Ostende nobis Patrem? » Jam enim eum tibi in meipso ostendi, uti dixi.

Denique Hilarius, lib. VII *De Trinit.*, et Ribera censent eum qui videt Filium, videre et Patrem; quia Filius est character et figura substantiæ Patris, id est expressa plenaque imago et similitudo Patris, sicut in imagine expressa in cera videtur ipsa forma sigilli, ex quo impressa est. Verum Christus hic non tam agit de similitudine, quam de identitate naturæ divinæ, ut recte advertit Toletus.

Hic verus est sensus, quo Christus directe respondet interrogationi et menti Philippi; verum quia Christus arrepta interrogationis occasione solet altius assurgere et auditores evehere, ac sublimiora docere eodemque sermone complecti; hinc *secundo*, hic locus accipi potest de omni et propria cognitione Patris et Filii, sive per fidem, sive per speciem, *q. d.* Qui videt me secundum divinitatem, videt et Patrem, quia licet ipse sit a me distinctus, tamen ego in ipso sum et ipse in me est per naturæ identitatem; quare qui videt, id est credit, me esse Dei Filium, videt pariter, id est credit, Deum esse meum Patrem; et qui per visionem beatificam videt me intuitive, intuitive videt et Patrem. Ita ex S. Cyrillo, Augustino, Chrysostomo et Hilario, Maldonatus hic, et Suarez, lib. *De Attrib. divin.*, cap. XXIII, n. 11, qui hinc docet Beatos videntes divinam essentiam, videre pariter tres in illa personas.

10. NON CREDITIS QUIA EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST? — Nota *primo* : Hic rursus significatur distinctio personarum divinarum; nec enim recte quis dicitur esse in seipso, sed in alio. *Secundo*, significatur identitas naturæ divinæ; quia enim Pater et Filius sunt et existunt in una eademque natura divina; hinc Pater est in Filio et Filius in Patre. Probat id Christus ex effectu, quia scilicet ipse doctrinam et opera sua habebat a Patre et cum Patre communia; ergo et eamdem cum eo naturam habebat communem. Ita Cyrillus et Leontius. Hinc consequenter, *tertio*, hac gnome significatur perfecta et intima conjunctio et inhabitatio unius personæ divinæ in alia, et e converso, qua fit ut Pater sit in Filio et Spiritu Sancto, Filius in Patre et Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus in Patre et Filio; quam Damascenus, lib. I *De fide*, cap. XI, vocat περιχώρησιν, et ex illo Scholastici vocant circumincessionem; de quo mysterio agit S. Augustinus, lib. VI *De Trinit.*, cap. ult.; S. Hilarius, lib. IV *De Trinit.*; S. Ambrosius, in cap. XIII *epist.* II *ad Corinth.* « Singula, ait S. Augustinus, sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. » Singulæ ergo personæ divinæ in aliis singulis non tantum quoad essentiam, sed etiam quoad relationem et personam sibi propriam inexistunt, quia omnes sibi invicem sunt intimæ et conjunctissimæ, uti ex Suarez et aliis fusius ostendi *Isaiæ* XLV, 14, ad illa : « Tantum in te est Deus. » Unde sequitur, quod qui plene cognoscit videtque unam personam, v. g., Filium, uti vident Beati, non tantum videat deitatem communem Patri et Filio, sed videat quoque ipsam personam Patris, tum quia persona Patris est intima personæ Filii, tum quia ad eam relationem et ordinem essentialem includit; Pater enim essentialiter est qui gignit Filium; et hoc est quod ait hic Christus : « Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? » Addit S. Hilarius quod Filius sit Patri simillimus, utpote ejus character et viva imago.

VERBA, QUÆ EGO LOQUOR, A MEIPSO NON LOQUOR. — *q. d.* Verba quæ ego loquor, non sunt humana, sed divina; quare non a mea humanitate, sed a divinitate quam a Patre accepi, velut a propria causa proficiscuntur : unde qui me loquentem audit, non tam me, quam Deum Patrem in me et per me loquentem audit. Nota : Deitas communis Patri et Filio erat causa efficiens verborum divinorum, quæ promebat Christus; res tamen verbis significata sæpe erat propria personæ Filii, non Patris, ut cum dicebat : Ego sum Dei Filius, Ego sum Verbum, Ego carnem assumpsi, Ego quæ dico et facio, accepi a Patre. Hæc enim dicebat de seipso, non de Patre, ut patet; nec enim Pater factus est homo, sed Filius; Pater tamen æque ac Filius erat causa efficiens, uti Incarnationis, ita et verborum a Verbo incarnato prolatorum. Opera enim S. Trinitatis ad extra, ut aiunt Theologi, sunt indivisa et tribus personis divinis communia.

PATER AUTEM IN ME MANENS, IPSE FACIT OPERA. — « Pater, » tanquam primum principium, non tantum creaturarum, sed et cæterarum personarum divinarum, puta Filii et Spiritus Sancti. Cum enim Pater generando communicavit suam deitatem Filio, communicavit quoque eidem suam omnipotentiam, virtutem et operationem. Quare si non Filius, sed Pater ipse humanitatem assumpsisset, idem prorsus locutus et operatus fuisset quod locutus et operatus est Filius, tum quia Pater locutus et operatus est in Filio; tum quia eadem est deitas et omnipotentia Patris et Filii, quæ omnia loquebatur et operabatur in Filio per humanitatem assumptam. Unde Apostolis colligendum relinquit Christus, *q. d.* Idcirco cum me videtis et auditis, Patrem meum a vobis videri et audiri putate. Ex his autem dictis et factis meis, ait Ribera, potestis intelligere quam bonus sit Pater meus, quam mansuetus, quantum vos amet; ex miraculis meis potestis cognoscere meam omnipotentiam, me scire omnia et habere in me omnia bona; ex quo intelligitis eadem similiter habere Patrem, et in eo vos veram omnium bonorum affluentiam habituros; et cum hæc externa in tantorum bonorum cognitionem vos ducant, quid futurum putatis, si meam et Patris essentiam sine speculo et ænigmate intueremini? Itaque non loquitur de cognitione essentiali, sed de ea quæ potest haberi in via.

Vers. 11. 11. NON CREDITIS QUIA EGO IN PATRE, ET PATER IN
Vers. 12. ME EST? 12. ALIOQUIN (Syrus, *sin minus*) PROPTER OPERA IPSA CREDITE. — Pro « non creditis, » Græca habent πιστεύετέ μοι, id est *credite mihi*; et sic legit Syrus, Arabicus, Euthymius, Cyrillus et Hilarius, lib. VII *De Trinit.*, sed eodem redit sensus, et unus alterum includit, *q. d.* Non creditis quod ego sim in Patre, et Pater in me? Credite, quia ego vobis hoc assevero. Alioqui, si mihi id simpliciter asseveranti non creditis, credite saltem propter ipsa opera, quia Pater operando in me et per me tot tantaque miracula, per opera ipsa ostendit se in me habitare ac per me tanta operari, sicut anima ostendit se esse in corpore per motum, visum, auditum, tactum aliaque opera vitalia, quæ ipsa per corpus operatur.

AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUI CREDIT IN ME, OPERA QUÆ EGO FACIO, ET IPSE FACIET, ET MAJORA HORUM FACIET. — Probare vult Christus Patrem esse in se, et se in Patre; vis argumenti in eo consistit, *q. d.* Qui credit Patrem esse in me, hic per hanc fidem, sive vi et virtute hujus fidei similia miracula et opera divina faciet, qualia ego facio, imo majora faciet quam faciam ego. Ergo fides illa vera sit oportet, quæ scilicet credit Patrem in me esse et operari. Pater enim operatur per fidem veram illique per opera miraculosa testimonium veritatis perhibet, non vero fidei falsæ; alioqui enim ipse, qui est prima veritas, testis et approbator esset falsitatis et mendacii.

*Qui credit in Christum, opera Christi et majora faciet, quæ sunt?*

ET MAJORA HORUM FACIET. — Non quilibet fidelis qui in me credit, sed aliqui ex illis, ut Apostoli et viri Apostolici.

Quænam fuere hæc majora? *Primo*, Origenes, homil. 7 *in Num.*, censet majora hæc esse, quod homines fragiles vincant carnem, dæmonem et mundum : plus enim, inquit, est quod Christus vincat in nobis, quam quod vincat in se.

*Secundo*, S. Chrysostomus : Majora, inquit, sunt, quod S. Petrus sua umbra sanarit quoslibet infirmos, *Act.* V, 15, id enim non fecit Christus, et similia.

*Tertio* et potius, S. Augustinus, *tract.* 72, majora hæc esse censet, conversionem omnium gentium totius mundi, factam per duodecim Apostolos. Christus enim longe pauciores convertit, scilicet quingentos duntaxat aut circiter, tot enim nominantur, I *Cor.* XV, 6. Audi S. Augustinum, cujus verba prolixa in pauca contraxi : « Quæ sunt ista majora, an forte quod ægros umbra sanabat? majus est enim quod sanet umbra, quam fimbria; sed quando ista dicebat, verborum suorum facta commendabat; cum enim dixit : Pater in me manens, ipse facit opera; opera dicebat verba, quæ loquebatur, quorum fructus erat fides illorum; evangelizantibus autem discipulis, non tam pauci quam illi erant, sed Gentes etiam crediderunt; discessit ab ore Domini dives tristis; et tamen postea quod ille unus non fecit, fecerunt multi, cum per discipulos loqueretur; non de Apostolis autem tantum loquebatur dicens : Qui credit in me, etc. Ipsum quidem credere in Christum opus est Christi, quod operatur in nobis, non utique sine nobis, ipse facit ut faciamus, id est, ut ex impiis justi fiamus. » Subdit deinde rem miram et paradoxam : « Et hoc majus esse dixerim, quam creare cœlum et terram; hæc enim transibunt, prædestinatorum autem salus et justificatio permanebit. Sunt et in cœlis angeli opera Christi, etsi æqualis sit potentiæ istos creare et impios justificare, hoc majoris est misericordiæ. Quanquam omnia Christi opera intelligere, ubi ait : Majora horum faciet, nulla necessitas cogit; horum enim forte dixit quæ tunc faciebat; faciebat autem verba fidei : minus est autem verba justitiæ prædicare, quod fecit propter nos, quam impios justificare, quod ita facit in nobis, ut faciamus et nos. » Et Glossa : « Quod facit in nobis non sine nobis, majus est his quæ sine nobis facit, ut cœlum et terra. In illis enim est tantum opus Dei, in istis imago Dei.

Quæres : Cur Christus voluit majora per Apostolos, quam per se operari? Respondeo : *Primo*, quia sensim voluit fidem in se disseminari et crescere, ne, si subito cresceret, putaretur esse phantasma, et Christus magus vel impostor esse

crederetur : quod enim sensim crescit, sensim sui fidem acquirit, ac magis crescit et durabilius est : quod enim cito fit, cito perit.

*Secundo*, ut magis Christi æquanimitas et modestia, æque ac potestas et magnificentia commendaretur : utpote qui non tantum in se tam potens fuerit ad tanta operandum, sed et vim ac efficaciam habuerit eamdem potentiam in Apostolos transfundendi, ut similia, imo majora facerent. Hæc enim fecerunt Apostoli non virtute sua, sed Christi, scilicet vi, auctoritate et potestate a Christo accepta : quare Christus major erat illis, per quos majora hæc operabatur.

*Tertio*, quia decebat Christum prius pati et mori, ac per passionem et mortem mereri hæc opera mirabilia, quæ deinde per Apostolos operatus est.

*Quarto*, quia decebat Christum prius resurgere, ascendere in cœlum, indeque mittere Spiritum Sanctum, qui tam mirabilia operaretur. Nam mundi conversio fuit effectus, æque ac decus, ornamentum et coronis resurrectionis Christi, ascensionis et missionis Spiritus Sancti. Hanc causam subdit Christus, dicens : « Quia ego ad Patrem vado. »

Discant hic a Christo Prælati, Principes et superiores minora et abjectiora sibi servare, majora et speciosiora subditis relinquere. Sic enim laudem humilitatis et subditorum gratiam, et populi gloriam consequentur. Majora enim facient per subditos, quam per seipsos : quod enim subditus facit, hoc superior per subditum censetur facere. S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, creatus Generalis, publice catechizabat, sociis vero sibi subditis ampla concionum pulpita concedebat. Idem sanxit, ut Rectores Societatis, initio Rectoratus sui, publice catechesim exerceant.

Quia ego ad Patrem vado. — *q. d.* Ego post mortem adepta victoria, de peccato, morte, dæmone, mundo et inferno triumphans, ad solium Patris gloriosus conscendam, ac proinde majora per vos edam opera, quam ipse in hac vita luctans adhuc ediderim. Tempus humilitatis et abjectionis meæ completum est, gloriam meam recipiam : non est cur vultum meum abscondam in paupertate et humilitate, sicut feci, quia locum dare volui passioni meæ et redemptioni hominum; at ea peracta, mox gloriosus ad Patrem conscendam, qui nomen meum toto orbe volet manifestari, celebrari, coli et adorari per prædicationem Apostolorum : quare per eos majora operabitur, quam per me in vita operatus sit. Ita Cyrillus, lib. IX, cap. XLI, Toletus et alii.

13. Et quodcumque petieritis Patrem (ita Romana, S. Chrysostomus, Cyrillus et alii, licet Græca, Arabicus et Syrus jam non habeant τὸ « Patrem ») in nomine meo, hoc faciam : ut glorificetur Pater in Filio. — Hæc verba pertinent ad id quod præcessit : « Et majora faciet; quia ego ad Patrem vado. » Post fidem enim, de qua dixit vers. præced. : « Qui credit in me, majora horum faciet, » hic subnectit professionem fidei suique nominis invocationem ac petitionem horum majorum, *q. d.* Ego quidem a vobis, o Apostoli, abeo vadoque ad Patrem, sed loco præsentiæ meæ relinquo et do vobis invocationem nominis mei, ut per eam postuletis majora hæc, et impetretis. Quare Christus hic suam divinitatem et eamdem cum Patre auctoritatem significat, ait Cyrillus ; gloria enim Filii est, quod per ejus invocationem Pater Apostolis concedat tam magna, imo majora, quam per Filium, dum viveret, operatus est. Et sic Pater in Filio, et Filius in Apostolis glorificatus est.

In nomine meo, — id est invocato nomine meo, aut, *q. d.* Si petatis per merita mea, per meam virtutem et fidem, uti facit Ecclesia, quæ omnes orationes concludit dicens : « Per Dominum nostrum Jesum Christum, » etc.

Hoc faciam. — Efficiam ut Pater vobis concedat, imo ego in Patre, et cum Patre idipsum faciam et vobis præstabo, ut omnis horum majorum, quæ operabimini, vis, virtus et gloria mihi adscribatur, non vobis. Nam dum oratur Pater, oratur et Filius, ait Suarez, lib. I *De Oratione in communi*, cap. IX, in fine. Aut certe, ut idem addit ibidem, « Pater » hic sumitur essentialiter pro Deo et tota sancta Trinitate, ut sumitur cum oramus : « Pater noster qui es in cœlis; » et sic nomine Patris intelligitur quoque Filius et Spiritus Sanctus. Prius est germanius, quia Christus hic passim Patrem a se distinguit.

Ut glorificetur Pater in Filio. — Solet Christus modestiæ causa omnem suam gloriam transcribere in Patrem, ceu ad primum fontem et principium. Rursum hinc disce non esse poscenda opera mira et miracula, nisi ad gloriam Dei, sive cum gloria Dei illa fieri exigit et postulat.

14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. — Arabicus, *faciam vobis quod volueritis*. Quod Christus vers. præcedenti dixit de Patre, hic dicit de seipso, ut ostendat se eumdem Deum esse cum Patre, utpote qui se orantes exaudiat et faciat omnia quæ Pater. Unde Cyrillus asserit Christum hic significare suam divinitatem. Nonnulli censent idem prorsus hic dici et confirmari quod dixit vers. præced. Unde Chrysostomus et Nonnus hunc versum omittunt, sed legunt eum Syrus, Arabicus, S. Augustinus, S. Cyrillus, Theophylactus et Euthymius. Vers. 14.

Melius Toletus et alii censent aliud hic dici; illud enim vers. præcedenti : « Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, » pertinere ad petitionem majorum, de quibus ipse dixerat : « Et majora horum faciet; » hoc vero versu Christum dicere se exauditurum preces particulares, ut, licet ad Patrem abeat sitque absens corpore, tamen semper spiritu sit præsens, eorumque preces audiat et eorum necessitatibus succurrat,



ut quidquid in nomine ejus, id est per merita ejus petant, hoc ipse eis faciat et largiatur. Objicit S. Augustinus : « Rogavit Paulus ut discederet angelus satanæ, nec tamen accepit; sed vide dictum esse : In nomine meo, quod est Jesus : quod enim petimus contra salutem, non petimus in nomine Salvatoris; quia salvator ei non erit, si quod ejus salutem impedit, fecerit. Novit medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus, et ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem; aliquando vero etiam quædam eorum quæ in nomine ejus petimus, non tunc, quando petimus, facit, sed tamen facit : differuntur enim, non negantur. »

15. Si diligitis me, mandata mea servate. — Chistus hic suis discipulis ultimum dicens vale, ultima dat monita eaque tria de tribus præcipuis virtutibus Theologicis, scilicet de fide, spe et charitate conservanda et exercenda. De fide, dicens vers. 1 : « Creditis in Deum, et in me credite. » De spe, dicens vers. 3 : « Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. » Petitio enim, sive oratio est actus spei. De charitate, dicens hic : « Si diligitis me, mandata mea servate; » suntque hæc tria inter se connexa. Fides enim parit spem, spes parit charitatem. Sensus ergo est, *q. d.* Si vultis obtinere hæc mea promissa, et impetrare ea quæ postulatis in nomine meo, ut ego ea vobis a Patre impetrem, imo per me elargiar, me vestri adeo amantem redamate, in dilectione mea perseverate et crescite. Hoc autem facietis, si mandata mea, quæ vobis dedi, observetis, *q. d.* Si mihi placere vultis, et per me omnia quæ petitis obtinere, mandata mea servate. Ita Ribera, Toletus, Maldonatus et alii. Christus ergo abiens monet suos ut persistant in sua fide, spe, dilectione et observatione mandatorum. Si id fecerint, ingens promittit præmium, dicens :

16. Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis. — *q. d.* Si perseveretis in mea dilectione et mandatorum observatione, meis precibus vobis impetrabo Spiritum Sanctum, quem in vos effundet Pater in Pentecoste, qui magna, imo majora, per vos operabitur, quam ego operatus sim.

Et rogabo, — qua homo : Christus enim qua homo pro nobis orat, ait S. Augustinus.

Paracletus tria significat. Et alium Paracletum. — « Alium » scilicet a me. Hinc patet quod Christus quoque fuerit Apostolorum et fidelium Paracletus, id est *primo*, advocatus, intercessor, orator, juxta illud Pauli : « Advocatum habemus apud Deum Patrem, Jesum Christum, » ait S. Augustinus; *secundo*, exhortator, incitator, impulsor; *tertio*, consolator, ut vertit Syrus; hæc tria enim significat Græcum παράκλητος. Sed abiens Christus, misit alium Paracletum, scilicet Spiritum Sanctum, qui in his tribus Christo successit. Ipse enim *primo*, est advocatus fidelium, quia « postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, » *Rom.* VIII, 26. Ipse pariter est noster exhortator et consolator; quæ duo hic maxime spectat Christus, *q. d.* Ego huc usque vos, o discipuli mei, docui, rexi, consolatus sum, ac proinde ob instantem meum discessum contristamini; sed animos erigite et confidite : ego enim mei loco vobis submittam alium Paracletum, qui vos non ad modicum tempus, ut ego, sed tota vita vestra doceat, incitet, consoletur et protegat. Unde Euthymius sic exponit : Dabit vobis alium Paracletum, id est alium admonitorem ac præceptorem in certaminibus virtutis, solatium ac subsidium in afflictionibus. Spiritus Sanctus ergo est Paracletus, id est *primo*, adhortator, excitator, impulsor, quia Apostolos excitabat ad ardua virtutum opera pro Dei gloria capessenda, utque libere evangelizarent toto orbe, non timentes tyrannos, tortores, equuleos, ignes, imo ambientes mortem atrocissimam et martyrium pro Christo. *Secundo*, consolator, quia eos in adversis, ærumnis, dubiis, tentationibus, consolabatur et roborabat : nam Spiritus Sanctus est quasi ignis lucens et ardens, ideoque omnem animi caliginem, timorem et torporem dispellens. Ita S. Chrysostomus ; et, ut ait S. Bernardus, serm. 2 *De Pentecoste* : « Quos repleverit, et spiritu fervere, et in veritate cognoscere facit. » Et paulo ante : « Paracletus donat pignus salutis, scientiæ lumen, et robur vitæ, ut quod per naturam est impossibile, per ejus gratiam fiat possibile, imo facile. » Vide quæ de Spiritu Sancto dixi, *Act.* II, 1 et seq.; *Isai.* XI, 1 et seq., et alibi.

Dabit vobis, — o Apostoli, proxima Pentecoste. Hinc S. Hieronymus, Quæst. IX *ad Hedibiam*, refellit hæresim Montani, Priscillæ et Maximillæ, cujus sectator fuit Tertullianus, qui dicebant diu post Apostolos primum in Montanum hæresiarcham Spiritum Sanctum descendisse, anno Domini 220, ideoque Montanum esse Paracletum a Christo promissum. Vide S. Epiphanium, *hæresi* 48; et S. Augustinum, *hæresi* 26 et 86.

Ut maneat vobiscum in æternum. — Ex hac Christi promissione fit, ut Spiritus Sanctus semper maneat in Ecclesia, ac fidelibus assistat, ut Paracletus, id est consolator in afflictionibus et impulsor ad quælibet, etiam heroica, virtutum opera. Objicit S. Augustinus : « Quomodo mandata servabimus, ut eum accipiamus, quem nisi habuerimus, mandata servare non possumus? Respondet : Habet Spiritum Sanctum, qui diligit, et habendo meretur ut plus habeat, et plus habendo plus diligat. Jam itaque Spiritum habebant discipuli, sed dandus eis erat amplius; habebant occulte, accepturi erant manifeste. » Et S. Chrysostomus : « Purgatis discipulis per passionem, et ad pericula agonesque missis, oportebat Spiritum Sanctum abundanter dari. »

17. Spiritum veritatis. — Cur Spiritus Sanctus dicitur « spiritus veritatis? » Respondet *primo* Cyrillus, quia ipse est Spiritus Filii, sive procedens per spirationem a Filio, cui appropriatur sapien- Vers. 17. Spiritus Sanctus [illegible]

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lia et veritas, juxta illud vers. 6 : « Ego sum via, veritas et vita. »

*Secundo*, quia Spiritus Sanctus Jesum esse Deum Deique Filium, Messiam et Salvatorem, mundo manifestavit. Hoc enim urgebat hic Christus, dicens vers. 9 : « Philippe, qui videt me, videt et Patrem, etc., ego in Patre, et Pater in me est. » Ita S. Basilius, lib. II *De Spiritu Sancto*, cap. XVIII.

*Tertio*, Euthymius : Spiritus Sanctus, ait, dicitur « spiritus veritatis, » id est verissimus et præstantissimus, et opponitur angelo, animæ et vento, qui spiritus sunt; sed analogice et participative, cum Spiritus Sanctus per essentiam purissimus et potentissimus sit Spiritus.

*Quarto*, « veritatis ; » quia dignus est fide, ait S. Chrysostomus.

*Quinto*, alii « veritatis, » hoc est, novi Testamenti. Huic enim Spiritus Sanctus reservatus est, utpote spiritus libertatis et amoris ; cum in veteri esset spiritus servitutis et timoris.

*Sexto* et planissime, Spiritus Sanctus est « spiritus veritatis, » quia omnis veritatis est auctor, ac solus puræ et integræ veritatis est doctor et largitor, qui docet nos omnes veritates ad salutem necessarias, liberatque ab omnibus erroribus. Sic enim explicat Christus, dicens cap. XVI : « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (sic *Isai.* XI, 2, idem Spiritus vocatur sapientiæ, consilii, pietatis, fortitudinis ; quia nobis inspirat sapientiam, consilium, pietatem, fortitudinem) : omnem, inquam, veritatem, sed maxime Evangelicam, quæ triplex est, scilicet *prima*, res ipsa Christi ejusque gratia per umbras, ceremonias et figuras veteris legis præfigurata et adumbrata ; *secunda*, promissionum omnium Dei complementum : has enim complevit Christus, idque Apostolis ostendit Spiritus Sanctus ; *tertia*, divinarum rerum cognitio, in quantum illa ad salutem est necessaria.

« Spiritus veritatis » ergo opponitur spiritui malo mundi, qui mendax est, errans et fallax. Unde subdit Christus : « Quem mundus non potest accipere. » Hinc S. Augustinus, lib. *De Gratia novi Testamenti*, docet Spiritum Sanctum esse animam Ecclesiæ : « Spiritus Sanctus, ait, est Patris et Filii amor et connexio, ad ipsum pertinet societas, qua efficimur unum ; corpus hominis multis constat membris, et vegetat omnia membra una anima, faciens in oculo ut videat, in aure ut audiat, et sic in cæteris : ita Spiritus Sanctus membra corporis Christi, quod est Ecclesia, continet et vegetat. »

QUEM MUNDUS NON POTEST ACCIPERE. — « Mundus, » id est homines mundani, animales et carnales, qui cupiditatibus terrenis, scilicet vanis opibus, honoribus, deliciis inhiant, non sunt capaces Spiritus Sancti, quia hic totus est cœlestis, spiritalis, divinus, qui docet terrena omnia ut vana contemnere, et cœlestia ut vera et solida diligere et amplecti. Nam, ut ait Apostolus, *Rom.* VIII : « Prudentia carnis inimica est Deo. » Unde S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto* : « Sicut, ait, in speculo impurgato rerum imagines recipi viderique nequeunt, sic homo illustrationem Spiritus Sancti recipere non potest, nisi peccatum et carnis affectionem abjiciat. »

QUIA NON VIDET EUM, NEC SCIT EUM, — quia habet oculos mentis terrenos, carnis cupiditatibus oppletos et occæcatos. Unde nec « scit eum, » id est, non cognoscit eum practice, ita scilicet ut eum amet, cupiat, gustet et ambiat.

VOS AUTEM COGNOSCETIS EUM (scientes ejus vim, efficaciam, doctrinam, sanctitatem, vitam cœlestem et divinam) : QUIA APUD VOS MANEBIT, ET IN VOBIS ERIT. — Ipse enim sua præsentia in vobis suam vim, gratiam, operationem divinam exeret, quo fiet ut eum cognoscatis, cognitum ametis, amatum aliis aspiretis. Sicut sentitur vis piperis, si conteratur ; item vis ignis latentis in ligno, dum per flammam in ingens incendium erumpit.

MANEBIT. — Legit Interpres cum S. Augustino et Nonno μενεῖ, jam alio accentu legunt Græca, Syra, Theophylactus et Euthymius μένει, id est *manet*. Audi S. Bernardum, *serm.* 20 inter parvos : Spiritus Sanctus « procedit, spirat, inhabitat, replet, glorificat. Procedere dicitur duobus modis, unde, et quo. Unde ? a Patre et Filio. Quo ? ad creaturam. Procedendo prædestinat ; spirando vocat quos prædestinavit ; inhabitando justificat quos vocavit ; replendo accumulat meritis quos justificavit ; glorificando ditat præmiis quos accumulavit meritis. »

18. NON RELINQUAM VOS ORPHANOS (me patre vestro orbatos et destitutos) : VENIAM AD VOS. — Vers. 18.
Quia Christus discipulos, vers. 13, vocavit filiolos, merito ait : « Non relinquam vos orphanos, » id est sine patre, quia, licet abeam a vobis ad Patrem et alium Paracletum vice mei vobis missurus sim ; non tamen idcirco ego vos deseram et orphanos relinquam, sed vadens redibo et « veniam ad vos. » Fecit id Christus *primo* et proprie, cum post resurrectionem corporaliter Apostolis apparuit eosque docuit, solatus est et exhilaravit. Ita S. Augustinus et Euthymius. *Secundo*, fecit id in Pentecoste, cum visibiliter misit eis Spiritum Sanctum in specie linguarum ignearum. Ita Cyrillus, Jansenius et alii. *Tertio*, fecit id invisibiliter, cum e cœlo spiritualiter eos sæpe visitavit eisque dona sua cœlestia communicavit. Ita S. Chrysostomus. *Quarto*, faciet in die judicii visibiliter, cum in judicio Apostolos faciet sibi assessores eosque secum cum triumpho in cœlum deducet. Hæc magis explicabit Christus in sequent.

[illegible]

19. ADHUC MODICUM, ET MUNDUS ME JAM NON VIDET. VOS AUTEM VIDETIS ME. — Ita legunt Romana et Græca ; sed Syrus, S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Toletus legunt, *videbitis* (Arabicus vertit, *vidistis*), quia præsens hic de more ponitur pro futuro jam instanti et imminenti, *q. d.* Modicum mihi tempus vitæ restat, scilicet paucæ horæ, post quas in cruce moriar et subtrahar ab hac vita et sæculo ; quare homines mundani amplius me non videbunt, vos autem, o discipuli, me videtis, id est videbitis, quia tertio die a morte resurgam, et me vobis videndum exhibebo. Ad litteram enim loquitur de visione sensibili. Ita S. Augustinus, Toletus et alii.



Tropologice : mundus sicut me non videbit oculo corporis, sic nec oculo mentis, quia non credet in me, nec cognoscet me esse Messiam Dei Filium ; vos autem idipsum clarius cognoscetis per illustrationem Spiritus Sancti, quem recipietis in Pentecoste. Ita Ribera.

Anagogice : mundus me non videbit post diem judicii gloriose regnantem in cœlo ; vos autem sic me tunc videbitis, quia vos gloriæ meæ consortes efficiam. Ita **S. Cyrillus**, Chrysostomus et alii.

QUIA EGO VIVO, ET VOS VIVETIS. — *q. d.* Videbitis me, quia ego tertia die a morte resurgam, rursumque vivam ; vos pariter vivetis, ut me redivivum videre possitis, utque meam mortem et resurrectionem toti mundo prædicare valeatis, *q. d.*, ait Theophylactus : Cum me redivivum videritis, lætabimini et tanquam mortui reviviscetis apparitione mea, sicut Jacob audiens Joseph vivere, quem putabat esse mortuum, quasi de gravi somno evigilans revixit, *Genes.* XLV, 26. Rursum, « vos vivetis » plenius in die judicii, quando per meam vitam et resurrectionem, vos ad camdem vitam beatam et gloriosam resuscitabo, ut mecum in omni felicitate et gloria, beati vivatis in cœlo per omnem æternitatem. Ita S. Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius. Dicit in præsenti, « vivo, » ut significet se illico a morte resurrecturum. Audi S. Augustinum : « De præsenti se dixit vivere, illos de futuro victuros : ejus enim mox futura erat resurrectio, illorum autem in sæculi finem differenda ; quia vero vivit ille, ideo et nos vivemus ; per hominem quippe mors, et per hominem resurrectio mortuorum. »

Vers. 20. 20. IN ILLO DIE VOS COGNOSCETIS, QUIA EGO SUM IN PATRE MEO, ET VOS IN ME, ET EGO IN VOBIS. — *q. d.* Postquam resurrexero, ac præsertim postquam ascendens in cœlum miserim in vos Spiritum Sanctum, per ipsius illustrationem clarius et certius cognoscetis hæc tria : scilicet *primo*, quod « ego sum in Patre, » per unitatem essentiæ divinæ, quod scilicet sim verus Deus Deique Patris Filius. *Secundo*, quod vos sitis in me per amorem, curam et custodiam, quod scilicet ego singulariter vos amem, curem, custodiam. Addit subtiliter Cyrillus : quod sitis *in me* per unionem substantiæ. Cum enim vestram carnem et substantiam assumpsi, totam naturam humanam mihi univi omnesque homines quasi mihi copulavi. *Tertio*, quod ego sim in vobis, vos scilicet per gratiam meam inhabitans, illuminans et dirigens ad omne bonum et ad vitam æternam in cœlis. Unde Interlinearis : Cognoscetis, inquit, quod ego sum in Patre, sicut radius in sole, unum cum ipso ; et vos in me, quasi palmites in vite ; et ego in vobis, sicut vitis in palmite, vobis succum et vitam gratiæ jugiter instillans et influens. Addit S. Hilarius, lib. VIII *De Trinit.*, Christum esse in nobis quasi cibum in stomacho, per communicationem Eucharistiæ : « Ille, ait, in Patre per naturam divinitatis, nos in eo per corporalem ejus nativitatem ; et ille rursum in nobis per Sacramenti mysterium ; ait enim : Qui edit carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. »

21. QUI HABET MANDATA MEA, ET SERVAT EA, ILLE EST QUI DILIGIT ME. — *q. d.* ait Glossa : Non solum vos Apostoli, vivetis et cognoscetis, sed quicumque me diligit, ideoque mandata mea custodit. Toletus hæc accipit de fidelibus communibus, qui tempore Christi, præter Apostolos, credebant in eum ; hos enim hic ab eo moneri, ut in sua fide, dilectione et obedientia perseverent. Sic enim fore ut vicissim diligantur ab ipso et a Patre, utque se eis post resurrectionem manifestet, ostendens se a morte resurrexisse redivivum et gloriosum, uti fecit apparendo plusquam quingentis fratribus, I *Corinth.* XV, 6. Hic sensus verus est et appositus, sed arctior ; Christus enim loquitur omnibus fidelibus cujuslibet ævi et temporis. Sensus ergo est, *q. d.* Qui habet mandata mea, id est qui præcepta quæ a me audivit, tenet memoria, animo et affectu, « et servat ea, » ut ea opere exequatur ; « qui habet in memoria, et servat in vita, ait S. Augustinus ; qui habet in sermonibus, et servat in operibus ; qui habet audiendo, et servat faciendo ; qui habet faciendo, et servat perseverando, ille est qui diligit me, » quia facit quæ mihi grata sunt et placent, quæ ego amo et cupio, quæ ego volo ab illo fieri, quæ ego illi mandavi, et mando sub pœna meæ offensæ, iræ, vindictæ et gehennæ. Simili phrasi et sensu dixit, cap. V, 38 : « Et verbum ejus non habetis in vobis manens. » Nam, ut ait S. Gregorius, *hom.* 30, probatio dilectionis, exhibitio est operis ; nunquam amor Dei est otiosus : operatur enim magna, si est ; si vero operari renuit, amor non est.

Vers. 21. Dilectio Dei probatur ex observatione mandatorum.

QUI AUTEM DILIGIT ME, DILIGETUR A PATRE MEO. — Quia mandata mea sunt mandata Patris : ego enim illa a Patre accepi ; quare qui illa servat, reveretur et diligit Patrem, ac rem gratissimam illi præstat. Hinc ejus amorem vicissim in se prolicit, ut amans Deum Patrem, ab eo redametur, et ad majores gratias ab eo evehatur, majoraque ab eo beneficia recipiat ; magnes enim amoris est amor. Ubi nota : Non nos prius diligimus Deum, sed Deus prior diligit nos, ideoque

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aspirat nobis gratiam, qua eum vicissim diligamus : quam si acceptemus eumque diligere incipiamus, ipse rursum magis diligit nos majoremque gratiam et charitatem nobis infundet.

Et ego diligam eum, — non tantum qua Deus : sic enim eadem dilectione qua Pater, diligam eum; sed etiam qua homo pergam eum diligere, et majoribus gratiis ac donis eum afficiam et cumulabo, tum in hac vita, tum in futura. Unde S. Augustinus : « Ad hoc diligam, ait, ut manifestem : nec enim tunc non diligebat; nunc ad hoc nos dilexit, ut credamus; tunc ad hoc ut videamus; nunc diligimus credendo quod videbimus, tunc diligemus videndo quod credidimus. »

Et manifestabo ei meipsum, — tum in hac vita per clariorem in dies mei meorumque mysteriorum et donorum cognitionem, non tantum speculativam, sed et practicam et experimentalem, qua Sancti gustant et sapiunt Christum, quamque dulcis sit Dominus, ideoque in pios gratitudinis, amoris, laudis et jubilationis affectus erumpunt, quales eructat Paulus, I *Cor.* II, et alibi : ita Cyrillus; tum clarissime in cœlo, ubi videbit per speciem Christum Deum et hominem, quem hic credidit per fidem. Ita S. Augustinus, *tract.* 75.

22. Dicit ei Judas, non ille Iscariotes (sed Thaddæus, frater S. Jacobi Minoris, auctor epistolæ Canonicæ) : Domine, quid factum (id est quid causæ) est (est hebraismus; Hebræi enim dicunt מה היה *me haia*, id est quid fuit, id est quæ causa est), quia (quod) manifestaturus es nobis teipsum, et non mundo? — dixisti enim : « Mundus me jam non videt, vos autem videtis, » id est videbitis : quæ verba dixerat Christus de sua morte, resurrectione et apparitione facienda Apostolis, non Judæis mundanis et incredulis; sed Judas ea non intelligebat, ideoque rogat ea sibi explicari. Causam quærit, ait S. Augustinus, quare non se mundo, sed suis manifestaturus sit. Respondet autem Dominus, quia hi diligunt, illi vero non diligunt. Utitur Judas voce « manifestaturus, » quia eadem immediate ante usus fuerat Christus, dicens : « Manifestabo ei meipsum. » Hæc ergo vox hæsit in mente Judæ, licet priora Christi dicta ipse respiciat.

23. Respondit Jesus, et dixit ei : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. — *q. d.* Ne putes, o Juda, me post resurrectionem soli tibi tuisque sociis Apostolis appariturum, quasi fructus meæ vitæ et passionis ad vos solos arctetur totusque mundus ab eo excludatur; nam, etsi solis vobis et paucis aliis visibiliter sim appariturus, tamen invisibiliter apparebo omnibus iis in mundo existentibus, qui meam fidem et doctrinam per te cæterosque Apostolos prædicandam susceperint, dilexerint et servarint. « Quisquis enim diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, » æque ac vos dilexit, eo sensu et modo quo explicui vers. 21.

Et ad eum veniemus, — ego et Pater, et consequenter Spiritus Sanctus; ubi enim est una persona divina, ibi sunt cæteræ duæ, *q. d.* Esto ego post resurrectionem ad vos solos visibiliter sim venturus, tamen invisibiliter per gratiam meam veniam ad omnes fideles, qui in me credunt, et me meamque doctrinam diligunt et servant; atque sicut ego veniam ad eos, sic veniet et Pater et Spiritus Sanctus, ut in anima ejus maneamus et habitemus quasi in domo et templo nostro.

Nota : Deus, qui ubique est, ideoque immobilis, dicitur venire et manere, non per loci mutationem, sed per novam operationem, quam hoc vel isto loco exercet. Sic hic dicitur venire ad fideles et justos per gratiam et novam operationem; quia scilicet eos in justitia conservat, promovet, tuetur, et una cum libero eorum arbitrio ipsum juvans cooperatur : prævenit enim eorum intellectum sua illuminatione, et voluntatem sua pia affectione, qua eam impellit ad opera bona, licet ardua, eique suæ gratiæ concursu ad eadem efficienda collaborat. Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus et alii.

Audi S. Augustinum : « Dilectio sanctos discernit a mundo, quæ facit unanimes habitare in domo, in qua facit Pater et Filius mansionem, qui et dilectionem donant, quibus in fine donabunt suam manifestationem; veniunt ad nos, dum venimus ad eos; veniunt subveniendo, illuminando, implendo; venimus obediendo, intuendo, capiendo. »

Denique pie S. Bernardus, serm. 3 *De Adventu* : « Beatus, inquit, apud quem mansionem facies, Domine Jesu. Beatus, in quo sapientia ædificat sibi domum, excidens columnas septem; beata anima, quæ sedes est sapientiæ. Quænam est illa? Anima utique justi. Merito plane, quia justitia et judicium præparatio sedis tuæ. Quis in vobis, fratres, qui desiderat in anima sua sedem parare Christo? Ecce quænam illa serica, quæ tapetia, quod pulvinar oporteat præparari? Justitia et judicium, inquit, præparatio sedis tuæ. Justitia virtus est, quod suum est unicuique tribuens. Tribue ergo tribus quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes, et digne celebras adventum Christi, parans ei in justitia sedem suam. »

Hinc disce Deum justo non solum dare gratiam suam, sed etiam seipsum, ita ut realiter Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus in anima justi, quasi in templo suo inhabitent, eamque sua præsentia ornent suisque donis cumulent, uti fuse ostendi *Oseæ* I, 10, ad illa : « Dicetur eis, Filii Dei viventis. »

Tropologice : S. Trinitas venit ad tres animæ potentias, quas ad sui imaginem creavit, ut eas inhabitet in eisque sui imaginem concupiscentiis depravatam reformet, renovet et perficiat. Patri appropriatur memoria, quia ipse ex fœcunda memoria omnes res concipiens, produxit Verbum genuitque Filium. Filio appropriatur intellectus, quia ipse per intellectionem genitus est, quasi verbum mentis, idea, imago et exemplar rerum omnium. Spiritui Sancto appropriatur voluntas, quia ipse procedit per actum voluntatis, puta amoris Patris et Filii, quasi utriusque amor et nexus. Pater ergo reformat memoriam, dum ex ea delet species rerum vanarum, turpium, illicitarum; ac infert species rerum divinarum, ut non recordetur nisi Dei ejusque cultus, amoris, pietatis cæterarumque virtutum. Filius reformat intellectum, ut non cogitet nisi ea quæ sunt salutis et sanctitatis. Spiritus Sanctus reformat voluntatem, ut eadem amet et ambiat. Quocirca anima sancta jugiter cogitet se esse templum S. Trinitatis, juxta illud II *Cor.* VI : « Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus (*Levit.* XXVI, 12) : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos; et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. » Ergo in conspectu tantæ majestatis digne ambulet, ut ei jugiter serviat fide, spe et charitate.

In veteri templo tria erant vasa, altare ad Deo adolendum thymiama, candelabrum septem lucernis lucens, et mensa panum propositionis. Sit pariter in anima sancta altare orationis, sanctas laudes et pia desideria ad Deum exhalans, sit candelabrum septem donis Spiritus Sancti præfulgens, sit denique mensa beneficentiæ et charitatis. Tunc in ea fiet illud *Apoc.* XXI, 3 : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. » Vide S. Bernardum, serm. 27 *in Cant.*, ubi docet animam sanctam esse cœlum, in quo coruscat sol charitatis, luna continentiæ et astra cæterarum virtutum.

24. Qui non diligit me, sermones meos non servat. — Causa ergo, cur quis Dei præcepta non servat, est quod Deum non diligit. Si enim diligeret Deum, Dei jussa servaret. Unde S. Gregorius, *hom.* 30 : « Tanto, ait, quisque a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur : de dilectione Dei ergo lingua, mens et vita requiratur. »

Et sermonem (sermo, est antiptosis) quem audistis, non est meus; sed ejus qui misit me, Patris. — Audi S. Augustinum : Dixit singulariter, et non suum, sed Patris, se intelligi volens, qui Patris est Verbum, imago et Filius : recte auctori tribuit quod facit æqualis, a quo habet hoc ipsum, quod illi est æqualis. » Et Chrysostomus : « Significat se nihil extra Patrem loqui, nec præter id quod illi videtur.

25. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens.

26. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. — Ita hæc dispungenda sunt cum Romanis, Græcis, Syris, Arabicis. Quare minus apte S. Chrysostomus, τὸ *apud vos manens* (Arabicus, *apud vos stans*) refert ad τὸ *Paracletus; q. d.* Abeo, sed mei loco manebit apud vos Spiritus Sanctus; referendum enim est ad Christum, qui præcessit, *q. d.* Hæc quæ huc usque ex ore meo audistis, locutus sum vobis, dum apud vos manerem vosque docerem; sed scio multa ex iis a vobis non capi, nec intelligi, sive propter vestram ruditatem, sive propter rerum a me dictarum novitatem et sublimitatem. Faciam ergo ut Pater mittat vobis Spiritum Sanctum, quasi Paracletum, id est instructorem et consolatorem, qui hæc omnia, quæ ego dixi vobis, in memoriam reducat et explicet, ut ab eo illustrati, omnia facile intelligatis, quique vos de meo abitu mœstos consolabitur, et in quavis Judæorum persecutione aliaque quavis tribulatione solabitur et roborabit, ut eam superetis. Hic denique vos sanctificabit, adeoque faciet ut alios plurimos pari modo sanctificare valeatis. Vocatur enim ipse, et revera est Spiritus Sanctus, quia ipse est ipsa per essentiam increata et perfecta sanctitas, a qua omnis sanctitas hominum et angelorum, velut radius a sole emanat et profluit. Id Apostolis præstitisse Spiritum Sanctum, patet *Actor.* I, 2 et sequent. Audi Chrysostomum : « Frequenter eum Paracletum vocat, propter eorum tristitiam. » Et Glossam : « Cum sit consolari Trinitatis opus, ad Spiritum Sanctum tamen pertinet, quia is in Scriptura bonitatis, per quam nos Deus consolatur, nomine designatur.

Quem mittet Pater in nomine meo, — id per me, ait Cyrillus, quia Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit : quare Pater cum Filio, per Filium, uti spirat, sic et mittit Spiritum Sanctum. *Secundo*, « in nomine meo, » id est propter me et merita mea. *Tertio*, « in nomine meo, » id est pro me, meo loco, ut meum opus, quod ego cœpi, prosequatur, ut mea negotia tractet, ut scilicet meam fidem, doctrinam, Ecclesiam per prædicationem Apostolorum disseminet per omnes gentes. Ita Maldonatus, Toletus et alii.

Ille vos docebit omnia, — quæ scilicet ad mysteria mei adventus et incarnationis pertinent; « omnia, » quæ ad Ecclesiæ instructionem, fundationem, stabilitatem, sunt necessaria. Audi Didymum, lib. *De Spiritu Sancto* : « Docebit omnia in Christi fide perfectos, spiritualia et intellectualia sacramenta; docebit autem, invisibiliter menti divinorum scientiam infundens. » Et Gregorium, *hom.* 30 : « Nisi Spiritus Sanctus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris : nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit : nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. » Et Augustinus : « Non Filius sine Spiritu Sancto dicit, nec docet sine Filio Spiritus Sanctus, sed omnia dicit et docet Trinitas; sed nisi hæc sigillatim commendaretur, eam nullo modo humana caperet infirmitas. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et suggeret. — Græce ὑπομνήσει, id est *in memoriam revocabit*, ita Arabicus, Cyrillus, Augustinus, Euthymius. Unde ex hoc loco notat S. Augustinus externam vocem Apostoli, vel prædicatoris, non sufficere ad rei prædicatæ intellectum vel assensum, sed Spiritus Sancti opus esse, qui mentem interius illuminet ad illa intelligenda, et voluntatem inclinet ad eadem amplectendum, ac memoriam confortet ad eadem retinendum. Idem docent omnes doctores orthodoxi, ac Concilium Arausicanum, Milevitanum et Tridentinum. Audi S. Augustinum : « Suggeret, id est commemorabit vos; pertinet enim ad gratiam etiam non oblivisci saluberrima monita. » Et Theophylactus : « Docuit Spiritus Sanctus quæcumque non dixerat Christus, tanquam non valentibus portare; commemoravit autem quæ dixerat Dominus, sed obscuritatis causa, vel intellectus tarditate, commendare memoriæ nequiverunt. » Minus genuine Interlinearis : « Docebit, » ait, ut sciatis, « suggeret » ut velitis : « suggeret » enim ad memoriam pertinet, ut recordemini et recordando intelligatis.

Quæcumque dixero vobis. — Græce εἶπον, id est *dixi* : ita Arabicus; Syrus vero vertit, *dico*.

Vers. 27. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam (Arabicus, *meam propriam*, quæ ita mea est, ut mihi sit propria) do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis. — Hæc est Christi valedictio : Hebræi enim, cum quem advenientem salutant, vel abeunti valedicunt, aiunt : « Pax tecum : » ubi pacis nomine salutationem et apprecationem omnium rerum prosperarum, omnis boni, omnis felicitatis significant, *q. d.* Christus : Ego abiens vobis, o Apostoli, vestrisque posteris do, et quasi hæreditate relinquo meam benedictionem, qua vobis omne bonum a Deo apprecor, eamque non falsam, inanem et brevem, uti facit mundus, sed veram, solidam et æternam, non verbis adulando, uti faciunt mundani, sed reipsa spondens, et dans opem et gratiam, qua secure ad æterna bona pertingatis, atque alios plures ad eadem vestra prædicatione, charitate, oratione et sanctitate perducatis. Ita Maldonatus.

Pacem suis relinquit Christus ex hoc mundo discessurus.

Paulo aliter Jansenius et Toletus : Pax hæc, inquiunt, est illa de qua Paulus, *Philip.* IV, dicit : « Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu. » Continet autem pax hæc *primo*, amicitiam cum Deo; *secundo*, tranquillitatem animi et serenitatem in tentationibus et persecutionibus; *tertio*, mutuam inter ipsosmet concordiam. Hæc homines facit fortes in omni periculo, et in omni molestia adhibet consolationem : hanc Dominus relinquit suis, non divitias, aut temporales possessiones; super omnes enim divitias hujus sæculi, pax eminet.

Audi S. Augustinum *De Verbis Domini secundum Joannem* : « Non poterit ad hæreditatem Domini pervenire, qui testamentum pacis noluerit observare, nec potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano; pax et serenitas mentis, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. »

Symbolice S. Augustinus hic : « Pacem, ait, relinquit in hoc sæculo, in qua manentes hostem vincimus; pacem dabit in futuro, quando sine hoste regnabimus. Pax vobis ipse est, et cum credimus quia est, et cum videbimus eum sicuti est. Notandum vero cum dicit : Dabo, addidisse : Meam, pacem suam volens intelligi, qualem habet ipse, in quo nihil repugnat, quia nullum habet peccatum; pax vero quam nobis reliquit, nostra potius dicenda est, quam ipsius : talem habemus pacem nunc, in qua adhuc dicamus : Dimitte nobis debita nostra. Est et inter nos ipsos nobis pax, invicem enim credimus et diligimus; sed nec ipsa plena est, quia cogitationes cordis invicem non videmus. Possunt et Domini verba sic accipi, ut ejusdem sententiæ repetitio videatur. »

28. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis : Vado, et venio ad vos. — Addit hoc Christus, quia videbat Apostolos propter suum abitum mœstos, timidos et pusillanimes ob odia Judæorum et prælia sibi imminentia, ait Chrysostomus, ne pastore absente, lupus oves invadat, ait S. Augustinus. Solatur ergo eos erigitque dicendo : Nolite turbari, mœrere, angi et formidare ob meum discessum, quasi ibis futuri oves sine pastore, filii sine patre, discipuli sine magistro, expositi Judæorum injuriis. Ego enim, ut dixi, « vado » quidem ad mortem, sed mox die tertia resurgam, tuncque « venio, » id est illico veniam et redibo ad vos.

Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem (Arabicus, *gauderetis utique de progressu meo ad Patrem*) : quia Pater major me est. — Diligebant Apostoli Christum, ideoque de ejus discessu tristabantur : cum ergo ait Christus : « Si diligeretis me, » loquitur communi hominum more, estque modus loquendi et solandi amicos, ob discessum amici mœrentes, *q. d.* Si, quod vera et sincera dilectio postulat, mihi exhiberetis, o Apostoli, vobis gaudendum erat, non dolendum de meo abitu, cum mihi, imo et vobis, sit valde utilis et commodus futurus. Vado enim ad Patrem, qui major me est, id est a consortio hominum vado ad Deum, ab humana miseria et contemptu vado ad divinam felicitatem, exaltationem, honorem et gloriam, ut vobis locum parem, et ad eumdem vos suo tempore assumam et traducam. Ita Cyrillus.

Audi S. Augustinum : « Gratulandum naturæ humanæ, eo quod sic assumpta est a Verbo, ut immortalis constitueretur in cœlo, atque ita fieret terra sublimis, ut sederet ad dextram Patris : quis non suam naturam jam immortalem gratuletur in Christo, atque id se speret futurum esse per Christum? »



Quia Pater major me est. — Hic erat Achilles Arianorum, quo probant Filium non esse Deum, sed primam Dei creaturam. Verum S. Athanasius, Augustinus, Basilius, Nazianzenus cæterique Patres, eis optime respondent, Christum hic loqui de se, non qua Deus, sed qua homo erat; sic enim erat Patre, imo angelis quoque minor (1). Id ita esse liquet ex eo quod Christus hic det causam, cur ad Patrem vadat, « quia, inquit, Pater major me est. » At qui Christus vadit ad Patrem, qua homo est consecendens in cœlum; nam qua Deus, semper est in cœlo cum Patre. Unde S. Augustinus : « Ergo, inquit, et ibat per id quod uno loco erat, et manebat per id quod ubique erat, » id est ibat per humanitatem, manebat per deitatem. Igitur quoad humanitatem, non quoad deitatem Pater erat illo major. Simili modo Filius ipse, qua Deus est, major est seipso qua homo est æque ac Pater; huic enim ipse ὁμοούσιος est et per omnia æqualis. Sensus ergo est, *q. d.* Gaudendum vobis est, o Apostoli, de meo discessu, quia vado ad Patrem, et ascendo in cœlum, ad majorem honorem et dignitatem, ut majora a Patre mihi vobisque laboris et passionis meæ præmia impetrem, scilicet mihi sessionem ad dextram Patris imperiumque totius mundi, adorationem omnium angelorum, conversionem omnium gentium ad meam fidem et cultum; vobis vero Spiritum Sanctum omniaque ejus dona, quibus armati totum mundum mihi vobisque subjiciatis, ac vobiscum ad gloriam cœlestem perducatis. Hæc enim, quæ longe majora sunt, quam hactenus vidistis et accepistis, vadens ad Patrem, ab eo postulabo et impetrabo.

Porro nonnulli, ut Arianis per omnia satisfaciant, subtilius sed intricatius respondent Patrem esse majorem Filio, non tantum, qua homo, sed etiam qua Deus est, quia nomen patris apud homines natura sua videtur honorificentius, quam nomen filii; pater enim est principium et causa filii. Major ergo est Pater Filio, non magnitudine, non tempore, non virtute, non dignitate, non adoratione, sed ratione cujusdam apud homines honoris, id est ratione originis : quia Pater est origo Filii, Filius vero non est origo Patris. Ita S. Athanasius, serm. *Contra Arian.*; S. Hilarius, lib. IX *De Trinit.*; S. Gregorius Nazianzenus, in orat. 4. *De Theol.*; Cyrillus, lib. II *Thesauri*, cap. III; Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius hic. Licet a parte rei in divinis filiatio, a qua dicitur filius, sit tam præstans, tam eminens, tam honorifica et honoranda, quam est paternitas in Patre; imo sicut Filius habet a Patre quod sit Filius, sic vicissim Pater habet a Filio quod sit Pater. Pater enim est, qui habet filium : quare hic origo passiva, quæ est in Filio, in se tam est digna et præstans, quam origo activa, quæ est in Patre. Nam tantum est gigni Deum, quantum est gignere Deum; ideoque tantum esse Filium quantum est esse Patrem. Denique uterque habet eamdem prorsus in individuo essentiam divinam, ac proinde eamdem majestatem, eamdem omnipotentiam, sapientiam, sanctitatem, etc.; quare alter altero major esse nequit. « Major est, ait S. Hilarius, donans donantis auctoritate, sed minor non est, cui unum esse donatur. » « Major, » intellige ex usu et æstimatione hominum, non Dei. Unde Maldonatus opinatur Hilarium, et similes plus æquo concessisse Arianis. Quare Damascenus, lib. I *De Fide*, cap. IX, id corrigens, ait : « Pater major est, non natura, non dignitate, sed tantum origine. » Vide Suarez, lib. II *De Trinit.*, cap. IV; nec aliud, ut opinor, voluit S. Hilarius.

*Tertio*, S. Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, respondent Patrem majorem esse Filio, non in se, sed in opinione hominum. Apostoli enim putabant Filium esse minorem Patre. Verum hoc durum videtur; Christus enim veritatis magister debebat loqui ex veritate, et Apostolorum, quasi discipulorum suorum, errorem corrigere.

Porro, analogia generationis divinæ cum humana, quæ Arianos fefellit, in multis dispar est et diversa. In humanis enim pater major est filio. *Primo*, quia filio est prior et senior; *secundo*, quia illo statura et quantitate est major : grandis enim generat infantem parvulum; *tertio*, quia producit naturam aliam et exilem, a sua numerice differentem, quam filio communicat; quare illo ejusque natura, utpote cujus est auctor, est major; *quarto*, quia libere generat filium : poterat enim non generare. At in divinis prorsus alia est ratio; nam Pater Filio, nec ætate, nec statura est major, sed coævus, par et æqualis; nec aliam a sua deitatem generat, sed eamdem, quam habet, Filio communicat : nec libere generat, sed ex naturali naturæ divinæ fœcunditate hunc Filium sibi æqualem producit, nec alium producere potest. Hæc enim deitatis fœcunditas tam poscit esse in Filio, quam in Patre, adeoque poscit esse in tribus personis, iisque totam sese æqualiter communicet et infundit. Denique S. Cyrillus, in *Concil. Ephesino*, probat Patrem majorem esse Christo qua homo est, non qua Deus, hac ratione : « Hunc (nempe Filium) agnoscimus perinde atque Patrem, nec converti, nec mutari posse, nullius rei indigentem, perfectum Filium, similem Patri, et ab eo solum, quia ingenitus sit, discrepantem. Nam est accurata et expressa Patris imago; atque constat imaginem plene complecti debere eas omnes res quibus exemplar ipsum, quod majus est, perfectius exprimatur, sicut ipse Dominus docuit : Pater major me est. »

Cur Pater non sit Filio major in Deo?

(1) Ita quoque Rosenmullerus ad h. l., quem audi : « Sensus loci nostri hic est : Abibo ad Patrem, *qui sublimiore conditione versatur, quam ego nunc*, dum humanæ sorti addictus sum. »

29. Et nunc dixi vobis priusquam fiat : ut, cum factum fuerit, credatis. — *q. d.* Nunc meum discessum et mortem, indeque resurectionem et reditum ad vos vobis prædico, non ut mihi condoleatis et vobis consulatis; sed ut, cum hæc ipsa reipsa compleri videritis, credatis me hæc omnia præscivisse et præordinasse, ac proinde mortem subiisse non ex necessitate, sed libera voluntate, pro vestra mundique salute, ideoque credatis me esse Messiam Dei Filium, salvatorem mundi. Audi S. Augustinum : « Hæc est laus fidei, si quod creditur non videtur, sed ex rebus quæ videntur, acquiritur in nobis, ut ea credantur, quæ non videntur; visuri erant discipuli post mortem viventem, et ad Patrem ascendentem, eoque credituri Filium esse Dei, qui hæc posset facere et prædicere, antequam faceret; credituri autem fide, non nova, sed aucta : aut certe cum mortuus esset, defecta; cum resurrexisset, refecta. »

30. Jam non multa loquar vobiscum : venit enim princeps mundi hujus. — *q. d.* Jam non est tempus plura loquendi, sed sermonem finio, quia princeps hujus mundi diabolus, cui se mundani homines subjecerunt, voluntate sua peccando, per suos satellites « venit, » id est adventat, ut me capiat et occidat. Dixit enim hoc Christus cum adventarent satellites cum Juda, missi a principibus ad ipsum comprehendendum.

Et (sed) in me non habet quidquam. — *q. d.* Venit quidem ut me capiat, sed in me nil habet juris, quia nihil in me inveniet peccati, propter quod Adamum et posteros ejus mori fecit : quare injuste mihi innocenti mortem inferret, idque ego patiar, ut morte mea injusta eum jure suo spoliem hominesque ab ejus potestate et tyrannide eripiam. Ita Cyrillus et Chrysostomus. Innocentia ergo Christi, morsque innocentis nos omnes nocentes a noxa liberavit. Et hæc erat magna Christi consolatio, quam Apostolis hic ingerit. Aut, ut Maldonatus, *q. d.* Venit diabolus ut me per Judæos capiat et occidat, sed « in me non habet quidquam, » id est non poterit me vincere aut perdere, uti sperat : licet enim moriturus sim, tamen id faciam non ejus potentia et vi, sed mea voluntate et libertate, ut Patris voluntati satisfaciam. Patet ex sequent.

Porro S. Ambrosius, lib. *De Fuga sæculi*, cap. iv, et S. Hilarius, lib. IX *De Trinit.*, legunt, « in me invenit nihil, » scilicet quod suum sit, id est nullum peccatum. Rursum iidem legunt sic : « In me non invenit nihil, » sicque explicant : in me non invenit peccatum, quod est nihil.

31. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. — *q. d.* Moriar, non coactus a Judæis dæmonis ministris, sed libere, ut amori et obedientiæ Patris satisfaciam. Ipse enim mihi mandavit, ut mortem hanc capessam pro redemptione hominum, quare sic facio, et eam capesso. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius et alii.

*Poteratne Christus mandatum moriendi a Patre acceptum non implere?*

Dices : Christus accepit mandatum a Patre patiendi, moriendi et agendi ea quæ agebat. Ergo non poterat velle contrarium, nec fuit liber, quia sic peccasset : Christus autem est impeccabilis duplici titulo, scilicet *primo*, propter unionem hypostaticam cum Verbo; *secundo*, propter lumen gloriæ; quia videt Deum; Christus enim et Beati, quia clare vident Deum esse bonum immensum, toti rapiuntur in ejus amorem, ut nil possint amare aut velle, quod illi sit contrarium vel displiceat. Respondeo unionem hypostaticam cum Verbo fecisse Christum impeccabilem, eo quod Verbi officium erat humanitatem illam sibi hypostatice unitam custodire et præservare, ut nullum peccatum admitteret, ne Verbum, sive Deus, sustentans illam humanitatem, peccasse diceretur. Actiones enim sunt suppositorum, sive personarum. Verbum autem custodivit humanitatem ne peccaret, non physice prædeterminando voluntatem humanam Christi ad parendum mandato Patris, sed tantum sua gratia congrua assidue ita ipsam præveniendo suaviterque dirigendo et impellendo, sicut ex præscientia futurorum conditionalium præsciebat, quod ipsa tali gratiæ consensura foret, ideoque semper Dei voluntati libere se subderet, nec vel venialiter illum offenderet. Porro lumen gloriæ necessitavit quidem Christum quatenus ipse erat beatus, ut actu beatifico subderet se visæ per hoc lumen Dei voluntati et decreto mortis, non tamen necessitavit eum, quatenus ipse erat viator, quia qua viator habuit scientiam infusam, uti nos habemus fidem, secundum quam libere actum amoris et obedientiæ elicere poterat, vel non elicere pro arbitrio, uti nos libere similes actus elicimus. Elicuit ergo actum liberum, quo mandato Patris obediens, mortem crucis acceptavit, dicens : « Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam, » *Psal.* xxxix, 7, et *Hebr.* x, 9; nec prior actus determinavit posteriorem, eo quod sint omnino disparati, et alterius ordinis : prior enim est actus beati, posterior est actus viatoris. Vide Scholasticos.

Surgite, eamus hinc. — Hæc verba pendent a præcedentibus, iisque sunt connexa, *q. d.* Ut mundus cognoscat me diligere Patrem, et mandatum ejus de morte capessenda ultro exequi, surgite, abeamus hinc ad hortum Gethsemani, ubi Judas et Judæi me exspectant, ut capiant et occidant. Ita S. Augustinus, *tract.* 70; Hilarius, lib. IX *De Trinit.*, Toletus et alii.

Minus recte ergo Chrysostomus, Euthymius et Ribera exponunt, *q. d.* Quia video vos, o Apostoli, esse timidos et pusillanimes, ob Judæos mihi imminentes et adventantes, surgite ergo, et eamus in locum, vel in partem domus secretiorem et tutiorem, ubi securius et quietius me cætera prosequentem audiatis.

Mystice : Cyrillus, lib. X, cap. xii; S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De Amore pauperum*, et S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, cap. v, exponunt, *q. d.* « Surgite, » id est animum attollite a terra in cœlum, ut mente versemini in cœlestibus : sic enim omnem metum excludetis, nec mortem timebitis, sed ambietis, quasi per eam recta ituri in cœlum.



*An Christus hic a mensa surrexerit, domoque exierit, et dixerit quæ sequuntur in via?*

Quæres, an vere Christus surrexerit ex mensa domoque exierit versus hortum Gethsemani, ac in via perrexerit loqui ea quæ narrat Joannes tribus cap. seq., quibus finitis, transierit torrentem Cedron, et hortum ingressus sit, in quo orans a Juda osculo proditus et a Judæis captus est, uti narrat Joannes, xviii, 1 et seq. Affirmant Cyrillus, Augustinus, Beda et Toletus, estque probabile. Probabilius tamen negant Jansenius, Maldonatus et alii, qui censent Christum hic domo aut loco non exiisse, tum quia Joannes id factum esse non narrat; tum quia in via eundo, Christus non potuisset commode dicere ea quæ sequuntur usque ad cap. xviii, ita ut Apostoli omnes, eum magno agmine sequentes, omnia illa audirent et intelligerent; tum quia Christum finito omni sermone tandem egressum esse asserit Joannes, xviii, 1; tum denique quia Matthæus, xxvi, 30, et Marcus, xiv, 27, affirmant Christum domo egredientem non concionatum esse, sed hymnum cantasse. Dicit ergo : « Surgite, » quia vere e mensa Christus surrexit, et in pedes se erexit jussitque Apostolis idem facere, ut secum abirent in montem Oliveti, ubi sciebat se capiendum; sed ut solent valedicentes chari et amici, qui ægre suis, quos summe amant, extremum valedicunt, et ægre ab eis avelluntur, sermonem abruptum resumere et prolongare : sic Christus stando novum et longiorem sermonem hic resumpsit eumque protraxit a cap. xv seq. usque ad cap. xviii, vers. 1, ubi sermonem finiens, abiit trans torrentem Cedron in montem Oliveti. Hic enim est mos amantium, dum sibi mutuo valedicunt. Sic Ovidius a suis abiturus in exilium, ita de se ægre valedicente canit, lib. 1 *Tristium*, elegia 3 :

> Ter limen tetigi, ter sum revocatus, et ipse
> Indulgens animo, pes mihi tardus erat.
> Sæpe vale dicto, rursus sum multa locutus,
> Et quasi discedens oscula summa dedi.

Tropologice : cum imminet res ardua a Deo decreta, vel a Superiore mandata, v. g., iter periculosum, mors, martyrium, generose et alacres nos offeramus Deo in victimam charitatis et obedientiæ, et ob amorem Dei ultro periculo occurramus, dicentes cum Christo : « Surgite, eamus. » Qui enim primum impetum timoris audacter ei occurrendo infringit, hic dimidium difficultatis vicit et reliquum facile pervincet uti quotidie experimur, juxta illud :

> Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

# CAPUT DECIMUM QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus ait se esse vitem, nos palmites, ideoque nos in eo quasi palmites in vite manere debere, ut uvas et vinum spiritale proferamus. Secundo, vers. 10, inculcat dilectionem Dei et proximi. Tertio, vers. 20, prædicit mundi persecutiones post mortem suam in Apostolos irruituras, eisque opponit, vers. 26, Paracletum a se mittendum.*

1. Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. 2. Omnem palmitem in me non fe-
rentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus
afferat. 3. Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. 4. Manete in
me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in
vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. 5. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me,
et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere. 6. Si quis in me
non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet; et colligent eum, et in ignem mit-
tent, et ardet. 7. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint : quodcumque vo-
lueritis, petetis, et fiet vobis. 8. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum
afferatis et efficiamini mei discipuli. 9. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete
in dilectione mea. 10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et
ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. 11. Hæc locutus sum vobis,
ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. 12. Hoc est præceptum
meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. 13. Majorem hac dilectionem nemo habet,
ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

29. ET NUNC DIXI VOBIS PRIUSQUAM FIAT : UT, CUM FACTUM FUERIT, CREDATIS. — *q. d.* Nunc meum discessum et mortem, indeque resurectionem et reditum ad vos vobis prædico, non ut mihi condoleatis et vobis consulatis; sed ut, cum hæc ipsa reipsa compleri videritis, credatis me hæc omnia præscivisse et præordinasse, ac proinde mortem subiisse non ex necessitate, sed libera voluntate, pro vestra mundique salute, ideoque credatis me esse Messiam Dei Filium, salvatorem mundi. Audi S. Augustinum : « Hæc est laus fidei, si quod creditur non videtur, sed ex rebus quæ videntur, acquiritur in nobis, ut ea credantur, quæ non videntur; visuri erant discipuli post mortem viventem, et ad Patrem ascendentem, eoque credituri Filium esse Dei, qui hæc posset facere et prædicere, antequam faceret; credituri autem fide, non nova, sed aucta : aut certe cum mortuus esset, defecta; cum resurrexisset, refecta. »

30. JAM NON MULTA LOQUAR VOBISCUM : VENIT ENIM PRINCEPS MUNDI HUJUS. — *q. d.* Jam non est tempus plura loquendi, sed sermonem finio, quia princeps hujus mundi diabolus, cui se mundani homines subjecerunt, voluntate sua peccando, per suos satellites « venit, » id est adventat, ut me capiat et occidat. Dixit enim hoc Christus cum adventarent satellites cum Juda, missi a principibus ad ipsum comprehendendum.

ET (sed) IN ME NON HABET QUIDQUAM. — *q. d.* Venit quidem ut me capiat, sed in me nil habet juris, quia nihil in me inveniet peccati, propter quod Adamum et posteros ejus mori fecit : quare injuste mihi innocenti mortem inferret, idque ego patiar, ut morte mea injusta eum jure suo spoliem hominesque ab ejus potestate et tyrannide eripiam. Ita Cyrillus et Chrysostomus. Innocentia ergo Christi, morsque innocentis nos omnes nocentes a noxa liberavit. Et hæc erat magna Christi consolatio, quam Apostolis hic ingerit. Aut, ut Maldonatus, *q. d.* Venit diabolus ut me per Judæos capiat et occidat, sed « in me non habet quidquam, » id est non poterit me vincere aut perdere, uti sperat : licet enim moriturus sim, tamen id faciam non ejus potentia et vi, sed mea voluntate et libertate, ut Patris voluntati satisfaciam. Patet ex sequent.

Porro S. Ambrosius, lib. *De Fuga sæculi*, cap. IV, et S. Hilarius, lib. IX *De Trinit.*, legunt, « in me invenit nihil, » scilicet quod suum sit, id est nullum peccatum. Rursum iidem legunt sic : « In me non invenit nihil, » sicque explicant : in me non invenit peccatum, quod est nihil.

31. SED UT COGNOSCAT MUNDUS QUIA DILIGO PATREM, ET SICUT MANDATUM DEDIT MIHI PATER, SIC FACIO. — *q. d.* Moriar, non coactus a Judæis dæmonis ministris, sed libere, ut amori et obedientiæ Patris satisfaciam. Ipse enim mihi mandavit, ut mortem hanc capessam pro redemptione hominum, quare sic facio, et eam capesso. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius et alii.

Poteratne Christus mandatum moriendi a Patre acceptum non implere?

Dices : Christus accepit mandatum a Patre patiendi, moriendi et agendi ea quæ agebat. Ergo non poterat velle contrarium, nec fuit liber, quia sic peccasset : Christus autem est impeccabilis duplici titulo, scilicet *primo*, propter unionem hypostaticam cum Verbo; *secundo*, propter lumen gloriæ; quia videt Deum; Christus enim et Beati, quia clare vident Deum esse bonum immensum, toti rapiuntur in ejus amorem, ut nil possint amare aut velle, quod illi sit contrarium vel displiceat. Respondeo unionem hypostaticam cum Verbo fecisse Christum impeccabilem, eo quod Verbi officium erat humanitatem illam sibi hypostatice unitam custodire et præservare, ut nullum peccatum admitteret, ne Verbum, sive Deus, sustentans illam humanitatem, peccasse diceretur. Actiones enim sunt suppositorum, sive personarum. Verbum autem custodivit humanitatem ne peccaret, non physice prædeterminando voluntatem humanam Christi ad parendum mandato Patris, sed tantum sua gratia congrua assidue ita ipsam præveniendo suaviterque dirigendo et impellendo, sicut ex præscientia futurorum conditionalium præsciebat, quod ipsa tali gratiæ consensura foret, ideoque semper Dei voluntati libere se subderet, nec vel venialiter illum offenderet. Porro lumen gloriæ necessitavit quidem Christum quatenus ipse erat beatus, ut actu beatifico subderet se visæ per hoc lumen Dei voluntati et decreto mortis, non tamen necessitavit eum, quatenus ipse erat viator, quia qua viator habuit scientiam infusam, uti nos habemus fidem, secundum quam libere actum amoris et obedientiæ elicere poterat, vel non elicere pro arbitrio, uti nos libere similes actus elicimus. Elicuit ergo actum liberum, quo mandato Patris obediens, mortem crucis acceptavit, dicens : « Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam, » *Psal.* XXXIX, 7, et *Hebr.* X, 9; nec prior actus determinavit posteriorem, eo quod sint omnino disparati, et alterius ordinis : prior enim est actus beati, posterior est actus viatoris. Vide Scholasticos.

SURGITE, EAMUS HINC. — Hæc verba pendent a præcedentibus, iisque sunt connexa, *q. d.* Ut mundus cognoscat me diligere Patrem, et mandatum ejus de morte capessenda ultro exequi, surgite, abeamus hinc ad hortum Gethsemani, ubi Judas et Judæi me exspectant, ut capiant et occidant. Ita S. Augustinus, *tract.* 70; Hilarius, lib. IX *De Trinit.*, Toletus et alii.

Minus recte ergo Chrysostomus, Euthymius et Ribera exponunt, *q. d.* Quia video vos, o Apostoli, esse timidos et pusillanimes, ob Judæos mihi imminentes et adventantes, surgite ergo, et eamus in locum, vel in partem domus secretiorem et tutiorem, ubi securius et quietius me cætera prosequentem audiatis.

Mystice : Cyrillus, lib. X, cap. XII; S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De Amore pauperum*, et S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, cap. V, exponunt, *q. d.* « Surgite, » id est animum attollite a terra in cœlum, ut mente versemini in cœlestibus : sic enim omnem metum excludetis, nec mortem timebitis, sed ambietis, quasi per eam recta ituri in cœlum.



[illegible] in via?

Quæres, an vere Christus surrexerit ex mensa domoque exierit versus hortum Gethsemani, ac in via perrexerit loqui ea quæ narrat Joannes tribus cap. seq., quibus finitis, transierit torrentem Cedron, et hortum ingressus sit, in quo orans a Juda osculo proditus et a Judæis captus est, uti narrat Joannes, XVIII, 1 et seq.? Affirmant Cyrillus, Augustinus, Beda et Toletus, estque probabile. Probabilius tamen negant Jansenius, Maldonatus et alii, qui censent Christum hic domo aut loco non exiisse, tum quia Joannes id factum esse non narrat; tum quia in via eundo, Christus non potuisset commode dicere ea quæ sequuntur usque ad cap. XVIII, ita ut Apostoli omnes, eum magno agmine sequentes, omnia illa audirent et intelligerent; tum quia Christum finito omni sermone tandem egressum esse asserit Joannes, XVIII, 1; tum denique quia Matthæus, XXVI, 30, et Marcus, XIV, 27, affirmant Christum domo egredientem non concionatum esse, sed hymnum cantasse. Dicit ergo : « Surgite, » quia vere e mensa Christus surrexit, et in pedes se erexit jussitque Apostolis idem facere, ut secum abirent in montem Oliveti, ubi sciebat se capiendum; sed ut solent valedicentes chari et amici, qui ægre suis, quos summe amant, extremum valedicunt, et ægre ab eis avelluntur, sermonem abruptum resumere et prolongare : sic Christus stando novum et longiorem sermonem hic resumpsit eumque protraxit a cap. XV seq. usque ad cap. XVIII, vers. 1, ubi sermonem finiens, abiit trans torrentem Cedron in montem Oliveti. Hic enim est mos amantium, dum sibi mutuo valedicunt. Sic Ovidius a suis abiturus in exilium, ita de se ægre valedicente canit, lib. I *Tristium*, elegia 3 :

Ter limen tetigi, ter sum revocatus, et ipse
Indulgens animo, pes mihi tardus erat.
Sæpe vale dicto, rursus sum multa locutus,
Et quasi discedens oscula summa dedi.

Tropologice : cum imminet res ardua a Deo decreta, vel a Superiore mandata, v. g., iter periculosum, mors, martyrium, generose et alacres nos offeramus Deo in victimam charitatis et obedientiæ, et ob amorem Dei ultro periculo occurramus, dicentes cum Christo : « Surgite, eamus. » Qui enim primum impetum timoris audacter ei occurrendo infringit, hic dimidium difficultatis vicit et reliquum facile pervincet uti quotidie experimur, juxta illud :

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

# CAPUT DECIMUM QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Christus ait se esse vitem, nos palmites, ideoque nos in eo quasi palmites in vite manere debere, ut uvas et vinum spiritale proferamus. Secundo, vers. 10, inculcat dilectionem Dei et proximi. Tertio, vers. 20, prædicit mundi persecutiones post mortem suam in Apostolos irruituras, eisque opponit, vers. 26, Paracletum a se mittendum.*

1. Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. 2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. 3. Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. 4. Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. 5. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere. 6. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet; et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. 7. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint : quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis. 8. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis et efficiamini mei discipuli. 9. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. 10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. 11. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. 12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. 13. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

præcipio vobis. 15. Jam non dicam vos servos; quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. 16. Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat : ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. 17. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. 18. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. 19. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret : quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. 20. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt. 21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum; quia nesciunt eum qui misit me. 22. Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo. 23. Qui me odit, et Patrem meum odit. 24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum. 25. Sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis. 26. Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me : 27. et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

1. Ego sum vitis vera. — Græce est geminus articulus, ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή, id est *illa vitis illa vera*; Syrus, *ego sum vitis illa veritatis*. Proponit hic Christus parabolam vitis et palmitum, hoc scopo et fine, ut ex ea Apostolos doceat debere manere in sua fide et dilectione, nec ab ea discedere ob instantem passionem et mortem : sic enim fructum vitæ æternæ sibi et aliis allaturos. Hunc esse scopum et fructum parabolæ patet ex præced. et seq., præsertim ex illo vers. 9 : « Manete in dilectione mea. »

Christus se comparat viti, non qua Deus est, ut volebat Arius, inde probans Filium esse Patre, utpote agricola, minorem, sed qua homo : sic enim homines ei inseruntur, quasi palmites; hi enim cum vite sunt ejusdem naturæ et homogenei. Unde S. Hilarius, lib. IX *De Trinit.* : « Idcirco, ait, Christus carnem assumpsit, ut illi quasi viti nos homines carnei, quasi palmites inseri possemus. » Sed tamen caro Christi non haberet illam vim producendi palmites, id est fideles et sanctos omnis generis, nisi ei conjuncta esset divinitas, ideoque Cyrillus, lib. X, cap. XIII, ait Christum esse vitem ratione divinitatis. Et S. Augustinus, *tract.* 81 : « Quamvis Christus, ait, vitis non esset, nisi homo esset; tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi Deus esset. »

Quæres, cur Christus potius viti se comparet, quam pomo, piro, nuci, alterive arbori? Respondet S. Athanasius, *in Disput. contra Arium*, et ex eo Ribera, Toletus et alii, ob multas vitis dotes, quibus aliis arboribus præcellit, quæ optime Christo conveniunt, nimirum *primo*, propter fructuum copiam; est enim fœcundissima inter omnes plantas : quod et David, *Psal.* CXXVII, significavit, dicens : « Uxor tua sicut vitis abundans; » *secundo*, propter suavitatem fructus, est enim dulcissimus et suavissimus; *tertio*, propter vinum, quod ex ejus fructu conficitur, quod lætificat cor, multosque parit effectus similes Christi adventus fructibus. *Quarto* etiam, quia inter omnes plantas maxime ramos diffundit et expandit, ut considerata trunci quantitate mirum in modum palmites extendat, in quo Ecclesiæ extensio significatur, de qua *Psal.* LXXX, in figura illius populi dictum est : « extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus. » *(Secunda. Tertia. Quarta.)*

*Quinta.* *Quinto*, vitis habet flores odoratos et folia latissima, quibus umbram facit; unde iis pira, poma, cerasa, pruna aliosque fructus contegere et mensæ inferre solemus. Folia Christi sunt gratiæ externæ loquendi, prædicandi, conversandi, etc.

*Sexta.* *Sexto*, vitium principatus peculiaris est Italiæ, ut eo omnium gentium bona vicisse videatur, ait Plinius, lib. XIV, in procemio. Sic pariter vitis, id est Ecclesiæ, principatum et Pontificatum tenet Roma.

*Septima.* *Septimo*, tanto potentiora sentiuntur vina, quanto propior fuerit uva terræ, ait Plinius, lib. XVII, cap. XXII, sic Christi potentiam sensimus, dum ad terram descendit, et ex ea carnem assumpsit.

*Octava.* *Octavo*, vetustioribus vitibus vinum melius, novellis copiosius, ait Plinius, lib. XVI, cap. XXVII. Rursum, vina nonnulla durant ducentos annos, tumque mellis asperi saporem habent, ait Plinius, lib. XIV, cap. IV. Herbipoli Reverendissimus D. Godefridus Episcopus gustandum mihi dedit vinum centum annorum. Hinc illud : « Vino vetere utere. » Sapientia enim est senum.



*Nono*, raphanus et laurus odore aut succi mixtura lædunt vitem, ait Plinius, lib. XVII, cap. XXIV. Idem, lib. XX, cap. IX, docet brassicam viti esse inimicam. Brassicam, ait, vitis fugit, aut si fugere non potest, moritur : ex adverso arbor viti gratissima est populus, cui se alligat, et quasi maritat.

*Decima.* *Decimo*, nec est ulli ligno æternior materia, quam viti, ait Plinius, lib. XIV, cap. I.

*Undecima.* *Undecimo*, vitis sola bis parturit, cum primum emittit uvam, iterum cum digerit, ait Plinius, lib. XVI, cap. XXV. Rursum, vites nonnullæ sunt biferæ, aliæ triferæ.

*Duodecima.* *Duodecimo*, Cato de cultura vitium ita præcipit : « Quam altissimam vineam facito alligatoque recte, dum ne nimium constringas, etc., quæ fuse recitat Plinius, lib. XVII, cap. XXII.

*Vitis assidua spirituali-tura.* Denique, vites multiplici, magna et assidua egent cultura; oportet enim eas fodere, plantare, statuminare, alligare, pastinare, ablaqueare, stercorare, putare, defrondere, etc. Sic multa, magna et continua cura eget Ecclesia et anima sancta, quæ Christo quasi viti inseritur. Plures vitis dotes et analogias recensui, *Ezech.* XV, 2.

*Cur Christus se viti comparet?* Porro, propriæ et potissimæ causæ sunt duæ, cur Christus hic comparaverit se viti, non piro, nuci, alterive arbori. Prior est, quod jam recenter Christus Eucharistiam instituerat, ac sub specie vini Apostolis sanguinem suum bibendum dederat et fidelibus omnibus per omnia sæcula bibendum reliquerat, ut eo quasi musto in amore ejus exardescerent et tentationes omnes superarent. Quocirca cum paulo ante monuisset Christus Apostolos, ut in dilectione ejus persisterent, etiamsi viderent eum prodi a Juda, capi, crucifigi et occidi; hinc jam idem hic inculcat per parabolam vitis, *q. d.* Sicut palmes semper inhæret viti, nec ullo frigore, vento, fulmine, ab ea se divelli patitur, ut fructum ferat; sic et vos, o Apostoli, in mea dilectione persistite, nec ob meam passionem et mortem a mea fide et amore desciscite : sic enim fructum insignem et copiosum proferetis.

Posterior causa est, quod Christus jam ibat ad passionem, crucem et mortem, quam optime repræsentat vitis per suas uvas : sicut enim e calcata uva exprimitur vinum præstans et sapidum; sic e calcato Christo in torculari crucis, expressus est sanguis, quo redemptus est mundus. Alludit ergo Christus ad illud, *Gen.* XLIX, 11, a Jacobo de se prædictum : « Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvæ pallium suum : pulchriores sunt oculi ejus vino. » Vide ibi dicta. Hinc S. Hilarius, lib. IX *De Trinit.* : « Ad consummanda, ait, passionis sacramenta exsurgens, corporeæ assumptionis mysterium pandit, per quam et tanquam viti palmites insumus. » Glossa quoque sic exponit, *q. d.* : « Me præcedentem ad passionem debetis sequi, quia ego sum vitis, id est caput vestrum, ejusdem naturæ vobiscum. »

Vide S. Bernardum (si tamen ipse est auctor : nam stylus dissonat), tract. *de Passione*, hoc titulo : *Ego sum vitis vera*, qui totus est de hac re, ubi inter alia, cap. I, ait : Plantari solet vitis in terra, non seminari, translata de sua vite : sic vitis primo nata de vite est Christus, quasi Deus genitus de Deo, Filius de Patre, sed ut majorem ferret fructum, plantatus est in terra, id est in Virgine Maria conceptus. Deinde omnes conditiones vitis Christo adaptat. Unde, cap. II, agens de præcisione vitis : « Quomodo, ait, amputata fuit in Christo gloria? cultro ignominiæ; potentia? cultro abjectionis; voluptas? cultro doloris; divitiæ? cultro paupertatis. » Cap. III, agit de circumfossione vitis docetque simili modo Judæos foveas insidiarum fodisse Christo, ut eum caperent in sermone, sed eo illæso, ipsosmet in fossas suas incidisse. Cap. IV, agit de vinculis vitis eaque applicat funibus, quibus ligatus fuit Christus, dum caperetur, et dum alligaretur columnæ et flagellaretur; item coronæ spineæ; qua caput ejus Judæi vinxerunt; item clavis ferreis, quibus alligatus fuit cruci. Cap. V, agit de cultura vitis. Cap. VI, de foliis vitis, quæ sunt latissima, per eaque accipit verba Christi, præsertim septem ultima, quæ in cruce edidit : hæc enim quasi umbra nos in omni tentatione solantur, protegunt et tutantur.

Quæres *secundo*, cur Christus dicatur « vitis vera? » Respondet *primo*, Ribera, quia ipse simillimus est viti ipsique verissime competunt omnes proprietates vitis. *Secundo*, Euthymius : « Vera, » ait, hoc est quæ veritatis fructum profert. *Tertio*, idem Euthymius : « Vera, » id est eximia, inquit, spiritalis et incorruptibilis. *(Christus vitis vera. Cur?)*

Verum dico Christum vocari « vitam veram, » quia vere habet naturam, indolem, proprietates et dotes vitis. Sicut enim vera vitis veros palmites et veras uvas producit, sic Christus veros fideles verasque virtutes progignit per suam gratiam, quam eis velut succum viniferum instillat. Sic igitur ipse dicitur « vera vitis, » non corporalis, sed spiritualis. Vera ergo vitis opponitur viti falsæ et fallaci, quæ speciem habet vitis, sed non naturam, quæque non uvas, sed labruscas, nec vinum, sed omphacium profert : quales sunt vites Sodomæ, quæ exterius proferunt uvas in speciem pulchras, sed ubi eas attigeris, in favillam resolvuntur et in fumum abeunt et evanescunt, teste Josepho, lib. II *De Bello*, cap. V. Tales vites quoque fuere Judæi, a Deo ad idola et vitia desciscentes, de quibus *Deut.* XXXII, 32, dicitur : « De vinea Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ : uva eorum uva fellis et botri amarissimi; fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. »

*Secundo*, Christus est « vitis vera, » Græce ἡ ἀληθινή, id est *illa vera*, id est verissima, singularis

perfecta, eximia, cui cæteræ vites omnes comparatæ non sunt veræ vites, sed umbræ vitium. Sic dicitur Christus lux vera, vita vera, panis verus, quia lucet, vivificat, nutrit magis quam ulla corporea lux, vita et pan[illegible]. Vide dicta cap. I, vers. 9. Christus ergo est vitis electa, Hebr. *sorec*, id est singularis et præstantissima, de qua Isaias, cap. V, vers. 2, quæ ramos suæ fidei et Ecclesiæ propagavit per totum orbem ac ubique producit uvas, id est agmina Martyrum, Virginum, Confessorum et Sanctorum omnium, juxta illud *Zachar.* IX, 17 : « Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines ? »

Alludit Christus ad illud de se a Siracide 250 annis ante prædictum : « Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris ; et flores mei fructus honoris et honestatis, » *Eccli.* XXIV, 23 ; vide ibi dicta. Et ad illud Davidis, *Psal.* LXXIX, 21 : « Plantasti radices ejus, et implevit terram : operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei : extendit palmites suos usque ad mare. »

Et pater meus agricola (id est viticola) est, — qui scilicet me quasi vitem plantavit in terra, meosque palmites, id est Apostolos cæterosque fideles excolit, inutiles resecando, utiles purgando, ut fructum majorem afferant, ut sequitur. Ager ergo hic non solum agrum seminis, sed et vineam, hortum, pratum et quidquid camporum est complectitur. Audi S. Augustinum, *De Verbis Domini secundum Joan.*, serm. 59 : « Colimus Deum adorando, non arando ; et colit nos Deus meliores reddendo : extirpat enim verbo suo mala semina de cordibus nostris ; aperit cor nostrum tanquam aratro sermonis ; plantat semina præceptorum, exspectat fructum pietatis. »

Objiciebant Ariani : Vitis et Agricola sunt diversæ naturæ ; ergo cum agricola sit Deus Pater, vitis sit Christus, nequit Christus esse Deus. Respondent Athanasius, Basilius et Ambrosius : Christum esse vitem quoad humanam naturam a se assumptam, et sic diversæ esse naturæ ab agricola, id est Deo Patre. Rursum, etsi demus Christum esse vitem, etiam qua Deus est, nil concludit argumentum. Nam in comparatione similium, non identitas vel similitudo naturæ, sed id in quo ponitur similitudo, spectandum est. Similia enim communiter sunt diversæ et dissimilis naturæ, sed comparantur in dote aliqua, in qua conveniunt et assimilantur viti et agricolæ, non in identitate naturæ, sed in similitudine palmitum et fructuum, scilicet uvarum, quas proferunt. Porro Filius quoque et Spiritus Sanctus est agricola hujus vitis, sed Christus de more soli Patri id attribuit, quia Pater est origo Filii et Spiritus Sancti, ac principium divinitatis, ut ait Dionysius, *De Divin. nominib.* Ita S. Augustinus.

2. Omnem palmitem. — Christus de vite nil dicit, sed de palmitibus, quia Christus qui est vitis, sibi sufficit, discipuli autem multo egent auxilio et cultura Dei, ait Chrysostomus. Sed et Christi mentem Deus assiduis illustrationibus et impulsibus excolebat et incitabat ad opera heroica.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum ; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. — *q. d.* Omnem fidelem, sive Christianum, qui per fidem et baptismum mihi quasi palmes viti insertus est, si non ferat fructum bonorum operum, Deus Pater tollet eum, id est velut infrugiferum et inutilem palmitem abscindet a vite, tum separando eum occulte a communione spiritus et gratiæ Christi, publice etiam separando eum a Christo per excommunicationem aut permissionem lapsus in hæresim ; tum in morte separando eum a Christi Sanctorumque consortio : eum vero qui fert fructum, purgabit a luxurie frondium, a vermibus omnique noxa, id est ab amore vanitatum et sordium hujus mundi, ut fructum plus afferat. Loquitur Christus primo et proxime Apostolis, deinde cæteris fidelibus. Sic enim Deus Pater paulo ante separavit Judam proditorem a Christo et Apostolis, cogens eum egredi ex eorum domo et familia : Petrum vero aliosque Apostolos purgavit a nimio amore hujus vitæ ac timore Judæorum, quo perciti Christum, dum comprehenderetur, vel negarunt, vel fugerunt, quando in Pentecoste misit in eos Spiritum Sanctum, qui omnem hunc amorem et timorem resecuit, ut Dei amore pleni Judæorum manus et minas non timerent. Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus. Addit Cyrillus aliam expositionem, ut palmes infructuosus sit populus Judæorum, qui propter infidelitatem suam excisus est, palmes autem fructuosus sint fideles, tum ex Judæis quam ex Gentibus, quos purgat Pater, sed diversimode ; nam Judæis Mosaicæ legis ruditas tollitur, Gentibus impuritas morum et idololatriæ voluntas.

Sed hic sensus scopo Christi non congruit. Loquitur enim de fidelibus duntaxat : quare Judæi non possunt dici palmites in Christo manentes. Porro falx vel culter, quo Deus palmites, id est fideles purgat, *primo*, est sermo Dei. Unde de eo subdit vers. 3 : « Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. » Sermo enim Dei docet incitatque ut mentem a sordibus expurgemus. *Secundo*, sunt tribulationes, afflictiones, persecutiones, paupertas, fames, etc., hæ enim nos ab amore mundi avocant et ad Deum confugere compellunt. Ita Cyrillus. Audi S. Gregorium, lib. VII, *epist.* 32 : « Palmes fructuosus purgari dicitur, quia per disciplinam reciditur, ut ad uberiorem gratiam perducatur. Sic enim spicarum grana tribulis attritæ aristis et paleis nudantur. Sic olivæ prælo pressæ in olei pinguedinem defluunt. Sic botri vinearum tunsi calcibus, in vinum liquescunt. » — *Falx Dei primo est verbum Dei.*

*Tertio*, sunt illustrationes, terrores, increpationes, quas Deus mentibus fidelium immittit, ut ex eis sarmenta vitiorum expurget et resecet. Sic a — *Tertio, increpationes.*



Deo increpitus fuit S. Hieronymus, imo vapulavit, quod studiosius Ciceronem quam S. Scripturam lectitaret. Audi eum, epist. 22 *ad Eustochium* : « Raptus in spiritu ad tribunal judicis pertrahor : ubi tantum luminis, et tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in terram sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat : Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus. Ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Illico obmutui, et inter verbera (nam cædi me jusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum reputans : In inferno autem quis confitebitur tibi ? Clamare autem cœpi, et ejulans dicere : Miserere mei, Domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat, » etc. Et mox : « Liventes fateor me habuisse scapulas, plagas sensisse post somnum, et tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante mortalia legeram. » Sic S. Catharina Senensis ob levem in oratione distractionem, acriter a Christo reprehensa, adeo erubuit, ut diceret malle se coram toto mundo confundi, quam similem castigationem et confusionem iterum subire. Simile de se refert S. Brigida in suis *Revelat.* Hinc patet necessitas [illegible]e ac vis et integritas bonorum operum, nec sufficere solam fidem ad salutem, uti volunt hæretici. Hunc enim fructum requirit hic Christus, quem nisi inveniat, minatur cuilibet palmiti, id est cuilibet fideli, præcisionem a vite, id est damnationem æternam. Quare errabant Begardi et Beguinæ, dicentes viros perfectos non obligari ad bona opera, quos proinde damnat Clemens V in Concilio Viennensi, ut patet in Clement. *Ad nostrum*, de hæret. Ac contra eos Christus urget τὸ « in me, » *q. d.* Indignum est ut aliquis fidelis manens in me, nullum charitatis et virtutum fructum ferat, sed sit iners et otiosus ; cum ego qui sum Sanctus Sanctorum, Deique Filius, tot assidue proferam, adeoque tota vita mea non sit aliud quam labor in evangelizando, ac crux et martyrium in patiendo. — *S. Catharina Senensis ob levem in oratione distractionem a Christo reprehenditur.*

Patet *secundo*, errare Lutherum, dum ait omnia fidelium opera esse peccata, eo quod ex innata concupiscentia emanent, nec fiant in charitate perfecta : si enim hoc verum esset, Christus ea non requireret, nec ea vocaret fructum, sed potius damnaret ut venenum. Vide Concilium Tridentinum, sess. VI, can. 25.

Patet *tertio*, errare pariter Lutherum, dum ait per quodlibet peccatum mortale fidem amitti : quod damnat Tridentinum, *ibid.*, can. 28. Nam Christus loquitur hic de fideli, qui in se manet per fidem, nec habet fructum charitatis. Habet ergo talis fidem, sed non charitatem.

Vers. 3. 3. Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. — Ecce hæc est falx, qua Deus Pater suos Apostolos καθαίρει, id est purgat et mundat, ut sint καθαροί, id est puri et mundi, scilicet sermo Christi. Nam, ut ait Paulus, *Hebr.* IV : « Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque ac medullarum. » Sensus ergo est, *q. d.* Sermo meus, id est doctrina mea, quam vos docui vobisque persuasi, ut illi credatis et obediatis, hæc est falx, quæ vos purgavit ab errore et vitiis, vosque mundos, sanctos Deoque gratos effecit.

Loquitur Christus proprie de sermone post ultimam cœnam, qui proxime præcessit cap. XIII et XIV ; nam, ut recte advertit Toletus, hic sermo ignit corda discipulorum jam in Christo fructum ferentia, et per gratiam et dilectionem ac fidem unita purgavit, ut plus afferrent fructus ; purgavit autem a multis imperfectionibus, tum illustrando et docendo, tum increpando et admonendo, tum instruendo, tum demum affligendo : nam dolore et timore eos affecit, quibus eorum fides aucta est, et dilectio ferventior, et spes robustior est effecta.

Hoc enim Christi sermone Apostoli purgati sunt ab ignorantia quadam nam Petrus nesciebat ; quo Jesus vaderet, Thomas ignorabat viam, Judas alter Patrem videre quærebat : has ignorantias resecuit Dominus. Purgati sunt etiam a vana quadam confidentia ; nam Petro eorum primo dictum est : « Ter me negabis. » Purgati sunt a carnali quodam affectu ; quia nimirum intenti et addicti erant præsentiæ sensibili Christi, semper ea frui cupientes : jam autem audiunt Dominum abire ad Patrem eosque remansuros. Purgantur a pusillanimitate, qua recedente Christo jam fere de sua salute desperabant. Multæ aliæ erant imperfectiones, quas Dominus a suis discipulis resecuit hac nocte cœnæ.

Porro quærit S. Augustinus, *tract.* 80 : « Quare non dicit : Jam vos mundi estis propter baptismum, quo loti estis ; sed : Propter verbum ? » et respondet : « Quia etiam in aqua baptismi verbum Dei est, quod mundat : detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua ? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. »

Sed hac responsione, juxta ea quæ dixi, non est opus. Nam non loquitur Christus de munditie per baptismum vel Eucharistiam accepta, sed de ea quam Apostolis sermo Christi jam dictus contulit : ille enim leves imperfectiones post Baptismum et Eucharistiam in Apostolis remanentes purgavit et sustulit. Unde notat S. Augustinus aitque : « Jam vos mundi estis, mundi scilicet atque mundandi ; neque enim nisi mundi essent, fructum ferre potuissent, et tamen omnem qui fert fructum purgat agricola, ut fructum plus afferat. »

4. Manete in me (ut in vite palmites, non aridi et infrugiferi per solam fidem, sed ut frugiferi et vivi per charitatem et studium bonorum operum), et ego in vobis. — Hæc particula partim est promissio Christi, *q. d.* Si maneatis in me per fidem charitate formatam, vobis promitto quod

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

ego vicissim manebo in vobis, sicut vitis manet in palmitibus per continuum influxum, ut eis vitale alimentum succumque ad uvas gignendum subministret. Simili enim modo ego vobis Spiritum gratiæ subministrabo, ad producenda bona charitatis et virtutum opera. Ita S. Augustinus, Beda et Euthymius. Partim est præceptum, *q. d.* Curate ut vos in me maneatis, et ego vicissim maneam in vobis, quia sine me nihil potestis facere. Hoc autem curabitis, si maneatis in mea dilectione; sic enim efficietis ut ego vicissim in vobis maneam per meam gratiam, ac continuo spiritum meum in vos immittam et influam, quo in vita spirituali vegetemini et crescatis, ac spiritalia opera edere pergatis. Ita Toletus, Ribera et alii. Audi S. Gregorium, in *Opusc.*, in exposit. VI *Psal. pœnitentialis*, in illis verbis : « Sustinuit anima mea in verbo ejus, » ita ait : « Ubi manendum est, nisi in Christo? deficient domus, palatia corruent, destruentur civitates ab imis sedibus, turres evellentur, cœlum et terra transibunt, verbum autem Domini manet in æternum : maneamus ergo in eo, qui manet in æternum. »

Hæc est conclusio Christi, qua discipulos hortatur ut in ipso ipsiusque doctrina et dilectione perseverent, quam deinceps probat septem rationibus. *Prima* ratio est, quod sine ipso nil boni et salutiferi possint facere. *Secunda*, vers. 5, quod si in ipso maneant, multum fructum proferent. *Tertia*, vers. 6, ex pœna, quia si in ipso non maneant, arescent et in ignem gehennæ mittentur. *Quarta*, vers. 7, quia si in ipso maneant, impetrabunt a Deo quidquid postulabunt. *Quinta*, vers. 8, quod hoc modo valde glorificabunt Deum ejusque gloriam per totum orbem promovebunt. *Sexta*, vers. 9, quia ipse continue et mirifice dilexit eos; par ergo est ut ipsi vicissim eum diligant et in ejus dilectione persistant. *Septima*, vers. 11, quod per hoc sint futuri in perenni gaudio. Audi primam :

Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : sic et vos, nisi in me manseritis. — *q. d.* Sicut palmes a vite haurit vitam et succum ad producendum uvas, sic et vos a me hauritis vitam gratiæ et spiritum ad producendum bona opera, quæ merentur vitam æternam. Ex hoc loco ergo patet hominem non a se suisque naturæ viribus, non etiam exterius ab homine docente vel suadente, sed ab interna Christi gratia, partim actu præveniente, partim habituali, haurire vim producendi bona opera, præsertim supernaturalia, ac vim per illa merendi augmentum gratiæ et gloriæ : quia palmes nil habet a se, sed omnem succum, efficientiam et vim producendi uvas haurit a vite. Ita definit, et sic hunc locum explicat Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. XVI, causamque subdit : « Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat : quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent; nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur. »

Objicit Calvinus : Ergo homo non habet liberum arbitrium, nec per illud cooperatur gratiæ, sed gratia sola totum opus facit : sicut enim palmes omnem succum uvarum haurit a vite, et nil succi habet ex se, sic homo omnem vim bene operandi haurit a gratia, et per consequens nihil habet ex se, quo gratiæ cooperetur, et quod operi ex gratia facto communicet. Respondeo *primo*, negando consequentiam : nec enim in simili omnia sunt similia, ut debeant aut possint rei assimilatæ applicari, sed in eo tantum, in quo collocatur ipsa similitudo. Christus ergo hic in eo tantum suam collocat similitudinem, quod sicut palmes omnem suum vigorem et succum ad producendas uvas trahit sugitque a vite, sic et fidelis a gratia Christi haurit omnem succum, vim et vigorem ad producendum opera supernaturalia; sed dissimilitudo est in eo quod homo, cum sit rationalis, gratiæ cooperetur, idque libere : quod non facit palmes in vite, cum sit stipes irrationalis; nam a libera hominis cooperatione habet opus bonum quod sit liberum et humanum, sicut ab influxu gratiæ habet quod sit opus supernaturale, Deo dignum et gratum.

*Secundo*, nego antecedens : nam palmitem, præter vigorem et succum, quem a vite accepit, etiam natura sua aliquid ad uvas producendas cooperari, patet ex eo quod, si alius palmes non vitifer, aut alterius fructus frugifer, v. g. palmes pomi, piri, cerasi, insereretur viti, nihil produceret, vel certe produceret poma, pira, cerasa, non uvas; quod ergo producat uvas, habet ab hoc palmite vitifero.

Fateor tamen ipsam cooperationem liberi arbitrii esse etiam a gratia, hoc sensu, quod nisi liberum arbitrium a gratia præventum esset, elevatum, roboratum et incitatum ad cooperationem, et nisi gratiam adjutricem et cooperantem haberet, non posset ei cooperari, aut quidquam facere : de quo mox plura. Et hæc est secunda ratio, qua Christus stimulat Apostolos ut in se maneant.

5. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo (id est qui ita manet in me, ut ego etiam maneam in eo, hoc est qui manet in me, non per solam fidem, sed per fidem charitate formatam, ita ut ego vicissim eum gratia meoque spiritu imbuam), hic fert fructum multum — bonorum operum et meritorum, quibus augmentum gratiæ et gloriæ continue promeretur. Hinc Conc. Milevitanum et Arausican. damnat Pelagianos dicentes : A Deo habemus quod homines simus, sed a nobis quod justi simus : ut Augustinus, *tract.* 81, vocat non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrii, et adversus eos ita concludit : « Qui a semetipso se ferre fructum existimat, in vite non est; qui in vite non est, in Christo non est; qui in Christo non est, Christianus non est. »

Quia sine me (non tantum generali et naturali, sed et speciali ac supernaturali gratiæ auxilio præveniente et concurrente) nihil potestis facere; — nihil scilicet fructus, qui sit fructus vitis, id est Christi, vel gratiæ, uti præcessit, hoc est nihil vita æterna aut gratia dignum et meritorium (quod uvæ et vinum, qui est liquor præstans, repræsentant), uti volebant Pelagiani, qui censebant opera bona et meritoria posse absolute fieri per liberum arbitrium, facilius tamen per gratiam. Verum Christus non ait : *Difficilius*, sed, « nihil » potestis sine me facere. Audi Concilium Arausicanum, cap. 7 : « Qui dixerit nos posse bonum aliquod, quod ad salutem pertineat vitæ æternæ, per naturæ vigorem cogitare aut eligere, aut Evangelii prædicationi credere absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis : Sine me nihil potestis. » Et quomodo hoc intelligat, videtur exponere cap. IX, dicens : « Divini est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia tenemus : quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur, operatur. » Non enim ait Christus : Sine me nihil facile, aut nihil magnum potestis facere, sed simpliciter *nihil*, nec magnum, nec parvum, nec facile, nec difficile potestis facere, uti recte advertit S. Augustinus hic, *tract.* 81, et lib. I *De Gratia Christi*, cap. XXIX.

Porro, inepte Calvinus per τὸ *nihil* putat tolli cooperationem liberi arbitrii, cum τὸ *nihil* potius eamdem statuat. Nam si nihil boni supernaturalis operari possumus sine Christo ejusque gratia; ergo cum illa aliquid operari possumus. Unde Apostolus : « Abundantius omnibus illis laboravi, inquit, non ego (solus meis viribus), sed gratia Dei mecum, » I *Cor.* XV, 10. Sic sine concursu Dei generali et naturali nil possumus facere, cum eo tamen possumus multa, ut ambulare, loqui, fabricare, etc.

Perperam denique ex hac Christi gnome : « Sine me nihil potestis facere, » inferunt Catholici nonnulli : Ergo omnia infidelium (qui carent fide et gratia Christi) opera sunt peccata; nam τὸ *nihil* refertur ad opera gratiæ Christi, non naturæ : hæc ergo naturalia possunt facere infideles, ut honorare parentes, pascere esurientes, benefacere proximis; non autem illa quæ sunt gratiæ Christi, sive quæ sunt frugifera ad promerendam vitam æternam. Inter gratiam enim et peccatum medium est natura, sive opus naturaliter honestum, quod nec peccatum est, nec gratiæ opus.

Vos palmites. — Notat Cyrillus nos Christo quasi palmites viti jungi et inhærere, tum spiritaliter per fidem, spem et charitatem; tum corporaliter, ut vitis sit Christi humanitas, cujus nos sumus palmites propter identitatem naturæ humanæ, præsertim in Eucharistia, in qua Christo non tantum ut palmites vitis, sed etiam ut cera liquefacta alteri ceræ liquatæ jungimur et permiscemur. Unde sicut de Eucharistia dixit Christus, cap. VI : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis : » sic hic de vite et palmite ait vers. 6 : « Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. » Et *Jerem.* cap. II : « Ego te plantavi vineam electam, omne semen verum; quomodo ergo mihi conversa es in pravum vinea aliena? » Christus ergo dicitur « vitis vera, » Hebr. נאמן *neeman*, id est fidelis, vera, sincera, quia suos palmites nunquam deserit, nec influxu suo destituit, sed eis jugiter succum vinosum instillat, ut veras uvas vinumque charitatis, gratiæ et gloriæ producant. Dicit enim hoc Christus Apostolis, ob instantem sibi mortem timidis et diffidentibus, *q. d.* Esto jam patiar et moriar; tamen mox resurgam, nec vos, o Apostoli, deseram, sed quasi vitis vos ut palmites meos servabo, fovebo vivificabo, ut uvas virtutum producatis. Nolite ergo timere, nec fugere et a me desciscere, quia sic vobis ipsis meam gratiam et vitam spiritalem adimetis, quam conservabitis et augebitis, si in mea fide et dilectione constantes persliteritis. Sicut enim palmes non potest vivere nec crescere sine influxu vitis quæ omnem succum vitalem ei subministrat; sic nec justus potest in gratia vivere et crescere sine influxu meritorum Christi.

6. Si quis in me non manserit (per fidem charitate formatam), mittetur foras sicut palmes (inutilis et infrugifer), et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet, — id est *ardebit*, ut vertit Arabicus, *q. d.* Sicut palmes inutilis a vite resecatur et foras extra vineam projicitur, ubi omnino arescit et in fasciculos colligitur, ac in ignem mittitur illicoque ardet; sic pariter fidelis, qui in me per fidem et charitatem non manet, post mortem mittetur foras, id est separabitur ab Ecclesia et populo fideli, qui sunt membra Christi, ubi prorsus arescet, id est omni bono gratiæ succo privabitur, ac a dæmonibus cum aliis reprobis colligetur, et quasi in fasciculos colligabitur, ut in ignem gehennæ mittatur ibique illico ardeat in perpetuum. Jam singula verba singulas continent pœnas, ideoque seorsim expendenda sunt.

*Prima* ergo pœna est, quod « mittetur foras, » id est a Christo, a Deo, a cœlo, a consortio angelorum et Sanctorum separabitur.

*Secunda*, quod « arescet : » peccatores enim in hac vita sæpe retinent fidem et spem, sæpe gratiæ illuminationes et impulsus divinos ad pœniten-

dum sentiunt, crebro a concionatoribus, magistris, sociis, etc., monentur ut vitam emendent, sæpe opera moraliter bona faciunt. Manent enim in Christo quasi in vite, a quo humorem aliquem bonitatis sugunt. Ac post hanc vitam a Christo separati, nil humoris, nil gratiæ a Christo sugere queunt, sed omnia Dei dona eis auferentur, *Luc.* cap. XIX, 26, ut ad nihil sint apti, nisi ut fiant folles et fomenta gehennæ.

*Tertia,* « colligent eum, » quo significatur reprobos in fasces colligandos, ut in ignem præcipitentur a quo nunquam se liberare poterunt, juxta parabolam *Matth.* XIII, 41. Simul significatur ligandam in eis fore voluntatem, rationem et libertatem arbitrii, ut deinceps nil boni velle aut facere possint.

*Quarta,* « in ignem mittent, » scilicet in gehennam ardentem igne et sulphure, ubi fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum, uti ex Isaia ait Joannes, *Apoc.* XIV, 11.

*Quinta,* « ardet, » id est illico et jugiter ardebit in perpetuum. Unde S. Augustinus, *tract.* 81 : « Ligna vitis præcisa, ait, nullis agricolarum usibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis : si in vite non est, in igne erit. » Est hoc tertium Christi argumentum, quo discipulos hortatur, ut in ipso maneant. Sequitur quartum petitum a præmio.

7. SI MANSERITIS IN ME (id est si perseveraveritis in mea dilectione et gratia), ET VERBA MEA IN VOBIS (in vestra memoria, ut assidue eorum recordemini; et voluntate, ut ea diligatis; et operatione, ut jussa mea perpetim exequamini) MANSERINT : QUODCUNQUE VOLUERITIS, PETETIS, ET FIET VOBIS. — quia nihil petetis, nisi juxta voluntatem meam et juxta formulam petendi a me præscriptam *Matth.* VI, 9; nimirum nihil petetis, nisi quod scietis Deo gratum fore ac ad Dei gloriam vestramque et proximorum salutem pertinere, quia manentes in Jesu (id est Salvatore) non possunt velle nisi quod est salutis, ait S. Augustinus. Palmes enim in vite existens, si quid petere posset, nil aliud peteret, nisi conservari in vite et ejus influxu uvas producere; sic justi petunt in Christi gratia conservari et bona opera efficere, illudque impetrant. Si enim quid carnale, vitiosum, inhonestum, noxium aut inutile et supervacaneum peterent, peterent id quod Christo ingratum ab eoque vetitum est, ideoque illum offenderent, quare nec in eo manerent, nec impetrarent quæ petunt. Unde S. Augustinus : Ad verba ejus, inquit, pertinet oratio, quam nos docuit (*Matth.* VI, 9); ab hujus verbis et sensibus non recedamus petitionibus nostris, et quidquid petimus, fiet nobis.

8. IN HOC CLARIFICATUS EST (hoc est, mox post mortem meam et adventum Spiritus Sancti clarificabitur, id est glorificabitur) PATER MEUS, UT FRUCTUM PLURIMUM AFFERATIS, ET EFFICIAMINI MEI DISCIPULI. — Est hoc quintum Christi argumentum, quo impellit discipulos ut in ipso ejusque dilectione maneant, quod scilicet hoc cessurum sit ad magnam Dei gloriam, *q. d.* Manete in me meaque dilectione, quia per hoc clarificabitur, id est glorificabitur Deus Pater, nimirum *ut,* id est *si* (sic, capite XVII, vers. 3, ait : « Hæc est vita æterna, ut, » id est *si,* « cognoscant te solum Deum verum ») in me manendo « plurimum fructum afferatis, » nimirum ingentem animarum messem et totius mundi conversionem, itaque « efficiamini mei discipuli, » scilicet perfecti et eximii; jam enim erant Christi discipuli, sed novitii et imperfecti, *q. d.* Glorificabitis Deum Patrem, si in me manentes meam fidem toto orbe prædicetis; quod facietis, si in mea doctrina et disciplina persistatis, crescatis et perficiamini; sic enim tolletis idololatriam omnium gentium, et unius Dei cultum per veram sanctitatem ubique inducetis, quæ ingens erit diaboli ignominia et Dei gloria, tum quia Deus adorabitur, non diabolus; tum quia conversio Gentium erit opus non vestrum, sed Dei, qui sua gratia id efficiet. A quo enim faciemus fructum, nisi ab illo, cujus misericordia prævenit nos? ait S. Augustinus.

Rursum, « et efficiamini mei discipuli, » hoc est mei imitatores, in zelo et prædicatione Evangelii ac animarum per totum mundum conversione. Est catachresis : discipulus enim ponitur pro imitatore, quia discipuli est imitari magistrum : ita perfecte Christum prædicantem usque ad mortem imitati sunt Apostoli, dum pro Evangelio vitam impenderunt usque ad mortem et martyrium.

9. SICUT DILEXIT ME PATER, ET EGO DILEXI VOS. MANETE IN DILECTIONE MEA. — Est sexta ratio, qua Christus incitat discipulos ut in ipso ejusque fide et charitate persistant. *Sicut* non æqualitatem dilectionis, sed similitudinem significat. Longe magis enim Pater diligit Christum, quam Christus diligat nos. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut Deus Pater me hominem sine ullis meis meritis, gratis præ aliis omnibus dilexit et evexit ad hypostasim Verbi, ut fierem Dei Filius, mundi salvator et redemptor, ideoque vitis non sterilis, sed salutifera; sic simili modo ego vos præ aliis hominibus gratis, sine vestris meritis dilexi et evexi ad apostolatum, ut mihi proxime inseramini quasi palmites viti, ac ego per vos non tantum vestram, sed et multorum, imo omnium gentium salutem operer. Curate ergo ut in hac mea dilectione maneatis, hoc autem curabitis me diligentes, mea mandata servantes; sic enim merebimini vicissim a me solito more diligi et beneficiis jam dictis assidue a me augeri. Ita S. Augustinus, Chrysostomus et Cyrillus.

Alium quoque sensum affert Cyrillus, *q. d.* Sicut dilexit me Pater, dans potestatem ejiciendi dæmones et patrandi miracula; sic et ego dilexi



vos communicando vobis eamdem potestatem. Hoc verum est, sed partiale, non totale, nec Dei Christique dilectioni adæquatum. Et Euthymius, *q. d.* Sicut Pater dilexit me facientem voluntatem suam, sic et ego dilexi vos facientes voluntatem meam.

Nota hic Christi prædestinationem, electionem, dilectionem et gratiam esse medium, finem et exemplar nostræ prædestinationis, dilectionis, electionis et gratiæ. Unde S. Augustinus, *De prædestinatione Sanctorum,* cap. XV : « Ea gratia, ait, fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus; de ipso spiritu et hic renatus, de quo est ille natus; eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est ut nullum haberet ille peccatum. » Vide dicta *Rom.* I, 4.

MANETE IN DILECTIONE MEA. — « Mea, » activa, qua scilicet ego vos diligo, *q. d.* Curate ut ego semper vos diligam. Magna enim res est diligi a Christo, et magnarum gratiarum origo et causa. Rupertus tamen dilectionem Christi hic accipit passivam, *q. d.* Manete in dilectione mea, pergite me diligere. Hoc quoque appositum est, non proprie et directe, sed consequenter, *q. d.* Curate ut vos diligam; hoc autem curabitis, *si* me diligere pergatis, ego enim diligentes me diligo; quare sicut Pater assidue me diligit, ideoque per me tot miracula et salutem mundi operatur, facitque me coli et adorari quasi Deum : sic et ego vos assidue diligo, ideoque tot beneficiis, donis et gratiis apostolicis orno et cumulare pergo; curate ergo ut in hac mea dilectione et gratia conservemini; sic enim donorum dictorum augmentum in dies a me percipietis. Modicam ergo vestram dilectionem mihi exhibete, sic majorem longe meam erga vos dilectionem experiemini. Vide hic quam præstans, eximia et divina virtus sit amor et dilectio. « Fidem, ait Climacus, *gradu* 30, ut solis radium, spem ut lumen, charitatem ut plenum orbem seu circulum contemplor. » Et inferius : « Charitas, ait, ex natura suæ qualitatis est similitudo Dei, quantum mortales assequi possunt; secundum efficaciam autem est quædam ebrietas animæ; secundum proprietatem denique, est fons fidei, æqui ac patientis animi profundum, pelagus humilitatis. »

10. SI PRÆCEPTA MEA SERVAVERITIS, MANEBITIS IN DILECTIONE MEA. — *q. d.* Si me amare et mea jussa servare pergatis, manebitis in mea gratia, favore et dilectione, ut ego vicissim vos amare et gratiis meis cumulare pergam (1).

SICUT ET EGO PATRIS MEI PRÆCEPTA SERVAVI, ET MANEO IN EJUS DILECTIONE. — *q. d.* Sicut ego Patris jussis obedire pergo, ideoque ejus gratiam et dilectionem erga me conservo. Audi S. Augustinum. « Præcedit dilectio observationem præceptorum; unde enim præcepta servet, non habet qui non diligit; quod ergo hic ait, ostendit non unde dilectio generetur, sed unde monstretur, ut nemo se fallat dicendo quod eum diligat, si ejus præcepta non servet; quamquam hoc ad dilectionem qua nos diligit, referendum est, ut sensus sit : Ex hoc scietis, quod in dilectione qua vos diligo, manetis, si mea præcepta servatis; non enim ut nos diligat, prius præcepta servamus, sed nisi nos diligat, servare non possumus : hæc est gratia quæ humilibus patet, superbos latet. »

Prior ergo est dilectio Dei, quæ causat in nobis dilectionem et observationem mandatorum, quæ vicissim efficit ut dilectio Dei erga nos conservetur et perseveret, sicut ignis ligna accendit et ignit, et ab eorum ignitione conservatur et durat.

11. HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, UT GAUDIUM MEUM IN VOBIS SIT, ET GAUDIUM VESTRUM IMPLEATUR. — Est hæc septima et ultima Christi ratio, qua suadet ut maneant in sua fide et charitate; si enim id fecerint, maximo gaudio afficient tum Christum, tum seipsos.

Quæres, quodnam sit hoc gaudium? *Primo,* Jansenius, cap. CXXXI *Concordiæ,* sic exponit, *q. d.* Hæc vobis dixi, ut in vobis semper sit gaudium simile gaudio quod est in me, qui gaudeo quod a Patre diligor : ita vos mandata mea observate, ut semper a Patre meo diligamini et gaudeatis, et hoc vestrum gaudium impleatur per meam resurrectionem ac missionem Spiritus Sancti, ac deinceps cum majora Dei erga vos amoris indicia videritis, quod plane implebitur in æterna felicitate. Simili enim modo ait Christus, cap. XVII : « Hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. » *Gaudium Christi quod? Resp. Primo.*

*Secundo,* S. Cyrillus, lib. X, cap. XXI, et ex eo Ribera sic exponit, *q. d.* Hæc locutus sum vobis, ut gaudeatis iis rebus quibus ego gaudeo, scilicet laboribus et periculis pro hominum salute susceptis.

*Tertio,* Chrysostomus, *homil.* 76 : « Hæc, ait, locutus sum, ne a me discedatis et a gaudio quod habuistis, ex eo quod mei discipuli eratis, decidatis, ne a cursu desistatis, sed in finem usque hæc lætitia perduret; » *q. d.* Etsi incidat tristitia, hanc auferam, ut ad finem veniat gaudium.

*Quarto,* S. Augustinus, *tract.* 83, exponit de gaudio quod Deus habuit ab æterno de nostra gratia et salute, *q. d.* : « Hæc locutus sum vobis, ut id in quo ab æterno ego gavisus sum, sit in vobis, nempe gratia et salus; gaudium vestrum autem, quod habetis de meo consortio, impleatur, paulatim proficiendo usque ad æternam beatitudinem. » Audi S. Augustinum : « Quod est gaudium nostrum quod dicit implendum, nisi ejus habere consortium? Gaudium quidem ipse perfectum de nobis habebat, quando nos præsciendo et prædestinando gaudebat, sed illud gaudium

(1) Aliter alii quorum partes lubentius sequor : *Manebitis in dilectione mea,* id est, *perseverabitis vere in amore mei, seu vere ostendetis me a vobis amari,* ita ut *in dilectione mea* intelligendum sit non de alterius, quo fruimur, amore, sed de eo quo alterum prosequimur.

in nobis non erat, quia nec nos eramus; cœpit autem esse, quando vocavit nos; inchoatur in fide renascentium, implebitur in fide resurgentium.

*Quinto*, alii censent idem esse gaudium *meum* et *vestrum*. Gaudium enim discipulorum subjective, quia iis quasi subjectis inerat, *q. d.* Hæc locutus sum vobis, ut afferam et efficiam in vobis gaudium spiritale et cœleste, quod est meum, meique amore et sequela; idem quoque est vestrum, quia vos gaudebitis illudque implebitur ensim in hac vita et plene in futura.

*Sexto* et planissime gaudium duplex hic pro præmio discipulis affert Christus: primum, est suum; secundum, est discipulorum, *q. d.* Hæc locutus sum vobis, ut vos ea facientes gaudio me afficiatis; gaudent enim parentes et magistri, cum vident filios et discipulos dictis suis obedientes probe se gerere, et hoc significat τὸ « ut gaudium *meum* in vobis sit, » id est de vobis sit, ut scilicet propter vos mihi morigeros ego gaudeam. Unde S. Augustinus: « Quid est, inquit, gaudium Christi in nobis, nisi quo dignatur gaudere de nobis? » Secundum gaudium est discipulorum, de quo ait: « Et gaudium vestrum impleatur; » gaudium hoc erat, quo discipuli gaudebant de Christo, quod ejus essent discipuli et sequaces. Sicut enim Christus gaudebat de iis quasi bonis discipulis, sic vicissim ipsi gaudebant de Christo, quasi cœlesti et optimo parente ac magistro. Respicit enim Christus ad parabolam vitis et palmitum, cui explicationem, quasi post parabolam subjunxit, dicens vers. 4.: « Manete in me, et ego in vobis, » *q. d.* Sicut vitis, si gaudere posset, gauderet de palmitibus sibi inhærentibus et uvas producentibus, ac vicissim palmites gauderent, quod viti inhærentes ex ea sugerent succum ad producendum uvas; sic pariter si vos, o discipuli, in me, quasi in vite per amorem manseritis, et ego vicissim mansero in vobis per assiduum gratiæ et Spiritus influxum, ad producendum bona opera, et ego gaudebo de vobis mihi inhærentibus, et vos gaudebitis de me, quod ex me hauriatis gratiam et spiritum ad convertendum omnes gentes, quod gaudium sensim hic implebitur, sed plene consummabitur in æterna gloria, tam vestra, quam Gentium a vobis conversarum. Ita Maldonatus, Toletus et alii.

Denique posset τὸ « in vobis » simpliciter ut sonat, accipi, *q. d.* Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum quo gaudeo de Dei gloria et totius mundi salute per me peragenda, in vos quasi Apostolos et cooperatores meos transfunderem, utque gaudium hoc crescente labore et fructu vestro crescat pariter, donec impleatur tum in hac vita, tum magis in futura; sic enim gaudium meum fit vestrum: bonum enim meum est vestrum, sicut bonum vitis est bonum palmitum.

Hic sensus videtur simplicissimus, ideoque genuinus: nam « ut gaudium meum in vobis sit, » perinde est ac si dicat: Ut gaudium meum in vos derivetur, vobis communicetur, itaque fiat vestrum. Unde perficiens subdit: « Et gaudium vestrum impleatur, » *q. d.* Ut gaudium meum quod vobis cœpi communicare fecique vestrum, compleatur fiatque plenum et perfectum impleri enim nequit, nisi illud idem quod inchoatum et inceptum est. Et sic se explicat Christus, cap. XVII: « Ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. »

Præclare S. Bernardus, *epist.* 114: « Et revera, inquit, illud verum et solum est gaudium quod non de creatura, sed de creatore concipitur; et quod cum possederis, nemo tollet a te. Cui comparata omnis aliunde jucunditas, mœror est; omnis suavitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne postremo quodcumque aliud delectare possit, molestum. » Idem alibi: « Certum, ait, inhabitantis in anima Spiritus Sancti signum est, spiritalis lætitia, » et juge mentis in Deo suo gaudium. Mens enim in Deo exultans et jubilans, ex Deo inhabitante exultat et jubilat.

12. HOC EST PRÆCEPTUM MEUM, UT DILIGATIS INVICEM (Arabicus, *ut diligat alter vestrum alterum*) SICUT DILEXI VOS. — Græce est geminus articulus ad emphasim ἡ ἐντολὴ ἡ ἐμή, id est *hoc præceptum hoc meum*. Refer hæc partim ad τὸ « si præcepta mea servaveritis, » partim ad τὸ « in dilectione mea, » quod est scopus totius parabolæ a principio capitis huc usque. Sensus ergo est, *q. d.* Jussi vobis ut præcepta mea servetis, inter quæ præcipuum esse scitote hoc, « ut diligatis invicem sicut dilexi vos. » Rursum jussi dicens: « Manete in dilectione mea, » id est pergite me diligere in eoque perseverate: illud autem facietis, si diligatis invicem, ac in proximos vestros beneficia et officia charitatis conferatis. Mihi enim nihil conferre potestis, sed quod proximis contuleritis, ego mihi quasi omnium parenti collatum existimabo. Unde vocat hoc « præceptum meum: » alludit enim ad illud, cap. XIII, 34: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, » ubi fuse illud explicui. Nam quod hic vocat « meum, » ibi vocat « novum. » Hoc enim præceptum dat Christianis: hos enim repræsentabant Apostoli: voluit enim Christus per Apostolos eorumque posteros convertere totum mundum, hoc enim erat ejus, utpote Salvatoris, officium, ad quod a Patre in mundum erat missus. Jubet ergo ut ex sui amore ament et procurent omnium gentium salutem, ac pro ea omnes dotes et labores impendant, omnia pericula subeant, omnes persecutiones sustineant, ac denique sanguinem profundant et mortem subeant. Sic enim ipse dilexit eos cæterosque homines, ut pro eis vitam impenderit mortemque crucis sustinuerit. Porro hoc præceptum in primis concernit Apostolos, quia eis jubet Christus

Se mutuo, est præceptum Christi [illegible]



ut se invicem singulari amore diligant et se mutuo juvent: tum quia ipsi inter se et cum Christo erant conjunctissimi, utpote Christi Apostoli; tum quia Christus per ipsos munus suæ legationis et prædicationis in toto orbe obiturus et perfecturus erat. Quare ad hoc quisque alteri cooperari et opitulari debebat; unio enim hæc, et mutua cooperatio plurium efficacissima est ad omnes difficultates superandas et ad gentes quaslibet quantumvis barbaras convertendum, uti hodie in Religionibus et Religiosis virisque Apostolicis inter se unitis experimur, juxta illud *Proverb.* XVIII, 19: « Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. » Et illud *Eccles.* IV, 12: « Funiculus triplex difficile rumpitur. » Vide ibi dicta.

Hoc Christi exemplum secutus S. Eligius, Noviomensis Episcopus, moriens anno Christi 665, teste Sigeberto in *Chron.*, hoc ultimum suis dedit monitum: « Si mihi amoris vicem rependitis, mandata præpotentis Dei servate; Jesum semper suspirate, præcepta ejus vestris animis affigite, ejus nomen, ita ut ego, amate; incertum vitæ lubricæ occasum ob oculos perpetim habete; Dei tremenda judicia nunquam non formidate. Ego jam ingredior viam universæ carnis. Itaque me posthac habituri hic non estis. Ego autem certe cupio dissolvi, et, si Domino sic visum est, ire ad requiem. » Ita Audoenus, Rothomagensis Episcopus, lib. II Vitæ ejus, cap. XXXII.

13. MAJOREM HAC DILECTIONEM NEMO HABET, UT ANIMAM SUAM PONAT PRO AMICIS SUIS. — Ita legendum cum Græcis, Romanis, Arabico et Syro, qui clare vertit, *charitas major ista nulla est, qua quis animam suam ponat pro amicis suis*. Perperam ergo nonnulli interserendo τὸ *quam*, legunt, *quam ut animam suam ponat pro amicis suis*. Hæc enim lectio retento τὸ *hac*, evertit sensum et contrarium significat, scilicet, *q. d.* Hac mea dilectione nulla major est, nisi illa, qua quis animam suam ponat pro amicis suis; quod falsissimum est: quæ enim major dilectio quam Christi? Contrarium ergo intendit dicere Christus, uti mox patebit. Christus igitur hic proponit modum et terminum sive apicem suæ dilectionis, qua scilicet ipse nos dilexit et vicissim vult ut diligamus invicem, *q. d.* Ego summe vos dilexi, a vobis ergo idem requiro et jure reposco, ut scilicet summe diligatis invicem. Maxima enim et summa dilectio est, qua quis non tantum opes et famam, sed et animam, id est vitam ipsam ponit, id est sponte offert prodigitque pro amicis suis; hanc ego pono, id est brevi ponam et impendam pro vobis; vos ergo vestram pariter ponite pro amicis et proximis vestris, ut pro eorum salute nullum laborem, nullum periculum, nullam persecutionem, nullam mortem, nullum tormentum recusetis, sed ultro ambiatis.

Animam pro amicis ponere, an

Dices: Major charitas est, si quis vitam ponat pro inimicis, quam sit illa quæ vitam ponit pro amicis. Respondent *primo*, nonnulli sensum esse, *q. d.* Inter homines nulla potest esse major dilectio, quam mori pro amico; sed mea erga vos adhuc est major, quoniam moriar pro inimicis. Dicere autem « pro inimicis, » non erat necesse, quoniam nunquam id inter homines fit. Unde Pyladis et Orestis amicitia, tanquam res admodum rara, omnium litteris et voce commendata est, quod alter pro altero mori voluerit; et hoc est argumentum Pauli, *Rom.* V: « Vix enim pro justo quis moritur; nam pro bono forsan quis audeat mori? commendat autem charitatem suam Deus. » Unde S. Bernardus, serm. *De Feria quarta hebdomadæ sanctæ*, ait: « Tu majorem habuisti, Domine, ponens eam pro inimicis tuis. »

Sit maxima omnium charitas?

*Secundo*, et magis genuine, Ribera et Toletus respondent, non conferri hic amicos cum inimicis, sed actus amicitiæ inter se, *q. d.* Inter omnes actus et officia amicitiæ, nullus major est illo quo quis vitam ponit pro amico suo, quod ego facturus sum pro vobis, qui amici mei estis, si tamen præcepta mea servaveritis. Non enim dicitur amicus, qui non diligit, licet diligatur: « Amicitia enim est mutua benevolentia non latens, » ait Aristoteles, VIII *Ethic.* cap. II.

*Tertio*, et plenissime, « amici » hic vocantur non qui diligunt, sed qui diliguntur, quales possunt esse etiam inimici, *q. d.* Major dilectio esse nequit, quam sit illius qui vitam ponit et mortem oppetit pro amicis, id est pro iis quos diligit et loco amicorum habet, etiamsi ipsi revera ejus non sint amici, sed hostes et inimici; quomodo Christus vitam suam posuit et in cruce mortuus est pro omnibus hominibus, qui primitus erant peccatores, ideoque ejus inimici, sed ex eis multi per ipsius mortem, indeque manantem gratiam facti sunt justi, ideoque ipsius amici et discipuli. Idem fecere Apostoli virique Apostolici Christum secuti. Idem facere debet quilibet Christianus, ut scilicet cum periclitatur salus animæ proximi, licet inimici, pro ea vitam exponat.

Instabis: Cur ergo Christus hos vocat amicos, non inimicos? Respondeo: *Primo*, quia loquitur Apostolis, qui jam per ejus vocationem et gratiam erant sui amici, licet ante fuissent peccatores et inimici. *Secundo*, Rupertus respondet, « ut suavitate locutionis dulcedinem in auditoribus sensim diffunderet ejusdem, quam illis mandabat, dilectionis. » *Tertio*, ut doceret ex parte Christi et nostra diligendos esse omnes homines quasi amicos, etiamsi ipsi ex parte sua nobis sint infensi et inimici. Charitas Christi enim ad omnes se extendit, tamque inimicos, quam amicos diligit; quare inimicos habet pro amicis et dilectis, atque hac ratione quoslibet etiam inimicos sibi amicat eosque ex hostibus facit amicos, tam Dei quam sui. Magnes enim amoris est amor, nec quidquam amore potentius: hic enim cogit hostes ad redamandum sui amantem.

Denique nonnulli hanc Christi sententiam accipiunt de salute non tantum spiritali et æterna,

sed et corporali et temporali; unde dicunt actum heroicæ charitatis esse, si quis vitam temporalem prodigat pro vita temporali proximi: hoc enim ordo charitatis permittit, imo subinde suadet. Unde S. Gregorius, lib. III *Dialog.*, cap. XXXVII, laudat Sanctulum presbyterum, qui ut diaconum quemdam a Longobardis morti destinatum ab ea liberaret, se pro eo morti obtulit: sed Deus carnificis manum stitit, ut gladium elevatum in ejus collum vibrare non posset, quod admirantes Longobardi, eum ut sanctum revereri cœperunt omnesque captivos ipso petente liberos dimiserunt. Tanta est vis charitatis, ut vitam suam offerens multorum vitas redimat. « Cum, ut ait S. Gregorius, se unus pro uno morti obtulit, multos a morte liberavit. »

Sanctuli Presbyteri charitas.

14. Vos AMICI MEI ESTIS (eritis) SI FECERITIS (græce *si facitis*, id est si feceritis; ita Euthymius) QUÆ EGO PRÆCIPIO VOBIS. — Pertinet hæc gnome ad id quod præcessit: « Animam suam ponat pro amicis suis, » *q. d.* Ego animam, id est vitam meam, ponam pro vobis, quasi amicis meis, vos vicissim amorem amori reddite, ac me vestri tam amantem redamate, ut mihi amico vestro sitis amici: hoc antem facietis, si mea præcepta servetis, interque præcipuum et cætera complectens est illud, ut diligatis invicem, quod paulo ante vobis inculcavi.

15. JAM NON DICAM VOS SERVOS: QUIA SERVUS NESCIT QUID FACIAT (id est facere destinet, cogitet, intendat, quæ sint ejus secreta consilia) DOMINUS EJUS.

VOS AUTEM DIXI AMICOS: QUIA OMNIA QUÆCUMQUE AUDIVI A PATRE MEO, NOTA FECI VOBIS. — S. Augustinus, *tract.* 85, quærit quomodo hoc verum sit; nam vere Apostoli manebant servi Christi eisque cum aliis dicturus erat Christus in die judicii: « Euge, bone serve et fidelis, » etc., ac respondet duplicem esse servitutem, unam servilem, qua mancipia ex timore serviunt heris, alteram liberalem et filialem, qua filii ex amore serviunt parentibus; Apostolos ergo non fuisse servos Christi priori modo, sed posteriori; sic enim servi quoque sunt amici. Huc accedit Rupertus. « Non dicam vos servos, » hoc est, inquit, peccatores et inimicos, quia vos jam per baptismum et gratiam meam justos et amicos meos effeci.

*Secundo*, alii urgent τὸ *jam*, *q. d.* « Jam non dicam vos servos, » sed alio tempore dixi et dicam vos servos; sed subtilior est hæc responsio, quam solidior. Vult enim dicere Christus se deinceps eos non vocaturum servos.

*Tertio*, Toletus: « Jam non dicam vos servos, » scilicet eo modo, inquit, quo Judæos vocavi servos, quia feci eos servire servitutem duram sub lege veteri, a qua ego vos per Evangelium meum libero. Verum hoc nimis generale est et remotum.

*Quarto* ergo genuine, sensus est, *q. d.* Ego vos, licet natura et conditione servi mihi sitis, tamen dignor eo honore, ut quasi fidissimos mihi amicos meos eosque intimos efficiam et nominem, eo quod omnia quæ audivi a Patre meo quasi legatus communicanda hominibus, non turbis, non Scribis, sed vobis solis communicaverim.

Dicit autem « jam, » quia jam abiens multa eis revelavit, quæ prius tacuerat; alia quoque, quæ prius obscure per parabolas dixerat, jam dilucide et clare eis exposuit. « Jam » ergo abiens majorem confidentiam et amicitiam eis exhibuit, dum omnia omnino ad quæ a Patre legatus erat, eis solis aperte explicuit; quare eos hic nobiliore dignitate, conditione et nomine donat, scilicet amicorum. Hanc rationem dat hic ipse Christus; non ergo negat eos manere servos, sed asserit se eos, licet servos, elevare in amicos singulares eosque hoc nomine et hac prærogativa dignari, ut servi fiant amici. Ita Maldonatus, Ribera, Jansenius et alii, et ante omnes S. Irenæus, lib. IV, cap. XXVII.

SERVUS NESCIT, — scilicet communiter et plerumque; nam aliquando heri habent servos prudentes et fideles, quibus consilia et secreta sua fidunt et communicant, tuncque eos habent loco amicorum; at raro hoc fit, ut omnia secreta sua eis revelent; Christus autem loquitur de eo quod communiter apud homines fit.

OMNIA QUÆ AUDIVI A PATRE, NOTA FECI VOBIS. — Dices: hoc videtur repugnare illi quod mox dicit Christus, cap. seq., vers. 12: « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. » Respondent Leontius et Euthymius Christum omnia revelasse Apostolis, quæ Pater tunc illis revelari volebat, scilicet omnia quæ capere poterant. Secundo, melius S. Augustinus et Beda respondent τὸ « nota feci » accipi pro « mox nota faciam, » scilicet post 50 dies in Pentecoste; omnia enim quæ capere poterant, eis nota fecit Christus, cætera quæ capere non poterant, paulo post nota facturus erat per Spiritum Sanctum; ideo enim abibat, ut eis illum mitteret, qui omnia revelaret.

Aliter Maldonatus: « Nota feci, » id est, inquit, nota facere decrevi, scilicet per Spiritum Sanctum quem missurus sum.

Moraliter: ex hac Christi gnome disce mentes sanctas Deum valde amantes, quæ terrena omnia calcantes in cœlis habitant, ac cum Deo per orationem familiariter versantur cum eoque quasi amici crebro colloquuntur, a Deo illuminari, ut altissima ejus mysteria et secreta consilia ac sacræ Scripturæ intelligentiam, imo futura quoque quæ ipse facere destinat, ab eo audiant et discant, quasi qui in intimum Dei conclave inducantur ibique fiant ejus velut secretarii, uti fuere Isaias, Jeremias, Daniel cæterique Prophetæ. Docet id diserte S. Bernardus, tract. *De interiore domo*, cap. LXIX: « Certum, ait, signum tibi sit quæcumque es, anima, quod dilectum tuum

Secreta sui amicis tibi Deus revelat.



minus diligis, vel ab illo minus diligeris, si ad theoricos illos excessus nondum vocaris, vel vocantem sequi non merueris. Quomodo enim perfecte diligis vel diligeris, si in summorum desiderio ad superna non raperis, et ad theoricos et anagogicos illos conatus mentis alienatione non transis? Vis nosse quia sublimitas divinarum revelationum sit manifestum divinæ dilectionis indicium? Jam non dicam, inquit, vos servos, sed amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis. Satage ergo Deum tuum intime et summe diligere, et omni hora in divinæ contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare; collige teipsam ad temetipsam, et in solo divinitatis desiderio requiesce. » Idem docet S. Basilius, S. Maximus et alii, quorum verba recitavi *Eccli.* XXXVII, 18, ad illa: « Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores. » Hac enim Dei amica conversatione et familiaritate, donum intelligentiæ et prophetiæ adeptus est S. Franciscus, S. Catharina Senensis, S. Franciscus Xaverius aliique plurimi, ac primitus Henoch, Noe, Abraham, Moses, etc., quia cum Deo ambulabant cum eoque familiariter conversabantur, et quasi amicus cum amico colloquebantur.

16. NON VOS ME ELEGISTIS: SED EGO ELEGI VOS. — S. Augustinus hic, et lib. I *De Prædestinat. Sanct.*, cap. XVII et alibi, eumque secuti Beda hic, et Prosper, *contra Collat.*, per electionem intelligunt Dei prædestinationem, *q. d.* Ego vos sine ullis meritis prædestinavi et elegi ad gloriam. Verum hoc non recte respondet τῷ « non vos me elegistis: » nec enim Apostoli poterant Christum eligere ad gloriam cœlestem; nec videtur Christus hic Apostolis suam prædestinationem revelare voluisse: hanc enim ipse solet Patri attribuere; Patri enim attribuitur providentia, cujus pars est prædestinatio.

Magis ad litteram ergo sensus est, *q. d.* Non vos priores me elegistis in magistrum et dominum, sed ego prior vos elegi et vocavi, meaque vocatione et gratia effeci, ut essetis mei amici, discipuli et Apostoli. Ita S. Cyrillus, Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, Maldonatus, Toletus et alii. Unde Chrysostomus, Leontius et Theophylactus censent Christum hic in parabola vitis et palmitum, de qua vers. 1, persistere, *q. d.* Sicut agricola eligit optimas vites et palmites, quos in vinea sua plantet: sic ego vos, o Apostoli, elegi, ut in vinea Ecclesiæ meæ, quasi vites optimas per gratiam meam effectas plantarem ad uvas, id est fideles plurimos et præstantissimos, producendum. Accedit Rupertus, qui sic explicat, *q. d.* Non vos me elegistis, uti populus sibi eligit creatque regem, cui jus regium attribuit; sed ego vos Apostolos creavi vobisque vim et auctoritatem tanti officii et dignitatis, puta Apostolatus, contuli.

Porro dicit hoc Christus *primo*, ut ostendat eximium suum in Apostolos amorem, quod prior eos præ cæteris omnibus hominibus, qui nobiliores, doctiores, eloquentiores erant, solos elegerit in Apostolos, hoc est in amicos singulares et Ecclesiæ suæ principes: quare tacite monet eos, ut ipsi vicissim Christum redament, et in amore obsequioque ejus sint constantes. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

*Secundo*, ut ipsi celsitudinem suæ dignitatis et apostolatus, ad quam a Christo vocati sunt considerantes, illi satisfacere satagant ac Christum imitentur: ut, sicut ipse prior eos vocavit ad suam fidem et apostolatum, sic et ipsi priores præveniant omnes gentes, ut prædicando eas ad Christum adducant. Ita Cyrillus et Leontius.

Addunt nonnulli Christum voluisse Apostolis dare stimulum humilitatis, *q. d.* Esto vocarim vos amicos et secretorum meorum conscios; tamen nolite ob hoc superbire; non enim vos hoc meruistis, sed ego gratis vos ad hoc elegi et exaltavi.

ET POSUI VOS UT EATIS (evangelizatum per omnes gentes) ET FRUCTUM AFFERATIS; ET FRUCTUS VESTER MANEAT. — S. Chrysostomus cum suis censens hic alludi ad parabolam *vitis*, τὸ « posui » explicat *plantavi*, quasi vites fructiferas in vinea Ecclesiæ meæ. Simplicius Maldonatus « posui » explicat, *declaravi*. Cum enim aliquis eligitur magistratus, prius eligitur, hoc est designatur, deinde declaratur, et in officio ipso constituitur: hoc est « posui vos. » Prius Christus Apostolos elegit, *Matth.* X, 1; *Marc.* III, 14; *Luc.* VI, 3; deinde velut in possessione apostolatus posuit, mittens ad prædicandum Evangelium, *Marc.* VI, 7, et *Luc.* IX, 12.

Simplicissime τὸ « posui, » exponas *statui*, *constitui*, *collocavi*, ut hoc verbo Christus Apostolorum auctoritatem æque ac firmitatem et fructum significet, quod scilicet ipsi a Christo sint auctorati, ideoque firmati, ut nemo eos hac dignitate spoliare valeat, nec impedire, quin fructum et messem animarum per totum orbem amplissimum proferant.

ET FRUCTUS VESTER MANEAT. — Cyrillus hoc refert ad Evangelium, quod manet, cum lex vetus non manserit, sed sit abrogata per Christum. Planius et plenius τὸ « maneat » referas tum ad conversionem omnium gentium factam ab Apostolis, quæ etiam post mortem eorum mansit manebitque alternatim et successive usque ad finem mundi; partim ad gloriam et beatitudinem sempiternam, quam sibi suisque fidelibus Apostoli prædicando conciliarunt: hoc enim quasi fructus et merces eorum cœlestis manet, æternumque manebit. Omnia hæc eo fine dicit Christus, ut suum in Apostolos amorem eximium testetur, utque eos ad apostolatus celsitudinem contemplandam excitet et ad tanti muneris sedulam ferventemque executionem exstimulet, utpote quorum labor et laboris fructus mercesque perennabit in omne ævum.

UT QUODCUMQUE PETIERITIS PATREM IN NOMINE MEO, DET VOBIS. — Tò « ut » non tam finem intentum, quam consecutionem, sive effectum, significat, *q. d.* Si fructum ad quem vos elegi, afferatis, sequetur et fiet ut Pater det vobis quidquid petetis, eo sensu quem dedi cap. XIV, 13. « Det, » Græce est δῷ, quod secundo verti potest, *dem* in prima persona, uti vertit Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Unde Theophylactus ex hoc loco contra Arianos colligit Filium esse Deum Patri [illegible], utpote qui æque ut Pater postulata ut Deus largitur. « In nomine meo, » scilicet per merita mea. Porro S. Augustinus : « Hoc, ait, petimus in nomine Salvatoris, quod pertinet ad rationem salutis. »

17. HÆC MANDO VOBIS, UT DILIGATIS INVICEM. — *Primo*, Jansenius, Maldonatus et alii sic exponunt : *hæc*, id est *hoc* (ut vertit Arabicus) mando vobis ut diligatis invicem.

Dicit tamen « hæc » in plurali, ut significet multa quidem esse præcepta particularia a se mandata, sed hæc omnia unico communi et facili charitatis præcepto concludi, ut, si illam habeas et expleas, omnia habeas et expleas, *q. d.* Hæc sunt quæ mando vobis, hæc sunt omnia mandata mea, ut diligatis invicem : quod magnam habet vim et energiam, æque ac charientismum et suadendi gratiam. Unde iterum iterumque hoc præceptum Christus repetit et inculcat.

*Secundo*, planius cum S. Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio et Ribera exponas, si conjunctio *ut* significet finem, et sit sensus : Hæc quæ de amore meo commemoravi, non exprobrandi causa dixi, nec aliam ob causam, quam ut vos mutuo amaretis, atque ita pro salute hominum quidvis æquo animo perferretis. Huc pertinet expositio S. Augustini, *tract.* 87 : « Quoniam dixerat, inquit, Posui vos ut eatis et fructum afferatis, nunc dicit : Hæc mando vobis; docere volens fructum quem laturi sumus, esse dilectionem proximorum. » Et rursum : « Fructus spiritus, inquit Apostolus, est charitas, de hac ergo mandat; merito vero dilectionem sæpe commendat, tanquam sola præcipienda sit, ut sine qua non possunt prodesse cætera bona, et quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. »

*Tertio*, Theodorus Heracleotus hæc refert ad sequentia, *q. d.* Mando vobis dilectionem mutuam, ut per eam odiis et persecutionibus mundi, quæ vobis imminent, simul uniti valide resistere possitis.

18. SI MUNDUS VOS ODIT, SCITOTE (Græce γινώσκετε, quod et *scitote* et *scitis*, verti potest) QUIA ME PRIOREM VOBIS ODIO HABUIT. — Græce est πρῶτον ὑμῶν, quod verti potest *primo*, ut nomen, *q. d.* Primum vestrum, *q. d.* Oderunt me, qui sum vobis prior, id est præstantior et dignior (ut dictum est cap. I, vers. 15), imo primus omnium. *Secundo* et melius, ut adverbium, *q. d. Prius quam vos*, ut vertunt Syrus et Arabicus, hoc est ante vos odit me mundus, ego prius viam odii calcavi, stravi vobisque complanavi, ut vos me eadem sequentes, faciles, læti et gloriantes incedatis : ego enim me vobis in persecutionibus non tantum comitem, sed et antesignanum ducemque et ductorem præbeo. *Mundum* vocat homines mundanos : *primo*, Judæos; *secundo*, Gentiles mundi vitiis addictos, ideoque doctrinæ et spiritui Christi et Apostolorum adversarios. Porro S. Augustinus : « Aliquando, ait, Ecclesia mundi nomine appellatur, ut illic, Deus erat in Christo, inquit, mundum reconcilians sibi : mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum. »

Præmunit Christus Apostolos contra instantia Judæorum Gentiumque odia et persecutiones : tela enim prævisa minus feriunt, ut illa generose superent, imo spernant et in iis quasi tesseris Christi glorientur et exultent, *q. d.* ait Ribera : Nihil miremini aut turbemini cum vos mundus oderit, me prius odit quam vos : gaudete quod mei imitatores eritis; et tamen nihil vobis nocebit ejus odium, sicut nec mihi nocuit : persequitur vos mundus, quia de eo non estis, id est quia ejus operibus non favetis, sed contradicitis ut ego; et cum hoc dicit, relinquit subintelligendum : sed tamen ego vos amabo, quia mei estis, et electi a me, ut mundi opera damnetis : multo autem magis vobis amor meus proderit, quam mundi odium oberit.

Unde infert S. Augustinus aitque : « Cur ergo se membrum super verticem extollit? Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere. Cum capite debemus pro dilectione Christi etiam mundi odium sustinere. Necesse est enim ut oderit nos, quos cernit nolle quod diligit. » Grandis ergo est hæc consolatio membri ex capite, ait Interlinearis. Audi S. Cyprianum, lib. IV, epist. 6 *De Exhort. martyrii* : « Filius Dei passus, ut nos filios Dei faceret; et Filius hominis pati non vult, ut esse Dei Filius perseveret? Si odio sæculi laboramus, odium sæculi sustinuit prior Christus. Si contumelias in hoc mundo, si fugam, si tormenta toleramus; graviora expertus est mundi factor et dominus, qui et admonet dicens : Si sæculum, inquit, vos odit, mementote quoniam me primo odiit. »

Audi denique S. Bernardum, hom. 47 *in Cant.* : « Utrumque es mihi, Domine Jesu, et speculum patiendi, et præmium patientis; » seu, ut paulo ante dixerat : « Pugnantis forma, et gloria triumphantis. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ : tu caput meum post victoriam tuæ coronas præsentia majestatis : sive quia pugnantem te specto, sive quia te exspecto non solum coronantem, sed etiam coronam : in utroque mirabiliter tibi me allicis, uterque funis vehementissimus ad trahendum. »



19. SI DE MUNDO FUISSETIS (essetis), MUNDUS QUOD SUUM ERAT DILIGERET : QUIA VERO DE MUNDO NON ESTIS, SED EGO ELEGI VOS DE MUNDO, PROPTEREA ODIT VOS MUNDUS. — Aliam causam adjicit, ait Chrysostomus, ostendens esse virtutis argumentum a mundo odio haberi; malitiæ vero, diligi. Sensus est, *q. d.* Si vos diligeretis opes, honores, delicias, libidines, etc., uti diligit mundus, ipse vos ut sui similes diligeret. At cum videt vos hisce suis cupediis contraria diligere et diligenda docere, scilicet contemptum terrenorum, opum, honorum, deliciarum, libidinum et desideriorum terrestrium, idcirco odit vos mundus. Similitudo enim morum et amorum est causa dilectionis, dissimilitudo vero est causa aversionis et odii, ut docet Aristoteles in *Ethicis*, imo S. Augustinus, S. Thomas et alii.

Mundum Apostolos odio habiturum prædicit Christus.

Objicit S. Augustinus : Mali etiam persequuntur malos, scilicet impii reges et judices, homicidas et adulteros puniunt, ac respondet : Odit quidem mundus quod suum est, ex ea parte qua sceleratis nocet; sed tamen diligit quod suum est ex ea parte qua ipsis favet. Unde Jansenius : Quamvis mundus, inquit, ex aliqua sui parte malos odiat in aliquo genere mali; tamen non sunt aliqui mali, quos mundus ex magna sui parte non diligat : contra autem, justos non pars mundi, sed totus mundus odit. Mihi videtur aliter respondendum : Mundani homines diligunt suos, id est fautores et participes suorum consiliorum; si quando vero alios mundanos oderunt, causa est quod illi consiliis eorum adversantur, itaque jam alieni sunt et adversarii; atque ideo Christum odio persequebantur, quoniam eorum opera reprehendebat et hominibus nota faciebat, ut dicitur *Sapient.* II, et eadem de causa odio habituri erant Apostolos. Ita Ribera.

20. MEMENTOTE SERMONIS MEI, QUEM EGO DIXI VOBIS (cap. XIII, vers. 16) : NON EST SERVUS MAJOR DOMINO SUO, — ut detrectare possit agere aut pati, id quod Dominus egit et passus est. Si ergo ego odia Judæorum, imo crucem et mortem passus sum, vos eadem subterfugere non debetis. Nam, ut ait S. Petrus, *epist.* I, cap. II, vers. 21 : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. »

SI ME PERSECUTI SUNT, ET VOS PERSEQUENTUR : SI SERMONEM MEUM SERVAVERUNT, ET VESTRUM SERVABUNT. — « Sermonem, » id est doctrinam, legem, præcepta, *q. d.* Sicut me persecuti sunt, sic et vos persequentur; et sicut meæ prædicationis doctrinam non susceperunt, nec servaverunt, sed spreverunt et irriserunt; sic et vestram non suscipient, sed spernent et irridebunt. Loquor de rebellibus et incredulis, qui Apostolos probris, sanis, verberibus, tormentis, morte persecuti sunt : nam qui Apostolis crediderunt, omni honore et reverentia eos prosecuti sunt.

21. SED HÆC OMNIA FACIENT VOBIS PROPTER NOMEN MEUM, QUIA NESCIUNT EUM QUI MISIT ME. — « Propter nomen meum, » id est propter me (« nomen » enim significat rem nominatam, per metonymiam), quia scilicet mei vocamini et estis, *q. d.* Gaudete in persecutionibus, quia illas sustinebitis propter me, qui sum vester Deus et Dominus propter quem gloriosum est pati, quique vos roborabit, ut omnes pervincatis et de omnibus triumphetis.

QUIA NESCIUNT EUM QUI MISIT ME. — *q. d.* Quia non sciunt Deum Patrem misisse me, dicuntque me fingere quod sim Dei Filius et Messias ab eo in mundum missus : si enim hoc scirent et crederent, non me persequerentur, nec contra Deum pugnare auderent, *q. d.* Hoc vobis gloriosum erit, quod non tantum pro me, sed et pro Deo Patre, qui misit me, persecutiones sustineatis : persecutoribus vero id ipsum erit dedecorosum æque ac noxium, quod me persequendo, Deum Patrem, qui misit me, persequantur, ideoque ipsi acriter in hac vita per excidium a Tito et Romanis punientur, acerrime deinde in gehenna ardentes perpetim cruciabuntur : licet enim nesciant Deum esse Patrem meum, tamen id ex tot rationibus et miraculis, quibus idipsum probavi, scire deberent; nesciunt ergo, quia scire nolunt.

22. SI NON VENISSEM, ET LOCUTUS FUISSEM EIS, PECCATUM NON HABERENT : NUNC AUTEM EXCUSATIONEM NON HABENT DE PECCATO SUO. — « Peccatum, » scilicet incredulitatis et odii, quo me meamque doctrinam et vitam calumniantur et insectantur. Nota : Scribæ et Pharisæi, antequam veniret Christus, habebant veram fidem, non tantum in Deum, sed et in Christum venturum. At ubi ipse venit, noluerunt eum agnoscere, eo quod eum pauperem et humilem viderent, ac quod eorum vitia taxaret. Quare tunc facti sunt increduli fidemque perdiderunt sua obstinatione : Jesus enim abunde eis probavit se esse Messiam sive Christum; quare sunt inexcusabiles, quod ei non crediderint.

23. QUI ME ODIT, ET PATREM MEUM ODIT, — quia ego a Patre missus veni, et quæ ipse me voluit loqui, illa locutus sum : quare me spernendo et odiendo, spernunt et odio prosequuntur Deum Patrem : sicut qui legatum spernit, spernit regem a quo missus est. Ergo Judæi contra Deum pugnant, qui acriter hanc sui injuriam vindicabit.

25. SED UT ADIMPLEATUR SERMO, QUI IN LEGE (in veteri Testamento, puta *Psalm.* LXVIII, 5, et *Psalm.* XXIV, 19 : « Et odio iniquo oderunt me ») EORUM SCRIPTUS EST : QUIA (quod) ODIO HABUERUNT ME GRATIS. — « Gratis, » id est sine causa, sine mea culpa, ideoque inique et injuste : nullam enim causam, sed summam amoris eis præbui. Sunt verba Isaiæ et Davidis in typo Christi, sive in se repræsentantium odium Judæorum in Christum. Nota : Tò *ut* rursum non finem intentum, sed id quod ex Judæorum incredulitate et obstinatione secutum est, significat, *q. d.* Atque ita

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

secutum est, quod Isaias et David fore prædixerunt, scilicet quod Judæi Christum sine causa odio prosequerentur, ideoque forent christicidæ et deicidæ, ac proinde reprobandi et exterminandi a Deo.

26. CUM AUTEM VENERIT PARACLETUS, QUEM EGO MITTAM VOBIS A PATRE, SPIRITUM VERITATIS, QUI A PATRE PROCEDIT, ILLE TESTIMONIUM PERHIBEBIT DE ME : 27. ET VOS TESTIMONIUM PERHIBEBITIS, QUIA AB INITIO MECUM ESTIS. — *q. d.* Licet abunde Judæis demonstrarim divinitatem meam, ut sint jam inexcusabiles; tamen adhuc magis demonstrabo per adventum Spiritus Sancti, qui perhibebit de me testimonium, veniens de cœlo tantummodo in vos qui in me credidistis, ac deinde in eos qui per prædicationem vestram credent, ita ut omnibus sit notus ejus adventus, cum videant vos linguis loqui, et Scripturas explicare, et miracula facere : vos etiam prædicando Evangelium perhibebitis testimonium omnibus de me et de doctrina mea et operibus, cum mecum fueritis ab initio, quo docere homines cœpi et inter eos versari.

PARACLETUS, — id est consolator et exhortator. Audi Didymum, lib. *De Spiritu Sancto* : « Ab operatione nomen imponit : reddit enim a perturbatione alienos et incredibile gaudium tribuit, sempiterna enim lætitia in eorum corde versatur, quorum Spiritus Sanctus habitator est. »

QUEM EGO MITTAM VOBIS A PATRE. — Ex hoc loco Græci recentiores contendunt Spiritum Sanctum a solo Patre procedere et spirari, non a Filio, ideoque publicum schisma ab Ecclesia Latina fecerunt anno Domini 1054, cum Michael, Patriarcha Constantinopolitanus, Pontificem Romanum et Latinos hac de causa excommunicare est ausus; atque hac de causa anno Domini 1452, in ipso festo Spiritus Sancti, puta in feriis Pentecostes, capta fuit Constantinopolis a Turcis, imperator occisus et Imperium Græcorum extinctum est. Hic ergo Græcorum est error : nam, ut recte advertit S. Hilarius, lib. VIII *De Trinit.*, et Augustinus, lib. IV *De Trinit.*, cap. XX, hoc loco potius contrarium significatur, scilicet Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio. Hoc enim significat τὸ « quem ego mittam. » Nam in S. Trinitate nulla persona mittitur ab aliqua, nisi quæ procedit ab ea quæ mittit. Unde Pater nunquam dicitur mitti, quia a nullo procedit. Filius vero dicitur mitti a Patre, non a Spiritu Sancto : Spiritus Sanctus dicitur mitti a Patre et Filio, quia ab utroque tanquam uno spirationis principio procedit. Ita hunc locum intellexerunt Patres Latini æque ac Græci veteres, citati in Concilio Florentino, *sess.* 18 et 25, ubi facta est unio Græcorum cum Latinis, Græcique admiserunt Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio. Vide Bessarionem Cardinalem, in *Orat. pro unione*, cap. VII. Quocirca cum in Symbolo Concilii Nicæni dictum esset duntaxat : « Credo in Spiritum Sanctum; » Concilium Constantinopolitanum addit : « Ex Patre procedentem; » sed cum oriretur lis de Filio, Ecclesia addidit : « Filioque, » uti docet Concilium Florentinum, *sess.* 7. Idipsum clare patet ex verbis Christi, cap. XVI : « Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi : Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. » Si enim omnia quæ habet Pater, Filii sunt; ergo ipse etiam spirat Spiritum Sanctum. Ita hoc intellexerunt omnes Patres ejusdem Concilii. Unde in litteris unionis universa Synodus ait : « Et quoniam omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus est. » Vide Bellarminum, lib. II *De Christo*, cap. XX et seq., fuse et exacte hæc pertractantem.

Porro mitti dicitur una persona divina ab alia cum ex voluntate illius, a qua procedit, alicubi incipit esse novo modo, quo ibi prius non erat, uti Filius missus est a Patre in carnem, ut fieret homo; Spiritus Sanctus a Patre et Filio missus fuit in Apostolos, interius per gratiam copiosam, qua eorum mentes illuminavit et voluntatem inflammavit, ut Christo ejusque doctrinæ testimonium constanter perhiberent : exterius vero idem fecit per linguas igneas, quibus eis efficaciam verborum indidit, ac per miracula quæ per eos patravit. *Quomodo una persona divina mitti dicatur ab alia?*

MITTAM A PATRE. — Dicit hoc Christus *primo*, plane, *q. d.* Cum ad Patrem in cœlos ascendero, tunc ego cum Patre mittam vobis Spiritum Sanctum. *Secundo*, Theophylactus, « a Patre, » inquit, id est approbante Patre et simul mittente. *Tertio*, « a Patre, » quia Filius a Patre habet essentiam divinam, et consequenter vim spirandi et mittendi Spiritum Sanctum, ut scilicet cum Patre eadem actione et spiratione spiret, ac eadem missione mittat Spiritum Sanctum. Sic dicitur *Genes.* XIX : « Pluit Dominus a Domino, » id est pluit Filius a Patre, quia licet una sit utriusque actio creandi et pluendi, eam tamen habet Filius a Patre. Ita S. Hilarius, lib. *De Synodis*; et Concilium Sirmiense, in *Histor. Tripart.*, lib. V, cap. III.

*Quarto*, « a Patre, » *q. d.* Mittam vobis Spiritum Sanctum, qui est apud Patrem, utpote ei coæternus et consubstantialis. Ita Ribera.

*Quinto*, τὸ « a Patre » elidit hæresim Eunomii, qui docebat Spiritum Sanctum non a Patre, sed a Filio procedere, ita ut Spiritus Sanctus sit quasi filius Filii, et nepos Dei Patris, quem refutat S. Basilius, lib. II *Contra eumdem*, docens Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere. Sic et S. Cyrillus, lib. X, cap. XXXIII, docet Spiritum esse Filii et Patris, et a Patre procedere, sed per Filium quod non aliud significat, quam quod nos dicimus, Filius producit Spiritum Sanctum a Patre, id est habet a Patre producere Spiritum Sanctum, sicut Deus per Verbum omnia creavit : omnia enim per ipsum facta sunt.



Rationem a priori dat S. Thomas, Suarez, Vasquez, Valentia et alii, I *part.*, *Quæst.* XXXVI, art. 2, quia si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non distingueretur a Filio. In divinis enim nulla est distinctio, nisi ob processionem unius ab alio et relationis oppositionem.

SPIRITUM VERITATIS. — Cur ita vocetur dixi cap. XIV, 17.

QUI A PATRE PROCEDIT. — Ita loquitur Christus, ac seipsum subticet : *primo*, quia Pater est primum principium spirationis Spiritus Sancti, ut dixi; *secundo*, quia Christus, humilitatis et reverentiæ causa, ut ejus nobis det exemplum, omnia sua, quæ auctoritatis sunt, solet referre ad Patrem; *tertio*, quia si dixisset : « Qui a me procedit, » non apte subderet : « ille testimonium perhibebit de me; » ille enim testis qui ab aliquo procedit, si de eo testetur apud homines, de fide suspectus esse solet.

Porro Jansenius, cap. CXXXV, et Arias Montanus dicunt hæc verba intelligi de processione non divina et æterna, sed temporali et humana, qua Spiritus Sanctus mittitur ad Apostolos aliosque fideles. Verum de divina hic agi liquet. *Primo*, ex eo quod plane idipsum verba significent, cum ait : « Qui a Patre procedit; » nam cum de temporali agitur, additur quippiam id indicans, ut cum cap. XVI, ait : « Exivi a Patre, et veni in mundum. » *Secundo*, quia de temporali processione immediate ante dixit : « Quem ego mittam vobis a Patre; » ergo hic non temporalem, sed æternam intelligit. *Tertio*, quia ita intellexerunt Patres in Concilio Florentino, *sess.* 18 et 23. *Quarto*, quia processio sive missio temporalis includit et præsupponit æternam. Nam, ut paulo ante dixi, in divinis non dicitur mitti persona una ab alia, nisi illa quæ ab alia procedit.

ILLE TESTIMONIUM PERHIBEBIT (Syrus, *ille testabitur*) DE ME, — quod sim Dei Filius, Messias, mundi salvator; idque faciet tum per internam inspirationem et illuminationem, tum per externa miracula. Porro, in teste tria requiruntur : *primo*, sapientia, ut sciat veritatem; *secundo*, bonitas, ut eam sincere narret, nec fallat aut decipiat; *tertio*, potentia et auctoritas, ut talis ab omnibus habeatur et omni exceptione sit major. Hæc tria perfectissime conveniunt Spiritui Sancto : ipse ergo perfectissimus est testis Christi.

ET VOS TESTIMONIUM PERHIBEBITIS, QUIA AB INITIO MECUM ESTIS. — Græce μαρτυρεῖτε, quod tam est modi indicativi, ut significet *testimonium perhibetis*, quam imperativi; ut significet *perhibete*. Unde Syrus vertit, *sed et vos testamini, quippe qui ab initio mecum sitis*. Sic et Cyrillus. Quod ergo Noster vertit, *perhibebitis*, idem est quod *perhibete*. Jubet enim ut prædicando testentur esse Christum Dei Filium; nam sæpe futurum sumitur pro imperativo. Fecerunt id Apostoli : nam, ut dicitur *Act.* IV : « Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri. »

Ex hoc loco disce, quis, qualis et quantus sit Spiritus Sanctus : scilicet *primo*, ipsum esse tertiam in S. Trinitate personam, distinctam a Patre et Filio; ab utroque enim ipse procedit et mittitur, procedens autem et missus a mittente distinguitur; *secundo*, Spiritum Sanctum vere esse Deum, Deo Patri ὁμοούσιον, quia ab eo procedit, ut Deus a Deo; *tertio*, ipsum procedere non a solo Patre, nec a solo Filio; sed conjunctim ab utroque, quasi ab uno spirationis principio; *quarto*, ipsum non procedere a Patre per generationem, ut sit Filius; sed per spirationem, ut sit Spiritus Sanctus : unde S. Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Augustinus et alii passim refellunt Macedonium hæreticum, dicentem Spiritum Sanctum, cum a Patre non procedat per generationem ut Filius, hinc non esse ei consubstantialem, nec esse Deum; *quinto*, ipsum esse Paracletum, id est consolatorem et exhortatorem ad omne bonum; *sexto*, ipsum esse Spiritum veritatis, quia docet omnem veritatem veramque fidem, doctrinam et prudentiam; *septimo*, ipsum esse testem Christi ejusque doctrinæ; testem, inquam, omni exceptione majorem ac divinum, imo ipsum Deum. Hinc ad Spiritum Sanctum multi referunt illud ænigma Mercurii Trismegisti : « Monas genuit monadem, et in se reflexit ardorem, » *q. d.* Pater unicus unicum genuit Filium, eumque amore divino complectens produxit Spiritum Sanctum, qui est quasi amor Patris et Filii : unde ab utroque procedit, quasi amor reflexus et notionalis Patris et Filii. Licet alii magis genuine Trismegisti dictum explicent de creatione mundi, *q. d.* Unus Deus unum creavit mundum, non actus necessitate aliqua, sed ex puro amoris ardore, ut scilicet sua bona angelis, hominibus cæterisque mundi creaturis communicaret. *Doctrina orthodoxa de Spiritus Sancti persona.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

# CAPUT DECIMUM SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Prædicit Christus imminentes Apostolis persecutiones, ac contra eas promittit eis Spiritum Sanctum, qui arguet mundum de peccato, de justitia et de judicio, ut Christum clarificet. Secundo, vers.* 16 : Modicum, *inquit,* et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me, *illudque explicat. Tertio, vers.* 23 : Si quid, *inquit,* petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; *ac tandem* : In mundo, *ait,* pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.

1. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. 2. Absque synagogis facient vos; sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. 3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. 4. Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. 5. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis? 6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. 7. Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos. 8. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. 9. De peccato quidem, quia non crediderunt in me : 10. de justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me : 11. de judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. 13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem : non enim loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. 14. Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. 15. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi : quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. 16. Modicum, et jam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem. 17. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem : Quid est hoc, quod dicit nobis : Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem? 18. Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit : Modicum? nescimus quid loquitur. 19. Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quæritis inter vos, quia dixi : Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me. 20. Amen, amen dico vobis : quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. 21. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. 22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. 23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis : si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. 24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo : Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. 25. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. 26. In illo die in nomine meo petetis; et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis : 27. ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi. 28. Exivi a Patre, et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. 29. Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. 30. Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est



tibi ut quis te interroget : in hoc credimus quia a Deo existi. 31. Respondit eis Jesus : Modo creditis? 32. Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis : et non sum solus, quia Pater mecum est. 33. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.

1. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. — Syrus, *ut non offendamini. Primo,* nonnulli censent hoc pertinere ad id quod Christus dixit *Matth.* xxvi, 31 : « Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte, » quod paulo ante hæc verba dixit Christus, ut sensus sit, *q. d.* Prædixi et præmonui vos hac nocte scandalum in me passuros, cumque videritis me capi, fugituros; idque feci hoc fine, ut minus foret hoc vestrum scandalum minorque turbatio, dum cogitabitis hoc a me fuisse prædictum, ideoque mox a fuga colligetis animos et ad me redibitis.

[illegible] *Secundo,* S. Cyrillus, lib. X, cap. 34, Maldonatus et alii referunt ad odia et persecutiones, quæ Apostolis imminere paulo ante prædixit Christus, ut se contra illa præmuniant; mala enim quæ ex improviso ingruunt, valde percellunt etiam viros fortes, quia inopinata : prævisa vero et provisa tela minus feriunt. « Hæc » ergo, inquit Christus, de mundi in vos odio et persecutione locutus prædixi vobis, « ut non scandalizemini, » ne scilicet iis offensi et fracti deficiatis a mea fide et a mentis constantia.

*Tertio,* Beda, Euthymius et alii referunt ad Spiritum Sanctum de quo proxime sermo præcessit, *q. d.* Hæc de Spiritu Sancto in vos venturo prædixi, ut, cum videritis vos persecutionibus agitari, non scandalizemini, sed iis generose resistatis, cogitantes Spiritum Sanctum vobis opem allaturum. Huc fere accedit S. Augustinus, *tract.* 93 : « Merito, inquit, promisso Spiritu Sancto, quo in eis operante fierent testes ejus, subjunxit : Hæc locutus sum vobis. Cum enim charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, fit pax multa diligentibus legem Dei, ut non sit scandalum. »

*Quarto,* optime Toletus, Ribera et alii, secundam et tertiam expositionem jungentes, sic explicant : « Hæc locutus sum vobis, » scilicet quæ dixi de persecutione et odio mundi in vos, et etiam de adventu Spiritus Sancti vos confirmaturi : « Ut non scandalizemini, » id est ne offendatis in via æternæ vitæ, qua ibatis, et recedatis a me, quasi ego eam non prænoverim, aut vos admonere noluerim, aut quasi intolerabilia sint quæ patimini et præter opinionem accidunt. Scandalum ergo, id est offendiculum Apostolorum removet Christus, tum quia præmonet instans periculum, tum quia contra illud Spiritus Sancti promittit auxilium. Hunc esse sensum patet ex sequent., præsertim in Syro et Arabico, qui addunt conjunctionem causalem *enim,* per quam sequentia huic versui nectunt, quasi causam effectui, *q. d.* persecutiones fore causam scandali.

2. Absque synagogis facient vos. — Syrus et Arabicus, *ejicient enim vos de synagogis suis;* Græce, ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, id est *alienos a synagogis,* et ut verbotenus dicam, *extrasynagogos facient vos,* hoc est, expellent vos e suis cœtibus, et quasi excommunicabunt vos. Ita Vatablus. Synagoga græce proprie idem est quod latine congregatio, cœtus, collectio. Hinc cœtus populi fidelis sive judæorum vocabatur Synagoga, uti nunc cœtus Christianorum vocatur Ecclesia. Hinc rursum locus, sive oratorium, ad quod conveniebant Judæi orationis et legis audiendæ causa, vocabatur Synagoga. Quia enim Deus jusserat ut unicum duntaxat in Judæa esset templum, in quo sibi sacrificia offerrentur, quod nec omnes Judæos capere, nec ab omnibus qualibet hebdomada adiri poterat; hac de causa in qualibet urbe Judæi exstruxerunt synagogam unam vel plures (unde Hierosolymis tempore excidii per Titum fuere 480 synagogæ) ad quam incolæ quolibet sabbato conveniebant, non sacrificii, sed orationis causa, utque legem a Scribis explicari audirent. Quare videntur synagogæ cœpisse tempore Judicum, paulo post ingressum Hebræorum in terram Chanaan. Hinc extra synagogam ejici, erat idem quod excommunicari, uti de cæco nato dixi cap. ix. Sed Christus hic Apostolis a Judæis excommunicandis promittit Ecclesiam, imo principatum Ecclesiæ suæ. Ita S. Augustinus.

Sed venit hora (instat tempus), ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. — *q. d.* Non tantum e Synagogis vos ejicient, sed et occident et occidendo putabunt se sacrificium offerre Deo. Unde Syrus omittens τὸ *sed,* vertit, *venietque hora, cum quisquis interficiet vos, putabit oblationem se offerre Deo.* Maldonatus vero τὸ *sed* accipit pro *quia.* Septuaginta enim Hebræum כי *ki,* id est *quia,* sæpe vertunt ἀλλά, id est *sed.* Melius dicas *sed* poni pro *sed et, imo,* uti ponitur II *Corinth.* cap. vii, vers. 11, cum ait : « Quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed (id est *sed et*) defensionem, sed indignationem, » etc.

Obsequium. — Græce λατρείαν, id est *sacrificium,* ut vertit Arabicus, sive *oblationem,* ut Syrus. Latria enim significat servitutem et cultum soli Deo debitum, qualis est adoratio et sacrificium, *q. d.* Judæi et Gentiles vos quasi victimas pro

peccato mactabunt et immolabunt Deo. Censebunt enim vos esse homines impios, scelestos, religionis avitæ eversores, Dei inimicos, ideoque mundi catharmata et piacula, uti ait Paulus, I *Corinth.* IV, 13. Quare putabunt se vos occidendo facere sacrificium Deo gratissimum. Porro S. Augustinus, *tract.* 93, censet hoc dici a Christo ad consolationem Apostolorum, *q. d.* Ejicient vos Judæi; sed ego vos colligam, et tantam hominum multitudinem ad me convertetis, ut Judæi metuentes ne templum suum et lex deseratur, interfecturi sint vos, maximum hac cæde honorem se Deo habere existimantes, quod ejus templum legemque defendant.

Hoc Christi oraculum Martyres Lugdunenses sub Marco Antonio Vero Imper. in se impletum fatentur, in *Epist. encyclica*, quam refert Eusebius, lib. V, cap. 1; cum enim servi eorum minis Gentilium adacti, testati fuissent eorum Thyesteas cœnas et Œdipia incesta, quod scilicet vorarent humanas carnes et promiscuos haberent concubitus, omnes simul adversus Christianos fremere et insatiabili odio furere cœperunt. « Tunc vidimus, inquiunt, compleri illud Christi : Veniet tempus, in quo qui occiderit vos, putet se obsequium offerre Deo. »

Nota : Loquitur hic Christus de persecutione non tantum Judæorum, sed et Gentium, ac præsertim Principum et imperatorum Romanorum qui a Nerone usque ad Constantinum per 300 annos acerrime persecuti sunt Apostolos omnesque Christianos, ut Romæ duntaxat affecerint martyrio plusquam ducenta millia Christianorum.

Causæ persecutionis in Apostolos. Prima. Causa erat *prima*, quod dæmon et idolorum sacerdotes persuadebant principibus per Christianismum everti eorum imperium, quasi populus ab eorum fide et obedientia avocaretur ad fidem et obedientiam Christi, ideoque terram et terrenos principes negligeret, eo quod ambiret cœlum et cœlestia.

Secunda. *Secunda*, quod ipsi suam religionem avitam et antiquam, puta cultum suorum deorum (verius dæmonum) putabant esse basim sui imperii : hanc autem destrui videbant per Apostolos et Christianos.

*Tertia*, quod Apostoli novam et mundo portentosam religionem inducerent et docerent hominem crucifixum, puta Christum, esse colendum et adorandum.

*Quarta*, quia videbant per Apostolos, suos mores impios, puta luxurias, ebrietates, odia, rixas, superbiam, invidiam, corrigi et castigari.

*Quinta*, quia dæmon et idolorum sacerdotes eis persuadebant Christianam religionem esse causam omnium malorum et cladium publicarum, v. g. famis, belli, pestis, inundationum, ut patet ex Tertulliano, Athenagora, Justino et aliis in *Apolog. pro Christianis.*

Vers. 3. 3. ET HÆC FACIENT VOBIS, QUIA NON NOVERUNT PATREM, NEQUE ME. — Dat causam persecutionum, ut per eam persecutores non excuset, sed potius accuset et Apostolos consoletur, *q. d.* Causa cur vos Judæi et Gentes persequentur, est, quia nesciunt, imo scire nolunt, me esse Filium Dei Patris; quod tamen ego tot miraculis et rationibus eis probavi, et vos probabitis : quare hæc ignorantia peccatum eorum non minuit, sed potius aggravat, quia est crassa imo affectata : vobis vero in persecutionibus solatium erit, quod me et Patrem cognoscatis, colatis et ametis, ac pro utroque patiamini : si enim gloriosum est pro patre et republica, multo gloriosius est pro Deo mortem oppetere. Ita S. Augustinus. Addit Chrysostomus hæc dici a Christo, ut Apostoli persecutiones Judæorum et Gentium contemnant : Sicut, inquit, princeps vel legatus principis, si relicto a tergo comitatu solus urbem ingrediatur, ideoque non cognoscatur ac indigne tractetur, et a nonnullis quasi peregrinus irrideatur, parvi hæc omnia facit; quia paulo post, adventante suo comitatu, faciet se cognosci et irrisores suos puniet.

4. SED HÆC LOCUTUS SUM VOBIS : UT, CUM VENERIT HORA, EORUM REMINISCAMINI (recordemini), QUIA (quod) EGO DIXI VOBIS. — Τὸ « sed » est adversativum, sed cujus adversi? *Primo*, Cyrillus, lib. X, cap. XIII, adversum ita supplet, *q. d.* : « Non hæc ea de causa dixi, ut vigor vestræ mentis enervetur, et antequam pericula veniant, formidetis; sed ut recordati hæc vobis a me prædicta fuisse, magis admiremini, et in ipso tempore periculorum, certior ab eventu rerum stabiliorque in me fides efficiatur. »

*Secundo*, Rupertus nil supplens pressius sic explicat : « Hæc, inquit, facient vobis, sed vos consolamini. Nam idcirco nunc ea prædico vobis, ut, cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis; et reminiscentes illud quoque non obliviscamini quod pollicitus sum, quia in omnibus pressuris nec capillus de capite vestro peribit, et inimicis occidentibus corpora, in patientia vestra possidebitis animas vestras. » Prior pars huic loco convenit, posterior non; Christus enim eos reminisci jubet eorum, non quæ olim, sed quæ paulo ante dixerat.

*Tertio*, Toletus sic nectit, *q. d.* Illi vos occident, quia non noverunt Patrem, neque me; sed ego prædico quæ futura sunt alia de causa, scilicet ut reminiscamini, quando illa hora venerit, me omnia ista vobis prædixisse.

*Quarto* et genuine, Ribera et Maldonatus, *q. d.* Ista quidem patiemini, sed ego adversus illa antidotum vobis porrigo, quod memineritis me, ut qui Deus sim, ista minime latuisse, et potuisse vitare si vellem, ac mihi ut Deo confidatis, quod scilicet ego vobis ut Deus adero, vosque roborabo ut omnia adversa fortiter superetis, ac deinde martyrii laurea vos ornem et coronem.

Pronomen *eorum* S. Augustinus, Beda, Rupertus jungunt cum *hora*; melius S. Chrysostomus,



Theophylactus, Euthymius, jungunt cum *reminiscamini.*

5. HÆC AUTEM VOBIS AB INITIO NON DIXI, QUIA VOBISCUM ERAM. — Est occupatio : Christus enim occurrit tacitæ Apostolorum objectioni; illi enim dicere poterant : Cur ab initio, cum nos vocasti ad Apostolatum, hoc nobis non dixisti, ut dispiceremus an ea amplecti teque sequi expediret, an non? Respondet Christus se consulto id fecisse, quod tum eorum needum erant capaces, quodque ipse cum eis erat, qui eos per omnia dirigeret et protegeret : jam autem abiens eos sibi relinquebat, ita tamen ut sua gratia eos semper roboraret, ac misso Spiritu Sancto illuminaret et confirmaret.

Quænam hæc nova, quæ Christus nunc Apostolis dixit. Sed quæ sunt hæc nova, quæ nunc primo Apostolis dicit, nec ante dixit? nam et persecutiones eis prædixit *Matth.* x, 17, et *Luc.* XII, 12. *Primo*, S. Augustinus, *tract.* 94 (quem de more sequitur Beda et Rupertus), ut hoc effugiat, totum hunc locum accipit de adventu Spiritus Sancti, *q. d.* Quæ dixi de adventu Paracleti, prius non dixi, quia ego ipse vobis aderam tanquam paracletus, id est consolator et exhortator : jam vero abiens ad Patrem dico, et promitto vobis alium Paracletum. Hic sensus partim satisfacit, partim non, quia τὸ *hæc*, non solum adventum Spiritus Sancti, sed et persecutiones prædictas respicit.

*Secundo*, Glossa τὸ *hæc* refert ad omnia præcedentia consolationis Christi verba, *q. d.* Hæc vos consolando dixi, non prius, quia dum vobis aderam, ego ipse vos consolabar. Hoc nimis amplum est et generale.

*Tertio*, Jansenius et Maldonatus censent illa quæ habet Matthæus, x, de persecutionibus, non tunc, sed posterius esse dicta, ibique ob loci opportunitatem inscripta per anticipationem. Probant *primo*, quia cum primum Apostoli a Christo missi sunt ad prædicandum per Judæam, nullam persecutionem passi sunt, et ita non opus erat eo tempore ista dicere. *Secundo*, quoniam illa intelliguntur de persecutione Gentilium, tunc autem prohibiti sunt prædicare Gentilibus : « In viam Gentium ne abieritis. » *Tertio*, quoniam omnia fere quæ sunt in eo loco Matthæi ab illis verbis : « Ecce ego mitto vos, » Marcus et Lucas commemorant dicta alio tempore et diversis locis : ex quibus inferunt dicta fuisse post resurrectionem, cum mittebantur ad Gentes, posita autem esse ibi propter materiarum convenientiam.

Hanc responsionem multis impugnant Ribera et Toletus, sed argumenta eorum non convincunt.

*Quinto*, facillime et planissime dicas : Etsi quædam de persecutionibus jam ante Apostolis prædixerat Christus, non tamen omnia quæ hic particulatim prædicit, nec cum tanto pondere et atrocitatis significatione; nam non prædixit eos a Judæis fore excommunicandos, uti hic ait : « Absque synagogis facient vos; » nec mortem et martyrium omnes passuros : licet enim, *Luc.* cap. XXI, dicatur : « et morte afficient ex vobis; » tamen hoc de paucis accipi poterat, non de omnibus; nec τὸ « ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, » nec τὸ « venit hora, » *q. d.* Jam jam instant vobis persecutiones, flagella, carceres, mortes et martyria : minus enim terrent mala diu post futura, quam statim imminentia et præsentia. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Toletus, Ribera et alii. His adde ex S. Augustino persecutionum remedium, scilicet Spiritus Sancti in eos mittendi auxilium, quod ante non prædixit.

QUIA VOBISCUM ERAM. — *q. d.* Huc usque hæc de persecutionibus vobis imminentibus vobis non dixi, quia dum vobis aderam, ego omnia Judæorum odia, maledicta et maleficia a vobis averti et in me excepi, jam autem abiens scio, quod ipsi vos propter me invadent : quare vos hac de re præmoneo, ne improvisa tela vos percellant et prosternant, ut vos contra illa armetis et præmuniatis; at vero ego ipse mittam Spiritum Sanctum, qui vos præmuniat et undique obarmet.

Moraliter : disce hic Deum initio vocationis tironibus non revelare status, ad quem eos vocat, difficultates, tentationes, cruces, ne vocari percellantur, et id ad quod vocantur refugiant; sed ubi in vocatione sua firmati et roborati fuerint, hæc eis immittit, aut a dæmone, carne et mundo immitti permittit, ut eos velut milites suos ad prælia exerceat, ac vincere discant, ut vincentes coronet. Hinc de Hebræis ex Ægypto exeuntibus dicitur, *Exod.* XIII, 17 : « Non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est : reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum; sed circumduxit per viam deserti. » Hac de causa novitios in religione Deus præservat a tentationibus eosque consolationibus spiritualibus mulcet, uti mater lactat infantem.

ET NUNC VADO AD EUM QUI MISIT ME. — *q. d.* Per crucem et mortem vado ad resurrectionem, ut gloriose conscendam in cœlum et redeam ad Patrem, qui misit me in terram.

ET NEMO EX VOBIS INTERROGAT ME : QUO VADIS? — Licet enim idipsum rogarit Thomas, cap. XIV, 5, tamen nec ipse, nec quis alius responsum Christi obscurum satis intellexit, nec institit ursitque Christum, ut illud ejusque rationem et modum sibi perfectius explicaret, quia omnes erant tristitia ex abitu Christi concepta absorpti. Ita Cyrillus, Euthymius, Maldonatus, Jansenius et alii.

Tacite ergo Christus reprehendit Apostolos, quod non magis interrogarent quo eat, id est ad quæ gaudia pergat, ad quam gloriam, ad quod regnum et quod auxilium inde eis sit allaturus, quæ præmia daturus : hæc enim eorum mœrorem, si non discussissent, certe minuissent.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

6. 6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. — Maldonatus rursum τὸ *sed* exponit per *nam*, ut det causam cur discipuli non interrogent Jesum, quo vadat, esse tristitiam, *q. d.* Non interrogatis me, quia tristitia oppleti estis. Toletus vero τὸ *sed* explicat per *imo*, ut sit auxesis, *q. d.* Non solum me non interrogatis quo vadam, imo potius quia hæc, nempe discessum meum audistis, tristitia estis obruti. Simpliciter τὸ *sed* accipias ut adversativum interrogationis, *q. d.* Non me interrogatis, sed tristitia absorpti siletis, ut pavidi mures. Tacite eos objurgat, quod adeo se tradiderint tristitiæ et mœrori ob suum abitum, ut nec linguam, nec animum habuerint interrogandi id quod tristitiam lenivisset, ac summæ erat consolationis et gaudii, scilicet quod iret ad Patrem, ut mitteret ipsis Spiritum Sanctum et ut in cœlis pararet eis locum.

7. Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam. — *Primo*, S. Chrysostomus, *homil.* 77, sic explicat, *q. d.* Non ad gratiam loquor, sed licet majorem in modum contristemini, quod expedit audiendum est; vos quidem ut adessem velletis, usus aliud postulat : diligentis autem est eorum utilitatem cognoscit, non permittere ut ea dicat quæ consentia. Sic fere et Cyrillus, lib. X, cap. XXXIX : « Scio, inquit, vos dolore moveri sentio, quia ego autem constitui : nec id injuria, præsertim cum magnas vobis futuras tentationes audieritis; verum quoniam jucundis utilitas præponenda est, veritatem vobis aperiam. »

Verum Christus hic « veritatem » non opponit gratiæ, sed tristitiæ, ac veritatem refert ad consolationem Apostolorum; hos enim dicit, ut eis tristitiam eximat per lætum consolationis nuntium, *q. d.* Vos tristamini de meo abitu, quasi de summo vestro malo, derelictione et desolatione : sed scitote vos errare, atque in veritate expedire vobis ut ego vadam, discessus enim meus ad Patrem erit vobis utilissimus : nam inde Spiritum Sanctum in vos mittam, qui vos omni virtute et gaudio replebit : quare abitus meus cedet ad vestram non tantum utilitatem, sed et voluptatem, uti in Pentecoste reipsa sentietis, unde de eo subjicit :

Si enim non abiero, Paraclitus (Spiritus Sanctus, consolator et exhortator vester) non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos, — ob causas quas recensui, cap. VII, 39, ad illa : « Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. » Discipuli enim, sicut pueri cum matre, et pulli cum gallina, nimis addicti humanæ conversationi et colloquiis cum Christo ejusque præsentiæ corporali, non erant capaces Spiritus Sancti ejusque donorum spiritualium : quare abscessit Christus, ut ab eo quasi ablactati et toti in Spiritum Sanctum intenti, ab eo elevarentur ad heroica opera, quibus totum mundum converterent. Unde Spiritus Sanctus in Pentecoste adveniens, ipsos ex discipulis fecit magistros eosque orbis doctores creavit. Vide S. Augustinum, *tract.* 94, et S. Gregorium, lib. VIII *Moral.*, cap. XXXIII.

Porro apposite a Christo Spiritus Sanctus hic vocatur Paracletus, ut significet ipsum discipulos ob suum discessum mœstos summe consolaturum omnique gaudio repleturum. Hinc S. Chrysostomus, hom. 77 *Contra Macedonium*, probat Spiritum Sanctum vere esse Deum : nam si Spiritus Sanctus non esset creator, sed creatura, quomodo expediret propter ejus adventum ab Apostolis discedere Christum, qui erat creator et Deus? Rursum ne Spiritum Sanctum idem esse cum Filio putetur, addit Christus : « Mittam eum ad vos, » mittens enim a misso realiter et personaliter distinguitur. Denique τὸ « mittam » significat Spiritum Sanctum a Filio æque ac a Patre procedere. In Sancta Trinitate enim quæcumque persona aliam mittit, eamdem producit, id est gignit vel spirat, uti Pater mittens Filium, eumdem gignit : idem cum Filio mittens Spiritum Sanctum, eumdem spirat.

8. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. — Per « mundum » accipit Judæos æque ac Gentiles mundanos, in Christum non credentes, et infideles. Hos Spiritus Sanctus arguet, id est *primo* increpabit, objurgabit, redarguet; *secundo*, suis argumentis convincet, ut palam pateat ipsos esse convictos : esto id ipsi in infidelitate sua obstinati nolint fateri se de ea esse convictos, nec velint in Christum credere, ut faciunt hæretici in sua hæresi pertinaces. Vers. 8. Spiritus S. arguet mundum de peccato, de justitia, et de judicio quid.

9. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. — Ita Romanus et Arabicus, licet Syrus et Græca legant in præsenti, πιστεύουσι, id est *credunt*. Sensus est, *q. d.* Spiritus Sanctus, quem ego mittam in Pentecoste, arguet et convincet tam Judæos quam Gentes infideles hostes meos de peccato, tum magnæ infidelitatis, ait S. Chrysostomus et S. Augustinus, tum quovis alio, ait Cyrillus, quia auditis licet tot rationibus et visis tot miraculis, noluerunt tamen in me credere, *q. d.* Demonstrabit eis Spiritus, tum exterius per ardentem prædicationem, sanctitatem et miracula, quæ per Apostolos patrabit; tum interius mentes eorum per internas inspirationes illuminans, statum animæ suæ, ut scilicet ipsi sciant, et licet inviti, agnoscant se esse in pristinis infidelitatis aliorumque scelerum peccatis, ac in iis manere, eo quod ab illis liberari non possint, nisi per fidem in me, quam recipere noluerunt. Demonstrabit enim eis non esse alium Salvatorem, qui peccata expiare possit, nisi me : « Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, » ait S. Petrus, *Act.* IV, 12. Quocirca hac Petri et Apostolorum prædicatione multi commoti in Christum crediderunt, alii in sua infidelitate persistentes, inexcusabiles facti seipsos damnationis et gehennæ reos effecerunt.



Unde *Act.* II, dicitur : « His auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et alios Apostolos : Quid faciemus, viri fratres? » Ita Cyrillus, Leontius et alii.

10. De justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me, — *q. d.* Spiritus Sanctus arguet et convincet falsam esse mundi justitiam : Judæorum quidem, quia ipsi eam quærebant in cæremoniis legis et lustrationibus corporeis, quæ non valent abluere animam; Gentilium vero, quia ipsi justitiam quærebant in morali honestate, sive in operibus naturaliter et moraliter honestis; Christum autem, ab utrisque idcirco spretum et æstimatum injustum, convincet et ostendet solum esse justum, omnisque justitiæ fontem et parentem. Ita Cyrillus, lib. VI (1).

Tropologice S. Bernardinus, *in Parvis*, serm. 21 : « Spiritus Sanctus, ait, arguit mundum de peccato, quod dissimulat; de justitia, quam non ordinat, dum sibi, non Deo eam dat; de judicio, quod usurpat, dum tam de se, quam de aliis temere judicat. »

Quia ego ad Patrem vado, — *q. d.* Mundo et mundanis scandalum est, ex eoque arguunt me esse injustum et impostorem, quia cum ego videar esse homo communis et merus, non divinus, nova tamen et paradoxa doceam; sed mox contrarium eis patebit, me scilicet a Deo Patre missum in terras, ut morte mea in cruce mundum Deo Patri reconciliem et ad jus filiorum eveham : quia scilicet ascendens in cœlum ad eum redibo, ut mundus amplius me non videat, nec infirmæ carnis meæ visu scandalizetur; indeque mittam Spiritum Sanctum qui fideles in me credentes justificabit et sanctificabit : unde clarum toti mundo evadet, me non esse merum hominem, sed hominem Deum, mundi justificatorem et salvatorem. Ita Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Addit Chrysostomus Spiritum Sanctum ad invocationem nominis Jesu sua dona et gratias in fideles distribuisse.

Et jam non videbitis me; — non loquitur de personis, sed de genere, *q. d.* Homines, quales vos estis, non videbunt me. Dixit autem : « Non videbitis me, » potius quam : Non videbunt me, quia Apostoli, non mundus, eum in cœlum scandentem conspecturi erant, *q. d.* Videbitis quidem me ad Patrem ascendentem, sed ulterius in hac vita me non videbitis.

Ita Maldonatus, Ribera et alii. Addit Toletus hoc dicere Christum, ut significet non opus esse ut iterum veniat in mundum passurus et moriturus; unica enim morte consummavit justitiam pro omnibus præteritis, præsentibus et futuris. Vado, inquit, ad Patrem meum et vestrum, nec jam videbitis me iterum in hoc sæculo, sicut adhuc vidistis, quasi iterum sit opus mori et pati. Totam enim justitiam nunc consummavi; ideo mundus arguendus est et convincendus de justitia statim post hunc meum discessum : quod scilicet illa jam per me perfecta sit et consummata. Addit S. Augustinus : « Arguitur, ait, mundus de peccato, quia in Christum non credit; de justitia vero eorum qui credunt : fidelium enim comparatio infidelium est vituperatio; quia vero infidelium vox esse consuevit : Quomodo credimus quod non videmus? ideo credentium justitiam sic definivit : Quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me; beati illi qui non vident et credunt. Erit itaque vestra justitia, de qua mundus arguitur, quoniam in me, quem non videbitis, credetis. » Idem S. Augustinus, *De Verb. Domini*, serm. 61 : « Illi, ait, non crediderunt, ipse ad Patrem vadit; illorum ergo peccatum, ipsius autem justitia : quod enim ad nos venit, misericordia est; justitia vero, quod ad Patrem vadit, secundum illud Apostoli : Propter quod et Deus exaltavit illum. » Idem, *De Quæst. novi et vet. Testam.*, Quæst. LXXXIX : « Per id quod regressus est, probavit se inde venisse. » Et Chrysostomus : « Ire ad Patrem argumentum fuit quod irreprehensibilem vitam egisset, ne possint dicere : Peccator est, et non est ex Deo. »

11. De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est. — *Primo*, S. Chrysostomus et Euthymius exponunt, *q. d.* Spiritus Sanctus arguet et convincet falsum esse mundi judicium, quo me judicabit miracula, hoc est, mira in speciem facere, per opem et præstigias dæmonis; nam ostendet dæmonem a me judicatum esse, expulsum et damnatum.

*Secundo*, Theophylactus, *q. d.* Spiritus Sanctus condemnabit mundum ignaviæ, eo quod vulneratum et enervatum a Christo Satanam ipse mundus prosternere, calcare et vincere noluerit.

*Tertio*, Cyrillus, *q. d.* Spiritus Sanctus redarguet mundum quasi seductum, eo quod in damnato a me dæmone spem suam habeat et collocet, sive quod, omisso Deo, diabolum in creaturis et idolis adorarit.

*Quarto*, Toletus et alii, *q. d.* Spiritus Sanctus ostendet mundo me justum judicem esse vivorum et mortuorum, dum faciet ut mundus videat principem suum, id est diabolum, a me judicari, id est damnari et expelli : si enim dæmones judico et damno, multo magis homines.

*Quinto*, et aptissime, *q. d.* Spiritus faciet ut

(1) Rosenmullerus ad vocem δικαιοσύνης, *de justitia*, subintelligit pronomen μου, atque δικαιοσύνη explicat vel *innocentia mea*, vel *bona causa mea*, *q. d.* Edocebit per vos Spiritus Sanctus Judæos, qui meam doctrinam contemnunt, meque impostorem nominarunt, de *innocentia*, seu *bona causa mea*, per mortem meam meumque ad Patrem abitum declarata. Cum enim imperium Christi in animos humanos, cujus causa ipse venerat in terrarum orbem, ubique locorum propagatum fuerit, quod factum est post ejus abitum ad Patrem, multaque in nomine ejus miracula ab Apostolis edita, tum apparebit eum justum fuisse et innocentem, eique fidem habendam esse ut vero legato divino et Dei Filio.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mundus videat suum judicium, id est condemnationem, quia faciet ut mundus cernat se damnatum in suo capite et principe, puta diabolo, quem colebat et imitabatur, quando efficiet ut Apostoli, invocato nomine Jesu, eum ex templis et idolis, in quibus eum adorabat mundus, ac ex mentibus et corporibus hominum ab eo possessorum ejiciant ejusque regnum evertant; quia si Deus angelis peccantibus non pepercit, nec parcet mundo peccanti; et si non pepercit capiti et principi, scilicet diabolo, non parcet quoque membris et subditis ejus. Ita S. Augustinus, Beda, Rupertinus, Maldonatus, Ribera et alii.

Quocirca hoc eodem Christi argumento utuntur S. Justinus in *Dial. cum Tryphone*; Tertullianus, lib. *ad Scapulam*, et *Apolog.* cap. XXXVII; Cyprianus, *ad Demetrianum*; Origenes, lib. I *Contra Celsum*; S. Athanasius, lib. *De Incarnat. Verbi*; Lactantius, lib. II, cap. VI, et alii, ut mundum, id est Gentiles, convincant cogantque fateri se a Christo et christianismo superatos et damnatos esse, eo quod videant suum principem, id est dæmonem, a Christianis expelli, tam e templis quam e mentibus et corporibus hominum.

Audi S. Augustinum, *De Verbis Domini secundum Joan.* serm. 60: « Hoc ipso quod foras missus est, judicatus est; et de hoc judicio mundus arguitur, quia frustra de diabolo queritur, qui non vult credere in Christum, quem judicatum, id est foras missum, et propter nostram exercitationem forinsecus expugnare permissum, non solum viri, sed etiam mulieres et pueri Martyres vicerunt. » Idem, *in Joan.* hoc loco: « Judicatus, id est judicio æterni ignis irrevocabiliter destinatus; et de hoc judicio mundus arguitur, quia cum suo principe judicatur, quem superbum et impium imitatur. Credant itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis, quo peccato omnia detinentur; transeant in numerum fidelium, ne arguantur de justitia eorum, quos justificatos non imitantur; caveant futurum judicium, ne cum mundi principe damnentur quem imitantur. »

12. ADHUC MULTA HABEO VOBIS DICERE (de fidei mysteriis, de Gentium conversione, de Ecclesiarum fundatione et gubernatione, de sacerdotibus et Episcopis totoque ordine hierarchico instituendo, etc.), SED NON POTESTIS PORTARE MODO. — Id est, nunc non potestis ea capere, mens vestra nondum sustinet tantum rerum pondus audire et comprehendere, tum quia adhuc imbecilla est et rudis, ac carnalibus Judæorum ritibus assueta, tam sublimia et spiritualia needum concipere potest; tum quia totam eam occupat tristitia, quæ non sinit eam ad tam multa et grandia attendere et assurgere; sed mox mittam vobis Spiritum Sanctum, qui vos illuminando idoneos et capaces reddet, ut ea portare et comprehendere possitis. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus et S. Augustinus. Excitat Christus Apostolos, ut ipsi animos attollant ac desiderium concipiant, ad tanta mysteria per adventum Spiritus Sancti cognoscenda. Hinc disce, Apostolos et Ecclesiam sensim in cognitione mysteriorum fidei profecisse et crevisse, sicut solis lumen crescit a diluculo gradatim usque ad meridiem. Unde Ecclesia « progreditur quasi aurora consurgens, » *Cant.* VI, 9. Sic et quilibet fidelis sensim in fide et sanctitate proficit, juxta illud *Prov.* IV, 18: « Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem. » Vide ibi dicta.

13. CUM AUTEM VENERIT ILLE (Paracletus) SPIRITUS VERITATIS (ob causas quas recensui cap. XIV, vers. 17), DOCEBIT VOS OMNEM VERITATEM, — quam scilicet vos in hac vita scire convenit, tum ut vos ipsos, tum ut omnes Gentes in viam salutis dirigatis. Ita Cyrillus, Theophylactus, Euthymius. Nam alioqui omnem omnino veritatem non in hac vita, sed in cœlo eos docturus erat. Ita S. Augustinus et Beda. Pro « docebit » græce est ὁδηγήσει, id est ducet recta via ad veritatem quasi dux viæ; Syrus, *deducet vos in omnem veritatem*. Via enim veritatis est studium, vestigatio S. Scripturæ, libri Patrum, oratio et invocatio Spiritus Sancti; hisce enim quasi viis pervenitur ad veritatem. Hinc rursum patet Spiritum Sanctum sensim docuisse Apostolos plura et majora mysteria, ita ut Apostoli pedetentim in eorum cognitione profecerint. Nam in Pentecoste ipsum non docuisse omnia, patet *Act.* X, ubi diu post eam S. Petro revelavit Evangelium prædicandum esse non solum Judæis, sed et Gentibus, ac imprimis Cornelio Centurioni; et *Act.* XV, Gentes non esse circumcidendas nec obligandas, ad servandam legem Moysi. Quocirca Ecclesia feria IV Pentecostes sic orat: « Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paracletus, qui a te procedit, illuminet et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. »

NON ENIM LOQUETUR A SEMETIPSO (Syrus *ex mente sui ipsius*), SED QUÆ AUDIET LOQUETUR. — *Primo*, S. Chrysostomus exponit, *q. d.* Spiritus Sanctus non loquetur contraria iis quæ ego locutus sum et docui, sed conformia; nam quæ audiet a me, loquetur. Sic et Cyrillus, Theophylactus, Rupertus et Maldonatus. Addit Chrysostomus, *hom.* 77, hoc adjici, ne quis ex eo quod dixit Spiritum Sanctum docturum omnem veritatem, opinetur ipsum esse majorem Filio, qui omnem veritatem non docuit.

*Secundo*, S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, cap. XII: « Non loquetur a semetipso, » id est, inquit, non sine Patris et mea communione; quare *q. d.* Non loquetur nisi ea quæ audit: quare quæ ipse loquetur, etiam Pater et Filius loquentur.

*Tertio*, S. Augustinus: Spiritus Sanctus non loquitur a semetipso, hoc est, inquit, non est a seipso, sed spiratur a Patre et Filio.



*Quarto*, optime exponas jungendo secundum et tertium sensum, *q. d.* Spiritus Sanctus « non loquetur a semetipso, » hoc est, non sine meo et Patris arbitrio, quia non ex se est, sed ex Patre et me est; et quod subsistit et loquitur, a Patre et a me illi est, ait Didymus, lib. *De Spiritu Sancto*. Igitur τὸ « non loquetur a semetipso » Christus explicat per antitheton dicens: « Sed quæ audiet loquetur. » Alludit ad homines, qui dicuntur loqui a semetipso cum quid fabulantur et fingunt: hi enim non ex re et rei veritate, sed ex cerebri sui fictione loquuntur. « Loqui » ergo « a semetipso » est fingere, fallere, mentiri, quod facere nequit Spiritus Sanctus. Rursum voluit Christus docere originem veritatis, æque ac Spiritus Sancti, esse tam Patrem, quam se; quare Spiritum Sanctum eamdem veritatem docturum, quam ipse docuerat: quia « quæ audiet, » id est quæ ab æterno audivit, audit et audiet semper, sive quæ cum essentia divina haurit tam a Patre quam a Filio, hæc loquetur. Simili modo, superius Christus sæpe dixit se non ex seipso loqui, sed ea quæ audivit a Patre; Patri enim convenit auctoritas originis, uti essentiæ, sic et scientiæ. Audi S. Augustinum, *tract.* 99: « Audire illi scire est, scire vero esse. Ab illo a quo procedit, illi est essentia, scientia et audientia. Semper audit Spiritus Sanctus, quia semper scit. » Et Didymum: « Loqui Patrem, et audire Filium, ejusdem naturæ in Patre et Filio consensusque significatio est. Spiritus vero Sanctus, qui est Spiritus veritatis et sapientiæ, non potest Filio loquente audire quæ nescit, cum hoc ipsum sit, quod profertur a Filio, id est procedens veritas a veritate, consolator a consolatore, Deus de Deo (1). »

Rursum S. Augustinus, *tract.* 99: « Non moveat, inquit, quod verbum futuri temporis positum est: est enim illa sempiterna audientia, quia sempiterna scientia. In sempiterno autem, sine initio et fine cujuslibet temporis verbum ponitur, nec mendaciter dicimus Fuit, et Est, et Erit; fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est. »

ET QUÆ VENTURA SUNT, ANNUNTIABIT VOBIS. — *q. d.* Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem, quæ vos et vestrum officium concernit, non tantum præteritam et præsentem, sed et futuram; ac proinde vos non tantum Apostolos et Evangelistas, sed et Prophetas constituet, indendo vobis donum prophetiæ. Hoc enim habuisse Apostolos patet *Actor.* XI, 28, et XX, 29, et XXI, 11. Imo Apocalypsis S. Joannis fere est continua prophetia. Decebat enim Apostolos priscis prophetis non esse inferiores, sed superiores. Unde Didymus, lib. *De Spiritu Sancto*: Per Spiritum veritatis, ait, futurorum Sanctis scientia certa conceditur: unde et Prophetæ futura quasi præsentia intuebantur. Spiritus Sanctus enim est Spiritus veritatis, qui scilicet novit et revelat omnes veritates, etiam futuras. Est enim Spiritus æternæ sapientiæ, quæ amicos Dei et Prophetas constituit, *Sapient.* VII, 27. Causam dat S. Chrysostomus: Excitavit, ait, per hoc Apostolorum mentem; ad nihil enim ita avidum est genus humanum, ut ad sciendum futura. Ab hac ergo sollicitudine eos liberavit, ostendens futura eis revelanda, ne incauti errarent.

Anagogice, Beda: « Ventura annuntiabit, » id est gaudia cœlestis patriæ ad memoriam reducet: nuntiabit etiam mala, quæ vobis pro confessione Christi ventura sunt. Et Interlinearis: Non solum, ait, quæ futura sunt in tempore annuntiat, sed magis æterna, quorum amore inflammat.

14. ILLE ME CLARIFICABIT, — id est glorificabit, ostendendo me esse Dei Filium, Messiam, doctorem et salvatorem mundi. Audi S. Augustinum: « Ille me clarificabit: diffundendo in cordibus charitatem, et spirituales faciendo, declaravit eis Filium Patri esse æqualem, quem secundum carnem prius tantummodo noverant. Item per ipsam charitatem fiducia repleti Apostoli, et timore depulso, annuntiaverunt hominibus Christum, et sic ejus fama toto orbe diffusa est: quod enim facturi erant in Spiritu Sancto, hoc eumdem Spiritum dixit facturum. »

QUIA DE MEO (Arabicus, *de eo quod est mihi*) ACCIPIET, — scilicet a me meam essentiam divinam, ait Nazianzenus, orat. *De Fide*, ac consequenter meam voluntatem et scientiam: hanc enim vobis annuntiare debet, inquit Cyrillus, Chrysostomus, Jansenius, Toletus et alii. Audi Didymum: « Dans Filius, non privatur his quæ tribuit, nec cum damno suo impartitur aliis, nec Spiritus Sanctus accipit quod ante non habuit; sic est intelligendus Spiritus Sanctus a Filio accipere, ut una cognoscatur dantis et accipientis substantia: sic et Filius a Patre accipit ea in quibus subsistit. »

Aliter Maldonatus, *q. d.* « De meo accipiet, » id est meo nomine veniet, nec aliam quam meam doctrinam vobis quasi legatus meus exponet. Sed hoc videtur alienus. Perperam Nonnus vertit: « De meo Patre accipiet, » quasi Spiritus Sanctus a Patre solo procedat, non a Filio. Non enim ait Christus: Ille Patrem clarificabit, quia de Patre accipiet, sed: « Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. »

Ex hoc loco Patres, imo Concilium Florentinum, *sess.* 25, probant Christi divinitatem et processionem Spiritus Sancti a Filio æque ac a Patre. Citat eos fuse Maldonatus hic in fine hujus versus, et Bellarminus, lib. II *De Christo*, cap. XXIV et XXV. Unde docte Theodorus Heracleotes, in *Catena Græcor.*, hoc loco: « Spiritus Sanctus, inquit, testis fuit divinitatis Unigeniti, cum ex ejus esset essentia essentiamque ejus declararet; » nec

(1) Imo ab ecclesiasticis scriptoribus Spiritus Sanctus etiam *vicarius* Christi appellatur, imprimis a Tertulliano, lib. *de Virgin. veland.*, cap. I; idem, *De Præscript. hæret.*, cap. XIII, *Christum misisse* ait vicarium vim Spiritus Sancti, qui credentes agat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

enim spirari potest Spiritus Sanctus, nisi ab eo qui est Deus.

Dices : Cur ergo Christus non dixit, *me accipiet*, sed *de meo*. Respondeo : quia Spiritus Sanctus a Filio non accipit totum quod est in Filio; non enim accipit filiationem, sed essentiam, ex qua et filiatione constituitur Filius secundum nostrum modum concipiendi. Et sic explicat Christus, vers. seq., dicens : « Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi : Quia de meo accipiet.» Unde patet τὸ *de meo*, idem esse cum τῷ *omnia quæ habet Pater, mea sunt*; scilicet ipsa deitas cum omnibus suis attributis. Hinc Theophylactus exponit : « De meo, » id est de thesauro divinitatis, qui est in me, « accipiet. » Perperam ergo hæretici, ex τῷ *de meo*, contendebant Spiritum Sanctum non natura, sed participatione esse Deum, uti refert S. Augustinus, *tract.* 100, et Cyrillus, lib. XIII *Thesauri*, cap. IV; participat enim ipsam naturam divinam, quæ nullas habet partes, sed tota est indivisibilis et simplicissima.

ACCIPIET, — id est accepit ab æterno, accipit et accipiet semper. Futurum enim omne tempus complectitur, et melius convenit æternitati, quia hæc in æternum durat, uti semper durat spiratio Spiritus Sancti. Sensus totius hujus loci est, *q. d.* Ne tristemini, quod me abeunte, vestro doctore privemini; nam mittam Spiritum Sanctum, qui cum merus sit Spiritus divinus, docebit vos omnia quæ salutis et spiritus sunt : eo autem docente, ego vos doceo, quia a me accipit omnia, a quo procedit; ille claritatem et gloriam meam vobis demonstrabit, quia a me accipiet omnia quæ dicturus est vobis, et ita per ipsum vobis loquar et me demonstrabo vobis; nec miremini quod de Spiritu Sancto dixerim : « De meo accipiet; » nam ego per æternam generationem accepi a Patre omnia quæ ipse habet; et ideo accepi ab ipso, quod unum sim cum ipso principium Spiritus Sancti. Ita Ribera.

15. OMNIA QUÆCUMQUE HABET PATER, MEA SUNT (Arabicus : *Omnia quæcumque sunt Patri, sunt mihi*; Nonnus : *Sors mea sunt omnia quæ habet Pater meus*. Probat Spiritum Sanctum a se accipere essentiam et scientiam, ex eo quod omnia quæ habet Pater sua sint; omnia enim sua, excepta paternitate, ait Concilium Florentinum, Pater generando communicavit Filio; ergo et virtutem spirandi Spiritum Sanctum, quam habet Pater, communicavit Filio. Unde explicans subdit) : PROPTEREA DIXI : QUIA DE MEO ACCIPIET, ET ANNUNTIABIT VOBIS. — *q. d.* Ideo dixi : « De meo accipiet, » quia accipiet omnia quæ habet Pater quæque ipse mihi communicavit; omnia enim quæ Patris sunt, mea quoque sunt, atque ego eadem Spiritui Sancto spirando communico, nimirum meam Deitatem, omniscientiam, omnipotentiam etc. Ita Didymus : « Patris nomine, ait, se Filium esse declaravit, non paternitatem usurpavit (uti voluit Sabellius) : quæ Pater habet juxta substantiam, id est æternitatem, immutabilitatem, bonitatem, hæc eadem habet et Filius. » Et S. Hilarius, lib. VIII *De Trinit.* : « Docet, ait, a Patre accipienda, a se tamen accipi, quia omnia quæ Patris sunt, sua sunt, non habet universitas diversitatem. » Hinc rursum colligitur Spiritum Sanctum procedere a Filio, quia omnia quæ habet Pater, habet Filius excepta paternitate; atqui Pater habet vim et actionem spirandi Spiritum Sanctum, ergo eamdem habet et Filius. Confirmatur : quia si Pater et Filius non haberent omnia communia, excepta relatione opposita, distinguerentur plusquam relatione, et proinde distinguerentur substantia : nam Pater ut spirator, non est relativum ad Filium; ergo si ut spirator distinguitur a Filio, distinguitur per spirationem, non ut relatio est, sed ut est forma quædam in Patre subsistens : proinde Pater et Filius in substantia differunt, quæ est hæresis Ariana.

16. MODICUM, ET JAM NON VIDEBITIS ME; ET ITERUM MODICUM, ET VIDEBITIS ME : QUIA VADO AD PATREM. — Syrus : *Paulisper, et non videbitis me; et iterum paulisper, et videbitis me, quippe qui abeam ad Patrem*; *q. d.* Modicum tempus (post paucas horas) a Judæis capiendus, passurus, et in cruce moriturus sum, moxque sepeliendus, et tunc mœsti « non videbitis me; » sed post aliud modicum tempus, iterum « videbitis me. » Nam post triduum a morte resurgam, et me vobis videndum magno cum gaudio exhibebo : quoniam paulo post iturus sum ad Patrem, et ascensurus in cœlum, ac glorificandus sessione ad ejus dexteram; nec enim a morte detineri potero, sed mox eam in me vincam faciamque ut et vos eamdem vincatis et superetis. Ita Chrysostomus, *hom.* 78; Cyrillus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, Ribera, Toletus, Jansenius. Mœstos enim de suo abitu Apostolos solatur Christus absentiæ suæ brevitate, quod illa brevis et modica sit futura, ac mox magno gaudio compensanda et ingenti gloria cumulanda.

*Vers. 16. Quodnam hic Modicum, et non videbitis me?*

Aliter S. Augustinus, Beda et Maldonatus, *q. d.* Modico et parvo tempore vobiscum commorabor in terra, scilicet per 40 dies usque ad ascensionem meam in cœlum, postquam amplius non videbitis me; sed post aliud modicum tempus hujus sæculi, iterum videbitis me, nimirum in die judicii et communi omnium resurrectione, quando vos in corpore et anima in cœlum mecum assumam, beabo et glorificabo; « quia ad Patrem vado, » ut gloriam quam passione mea merui sedens ad dexteram ejus obtineam, ibique cum eo gloriose regnem usque ad diem judicii, quando redibo, ut vos ad regnum meum transferam, quia tantum hujus sæculi tempus, licet plurium sit millium annorum, si comparetur cum Dei æternitate, modicum est et exile instar puncti.

Audi S. Augustinum, *tract.* 101 : « Modicum est hoc totum spatium, quod præsens pervolat sæculum. Unde dicit idem Evangelista, *epist.* I, cap. II :



« Novissima hora est. » Et post nonnulla : « Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur; cum finitum fuerit, tunc sentiemus quam modicum fuerit; non ergo sit gaudium nostrum quale habet mundus, de quo dictum est : Mundus autem gaudebit; nec tamen in hujus desiderii parturitione sine gaudio tristes simus, sed sicut ait Apostolus, spe gaudentes, in tribulatione patientes : quia et ipsa parturiens, cui comparati sumus, plus gaudet de mox futura prole, quam tristis est de præsenti labore. » Hinc Psaltes, et ex eo S. Petrus, *epist.* II, cap. III, vers 8 : « Unus dies apud Dominum, inquit, sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. » Vide ibi dicta (1).

17. DIXERUNT ERGO EX DISCIPULIS EJUS AD INVICEM : QUID EST HOC QUOD DICIT NOBIS : MODICUM, ET NON VIDEBITIS ME; ET ITERUM MODICUM, ET VIDEBITIS ME, ET QUIA VADO AD PATREM? 18. DICEBANT ERGO : QUID EST HOC QUOD DICIT, MODICUM? NESCIMUS QUID LOQUITUR. — Videbatur Apostolis hoc Christi dictum esse obscurum, imo ænigma : nec mirum, cum etiamnum multis Christianis tale esse videatur. Studio id fecit Christus, ut mœstos eorum animos novitate hac phrasis acutæ et involutæ erigeret, et ad ejus explicandæ interrogationem impelleret, cui ipse deinde respondens mœstitiam eorum depelleret, vel certe leniret. Causam duplicem dat S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius : *primam*, quod revera dictum hoc in se esset obscurum; *secundam*, quod Apostoli mœstitia erant prægravati, et quasi oppressi. *Tertiam* dat Rupertus, quod Apostoli necdum caperent resurrectionis mysterium, nec certo crederent Christum die tertio a morte resurrecturum. *Quartam* dant S. Augustinus et Beda, quod τὸ « modicum » a Christo repetitum et inversum turbaret eos. Modica enim voluptas hujus vitæ parit in altera vertiturque in æternum et immensum gaudium, uti dicere solebat S. Franciscus : « Quod enim in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, » II *Corinth.* IV, 17. Elige.

19. COGNOVIT AUTEM JESUS, QUIA VOLEBANT (desiderabant, sed mœsti et pavidi non audebant) EUM INTERROGARE. — Cognovit id Christus non ex Apostolorum vultu, gestibus et nutibus, sed vi divinitatis suæ, introspiciendo secretas eorum in mente cogitationes et arcana desideria. Prævenit ergo eorum interrogationem, ut ostenderet se esse cardiognosten, id est cordium inspectorem, ideoque Deum. Ita Cyrillus.

(1) Genuinam esse hanc a S. Augustino datam hujus loci interpretationem docent verba, *quia vado ad Patrem*, quæ nonnisi de æterna Christi cum Patre conjunctione intelligi possunt (conf. vers. 28). Duplici autem modo discipuli Christum post reditum ejus in cœlum erant revisuri : primum quum in munere suo gerendo divinum auxilium per Paracletum experirentur, tum quum in fine muneris et vitæ ab illo ducerentur in domum Patris.

20. AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUIA PLORABITIS, ET FLEBITIS (Arabicus, *ululabitis*; Syrus, *lamentabimini*) VOS, MUNDUS AUTEM GAUDEBIT : VOS AUTEM CONTRISTABIMINI, SED TRISTITIA VESTRA VERTETUR IN GAUDIUM. — Subaudi : Et vicissim mundi gaudium vertetur in tristitiam et luctum. Ita Rupertus.

*Primo*, S. Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, Theophylactus, Euthymius et Rupertus, qui vers. 16 intellexerunt de morte et resurrectione Christi, sic exponunt, *q. d.* Post modicum tempus, imo post paucas horas, cum videbitis me capi, crucifigi, mori, sepeliri, vos, o discipuli mei, de tam acerbo meo vestroque casu lugebitis; mundani vero Judæi hostes mei gaudebunt, quod me scelerum ipsorum insectatorem morte mulctarint; sed paulo post tristitia et luctus vester vertetur in gaudium, cum tertio die me resurgentem et redivivum videbitis, tuncque Judæi tristabuntur et indignabuntur, quod me mortem ipsorum calcasse et superasse dolebunt. Hic sensus proprie et primario a Christo intenditur. Explicat enim illud vers. 16 : « Modicum, et non videbitis me, » etc. Secundario tamen intendit significare Apostolorum persecutiones et afflictiones suis similes et pro se tolerandas. Unde

*Secundo*, S. Augustinus, Beda et Maldonatus, qui τὸ *modicum* vers. 16, exponunt de tota præsenti vita totoque hujus temporis sæculo, sic explicant, *q. d.* Vos, o Apostoli, post meum in cœlum ascensum, prædicantes meam legem et fidem, persecutionibus, laboribus et ærumnis afflicti dolebitis et lugebitis; mundani vero gaudebunt, quod vobis dominentur vosque affligant, crucient et occidant; sed in fine hujus sæculi ego veniam et liberabo vos, ut mecum in æterna beatitudine gaudeatis.

*Pii hic lugent, sed gaudebunt in futurum.*

Moraliter : pios in hac vita adversis affligi, impios in prosperis exultare, docet sæpe sacra Scriptura, ut *Job* XXI, 7; David, *Psalm.* LXXII, vers. 2, 3, 4; *Habacuc* cap. XIII; *Jerem.* XII, 1. Idem docet nos quotidiana experientia. Sed eadem docet in exitu et morte pios gaudere, impios lugere, ut patet *Luc.* VI, 25; *Jacobi* V, 2 et 3; *Rom.* VIII, 18. « Difficile, imo impossibile est, ait S. Hieronymus, epist. 34 *ad Julianum*, ut et præsentibus quis et futuris fruatur bonis, ut et hic ventrem et ibi mentem impleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, ut et in cœlo et in terra appareat gloriosus. »

Quocirca Tertullianus, lib. *De Spectac.*, cap. XXVIII, hæc Christi verba eleganter et pathetice pertractans : « Vicibus, inquit, disposita res est. Nunc illi lætantur, nos conflictamur. Sæculum, inquit, gaudebit, vos tristes eritis. Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent, ut, cum lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es, Christiane, si et in sæculo voluptatem concupiscis, imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. » Et paulo

post : « Dicas velim : Non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus! Nam quod est aliud votum nostrum, quam quod et Apostoli, exire de sæculo et recipi apud Dominum? Hæc voluptas, ubi et votum. » Mox fidelium gaudia hujus vitæ hæc assignat : « Quæ major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam sæculi totius contemptus quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus; quod calcas deos nationum, quod dæmonia expellis, quod medicinas facis, quod revelationes petis, quod Deo vivis! Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita, etc. Ad signum Dei suscitare, ad tubam angeli erigere, ad martyrii palmas gloriare. Aspice impudicitiam dejectam a castitate, perfidiam cæsam a fide, sævitiam a misericordia contusam, petulantiam a modestia obumbratam, et tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. » Et mox : « Quæ illa exultatio angelorum, quæ gloria resurgentium Sanctorum! quale regnum exinde justorum! qualis civitas nova Jerusalem! »

Idipsum 700 annis ante prævidens Isaias graphice describit, cap. LXV, vers. 14 : « Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis; ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini; ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis et præ contritione spiritus ululabitis. » Vide ibi dicta.

Hinc S. Cæcilia Evangelium Christi semper gestans in pectore illudque prædicans, Tiburtium pluresque alios ad Christum convertit, quibus hoc imprimis inculcabat : « Nolite, o filii hominum, hujus vitæ fugientem quærere lætitiam, ut lætitiam illius vitæ æternam possideatis, quæ hanc vitam excipit. In hac enim vita breve tempus vivitis; in illa vero in omne ævum. » Cumque Almachius præfectus eam cum suis insipientem assereret, quod, spretis hujus mundi gaudiis, austeram et lugubrem Christianorum vitam amplexa foret, respondet S. Valerianus, S. Cæciliæ sponsus : « Veniet tempus, quo accipiemus millecuplos fructus nostræ afflictionis, et nobis lætantibus flebunt illi qui nunc efferuntur lætitiis; est enim nunc tempus seminandi. Qui ergo in hac vita seminant, quæ sunt ad tempus, lacrymas, in illa beata et æterna vita metent gaudium sempiternum. »

Denique S. Cyprianus, tract. *De Mortal.*, ex hac Christi gnome, evincit in peste et morte Christiano non esse tristandum, sed gaudendum, quod per eam ad Christi visionem et summum gaudium veniat. Audi eum : « Cum ergo Christum videre gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum, nisi cum viderimus Christum, quæ cæcitas animi, quæve dementia est, amare pressuras, et pœnas, et lacrymas mundi, et non festinare potius ad gaudium, quod nunquam possit auferri! »

21. MULIER CUM PARIT, TRISTITIAM HABET, QUIA VENIT HORA EJUS (ut magno labore et dolore parturiat) : CUM AUTEM PEPERERIT PUERUM, JAM NON MEMINIT PRESSURÆ PROPTER GAUDIUM, QUIA NATUS EST HOMO IN MUNDUM. — Syrus : *Mulier cum parit ægritudine afficitur, quia venit dies partus ejus; cum autem pepererit filium, non meminit angoris, propter gaudium illud, quod natus sit homo in mundo*; quia scilicet mater videt infantulum, quem enixa est, quem sperat in vita sibi auxilio fore et honori, in morte vero eumdem post se successorem et superstitem in mundo relinquere, ut per eum stirps sua et familia propagetur. Quia enim homines optant semper esse et vivere, nec id in seipsis consequi possunt, cum mortis legibus subjaceant; hinc gaudent filios edere, ut in illis perdurent et quasi æternitatem quamdam consequantur. Sic regina gaudet cum primogenitum peperit, quia regem se peperisse censet.

Apposita est hæc Christi parabola, quæ passionis et mortis suæ tempus comparat parturitioni, resurrectionem vero gaudio post partum. Christus enim in passione cruciatus fuit doloribus et angoribus, instar mulieris parturientis; at peracto partu, cum se merito mortis suæ resurgentem vidit, nosque similiter resurrecturos cognovit, mirifice gavisus est, et magno gaudio Apostolos et fideles omnes perfudit. Hos enim quasi infantulos suos parturiit, pro iis moriens in cruce. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius. Simili modo, juxta sensum S. Augustini et Bedæ paulo ante datum, idem applices persecutionibus et doloribus Apostolorum et fidelium in hac vita, ac gaudio et exultationi eorumdem in communi omnium resurrectione; de quo mox plura.

PUERUM, — quia, ut ait S. Augustinus, majus gaudium esse consuevit, quando non puella, sed puer (masculus) nascitur, ut mystice significetur fideles debere esse masculo et virili animo, ad fortia agendum et patiendum; vocati enim sunt ad cœlestium contemplationem, imo cœli expugnationem; non ad mollitiem hujus sæculi, ait Interlinearis. Porro puer hic mox homo vocatur, cum dicitur : « Natus est homo in mundum; » ut significetur resurrectio Christi; per resurrectionem enim Christus quasi denuo natus est, non puer, sed homo et vir perfectus. Ita Chrysostomus : Non dixit *puer*, inquit, sed *homo*, occulte suam resurrectionem insinuans, æque ac nostram post mortem beatitudinem; tunc enim nascemur in vitam æternam, ait Alcuinus. Unde Beda : « Non debet, inquit, videri novum, si natus dicatur qui ex hac vita migraverit; ut enim procedens de matris utero in hanc lucem ingreditur, ita solutus a carnis vinculis ad lucem æternam sublimatur. Unde Sanctorum solemnia non funebria, sed natalitia vocantur. »

Porro, dolori parturientis recte comparatur dolor discipulorum : *Primo*, quia uterque fuit acerbissimus ac acerbior est in partu masculi quam feminæ, ait Augustinus, *tract*, 101. *Secundo*, quia uterque est brevis. Ita Chrysostomus, *serm*, 78. *Tertio*, uterque est periculosus. *Quarto* uterque vertitur in gaudium, ille nativitatis pueri, hic resurrectionis Christi et discipulorum. Ita Cyrillus. *Quinto*, sicut idem puer natus est causa doloris dum paritur, et gaudii dum natus est; sic idem Christus morte sua magnum dolorem creavit discipulis, resurrectione vero sua magnam lætitiam. *Sexto*, utriusque gaudium est mirificum et summum, quod omnem præcedentem dolorem absorbet.



22. ET VOS IGITUR NUNC QUIDEM TRISTITIAM HABETIS, ITERUM AUTEM VIDEBO VOS, ET GAUDEBIT COR VESTRUM : ET GAUDIUM VESTRUM NEMO TOLLET A VOBIS. — Est postparabola, sive applicatio parabolæ, ejus scopum fructumque significans. *Et*, id est *sic*, similiter, simili modo. Connectit enim similia, scilicet mulierem parturientem cum patiente Christo et Apostolis, *q. d.* Sicut mulier parturiens cruciatur et gemit, edita vero prole gaudet; sic et vos in mea passione et morte imminente tristabimini, sed die tertio resurgens et quasi ex sepulcro renatus videbo vos, tuncque mire gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet, sed vobis manebit perenne, quia immortalis et gloriosus resurgam, nec amplius mori potero, sed semper vivam vitam beatam, ut vobis in omni persecutione et afflictione adsim et opituler, vosque omnibus adversis superiores efficiam, et tandem glorioso martyrio coronem, itaque ad cœlestia gaudia traducam, quæ nemo tollet a vobis, quia erunt sempiterna. Primo ergo loquitur Christus de gaudio Apostolorum ob suam; secundario vero, ob ipsorummet resurrectionem, felicitatem et gloriam, uti jam dixi. Hanc enim parturit labor et dolor hujus vitæ, sicut prolem parit parturitio puerperæ.

Præclare S. Cyprianus *ad Demetrianum* : « Pœnam, ait, de adversis mundi ille sentit, cui et lætitia et gloria omnis in mundo est. Ille mœret et deflet, si sibi male sit in sæculo, cui bene non potest esse post sæculum, cujus vivendi fructus omnis hic capitur, cujus hic solatium omne finitur, cujus caduca et brevis vita hic aliquam dulcedinem computat et voluptatem; quando istinc recesserint, pœna jam sola superest ad dolorem. Cæterum nullus iis dolor est de incursatione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternamur adversis, nec frangimur, nec dolemus, neque in ulla aut rerum clade, aut corporum valetudine mussitamus; spiritu magis quam carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. » Et inferius pluribus interjectis : « Viget apud nos spei robur et firmitas fidei, et inter ipsas sæculi labentis ruinas erecta mens est, et immobilis virtus, et nunquam non læta patientia, et de Deo suo semper anima secura. »

TRISTITIAM HABETIS. — Tristamini ob meum abitum ad mortem; deinde post mortem meam tristabimini ob persecutiones et cruces vobis ingruentes. Sic et tristabuntur cæteri fideles, qui per lacrymas et pressuras ad gaudia æterna contendunt, ait Alcuinus. Porro, ut advertit S. Augustinus, in hisce pressuris « non sumus sine gaudio tristes, sed, sicut dicit Apostolus, spe gaudentes; nam et mulier parturiens, cui comparati sumus, plus gaudet de mox futura prole, quam tristis est de præsenti dolore. »

Tropologice : Mens peccatoris pœnitentis, item mens justi, cum meditatur martyrium, ingressum religionis, vel aliud opus arduum et heroicum, est quasi mulier parturiens, quia magno labore et dolore fœtum conversionis suæ, martyrii, religionis, etc., enititur et parit. Lege et S. Augustinum, in *Confess.* lib. VIII, cap. XII, ubi narrat quanto molimine parturierit propositum novæ vitæ. Hoc est quod ait Isaias, cap. XXVI : « Sicut quæ concipit, cum appropinquavit ad partum, dolens clamat in doloribus suis; sic facti sumus a facie tua, Domine, concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum salutis. » Sed hæc parturitio parit ingens gaudium. Impii vero similiter parturiunt sua scelera cum ingenti labore et dolore; sed hic vertitur in æternum gehennæ tormentum, juxta illud *Isaiæ* LIX : « Conceperunt dolorem et pepererunt iniquitatem. » Et *Psalm.* VII : « Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem et peperit iniquitatem. » De his dictum est, *Sapient.* II : « Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles, » et reliqua.

Rursum prædicator, confessarius et quivis alius qui animas Deo lucrari satagit, id facit cum magna parturitione. Unde S. Gregorius, lib. XXX *Moral.*, cap. IX, talem comparat cervæ parturienti, quæ difficillime parit, ideoque præ dolore rugit. Explicans enim illud *Job* XXXIX, 1 : « Numquid, etc., parturientes cervas observasti? Perpaucorum est pensare, inquit, quis labor sit in prædicationibus Patrum; quantis doloribus, quasi quibusdam conatibus animas in fide et conversatione parturiunt, quam cauta se observatione circumspiciunt, ut sint fortes in præceptis, compatientes in infirmitatibus, in minis terribiles, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in rerum temporalium contemptu dominantes, in tolerandis adversitatibus rigidi; et tamen dum vires suas sibimet non tribuunt, infirmi; quantus sit eis dolor de cadentibus, quantus de stantibus timor; quo fervore alia adipisci appetunt, quo pavore alia adepta conservant.

ET GAUDIUM VESTRUM NEMO TOLLET, — quia gaudium ipsorum Christus est, qui jam non moritur, ait Interlinearis. Rursum; id verius erit in cœlo. Unde S. Augustinus : « Nec vero finis nobis sufficit, inquit, nisi cujus nullus est finis. »

23. ET IN ILLO DIE ME NON ROGABITIS QUIDQUAM.

— Græcum ἐρωτήσετε, et Latinum *rogabitis* duo significat, primum, proprie *interrogabitis*, ut vertit Syrus, et sic legunt nonnulli codices Latini. Secundum, *petetis*, orabitis, postulabitis, juxta illud cap. XIV, vers. 16 : «Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis. »

*Primo* ergo, Cyrillus priore modo accipit referique ad diem resurrectionis et Pentecostes, *q. d.* Cum resurrexero et Spiritum Sanctum misero in Pentecoste, non erit opus me quidquam interrogare, quia partim ego resurgens, partim Spiritus Sanctus adveniens docebit vos omnia, quæ ad vestrum officium et apostolatum spectant. Multa enim discipuli ignorantes rogarant Christum, ut, «Domine, quo vadis? Quomodo possumus viam scire? Ostende nobis Patrem. Cur manifestas te nobis, non mundo? » ut patet cap. XIV, vers. 5, 8, 22; et hic vers. 17, non intelligentes τὸ *modicum*, volebant eum interrogare : Christus ergo apposite eis respondit, brevi se per Spiritum Sanctum ita illuminaturum illos, ut quasi θεοδίδακτοι non opus habeant quidquam amplius interrogare eorum quæ ante adventum Spiritus Sancti rogare solebant, uti paulo ante eum regarunt : « Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? » *Act.* I. Sic et Euthymius.

*Secundo*, S. Chrysostomus, *hom.* 78; Theophylactus, Ribera et alii τὸ *rogabitis* exponunt *petetis, orabitis, postulabitis, q. d.* In illo die cum ad vos per resurrectionem rediibo, non indigebitis me rogare, et in vestris necessitatibus precari, sed satis vobis erit invocatio mei nominis apud Patrem, ut me etiam absente omnia ab illo impetretis. Huic expositioni favet id quod sequitur : « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. »

*Tertio*, S. Augustinus, *tract.* 101, utrumque sensum jam datum jungit referique ad diem cœlestis gloriæ : tunc enim non opus erit quidquam interrogare vel obsecrare, cum omnia abunde per gloriam suggerantur et suppeditentur. Audi S. Augustinum : « At postquam resurrexit, interrogatum legimus a discipulis, quando regnum restitueret Israel; rogatus est etiam a Stephano, cum esset in cœlo, ut spiritum ejus susciperet; puto ergo quod hic dicit referendum esse ad tempus quo videbimus eum sicuti est, ubi nihil desiderandum remanebit, nihil quærendum latebit. »

Amen, amen dico (in veritate, verissime et certissime promitto; S. Augustinus ait, *juro* : censet enim ipse « amen » esse juramentum) vobis : si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. — Est nova hæc Apostolorum consolatio, novum quoque documentum eis datum a Christo, ut eo se absente utantur, ad omnia quibus egent impetrandum a Patre, nimirum petendo ea ab ipso in nomine Christi, *q. d.* Nolite, discipuli, tristari de meo abitu et absentia, certo vobis promitto Deum Patrem vobis daturum quidquid in nomine meo petieritis. Petite ergo et accipietis. Solebatis omnia quibus egebatis a me petere; nunc ego abeo, et mei loco Patrem substituo : quod a me petebatis, petite a Patre; ille tam facile, tam amanter et liberaliter vos audiet et exaudiet, sicut ego vos audire et exaudire solebam. Nec absentiam causemini, vel distantiam, quod Pater sit in cœlis, vos vero in terris. Nam et Pater in terris est, cum sit ubique, imo intra vos est, in anima et mente vestra est, non tantum per essentiam, præsentiam et potentiam, sed et per gratiam. Anima enim vestra ejus est sedes et templum, in qua ipse a vobis laudari, orari et invocari cupit. Ibi ergo eum vobis præsentem, imo familiarem et intimum invocate; ibi ipse vos exaudiet.

Singula verba habent emphasim. *Primo*, « dico vobis, » *q. d.* Vobis hoc spondeo, quia vos estis intimi mei amici, discipuli et Apostoli, quos ego summe diligo, ut vestri curam singularem geram vobisque de omnibus provideam. Primario ergo hæc Christus dicit Apostolis; secundario, fidelibus omnibus quavis ætate viventibus, quia horum personam sustinebant, et hos repræsentabant Apostoli.

Promis…

*Secundo*, « quidquid, » scilicet vobis salutare et Deo honorificum, quod sit aliquid (solidum et utile Deoque gratum), non nihil, ait Interlinearis. Et S. Augustinus : Aliquid, inquit, quod non in comparatione beatæ vitæ sit nihil. Qui ergo petit rem illicitam vel noxiam, ut vindictam de inimicis, non exauditur, quia non petit aliquid (salutiferum), sed nihil; peccatum enim est non ens, et quasi nihil. Licet quidem res temporales et adiaphoras, ut sanitatem, opes, officium, dignitatem petere a Deo; sed illas referre oportet ad finem honestum, ut scilicet per ea magis placeamus Deo, ac plura bona opera exercere possimus.

*Tertio*, «petieritis : » græce αἰτήσητε, id est poposceritis, oraveritis, precabimini, imploraveritis, contenderitis, expostulaveritis, mendicaveritis, invocaveritis, scilicet, uti decet et par est, nimirum *primo*, humiliter; *secundo*, reverenter; *tertio*, fiducialiter; *quarto*, ardenter; *quinto*, perseveranter.

*Quarto*, « Patrem, » *q. d.* Magna spe et amore petite, quasi filii a patre : ipse enim paterno affectu vos summe diligit.

*Quinto*, « in nomine meo, » id est per me et mea merita, non per vestra, de quo mox plura.

*Sexto*, « dabit vobis, » secure et certe, si ita petatis, uti oportet.

In nomine meo. — *q. d.* Abiturus relinquo vobis nomen meum; hoc allegate apud Patrem et omnia obtinebit. Ostendit nominis sui virtutem, ait Chrysostomus, solum enim nominatus apud Patrem, facit mirabilia, *q. d.* Ne existimetis derelicto me non futurum vobiscum, aut vos derelictos : nomen enim meum magnam dabit securitatem. Hæc Chrysostomus.



Quid est in nomine Christi petere? Resp. Primo.

Quæres : Quid est petere in nomine Christi? Respondet *primo*, S. Gregorius, *hom.* 27 : «Nomen filii Jesus est, Jesus autem salvator, vel etiam salutaris dicitur : ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad veram salutem pertinet. Nam si id quod non expedit petitur, non in nomine Jesu petitur Pater. Unde et eisdem Apostolis adhuc infirmantibus Dominus dicit : Usque modo non petistis quidquam in nomine meo, ac si aperte diceretur : Non petistis in nomine Salvatoris, quia nescitis quærere æternam salutem. Hinc est quod et Paulus non exauditur, quia si liberaretur a tentatione, ei non prodesset ad salutem, » II *Corinth.* XII. Et inferius : « Pensate petitiones vestras, videte si in nomine Jesu petitis, id est si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Jesu, Jesum non quæritis, si in æternitatis templo importune pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit uxorem, alius petit villam, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum. » Et S. Augustinus : « Non petitur, ait, in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis, et qui sentit de Christo, quod non est de unico Dei Filio sentiendum, non petit in ejus nomine : accipit autem, qui ut debet petit, quando debet accipere; quædam enim non negantur, sed ut congruo dentur tempore, differuntur. »

Sic et Beda, Rupertus et S. Thomas. Hæc vera sunt, sed symbolica, non litteralia.

*Secundo* ergo, magis ad litteram. S. Cyrillus, et ex eo Jansenius : In nomine meo dicit, inquit, ut Christus se mediatorem et collargitorem ostendat : nam quatenus Deus, nobis cum Patre bona largitur; quatenus mediator est, nostras preces ad Patrem adducit, ipse enim nobis libertatem atque fiduciam ad Patrem largitur.

*Tertio*, Euthymius, « in nomine meo, » inquit, hoc est tanquam mei, tanquam Christiani.

*Quarto* et genuine, S. Chrysostomus, Theophylactus, Toletus et alii : Petere in nomine Christi, inquiunt, est petere per Christum, sive per Christi merita, dignitatem et auctoritatem. Christus enim sua passione et morte meruit, ut quod ejus nomine petimus, a Deo impetremus. Quare impetratio hæc respectu nostri est gratia, respectu Christi est quasi justitia. Nomen ejus in Scriptura significat vires, virtutem, merita, gratiam, dignitatem, auctoritatem. Petere ergo in nomine Christi, est petere allegando merita Christi in iisque confidere, non in suis propriis; ut Deus non in nostram indignitatem et peccata, sed in faciem Christi sui respiciat et ob ejus sanctitatem et merita nobis donet quod non meremur. Christus ergo hic non solum Deum, sed Deum incarnatum, obedientem usque ad mortem crucis significat. Hic enim meruit ut Pater nostras preces exaudiat. Sic explicat Ecclesia, quæ omnes orationes suas concludit : « Per Dominum nostrum Jesum Christum. » Sic Judæi orabant Deum per merita Abraham, Isaac et Jacob parentum suorum : Christiani vero per merita Christi, qui in infinitum illorum merita superat.

*Quinto*, Ribera sic explicat : Petite « in nomine meo, » hoc est, petite quasi a me missi, quasi ego per vos hoc petam a Patre; sicut rex a Pontifice petit quippiam per legatum suum. Petite, non quasi vobis donandum, sed mihi, sicut fratres Joseph rogant, ut iniquitatem ipsorum condonet patri, quasi pater illam in se susceperit et postulet illam sibi condonari, non fratribus, *Genes*, L. Simili enim modo Christus donat nobis sua merita, suam auctoritatem et gratiam quam habet apud Patrem, ut per illam petamus.

Hinc rursum, petere in nomine Christi, est petere ea quæ Christus nobis cupit et dari nobis vult, scilicet quæ ad salutem animæ spectant. Unde hæc oratio est efficax et exauditur a Deo. Quocirca valde pia et efficax est illa nonnullorum oratio : Domine, da mihi hoc quod Christus Dominus in me desiderat, quod ipse mihi dari cupit, pro quo ipse moriens in cruce oravit et mihi donari postulavit; rursum, quod B. Virgo mihi optat, quod ipsa pro me precatur : ipsa enim me meamque salutem adamat, et melius me novit quid mihi ad eam sit utilius. Hic sensus pius est, sed quartus magis litteralis et genuinus.

Dabit vobis. — Dices : Experimur multos multa petere a Deo, nec impetrare : quomodo ergo hic dicitur : « Dabit vobis? » Respondeo, causa cur non impetrent est, quod non petant ea quæ petere oportet, vel ea ratione et modo quo oportet, uti docet S. Jacobus, in *Epist.* cap. IV. Affirmativæ enim promissiones in Scriptura requirunt certas conditiones quas ipsa alibi explicat. Sic oratio et impetratio requirit *primo*, humilitatem et reverentiam; quare qui illa caret, sed superbe et præsumptuose orat, uti fecit Pharisæus ille, *Luc.* cap. XVIII, hic nihil impetrat.

Orationis conditiones. Prima.

*Secundo*, requirit contritionem de peccatis, ut orans sit amicus, vel serio cupiat fieri amicus Dei; hostes enim et inimicos suos non exaudit Deus. Quare peccatores, qui in peccatis suis persistere volunt, non audiuntur a Deo. Vis ergo ut te audiat Deus, tu prior audi et adimple legem ipsius, fac prior voluntatem Dei; sic Deus faciet voluntatem tuam, et tua vota implebit : hoc est quod ait, *Isaiæ*, I : « Non exaudiam, quia manus vestræ plenæ sunt sanguine. »

*Tertio*, requirit magnam fidem et spem, sive fiduciam impetrandi per merita Christi id quod petimus. Hac fiducia multi carent, ideoque non impetrant : « Postulet, ait S. Jacobus, cap. I, in fide nihil hæsitans. » Hinc S. Basilius, *Const. monast.*, cap. II, causam cur non exaudi

assignans, ait : « Non recte petisti, quia aut dubitabundus, aut alind agens petisti. »

*Quarto*, requirit perseverantiam, ut patet *Lucæ*, cap. XI, vers. 7 et 8. Vide ibi dicta. Denique recte notat S. Augustinus hic, *tract.* 73, Deum subinde negare id quod petimus, quia hoc magis expedit saluti nostræ et gloriæ Dei. Deus ergo non exaudit nos ad voluntatem, sed ad salutem. Sic Paulum orantem liberari a stimulo carnis non exaudivit, quia hic illi utilior erat ad humilitatem, et ad continuam cum eo luctam et victoriam. Unde audivit : « Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur, II *Cor.* XII, 9.

*An etiam pro aliis orantes exaudiamur?*

VOBIS. — Hinc S. Augustinus, *tract.* 102, censet hic duntaxat promitti orationis effectum, si pro nobis ipsis oremus, non autem si oremus pro aliis. « Exaudiuntur Sancti, ait, pro seipsis, non pro omnibus; non enim dictum est : Dabit, sed : Dabit vobis. » Verum melius et liberalius S. Basilius, in *Regul. brevior.*, reg. 261, Toletus et alii, censent id promitti, sive pro nobis, sive pro aliis oremus. Nobis enim dat Deus, quod aliis dat pro quibus oramus; dat enim nobis orantibus orationis fructum. Et hoc magis congruit liberalissimæ Dei beneficentiæ. Adde, orare pro aliis opus esse majoris charitatis, præsertim si pro inimicis oremus; unde talis oratio exaudiri solet, uti exauditus est Christus orans pro suis crucifixoribus, et S. Stephanus orans pro Saulo. Ratio est quam dat S. Gregorius, *hom.* 27 : « Virtus, inquit, veræ orationis est celsitudo charitatis. Et tunc quisque quod recte petit adipiscitur, cum ejus animus in petitione nec inimici odio fuscatur. Sed plerumque reluctantem animum vincimus, si etiam pro inimicis oramus. »

Porro, quod subinde pro aliis orantes non exaudiamur, vel est culpa nostra, vel illorum pro quibus oramus, qui sua ignavia vel malitia indignos se reddunt Dei gratia, imo subinde Deo obstrepunt eumque vocantem spernunt.

Exemplum est in Vitis Patrum. Quidam enim tentatus spiritu luxuriæ postulavit preces sancti cujusdam anachoretæ, ut illi liberationem impetraret. Oravit ille semel et iterum, sed frustra. Miranti respondit Deus : Tentatus non meretur audiri, quia ipse sua ignavia fovendo cogitationes obcœnas iisque colludendo, causa est tentationis suæ. Anachoreta id ipsum narravit tentato, qui compunctus ex anachoretæ consilio dedit se orationi, vigiliis et jejuniis, ac tentatione liberari meruit. Tentati ergo orantibus pro se cooperari et collaborare debent, ut audiantur, sicut æger cooperari debet medico, ut sanetur; quod si facere nolit, frustra desudat omnis medici labor et industria.

24. USQUE MODO NON PETISTIS QUIDQUAM IN NOMINE MEO. — Scilicet, quia vos huc usque confisi meæ præsentiæ, a me præsente omnia petiistis, et ego pro vobis Patrem rogavi et illa impetravi : jam autem abiturus vos remitto ad Patrem, ut ab eo petatis illa quibus indigetis per interpositionem nominis mei. Licet ergo Apostoli, invocato nomine Christi, dæmones ejicerent et ægros sanarent, tamen nihil hucusque a Patre per merita Christi petierant, eo quod ipsum haberent præsentem et ad manum, ac ab ipso peterent quæcumque vellent (1).

PETITE ET ACCIPIETIS. — Quia ego meis meritis a Patre vobis idipsum impetravi, *q. d.* Non est quod tristemini, o discipuli, de meo abitu, quia Pater meus, me absente, a vobis invocatus per nomen meum, majora vobis dabit, quam ego dederim. Ita Euthymius, Maldonatus et alii. Vide dicta *Matth.* VII, 7.

UT GAUDIUM VESTRUM SIT PLENUM. — *Primo*, S. Augustinus, *tract.* 102, hæc verba refert ad *petite*, *q. d.* Petite, ut Deus plene me absente vos soletur plenoque gaudio cumulet in æterna felicitate.

*Secundo*, S. Cyrillus refert ad *τὸ accipietis*, *q. d.* Si petatis et oretis, accipietis a Deo plenum gaudium, nimirum remissionem peccatorum et gratiarum copiam.

*Tertio*, et genuine, *τὸ ut* non causam vel finem intentum, sed effectum et consecutionem significat, *q. d.* Incipietis gaudere, cum videbitis me resurrexisse, uti dixi cap. XXII. Sed ut vestrum hoc gaudium perficiatur et compleatur, petite in nomine meo gratias omnes, quibus opus habetis : sic fiet ut illas impetrantes a Patre, plenum habeatis gaudium, nec quid amplius in hac vita desideretis. Ita Ribera, Toletus, Jansenius et alii.

25. HÆC IN PROVERBIIS LOCUTUS SUM VOBIS. VENIT HORA, CUM JAM NON IN PROVERBIIS LOQUAR VOBIS, SED PALAM DE PATRE ANNUNTIABO VOBIS. — « In proverbiis, » id est per proverbia. Ita Arabicus; Græce, *in paræmiis*; Syrus, *in parabolis*. Prœmio in *Prov.* dixi proverbium, parabolam et parœmiam sæpe pro eodem sumi ac significare quemvis occultum, obscurum et involutum sermonem, etiamsi is proprie dictam parabolam non contineat. Sic hic sumitur, *q. d.* Quæ hactenus dixi de *modico*, de Spiritu Sancto, de abitu ad Patrem, de gaudio vestro, etc., jam vobis videntur obscura et quasi ænigmata; sed experientia ipsa vos hæc omnia mox clarissime docebit : cum scilicet hæc ipsa ego palam et aperte « annuntiabo vobis, » tum per meipsum, postquam resurrexero, per 40 dies, quibus usque ad ascensionem vobiscum versabor vobisque aperiam sensum sacræ Scripturæ, *Act.* I, 3 : ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius; tum maxime per Spiritum Sanctum, quem vobis mittam in Pentecoste, ut claro et distincte vos doceat mysteria meæ fidei eorumque amore in-

(1) Quidam hoc referunt ad consuetudinem Judæorum in precibus suis mentionem faciendi Abrahami, Jacobi, Mosis, etc. rogandique ut Deus eorum memor sit, atque propter eos respiciat Judæos sua benevolentia, ut Jesus præscribat discipulis novum modum quo adire deberent singularem Dei benevolentiam, quæ iis esset conciliata per Jesum.



flammet. Ita S. Augustinus, Beda, Maldonatus et alii. Porro S. Gregorius, lib. XXX *Moral.*, cap. V, hanc Christi promissionem refert ad statum beatitudinis in cœlo; tunc enim plenissime implebitur, cum videbimus Deum facie ad faciem.

26. IN ILLO DIE IN NOMINE MEO PETETIS; ET NON DICO VOBIS, QUIA EGO ROGABO PATREM DE VOBIS. — *q. d.* Ego, cap. XIV, vers. 16, dixi : « Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis : » quare tunc rogavi Patrem pro vobis; at nunc deinceps mea rogatione non erit opus; quia mox mittam Spiritum Sanctum, qui vos docebit rogare Patrem in nomine meo magno affectu; quare Pater vobis orantibus omnia concedet, quia ipse vehementer vos amat; mea ergo rogatione et meis precibus tunc non indigebitis, illis scilicet, quas in terra vobis præsens ad Deum fudi. Nota : Hinc nonnulli Patres censent Christum in cœlo non orare pro nobis oratione proprie dicta, sed tantum repræsentatione vulnerum suorum, quæ Patri ostendit. Citat eos noster Vasquez, III *part.*, tom. I, *Quæst.* XXI. Verum longe probabilius est Christum in cœlo pro nobis orare oratione proprie dicta, uti ostendi *Rom.* cap. VIII, vers. 24. Alia ergo est hic mens Christi, nimirum illa quam explicui, quod non sit opus sua in terris præsentia, ad orandum pro eis more solito (1).

27. IPSE ENIM PATER AMAT VOS, QUIA VOS ME AMASTIS ET CREDIDISTIS QUIA EGO A DEO EXIVI. — Pater prævenit nos in amore et prior amat nos, dum nos peccatores ad pœnitentiam et sui amorem vocat et excitat : quare tunc incipimus Deum amare, tuncque Deus nobis charitatem et gratiam justificantem infundit, qua nos facit amicos et filios Dei. Quare Deus tunc majori amore nos redamat, tanquam suos amicos et filios. Hinc patet charitatem esse amicitiam inter Deum et homines : ipsa enim facit ut nos amemus Deum, ac vicissim ut Deus amet nos, sicut amicus amat amicum et vicissim ab eo redamatur.

CREDIDISTIS QUIA A DEO EXIVI, — id est, credidistis quod sum Dei Filius, ab eo missus in carnem et mundum, ad vestram aliorumque salutem.

*Deus vult orari cur? Causa prima.*

Dices : Si Deus amat nos, cur ultro non dat ea quibus scit nos indigere, sed vult rogari et obsecrari? Respondeo : *Primo*, quia hoc postulat Dei majestas et reverentia, ut scilicet orando eam revereamur testemurque nos ejus beneficentia indigere, nec ullum nostræ necessitati posse succurrere, nisi ipsum. Hoc ergo orationis tributum illi debemus, ut nostram indigentiam et ejus liberalitatem supplices profiteamur.

*Secundo*, id postulat hominis conditio, ut se a Deo pendere, ali, foveri, protegi et in omnibus ipsius ope et largitione indigere agnoscat, imo se Dei esse mendicum, ait S. Augustinus, palam fateatur. Humiliet ergo se coram Deo, et ab eo demissa cervice petat et mendicet ea quibus eget.

*Tertio*, idipsum postulat rei quæ petitur dignitas : petimus enim a Deo gratiam et gloriam, quibus nil est præstantius. Vult ergo illa Deus oratione, quasi pretio emi, ut homo pluris ea æstimet, nec amittat, sed studiose conservet. Ita S. Basilius in *Constit. monast.*, cap. II.

*Quarto*, idipsum postulat orationis utilitas et præstantia, quæ ingentia oranti commoda confert. In ea enim exercemus : *primo*, fidem, quia credimus Deum esse omnipotentem, sapientissimum et optimum, ut possit, sciat et velit donare ea quæ petimus; *secundo*, spem : speramus enim eum daturum necessaria, imo utilia vitæ præsenti et æternæ, quæ flagitamus; *tertio*, charitatem, qua quasi filii a patre amantissimo eadem petimus. Hanc causam dat S. Chrysostomus, in *Psal.* IV : « Quoniam, inquit, oratio non est parvum vinculum dilectionis in Deum, quæ cum eo colloqui nos assuefacit et ad sapientiæ studium nos deducit. Si enim, qui cum magno aliquo et admirabili viro multum versatur, ex ejus consuetudine maximum fructum accipit, quanto magis qui cum Deo perpetuam habet consuetudinem! » Est enim oratio, ut idem alibi ait, colloquium cum Deo, quæ hominem facit quasi angelum Deo familiarem. Vide eumdem, lib. *De Orando Deum*; et Climacum, *gradu* 28, initio, ubi plurima et præstantissima orationi dat elogia additque : « Oratio est pia quædam tyrannis Dei : » vim enim facit Deo eumque quasi cogit ad præstandum ea quæ petuntur.

28. EXIVI A PATRE, ET VENI IN MUNDUM : ITERUM RELINQUO MUNDUM, ET VADO AD PATREM. — « Exivi a Patre, » non tantum per exitum temporalem ad generationem humanam, nascendo ex Virgine, ut vult Jansenius, sed etiam per exitum et generationem æternam, qua a Patre genitus sum Dei Filius. Ita Patres. Audi S. Augustinum, *tract.* 102 : « Exiit a Patre, quia de Patre est, et in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit, quod de Virgine assumpsit. » Et Cyrillum : « Exivisse a Deo nihil aliud est, nisi natum esse effulsisseque a substantia Patris eo processu quo est, et ita propria intelligitur subsistentia. » Et Euthymium : « Exivi a Patre, significat eum de substantia Patris esse, sive legitimum Patris Filium. Ita etiam Beda, S. Thomas et Lyranus, Ribera, Toletus et alii. Id magis patebit ex vers. 30. Sic *Hebr.* VII, de filiis dicitur : « Ipsi exierunt de lumbis Abrahæ; » et *Isaiæ* XXXIX : « De filiis ejus, qui exibunt a te, quos genueris. » Exire ergo a Patre, idem est quod ab eo gigni.

(1) Rectius, ex mea saltem sententia Præterea, scil. non necesse est ut vobis affirmem, me ipsum apud Patrem pro vobis deprecaturum esse. Quæ forma loquendi *præteritio* dici solet; quod vero sic dicitur præteriri, vel taceri, id revera innuitur, tantum abest ut negetur. S. Augustinus : Interpellat pro nobis Christus juxta quod homo est, juxta quod Deus est, una cum Patre nos exaudit.

29. DICUNT EI DISCIPULI EJUS : ECCE NUNC PALAM LOQUERIS, ET PROVERBIUM NULLUM DICIS. 30. NUNC SCIMUS QUIA SCIS OMNIA, ET NON OPUS EST TIBI, UT QUIS TE INTERROGET : IN HOC CREDIMUS, QUIA A DEO EXISTI. — *q. d.* Jam clare intelligimus quod antea non capiebamus. Dixeras enim obscure : « Modicum et non videbitis me, » etc.; jam clare idipsum explicas, dum ais : « Relinquo mundum, et vado ad Patrem. »

NUNC SCIMUS QUIA SCIS OMNIA. — *q. d.* Ex eo quod videamus et audiamus te arcanas nostras cogitationes, dubitationes et desideria de interpretatione illius, « Modicum, et non videbitis me, » etc., vers. 19, scire et prævenire respondendo, ut tibi non sit opus rogare aliquem, ut cognoscas quid ille cogitet, ac rogare et scire desiret; ex eo, inquam, quod antevertisti nostras cogitationes, « scimus quia (quod) scis omnia, » etiam arcana cordium, « et non opus est tibi, ut quis te interroget : » cum enim vellemus te de « modico » interrogare, tu id perspiciens interrogationem nostram prævenisti et dubitationem nostram ultro explicuisti. « In hoc credimus quia (quod) a Deo existi, » *q. d.* Per hoc firmius credimus (et in fide nostra corroboramur) te esse verum Dei Filium ab eo genitum, eo quod scis omnia et secreta cordium pervides : quod proprium est Dei. Ita Cyrillus. Aut, ut Toletus : « In hoc credimus, » *q. d.* Vel hoc solum satis est nobis, ut credamus te exisse a Deo, quod secreta nostra reveles iisque respondeas. Et si alia argumenta (quæ multa habemus) deessent, hoc unum nobis sufficeret ad credendum in te.

31. RESPONDIT EIS JESUS : MODO CREDITIS? 32. ECCE VENIT HORA, ET JAM VENIT, UT DISPERGAMINI UNUSQUISQUE IN PROPRIA, ET ME SOLUM RELINQUATIS : ET NON SUM SOLUS, QUIA PATER MECUM EST. — Ita Romani, Theophylactus, Euthymius, Jansenius et alii per interrogationem legunt, *q. d.* Modo creditis? sed brevi ostendetis quam parva parumque solida sit fides, cum me videntes capi a Judæis, diffugietis. Alii legunt assertive, imo Syrus et Arabicus legunt imperative, « modo credite; » sed eodem sensus redit, *q. d.* Modo fidem habetis in me, sed longe debiliorem, quam putatis, uti mox ostendetis, cum me relicto aufugietis.

UT DISPERGAMINI UNUSQUISQUE IN PROPRIA. — Id est, unusquisque vestrum seorsum fugiet, quo eum impetus et timor tulerit; non exspectabit alter alterum, nec in locum certum omnes convenietis, sed unusquisque in locum, qui se primo fugienti obtulerit.

ET NON SUM SOLUS. — *q. d.* Non hæc dico mei causa, sed vestri : ego enim vestra protectione non egeo, cum mecum habeam Patrem ejusque omnipotentiam.

33. HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, UT IN ME PACEM HABEATIS. IN MUNDO PRESSURAM HABEBITIS, SED CONFIDITE, EGO VICI MUNDUM. — « Hæc, » scilicet de mundo in me et vos odio et persecutione vers. 5, et cap. XV, vers. 18 et 19, « locutus sum » et prædixi, « ut in me pacem habeatis, » hoc est, ut in me confidentes certamque spem reponentes, animo sitis tranquillo, stabili et inter fluctus persecutionum quieto, immobili et imperterrito : patet ex seq.

IN MUNDO PRESSURAM HABEBITIS, SED CONFIDITE, EGO VICI MUNDUM. — « Vici, » inchoate per sanctam vitam et cœlestem doctrinam, sed jam jam eumdem plene et perfecte devincam per heroicam passionem et mortem, *q. d.* Confidite in me, quia, sicut ego vici mundum, sic et vos vincetis, si in fide et dilectione perseveretis : si ergo in me manseritis, vos quoque meo exemplo per gratiam et robur Spiritus Sancti, quod vobis suggeram, superabitis mundum, id est omnia Judæorum Gentiumque odia, terrores, tentationes et persecutiones. Nam, ut ait Joannes, I *epist.* V : « Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum : et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. » Vide ibi dicta. Sub mundo diabolum mundi principem cæterosque adversarios Christi qui in mundo sunt, accipe. Ita Toletus, Ribera et alii. Confidite igitur in omni pressura mundi, quia ego mundum vici, non mihi, sed vobis; vici enim, ut vos vinceretis, ut vobis vincendi normam et ideam darem, ut vobis a Deo vincendi gratiam impetrarem. Certate ergo generose, quia ego certabo in vobis et vincam in vobis, dum vos victores efficiam. Nam, ut ait S. Augustinus hic, *tract.* 103 : « Non vicisset ille mundum, si ejus membra vinceret mundus. »

Hisce Christi verbis confisi et roborati Montanus ejusque socii martyres, discipuli S. Cypriani, exultabant in carcere cæco et horrido, quia, ut aiebant ipsi : « Ubi tentatio est grandis, ille ibi major est, qui eam vincit in nobis ; et non est pugna, qua non sit, Domino protegente, victoria. » Ita habent eorum Acta apud Surium, die 24 februarii. Et ipse S. Cyprianus, epist. *ad Fortunatum de Exhort. martyr.* : « Si quis, inquit, Dominica præcepta custodiens et fortiter Christo adhærens, contra eum (adversarium) steterit, vincat necesse est, quia Christus invictus est. » Idem, lib. II, epist. 2 *ad Donatum* : « Nihil, ait, appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est. » Idem, lib. IV, epist. 6 *ad Tibaritan.* : « Miles Christi, ait, præceptis ejus et monitis eruditus, non expavescit ad pugnam, sed paratus est ad coronam. » Et anterius : « Gaudere nos et exultare voluit in persecutionibus Dominus, quia, quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc Martyribus patent cœli. » Et post nonnulla : « Solus non est, cui Christus in fuga comes est : solus non est, qui templum Dei servans, ubicumque fuerit, sine Deo non est ; et si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames, aut sitis, aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione properante, tem-



pestas ac procella submerserit, spectat militem suum Christus ubicumque pugnantem et persecutionis causa pro nominis sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in resurrectione promisit. » Idem, tract. *De Mortalitate* : « Agnoscere se debet, ait, qui Deo militat, qui positus in cœlestibus castris divina jam sperat ; ut ad procellas et turbines mundi, trepidatio nulla sit in nobis, nulla cunctatio, quando hæc ventura prædixerit Dominus, providæ vocis hortatu instruens et docens, et præparans atque corroborans. » Idem, epist. 1 *ad Cornelium*, ait : « Milites Christi vinci non posse, mori posse, et hoc ipso invictos esse, quia mori non timent. » Pathetice vero Confessores in carcere martyrio destinati, ad S. Cyprianum, quasi Martyrum buccinem scribentes, lib. V, *epist.* 12 : « Quid gloriosius, inquiunt, quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices interritum confiteri Dominum Deum? quam inter sævientia sæcularis potestatis varia et exquisita tormenta, etiam extorto, et excruciato, et excarnificato corpore, Christum Dei Filium, etsi recedente, sed tamen libero spiritu confiteri? quam impedimentis omnibus sæcularibus ruptis, in conspectu Dei jam se liberum sistere? quam cœleste regnum sine ulla cunctatione retinere? quam collegam passionis cum Christo in Christi nomine factum fuisse? »

Sic mundum vicit S. Chrysostomus : cum enim de ejus expulsione ageretur, habuit hac de re homilias 11, ad suos, in qua ita orditur : « Multi quidem fluctus et undæ immanes, sed subme non vereor, quia supra petram sto. Insaniat mare, petram non potest evertere. Sed quid tant? Ne mortem verear, cui vivere Christus et mori lucrum. Ne exilium pertimescam, qui verim Domini esse terram et plenitudinem ejus. Sed bonorum proscriptionem metuam, qui sciam quod nihil intulerim in hunc mundum, sed neque auferre quid possim? Quidquid terroris habet mundus, contemno : quidquid delectabile habet, rideo. Divitias non cupio, paupertatem non horresco, mortem non timeo. »

# CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus hic more Patris amantissimi, qui moriens filiis vale dicit, post prolixam adhortationem et consolationem discipulorum, a cap.* XIII *huc usque productam, jam sermonem suum concludit oratione, qua eos Deo commendat et resignat. Orat ergo hic primo, pro sua et Patris clarificatione. Secundo, vers. 9, pro suorum discipulorum custodia et salute. Tertio, vers. 20, pro iis qui per Apostolorum prædicationem credituri sunt in ipsum, ut Deus servet eos a malo, et ut omnes sint unum, ac mundus cognoscat ipsum fuisse a Patre missum ad hominum salutem.*

1. Hæc locutus est Jesus; et sublevatis oculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te : 2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. 3. Hæc est autem vita æterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. 4. Ego te clarificavi super terram : opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam : 5. et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum : claritate, quam habui prius quam mundus esset, apud te. 6. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti; et sermonem tuum servaverunt. 7. Nunc cognoverunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt : 8. quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis; et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti. 9. Ego pro eis rogo : non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt : 10. et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt : et clarificatus sum in eis. 11. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi ; ut sint unum, sicut et nos. 12. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. 13. Nunc autem ad te venio; et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. 14. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. 15. Non rogo ut tollas eos de mundo,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

29. Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. 30. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget : in hoc credimus, quia a Deo existi. — *q. d.* Jam clare intelligimus quod antea non capiebamus. Dixeras enim obscure : « Modicum et non videbitis me, » etc.; jam clare idipsum explicas, dum ais : « Relinquo mundum, et vado ad Patrem. »

Nunc scimus quia scis omnia. — *q. d.* Ex eo quod videamus et audiamus te arcanas nostras cogitationes, dubitationes et desideria de interpretatione illius, « Modicum, et non videbitis me, » etc., vers. 19, scire et prævenire respondendo, ut tibi non sit opus rogare aliquem, ut cognoscas quid ille cogitet, ac rogare et scire desiret; ex eo, inquam, quod antevertisti nostras cogitationes, « scimus quia (quod) scis omnia, » etiam arcana cordium, « et non opus est tibi, ut quis te interroget : » cum enim vellemus te de « modico » interrogare, tu id perspiciens interrogationem nostram prævenisti et dubitationem nostram ultro explicuisti. « In hoc credimus quia (quod) a Deo existi, » *q. d.* Per hoc firmius credimus (et in fide nostra corroboramur) te esse verum Dei Filium ab eo genitum, eo quod scis omnia et secreta cordium pervides : quod proprium est Dei. Ita Cyrillus. Aut, ut Toletus : « In hoc credimus, » *q. d.* Vel hoc solum satis est nobis, ut credamus te exisse a Deo, quod secreta nostra reveles iisque respondeas. Et si alia argumenta (quæ multa habemus) deessent, hoc unum nobis sufficeret ad credendum in te.

31. Respondit eis Jesus : Modo creditis? 32. Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis : et non sum solus, quia Pater mecum est. — Ita Romani, Theophylactus, Euthymius, Jansenius et alii per interrogationem legunt, *q. d.* Modo creditis? sed brevi ostendetis quam parva parumque solida sit fides, cum me videntes capi a Judæis, diffugietis. Alii legunt assertive, imo Syrus et Arabicus legunt imperative, « modo credite; » sed eodem sensus redit, *q. d.* Modo fidem habetis in me, sed longe debiliorem, quam putatis, uti mox ostendetis, cum me relicto aufugietis.

Ut dispergamini unusquisque in propria. — Id est, unusquisque vestrum seorsum fugiet, quo eum impetus et timor tulerit; non exspectabit alter alterum, nec in locum certum omnes convenietis, sed unusquisque in locum, qui se primo fugienti obtulerit.

Et non sum solus. — *q. d.* Non hæc dico mei causa, sed vestri : ego enim vestra protectione non egeo, cum mecum habeam Patrem ejusque omnipotentiam.

33. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. — « Hæc, » scilicet de mundo in me et vos odio et persecutione vers. 5, et cap. xv, vers. 18 et 19, « locutus sum » et prædixi, « ut in me pacem habeatis, » hoc est, ut in me confidentes certamque spem reponentes, animo sitis tranquillo, stabili et inter fluctus persecutionum quieto, immobili et imperterrito : patet ex seq.

In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. — « Vici, » inchoate per sanctam vitam et cœlestem doctrinam, sed jam jam eumdem plene et perfecte devincam per heroicam passionem et mortem, *q. d.* Confidite in me, quia, sicut ego vici mundum, sic et vos vincetis, si in fide et dilectione perseveretis : si ergo in me manseritis, vos quoque meo exemplo per gratiam et robur Spiritus Sancti, quod vobis suggeram, superabitis mundum, id est omnia Judæorum Gentiumque odia, terrores, tentationes et persecutiones. Nam, ut ait Joannes, I *epist.* v : « Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum : et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. » Vide ibi dicta. Sub mundo diabolum mundi principem cæterosque adversarios Christi qui in mundo sunt, accipe. Ita Toletus, Ribera et alii. Confidite igitur in omni pressura mundi, quia ego mundum vici, non mihi, sed vobis; vici enim, ut vos vinceretis, ut vobis vincendi normam et ideam darem, ut vobis a Deo vincendi gratiam impetrarem. Certate ergo generose, quia ego certabo in vobis et vincam in vobis, dum vos victores efficiam. Nam, ut ait S. Augustinus hic, *tract.* 103 : « Non vicisset ille mundum, si ejus membra vinceret mundus. »

Hisce Christi verbis confisi et roborati Montanus ejusque socii martyres, discipuli S. Cypriani, exultabant in carcere cæco et horrido, quia, ut aiebant ipsi : « Ubi tentatio est grandis, ille ibi major est, qui eam vincit in nobis ; et non est pugna, qua non sit, Domino protegente, victoria. » Ita habent eorum Acta apud Surium, die 24 februarii. Et ipse S. Cyprianus, epist. *ad Fortunatum de Exhort. martyr.* : « Si quis, inquit, Dominica præcepta custodiens et fortiter Christo adhærens, contra eum (adversarium) steterit, vincat necesse est, quia Christus invictus est. » Idem, lib. II, epist. 2 *ad Donatum* : « Nihil, ait, appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est. » Idem, lib. IV, epist. 6 *ad Tibaritan.* : « Miles Christi, ait, præceptis ejus et monitis eruditus, non expavescit ad pugnam, sed paratus est ad coronam. » Et anterius : « Gaudere nos et exultare voluit in persecutionibus Dominus, quia, quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc Martyribus patent cœli. » Et post nonnulla : « Solus non est, cui Christus in fuga comes est : solus non est, qui templum Dei servans, ubicumque fuerit, sine Deo non est ; et si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames, aut sitis, aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione properante, tem-



pestas ac procella submerserit, spectat militem suum Christus ubicumque pugnantem et persecutionis causa pro nominis sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in resurrectione promisit. » Idem, tract. *De Mortalitate* : « Agnoscere se debet, ait, qui Deo militat, qui positus in cœlestibus castris divina jam sperat; ut ad procellas et turbines mundi, trepidatio nulla sit in nobis, nulla cunctatio, quando hæc ventura prædixerit Dominus, providæ vocis hortatu instruens et docens, et præparans atque corroborans. » Idem, epist. 1 *ad Cornelium*, ait : « Milites Christi vinci non posse, mori posse, et hoc ipso invictos esse, quia mori non timent. » Pathetice vero Confessores in carcere martyrio destinati, ad S. Cyprianum, quasi Martyrum tubicinem scribentes, lib. V, *epist.* 12 : « Quid gloriosius, inquiunt, quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices interritum confiteri Dominum Deum? quam inter sævientia sæcularis potestatis varia et exquisita tormenta, etiam extorto, et excruciato, et excarnificato corpore, Christum Dei Filium, etsi recedente, sed tamen libero spiritu confiteri? quam impedimentis omnibus sæcularibus ruptis, in conspectu Dei jam se liberum sistere? quam cœleste regnum sine ulla cunctatione retinere? quam collegam passionis cum Christo in Christi nomine factum fuisse? »

Sic mundum vicit S. Chrysostomus : cum enim de ejus expulsione ageretur, habuit hac de re homilias 11, ad suos, in qua ita orditur : « Multi quidem fluctus et undæ immanes, sed subme non vereor, quia supra petram sto. Insaniat mare, petram non potest evertere. Sed quid tant? Ne mortem verear, cui vivere Christus et mori lucrum. Ne exilium pertimescam, qui verim Domini esse terram et plenitudinem ejus. Sed bonorum proscriptionem metuam, qui sciam quod nihil intulerim in hunc mundum, sed neque auferre quid possim? Quidquid terroris habet mundus, contemno : quidquid delectabile habet, rideo. Divitias non cupio, paupertatem non horresco, mortem non timeo. »

# CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus hic more Patris amantissimi, qui moriens filiis vale dicit, post prolixam adhortationem et consolationem discipulorum, a cap.* XIII *huc usque productam, jam sermonem suum concludit oratione, qua eos Deo commendat et resignat. Orat ergo hic primo, pro sua et Patris clarificatione. Secundo, vers. 9, pro suorum discipulorum custodia et salute. Tertio, vers. 20, pro iis qui per Apostolorum prædicationem credituri sunt in ipsum, ut Deus servet eos a malo, et ut omnes sint unum, ac mundus cognoscat ipsum fuisse a Patre missum ad hominum salutem.*

1. Hæc locutus est Jesus; et sublevatis oculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te : 2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. 3. Hæc est autem vita æterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. 4. Ego te clarificavi super terram : opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam : 5. et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum : claritate, quam habui prius quam mundus esset, apud te. 6. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti; et sermonem tuum servaverunt. 7. Nunc cognoverunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt : 8. quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis; et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti. 9. Ego pro eis rogo : non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt : 10. et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt : et clarificatus sum in eis. 11. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi; ut sint unum, sicut et nos. 12. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. 13. Nunc autem ad te venio; et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. 14. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. 15. Non rogo ut tollas eos de mundo,

sed ut serves eos a malo. 16. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.
17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. 18. Sicut tu me misisti in mundum,
et ego misi eos in mundum. 19. Et pro eis ego sanctifico meipsum ; ut sint et ipsi sanc-
tificati in veritate. 20. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt
per verbum eorum in me : 21. ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut
et ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus, quia tu me misisti. 22. Et ego claritatem,
quam dedisti mihi, dedi eis ; ut sint unum, sicut et nos unum sumus. 23. Ego in eis, et
tu in me ; ut sint consummati in unum : et cognoscat mundus quia tu me misisti, et
dilexisti eos, sicut et me dilexisti. 24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et
illi sint mecum ; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi : quia dilexisti me ante
constitutionem mundi. 25. Pater juste, mundus te non cognovit ; ego autem te cognovi :
et hi cognoverunt, quia tu me misisti. 26. Et notum feci eis nomen tuum, et notum
faciam ; ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

1. HÆC LOCUTUS EST JESUS ; ET SUBLEVATIS OCULIS IN COELUM, DIXIT : PATER, VENIT HORA, CLARIFICA (Syrus et Arabicus, *glorifica*) FILIUM TUUM, UT FILIUS TUUS CLARIFICET (Syrus et Arabicus, *glorificet*) TE. — Est hæc Christi ituri ad passionem ultima et quasi cygnea oratio, ideoque plena dulcedinis, amoris et ardoris, qua docet nos *primo*, instante tribulatione, ad orationem confugere et a Deo robur petere ad illam superandam ; *secundo*, patres tam corporales quam spirituales, dum abeunt vel moriuntur, debere suos filios Deo per orationem commendare ; *tertio*, concionatores oportere studere orationi, ut per eam impetrent tum vim dicendi movendique animos auditorum, tum auditoribus gratiam, ut audita capiant, ament et opere exequantur, « ne inanis verbositas locum habeat, » ait Cyrillus, lib. XI, cap. XIV.

Christi ad passionem ituri cygnea oratio.

SUBLEVATIS OCULIS, — ut simili gestu nos in oratione mentem a terra in cœlum ad Deum sustollere doceret. Ita Chrysostomus.

Singula verba habent emphasim. « Pater : » orat Christus ut homo, sed homo Deus, sive Deo hypostatice unitus. Quare Deum vocat Patrem, quia ipse genuit Filium, qua Deus est, ipsique hominem assumptum hypostatice univit. Patris nomen fiduciæ et amoris est illicium : quid enim neget pater filio ? Idem majestatis et potentiæ est indicium ; nam, ut ait Cyrillus, lib. I *Thesauri*, cap. VI, in Deo majus est esse patrem, quam dominum, quia ut Pater genuit Filium sibi ὁμοούσιον, ut dominus creavit creaturas, quæ in infinitum minores sunt Filio.

VENIT (Græce ἐλήλυθεν, id est *venit* in præterito) HORA, — id est tempus opportunum, scilicet pene ultima hora libertatis et vitæ meæ ; jam instat mihi captivitas, passio, crux et mors, quando ego maxime egeo tua, o Pater, gratia et auxilio : tunc enim maxime occultabitur mea divinitas, quando ut seditiosus et affectator regni Judaici cum latronibus infami cruci suffigar ; quare oro ut hanc infamiam abstergas, deitatem meam ostendas meque clarifices. Audi nunc S. Augustinum : « Ostendit omne tempus, et quid quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est. Venit hora, non fato urgente, sed Deo ordinante : absit ut sidera mori cogerent siderum conditorem. »

CLARIFICA FILIUM TUUM. — Syrus et Arabicus, *glorifica*. Quæres, quam gloriam et glorificationem hic petat Christus ? *Primo*, nonnulli accipiunt passionem, crucem et mortem ; hæc enim fuit ingens Christi gloria, quia per eam homines Deo reconciliavit, peccatum abolevit, diabolum vicit, mortem destruxit, vitam et gloriam nobis procuravit. Ita Origenes, hom. 6 *in Exod.* ; S. Ambrosius, lib. IV *Hexam.*, cap. II ; et S. Hilarius, lib. III *De Trinit.*, quem audi : « Conspuendus erat, flagellandus, crucifigendus ; sed clarificat Pater, deficiente sole, tremente terra, proclamante centurione. » Crux ergo in se ingloria Christo, in fructu eidem fuit gloriosa. Vide Origenem.

*Secundo*, S. Augustinus, *tract.* 104, et Ribera censent gloriam hanc Christi esse resurrectionem, ascensionem in cœlum, sessionem ad dexteram Dei et missionem Spiritus Sancti, *q. d.* Ego pro gloria tua, et pro salute hominum, quos ab æterno elegisti, ignominiosæ morti me offero, tu me clarifica, ut in passione verus filius tuus appaream, et postea resurgam et ascendam in cœlum ; ut ita verus Deus ab hominibus credar, propter quos morior, ac divinitas et potentia et bonitas tua cognoscantur, et ab omnibus adoreris. Audi S. Augustinum : « Si passione clarificatus dicitur, quanto magis resurrectione ? ait ergo : Clarifica, *q. d.* Venit hora seminandæ humilitatis fructum non differas claritatis. »

*Tertio*, magis præcise et genuine, gloria hæc fuit manifestatio Christi, ut mundus agnosceret eum esse Christum Dei Filium, ac in eum credens justificaretur et salvaretur. Hic enim erat finis et scopus incarnationis et totius œconomiæ Christi, sicque explicat Christus, vers. 2 et seq., ubi hanc gloriam vocat sui Deique manifestationem. Sensus ergo est, *q. d.* Ecce tu, o Pater ! me Filium tuum misisti in carnem et mundum, ut mea passione et morte eum perditum redimam et salvem ; instant mihi passio et mors in cruce infamis, ob quam multi patientur in me scandalum et a salute per me parta excident : rogo te, o Pater ! ut me mundo notifices et glorifices, ne homines me ut vilem, sceleratum et infamem, ob mortem crucis contemnant, sed Filium tuum Deumque verum agnoscant, itaque gratiam, justitiam et salutem consequantur. Petit ergo Christus patefieri mundo consilium Dei de ipso incarnando, crucifigendo et morituro pro hominum salute, ut scilicet tantum Dei opus suum finem et scopum, qui est salus hominum, assequatur. Ait igitur : « Clarifica, » id est glorifica, me crucifixum et morientem, per miracula, scilicet terræ motum, eclipsim solis, scissionem veli in templo, scissionem petrarum, apertionem sepulcrorum, item per celerem resurrectionem et gloriam corporis : ad hæc per ascensionem in cœlum, missionem Spiritus Sancti et omnium gentium conversionem ad fidem meam, ut ex iis omnes gentes credant me esse Deum et Messiam salvatorem mundi, ac per hanc fidem sanctificentur et beentur.

Hinc patet omnes hasce tres expositiones eodem recidere et in idem terminari. Et hoc proprie significat gloria, quæ non est aliud quam nominis claritas. Unde Quintilianus : « Consentiens laus bonorum, ait, gloria appellatur. » Et Cicero, *pro Marcello* : « Gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum, vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. » Idem, lib. II *Offic.* : « Perfecta gloria, ait, constat ex tribus his, si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore dignos putat. » Unde Isidorus, lib. X *Etym.*, litt. G : « Gloriosus, inquit, a frequentia claritatis dicitur, pro c. g. littera commutata. Gloriosus a laurea dictus, quæ datur victoribus. » Ita S. Cyrillus hanc Christi gloriam explicat lib. XI, XIV ; Cyprianus, lib. *De Duplici martyrio* ; Hilarius, lib. III *De Trinit.* ; Basilius, lib. IV *Contra Eunom.*, sub finem, et alii. Addit Euthymius, *q. d.* Clarifica, id est notifica mundo me ex mero et summo amore libere pro eis mortem crucis subiisse ; hoc enim coget omnes gentes me colere et redamare. Hinc patet hanc clarificationem proprie esse humanitatis Christi, ut scilicet illa cognoscatur esse unita Deo ; consequenter tamen esse quoque divinitatis Christi, quia hæc sequitur ex illa. Ex hoc enim, quod notum fuit mundo, humanitatem Christi unitam fuisse Deo, notum quoque factum est, Deum ex immensa misericordia demisisse se ad carnem et crucem pro nobis subeundam ex summo nostri amore.

Objiciebat Arius : Filius petit clarificari a Patre, ergo Pater major et clarior est Filio. Retorquet hoc in ipsummet S. Basilius ; nam subdit Christus : « Ut et Filius clarificet te. » Tam ergo Filius clarificat Patrem quam Pater Filium.

Moraliter docet Christus hic, quod Deus ignominiam suo nomine susceptam vertat in gloriam, eoque majorem, quo major fuit ignominia, adeoque veram viam ad gloriam esse ignominiam, crucem et mortem, juxta illud *Philip.* II : « Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, etc., propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum. »

Gloria paratur ignominia.

Sic S. Petrus et Paulus Romæ a Nerone ludibrio habiti, et quasi superstitiosi hostesque imperii, cruce et gladio plexi, pervenerunt ad summam gloriam, ut jam non tantum Romæ, sed et toti Romano Imperio dominentur, ac S. Petrus Trajanum, S. Paulus Antonium Imperatorem sua columna triumphali dejiciens, ejus locum occuparit.

Viderunt id per umbram Gentiles. Unde Agesilaus, rex Spartæ, rogatus « qua ratione perpetuam sibi gloriam parare posset ? » Respondit : « Si mortem contempseris. Nihil enim præclari geri potest ab eo, cujus animum metus mortis occupavit. » Ita Plutarchus in *Lacon.* Sic Alexander, Julius Cæsar, Scipio, Marcellus, Annibal, etc., gloriam bellicam sibi paravere mortis contemptu ; unde de iis sic canit Horatius, lib. I *Carm.*, ode 12 :

Crescit occulto velut arbor ævo
Fama Marcelli, micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Hinc Hispani etiamnum hoc habent axioma : « Ducem belli, qui gloriæ sit avidus, debere mortem contemnere, ut gloriam emat vitæ prodigalitate. » Idipsum magis dicant viri Apostolici :

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Quid enim est gloria terrena ad cœlestem, humana ad divinam, temporalis ad æternam ? Hinc Paulus, II *Corinth.* IV : « Non sunt, inquit, condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. » Unde eamdem mox vocat « æternum gloriæ pondus, » quia virtutis heroes glorificabit S. Trinitas, omnes angelorum myriades, omnia beatorum Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum agmina in omnem æternitatem.

UT FILIUS TUUS CLARIFICET TE. — *q. d.* Oro, o Pater, ut clarifices, id est notum et clarum toti mundo me efficias, ostendendo me non esse merum hominem, sed hominem Deum, ac Filium tuum a te missum in carnem ad salutem hominum : hoc autem oro, non propter me, quasi ego hujus claritatis et gloriæ sim avidus, sed ut claritas et gloria ad te redeant, velut ad fontem et auctorem omnis gloriæ meæ, ut scilicet ego manifestatus et clarificatus a te, majori pondere



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

vicissim clarificem, id est notum et clarum efficiam te toti mundo. Fecit hoc Christus, *primo*, quia dum clarificatur Filius, clarificatur et Pater, ait Cyrillus. Sic et S. Hilarius, lib. III *De Trinit.* : Ostendit, ait, eamdem in utroque divinitatis virtutem; claritas enim Filii est claritas Patris. *Secundo*, quia dum innotuit mundo magnum hoc pietatis sacramentum, scilicet Verbi incarnatio, et per illam hominum salus et redemptio, omnes illud audientes et credentes laudarunt immensam Dei Patris misericordiam, sapientiam et omnipotentiam, quam in hoc suo opere ostendit. *Tertio* et maxime, clarificavit Christus Patrem viva voce doctrinæ et prædicationis suæ. Prædicavit enim Christus mysterium SS. Trinitatis, ac passim hic apud Joannem Patrem suum dilaudat, dicens se ab eo missum, et illi omnia sua accepta referre. Audi S. Augustinum : « Quomodo Filius Patrem clarificavit? Erat in Judæa tantummodo notus Deus; factum est vero per Evangelium Christi, ut Pater innotesceret Gentibus, ait ergo : Clarifica, etc., *q. d.* Resuscita me, ut innotescas toti orbi per me. »

Nota τὸ « Filius tuus; » nam, ut ait S. Hilarius, lib. III *De Trinit.* : « Multi sunt filii, sed ipse proprius et verus, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione. »

2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, — id est omnis hominis. Τὸ « sicut » *primo*, similitudinem; *secundo*, causam, ait Euthymius et Ribera; *tertio*, proportionem et æqualitatem, ait Toletus, significat, *q. d.* Quia dedisti mihi, o Pater, potestatem in omnes homines, da pariter et claritatem ad potestatem hanc necessariam illique proportionatam, scilicet parem et æqualem; ut, sicut potestas mea est amplissima, utpote in omnes homines, sic et claritas mea sit amplissima et per omnes gentes spargatur. Sic dicit vice-rex regi : Quia dedisti mihi potestatem vicariam, o rex, da quoque ministros et sumptus ad potestatem et dignitatem hanc sustinendam necessarios. Potestas autem Christi est auctoritas, jus et imperium Christi, non tantum qua Deus, sed etiam qua homo est, in omnes homines. Pater enim omnes homines Christo homini, quasi suo principi et salvatori subjecit omnesque curæ et gubernationi Christi commisit, ut quantum in se est, omnes salvare satagat. Posuit igitur in manu Christi salutem omnium hominum. Τὸ ergo « omnis carnis, » id est omnis hominis, ostendit non ad solos Judæos, sed ad totum orbem terrarum prædicationem Evangelii extendendam, ait Chrysostomus.

Ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. — Est hebraismus. « Omne » enim significat omnem hominem; sed dicit « omne, » ut magis universitatem exaggeret. Rursum mutat numerum singularem in pluralem, dicens *eis*, ut indicet in hac universitate non esse unum, vel paucos, sed plurimos. Adde, τὸ *eis*, per pleonasmum Hebræis usitatum redundat. Sensus est, *q. d.* Clarifica et notifica me mundo, ut officio et potestate mea mihi a te tradita rite perfungar, scilicet ut omnes homines, quantum in me est, deducam ad vitam æternam; hæc enim claritas, quæ est fides in me, necessaria est ut salutem consequantur. Dices, Christus non dat omnibus hominibus vitam æternam, quia pauci salvantur et plures damnantur. Respondent Chrysostomus et Toletus, Christum, quantum est ex parte sua, dare omnibus vitam æternam, quia omnibus dat sua merita, suam doctrinam, sua Sacramenta, suam gratiam cæteraque salutis media, quibus si recte utantur, pervenient ad vitam æternam : quia vero plures iis uti nolunt, hinc plures sua culpa et ignavia damnantur, quam salventur. Addit Jansenius Christum proprie loqui de solis prædestinatis et electis; hos enim proprie Pater dedit Filio, ut patebit vers. 16. Christus ergo electis dat vitam æternam efficaciter, reprobis vero sufficienter duntaxat, quia his dat sufficientem gratiam, illis vero efficacem : unde hi salvari possunt, sed illi soli actu salvantur.

3. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. — Cohæret hæc gnome apte cum præced., dat enim causam Christus cur petat clarificari; quia scilicet hæc claritas est cognitio Dei et Christi, quæ unica est via ad vitam æternam. Hic ergo est totus Christi discursus : Clarifica me Filium tuum, o Pater, ut Filius clarificet te, ut per hanc clarificationem et manifestationem, qua fideles agnoscent te esse verum Deum meque esse verum Filium, mundi redemptorem, consequantur vitam æternam; nam vita æterna in hoc consistit, ut cognoscant te verum Deum, et Jesum Christum, quem misisti, ut credentes in eum salventur : nemo enim nisi per fidem, qua credit in Christum, salvari potest.

Hæc est autem vita æterna. — *Primo*, S. Thomas, I *part.*, *Quæst.* XII, art. 4 et 6; et I II, *Quæst.* III, art. 4, et lib. III *Contra Gentes*, cap. LXI et alibi, hæc verba accipit in sensu formali, indeque probat essentiam beatitudinis sitam esse in actu intellectus, non voluntatis, puta in visione Dei. Sic ergo exponit, *q. d.* Clarifica me, ut per hanc claritatem fideles in me consequantur vitam æternam, quæ consistit in cognitione, id est visione Dei, id est Patris et Filii.

*Secundo*, Cajetanus, Titelmannus et Jansenius censent cognitionem hoc loco accipi, ut communis est cognitioni viæ et patriæ; atque ideo non dictum esse, ut videant te, quod Beatorum est, sed « ut cognoscant te, » quod etiam convenit viatoribus; *q. d.* Ego daturus sum illis vitam æternam : vita autem æterna hic inchoatur per fidem, et postea consummabitur in visione : quare sine fide assequi eam homines non possunt, ideo peto ut me clarifices.

*Tertio*, et genuine, hæc verba ad litteram explicanda sunt in sensu non formali, sed causali, *q. d.* « Hæc est vita æterna, » id est hæc est causa vitæ æternæ, vel hæc est via ad vitam æternam; nimirum ut per fidem cognoscant homines, et credant te esse solum verum Deum et Jesum Christum a te missum ad eorum salutem. Fides enim in Deum et Christum est recta via ducens nos ad vitam æternam, juxta illud *Joan.* III : « Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. » Et cap. VI : « Qui credit in me, habet vitam æternam. » Est metonymia, quia ponitur effectus pro causa, scilicet vita æterna pro fide. Similis est *Joan.* XI : « Ego sum resurrectio et vita, » id est ego sum causa, vel auctor et effector resurrectionis et vitæ. Et cap. XII : « Scio, quia mandatum ejus vita æterna est, » id est causa vitæ æternæ. Et I *Joan.* V : « Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, » *q. d.* Fides est causa victoriæ nostræ. Ita Cyrillus, lib. XI, cap. XVI : « Radicem, inquit, atque originem æternæ vitæ fidem et veræ pietatis virtutem esse affirmat. » Fides enim est quasi inchoatio visionis beatificæ, in qua vita æterna et beatitudo consistit : fides enim parit spem, spes charitatem, charitas bona opera, quibus meremur vitam æternam.

Denique audi S. Augustinum tres hosce sensus complectentem et connectentem : « Si cognitio Dei est vita æterna, tanto magis in vita æterna, quanto magis in hac cognitione proficimus; erit autem hæc perfecta, quando nulla mors erit : summa Dei tunc clarificatio, quia summa gloria; definitur autem gloria : Frequens de aliquo fama cum laude : quod si homo laudatur, cum famæ creditur; quomodo Deus laudabitur, cum videbitur? Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. »

Ut cognoscant te, solum Deum verum. — Ergo solus Pater est verus Deus, ergo Filius non est verus Deus, inferunt Ariani. Hic est eorum Achilles. Respondent *primo*, S. Augustinus, *tract.* 105, Beda, S. Thomas et alii hic, copulam *et* jungere Jesum Christum cum Deo Patre sub una deitate, *q. d.* « Ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum; » supple, et repete esse pariter solum Deum verum. Ratione id probat S. Hilarius, lib. IX *De Trinit.*, nam alioqui hæc propositio esset hiulca, pendens et imperfecta : nam si de *Patre* credendum est eum solum verum Deum, de Jesu Christo nihil diceretur credendum, nisi intelligamus illum etiam esse Deum verum, æque ac est Pater. Sic ergo ordinanda est sententia : « Ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum, » esse « solum verum Deum, » scilicet tam Filium quam Patrem esse Deum verum. Unde Patres ex hoc loco probant Christi divinitatem, ut S. Cyprianus, lib. I *Contra Judæos*; S. Ambrosius, lib. V *De Fide*, cap. II; S. Hilarius, lib. IX *De Trinit.*, in medio; S. Basilius, lib. IV *Contra Eunom.*, in fine; Chrysostomus, Cyrillus Theophylactus et alii.



*Secundo*, plenius respondent S. Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, Toletus, Ribera et alii, vocem exclusivam « solum » hic non excludere Filium et Spiritum Sanctum, sed tantum idola et falsos deos, qui aliam habent naturam et deitatem a vera deitate, quæ una est in S. Trinitate, ideoque eadem numero in Patre, Filio et Spiritu Sancto. Pro quo nota τὸ « solum » hic non esse subjectum, sed prædicatum; non enim sensus est, *q. d.* Ut cognoscant te, o Pater, qui solus es Deus verus; sed *q. d.* Ut cognoscant te, qui es ille Deus, qui solus verus est Deus : qualis quoque est Filius et Spiritus Sanctus; clarius hoc significatur in Græco : ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, id est *ut cognoscant te, qui es solus verus Deus*; et Syrus, *ut cognoscant te esse Deum veritatis solum*; et Arabicus, *ut cognoscant te esse Deum verum solum*. Idem innuit comma, quod Romani et Complutenses ponunt post τὸ *ut cognoscant te*. Nam Filium etiam esse Deum satis insinuat, cum asserit in ejus æque ac Patris cognitione consistere vitam æternam. Vita enim æterna necessario consistit in summo bono et vero Deo, ut notat S. Ambrosius, lib. V *De Fide*, cap. II. Christus ergo modestiæ causa expresse non vocat se Deum, sed missum a Patre, hoc est Messiam et redemptorem mundi. Talis enim erat qua incarnatus et homo factus.

Hinc collige, ad salutem et vitam æternam requiri cognitionem, id est fidem, tum incarnationis Jesu Christi, tum Trinitatis; nam Pater non potest plene cognosci sine Filio et Spiritu Sancto; paternitas enim in Patre requirit spirationem Spiritus Sancti.

Et quem misisti Jesum Christum. — Nomen enim Messiæ, sive Christi, est *missus*, sive *mittendus*, ut supra dixi. Dices : Omittitur hic Spiritus Sanctus, ergo ille non est Deus, utpote in cujus cognitione et visione non consistat beatitudo nostra. Respondi jam, τὸ *solum* excludere duntaxat deos Gentium, qui aliam habent naturam a Deo vero, non autem Spiritum Sanctum, qui habet eamdem.

Sed cur hic nominatur Filius duntaxat, non Spiritus Sanctus? Respondet *primo*, Euthymius : « Quia nondum tempus erat, ut de eo doceret; primum enim oportebat Filii cognitionem mentibus discipulorum insinuari, deinde etiam illis ea revelari quæ sunt Spiritus Sancti. » Sed obstat quod jam Christus discipulis promiserat Spiritum Sanctum multaque de eo dixerat.

*Secundo*, Ribera id censet fieri propter auctoritatem originis; quare sicut Filius omnia tribuere solet Patri, quia ab eo procedit, ita nunc cognitioni Patris et Filii tribuitur vita æterna; et licet subintelligatur etiam Spiritus Sanctus, non tamen nominatur, quia Pater et Filius sunt principium ejus, ipse vero nullius personæ divinæ principium est, sed a Patre et Filio habet quidquid habet, quomodo explicui cap. XV, in illis verbis : « Qui a Patre procedit. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Tertio*, planius dicas Christum hic non meminisse Spiritus Sancti, quia totus erat in inculcanda fide sui ipsius, ut scilicet ipse crederetur esse verus Deus Deique Filius et homo. Hoc enim tunc maxime erat inculcandum, tum quia novum et difficile erat creditu, tum quia hoc erat basis reliquorum credendorum, tum quia hoc credito credebatur et Spiritus Sanctus: hunc enim a se procedere et a se mittendum jam dixerat Christus. Intelligitur ergo hic Spiritus Sanctus, quia, ut ait S. Augustinus, ipse est Spiritus Patris et Filii, tanquam charitas consubstantialis amborum.

4. EGO TE CLARIFICAVI (græce ἐδόξασα, id est ut Syrus et Arabicus, *glorificavi*) SUPER TERRAM: OPUS CONSUMMAVI (Syrus *absolvi*) QUOD DEDISTI MIHI UT FACIAM. — *q. d.* Opus prædicationis et redemptionis, ad quod me quasi legatum tuum misisti in mundum, jam jam post paucas horas passionis et mortis meæ consummabo, finiam et absolvam prædicationem Evangelii per omnes Gentes ex decreto tuo commissurus Apostolis. Audi S. Augustinum: Clarificavi te his, quos dedisti mihi, cognitum te faciens. Clarificatur Deus, cum annuntiatus hominibus innotescit et per fidem credentibus prædicatur. Nam, ut ait S. Chrysostomus, in cœlo jam glorificatus fuerat et ab angelis adoratus; de ea ergo gloria loquitur, quæ ad culturam hominum pertinet.

5. ET (id est *idcirco*, quia scilicet jam opus legationis meæ consummavi, ac me amore tui humiliavi et abjeci me usque ad mortem crucis) NUNC CLARIFICA ME TU, PATER, APUD TEMETIPSUM, CLARITATE, QUAM HABUI, PRIUSQUAM MUNDUS ESSET, APUD TE. — S. Augustinus, et ex eo S. Thomas, accipit claritatem quam Christus ut homo habuit ab æterno, non actu, sed in decreto et prædestinatione Dei. Petit, inquit, ut, quam habuit claritatem in prædestinatione, habeat perfectione et redditione, scilicet in dextera Patris; videbat enim glorificationis prædestinatæ tempus advenisse. Sic et Suarez: Clarifica, inquit, me gloria resurrectionis, ad quam ante mundum me prædestinasti.

Simplicius alii accipiunt de claritate, id est gloria divinitatis, quam Christus ab æterno habuit apud Patrem ut Filius, sedendo ad dexteram ipsius, hoc est, ipsi in dignitate et gloria par et æqualis, utpote Deus verus de Deo vero. Sensus ergo est, *q. d.* « Clarifica, » id est glorifica me, Pater, claritate et gloria illa quam habui apud te ab æterno; hoc est fac, o Pater, ut moriturus mox resurgam et ascendam in cœlum sedeamque ad dexteram tuam quasi Filius tuus, itaque glorificer et ab hominibus agnoscar non tantum esse homo, sed et Deus; quod scilicet ob divinam naturam humanitati conjunctam, humanitas mea gloriosissime evecta sit ad dexteram tuam, eamque divina natura humanitati meæ ubi conjunctæ suæ divinitatis gloriam, quam habuit ab æterno, communicarit. Petit ergo divinitatem in humanitate sua latentem agnosci, itaque utramque clarificari et glorificari. « Clarifica » igitur me tu, Pater, « apud temetipsum, » scilicet assumendo me ad te, ut ad dexteram tuam sedeam, inquit Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, S. Thomas; « claritate quam habui apud te, » *q. d.* Colloca me ad dexteram tuam, ut omnes intelligant me habere eam claritatem, quam revera ab æterno habui apud te, scilicet me esse Filium tuum naturalem æqualem tibi. Ita Cyrillus et Hilarius, lib. III *De Trinit.*; ita quoque S. Augustinus, Leontius, Toletus, Ribera, Jansenius, Maldonatus et alii hic.

Triplex ergo hic claritas Christi significatur et involvitur. Prima est, claritas increata et infinita, puta gloria divinitatis et filiationis divinæ, quod scilicet ipse vere sit Deus Deique Filius; hanc enim gloriam habuit apud Patrem ante mundi creationem. Secunda est claritas creata et finita, puta gloria humanitatis, quam ipsa nacta est in resurrectione ejusque dotibus gloriosis, ac mox in ascensu ad cœlum et sessionem ad dexteram Dei: Christus enim non tantum qua Deus, sed et qua homo, post ascensum in cœlum sedet ad dexteram Dei, uti fuse explicui, *Coloss.* III, 1. Hæc autem secunda claritas Christi ostendit primam; ex eo enim quod Christus, qua homo, ascendens ad cœlum sedet ad dexteram Dei, innotuit Christum esse Deum Deique Filium, ac ut talem sedere ad dexteram Dei, id est illi divinitate, gloria et adoratione esse parem et æqualem. Sensus ergo est, *q. d.* Fac, o Pater, ut claritatem, id est gloriam quam habui, qua Deus, ante mundum, nunc habeam et participem ut homo, id est fac ut ego, qui ab æterno, qua Deus, sedi ad dexteram tuam, nunc ad eamdem sedeam ut homo. Hoc enim significat τὸ « apud temetipsum, » scilicet in tempore, post ascensum in cœlum. Tertia claritas est, qua utraque claritas jam dicta manifestata est Apostolis cæterisque fidelibus. Nam cum hi viderunt Christum gloriose in cœlum scandere, angelos illi applaudere, ac Christum e cœlo mittere Spiritum Sanctum cum operatione tot signorum et miraculorum, quibus ipsi ad Christum converterunt totum orbem; ex his omnibus, inquam, cognoverunt ipsi Christum non fuisse merum hominem, sed et Deum Deique Filium, ac ut talem sedere ad dexteram Dei in summa majestate et gloria, idque per omnes gentes prædicarunt. Triplex claritas Christi.

Petit ergo Christus primam suam claritatem et gloriam patefieri per secundam, scilicet per ascensum humanitatis in cœlum; et secundam per tertiam, scilicet, ut secunda manifestetur Apostolis cæterisque fidelibus. Summa postulat Christus, ut divinitas velut margarita abscondita in luto et testa humanitatis et passionis suæ, illa per mortem diffracta emicet, et radios suæ gloriæ ubique diffundat: sicut sol nube velatus, dum



illam suo fulgore diffringit et dissipat radiosque suos coruscos quaquaversum spargit; tumque Christi claritas, id est gloria ejus, toto orbe splendescat. Hoc autem factum est in Christi resurrectione, ascensu in cœlum, missione Spiritus Sancti, conversione Gentium. Hinc S. Chrysostomus per « claritatem » accipit passionem.

Audi S. Chrysostomum alloquentem: « Quid dicis? Ad crucem cum latronibus ac prædonibus ducendus maledictorumque necem subiturus, deinde et conspuendus, et virgis percutiendus es atque alapis, et ista vocas gloriam? Utique, inquit: nam pro dilectis ista patior, etc.; si gloria illi non in patrio throno, sed in contumelia reputata est, multo magis mihi istud pro gloria ducendum est. » Et paulo ante: « Si Christus, ait, tanti non duxit esse in gloria, quanti quod mei gratia crucem subiret; quid, quæso, illius nomine ferre non debeo? »

Nota: τὸ « apud temetipsum » et « apud te. » *Primo*, idem est quod *a te*; deitatem enim suam omnemque gloriam accipit Filius a Patre. *Secundo*, idem est quod *coram te*; nam, licet nullus esset angelus vel homo Christum glorificans, ipse tamen coram Patre haberet infinitam laudem et gloriam; hac enim Pater laudat et glorificat Filium, ac vicissim Filius Patrem. Idem dico de Spiritu Sancto. Hoc est, quod ad finem singulorum Psalmorum canimus: « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. » *q. d.* Opto Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto gloriam immensam et divinam, qualem habuit a principio, id est ab æterno, et nunc habet et habebit in perpetuum, quæ est gloria, qua una persona divina cæteras sibi socias immensa laude glorificat et vicissim eadem ab illis glorificatur. Pater enim immense glorificat Filium et Spiritum Sanctum, et hi vicissim tam Patrem, quam se invicem immense glorificant. *Tertio*, τὸ « apud temetipsum » proprie idem est quod « apud te: » scilicet qua Deus sedens in throno divinitatis ad dexteram tuam, quasi tibi ὁμόθρονος, par et æqualis, juxta illud cap. I, vers. 1: « Et Verbum erat apud Deum, » vide ibi dicta; qua homo vero supra omnes angelos et creaturas elevatus, proxime assidens Deo.

Perperam ergo nonnulli hæretici, teste S. Augustino, *tract.* 105, hanc clarificationem sic factam opinantur, ut humanitas in cœlo conversa sit in divinitatem: hoc enim est impossibile, et sic non glorificaretur humanitas Christi, quæ passa est, utpote quæ amplius non est, cum sit conversa in divinitatem, sed sola divinitas. Participavit ergo humanitas gloriam divinitatis præ omnibus beatis angelis et hominibus, utpote sibi hypostatice unitæ, perinde ac aer participat lumen solis, et Beati participant gloriam Dei. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Hilarius, Ambrosius et Athanasius scribentes contra Arianos.

Nec mireris id nonnullos sensisse de Christo; nam idem senserunt de Beatis omnibus, scilicet illos in cœlo revera transformandos in Deum, ex eo quod ait Apostolus I *Corinth.* XV, 28: « Ut sit Deus omnia in omnibus. » Fuit hic error Contemplativorum, sed fanaticorum, ut ibi dixi.

6. MANIFESTAVI NOMEN TUUM HOMINIBUS, QUOS DEDISTI MIHI DE MUNDO. — Explicat τὸ « ego te clarificavi, opus consummavi, » per « manifestavi nomen tuum hominibus. » Hoc enim erat opus illi a Patre commissum: ita Chrysostomus. « Nomen tuum, » non quo Deus, sed quo Pater es et vocaris, quodque me Filium generaris tibi consubstantialem, ait Cyrillus. Audi Interlinearem: « Nomen tuum, non quo diceris Deus, quod erat notum Judæis, sed quo diceris Pater meus, quod sine Filio non noscitur. » Et S. Augustinus: « Nam quod Deus dicitur, nec Gentibus incognitum: in hoc quod fecit mundum, notus in omnibus Deus; in hoc quod non cum diis falsis colendus, notus in Judæa Deus; in hoc quod Pater Christi, nunc per Christum manifestatus. » Et Chrysostomus: « Se Filium Dei Patris manifestaverat jam et verbis et rebus. »

QUOS DEDISTI MIHI DE MUNDO. — Quos scilicet « dedisti mihi » per vocationem et gratiam, non tantum sufficientem, sed et efficacem; sive, quos « dedisti mihi » perfecte et complete, nimirum tam quantum est ex parte tua, vocando eos per gratiam prævenientem, libero eorum arbitrio congruentem, quæ actu persuaderet eis tui fidem, amorem et sequelam; quam, quantum est ex parte ipsorum, qui a te sic vocati, per gratiam tuam sponte sua vocationi tuæ obsecuti sunt ubique obedierunt, ut se mihi et meæ fidei darent, itaque se separarent de mundo, id est de numero infidelium et peccatorum, mundi cupedias et vanitates captantium. Hinc S. Cæcilia dicebat « se nullam velle habere amicitiam cum mundo. »

Loquitur proprie de Apostolis cæterisque suis discipulis; atque hac phrasi significat *primo*, suum dominium et potestatem, quam ut homo habebat, in discipulos cæterosque homines a divinitate manare et derivari; *secundo*, Deum Patrem gratia sua eos prævenisse, ac movisse ad Christi fidem et sequelam; *tertio*, Patrem eos separasse a mundo, ac tradidisse Christo, ut per eum salventur; *quarto*, se habere voluntatem humanam cum Patris voluntate conformem illique per omnia subditam; *quinto*, Deum Patrem elegisse eos quos volebat Christo tradere in Apostolos et discipulos, illosque Christo proposuisse ac Christum Patri obsequentem eos acceptasse.

TUI ERANT, ET MIHI EOS DEDISTI: ET SERMONEM TUUM SERVAVERUNT. — Christus valedicturus Apostolis, eis benedicit et omnia bona a Deo apprecatur. Hic ergo per orationem eos Deo commendare incipit, ac rationem addit, dicens: « Tui sunt, » etc., quia nimirum ab æterno eos amasti, elegisti tibique ascivisti, ut e numero mundano-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum per gratiam tuam separarentur et salvarentur, scilicet, adduxisti eos ad me, ut in me crederent meumque sermonem, id est meam doctrinam et legem servarent, itaque gloriam æternam, ad quam eos elegisti, consequerentur; nam, ut dixit cap. VI : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. » Qui ergo tui sunt, hoc est, a te dilecti et electi, cura, conserva, protege eos ut tuos : hoc oro, quia sicut tui sunt, sic mei quoque sunt; tu enim « mihi eos dedisti : » tuos igitur æque ac meos ama, guberna et rectis viis dirige in vitam æternam.

7. NUNC COGNOVERUNT, QUIA OMNIA QUÆ DEDISTI MIHI, ABS TE SUNT, — scilicet quod omnia mea dicta et facta, non a me, sed a te primitus sint profecta, ideoque meam doctrinam et legem mihi a te esse datam et dictatam (1).

8. QUIA VERBA, QUÆ DEDISTI MIHI, DEDI EIS : ET IPSI ACCEPERUNT, ET COGNOVERUNT VERE QUIA A TE EXIVI (a te processi et genitus sum quasi filius, ut dixi cap. XVI, vers. 30), ET CREDIDERUNT QUIA TU ME MISISTI. — q. d. Cura eos, quia ego eos curavi et docui, ipsique me et meam doctrinam ultro acceptarunt ac crediderunt me esse tuum Filium a te missum in mundum ad ejus salutem, scilicet me esse Messiam, sive Christum salvatorem mundi.

9. EGO PRO IIS ROGO (ut eos conserves, et crescere facias in tui meique cognitione et amore) : NON PRO MUNDO ROGO, SED PRO HIS QUOS DEDISTI MIHI, QUIA TUI SUNT. — Hinc hæretici dicti Prædestinatiani tempore S. Augustini (abutentes scriptis S. Augustini *De Prædestinatione et gratia*), docuerunt Christum pro solis prædestinatis orasse, natum et passum esse : quare prædestinatis nil obesse, quæcumque committant scelera, ac reprobis nil prodesse bona opera quæcumque faciant. Hæc hæresis hisce seculis renovata est a Joanne Hus et Martino Luthero. Ita Prateolus, ex Sigeberto, in *Catal. hæret.*

Pro suis Apostolis et discipulis speciatim hic orat Christus.

Verum S. Scriptura docet Christum natum et passum esse pro omnibus hominibus, etiam reprobis, aut potius ob sua scelera reprobatis vel reprobandis, ut patet *Luc.* XXIII, 34; II *ad Cor.* V, 14 et 15; *Joan.* I, 9; I *Timoth.* II, 4, ubi dicitur : « Qui (Deus) vult omnes salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, » scilicet per Christum : quia Christus, quantum est ex parte sua, providet omnibus hominibus de mediis necessariis ad salutem : instituit enim Sacramenta pro omnibus, Apostolos misit ad omnes gentes, doctrinam et gratiam suam offert omnibus. Sufficienter ergo ex parte sua egit, ut omnes salvarentur. Peculiariter tamen hic orat pro suis fidelibus, oratione efficaci, ut Deus eos in fide et gratia data custodiat. Ita S. Augustinus, qui et alibi ait : « Non pro mundo rogo, » hoc est, inquit, pro his qui in finem vitæ permansuri sunt *mundus*, id est infideles et impii.

*Secundo*, et melius ac præcisius, Christus hic orat tantum pro suis Apostolis et discipulis (quia eis hac oratione benedicens valedicit), ut conserventur a Deo Patre in fide, gratia et concordia, in qua jam erant. Id patet ex vers. 11 et 20, ubi, post orationem factam pro Apostolis, orat pro cæteris fidelibus per eorum prædicationem credituris. Ergo pro eis hic non oravit. Porro, « pro mundo, » id est mundi amatoribus et incredulis : quia et crucifixoribus suis oravit Christus alibi, præsertim in cruce, ut sese converterent, pœnitentiam agerent, itaque veniam, gratiam et salutem consequerentur, dicens : « Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt, » *Luc.* cap. XXIII, vers. 34; cujus orationis vi, multi ex eis paulo post, prædicante S. Petro, conversi sunt, ut patet *Act.* II. Hic tamen pro eis non oravit (nec enim omnia omnibus, neque semper et ubique postulanda sunt); sed tantum pro Apostolis, quia eis hic valedicit, et orando benedicit, ut dixi : Apostoli enim erant futuri propagatores Evangelii et principes Ecclesiæ (1).

10. ET MEA OMNIA TUA SUNT, ET TUA MEA SUNT : ET CLARIFICATUS SUM IN EIS. — Probat quod dixit : « quia tui sunt, » et a te mihi dati; nam « mea omnia tua sunt, et tua mea sunt, » q. d. Abiturus tibi, o Pater, commendo meos discipulos, quasi filios, quia tui sunt, a te electi in vitam æternam, et meæ fidei commissi et dati a te; tui, inquam, sunt adhuc, licet mihi dati sint, quia omnia mea tua sunt; et licet dixerim a te mihi datos esse, semper quoque mei fuerunt, quia omnia quæ tu habes, mea sunt propter essentiæ unitatem. Ita Cyrillus et Chrysostomus.

ET CLARIFICATUS SUM IN EIS. — Quia ipsi in me credunt, me amant, colunt, adorant, deprædicant, quasi Messiam et Dei Filium. Ita Cyrillus et Chrysostomus. Moraliter, disce hic Deum et Christum glorificari in nobis cum bene agimus, ac præsertim cum ejus fidem prædicamus, et infideles vel impios ad eum convertimus.

Aliter S. Augustinus, *tract.* 107, qui præteritum accipit pro futuro ob ejus certitudinem, q. d. Oro pro Apostolis, quia per ipsos glorificandus sum in orbe, cum ipsi a morte mea meam divinitatem ubique Gentium prædicabunt.

(1) Videtur idem per idem dicere; sed sensus est : *omnia quæ eos docui.* Pro eo autem quod diceret *quæ docui*, modeste ad honorem Patris ait, *quæ mihi dedisti docenda.*

(1) « Deprecatus est quidem Christus etiam pro malis hominibus, *Luc.* XXIII, 34, etc., et infra, vers. 21, optat ut ipse etiam mundus ad veritatis cognitionem adducatur. Sed rei natura non patiebatur ut eodem sensu precaretur pro malis, quo pro suis precabatur. Verum quo sensu nunc pro suis tantum preces faciat, intelligitur e verbis quæ statim h. l. addita sunt, *quia tui sunt*, tibi dediti. Oravit pro mundo, τῷ resipisceret et veniam acciperet peccatorum. Sed quæ nunc orat de protectione paterna, de Spiritu, de concordia, non nisi ad credentes pertinent, quippe qui, quanti Patrem facerent, reipsa jam ostenderunt. » Hæc apposite Rosenmullerus.



11. ET JAM NON SUM IN MUNDO (id est mox non ero in vita et terra hac, quia post paucas horas occidar), ET HI IN MUNDO SUNT, ET (id est *quia*) EGO AD TE VENIO. — q. d. Ego ab illis abeo et ad te redeo : ipsi autem manent in mundo, ut meum tuumque Evangelium toto orbe prædicent; ideoque diaboli, æque ac Judæorum et Gentium odiis, persecutionibus et mille periculis exponentur : tu ergo, o Pater, eos custodi : nec enim est alius me absente, qui eos tueatur.

PATER SANCTE, SERVA EOS IN NOMINE TUO, QUOS DEDISTI MIHI : UT SINT UNUM, SICUT ET NOS. — Patri dat epithetum sancti, quia agit de sanctitate, petitque ut Pater sanctus Apostolos in sanctitate conservet et promoveat. Sic vers. 25 ait : « Pater juste, mundus te non cognovit, » q. d. Justus es, qui injusto et superbo mundo mysteria meæ humilitatis et redemptionis abscondis. Sic Deus Paulum in tribulatione consolans, ab eo vocatur « Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, » II *Cor.* I. Idem vero Davidem in prælio roborans et victorem faciens, sic ab eodem compellatur : « Diligam te, fortitudo mea : Dominus firmamentum meum et refugium meum. »

SERVA EOS IN NOMINE TUO, — id est tua virtute, tuo auxilio, tua omnipotentia, ut semper in me, meoque ac tuo amore et cultu persistant. Hinc patet Apostolos post adventum Spiritus Sancti non amisisse Dei gratiam, nec peccasse mortaliter, quia hoc hic orat Christus, cujus oratio, utpote ardens et efficax, a Patre fuit exaudita. Ita Ribera (1).

UT SINT UNUM SICUT ET NOS, — scilicet consensu, voluntate et spiritu, sicut nos unum sumus natura et eadem essentia divinitatis, ut scilicet uno charitatis spiritu conjuncti, semper me sequantur, nec inter se discordia dividantur; sed habeant unitatem spiritus per concordiam, quam nos habemus per eamdem essentiam. Ita S. Augustinus et S. Ambrosius, lib. IV *De Fide*, cap. II. Unde notat S. Cyrillus hic et S. Athanasius, serm. 4 *Contra Arian.*, τὸ *sicut* similitudinem quamdam et imitationem significare, non identitatem, q. d. Ut imitentur nostram unitatem per consensum animorum, quam nos habemus per eamdem numero essentiam et voluntatem.

Nota : S. Cyrillus et S. Hilarius, lib. VIII *De Trinit.*, τὸ « ut sint unum, » referunt ad S. Synaxim, puta ad Eucharistiam, quasi optet Christus, ut Apostoli per sumptionem corporis sui in Eucharistia fiant unum et secum et inter se, idque vere, corporaliter et substantialiter, sicut ipse vere cum Patre unum est substantialiter. Sicut enim Pater unitur Filio in eadem essentia divinitatis; sic Apostoli et fideles omnes uniuntur sibi invicem in eadem substantia humanitatis et divinitatis Christi, quam sumunt in Eucharistia.

12. CUM ESSEM CUM EIS, SERVABAM EOS IN NOMINE TUO, — id est tua auctoritate, tua potestate, tua virtute, tuis auspiciis, quasi tuus ad eos legatus. Ita Cyrillus. Ipsi enim cognoscentes me a te missum, libenter et fortiter mihi adhæserunt, scientes se per me adhærere Deo ab eoque benedici et protegi : quos enim custodit Filius, hos custodit et Pater. Alii, « in nomine tuo, » hoc est, inquiunt, propter nomen tuum, scilicet propter te tuamque immensam bonitatem.

QUOS DEDISTI MIHI, CUSTODIVI : ET NEMO EX EIS PERIIT, NISI FILIUS PERDITIONIS, — puta Judas, ob sua scelera furti et proditionis, perditioni et gehennæ destinatus. Nomen enim *filius*, cum jungitur genitivo pœnæ vel præmii, idem est quod dignus, vel reus et destinatus : sic *filius mortis* vel *gehennæ*, est reus mortis et gehennæ.

Judas filius perditionis.

Hinc patet, Christum pro Juda hic non orasse : illum enim excipit, quasi jam sua culpa perditum et alienatum, tam a se et sua familia, quam ab Apostolorum cœtu et consortio. Jam enim ab ea recesserat, ut Christum Judæis proderet, q. d. Judas non erat ex eis qui erant tui, et a te electi mihique a te dati; sed ipse sua avaritia se perdidit, dum me prodidit, ideoque a me in numerum reproborum transiit.

UT SCRIPTURA IMPLEATUR. — Τὸ *ut* non finem intentum, sed effectum et consecutionem significat, q. d. Atque ita factum est ut impleretur Scriptura, quæ mentiri nequit, dum, *Psal.* CVIII Judæ perditionem describit, dicens inter alia : « Dum judicatur, exeat condemnatus, et episcopatum (Apostolatum) ejus accipiat alter, » scilicet Matthias. Hunc enim Psalmum ad litteram de Juda explicat S. Petrus, *Act.* I, 20.

13. NUNC AUTEM AD TE VENIO (id est mox per mortem et resurrectionem ad te redibo et ascendam) : ET HÆC LOQUOR IN MUNDO, UT HABEANT GAUDIUM MEUM IMPLETUM IN SEMETIPSIS. — Syrus et Arabicus, *ut sit gaudium meum plenum in eis.* « Gaudium meum, » quod scilicet ego habeo, vel quod ego eis communicavi et dedi, q. d. Hæc dico de mea resurrectione et ascensu in cœlum reditque ad Patrem, ut Apostoli mei de tantis bonis mecum plane gaudeant sperentque se mox a me in cœlum ad eamdem gloriam meam fore recipiendos. Vide dicta cap. XV, vers. 11.

(1) Pro *quos dedisti mihi*, οὓς δέδωκάς μοι, in plurimis optimæ notæ codicibus extat ᾧ δέδωκάς μοι, quam lectionem utpote difficiliorem, plurimumque codd. auctoritate munitam, Griesbachius, Matthæius et Hahnius in ordinem receperunt; monentque, relativum ᾧ referendum esse ad vocem ὄνομα, *nomen*, ita ut ᾧ positum sit pro ὅ *per attractionem*, ex notissima apud Græcos loquendi ratione, qua sequens *relativum* casum *subjecti* præcedentis imitetur, licet *verbum* quod sequitur alium casum poscat. Sensus autem totius h. l. hic esset : *conserva eos in professione nominis tui*, in ea de te cognitione, *quam a te acceptam discipulis meis tradidi.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Aliter S. Augustinus : Quod sit hoc gaudium, inquit, supra expressit dicens : « Ut sint unum, sicut et nos unum sumus ; » hæc est pax et beatitudo futuri sæculi (1).

15. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. 16. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. — « Ut eos serves a malo : » primo, culpæ, quæ sola verum est malum ; secundo, pœnæ, q. d. Ut eos serves in quavis tribulatione et adversitate, ita ut vel ab ea illos protegas, vel in illa robores, ut illam gloriose tolerent et superent ; tertio, « a malo, » id est a diabolo ejusque insidiis et tentationibus : græce enim est articulus, ἐκ τοῦ πονηροῦ.

De mundo non sunt. — Hoc repetit : paulo ante enim hoc dixit, ut daret causam cur mundus eos odisset, quia scilicet illi moribus, affectibus et vita erant dissimiles, imo contrarii ; hic vero id repetit, ut ostendat cur Pater eos cordi et curæ habere servareque debeat, quia scilicet ipsi mundo relicto, Dei Christique cultui et curæ se totos tradiderunt. Unde subdit :

17. Sanctifica eos in veritate — Tὸ « sanctifica » non actum inchoatum (quia jam Apostoli erant sancti sumpseruntque paulo ante S. Synaxim), sed proficientem et perfectum significat, juxta illud Apoc. xxi : « Qui sanctus est, sanctificetur adhuc, » q. d. Confirma, promove et perfice eos in sanctitate, sive per Spiritum Sanctum in Pentecoste veritatem Evangelicam perfectam eis infunde, ut tam interna quam externa sapientia et sanctitate repleantur ; itaque tam vita quam verbo veri sint orbis doctores, sacerdotes et Ecclesiarum principes, qui suam sanctitatem, quasi ignem divinum omnibus afflent et aspirent. Unde sequitur) Sermo tuus veritas est. — Id est doctrina tua per me eis tradita veritas est, q. d. Non Moses, non Philosophi, sed sermo tuus hanc veritatem Evangelicam docet. Mosis ergo et Judæorum sanctitas fuit cæremonialis et umbratica ; philosophorum vel ficta, vel moralis et naturalis ; Christi vero supernaturalis, cœlestis et divina. Alii, « sanctifica eos in veritate, » hoc est, inquiunt, sanctifica eos vere, id est integre et perfecte, quam Apostolus vocat « sanctitatem veritatis, » id est veram, sinceram, integram, Ephes. iv, 24. Integra enim magnaque sanctitas requiritur in Apostolo ad prædicandum assidue, ad resistendum tyrannis, ad laborandum nocte et die, ad mortem et martyrium subeundum. Vide II Cor., cap. xi.

Secundo, sic exponi potest : « sanctifica eos in veritate, » id est sanctifica eos in me qui sum « via, veritas et vita, » cap. xiv, vers. 16, q. d. Fac eos meæ bonitatis et sanctitatis participes. Ita S. Augustinus, tract. 108 ; Cyrillus, Rupertus, S. Thomas.

Posset tertio, cum Maldonato, tὸ « sanctifica eos in veritate, » exponi, q. d. Eos uti sanctos ministros et præcones Evangelii segrega, designa et consecra ; sed « in veritate, » non in umbris, uti olim Aaron cum suis filiis, Levit. ix, umbratice et typice sanctificatus est, id est consecratus sacerdos et pontifex. Unde Chrysostomus, « sanctifica eos in veritate, » hoc est, inquit, segrega eos sermoni et prædicationi. Sic Jeremias, cap. i, vers. 5, dicitur in utero sanctificatus, id est designatus et quasi consecratus propheta.

Posset quarto, tὸ « sanctifica eos in veritate, » sic accipi, q. d. Fac eos sanctas victimas, ut per martyrium tibi sanctificentur et immolentur. Decet enim Apostolos fieri martyres, ut sanctitatem doctrinæ suæ sanctitate martyrii sui confirment et obsignent. Unde et de facto omnes Apostoli fuere martyres, instar Christi, qui vers. 19, ait : « Pro eis ego sanctifico, » id est offero et immolo meipsum. Sic enim in Levitico passim victimæ dicuntur sanctificari, cum Deo immolantur, de quo rursus vers. 19 (1).

Triplex Christi sanctitas declarata.

Nota : Christus ut homo triplicem habuit sanctitatem, quam Apostolis et fidelibus communicavit. Prima fuit infusa, scilicet gratia, charitas cæteræque virtutes, animæ Christi a Deo in primo conceptionis ejus instanti inditæ, uti nobis Deus easdem per Christi merita infundit. Secunda fuit sanctitas divina ; qua nimirum deitas ipsa sanctissima est, et fons omnis sanctitatis hominum et angelorum : hanc enim habuit Christus ut homo per communicationem idiomatum ; per hanc enim attributa Deitatis, inter quæ unum est sanctitas, vere attribuuntur Christo homini, utpote qui in eadem persona Verbi cum Deitate subsistit. Tertia, sanctitas Christi hominis, præcise facta est per ipsam ejus unionem hypostaticam cum Verbo ; per hanc enim præcise humanitas Christi sanctificata fuit effectaque sanctissima : nam, etiamsi Christus ut homo nullam habuisset gratiam infusam, ipsa tamen ejus unio hypostatica cum Verbo summa erat ejus sanctificatio et sanctitas. Hinc humanitas Christi, quia Verbo unita, peccare non poterat eratque plane impeccabilis, Deo gratissima et acceptissima, imo Christus ut homo erat Dei Filius, non adoptivus ut nos, sed proprius et naturalis.

Sermo tuus veritas est. — q. d. Evangelium quod a te acceptum prædico, non est umbra, uti fuit lex vetus, sed in spiritu et veritate consistit, uti dixit cap. iv, 24. Vide dicta cap. xv, 3, ad illa : « Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. » Nam, ut dictum est cap. i, 17 : « Lex per Mosen data est ; gratia et veritas per Jesum Christum facta est. »

Moraliter : disce hic quam sanctus esse debeat Christianus, præsertim Religiosus et Apostolicus, qui alios sanctificare cupit ; nimirum, ut sit similis Apostolis, imo Christo, eorumque mores et actus sanctissimos imitari satagat. Vide Nyssenum, tract. Quid nomen Christiani exigat : « Christianismus, inquit, est imitatio divinæ naturæ ; » Christianus enim sanctitatem Dei et Christi imitari debet quam maxime potest, ut Christus in ejus sermone, habitu et operatione jugiter resplendeat, ut qui eum videt vel audit, Christum se videre et audire existimet. Hoc est quod Deus sancit Levit. xx, 26 : « Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos de cæteris populis, ut essetis mei. » Sanctitas ergo est aversio a mundo, et conversio unioque cum Deo et Christo. Quocirca Apostoli magis sua sanctitate et charitate ardente, quam prædicatione converterunt orbem ; imo ideo ore tonabant, quia vita fulgurabant, juxta id quod de S. Basilio ait Nazianzenus : « Oratio ejus erat tonitru, quia vita erat fulgur. » Hac de causa Christus Apostolis hic non sapientiam, ut Salomon, sed sanctitatem a Deo efflagitat. Vide ideam S. Pauli, sive viri Apostolici, quam præfixi Actibus Apostolorum. Vere S. Gregorius, lib. VI in lib. I Reg., cap. iii : « Sanctificatio corporis, inquit, pudicitia est ; sanctificatio mentis charitas et humilitas. »

18. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. — Est nova ratio cur Christus Apostolos Patri commendet, ut eos servare et sanctificare debeat, q. d. Sicut tu me misisti in mundum, ut eum peccatis perditum reparem et sanctificem ; sic et ego Apostolos mitto per omnes gentes, ut illas sanctificent. Quare indigent magna sanctitate, tum ne illarum illecebris capiantur, vel persecutionibus prosternantur, tum ut illas vitiis plane depravatas sanctificent. Quare par est, o Pater, ut eos in dies magis et magis sanctifices, uti ipsi alios plurimos sanctificare valeant.

Vers. 19. Sanctifico quid? Resp. Primo.

19. Et pro eis ego sanctifico meipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate. — Primo, S. Augustinus, tὸ « sanctifico » proprie accipit, q. d. Ego, qua Filius Dei sanctifico hominem a me assumptum, ut per eum sanctificem Apostolos. Audi S. Augustinum : « Quando Verbum caro factum est, tunc sanctificavit se in se, id est hominem se in Verbo se, quia unus Christus Verbum et homo ; propter sua vero membra dicit : Et pro eis ego sanctifico meipsum, hoc est ipsos in me, quoniam in me etiam ipsi sunt et ego. Ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Quid est, Et ipsi, nisi quemadmodum ego, et in veritate, quod sum ego ? »

Secundo et genuine, « sanctifico » id est in sanctam hostiam me tibi offero et immolo, hoc est post paucas horas offeram et immolabo in cruce, ut per illam ipsi « sint sanctificati in veritate, » id est ut ipsi per sermonem tuum, qui veritas est et non umbra, sanctificentur, et vere tui sint tibique se dedicent ad labores apostolicos, ut ad te omnes gentes convertant, ideoque pro te omnes persecutiones, ærumnas et afflictiones invicto animo sustineant ipsamque mortem et martyrium subeant, tanquam se tibi, æque ac ego, sanctificantes, id est offerentes et immolantes. Ita S. Chrysostomus, hom. 81, et fuse Cyrillus, Rupertus, et S. Thomas, Jansenius, Maldonatus, Toletus, Ribera et alii (1).

20. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. — Hucusque oravit Christus pro Apostolis, sub quibus cæteros a se immediate conversos, ut 72 discipulos intelligit : nunc orat pro cæteris fidelibus, qui per eorum prædicationem successive quovis sæculo, usque ad finem mundi in eum credituri sunt. Orat ergo pro tota Ecclesia et pro omnibus christianis quavis ætate futuris. Horum enim ipse est Pater et Patriarcha, Rex et Princeps, Pontifex et Hierarcha. Hos omnes et singulos ergo Christus ut homo (nam ut homo hic pro eis orat) distincte et perfecte, perinde ac si extitissent et præsentes fuissent, videbat in essentia divina, ait Toletus ; aut potius per scientiam infusam : hæc enim Christi hominis erat, quatenus ipse erat viator ; cum visio essentiæ divinæ foret ipsius, non qua viator, sed qua beatus erat : ita Suarez. Videbat ergo in ea me et te, et quemlibet alium fidelem post mille annos nasciturum, ac pro omnibus et singulis Deum rogabat atque gratiam cuique propriam impetrabat : quare hujus Christi orationis vi, singuli fideles nascituri suo tempore fidem, gratiam, salutem omniaque sua bona et Dei dona consequuntur, sed quisque sua et sibi propria, quæ Christus pro eo petiit et postulavit. Igitur tunc Christus oravit pro S. Stephano, S. Laurentio, S. Vincentio cæterisque Martyribus, ut martyrii lauream adipiscerentur ; pro S. Athanasio, S. Augustino, S. Hieronymo, etc. ; ut Doctores Ecclesiæ fierent ; pro S. Agnete, Cæcilia, Catharina, etc., ut virginitatem suam quasi hostiam Deo immolarent et sanguine suo purpurarent. Idem dicas de cæteris Christianis. Tunc ergo æque ac in cruce Christus orans pro omnibus et singulis, omnes et singulos parturiit, quasi suos Benoni, imo Benjaminos. Hoc cogitet et expendat quilibet fidelis, ac Christo parenti suo pro tanta parturitione sui immensas agat gratias, atque uti filius patri amorem amori, sangui-

(1) Vel : quamdiu in terra fuit, ego discipulos servavi, vers. 12 ; nunc autem eos jamjam relicturus, hæc de tutela tua et de auxiliis iis dando ad te precatus sum in mundo, id est, etiamnum inter illos versatus, ut gaudio (Apostolorum de Christo ; non, ut alii volunt, Christi de Apostolis, perpetuo scil. illi adhærentibus) meo, id est, ex me percepto (tum ob meum in cœlum ingressum, tum ob auxilia quæ per me impetrabunt) perfruantur.

(1) Clarius et simplicius, Christus hic precatur ut Pater discipulis, operis Magistri continuatoribus, det veritatis divinæ perfectam cognitionem. Utitur verbo ἁγιάζειν, sanctificare, vi majore, ut simul natura, conditio et effectus hujus veritatis accuratius denotentur, tanquam e Deo sancto emanatæ, per quam sanctificati illi prodeant doctores.

(1) Vel : Memetipsum discipulorum causa offero morti, ut illi tum Spiritum veritatis accipere, atque ita sanctificati, divinitus edocti doctores prodire possint.

suum sanguinem, mortem morti rependat et reddat.

21. UT OMNES UNUM SINT, — per unam fidem, spem, charitatem, concordiam. Vide dicta vers. 11. Adverte, Christum hic orare duntaxat pro fidelibus : iis enim valedicit; non pro infidelibus, pro quibus alibi, et præsertim in cruce oravit. Rursum disce hic, quam Christiani debeant inter se esse uniti et concordes, ac quam longe discordes, et qui lites seminant, a spiritu Christi absint.

SICUT TU, PATER, IN ME, ET EGO IN TE, UT ET IPSI IN NOBIS UNUM SINT. — Nam « Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo, » I *Joan.* IV, 16. Per fidem ergo et charitatem unimur *primo*, Deo et Christo, deinde nobis invicem, velut membris unius corporis mystici Christi, quod est Ecclesia. Ti « sicut » non identitatem, ut volebant Ariani, sed similitudinem duntaxat significat. Pater enim et Filius unum sunt per eamdem numero essentiam et Deitatem : nos vero unum sumus per eamdem qualitatem, puta charitatem et concordiam; per hanc tamen ita unimur Deo, ut eum possideamus et vicissim ab eo possideamur. Audi S. Augustinum (vel quisquis est auctor), lib. *De Salutaribus documentis*, cap. IX : « Si aliquid in hoc sæculo possidere delectamur, Deum qui possidet omnia, qui creavit omnia, expedit ut mente possideamus, et in eo habeamus quæcumque feliciter et sancte desideramus; sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo, simus nos ipsi facti Dei possessio, et efficitur nobis possessio Deus. Et quid potest esse in mundo felicius, quam cui efficitur suus imperator et redemptor census, et hæreditas dignatur esse ipsa divinitas? Omnes enim ex illo fructus percipimus, si in illo et de illo semper vivimus. Quid, rogo, homini sufficit, cui ipse conditor non sufficit? Quid ultra quærit, cui omne gaudium et omnia suus redemptor esse debet? »

**Unio amoris divini.** Per amorem ergo ita unimur Deo, ut cum eo fiamus quasi unus spiritus, ut absorbeatur in nobis quidquid est cupiditatis terrenæ, et tota mens transeat per affectum in Deum, itaque quasi deificetur; sicut si gutta aquæ infundatur vino generoso, illico tota in illud transit, et sicut ferrum si igniatur, transit in ignem, manente licet ferri natura : et sicut aer a sole illuminatus, transit in lumen, adeo ut ipse nil nisi lumen solis esse videatur. Unde S. Bernardus, serm. 71 *in Cantic.* : « Quis est, inquit, qui perfecte adhæret Deo, nisi qui in Deo manens tanquam dilectus a Deo, Deum nihilominus in se traxit vicissim diligendo? Ergo cum undique inhærent sibi homo et Deus, inhærent autem undique intima mutuaque dilectione inviscerarit alterutrum sibi, per hoc Deum in homine, et hominem in Deo esse haud dubie dixerim. »

Hanc unionem sentiunt sapiuntque, qui cum Magdalena agunt vitam contemplativam. In ea enim amans anima defluit a seipsa, et velut ad nihilum redacta, in abyssum æterni amoris collapsa absorbetur, et sibi omnino mortua, solum vivit Deo, nil sciens, nil sentiens præter ipsum. Perdit namque se in vastissima divinitatis solitudine ac caligine, sed sic se perdere utilius et jucundius est, quam se invenire : ibi enim quidquid humanum est, exuens, et quidquid divinum est, induens, transformatur atque transmutatur in Deum. O vere beata anima, quæ propria omni operatione deposita, in vi memorativa nudatur omnibus imaginibus; in intellectu sentit et fovet præfulgidas illuminationes Solis justitiæ; in vi concupiscibili sentit æstum quemdam quieti amoris, sive contactum Spiritus Sancti, in similitudinem veri fontis affluentem rivis æternæ suavitatis. Nam cum ea ab omnibus libera et semota, simplex existat, et munda ut tersum speculum, eam assidue Dominus sui divini fulgoris radiis illustrare solet. Quia cum Deus ipse est agens, homo est patiens. Nam dum vires animæ silent, et a propria actione quiescunt, atque ab omni denique externa imagine liberæ sunt, Deus ipse loquitur, easque mentis vires pro libito disponit et afficit, nobilissimum opus in ea peragens. Igitur, o anima generosissima, o nobilissima, te puram et liberam custodi, noli ad varietatem sensuum foras excurrere, sed cohibitis sensibus intus habita, ad Deum ardenter convertere, millies per diem in abyssum divinitatis immersa, ibi ultro citroque natare curato. Anhela ad illam supernaturalem spiritus cum Deo unionem, revola in Deum a quo ducis originem, qui lux est increata, et lux simul æternitatis. Quocirca merito exclamat S. Bernardus, tract. *De Amore divino*, cap. IV : « O felicem, imo felicissimam animam, quæ Deo sic a Deo meretur affici, ut per unitatem spiritus in Deo solum amet Deum, non suum aliquod privatum, nec nisi in Deo amet semetipsam, et Deus in ipsa amet vel approbet, quod amare vel approbare debet Deus, id est seipsum, imo quod solum debet amari et a creatore Deo et a creatura Dei. Amoris enim vel nomen vel affectus, nulli competit vel debetur nisi tibi soli, o vere amor amande Domine. » Unde subjungens ita cum S. Joanne concludit : « Et hæc est in nobis voluntas Filii tui, hæc pro nobis oratio ejus ad te Deum Patrem suum : Volo ut sicut ego et tu unum sumus, ita et in nobis ipsi unum sint. Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc est gaudium in Spiritu Sancto, hoc est silentium in cœlo. »

UT CREDAT MUNDUS, QUIA TU ME MISISTI. — « Ut credat, » non tantum per unitatem et conformitatem doctrinæ, ut vult Euthymius, sed potius per unitatem et unionem cum Deo et Christo, *q. d.* Vel ex hoc solo mundus credet Christum Dei Filium, quod videat Christianos tam Deo et Christo, quam sibi invicem amore esse conjunctos et unitos : videbit enim talem unionem non posse fieri nisi a Christo et Deo : quare per hoc allicietur, ut et ipse incredulus incredulitatem deponat, et credat in me. « Mundus » ergo hic in bonam partem accipitur, æque ac *Joan.* III : « Non enim venit Filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. » Et II *Corinth.* V : « Quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. » Minus recte igitur Jansenius per mundum hic accipit reprobos, *q. d.* Ut credat mundus, videlicet coactus evidentia miraculorum et sanctitatis discipulorum, et mundani, inviti licet, confiteantur me esse Deum, quemadmodum ait Jacobus, cap. II : « Dæmones credunt et contremiscunt. »

22. ET EGO CLARITATEM, QUAM DEDISTI MIHI, DEDI EIS : UT SINT UNUM, SICUT ET NOS UNUM SUMUS. — Pater enim et Filius sunt unus Deus, non duo Dei. Per « claritatem, » *primo*, accipe gloriam filiationis divinæ : hanc enim habet Christus ut Deus per naturam, ut homo per unionem hypostaticam; et hanc dat et communicat fidelibus sanctis, ut scilicet eam habeant non per naturam, sed per adoptionem, sintque filii Dei, non naturales, ut est Christus, sed adoptivi. Ita Jansenius et ante eum S. Ambrosius, lib. V *De Fide*, cap. IV.

*Secundo*, Maldonatus per « claritatem » accipit dilectionem, qua clarificaverat eum Pater, ostendendo in baptismo et alias ipsum esse Filium suum dilectum.

*Tertio*, per « claritatem » Leontius et Ribera accipiunt Eucharistiam; in hac enim Deitas et humanitas Christi nobis datur : hæc enim summa est claritas et gloria; « quoniam unus panis et unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane et de uno calice participamus, » I *Corinth.* X. Ita quoque Cyrillus, lib. XI, cap. XXVI, et Hilarius, lib. VIII *De Trinit.*, exponunt hanc claritatem ipsam divinitatem Verbi carni unitam, quam ut homo accipit Christus a Patre, quando Verbum caro factum est; hanc dedit nobis Deus et Christus, quando suam carnem cibum nostrum effecit, et nobiscum per Sacramentum mirabile realiter, unitus est.

Huc accedit Toletus, qui sic exponit, *q. d.* Ego jam eos effeci unum per meam claritatem quam a te accepi; da tu, o Pater, Spiritum Sanctum, ut per eum quoque unum fiant. Claritas hæc est divinitas ipsius Filii, quam ut homo dicit se accepisse a Patre per unionem hypostaticam : hanc divinitatem unitam carni suæ dedit nobis Christus in Sacramento, quod tunc, quando hæc loquebatur, jam instituerat (1).

Symbolice S. Chrysostomus et Euthymius per « claritatem » accipiunt tum potestatem miraculorum, quam Christus discipulis dedit, tum unitatem concordiæ, de qua dictum est : « Ut sint unum : » hæc enim duo erant efficax confirmandæ fidei veritatis argumentum, nempe miracula et tam mira in eis concordia.

Anagogice S. Augustinus, *tract.* 110 : Claritas hæc, inquit, est gloria corporis, *q. d.* Immortalitatem et gloriam, quam dabo carni et humanitati meæ post tres dies in resurrectione, « ego dedi, » id est dabo fidelibus certissime in communi omnium resurrectione.

23. EGO IN EIS, ET TU IN ME : UT SINT CONSUMMATI IN UNUM; ET COGNOSCAT MUNDUS QUIA TU ME MISISTI, ET DILEXISTI EOS, SICUT ET ME DILEXISTI. — « Ut sint consummati in unum, » ut scilicet sit consummata et perfecta eorum unio, velut multorum membrorum in uno corpore et capite. Sicut enim multa membra unum corpus efficiunt, sic multi fideles unum Christi corpus mysticum, quod est Ecclesia, coagmentant. Rursum, omnia membra uniuntur et consummantur in uno capite : sic omnes Christiani in uno Christo et Deo. Audi Toletum hæc de Eucharistia apposite exponentem : Modum quo unio hæc claritatis et divinitatis fiat, exponit : Ego, inquit, in eis sum per carnem meam in cibum verum et realem eis datam; tu autem in me es, quia divinitas tua est carni meæ unita : si igitur divinitas est in carne, et caro est in credentibus, fit ut in credentibus etiam divinitas sit per eamdem carnem Christi. Habent ergo credentes in se et carnem Christi, et per eam divinitatem in se, fiuntque unum, et quamdam habent unitatem per Christum ratione carnis suæ, et sic consummantur in unum, id est fiunt unum perfecte, dum non solum uniuntur inter se et cum Deo, quantum ad animas, quod fit per Spiritum Sanctum, sed etiam quantum ad corpora ipsa.

Hinc S. Dionysius, *De Divin. nomin.*, cap. IV, docet amorem divinum ire in orbem, esseque circulum; quia scilicet a Patre in Filium tendit, inde in Spiritum Sanctum, ab eoque in Patrem et Filium redit; Spiritus Sanctus enim est rationalis amor Patris et Filii. Rursum amor Dei est circulus, quia ex Deo in creaturas, præsertim homines et angelos, se exerit eosque ad Deum redamandum fruendumque convertit; Deus enim sicut est causa efficiens amoris, sic ejusdem est finis. Amor enim amantem transfert in amatum; anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat. « Itaque Paulus, ait S. Dionysius, ille magnus jam divino amore captus præditusque ejus vi, quæ hominem e statu suo dimovet, divino ore : Vivo autem, inquit, jam non ego; vivit vero in me Christus : ut verus amator, et a mentis, quemadmodum ipse ait, statu dimotus, Deo degit, non suam vitam, sed amantis, tanquam valde diligendam. » Et nonnullis interjectis amorem ita definit, « quod sit vis motum afferens, et ad se deducens atque evehens, etc., qui ante in bono est, **Amor Dei it in orbem : Cur?**

(1) Per *claritatem* hic mallem accipere æternam Christi in cœlo beatitudinem et glorificationem, cujus suos ipse sectatores participes reddet. Imo hæc felicitas, quam suis amantibus Christus tribuit, jam hisce in terris incipit. Quare præteritum δέδωκα (quod etiam e *prolepsi*, hac in precatione frequenti, explicare potest) nullam movet difficultatem.

et ex bono ad ea quæ sunt manat, rursusque ad bonum revertitur. In quo et fine et principio se carere divinus amor eximie declarat, quasi circulus quidam perpetuus, qui bona causa, ex bono, in bono et in bonum conversione ab omni errore libera se volvit, atque in eodem loco eademque ex parte et progreditur semper, et manet, et restituitur. »

Probat deinde idipsum auctoritate S. Hierothei magistri sui, qui ait : « Amorem sive divinum, sive angelicum, sive spiritalem, sive, ut ita dicam, animalem, sive naturalem, vim quamdam conjungentem miscentemque intelligamus, quæ superiora quidem impellit, ut inferioribus prospiciant et consulant; paria autem, ut inter se societate jungantur; inferiora vero, ut se convertant ad superiora. » Hinc et Ægyptii Deum pingebant quasi circulum, sed alio respectu, scilicet ut eum esse æternum, ac principio et fine carere, itemque esse immensum significarent. Unde illud : « Deus est circulus, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam. » Persæ quoque Jovem cœli circulum nuncupabant. Saraceni etiam Deum vocant circulum, ut illo ipsius æternitatem repræsentent, teste Pierio Hieroglio, lib. XXXIX, cap. VII.

*Deum quasi circulum pingebant Ægyptii.*

Sed ut ad prius S. Dionysii, quod huic loco proprium est, revertar, idem S. Dionysius, eodem capite longius post initium, de sole, qui expressa est Dei imago, sic ait : Itaque ἥλιος, id est sol, dicitur quod omnia ἀολλὴ ποιεῖ, id est congreget colligatque dispersa. Additque pulchrum et bonum, quod est objectum et causa amoris, Græce dici κάλλος, quod ad se καλεῖ, id est vocet, omnia, ac tota in totis in se colligat, hoc est quod hic ait Christus : « Ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum. » Nam, ut ait Apostolus, *Ephes.* IV : « Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ : unus Deus, una fides, unum baptisma : unus Deus et pater omnium. » Vide ibi dicta. Ibi enim Paulus multis commendat hanc fidelium unionem et unitatem.

Tropologice : animæ sanctæ student perfectæ unioni cum Deo et Christo, ut cæterorum quasi obliti, eum semper habeant præ oculis, illi per omnia placere et cum illo jugiter mente conversari satagant; quare a rebus exterioribus, quoad licet, se abstrahunt et interius cum Christo agunt et colloquuntur. Cujus internæ unionis tria dat signa R. D. Bartholomæus de Martyribus, Archiepiscopus Bracarensis, in aureo suo *Compendio spiritualis doctrinæ*, cap. XV, ante finem, quod post ejus mortem edidit Ludovicus Granatensis, ejusque lectione valde se in spiritu profecisse profitetur, uti et ego de meipso profiteor. *Primum* signum est, si intellectus jam ex se non emittat cogitationes alias nisi quas fidei lumen excitet; et voluntas longo usu exercitata non producat actus amandi nisi erga Deum, vel relative ad Deum. *Secundum*, si cum primum reliquerit occupationem externam, cui insistebat, mox intellectus et voluntas in Deum facillime convertantur : sicut lapis, remoto obstaculo, in centrum suæ quietis descendere properat. *Tertium*, si finita oratione, ita exteriorum omnium obliviscitur, ac si illa nunquam vidisset aut tractasset, et ita se erga externa gerit, quasi denuo mundum ingrediatur, et denuo metuit confligere cum negotiis exterioribus, ea naturaliter abhorrens, nisi charitas compelleret : talis anima a rebus omnibus externis libera, facile ad se intrat, ubi solum Deum videt et se in Deo, et frequenter fervidis actibus amandi unitivis insistit. Hæc autem fervens dilectio sex gignit effectus, ut inquiunt Sancti. *Primus* dicitur illuminatio, id est quædam sapida ac experimentalis Dei, ac propriæ nihilitatis cogitatio et cognitio; *secundus*, inflammatio; *tertius*, suavitas, seu delectatio; *quartus*, ardentissimum desiderium possidendi bona divina; *quintus*, satietas : sic enim satiatur anima illo Dei adventu, ut nil aliud velit aut cupiat; *sextus*, raptus, seu mira elevatio animæ in Deum, in qua explicari nequit quid tunc anima de Deo sentiat. Hos effectus prædictos sequuntur alii duo, scilicet securitas, qua nil anima timet pati propter Deum, et qua certissime confidit se nunquam ab eo separandam, et plena quies, cum nil sit quod pavorem inferre valeat, et hoc dicitur « pax exsuperans omnem sensum. » Hic est Domini paradisus, ad quem ascendere possumus in terra existentes, licet inter homines corpore versemur. Deinde tria media ad hanc cum Deo et Christo unionem consequendam ex S. Thoma assignat, nimirum animi strenuitatem, severitatem et benignitatem. Est autem strenuitas quædam animi fortitudo, quæ omnem expellit negligentiam, qua homo disponitur ad bona opera omnia confidenter, vigilanter atque eleganter perficienda. Severitas est animi fortitudo adversus concupiscentias, illas restringens, et una secum afferens ardentem asperitatis, utilitatis et paupertatis amorem. Benignitas est dulcedo animi expellens omnem rancorem, iracundiam, invidiam, austeritatem, amaritudinem, obdurationem erga proximum. Prius enim oportet animam purgari a fæcibus terrenarum affectionum, quam possit simpliciter ac pure in Deum tendere. Sicut enim peculiare ac proprium est igni, seclusis impedimentis sursum ascendere et proprium locum petere; ita animæ pravarum affectionum pondere solutæ, in Deum, qui locus est ipsis proprius, elevari solent.

*Tria signa unionis cum Deo. — Primum. — Secundum. — Tertium. — Sex unionis effectus. — Primus. — Secundus. — Tertius. — Quartus. — Quintus. — Sextus. — Tria ad eam media.*

Et cognoscat mundus (fideles in mundo) quia tu me misisti. — Unde cognoscet? Respondet *primo*, S. Augustinus, *tract.* 110, fideles id cognituros in cœlo per visionem beatificam. Verum hic ad litteram agitur de cognitione hujus vitæ per fidem.

*Secundo*, alii respondent id cognituros ex claritate quam, vers. 22, Christus ait se accepisse a Patre et dedisse fidelibus. Unde S. Ambrosius, loco ibidem citato, per « claritatem » intelligens filiationem Dei, sic exponit : Cognoscent fideles quod te me Filium tuum in carne misisti ex filiatione quam eis communicavi, adoptans eos in filios Dei; inde quoque cognoscent te dilexisse eos, sicut dilexisti me, sed me ut filium naturalem, illos vero ut adoptivos.

*Tertio*, Cyrillus, lib. XI, cap. XXVII, et Hilarius, lib. VIII *De Trinit.*, et ex eis Toletus, per « claritatem » accipientes Eucharistiam, sic explicant, *q. d.* Ex Eucharistia cognoscent fideles hæc duo, scilicet me esse Filium tuum a te missum, quia aliter uniri non poterant nobiscum, nisi divinitatem haberem in ea carne quam dedi eis in Eucharistia; secundo, dilexisse eos sicut dilexisti me, quia divinitatem quam meæ carni indidisti, dedisti eis, dando eis carnem meam in Eucharistia.

*Quarto*, simplicius Ribera : Cognoscit id mundus ex sanctitate et mutua charitate Apostolorum, qua fiet « ut sint consummati in unum, » uti præcessit; nam, ut recte ait Chrysostomus, *homil.* 81, potentiorem ad persuadendum Dominus concordiam judicat quam miracula; « et dilexisti eos, » adoptans eos in filios faciensque Apostolos, « sicut dilexisti me, » dum me Filium genuisti et legatum in mundum misisti. Erigit Christus animos Apostolorum ad omnia ardua pro Christo subeunda, utpote cum videant se charissimos Deo et similes Christo.

24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum : ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi : quia dilexisti me ante constitutionem mundi. — Christus ostendit Apostolis, ait Chrysostomus, quæ præmia illos maneant post mortem, ut magis amorem Christi erga se cognoscant et fortiores reddantur; simulque, ut ait Cyrillus, docere vult non alios gloriam suam visuros esse, quam pro quibus oravit, et qui per ipsum Patri adjunguntur, et ideo dicit : « Quos dedisti mihi. »

Ait ergo : « Volo, » id est, summe cupio et desidero, o Pater, ut fideles quos elegisti et dedisti mihi, mecum sint in cœlo ibique videant claritatem, id est gloriam, non tantum humanitatis meæ ad dexteram Patris elevatæ, uti explicant S. Augustinus et Cyrillus, sed etiam divinitatis meæ; in hujus enim visione consistit essentialis beatitudo nostra; sed tum τὸ *quia*, cum subdit : « Quia dilexisti me, » non significat causam, sed signum dilectionis, *q. d.* Ex eo quod me ab æterno dilexeris infinito amore, quasi ex signo manifesto colligitur, quod mihi gignendo dederis meam claritatem et divinitatem; hanc enim dedit Pater Filio, dum eum genuit; genuit, inquam, non ex amore libero, sed ex naturali divinitatis suæ fœcunditate. Prius ergo Pater genuit Filium, deinde eum jam a se genitum dilexit, quia eum per omnia sibi similem genuerat. Ita Jansenius.



Ante constitutionem (id est ut Arabicus, productionem) mundi. — Syrus, *ante jacta mundi fundamenta* : hoc enim significat Græcum πρὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου; nam καταβάλλειν est jacere fundamenta domus vel fabricæ. Ita S. Hieronymus, in cap. VI *ad Ephes.* Significat hæc phrasis mundum nulla sui parte esse æternum, sed tam quoad materiam, quam quoad formam cæterasque dotes et qualitates, a Deo in initio temporis esse creatum : tunc enim fuere primordia mundi.

25. Pater juste, mundus te non cognovit : ego autem te cognovi : et hi cognoverunt, quia tu me misisti. — Cur Patri dat epithetum justi? *Primo*, S. Augustinus, *tract.* 111, respondet Patrem justum dici, quia juste mundum et infideles cognitione sui privavit : nam quod aliquibus non revelatur Dei veritas, justitia ipsius est, propter eorum peccata; quod vero aliis manifestetur, misericordia est. Vers. 25.

*Pater cur justus? Resp. Primo.*

*Secundo*, Cyrillus, lib. XI, cap. 29, censet Patrem vocari justum, quia diabolum, qui mundum captivum detinebat, ne ad immortalitatem, ad quam creatus erat, pervenire posset, damnavit et dominio privavit, ut supra dictum est. Sensus igitur est : « O Pater juste, mundus non cognovit » hanc tuam justitiam, quam pro mundo erga diabolum exercuisti; quam si novisset, omnes ad te accurrissent.

*Tertio*, Toletus censet Patrem vocari justum, quia Apostolis Christum sequentibus præparavit claritatem, id est gloriam cœlestem, quam eis hic postulavit Christus, a qua mundum incredulum exclusit. Hæc enim gloriæ retributio est actus justitiæ, juxta illud II *Timoth.* IV : « Quam reddet mihi justus judex. »

*Quarto*, planius et germanius Ribera τὸ *juste* refert ad sequentia : « Mundus te non cognovit, » etc., postquam enim Christus Apostolis postulavit sanctificationem et claritatem, sive gloriam cœlestem, nunc quasi exultans spiritu, quod tanta dona Pater prædestinarit Apostolis Christum sequentibus, quæ negavit incredulis, v. g., Scribis et Pharisæis, qui superbia excæcati Christum sequi noluerunt, ait : « Pater juste, » *q. d.* Justum sane est, o Pater, ut superbi abjiciantur, et hæc bona parvulis istis dentur; illi superbi te non cognoverunt, nec coluerunt; ego te cognovi et amavi, et discipuli mei me imitantes cognoverunt et amaverunt te et crediderunt in me : istis ego, quia superbi non erant, magnam tui cognitionem dedi, et majorem dabo postquam resurrexero, et Spiritum Sanctum misero. Sic eadem de causa exultavit Christus in spiritu, *Matth.* XI, 25, dicens : « Confitebor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. »

26. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam (post resurrectionem et missum Spiritum Sanctum, ut dixi) : ut dilectio, qua dilexisti me in ipsis sit, et ego in ipsis, — ut scilicet dilec

tionem tuam, qua me et ipsos propter me diligis, erga ipsos continues, ac majorem re ipsa semper eis ostendas eisque in dies magis benefacias, ac tuis gratiis et beneficiis cumules, ut quotidie magnis passibus in sanctitate et opere Apostolico progrediantur; atque hac ratione ego tecum in ipsis perseverem arctiusque persistam per crescentem in eis semper tuam gratiam et charitatem. Deus enim cum diligit creaturas rationales, donum gratiæ et dilectionis sive charitatis pretiosissimum et divinissimum eis infundit, quod non facit irrationalibus, ut cœlo, soli, stellis, dum eas diligit, id est ex amore creat, ornat et gubernat. Hoc significat τὸ « ut dilectio in ipsis sit; » nam, ut ait Paulus : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, » *Rom.* v.

Paulo aliter Rupertus : Ut Spiritus Sanctus, inquit, qui est dilectio tua qua me diligis, in ipsis semper sit et firmiter permaneat. Sed hoc eodem redit. Nam Spiritus Sanctus a charitate separari nequit, sicut nec ignis a calore. Quare cui datur charitas, huic datur et Spiritus Sanctus; et quamdiu manet in homine charitas, tamdiu manet et Spiritus Sanctus, imo tota S. Trinitas, ut dixi cap. XIV, vers. 23.

# CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Describit Christi passionem, scilicet vers. 1, captivitatem in horto; vers. 13, adductionem ad Annam; vers. 17, trinam Petri negationem; vers. 19, examen Jesu factum a pontifice, et alapam Jesu inflictam; vers. 24, missionem Jesu ad Caipham; vers. 28, accusationem ejus apud Pilatum; vers. 33, examen Jesu factum a Pilato, qui deprehensa ejus innocentia eum liberare satagit, conferens eum cum Barabba. Passionem Christi explicui Matth. cap.* XXVI *et* XXVII, *hic ergo breviter perstringam ea duntaxat quæ Joannes habet propria et singularia.*

1. Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli. 2. Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum : quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. 3. Judas ergo cum accepisset cohortem, et a pontificibus et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis. 4. Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, et dixit eis : Quem quæritis? 5. Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. 6. Ut ergo dixit eis : Ego sum; abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. 7. Iterum ergo interrogavit eos : Quem quæritis? Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum. 8. Respondit Jesus : Dixi vobis, quia ego sum : si ergo me quæritis, sinite hos abire. 9. Ut impleretur sermo, quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. 10. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum : et percussit pontificis servum; et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. 11. Dixit ergo Jesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? 12. Cohors ergo, et tribunus, et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum : 13. Et adduxerunt eum ad Annam primum : erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. 14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis : Quia expedit unum hominem mori pro populo. 15. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Jesu in atrium pontificis. 16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum. 17. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria. Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille : Non sum. 18. Stabant autem servi, et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se : erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se. 19. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. 20. Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum mundo : ego semper docui in synagoga, et in templo



quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis : ecce hi sciunt quæ dixerim ego. 22. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes Pontifici? 23. Respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, quid me cædis? 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. 25. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei : Numquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, et dixit : Non sum. 26. Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo? 27. Iterum ergo negavit Petrus : et statim gallus cantavit. 28. Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. Erat autem mane : et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha. 29. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? 30. Responderunt, et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31. Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam. 32. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. 33. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei : Tu es rex Judæorum? 34. Respondit Jesus : A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? 35. Respondit Pilatus : Numquid ego Judæus sum? Gens tua, et pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti? 36. Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis : nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu? Respondit Jesus : Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati : omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. 38. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, et dicit eis : Ego nullam invenio in eo causam. 39. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha : vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum? 40. Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes : Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

1. HÆC CUM DIXISSET JESUS, EGRESSUS EST CUM DISCIPULIS SUIS TRANS TORRENTEM CEDRON, UBI ERAT HORTUS, IN QUEM INTROIVIT IPSE, ET DISCIPULI EJUS. — Jesus finito ardenti sermone post cœnam, eoque prolixo (incipit enim cap. XIII, et hic finitur) quo Apostolis ultimum vale dixit, ad passionem et mortem properat, illique se offert, et ultro occurrit vadens in hortum ibique exspectans Judam et Judæos, a quibus sciebat se capiendum. Magnanimitatis hoc dedit exemplum, ut arenam locumque duelli cum morte, peccato et diabolo mox ineundi primus capessat, quasi certus de victoria et triumpho.

Hinc colligitur Jesum statim finito hoc sermone transisse torrentem, ac consequenter contentionem Apostolorum de primatu, non post sermonem, ut vult S. Augustinus, sed ante eum contigisse. De hymno incertum est; nam eum a Christo et Apostolis decantatum fuisse post sermonem, insinuat Matthæus, dicens cap. XXVI, vers. 30 : « Et hymno dicto, exierunt in montem Olivarum. » Ante sermonem vero hymnum fuisse dictum suadere videtur ratio, quod hic hymnus fuerit gratiarum actio : statim ergo post cœnam et Eucharistiam cantatus fuit ante sermonem. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, in *Matth.* cap. XXVI, et Ribera hic. Vide Chronotaxim.

EGRESSUS EST, — e domo et cœnaculo, ubi totum sermonem habuit et finivit. Franciscus Lucas tamen et alii censent partem sermonis a cap. XIV, vers. 31, ubi ait Christus : « Surgite, eamus hinc, » hucusque habitam fuisse post egressum e domo, in itinere versus torrentem Cedron, et tunc « egressus est, » exponi debet *transgressus est.*

TRANS TORRENTEM CEDRON. — « Torrens » proprie est rivus, ex aquæ pluviæ confluxu productus, Torrens Cedron quid? qui hieme fluit cum impetu, æstate siccatur, quales plurimos et ingentes vidi in Alpibus, et talis hic fuisse videtur. Unde Syrus vertit, *trans vadum Cedron*, quia vadari et pedibus transiri poterat. Torrens hic significat vehementiam et impetum Christo a Judæis in passione illatum, sed illico transeuntem. Ivit ergo Jesus per torrentem, ut innueret se ire in torrentem passionum, ait Jansenius, juxta illud *Psal.* CIX : « De torrente

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tionem tuam, qua me et ipsos propter me diligis, erga ipsos continues, ac majorem re ipsa semper eis ostendas eisque in dies magis benefacias, ac tuis gratiis et beneficiis cumules, ut quotidie magnis passibus in sanctitate et opere Apostolico progrediantur; atque hac ratione ego tecum in ipsis perseverem arctiusque persistam per crescentem in eis semper tuam gratiam et charitatem. Deus enim cum diligit creaturas rationales, donum gratiæ et dilectionis sive charitatis pretiosissimum et divinissimum eis infundit, quod non facit irrationalibus, ut cœlo, soli, stellis, dum eas diligit, id est ex amore creat, ornat et gubernat. Hoc significat τὸ « ut dilectio in ipsis sit; » nam, ut ait Paulus : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, » *Rom.* v.

Paulo aliter Rupertus : Ut Spiritus Sanctus, inquit, qui est dilectio tua qua me diligis, in ipsis semper sit et firmiter permaneat. Sed hoc eodem redit. Nam Spiritus Sanctus a charitate separari nequit, sicut nec ignis a calore. Quare cui datur charitas, huic datur et Spiritus Sanctus; et quamdiu manet in homine charitas, tamdiu manet et Spiritus Sanctus, imo tota S. Trinitas, ut dixi cap. xiv, vers. 23.

# CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Describit Christi passionem, scilicet vers. 1, captivitatem in horto; vers. 13, adductionem ad Annam; vers. 17, trinam Petri negationem; vers. 19, examen Jesu factum a pontifice, et alapam Jesu inflictam; vers. 24, missionem Jesu ad Caipham; vers. 28, accusationem ejus apud Pilatum; vers. 33, examen Jesu factum a Pilato, qui deprehensa ejus innocentia eum liberare satagit, conferens eum cum Barabba. Passionem Christi explicui Matth. cap.* xxvi *et* xxvii, *hic ergo breviter perstringam ea duntaxat quæ Joannes habet propria et singularia.*

1. Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli. 2. Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum : quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. 3. Judas ergo cum accepisset cohortem, et a pontificibus et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis. 4. Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, et dixit eis : Quem quæritis? 5. Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. 6. Ut ergo dixit eis : Ego sum : abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. 7. Iterum ergo interrogavit eos : Quem quæritis? Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum. 8. Respondit Jesus : Dixi vobis, quia ego sum : si ergo me quæritis, sinite hos abire. 9. Ut impleretur sermo, quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. 10. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum : et percussit pontificis servum; et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. 11. Dixit ergo Jesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? 12. Cohors ergo, et tribunus, et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum : 13. Et adduxerunt eum ad Annam primum : erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. 14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis : Quia expedit unum hominem mori pro populo. 15. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Jesu in atrium pontificis. 16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum. 17. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria. Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille : Non sum. 18. Stabant autem servi, et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se : erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se. 19. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. 20. Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum mundo : ego semper docui in synagoga, et in templo



quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis : ecce hi sciunt quæ dixerim ego. 22. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes Pontifici? 23. Respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, quid me cædis? 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. 25. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei : Numquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, et dixit : Non sum. 26. Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo? 27. Iterum ergo negavit Petrus : et statim gallus cantavit. 28. Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. Erat autem mane : et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha. 29. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? 30. Responderunt, et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31. Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam. 32. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. 33. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei : Tu es rex Judæorum? 34. Respondit Jesus : A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? 35. Respondit Pilatus : Numquid ego Judæus sum? Gens tua, et pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti? 36. Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis : nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu? Respondit Jesus : Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati : omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. 38. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, et dicit eis : Ego nullam invenio in eo causam. 39. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha : vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum? 40. Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes : Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

1. Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli ejus. — Jesus finito ardenti sermone post cœnam, eoque prolixo (incipit enim cap. xiii, et hic finitur) quo Apostolis ultimum vale dixit, ad passionem et mortem properat, illique se offert, et ultro occurrit vadens in hortum ibique exspectans Judam et Judæos, a quibus sciebat se capiendum. Magnanimitatis hoc dedit exemplum, ut arenam locumque duelli cum morte, peccato et diabolo mox ineundi primus capessat, quasi certus de victoria et triumpho.

Hinc colligitur Jesum statim finito hoc sermone transisse torrentem, ac consequenter contentionem Apostolorum de primatu, non post sermonem, ut vult S. Augustinus, sed ante eum contigisse. De hymno incertum est; nam eum a Christo et Apostolis decantatum fuisse post sermonem, insinuat Matthæus, dicens cap. xxvi, vers. 30 : « Et hymno dicto, exierunt in montem Olivarum. » Ante sermonem vero hymnum fuisse dictum suadere videtur ratio, quod hic hymnus fuerit gratiarum actio : statim ergo post cœnam et Eucharistiam cantatus fuit ante sermonem. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, in *Matth.* cap. xxvi, et Ribera hic. Vide Chronotaxim.

Egressus est, — e domo et cœnaculo, ubi totum sermonem habuit et finivit. Franciscus Lucas tamen et alii censent partem sermonis a cap. xiv, vers. 31, ubi ait Christus : « Surgite, eamus hinc, » hucusque habitam fuisse post egressum e domo, in itinere versus torrentem Cedron, et tunc « egressus est, » exponi debet *transgressus est*.

Trans torrentem Cedron. — « Torrens » proprie est rivus, ex aquæ pluviæ confluxu productus, Torrens Cedron quid?
qui hieme fluit cum impetu, æstate siccatur, quales plurimos et ingentes vidi in Alpibus, et talis hic fuisse videtur. Unde Syrus vertit, *trans vadum Cedron*, quia vadari et pedibus transiri poterat. Torrens hic significat vehementiam et impetum Christo a Judæis in passione illatum, sed illico transeuntem. Ivit ergo Jesus per torrentem, ut innueret se ire in torrentem passionum, ait Jansenius, juxta illud *Psal.* cix : « De torrente

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in via bibet. » Unde nonnulli opinantur Jesum a Judæis captum reductumque per torrentem, in eumdem præcipitatum fuisse, ait Adrichomius, in *Descript. Jerusalem*, num. 207, juxta illud *Psal.* LVIII, 1 : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia, » id est non est locus in quo subsistere queam.

CEDRON. — Græce τῶν κέδρων, id est *cedrorum*, eo quod torrens hic, hinc et inde plantatas haberet cedros, ait S. Thomas et Lyranus. Favet Arabicus qui vertit *trans torrentem cedri*. Verum « Cedron » est vox hebræa, non Græca, quæ Hebr. non cedrum (hæc enim dicitur ארז *erez*), sed obscuritatem, nigredinem, caliginem et tenebras significat, teste S. Hieronymo in *Locis Hebr.* Dictus ergo est torrens hic *Cedron*, id est obscurus, ater, vel niger, sive ab umbrositate loci : erat enim arboribus consitus ; sive ab aquarum nigredine, sive a cadaverum combustorum fuligine, de quo mox. Quare Cedron est nomen singulare, non plurale, ac proinde corrupte in Græcis legitur articulus pluralis τῶν cum legendus sit τοῦ.

Est hic torrens situs ab Oriente Jerusalem, inter eam et montem Oliveti, ac labitur per vallem profundam Josaphat eamque fœcundat. In hac valle, ait Adrichomus, in *Jerusalem*, num. 204, pii reges Juda, Asa, Ezechias et Josias templi combusserunt idola eorumque cineres in torrentem Cedron projecerunt. Hæc vallis commune totius civitatis cœmeterium erat, ubi vulgus et ignobiles omnes sepeliebantur : extra urbem enim Judæos sepeliri mos erat, ibique nunc Turcæ sepeliuntur. In hac quoque valle, die illa cunctis mortalibus tremenda, omnes undique homines ad extremum et generale judicium sunt congregandi, ut a Christo judice recipiant debita pro meritis præmia quisque suis.

Meminit igitur Joannes torrentis Cedron : *primo*, ad historiæ exactam certitudinem ; *secundo*, ob figuram : David enim cum suis fugiens Absalomum, mœstus transgressus torrentem Cedron, typus fuit Christi eumdem torrentem transgredientis, at non fugientis, sed offerentis se persequenti Judæ et Judæis. *Tertio*, ut ostenderet se ire ad passionem, ut expiaret non sua, sed Adæ et posterorum ejus peccata omnia, quantumvis immania, qualia in valle et torrente hoc committebantur. Torrens enim Cedron labitur per vallem *Gehennom*, ubi infantes a parentibus idolo Moloch immani parricidio vivi cremabantur. *Quarto*, ut locum passionis verteret in locum triumphi ; nam et ex vicino monte Oliveti, ubi pati cœpit oransque sudavit aquam et sanguinem, 40 die post resurrectionem triumphans ascendit in cœlum : atque in fine mundi rediturus ad judicium judex sedebit supra vallem Josaphat, *Joel.* III, 2, et supra torrentem Cedron, ut judicet tam Judæos se persequentes, quam omnes homines pro meritis : eos scilicet, qui passioni suæ grati fuere, adjudicando cœlo ; qui vero ingrati, gehennæ, quam ad vivum repræsentabat hic vallis Gehennom, per quam fluit torrens Cedron.

UBI ERAT HORTUS, — quia in horto paradisi peccavit Adam, comedens pomum vetitum, hinc peccatum ejus Christus expiare incipit in horto : « Ad pristinum enim recurrere omnia oportebat, » ait Cyrillus. Addit Chrysostomus : « Etenim in horto tanquam in carcere commoratur, » ut scilicet, ait Theophylactus, « laborem minuat Judæis se quærentibus. » Subjungit Theophylactus tertiam causam dicens : « Orandi causa solitaria loca et silentii officinas quærere solebat, » ut nos idem faciamus. Cætera dixi *Matth.* XXVI. Symbolice : nota Christum primo ivisse in desertum, *Matth.* IV, inde per sata, *Matth.* XII, denique in hortum hic, ut doceret nos ire ad sata prædicationis, inde ad passionem et crucem. Audi S. Ambrosium, lib. IV *in Lucam* : « Vide, inquit, quibus itineribus ad paradisum reducamur. Nunc in deserto Christus est ; agit hominem, instruit, informat, exercet, ungit oleo spiritali. Ubi videt robustiorem, per sata et fructuosa traducit, ut quando querebantur Judæi quod discipuli ejus sabbato de segete spicas vellerent ; jam enim Apostolos suos in agro culto et fructuoso opere collocaverat. Postea in paradiso constituit tempore passionis, quando transivit torrentem Cedron, ubi erat hortus.

4. JESUS ITAQUE SCIENS OMNIA QUÆ VENTURA ERANT SUPER EUM (addit τὸ *sciens*, ne quis putet ipsum inscium et invitum incidisse in manus Judæorum, sed scientem, volentem ultro se eis tradidisse : unde et eis obviam), PROCESSIT, ET DIXIT : QUEM QUÆRITIS ? — Judas jam osculatus fuerat Jesum osculoque signum dederat cohorti, ut Jesum caperent ; sed noluit Jesus eo signo capi, ne invitus videretur captus. Omnipotenti ergo vi divinitatis suæ cohortem detinuit locoque suo fixit, ut dato signo ad eum capiendum accurrere non auderent, imo non possent. Hinc Christus ultro eis obviam intrepide processit, et rogavit : « Quem quæritis ? » quasi eos lacessens ad se invadendum. Vers. 4.

5. RESPONDERUNT EI : JESUM NAZARENUM. — Non dicunt : Quærimus te, sed Jesum. Ergo non agnoverunt eum, licet osculo a Juda indicatum et proditum, quia Jesus eos aorasia et cæcitate percussit, ut præsentem non agnoscerent, cum tamen ministri pontificum eum sæpius antea vidissent et audissent. Ita Chrysostomus, *hom.* 82 : « Vides, ait, vim insuperabilem, quomodo in medio existens eos excæcavit. » Et Cyrillus : « Potestas ergo divina enituit, qui quamvis se quærentibus offerret, minime tamen cognoscebatur. »

STABAT AUTEM ET JUDAS, QUI TRADEBAT EUM, CUM IPSIS. — Judas jam antecesserat cohortem, ut oscularetur Jesum ; sed osculo dato videns cohortem non accurrere ad Christum capiendum, sed immotam consistere, perfidiæ suæ conscius, et impœnitens obstinatusque redit, non ad discipulos Jesu, sed ad cohortem, ut ab ea contra Jesum, cujus potentiam metuebat, defenderetur, ideoque cum ea a Christo in terram afflictus et prostratus est. Ita S. Augustinus, licet Euthymius et Ribera censeant Judam accessisse ad Christum eumque osculatum esse, postquam cum Judæis in terram prostratus fuisset ; quod etiam est probabile et majorem Judæ impudentiam arguit.



6. UT ERGO DIXIT EIS, EGO SUM ; ABIERUNT RETRORSUM, — quasi vi spiritus et vocis Jesu dicentis : « Ego sum, » repulsi, retroacti et supini in dorsum prostrati. Non enim proni antrorsum in pectus ceciderunt, ne vis prosternens aliunde, puta a tergo manare videretur ; sed retrorsum ut liquido constaret eos vi oris et sermonis Christi prosterni, nec illius faciem et sermonem ferre vel sustinere posse. Jesus enim dicens : « Ego sum, » refricavit eis memoriam nominis quod Deus sibi indidit, dicens Mosi, *Exod.* III : « Ego sum qui sum, » *q. d.* Hoc est nomen meum, qui vos prosterno, et si velim annihilo, quia « Ego sum qui sum. » Ergo « vos estis qui non estis ; » nam omne vestrum esse non a vobis, sed a me continuo accipitis.

Tropologiam et allegoriam hujus fulmineæ prostrationis satellitum dedi *Matth.* XXVI, 50.

8. SI ERGO ME QUÆRITIS, SINITE HOS ABIRE. — Cur id jussit Christus ? Respondeo *primo*, quia ad ipsum spectabat, ut solus sua morte homines redimeret quasi mediator, redemptor et salvator mundi. Ita Cyrillus : « Semovit, ait, a periculo discipulos suos, non ignorans ad se solum certamen illud et opus salutis nostræ pertinere ; regnantis enim et non servientis naturæ opus est. » *Secundo*, quia Apostolos destinarat sibi superstites, ut post mortem, suam resurrectionem, doctrinam et legem toto orbe promulgarent. *Tertio*, ut ostenderet suum erga eos amorem et curam, quo quasi bonus pastor ovium salutem curat, suam negligit, imo animam suam ponit pro ovibus, ut sua morte illis vitam daret. Hanc rationem insinuat Joannes vers. seq., dicens :

Vers. 9. 9. UT IMPLERETUR SERMO, QUEM DIXIT (cap. XVII, vers. 12) : QUIA QUOS DEDISTI MIHI, NON PERDIDI EX EIS QUEMQUAM, — id est non permisi perire ullum ex undecim Apostolis, quos dedisti mihi, o Pater ; nam Judas veluti filius perditionis, illi non fuit datus at sublate a Patre. Quæres de qua perditione et morte loquitur Christus, animæne, an corporis ? Alii hanc, alii aliam : ego utramque accipio. Corpore enim periissent hic discipuli, quia cum Jesu magistro suo fuissent comprehensi et occisi, præsertim quia Petrus cohorti restiterat et Malchum vulnerarat. Anima quoque periissent, quia infirmi et pavidi ob Judæorum minas Christum negassent, æque ac negavit Petrus, itaque occisi a Judæis et corpus et animam perdidissent ; mortui enim fuissent in peccato mortali negationis. Ita Rupertus, Cajetanus, Ribera, Franciscus Lucas, Toletus et alii.

10. ERAT AUTEM NOMEN SERVO MALCHUS. — Nomen servi exprimit ad mysterium ; *Melech* enim hebr., et chald. *Malcha*, unde *Malchus*, idem est quod *Rex* ; et erat servus Pontificis, significatque populum Judæorum, qui quondam rex fuerat et liber, sed postea servus factus est pontificum et sacerdotum, qui eum suis traditionibus et cæremoniis onerabant et præterea devorabant, ut vidimus *Matth.* XXIII. Iste, Petro et Apostolis prædicantibus Evangelium, dextram auriculam amisit propter infidelitatem suam et odium Christi, id est, surdus factus est ad audiendum Evangelium et ad audiendum ea quæ necessaria sunt ad salutem, donec eum Dominus convertat et ei auriculam restituat. Ita S. Cyrillus hic et S. Ambrosius in cap. XXII *Luc.*, et S. Hieronymus in cap. XXVI *Matth.* Addit S. Ambrosius Petrum imitari voluisse zelum Phinees, qui principem Israel fornicantem cum filiabus Moab occidit, ideoque pontificatum adeptus est, *Numer.* XXV. Minuit ergo culpam Petri amor et zelus erga Christum ; peccavit tamen, quia inconsulto Christo gladium strinxit, præsertim cum paulo ante ab ipso audisset, quod sponte iret ad passionem et mortem. Vers. 10. Malchus idem quod rex.

12. LIGAVERUNT EUM, — a quo solvi velle debuerunt, et forte erant in eis qui postea liberati ab eo dixerunt : « Dirupisti vincula mea, » ait S. Augustinus. Christus, si voluisset, omnia vincula Judæorum facilius rupisset, quam Samson rupit stupea vincula Dalilæ, *Judic.* XV, 9, sed noluit : *Primo*, ut peccatum Adæ manibus commissum expiaret ; quia enim primus Adam nimis libere manus ad pomum vetitum extendit, hinc Christus secundus Adam manibus ligari voluit, ut Adæ peccatum et cætera posterorum ejus, quæ fere manibus committuntur, expiaret. Vers. 12.

*Secundo*, ut satisfaceret typo : Isaac enim qui fuit typus Christi, immolandus ab Abraham ligatus fuit ; solebant enim victimæ ligari, ne immolationi reluctarentur, *Genes.* XXII, 9.

*Tertio*, ut his vinculis amore nostri susceptis, injiceret nobis vincula charitatis, quibus nos traheret ad se redamandum, juxta illud *Oseæ* XI : « In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. »

Porro, Judæos dure et crudeliter ligasse Christum liquet, tum ex odio immani quo ipsi eorumque heri pontifices ardebant in Christum ; tum quod ulcisci vellent prostrationem ignominiosam quam passi fuerant, et vim a Petro Malcho sibique illatam. Plura hac de re dixi *Matth.* XXVI, 55.

13. ET ADDUXERUNT EUM AD ANNAM PRIMUM : ERAT ENIM SOCER CAIPHÆ, QUI ERAT PONTIFEX ANNI ILLIUS. — Quæres cur Judas et Judæi pri-

mum duxerint Christum ad Annam, non ad Caipham, cum a Caipha, utpote pontifice, judicandus esset, non ab Anna?

Respondeo : *Primo*, ut honorarent Annam, quasi seniorem et socerum Caiphæ, quem proinde ipse Caiphas « quasi patrem honorabat, » ait Euthymius, et ex ejus consilio populum regebat.

*Secundo*, quia domus Annæ erat in via euntibus ad Caipham, ait S. Augustinus.

*Tertio*, quia Annas præ cæteris videtur optasse et procurasse ut Christus caperetur. Unde satellites hi Christum ei quasi in triumphum ducunt, ait S. Chrysostomus, ut eum exhilarent, ac vicissim aliquo xenio et munere ob adductum Christum ab eo donentur.

*Quarto*, ut Annam, qui vespere præcedente a cæteris senioribus ob frigus noctis domum dormiturus abierat, inde evocarent ad concilium universale, contra Jesum jam captum postero mane in domo Caiphæ celebrandum.

*Quinto*, et potissime, quia ab Anna Judæ fuit promissum pretium venditionis Christi, scilicet triginta argentei. Adducit ergo Judas Jesum ad Annam, ut pro eo triginta denarios sibi ab eo promissos accipiat, uti de facto illum ab eo accepisse censet S. Cyrillus, idque colligitur ex eo quod in primo principum cum Juda pacto de Christo prodendo, principes non numerarint 30 denarios, sed tantum promiserint, ut patet *Matth.* XXVI, 15 : hac nocte ergo accepit illos Judas in domo Annæ, quos paulo post videns Christum Pilato traditum, facti pœnitens projecit in templo, *Matth.* XXVII, 3. Nam in domo Caiphæ eos accipere non potuit ; tum quia Caiphas circa Christum, ut inveniret falsos testes, ut eum examinaret, ut concilium convocaret, etc., ita occupabatur, ut tempus non haberet agendi cum Juda. Unde Judas non videtur cum satellitibus progressus ultra domum Annæ, nec ingressus in domum Caiphæ ; nam si in ea fuisset Judas, sane eam ingredi ausus non fuisset Petrus, metu ne a Juda proderetur ; quia si Judas adfuisset, cum Petrus ter Christum in domo Caiphæ negavit, utique vel publice eum falsi arguisset, vel secreto ministros monuisset Petrum fuisse secum discipulum Christi, ut eum comprehenderent.

Pontifex anni illius, — quia Romani præsides sæpe et subinde singulis annis mutabant Judæorum pontifices novosque creabant, uti quotannis creantur novi consules ; licet Pilatus hoc proprii habuerit, ut pontificem Caipham quem reperit, non mutarit. Quare Caiphas toto triennio, quo Christus prædicavit, perpetuum gessit pontificatum.

Vers. 22. Alapa Christo datur.

22. Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu. — Vide Augustinum, *tract.* 113, ubi connumeratis multis suppliciis quibus servus dignus fuerat, ait : « Quid enim horum per potentiam jubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset, per quam vincitur mundus ? » Vide et dicta *Matthæi* XXVI, 59.

Porro, Christus non porrexit alteram maxillam, ne videretur culpam agnoscere. Sic et Paulus jussus injuste percuti a pontifice, ait ex zelo justitiæ : « Percutiet te Deus, paries dealbate, » *Act.* XXIII. Addit S. Augustinus, « Jesum non solum alteram maxillam iterum percussuro, sed totum corpus figendum præparasse in ligno, » ut suum dogma, *Matth.* V, 39, facto sanciret.

24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem, — *q. d. Miserat* autem Annas Jesum ligatum ad Caipham pontificem. Ita Syrus, Arabicus et Cyrillus. Est enim hic hysterologia. Nam Joannes quasi oblitus narrare missionem Jesu ab Anna ad Caipham, hic eam interserit, ut indicet quis fuerit pontifex qui examinavit Jesum, cujus minister alapam dedit eidem, nimirum fuisse Caipham, non Annam. Caiphas enim erat pontifex, non Annas ; quare hic versus recto ordine ponendus est post vers. 13, nam trina negatio Petri et examen Jesu, omnia quæ post vers. 13 narrat Joannes, contigerunt in domo Caiphæ pontificis, non Annæ, ut patet ex S. Matthæo, Marco et Luca.

28. Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium, — scilicet in domum et aulam Pilati, qui erat prætor, id est præses et judex tam criminalis quam civilis Judææ. Ita legendum cum Romanis, Græco, Syro et Arabico. Quam vitiosum codicem habuit S. Augustinus, qui, *tract.* 114, legit : « Adducunt ergo Jesum ad Caipham in prætorium, » indeque coactus est dicere aut Caipham in domum Pilati venisse, aut utrumque in eadem domo habitasse ; cujus contrarium liquet ex Evangelio.

Porro omnis magistratus, cui parebat exercitus, dicebatur Prætor, ait Victorinus ; a præeundo, ait Varro, quasi Præitor, quod præiret jure et exercitu. Inde ejus domus et locus in quo jus dicebat, vocabatur prætorium ; ibi ergo erat tribunal in quo reorum causa agebatur, ideoque pontifices eo duxerunt hic Jesum, ut a Pilato damnaretur.

Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur (ingressu in domum præsidis ethnici et idololatræ), sed ut (puri et mundi) manducarent Pascha. — « Pascha » hic non significat agnum paschalem, ut volunt Chrysostomus et Cyrillus (hunc enim pridie in cœna jam comederant), sed victimas paschales, quæ per septem dies paschales immolabantur : hæ enim non nisi a mundis comedi poterant. Vide hic hypocrisin pontificum, qui videri volunt religiosissimi, cum sint sceleratissimi, imo christicidæ. Unde exclamat S. Augustinus : « O impia et stulta cæcitas : habitaculo videlicet contaminarentur alieno, et non contaminarentur scelere proprio ! » Vide S. Cyrillum.

31. Nobis non licet interficere quemquam. —



Hinc videtur quod Romani Judæis, utpote jure belli subactis, abstulerint jus damnandi et morte plectendi reos illudque sibi vindicarint ; hoc enim omnino hæc eorum verba significabant. Ita Rupertus, S. Thomas, Jansenius, Suarez et alii.

Dices : Judæi lapidarunt S. Stephanum et præcipitarunt S. Jacobum. Respondeo id eos fecisse non ordine juris, sed tumultu et furore populi. Unde Josephus, libro XX *Antiquit.*, cap. VIII, alias XVI, asserit Ananum Pontificem fuisse pontificatu a præside Romano privatum, eo quod S. Jacobum jussisset occidi. Hinc et *Act.* XVIII, Judæi Paulum non sunt ausi occidere, sed occidendum tradidere Gallioni proconsuli. Instabis : Pilatus jam dederat pontificibus licentiam judicandi et occidendi Jesum, dicens : « Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate. » Ergo id facere poterant. Respondeo, potuisse quidem pontifices id facere, sed noluisse hanc licentiam Pilati acceptare, sed tacite quasi dixisse : Vos Romani abstulistis nobis jus gladii absolute ; nolumus ergo illud in hoc uno casu, ut Jesum occidamus, usurpare. Aut ergo reddite nobis jus occidendi absolute, aut vos hunc cum aliis occidite. Dicebant hoc, quia volebant Jesum, quasi seditiosum et regnum Judææ affectantem, ignominiosissima morte plecti, nimirum crucifigi a præside Romano (Romani enim affectantes regnum crucifigebant), atque hujus Jesu necis invidiam cupiebant a se in Pilatum transferre, ne a populo quem Jesu sciebant addictum, lapidarentur, aut conviciis incesserentur.

Alii aliter respondent, nimirum S. Augustinus et Cyrillus, et ex his Suarez, III *part.* Quæst. XLVII, art. 4, non licuisse Judæis occidere in festo Paschæ ob festi solemnitatem, sed alias id eis licuisse. Ribera vero respondet Pharisæos ex speciali et propria secta hoc observasse, ut neminem ad mortem damnarent, ut refert Josephus, filius Gorionis, libr. IV *Histor. Judaic.*, cap. VI. Illi ergo specie religionis dixerunt : « Non nobis licet ; » multi enim et præcipui ex his qui mortem Christi procurabant, erant Pharisæi, et quia auctoritatem apud populum habebant, eos alii imitati sunt.

32. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus, — nimirum se tradendum Gentibus et ab eis crucifigendum. Hoc enim prædixit Christus, *Joann.* XII, dicens : « Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dixit significans qua morte esset moriturus. » Item *Matth.* XX, 18, et alibi.

33. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus. — *q. d.* Egressus erat Pilatus ad Pontifices, ut accusationem eorum contra Jesum audiret ; qua audita, iterum ingressus est, ut de ea Jesum examinaret. Hoc significat τὸ *iterum* (quod tamen omittit Syrus), scilicet regressum post egressum.

Et dixit ei : Tu es rex Judæorum? — Supple hic ex *Luc.* XXIII, 2, Pontifices cum viderent sola sua auctoritate non moveri Pilatum ad Jesum damnandum, accusasse eum dicendo : « Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum regem esse ; » hoc tertium ut verisimilius cæteris arripiens Pilatus, rogavit Jesum : « Tu es rex Judæorum? » Cætera dixi *Matth.* cap. XXVII, vers. 11.

37. Tu dicis, quia rex sum ego, — id est, ego vere rex sum Judæorum, uti tu dicis, id est sum Messias sive Christus, ut regnem in fidelibus per fidem et gratiam eosque ad regnum cœleste perducam. Hoc enim significat hic hebraismus.

Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati, — ut prædicem veritatem evangelicam, quæ in tribus maxime consistit : *Primo*, in vera cognitione Dei, scilicet deos Gentium esse falsos et verum Deum esse unicum in essentia et trinum in personis, scilicet Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. Verum enim est passio entis, sicut et bonum. Omne enim ens est verum, id est res vera, non ficta et in se bona. Quare Deus, qui est ipsum ens, juxta illud : « Ego sum qui sum, » idem pariter est ipsum verum et bonum, quia est ipsa per essentiam entitas, veritas et bonitas. Rursum Filius, qui procedit a Patre, ut Verbum, est ipsa veritas, non tantum entis, sed et mentis. Unde S. Augustinus : « Cum Jesus, inquit, veritati testimonium perhibet, sibi perhibet ; ipse enim est veritas. »

*Secundo*, in cognitione Incarnationis Verbi, ut sciat Filium Dei esse missum a Deo Patre in carnem et mundum, ut eum salvaret : quare neminem nisi per fidem in ipsum posse salutem consequi, juxta illud, cap. XVII, vers. 3 : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. »

*Tertio*, in cognitione veræ Beatitudinis, scilicet eam consistere non in opibus, honoribus, deliciis, scientiis, regnis terrenis, uti docebant Philosophi ; sed in regno cœlorum, id est in visione et possessione Dei. Unde summa prædicationis Christi erat hæc : « Pœnitentiam agite ; appropinquavit enim regnum cœlorum, » *Matth.* III.

Dicit Christus se natum ad veritatem testificandam hoc fine : *primo*, ne miretur Pilatus quod se regem fassus sit, *q. d.* Hoc fassus sum, quia vere sum rex ; debeo autem testari veritatem, quia ad hoc natus sum ; *secundo*, ut Pilatus cognoscat innocentiam et integritatem Jesu : hæc enim in veritate consistit ; *tertio*, ut eum submoneat justitiæ, ut scilicet vere justeque causam suam judicet, nec falsis Pontificum criminationibus et clamoribus vinci se sinat, ut contra veritatem et justitiam se condemnet.

Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. — Ex veritate esse dicuntur veritatis studiosi et

cupidi, qui scilicet veritatem, hoc est, verum Deum, verum Messiam veramque felicitatem et salutem, serio et cordate quærunt eamque inventam omnibus posthabitis amplectuntur. Illi opponuntur « iis qui sunt ex contentione, » Rom. II, id est iis qui non nisi contendere, litigare et argutari contendunt, quales erant tum Philosophi. Hinc « esse ex veritate » idem est quod « esse ex Deo : » qui enim est Filius Dei, hic est filius veritatis; Deus enim est veritas, juxta illud cap. VIII, vers. 47 : « Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis : » quia, licet ex Deo sitis per creationem, non tamen estis per electionem, fidem et gratiam. « Gratiam commendavit, quæ secundum propositum vocat, ait S. Augustinus. Qui enim accepit testimonium ejus (Joannis Baptistæ de Jesu), signavit quia Deus verax est, » Joan. III, 33. Hoc quam verum sit, etiam voces hostium indicant. Scribit enim Josephus, lib. XVIII *Antiq.*, cap. IV: « Eodem tempore fuit Jesus vir sapiens (si tamen eum virum fas est dicere); erat enim mirabilium operum patrator et doctor eorum qui libenter vera suscipiunt, » etc.

Tacite Christus respondet Pilati objectioni : Si tu testimonium perhibes veritati, cur ergo pontifices et Scribæ, qui sunt veritatis professores, te non audiunt, imo te persequuntur ad necem? Respondet Christus : Quia ipsi non sunt ex veritate, sed ex mendacio; sectantur enim falsas suas opiniones et cupiditates opum et honorum, quas eis suggerit pater eorum mendax diabolus. Unde Christus eis ait : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere, » ut me occidatis, *Joan.* VIII, 44.

38. DICIT EI PILATUS : QUID EST VERITAS? — Putabat Pilatus Christum esse Philosophum vel Prophetam, qui de veritate, scientia et sapientia more philosophico specularetur et loqueretur. Itaque Jesum rogat quæ sit illa veritas cui testandæ se natum dixerat. Verum, quia hoc parum ad rem quam agebat Pilatus, faciebat, ut se a Jesu, quem videbat esse virum gravem, sapientem et innocentem, expediret, excogitavit medium appositum ad eum liberandum, scilicet ut in Paschate de more unum reum liberaturus, Jesum cum Barabba infami latrone conferret, ut Judæi Jesum potius quam Barabbam liberari peterent. Relicto ergo Jesu in prætorio, foras erupit, ut Judæis idipsum proponeret.

Quid est veritas? Resp. trim. Symbolice : quid est veritas? Respondet S. Augustinus in *Sentent.*, sent. 386 : Veritas est ipse Deus, « qui est prima vita et prima essentia, ita est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium recte dicitur, et ars omnipotentis artificis. » Idem, *epist.* 9 : « Incomparabiliter, ait, pulchrior est veritas Christianorum quam Helena Græcorum. Pro ista enim fortius nostri Martyres adversus hanc Sodomam, quam pro illa illi heroes adversus Trojam dimicaverunt. » Imo Christus ipse primus pro veritate martyr occubuit.

Quid est veritas? Audi Lactantium, lib. *De Ira Dei*, cap. II, tres ejus gradus assignantem : *Primus* gradus est, inquit, intelligere falsas religiones et abjicere impios cultus deorum humana manu fabricatos. *Secundus* vero, perspicere animo quod unus sit Deus summus, cujus potestas ac providentia effecerit a principio mundum et gubernet in posterum. *Tertius*, cognoscere ministrum ejus ac nuntium, quem legavit in terram; quo docente, liberabit ab errore quo implicati tenebamur, formatique ad veri Dei cultum, justitiam disceremus.

Quid est veritas? « Ego sum via, veritas et vita, » ait Christus, *Joan.* XIV.

Quid est veritas? « Est præstantissimum bonum, » ait S. Basilius apud Antonium, in *Melissa*, cap. XXI. « Quid est veritas? » Est Deus, ait S. Dionysius, « utpote unum non multa secundum naturam. Verum quippe unum est, mendacium autem multiplex. »

Quid est veritas? « Est facultas res obumbratas Quinta.
in lucem producens, » ait Philo, *ibidem*.

Quid est veritas? « omnium rerum fortissima Sexta.
est veritas, » ait Nazianzenus, *orat.* 13.

Quid est veritas? « Est firma comprehensio Septima.
entis in animo, » ait S. Chrysostomus, *ibidem*. Hinc illud Zorobabelis : « Fortis rex, forte vinum, fortes mulieres, sed fortissima est veritas, » III *Esdræ* III. Addit ibidem Zorobabel, cap IV, vers. 36 : « Omnis terra veritatem invocat, cœlum etiam ipsam benedicit, et omnia opera moventur et tremunt eam. » Et vers. 40 : « Et non est in judicio ejus iniquum, sed fortitudo, et regnum, et potestas, et majestas omnium ævorum. Benedictus Deus veritatis. » Quocirca Alphonsus, rex Aragoniæ : « Veritas, ait, omnibus quidem innata esse debet; principum tamen præcipuum debet esse ornamentum, adeo ut ad fidem faciendam tantum habeat unum principis verbum, quantum privatorum jusjurandum. » Ita Panormitanus, lib. I *De Gestis Alphonsi*. Hinc pontifex Aaronicus in Rationali scriptum gerebat : « Urim vetummim, » id est doctrina et veritas, *Exodi* XXVIII.

Idem per umbram videre Gentiles apud Stobæum, *serm.* 11. Unde Menander : Quid est veritas? « Veritas, ait, cœli civis est, et sola fruitur convictu deorum. »

Plato suavissimam narrationem veritatem esse dicebat. Jamblichus : « Veritas, ait, ut Græcum ejus etymon indicat, circa deos et incorruptam deorum actionem versatur. » Æschines : « Adeo valida est veritas, ut omnes humanas cogitationes superet. » Plato rursum, lib. V *De Legibus* : « Veritas, ait, tam diis quam hominibus ad omnia bona dux est. Hujus quilibet, qui felix et beatus futurus est, ab eo particeps sit oportet, ut quam plurimum temporis verax in vita degat. » Trismegistus : « Veritas in solis æternis corporibus



est, quorum et ipsomet corpora vera sunt. Universa igitur super terram non veritas sunt, sed veritatis imitationes et umbræ. Veritas absolutissima virtus est ipsumque summum bonum, quod nec a materia turbatur, neque corpore circumdatur, nudum, conspicuum, augustum, mutationis et alterationis expers bonum. »

Plutarchus apud Antonium, in *Melissa*, cap. XXI : « Æqualitas trutina, inquit, veritas autem ratione philosophiæ examinatur. » Ibidem Evagrius : « Veritatem tacere, ait, est aurum sepelire. » Et Democritus : « Pietas, ait, palam declaranda et veritas constanter defendenda est. » Et Epictetus : « Nihil veritate pretiosius haberi debet, ne amicitia quidem, utpote obnoxia affectibus, qui quod justum est, turbant et obumbrant. » Unde illud : « Amicus Plato, magis amica veritas. » Idem : « Immortalis, ait, et æterna res est veritas. Non donat autem nobis pulchritudinem paulatim tabescentem, neque dicendi fiduciam e justitia prodeuntem aufert; sed quæ justa et legitima sunt exhibet, discernens ab eis injusta et redarguens. » Demosthenes rogatus : « Quid Deo simile haberent homines? » respondit : « Benigne facere et veritatem amare. » Ita Valerius Maximus, *serm.* 8.

Pythagoras dicebat « hæc duo divinitus data hominibus esse longe pulcherrima, veritatem complecti et beneficiis operam dare; utrumque enim immortalium deorum operibus comparari posse. » Ita Ælianus, lib. XII *De Var. Histor.*

# CAPUT DECIMUM NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Narrat, vers.* 1, *Christi flagellationem, coronationem, purpuram, alapas, ostensionem populo sic clamanti* Crucifige eum, quia Filium Dei se fecit, *et vers.* 12 : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris : *qua voce victus Pilatus tradidit Judæis Jesum. Hi ergo crucifixerunt eum in Golgotha, hoc titulo* : JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM; *mox milites vestes ejus diviserunt. Inde, vers.* 25, *Jesus matri suæ Joannem in filium assignat; vers.* 28, *clamat* : Sitio; *vers.* 30 : Consummatum est, *et expirat; vers.* 34, *lancea latus ejus aperitur indeque exiit sanguis et aqua. Denique, vers.* 38, *Joseph et Nicodemus Jesum ungunt, et in monumento novo sepeliunt.*

1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. 2. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus; et veste purpurea circumdederunt eum. 3. Et veniebant ad eum, et dicebant : Ave, rex Judæorum; et dabant ei alapas. 4. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. 5. (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum). Et dicit eis : Ecce homo. 6. Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam. 7. Responderunt ei Judæi : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. 8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. 9. Et ingressus est prætorium iterum, et dixit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. 10. Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? 11. Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. 12. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant, dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. 13. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum; et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. 14. Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis : Ecce rex vester. 15. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem, nisi Cæsarem. 16. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. 17. Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice

cupidi, qui scilicet veritatem, hoc est, verum Deum, verum Messiam veramque felicitatem et salutem, serio et cordate quærunt eamque inventam omnibus posthabitis amplectuntur. Hi opponuntur « iis qui sunt ex contentione, » *Rom.* II, id est iis qui non nisi contendere, litigare et argutari contendunt, quales erant tum Philosophi. Hinc « esse ex veritate » idem est quod « esse ex Deo : » qui enim est Filius Dei, hic est filius veritatis; Deus enim est veritas, juxta illud cap. VIII, vers. 47 : « Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis : » quia, licet ex Deo sitis per creationem, non tamen estis per electionem, fidem et gratiam. « Gratiam commendavit, quæ secundum propositum vocat, ait S. Augustinus. Qui enim accepit testimonium ejus (Joannis Baptistæ de Jesu), signavit quia Deus verax est, » *Joan.* III, 33. Hoc quam verum sit, etiam voces hostium indicant. Scribit enim Josephus, lib. XVIII *Antiq.*, cap. IV : « Eodem tempore fuit Jesus vir sapiens (si tamen eum virum fas est dicere); erat enim mirabilium operum patrator et doctor eorum qui libenter vera suscipiunt, » etc.

Tacite Christus respondet Pilati objectioni : Si tu testimonium perhibes veritati, cur ergo pontifices et Scribæ, qui sunt veritatis professores, te non audiunt, imo te persequuntur ad necem? Respondet Christus : Quia ipsi non sunt ex veritate, sed ex mendacio; sectantur enim falsas suas opiniones et cupiditates opum et honorum, quas eis suggerit pater eorum mendax diabolus. Unde Christus eis ait : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere, » ut me occidatis, *Joan.* VIII, 44.

38. DICIT EI PILATUS : QUID EST VERITAS? — Putabat Pilatus Christum esse Philosophum vel Prophetam, qui de veritate, scientia et sapientia more philosophico specularetur et loqueretur. Itaque Jesum rogat quæ sit illa veritas cui testandæ se natum dixerat. Verum, quia hoc parum ad rem quam agebat Pilatus, faciebat, ut se a Jesu, quem videbat esse virum gravem, sapientem et innocentem, expediret, excogitavit medium appositum ad eum liberandum, scilicet ut in Paschate de more unum reum liberaturus, Jesum cum Barabba infami latrone conferret, ut Judæi Jesum potius quam Barabbam liberari peterent. Relicto ergo Jesu in prætorio, foras erupit, ut Judæis idipsum proponeret.

Quid est veritas? Resp. Prima. Symbolice : quid est veritas? Respondet S. Augustinus in *Sentent.*, sent. 386 : Veritas est ipse Deus, « qui est prima vita et prima essentia, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium recte dicitur, et ars omnipotentis artificis. » Idem, *epist.* 9 : « Incomparabiliter, ait, pulchrior est veritas Christianorum quam Helena Græcorum. Pro ista enim fortius nostri Martyres adversus hanc Sodomam, quam pro illa illi heroes adversus Trojam dimicaverunt. » Imo Christus ipse primus pro veritate martyr occubuit.

Quid est veritas? Audi Lactantium, lib. *De Ira Dei*, cap. II, tres ejus gradus assignantem : *Primus* gradus est, inquit, intelligere falsas religiones et abjicere impios cultus deorum humana manu fabricatos. *Secundus* vero, perspicere animo quod unus sit Deus summus, cujus potestas ac providentia effecerit a principio mundum et gubernet in posterum. *Tertius*, cognoscere ministrum ejus ac nuntium, quem legavit in terram; quo docente, liberabit ab errore quo implicati tenebamur, formatique ad veri Dei cultum, justitiam disceremus.

Quid est veritas? « Ego sum via, veritas et vita, » ait Christus, *Joan.* XIV.

Quid est veritas? « Est præstantissimum bonum, » ait S. Basilius apud Antonium, in *Melissa*, cap. XXI. « Quid est veritas? » Est Deus, ait S. Dionysius, « utpote unum non multa secundum naturam. Verum quippe unum est, mendacium autem multiplex. »

Quid est veritas? « Est facultas res obumbratas in lucem producens, » ait Philo, *ibidem*. Quinta.

Quid est veritas? « omnium rerum fortissima est veritas, » ait Nazianzenus, *orat.* 13. Sexta.

Quid est veritas? « Est firma comprehensio entis in animo, » ait S. Chrysostomus, *ibidem*. Septima. Hinc illud Zorobabelis : « Fortis rex, forte vinum, fortes mulieres, sed fortissima est veritas, » III *Esdræ* III. Addit ibidem Zorobabel, cap IV, vers. 36 : « Omnis terra veritatem invocat, cœlum etiam ipsam benedicit, et omnia opera moventur et tremunt eam. » Et vers. 40 : « Et non est in judicio ejus iniquum, sed fortitudo, et regnum, et potestas, et majestas omnium ævorum. Benedictus Deus veritatis. » Quocirca Alphonsus, rex Aragoniæ : « Veritas, ait, omnibus quidem innata esse debet; principum tamen præcipuum debet esse ornamentum, adeo ut ad fidem faciendam tantum habeat unum principis verbum, quantum privatorum jusjurandum. » Ita Panormitanus, lib. I *De Gestis Alphonsi*. Hinc pontifex Aaronicus in Rationali scriptum gerebat : « Urim vetummim, » id est doctrina et veritas, *Exodi* XXVIII.

Idem per umbram videre Gentiles apud Stobæum, *serm.* 11. Unde Menander : Quid est veritas? « Veritas, ait, cœli civis est, et sola fruitur convictu deorum. »

Plato suavissimam narrationem veritatem esse dicebat. Jamblichus : « Veritas, ait, ut Græcum ejus etymon indicat, circa deos et incorruptam deorum actionem versatur. » Æschines : « Adeo valida est veritas, ut omnes humanas cogitationes superet. » Plato rursum, lib. V *De Legibus* : « Veritas, ait, tam diis quam hominibus ad omnia bona dux est. Hujus quilibet, qui felix et beatus futurus est, ab eo particeps sit oportet, ut quam plurimum temporis verax in vita degat. » Trismegistus : « Veritas in solis æternis corporibus



est, quorum et ipsomet corpora vera sunt. Universa igitur super terram non veritas sunt, sed veritatis imitationes et umbræ. Veritas absolutissima virtus est ipsumque summum bonum, quod nec a materia turbatur, neque corpore circumdatur, nudum, conspicuum, augustum, mutationis et alterationis expers bonum. »

Plutarchus apud Antonium, in *Melissa*, cap. XXI : « Æqualitas trutina, inquit, veritas autem ratione philosophiæ examinatur. » Ibidem Evagrius : « Veritatem tacere, ait, est aurum sepelire. » Et Democritus : « Pietas, ait, palam declaranda et veritas constanter defendenda est. » Et Epictetus : « Nihil veritate pretiosius haberi debet, ne amicitia quidem, utpote obnoxia affectibus, qui quod justum est, turbant et obumbrant. » Unde illud : « Amicus Plato, magis amica veritas. » Idem : « Immortalis, ait, et æterna res est veritas. Non donat autem nobis pulchritudinem paulatim tabescentem, neque dicendi fiduciam e justitia prodeuntem aufert; sed quæ juxta et legitima sunt exhibet, discernens ab eis injusta et redarguens. » Demosthenes rogatus : « Quid Deo simile haberent homines? » respondit : « Benigne facere et veritatem amare. » Ita Valerius Maximus, *serm.* 8.

Pythagoras dicebat « hæc duo divinitus data hominibus esse longe pulcherrima, veritatem complecti et beneficiis operam dare; utrumque enim immortalium deorum operibus comparari posse. » Ita Ælianus, lib. XII *De Var. Histor.*

# CAPUT DECIMUM NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Narrat, vers.* 1, *Christi flagellationem, coronationem, purpuram, alapas, ostensionem populo sic clamanti* Crucifige eum, quia Filium Dei se fecit, *et vers.* 12 : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris : *qua voce victus Pilatus tradidit Judæis Jesum. Hi ergo crucifixerunt eum in Golgotha, hoc titulo* : JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM; *mox milites vestes ejus diviserunt. Inde, vers.* 25, *Jesus matri suæ Joannem in filium assignat; vers.* 28, *clamat* : Sitio; *vers.* 30 : Consummatum est, *et expirat; vers.* 34, *lancea latus ejus aperitur indeque exiit sanguis et aqua. Denique, vers.* 38, *Joseph et Nicodemus Jesum ungunt, et in monumento novo sepeliunt.*

1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. 2. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus; et veste purpurea circumdederunt eum. 3. Et veniebant ad eum, et dicebant : Ave, rex Judæorum; et dabant ei alapas. 4. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. 5. (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum). Et dicit eis : Ecce homo. 6. Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam. 7. Responderunt ei Judæi : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. 8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. 9. Et ingressus est prætorium iterum, et dixit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. 10. Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? 11. Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. 12. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant, dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. 13. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum; et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. 14. Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis : Ecce rex vester. 15. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem, nisi Cæsarem. 16. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. 17. Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice

autem Golgotha : 18. ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos, hinc et hinc, medium autem Jesum. 19. Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem. Erat autem scriptum : Jesus Nazarenus, Rex Judæorum. 20. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt; quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum Hebraice, Græce et Latine. 21. Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum : Noli scribere, Rex Judæorum; sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum. 22. Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi. 23. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes : unicuique militi partem) et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. 24. Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens : Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. 25. Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. 26. Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ : Mulier, ecce filius tuus. 27. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. 28. Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio. 29. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. 30. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. 31. Judæi ergo (quoniam Parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur. 32. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. 33. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; 34. sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. 35. Et qui vidit, testimonium perhibuit; et verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit, ut et vos credatis. 36. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo. 37. Et iterum alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt. 38. Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum), ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu. 39. Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum. 40. Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. 41. Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus; et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. 42. Ibi ergo propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

1. TUNC ERGO APPREHENDIT PILATUS JESUM, ET FLAGELLAVIT. — « Tunc, » postquam scilicet dixisset Judæis, ut eorum furorem in Jesum restingueret : « Corripiam illum, et dimittam, » uti supplet Lucas, cap. XXIII, vers. 22, « flagellavit. » Incolæ terræ sanctæ tradunt Jesum flagellatum fuisse *primo*, funibus crassioribus; *secundo*, funiculis nodosis, additis ferreis scorpionibus; *tertio*, catenis; *quarto*, virgis spineis; sed respondet Ribera traditiones incolarum terræ sanctæ parum fidei habere, quoniam non manserunt in ea Christiani a tempore passionis usque ad nos, ut ita ab antiquis per manus veniret traditio : sed omnes sunt advenæ, et sæpe locum mutant, ideoque veterum traditiones non retinent.

2. ET VESTE PURPUREA (Syrus, *coccinea*) CIRCUMDEDERUNT EUM. — Vide dicta *Matth.* XXVII, 30, quibus adde S. Athanasium, qui, tract. *De Cruce et Passione*, asserit Christum in chlamyde coccinea portasse hominum sanguinem, quo homicidiis diabolus terram polluerat; in spinis, peccata; in calamo, chirographum quo nos diabolus tanquam suos scripserat : quæ omnia Christus abstulit passione sua. « Præterea, inquit, arundinem accepit Dominus, diabolo ignorante se dare illi gladium contra seipsum : dicitur enim arundo serpentibus lethalis esse, atque inde potissimum interfici; ita Christus cepit arundinem, ut nos liberaret a versutia serpentis. »

7. DEBET MORI QUIA FILIUM DEI SE FECIT, — quasi blasphemus, sacrilegus, imo ἀντίθεος. Audi S. Augustinum : « Ecce altera major invidia; parva



illa videbatur affectasse regnum; et tamen neutrum sibi Jesu mendaciter usurpavit : est enim Dei unigenitus, et rex a Deo constitutus super montem Sion, et utrumque demonstraret nunc, nisi quanto erat potentior, tanto mallet esse patientior. »

11. NON HABERES POTESTATEM ADVERSUM ME ULLAM, NISI TIBI DATUM ESSET DESUPER. PROPTEREA QUI ME TRADIDIT TIBI, MAJUS PECCATUM HABET. — Difficilis est hic connexio quam exigit τὸ « propterea; » sed omissis variis variorum explicationibus, plana est Jansenii, Cajetani et Riberæ expositio, *q. d.* Tu non habes in me ullam potestatem, et quia ego innocens sum, et quia possem me eripere si vellem; sed Pater meus vult ut me tibi tradam atque subjiciam, ut perficiatur opus humanæ redemptionis, atque ad hoc permisit, ut tu Judæorum accusationi et voluntati acquiescas, et in me exerceas tuam potestatem, quam minime exerceres, nisi isti me accusassent : propterea isti qui te obtendunt et urgent ut potestatem istam permissam exerceas, magis peccant quam tu.

12. ET EXINDE QUÆREBAT PILATUS DIMITTERE EUM. — Jam ante idipsum quæsierat, sed nunc, maxime, postquam audivit ipsum esse Filium Dei, ac peccatum sibi objicientem, timuit ne Dei vindictam incurreret, si Filium ejus damnaret. Sed vicit timor Cæsaris timorem Dei, ut sequitur. Suspicabatur Pilatus Jesum esse Jovis, Herculis, Apollinis, vel alterius dei filium : Gentiles enim multos deorum filios numerabant eosque quasi semideos colebant. Ita Cyrillus.

13. IN LOCO QUI DICITUR (Græce) LITHOSTROTOS (id est lapide stratus), HEBRAICE AUTEM GABBATHA, — id est *altus* : גבה *gaba* enim altum significat, quia erat in loco sublimi, ut solent esse tribunalia, ut judex a circumfusa multitudine videri et audiri possit. Dicit hoc Joannes, ut notet Jesum publicam et atrocem hanc damnationis judiciariæ sententiam et ignominiam, pro publicis nostris peccatis ultro suscepisse. Ad Gabbatha multis gradibus marmoreis ascendebatur, qui Romam translati, juxta basilicam Lateranensem magna fidelium religione frequentantur, et scalæ sanctæ nomen obtinent.

14. ERAT AUTEM PARASCEVE PASCHÆ, — hoc est sabbati paschalis : hoc enim quia incidebat intra octavam Paschæ, cæteris sabbatis erat solemnius, ideoque dicebatur *magnum*, ut patet, vers. 31. Sensus ergo est, *q. d.* Erat feria sexta sive dies Veneris, in qua fiebat παρασκευή, id est præparatio ciborum et rerum necessariarum ad sequentem diem sabbati : illo enim, utpote sanctissimo, nec cibos coquere, nec quid aliud facere licebat. Unde solum sabbatum præviam suam habebat parasceven, qua cætera festa carebant. Quare perperam Græci Parasceven Paschæ interpretantur pridie Paschæ, quo agnum immolabant. Nam ex Matthæo, Marco et Luca constat Christum crucifixum esse primo die azymorum, hoc est postridie Paschæ, quo agnum immolaverant : ergo Joannes primum diem azymorum vocat hic Parasceven Paschæ, id est pridie sabbati paschalis.

HORA QUASI SEXTA. — Arabicus, *et erant sex horæ*, scilicet ab ortu solis. Dices : Marcus, XV, 25, ait : « Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum. » Varii varie respondent : *Primo*, aliqui apud Theophylactum censent ex Marco corrigendum esse Joannem scribendumque hic, « hora quasi tertia. » Verum obstant omnes codices Græci, Latini, Syri, Arabici, qui in Joanne habent, « hora quasi sexta (1). »

*Secundo*, S. Hieronymus, in *Psalm.* LXXVII, ex adverso ex Joanne vult corrigi Marcum, ut in eo legatur : « Erat autem hora sexta. » Errorem autem contigisse censet ex affinitate notarum ternarii et senarii, quorum una pro alia irrepserit. Græcis enim γ est nota ternarii, ϛ vero senarii. Verum omnia exemplaria in Marco habent : *Erat autem hora tertia*; nullum vero habet *sexta*.

*Tertio*, Euthymius, in *Marc.* XV, censet a Marco dici Christum crucifixum « hora tertia, » quia illa hora postularunt Judæi eum crucifigi, clamando : « Crucifige, crucifige eum; » sed aliud est postulare ad crucem, aliud crucifigere.

*Quarto*, S. Augustinus, *tract.* 117, et in *Ps.* LXIII, et lib. III *De Consensu Evang.*, cap. XIII, respondet fuisse horam tertiam, quando Pilatus Jesum damnavit ad crucem, sed hanc a Joanne vocari sextam, facto computu a principio quo cœpit Jesus præparari (hoc enim significat Parasceve) ad mortem, quod fuit hora nona præcedentis noctis, quando a Caipha proclamatus est reus mortis : nam ab hac nona noctis hora usque ad horam tertiam diei sex intercedunt horæ, qua Christus, qui vere est pascha, id est agnus paschalis, in cruce immolatus est. Verum hoc violentum esse agnoscit ipse S. Augustinus. Unde ipse

*Quinto*, respondet, Jesum crucifixum esse linguis Judæorum *hora tertia*, qua ipsi clamaverunt : *Crucifige, crucifige eum*; lingua vero et sententia Pilati, *hora sexta* : sed hoc jam rejeci in Euthymio.

*Sexto* ergo, communiter respondent interpretes Christum crucifixum *hora tertia*, ut ait Marcus, sed finiente, hoc est inchoata *hora sexta*, ut ait Joannes. Nam horæ Romanorum et Hebræorum ternas nostras complectebantur; dividebant enim diem æque ac noctem in quatuor vigilias sive excubias militares, quas horas nuncupabant : quare quælibet ex eis continebat tres horas nostrates.

(1) Quanquam hodie codices fere omnes, paucis exceptis, cum versionibus habent ἕκτη, *sexta*, Chronicon tamen paschale Alexandrinum, provocans ad accurata exemplaria, imo ad Joannis ἰδιόχειρον, ad suam usque ætatem in Ephesina ecclesia custoditum, legit τρίτη, *tertia*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Septimo*, probabiliter Ribera censet Christum dici crucifixum hora tertia, quia illa hora Pilatus clamantibus Judæis : «Crucifige,» publice assensus est, ut vitaret populi tumultum; unde jussit eum flagellari, quasi parans eum ad crucem (occidendi enim rei prius flagellari solebant), sperans tamen atrocitate flagellationis molliendos fore Judæorum animos : at cum vidit eos in clamore contra Jesum perseverantes, hora sexta pro tribunali sedens, judiciariam et irrevocabilem in eum sententiam crucifixionis protulit. Favet Lucas, XXIII, 14, ubi ait Pilatus : «Nullam causam mortis invenio in eo, corripiam ergo illum et dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur, et invalescebant voces eorum; et Pilatus adjudicavit fieri petitionem illorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem. » Patet etiam ex *Matth.* XXVII, ubi cum Pilatus vidisset Judæos petere Barabbam, et non Christum, «accepta aqua, lavit manus coram populo dicens : Innocens ego sum, etc., vos videritis, et respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos : » ergo antequam solveretur Barabbas, decrevit Christum crucifigi. Confirmatur ex B. Clemente, lib. V *Constit. Apost.*, cap. XVI, aut juxta recentiorem translationem, cap. XIII, ubi ita ait : «Ligno crucis hora quidem sexta affixerunt, hora vero tertia sententiam contra eum pronuntiatam acceperunt. » Et lib. VIII, cap. XL, et juxta novam translationem, cap. XXXIV, ait : «Tertia (scilicet *hora*), quod ea hora Pilatus judicium adversus Dominum pronuntiavit; sexta, quod ea hora in crucem actus est; nona, quod tunc omnia mota et tremefacta sunt Domino crucifixo. » Denique S. Ignatius, epist. 5 *ad Trallianos*, sic ait : « Die ergo Parasceves, hora tertia accepit sententiam a Pilato permittente Patre; sexta vero crucifixus est; nona autem emisit spiritum.» Ergo hora tertia Pilatus tulit sententiam, id est consensit populo ut crucifigeretur; sed sexta hora formalem et irrevocabilem crucis sententiam in eum dictavit. Unde et Telesphorus Papa in sua epist. : «Reliquis, ait, temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ, quia et eadem hora Dominus crucifixus,» id est crucifigi jussus, vel potius permissus fuit a Pilato. Quocirca cum ait Marcus : « Et erat hora tertia, et crucifixerunt eum; » τὸ *crucifixerunt* actum inchoatum significat, non perfectum, *q. d.* Hora tertia cœperunt Judæi agere de crucifixione Christi, clamantes : « Crucifige, crucifige eum; » ac Pilatus eis consensit, ideoque jussit eum flagellari, quasi parans eum ad crucem et necem; sed sub finem horæ tertiæ, incipiente jam hora sexta, Pilatus Jesum juridice damnavit, et statim eum crucifixerunt. Marcus ergo originem et initium crucifixionis per horam tertiam indicavit; Joannes vero ejus executionem et complementum per horam sextam assignavit.

15. Non habemus regem, nisi Cæsarem. — « Agnum rejecerunt, ait Cassiodorus hic, vulpem elegerunt, » scilicet Herodem a Romanis et Cæsare sibi regem creatum. De Herode enim ait Christus « Dicite vulpi illi, » *Lucæ* XIII, 32.

17. Et bajulans sibi crucem, — ex lege et more Romanorum. Audi S. Augustinum, *tract.* 117 : « Grande spectaculum; sed si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium : si spectet impietas, grande ignominiæ documentum; si pietas, grande fidei monumentum : si spectet impietas, ridet regem, pro virga regni lignum sui portare supplicii; si pietas, videt regem bajulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus etiam erat in frontibus regum, in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum. » Et affert illud *Gal.* VI : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. »

23. Erat autem tunica inconsutilis, desuper (*ἐκ τῶν ἄνωθεν*, id est *ex summis*, id est ex summo usque ad imum) contexta per totum. — *q. d.* Tota a cervice ad talos erat continua serie contexta, sine ulla sutura vel scissura, sicut solent interulas et caligas in Belgio a summo ad imum integras, gemina acu, filis opere reticulato intextis pertexere. Unde Arabicus et Syrus vertunt, *erat autem tunica absque sutura desuper, sed contexta tota.* Origenis interpres, tract. 35 *in Matth.*, *Sursum textilis per totum.* Sic et Nonnus. Tradunt, ait Euthymius, eam a B. Virgine fuisse contextam. De eadem plura dixi *Matth.* XXVII, 35.

Allegorice : Tunica inconsutilis Christi est Ecclesia, quam scindere non licet, et si scindas, schisma facies.

Tropologice S. Bernardus, serm. 1 *De Annunt.* : « Tunicam inconsutilem, ait, ego divinam arbitror esse imaginem; quæ nimirum non assuta, sed insita atque impressa naturæ, dividi scindique non potest. »

25. Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror (consobrina) Matris ejus, Maria Cleophæ (scilicet uxor, ac mater sanctorum Judæ et Jacobi Minoris apostolorum), et Maria Magdalene, — quæ longe magis in amorem Jesu exarsit, dum vidit eum sanguine abluere peccata sua, quæ ipsa nuper lacrymis abluerat. Voluit hoc Christus, tum ut magis pateretur matris dolentis aspectu, tum ut ipsa sibi compatiendo perfectum patientiæ et charitatis nobis daret exemplar. Ecce hic impletur illud : « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, » *Luc.* II, scilicet, ut ait Damascenus, lib. IV, cap. XV : « Dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit ex materna compassione viscerum lacerum reparturiens. » Nimirum quo sanctior quis est et Christo vicinior, eo major calix passionis illi a Christo propinatur. Euthymius asserit B. Virginem propinquius cruci astitisse, viscerum inflammatione Judæorum timorem vincentem.



Stabat ergo corpore erecta et excelsa, animo excelsior, spectans et admirans magnum hoc pietatis sacramentum, scilicet Deum in cruce. Hinc Sophronius apud S. Hieronymum, serm. *De Assumptione*, B. Virginem vocat martyrem, imo plusquam martyrem : « Quia, inquit, mente passa est, plusquam martyr fuit. Nimirum et ejus dilectio amplius fortis, quam mors fuit, quia mortem Christi suam fecit. » Sic et S. Ildephonsus, serm. 2 *De Assumptione* : « Plusquam martyr fuit, quia in animo non minus amoris quam mœroris fuit : est intus gladio vulnerata, parata etiam stetit, si non deesset manus percussoris. Beata Dei genitrix jure plusquam martyr mater est, quæ nimio amore vulnerata testis extitit Salvatoris, et pro mœrore in animo cruciatum sustinuit passionis. » Hæc Ildephonsus.

S. Anselmus, lib. *De Excellentia Virg.*, cap. V : « Quidquid, ait, crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione tuæ passionis, quæ nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua tuique benignissimi cordis intima; et utique, pia Domina, non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis, spiritus scilicet dulcissimi Filii tui, pro quo moriente torquebaris, te intus doceret non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subjicientem, quod in ipso fieri coram moribundo videbas. » S. Bernardus, in *Lament. B. Mariæ* : « Nec lingua, ait, poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ. Nunc solvis, Virgo, cum usura, quod in partu non habuisti a natura. Dolorem pariendo Filium non sensisti, quem millies replicatum Filio moriente passa fuisti. »

S. Mechtildis, lib. I *Revel.*, cap. LVI, narrat se vidisse Seraphinum quemdam salutasse Virginem « ob amorem quo Deum, inquit, præ omni creatura in terris dilexit, quia amor in passione unigeniti sui in ea tantum prævaluit, ut omnem humanum affectum penitus devinceret et extingueret; quia omni creatura in morte Filii Dei dolente, ipsa sola cum divinitate immobilis, et gaudens Filium suum pro mundi salute voluit immolari. »

Joannes Gerson, scribens in *Magnificat*, asserit B. Virginem stantem juxta crucem habuisse altissimum actum obedientiæ, offerendo filium Patri, et conformando se in acerbissima filii morte cum divina voluntate; neque enim minori fortitudine prædita fuit, quam mater illa septem Machabæorum, de qua II *Machab.* VII, sic scribitur : « Supra modum autem mater mirabilis et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens bono animo ferebat, propter spem quam in Deo habebat, singulos illorum hortabatur voce patria, fortiter repleta sapientia, et femineæ cogitationi masculinum animum inserens, dixit ad eos, » et quæ sequuntur. Neque minori constantia quam S. Felicitas, qua hortante, septem filii ejus in fide perseverantes pro Christo varie sunt necati, et quam S. Symphorosa, quæ septem pariter filiis fidei magistra et dux ad martyrium extitit.

Quantus tunc fuerit dolor Virginis, ex ejus revelatione descripsit S. Brigitta, lib. I *Revelat.*, cap. X, XXVII, XXXV, et lib. IV, cap. XXIII et LXX, ubi inter cætera ait : « Dolor filii erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum. »

Denique Adrichomius, in *Descript. Jerusalem*, ex Saligniaco, Bredenbachio et aliis, singula loca passionis Christi graphice depingens et dimetiens, asserit B. Virginem cum Joanne, Magdalena cæterisque mulieribus, firma mentis fideique constantia stetisse, quindecim ulnis, quæ nunc octodecim gradibus metiuntur, distantem a cruce Christi, atque hunc locum adhuc pia veneratione a fidelibus decorari.

Quæres, quid de spasmo Beatæ Virginis sentiendum. Respondeo : Beatam Virginem spasmum, id est deliquium animi, passam esse, indeque corruisse in terram ex ingenti dolore, dum primum Jesum in cruce pendentem aspexit, tradit S. Brigida, lib. I *Revelat.*, cap. X, et lib. IV, cap. LXX; S. Bonaventura, in *Medit. vitæ Christi*, cap. LXXVII et LXXIX; S. Bernardus, in opusc. *De Lamentatione Virginis.* Favent S. Augustinus, *epist.* 58; Laurentius Justinianus, *De Triumphali agone Christi*, cap. XXI; Dionysius Carthusianus hic, Daniel Mallonius, *De Stigmat. sacræ sindonis*, cap. XVII, ad finem. Confirmant idipsum *primo*, ex eo quod nonnulli chorographi terræ sanctæ scribunt in via Calvariæ templum esse jam dirutum, quod nunc est stabulum equorum Turcarum, diciturque S. Maria-de-Spasmo, quod ibi corruerit exanimata Virgo, videns filium suum in cruce in via illa, quæ vulgo Amaritudinis dicitur. *Secundo*, quod Cajetanus, in opusc. *De Spasmo Virginis Mariæ*, in fine tom. II opusculorum, refert celebratam esse festivitatem spasmi Virginis cum Octava, et qui celebrabant, petierunt a Summo Pontifice indulgentias.

An spasmum passa B. Virgo.

Ex adverso, B. Virginem deliquium passam esse negat Maldonatus hic, qui asserit contrarium dicere esse errori affine, Cajetanus, Jansenius, Toletus, Christophorus a Castro, *De Deipara* cap. XVI; Medina, III *part.*, *Quæst.* XXVII; Molanus, lib. IV, cap. VIII, *De Imagin.*; Suarez, III *part.*, *Quæst.* XXVII, disp. IV, sect. 3. Probant id tum ex ratione conformitatis voluntatis ejus cum divina, per quam volebat filium suum pro humani generis redemptione mori; tum ratione constantiæ et fortitudinis animi, qua ipsa prædita erat; tum etiam ratione decentiæ cujusdam, quam decuit Virginem servare : non enim, inquiunt Cajetanus, Suarez et Toletus, conveniebat matrem Dei corporales quosdam defectus habere, aut aliquod dissonum et indecorum in ratione esse : gratius enim erat

quod compateretur secundum rationem, quam secundum partem sensitivam.

Hæc sententia verior et B. Virgine dignior videtur : si quis tamen priorem sententiam sequi malit, dicat cum Salmerone, lib. X, *tract.* 41, Beatam Virginem principio erectæ crucis ex doloris vehementia in terram corruisse, postea vero, resumpto animo, semper stetisse, ut ait hic Joannes. Rursum dicat spasmum hunc non illam a se alienasse, ut rationis esset impos : hoc enim fuisset indecens ; sed tantum mentem a sensibus abstraxisse, ut virium defectu in terram laberetur ; idque factum ipsa non invita, sed permittente, ut suum erga Christum eximium amorem, indeque dolorem hominibus testaretur. Simili enim modo Christus in horto assumpsit passiones pavoris, tædii et angoris, ut sudaret sanguinem. Hæ ergo passiones Christo, ac B. Virgini erant voluntariæ, et sponte assumptæ, vel permissæ. Uterque enim liber erat a concupiscentia, ac plenum passionum suarum habebat dominium, æque ac habuit Adam per justitiam originalem in statu innocentiæ.

Audi S. Ambrosium, serm. *De Institut. Virgin.*, cap. VII : « Stabat ante crucem mater, et fugientibus viris stabat intrepida. Videte utrum pudorem mutare potuerit mater Jesu, quæ animum non mutavit. Spectabat piis oculis filii vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem : stabat non degeneri mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem : pendebat in cruce filius, mater se persecutoribus offerebat ; non ignara mysterii fuit quod genuisset resurrecturum. » Et S. Anselmus hic : « Stabat Maria in fide Jesu constantissima et patientissima : nam discipulis fugientibus cunctisque viris recedentibus, in gloriam totius feminei sexus, inter tot pressuras filii sui constanter ipsa sola stabat in fide Jesu firma, et pulchre stabat, ut decet pudicitiam virginalem : non se laniabat in tanta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hostium a Deo petebat ; sed stabat disciplinata, verecunda Virgo, patientissima, lacrymis plena, doloribus immersa. »

Imo B. Virgo spectans in cruce pia Christi vulnera, adeo confortata est, ut etiam ipsa pro salute mundi mori esset parata, ait S. Ambrosius in cap. XXIII *Luc.* : non enim B. V. robore et ardore charitatis erat inferior Abrahamo, qui propria manu unicum suum filium Isaac, Deo jubente, immolare voluit. *Genes.* XXII. Accedebat certa fides et spes resurrectionis, quæ valde dolorem leniebat et animum Virginis corroborabat. Certo enim credebat Christum, uti prædixerat, tertia die gloriose resurrecturum.

26. CUM VIDISSET ERGO JESUS MATREM ET DISCIPULUM STANTEM, QUEM DILIGEBAT, DIXIT MATRI SUÆ : MULIER, ECCE FILIUS TUUS. — Verberat Christus matris cor telo tum amoris, tum doloris, *q. d.* En, mater, in cruce morior, ut vides ; deinceps tibi adesse, ......, providere et opitulari corporaliter non potero, uti hactenus feci. En loco mei tibi in filium assigno Joannem ; nimirum pro Deo hominem, pro magistro discipulum, pro filio naturali adoptivum, ut hic quasi virgo, tui quasi Virginis Deiparæ amantissimus, omne solatium, omne obsequium præstet, quod tum tua dignitas ac senescens ætas meretur, tum Joannis alacritas et charitas promittit et spondet. Docet ergo hic Christus filios parentum curam gerere debere usque ad extremum spiritum, ait Theophylactus ex Chrysostomo. Audi S. Augustinum : « Moralis hic insinuatur locus : exemplo suo suos instruxit præceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus : tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis. » Nam, ut ait Cyrillus : « Oportebat ab ipso et per ipsum primum nos discere, nec quando intolerabiles imminent ærumnæ, negligendos esse parentes. » Admirare autem cum Theophylacto, « quomodo in cruce omnia absque turbatione facit, matris curam agens, prophetias implens, latroni paradisum aperiens : ante crucem autem laborans, sudans, anxius. » Nam, ut Euthymius ait, « ibi naturæ infirmitas, hic autem patientiæ vehementia apparet. » Commendat Christus matrem Joanni, quem eidem pro se in filium substituit, ut tam matri de tali filio, quam Joanni de tali matre prospiciat. Causas cur id fecerit, dat S. Cyprianus vel quisquis est auctor, tractatu *De Passione Christi* : *Prima* est, ut matri jam senescenti de cura et obsequio filii provideret, *q. d.* Ego sum filius tuus, o mater ; et quia morior, tui curam gerere nequeo : illam ergo in Joannem resigno et transfero.

Commendatur B. Virgo S. Joanni, et mater S. Joanni.

Cur Joannes B. Virgini commendatur?

Causa Prima.

*Secunda*, ut virginem virgini commendaret ; nam « pura puro commissa est, » ait Theophylactus. Quare Nonni paraphrasis est : « Dixit : Mulier, amans virginitatis mater, ecce virginem filium ; et vice versa dixit discipulo : Virginitatis studiose, ecce virgo parens tua absque partu. » Et Ambrosius, cap. VII *De Instit. virgin.*, ait : « Sed cum quo Virgo habitare debebat, quam cum eo, quem filii hæredem, integritatis sciret esse custodem ? » Atque hac quidem re Jesus quasi filius de matris pudore sollicitus, maternæ virginitatis perseverantiam voluit comprobatam, quod scribit Ambrosius, ejusdem lib. cap. VI : « Ne quis eam convitio temeratæ integritatis aspergeret. »

*Tertia*, ut ostenderet Josephum non esse suum patrem, hinc eo abrogato Joannem ei in cura matris substituit. Sed audi ipsum Cyprianum : « Provides sedulo benedictæ inter mulieres Apostolicam clientelam, et obsequium Virginis virgini discipulo tradis ; ut jam non Joseph tanti mysterii oneretur præpositura, sed Joannes, quia jam exigebat ratio, ut conjugis removeretur opinio, nec ultra pater Christi æstimaretur, qui catenus vicem patris et conjugis tenuerat. » Occurrit deinde taciæ objectioni dicens : « Habebat Joseph in hac Christi dispositione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum ; sed quia in spiritu actum erat conjunctionis illius mysterium, passus est Joseph æquanimiter sibi eum in hoc servitio præponi ; quem digniorem se judicabat ; et ideo maxime, quia magistri electio sic negotium ordinabat. »



Adverte hic auctorem (sive Cyprianus, sive quis alius fuerit) hunc opinari Josephum in passione Christi fuisse superstitem et vivum, cujus contrarium passim opinantur Interpretes, idque verisimilius videtur ..... enim ejus fit mentio : imo videtur Christus matrem Joanni commendasse hac de causa, quod Joseph jam esset vita functus : si enim vixisset, utique illi matrem suam velut sponsam charissimam commendasset, uti primitus eam commendarat dum incarnaretur et nasceretur, atque ejus fidelitatem et sedulitatem, tum in fuga in Ægyptum, tum alias semper expertus erat.

*Quarta* causa, cur Christus Joanni præ aliis Apostolis matrem commendarit, fuit quod Joannes solus cum matre Christo crucifixo usque ad mortem intrepidus et constans, inter tot Judæorum odia et opprobria astiterit : meruit ergo ipse ut a Jesu quasi in fratrem adoptaretur, ac pro se quasi filius matri virgini surrogaretur. Porro Christus in Joanne cæteros Apostolos, imo fideles omnes, quasi filios matri suæ assignavit et commendavit, maxime eos qui virgines castique sunt, ac proxime Christum in cruce sua consectantur ; sic enim fiunt amicissimi ac intimi Christo ejusque matri, uti fuit S. Joannes, qui proinde a S. Cypriano loco citato vocatur « cubicularius Christi. »

QUEM DILIGEBAT, — cui exterius majora dilectionis signa exhibebat, eo quod cæteris esset junior, verecundior, modestior, castior et virgo, ac Jesum præ aliis diligeret, ideoque aliis fugientibus solus cum matre astaret cruci, ut superius dixi.

MULIER, ECCE FILIUS TUUS. — Dicit Christus, *mulier*, non *mater*, ne nominando matrem, ipsius animam majori dolore afficiat, *primo* ne, ut canit Baptista Mantuanus, « materna pium laceraret viscera nomen ; » *secundo*, ne astantes Judæos et Scribas contra eam concitet ; *tertio*, ut ostendat se affectus humanos erga parentes exuisse ; *quarto*, quia ad mortem et cœlum tendens parentelas humanas hujus vitæ abdicavit, et abdicandas esse docere voluit ; *quinto*, ut matrem ad fortitudinem et animum excelsum omnia hæc fortiter tolerandi excitet, memoremque faciat se esse illam, de qua prædixerat Salomon : « Mulierem fortem quis inveniet ? » *Prov.* XXXI. 1. B. Virgo enim amplius et diutius passa fuit quam Christus. Nam passio Christi desiit in morte, tunc autem B. Virginis passio et compassio non desiit, sed crevit : nam Christi corpus mortuum e cruce depositum ipsa excepit cum redivivo dolore, ac deinde per tres dies sepulturæ cruciatus Christi crucifixi, quos ipsa cominus oculis aspexerat, vivi lacerabant in imaginatione ejus eamque cruciabant, usque dum Christus resurgens sua apparitione, consolatione et gloria eos abstersit. Rursum B. Virgo relicta fuit a Christo post se, ut illa Apostolorum et fidelium foret mater, eos lapsos colligeret, afflictos solaretur, titubantes solidaret, dubiis et anxiis consuleret eosque per omnia dirigeret, instrueret, animaret. Unde ipsa statim Apostolos a Christo capto diffugientes collegit, Petrum ob negationem Christi pusillanimem spe ..... erexit, omnesque morte Christi turbatos fide resurrectionis Christi mox futuræ confirmavit. Deinde cum principes Judæorum Apostolos incarcerarent, flagellarent, occiderent, ipsa omnes hasce persecutiones quasi sibi illatas, vive sentiebat, sed excelso animo superabat et Apostolos superare verbo et exemplo docebat.

B. Virgo plus passa quam Christus.

Hæc omnia prævidens Christus dixit : « Mulier, » *q. d.* O mater, esto deinceps mulier fortis et generosa, quæ mei loco sis basis, petra et columna meæ Ecclesiæ, ut eam robore tuo fulcias et omnes contra eam tentationum procellas tua constantia, consilio, oratione elidas et dissipes, non tantum nunc, sed et omnibus deinceps sæculis, usque ad finem mundi. Quocirca ipsa a fidelibus totaque Ecclesia in Litaniis vocatur et assidue invocatur : « Consolatrix afflictorum, Refugium peccatorum, Salus infirmorum, Turris Davidica, Fœderis arca, Auxilium Christianorum, Stella matutina, Janua cœli, Mater admirabilis, Virgo virginum, Regina Apostolorum, Martyrum, Confessorum et Sanctorum omnium. »

Audi S. Bernardum, serm. 4 *De Assumpt.* : « Sileat, ait, misericordiam tuam Virgo beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. » Et mox : « Quis ergo misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare ? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replebit orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra ; sic et sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cœlestis Jerusalem. Ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat. » Idem, hom. 4 super *Missus est* : « Ex ore tuo (o Virgo) pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. » Idem, serm. 2 in Pentecostes : « Ad illam (B. Virginem) sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

respiciunt et qui in cœlo habitant, et qui in inferno, et qui nos præcesserunt, et nos qui sumus, et qui sequuntur, et nati natorum, et qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, ut resarciantur; qui in inferno, ut eripiantur; qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur; qui sequuntur, ut glorificentur. Eo beatam te dicunt omnes generationes genitrix Dei, domina mundi, Regina cœli. In te enim angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, et per te, et de te benigna manus Omnipotentis, quidquid creavit, recreavit. » Nam, ut ipse ait, serm. 3 *super Missus*, in B. Maria inhabitavit plenitudo divinitatis corporaliter, puta θεανδρικῶς, ut ait S. Dionysius, ex quo theandricæ, id est Dei viriles actiones, quibus homines Deo reconciliavit, promanarunt. Idem, *serm.* 3 inter parvos : « Ave, Maria, gratia plena, quia Deo et angelis et hominibus grata : hominibus per fœcunditatem, angelis per virginitatem, Deo per humilitatem. » Idem, serm. *De beata Maria* : « Eva spina fuit, quæ et virum suum usque ad mortem pupugit, et posteritati sui peccati aculum infixit; rosa Maria. Eva spina vulnerando; Maria rosa omnium affectus mulcendo. Eva spina infigens omnibus mortem; Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem. »

27. DEINDE DICIT DISCIPULO : ECCE MATER TUA. — *q. d.* Hanc ama, observa, juva ut matrem, ac vicissim ad eam, quasi ad matrem in omni difficultate, tentatione, persecutione, afflictione, recurre. Illa te materno affectu suscipiet, fovebit, solabitur, proteget, opem a Filio poscet, etc. Porro verba Christi non sunt ut hominum, oralia duntaxat et inefficacia, sed ut Dei, realia et efficacia, ac perficiunt id quod dicunt : quare S. Joanni impresserunt filialem affectum et spiritum erga B. Virginem, quasi erga matrem suam. « Jam papæ! exclamat Theophylactus, quomodo honorat discipulum, fratrem suum illum faciens? usque adeo bonum est juxta crucem stare, et manere apud patientem Christum. » Et Chrysostomus : « O honorem quem discipulo tribuit! Cum enim jam abiret, matris curam discipulo reliquit; nam cum paresset utpote matrem dolere, et protectionem quærere, merito dilecto commendat, cui etiam inquit : Ecce mater tua; ut dilectione devincirentur. »

ECCE MATER TUA, — et tuorum collegarum Apostolorum cæterorumque fidelium, quorum personam Joannes hic repræsentat : quare fideles omnes ad eam quasi ad matrem confugere oportet cum magna fiducia et amore, uti docet S. Bernardus, cujus verba jam recitavi. Ipsa ergo vera est fidelium Eva, id est mater viventium. Ita ad illam recurrere omnes sapientes et Sancti quolibet ævo.

Audi S. Augustinum, serm. *De Passione* : « Ecce mater tua; curam, inquit, illius habe, eam tibi commendo, suscipe matrem tuam. Dum hæc pauca diceret, illi duo dilecti lacrymas fundere non cessabant, tacebant ambo illi Martyres, et præ nimio dolore loqui non poterant; isti duo virgines Christum audiebant et voce loquentem, et ipsum videbant paulatim morientem, amare flebant, qui amare dolebant; nam gladius doloris Christi animas utrorumque transibat.

ET (hoc est *igitur*, quia scilicet Jesus id jusserat) EX ILLA HORA ACCEPIT EAM DISCIPULUS IN SUA. — Ita legendum cum Græcis et Romanis; Syrus et Arabicus, *apud se.* Nonnulli legunt, *in suam*, scilicet habitationem vel domum. Unde Nonnus paraphrastice vertit : « Virginem partu felicem convictricem habuit discipulus intra domum suam. » Nam filii solent parentes senes in domum suscipere et alere; et quos in curam nostram, hos et in domum suscipimus. Audi Bedam : Alia littera habet « in suam, » scilicet matrem, ut quidam volunt; sed congruentius subauditur : in suam curam. Et S. Augustinus : « Suscepit eam in sua, non prædia, quæ propria possidebat; sed officia, quæ propria dispensatione curabat. » Omnia ergo hæc eodem redeunt. Hinc S. Joannes abiens Ephesum, eodem secum duxit B. Virginem. Unde in Synodo Ephesina, cap. XXVI, in epistola Synodica dicitur quod B. Virgo et S. Joannes quandoque incoluerint Ephesiorum civitatem. Vide Christophorum a Castro in *Historia Deiparæ.*

Hoc ergo fuit testamentum Christi, cujus testamentarius et executor fuit S. Joannes : « Testabatur enim de cruce, ait S. Ambrosius, in cap. XXIII *Luc.*, et testamentum ejus signabat Joannes, dignus tanto testatore testis. »

Hinc rursum collige Josephum, sponsum Virginis, jam vita fuisse defunctum. « Neque enim, ait S. Ambrosius, loco jam citato, abrogaretur uxor marito, sed quæ pro mysterio conjugium prætexuit, completis mysteriis jam conjugio non egebat. » Et Epiphanius, *hæresi* 78, sic ait : « Dicit autem Evangelium : Et ab illa die accepit eam ad sua (sive apud seipsum); si vero habuisset virum, si habuisset domum, si habuisset filios, in sua secessisset, et non ad alienum. » Hinc vide quam pauper et paupertatis studiosa fuerit B. Virgo.

28. POSTEA SCIENS JESUS, QUIA OMNIA CONSUMMATA SUNT, UT IMPLERETUR SCRIPTURA, DIXIT : SITIO. — « Postea, » post tres fere horas : nam ante tenebras, initio crucifixionis, matrem commendavit Joanni; in fine vero, paulo ante mortem, dixit : « Sitio, » ut impleretur Scriptura, *Psal.* LXVIII, 22 : « Et in siti mea potaverunt me aceto, » *q. d.* Ut hoc quoque tormentum propinationis aceti patiar, clamo me sitire, *q. d.* ait Augustinus : « Hoc minus fecistis, date quod estis : » nimirum estis acetosi et acerbi, date ergo acetum, non vinum.

Sitiebat Christus, tum quia nec ederat, nec biberat quidquam a cœna pridiana; tum quia humorem omnem exsudarat et sanguinem in flagellatione et crucifixione effuderat; tum quia dolores acerrimi sitim ingentem excitabant. Nam, ut ait Cyrillus, « dolores innatum calorem exagitant, vel quod in profunditate est humidum consumunt, et igneis ardoribus dolentis viscera urunt. » Hinc fauces siccantur et præ siti arescunt; tunc ergo impletum fuit in Christo illud *Psal.* XXI, 6 : « Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis. » Quæ Christi verba usurpans Cancellarius Lovaniensis, me præsente, ante 40 annos moriens, aiebat nunquam se illa ita intellexisse, uti tum ad vivum intelligebat, cum simili siccitate faucium et siti se laborare sentiret, et ex illa metiretur quanta fuisset Christi sitis et siccitas. Mystice, sitiebat Christus animarum salutem. Vide Bellarminum, *De septem Christi verbis in cruce.* Nimirum, « sitit sitiri Deus, » ait Nazianzenus in *Tetrastichis*, ut scilicet insatiabiliter eum amemus et optemus, dicamusque cum Psalte : « Sitivit (instar cervi anheli, ut præcessit) anima mea ad Deum fortem vivum : quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? »

Vers. 29. 29. VAS ERGO ERAT POSITUM ACETO PLENUM. ILLI AUTEM SPONGIAM PLENAM ACETO, HYSSOPO CIRCUMPONENTES, OBTULERUNT ORI EJUS. — Hunc versum explicui *Matth.* XXVII, 48.

Vers. 30. 30. CUM ERGO ACCEPISSET JESUS ACETUM, DIXIT : CONSUMMATUM EST. ET INCLINATO CAPITE TRADIDIT SPIRITUM. — *q. d.* Consummata jam sunt omnia tormenta, æque ac mysteria, quæ Pater a me sustinenda vel peragenda ab æterno decrevit, ac nascenti mihi sustinere et peragere præcepit, quæ proinde a Prophetis de me prædici voluit. Restat ergo catastrophe mortis, ut morte consummem cursum et passionem meam, ac morte mea reatum mortis, quem Adam peccando induxit, expiem, itaque homines vitæ restituam. Mortem ergo amplector, et in manus Patris meum resigno spiritum. Vide dicta *Matth.* XXVII, 48 et seq.

Nota : Christus septem edidit in cruce verba, quorum quatuor recensent Matthæus, Marcus et Lucas, tria vero Joannes. *Primum* fuit : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. » *Secundum*, ad latronem : « Hodie mecum eris in paradiso. » *Tertium*, ad matrem : « Mulier, ecce filius tuus; » ac ad Joannem : « Ecce mater tua. » *Quartum* : « Deus meus, ut quid dereliquisti me? » *Quintum* : « Sitio. » *Sextum* : « Consummatum est. » *Septimum* : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. »

31. JUDÆI ERGO (QUONIAM PARASCEVE ERAT), UT NON REMANERENT IN CRUCE CORPORA SABBATO (ERAT ENIM MAGNUS DIES ILLE SABBATI), ROGAVERUNT PILATUM UT FRANGERENTUR EORUM CRURA, ET TOLLERENTUR. — Lege sancitum erat, *Deuter.* XXI, 22 : « Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur. » Sequitur causa : « Quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno, et nequaquam contaminabis terram tuam. » Vide ibi dicta. Maxime vero hoc faciendum erat in parasceve sabbati, ne suspensorum cadavera, si in patibulo remanerent, sabbatum, quod erat solemnissimum festum, deturparent, funestarent et sui cruciatus horrore fœdarent, ait S. Augustinus. Debebant ergo rei mori et sepeliri ante solis occasum; sabbatum enim incipiebat a vespera et solis occasu, « ne occideret sol in hominis supplicio, » ait Theophylactus.

ERAT ENIM MAGNUS DIES ILLE SABBATI. — Quia scilicet erat sabbatum paschale, sive incidens intra octavam Paschæ, ideoque cæteris solemnius, quia duplici titulo festum : scilicet primo, sabbati; secundo, Paschæ.

UT FRANGERENTUR EORUM CRURA, — id est, validis mallei aut vectis ferrei ictibus rumperentur. Nonnus, « ut secarentur : » nimirum hoc fine, « ut citius morerentur; » tum « ob magnitudinem doloris, » ut ait Cyrillus; tum ob sanguinis defluentis copiam; tum quia cruribus et « genibus inest vitalitas, ait Plinius, lib. XI, cap. XLV; namque in ipsa genu utriusque commissura, dextra lævaque a priori parte, gemina quædam buccarum inanitas inest, qua perfossa ceu jugulo, spiritus fugit. »

Sed cur non lancea, cur non gladio cor transfoderunt? hoc enim facilius erat et celeriorem mortem reis afferebat? Respondeo crurifragio ipsos usos fuisse ad majus latronum tormentum, sicut etiamnum latrones multis cædibus infames in rota crurifragio puniuntur. Verisimile est Judæos in odium Christi id fecisse, ac crurifragium Christo inferre voluisse, ut eum magis cruciarent; imo Baronius censet idcirco eos Christo acetum dedisse, ut ejus vi diutius viveret et vivus servaretur ad crurifragium. Verum Christus citius mortuus fuit, non quod horreret et fugeret crurifragium, sed tum ob mysterium, de quo mox; tum quia tot flagellis, plagis, cruciatibus excruciatus erat, ut eum vires et vita deficerent. De crurifragii supplicio vide Lipsium, lib. II *De Cruce*, cap. XIV.

ET TOLLERENTUR — e cruce, et sepelirentur. Videntur Judæi non tam religione sabbati et legis, *Deuteron.* XXI, jam citatæ, ursisse Jesum tolli e cruce, quam ob timorem, pudorem et sceleris conscientiam. Videbant enim ejus morte solem obscurari, velum templi scindi, terram tremere, saxa rumpi, etc., et ab his omnibus judicium suum contra Christum damnari. Quare metuebant ne vel Deus, vel populus Jesu favens in ipsos quasi christicidas insurgeret : jusserunt ergo eum e cruce, quasi e triumpho suo tolli, ac sepeliri. Ita Franciscus Lucas.

33. AD JESUM AUTEM CUM VENISSENT (hinc liquet eos cogitasse Christo pariter inferre crurifragium. Audi Euthymium : « Postremo ad eum venerunt, majore contumelia, in gratiam Judæorum, ipsum

Christo non fracta fuere crura.

afficere volentes »), UT VIDERUNT EUM JAM MORTUUM, NON FREGERUNT EJUS CRURA. — quia frangenda erant crura, ut mors illi accelerarctur imminente sabbato Noluit Jesus crura sibi frangi, quia illico integer voluit resurgere. Audi Lactantium, lib. IV, cap. XXVI : « Sic integrum corpus patibulo detractum est, et sepulcro diligenter inclusum, ne diminutum ad resurgendum inhabile redderetur. »

Hinc patet Christum jam fuisse mortuum, ac proinde Christo mortuo vice crurifragii latus fuisse lancea perfossum : non autem vivo, ut quidam sensere, quorum dux fuit quidam Petrus Joannes, teste Prateolo, lib. XIV, cap. XX. Horum error damnatus est in Concilio Viennensi Clementina primo. Nimirum Christus sicut in vita manus, pedes, caput totumque corpus flagellis, clavis et plagis pro nobis dedit; sic in morte voluit dare nobis suum cor : hoc enim lancea perfossum fuit, indeque sanguis et aqua emanavit, ut scilicet ipse cor proprium, et totum se quantus, quantus erat, nobis donaret.

Dices : Christus jam mortuus erat; ergo nihil hac cordis perfossione meruit. Respondeo eum meruisse. Nam Christus vivens sciebat sibi hoc vulnus in corde post mortem inferendum, illudque vivens acceptavit et Patri pro nobis obtulit : illo ergo meruit et operatus est salutem nostram. Dices *secundo* : Videmus ex corpore hominis occisi manare sanguinem, si coram illo compareat is qui eum occidit : ergo hoc naturale est. Respondeo. Non naturale est, sed instar miraculi; fit enim ex singulari Dei providentia, ad indicandum et confundendum occisorem. Multo magis in Christo id fuit miraculum, uti mox ostendam.

34. SED UNUS MILITUM LANCEA LATUS EJUS APERUIT. — Fecit hoc subdubitans an mortuus esset, ait Cyrillus; ut scilicet sciret an revera obiisset, et, si non obiisset, hoc vulnere mortem illi acceleraret et reipsa inferret. Militum enim horum, utpote custodum, officium erat efficere ut sententia judicis Pilati compleretur, nec damnati dimitterentur, donec constaret eos mortem luisse. Addit Chrysostomus : « Ad conciliandam Judæorum gratiam latus ejus aperuerunt et mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem ac sceleratissimam! » Militem hunc nonnulli putant fuisse Centurionem, nomine Longinum, qui visis miraculis Christi expirantis exclamavit : « Vere Filius Dei erat iste, » *Matth.* XXVII, 54. Idcirco autem eum perforasse latus Christi, ut ostenderet eum jam esse mortuum; nam sui muneris erat curare ne Christus vivus de cruce deponeretur, alioqui capitis periculum aditurus. Verum quis credat hoc eum ausurum fuisse in eum, quem jam Dei Filium proclamarat? Nazianzenus, in Carmine *De Christo patiente*, insinuat eum fuisse cæcum, et hic a Christo fuisse illuminatum. Alii alia narrant, quæ hic congerit Barradius, sed incerta et apocrypha, ait Baronius.

Nota *primo* : Miles hic transfodiens latus Christi, videtur fuisse unus ex custodibus, qui latronum crura jam fregerant, fracturi etiam crura Christi, si is adhuc vixisset; sed cum eum mortuum cernerent, latus perfoderunt, ut plene omnes viderent eum esse mortuum, ideoque se ejus crura non fregisse.

*Secundo*, pro *lancea* Græce est λόγχη, id est cuspis hastæ. Nazianzenus vocat ξίφος, id est *ensem*; Nonnus, *machæram* : Theophylactus, *rhomphæam*, quæ apud veteres significat genus ferramenti, quod neutram in partem inclinat, nam νεύω, id est vergo, inclino.

*Tertio*, pro *aperuit* Græce est ἔνυξε, id est compunxit, transpunxit; sed Noster legit ἤνοιξε, est aperuit : quod eodem redit.

*Quarto*, apertura hæc et vulnus lateris Christi fuit ingens et tantum, ut manus illi imponi posset : id patet ex verbis Christi ad Thomam, *Joan.* XX, 27 : « Infer digitum tuum huc, et vide (tange) manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum. » Sicut ergo vulnera clavorum in manibus Christi tanta erant, ut eis posset imponi digitus Thomæ; ita vulnus lateris tantum fuit, ut ei posset imponi Thomæ manus.

*Quinto*, vulnus hoc fuisse in dextro latere docent veteres et pictores, putantque aliqui id prædictum ab Ezechiele, cap. XLVII, 2 : « Et ecce aquæ redundantes a latere dextro, cum egrederetur vir ad Orientem. » Unde et S. Franciscus recipiens a Christo crucifixo quinque stigmata, accepit stigma in latere dextro, æque ac in manibus et pedibus, teste S. Bonaventura in ejus Vita, Ribadeneira, Luca Tudensi, lib. II *Contra Albigenses*, cap. XI, atque ex eo Lucas Waddingus in *Annalibus Minorum*, anno Christi 1224, n. 19.

*Sexto*, hinc patet Christum habuisse quinque vulnera, scilicet duo in manibus, duo in pedibus, unum in latere.

Vulnus totum latus Christi penetravit.

*Septimo*, vulnus hoc videtur totum latus Christi penetrasse, ut videlicet lancea hæc adacta per dextrum latus Christi, transierit per cor et pericardium, atque cuspis ejus exierit per latus sinistrum ad papillam. Nam utrumque Christi latus fuisse transfossum tribus locis docet Prudentius, scilicet in *Passione Christi* :

> Trajectus per utrumque latus, laticem atque cruorem
> Christus agit : sanguis victoria, lympha lavacrum est.

Et *Peristephanon*, hymno 8 :

> Ipse loci est Dominus, laterum cui vulnere utroque
> Hinc cruor effusus fluxit, et inde latex.

Et *Cathemerinon*, hymno 9 :

> O novum cæde stupenda vulneris miraculum!
> Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera.
> Lympha nempe dat lavacrum, tum corona ex sanguine est.

Idem insinuat Cyprianus, tract. *De Passione Christi*, cum ait : « De latere tuo, o Christe, divisis limitibus aqua et sanguis emanant. » Hinc et Theophylactus hoc vulnus lateris vocat [illegible], in plurali, idque confirmatur ex eo quod vulnus dextri lateris tantum fuit, ut Thomas manus imponere posset : quod autem Prudentius notat separatim per alterum vulnus sanguinem fluxisse, per alterum vero aquam, videtur significare quod per majus sive potentius vulnus (quod procul dubio fuit in latere dextro) ob capacitatem tantum eruperit sanguinis, ut aqua per se conspici nequiverit; per sinistrum vero, utpote minus et pericardio vicinius, eruperit aqua : pericardium enim continet liquorem jam dictum, et in Christo continuit aquam : unde pertusum lancea effudit eam per latus vicinum, puta sinistrum. Ita Prudentius. Verum quia hoc lateris sinistri vulnus exiguum fuit, hinc non computatur, Christusque non sex, sed quinque habuisse vulnera dicitur.



Porro S. Brigitta, lib. IV *Revel.*, cap. XL : « Aperto latere, ait, et extracta lancea, sanguis in cuspide quasi brunei coloris apparuit, ut ex eo hoc intelligeretur cor transfixum. » Et lib. VII, cap. XV : « Infixit lanceam in latere ejus dextro. » Et lib. II, cap. XXI : « In corde punctus erat tam amare et immisericorditer, quod pungens non destitit, donec lancea attigit costam, et ambæ partes cordis essent in lancea. »

Exivit e latere Christi aperto sanguis et aqua.

ET CONTINUO EXIVIT SANGUIS ET AQUA. — Non prius sanguis, deinde aqua, ut vertit Nonnus; sed simul sanguis et aqua, impermixta tamen, ut unum ab altero discerni posset. Naturaliter hoc fieri non poterat, tum quia sanguis in mortuo ex frigore condensatur et congelascit, unde effluere nequit, ut docent medici, et S. Ambrosius in cap. XXIII *Luc.*, ac experientia quotidiana;

An naturaliter.

tum quia aqua ex eodem profluere non potest; aqua enim hæc fuit pura et vera, non phlegma, nec serum sanguinis, uti definit Innocens III, lib. III *Decret.*, tit. 41 *De Celebrat. Miss.*, cap. VIII. Errat ergo Calvinus, dicens aquam pericardio contineri, quo in Christo lancea perfosso naturaliter aquam effluxisse. Id enim falsum esse docent medici, qui asserunt liquorem illum pericardii non aquam esse, sed humorem biliosum. Quare miraculosum fuisse hunc sanguinis et aquæ fluxum, docet S. Ambrosius in cap. XXIII *Luc.*, Euthymius et Theophylactus, quem audi : « Contumelia in miraculum vertitur, et sanguinem quidem ex mortuo corpore prodiisse admirabile est; verumtamen posset quis sycophantarum dicere, quod verisimile sit vitalem quamdam virtutem adhuc fuisse in corpore: aqua autem egressa omnem controversiam miraculo tollit. » Et paulo post : « Confundantur Armenii, qui non admiscent in mysteriis aquam vino. Non enim credunt (ut videtur) quod aqua ex latere egressa sit, quod admirabilius, sed sanguis tantum. Et hoc loco destruunt magnum miraculum. Itaque sanguis symbolum hominis crucifixi; aqua vero, quod is sit super hominem, hoc est Deus. » Vide nostrum Adamum Contzen, et Franciscum Lucam hic.

Cur sanguis et aqua ex latere Christi? Causa prima.

ET CONTINUO EXIVIT SANGUIS ET AQUA. — Hoc factum est ad mysterium, non ad meritum; meritum enim in morte Christus consummavit, nec enim jam mortuus mereri potuit. Ad quod mysterium? Respondeo : *Primo*, ad significandam veritatem corporis humani in Christo, ex quatuor elementis more cæterorum hominum compositi. Hoc est quod ait Joannes, *epist.* I, cap. V, vers. 7 : « Tres sunt qui testimonium dant in terra : Spiritus, et aqua, et sanguis : et hi tres unum sunt. » Vide ibi dicta.

*Secundo*, ut significaretur ex morte et latere Christi, quasi secundi Adæ dormientis in cruce, Ecclesiam quasi Evam Christi sponsam formatam esse. Hoc intellige non proprie et præcise; sed symbolice et figurate, quod scilicet per mortem et sanguinem Christi Ecclesia redempta, instituta et sanctificata sit. Unde S. Ambrosius, in cap. XXIII *Luc.* : « Ex illo, ait, corpore defuncto vita manabat. Aqua enim et sanguis exivit, illa quæ diluat, iste qui redimat; » quodque, ut ait Cyrillus et Chrysostomus, aqua significet baptismum, qui est principium Ecclesiæ et Sacramentorum cæterorum; sanguis vero repræsentet Eucharistiam, quæ omnium Sacramentorum finis est et complementum, ad quæ duo quasi ad principium et finem, cætera Sacramenta omnia reducuntur. Unde S. Augustinus, *tract.* 120, ait omnia Sacramenta ex latere Christi emanasse; quod intellige non merito, sed mysterio, ut dixi. Audi S. Augustinum : « Non dixit : Percussit aut Vulneravit, sed : Aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manarunt, sine quibus ad veram vitam non intratur. » Et Chrysostomus : « Quia hinc habent ortum sacra mysteria, cum accesseris ad tremendum calicem, ita accedas ut ab ipso bibiturus Christi latere. » Ratio est, quia, ut ait S. Chrysostomus et ex eo Theophylactus, « Ecclesia et fit et consistit per Sacramenta. » Nam Baptismo nascitur, Confirmatione roboratur, Eucharistia pascitur et perficitur, Pœnitentia sanatur, Extrema-Unctione munitur, Ordine gubernatur, Matrimonio propagatur.

Denique hujus rei symbolo, in consecratione calicis Eucharistici miscendam esse aquam vino, ut repræsentetur hæc effusio sanguinis et aquæ ex latere Christi, docet S. Cyprianus, tract. *de Passione*; Ruffinus, in *Expos. Symbol.*, et alii.

Tropologice : Tertullianus, lib. *De Baptismo*, ait Christum effusione sanguinis et aquæ innuisse duplicem baptismum, scilicet aquæ et sanguinis, sive Sacramenti et martyrii.

Anagogice : reseratio hæc lateris Christi in morte, adumbrabat per mortem ejus reseratum jam esse cœlum, quod per quatuor annorum millia clausum fuerat. Addit Ruffinus, in *Expos. Symbol.* : « Produxit aquam, ait, quæ credentes

diluat; produxit et sanguinem, qui condemnet incredulos. » Plura vide apud Suarez, III *part.*, *Quæst.* LI, disp. XLI, sect. 1, ubi tamen opinatur solum Christi latus sinistrum, in quo est cor, lancea fuisse transfixum, ac prius effluxisse sanguinem, deinde aquam, quæ pariter sunt probabilia.

35. ET QUI VIDIT, TESTIMONIUM PERHIBUIT, — puta ego ipse Joannes, qui vidi, testor ita esse. Loquitur de se in tertia persona modestiæ ergo.

36. FACTA SUNT ENIM HÆC, UT SCRIPTURA IMPLERETUR (in sensu allegorico, non litterali, nam litteralis est de agno paschali) : OS NON COMMINUETIS EX EO. — Jusserat Deus, *Exod.* XII, 46, ut in agno paschali comedendo ossa nulla comminuerent. Causa litteralis erat, quia festinantes eum comedere debebant, ut non haberent tempus ossa comminuendi et ex illis medullam exsugendi. Causa allegorica erat quod agnus ille erat typus Christi in cruce immolandi, cujus nullum os comminui voluit Deus; idque quia decebat corpus Christi sanctum et divinum mox resurrecturum, integrum permanere, uti jam dixi. Symbolica, ut per hoc significaretur *primo*, deitatem Christi (quæ erat quasi os sustentans carnem Christi) in passione integram illæsamque permansisse. Ita Rupertus in cap. XII *Exodi*.

*Secunda*, ossa, id est virtutem et robur (hujus enim symbolum et causa sunt ossa) Christi, qua homo, per passionem non fuisse imminutam, sed potius adauctam; nam et mens Christi in Deo jugiter fixa, ac voluntas ejus voluntati Dei fortiter et constanter unita permansit. Ita S. Hippolytus martyr apud Theodoretum, *Dialog.* III.

Allegorica causa fuit, ut significaretur ossa corporis Christi, hoc est, sanctos Apostolos non fore confringendos. Ita S. Augustinus, in *Psalm.* XXXIV; S. Hieronymus, in *Psalm.* XXI, et S. Gregorius, lib. XXIV *Moral.*, cap. XXX.

Huc pertinet S. Hilarius in *Psalm.* XL, cum ait : Non confracta Christi ossa, quia Ecclesia ex osse formata non debuit ossium fractione debilitari.

Tropologicam vide apud S. Bernardum, serm. *De cute, carne et ossibus animæ*, ubi docet animæ cutem esse bonas cogitationes, carnem esse pias affectiones, ossa esse sanctas intentiones et proposita; quæ intentiones deficientibus piis cogitationibus et affectionibus, integræ et solidæ servandæ sunt; si enim rumpantur, homo rumpitur et corruit.

37. ET ITERUM ALIA SCRIPTURA DICIT : VIDEBUNT IN QUEM TRANSFIXERUNT. — Syrus, *perfoderunt*. Citat *Zachar.* XII, 10, ubi illud explicui.

38. POST HÆC AUTEM ROGAVIT PILATUM JOSEPH AB ARIMATHÆA (EO QUOD ESSET DISCIPULUS JESU, OCCULTUS AUTEM PROPTER METUM JUDÆORUM), UT TOLLERET CORPUS JESU. ET PERMISIT PILATUS. VENIT ERGO, ET TULIT CORPUS JESU. — Hæc explicui *Matth.* XXVII, 58. « Tulit corpus Jesu » sepeliendum, ait Chrysostomus, non ut condemnatum, sed ut corpus Prophetæ magni et admirabilis. Nondum enim credebat Joseph eum esse Deum, et tertia die resurrecturum. Erat ergo in eo fides Jesu, sed imperfecta. Ita Chrysostomus. Vide hic ut Deus humiles exaltet. Quam enim ignominiosa fuit passio et mors Christi, tam gloriosa fuit ejus sepultura, juxta illud *Isaiæ* XI : « Et erit sepulcrum ejus gloriosum. » Vide ibi dicta.

39. VENIT AUTEM ET NICODEMUS, QUI VENERAT AD JESUM NOCTE PRIMUM. — Vox *primum*, ait S. Augustinus, cum *nocte* jungenda est; significatur autem non tunc solum venisse, sed tunc primum; venisse vero etiam postea, ut fieret audiendo discipulus.

FERENS MIXTURAM MYRRHÆ ET ALOES, QUASI LIBRAS CENTUM, — ut magnifice Jesum tantum Prophetam condiret et sepeliret. Magna enim fuit copia unguenti, quæ centum libras ponderabat; sed voluit Nicodemus totum corpus Jesu (quod procerum erat et magnum) non tantum circumcirca copiose perfundere et opplere, sed et in unguento hoc balsamando quasi immergere et sepelire, ut in eo non tam condi, quam innatare videretur. Forte etiam omnes hasce centum libras non insumpsit, sed ex eis quantum necessarium erat et utile, duntaxat deprompsit (1). Mercedem hujus officii, charitatis et sepulturæ Christi, amplam ab eodem recepit Nicodemus, nam per ejus gratiam non tantum Christianus, sed et confessor ac semimartyr evasit. Audi quid Gamaliel, apud Lucianum, in epist. *De Invent. corp. S. Stephani*, de eo narrat : « Cognoscentes Judæi illum esse Christianum, amoverunt eum a principatu suo, et anathematizaverunt eum, et de civitate exulaverunt. Tum ego Gamaliel quasi persecutionem pro Christo passum, sustuli eum in meum agrum, et alui, et vestivi usque ad finem vitæ ejus, et defunctum honorifice sepelivi juxta dominum Stephanum. » Hinc et Nicodemus, in Martyrologio, Sanctis ascriptus est cum S. Stephano, die 3 augusti.

ACCEPERUNT ERGO CORPUS JESU, ET LIGAVERUNT ILLUD LINTEIS (scilicet sindone, cui impressa sunt cicatricum Christi vestigia, quæ hodie Taurini in Pedemontio religiose servatur, de qua vide Palæotum) CUM AROMATIBUS, SICUT MOS EST JUDÆIS SEPELIRE. — Morem hunc recensui *Matth.* XXVII, 59.

Hanc Christi sepulturam imitati sunt primi Christiani, qui in sepeliendis mortuis et aromatibus condiendis effusas faciebant impensas, ut patet ex Tertulliano, in *Apologet.*; Prudentio, in *Cathemer.*, hymno *in Exequiis defunct.*; Nysseno, *orat. in funere Meletii*; Nazianzeno, *epist.* 18, et aliis. Porro Christiani hunc ritum accepere a Judæis, Judæi ab Ægyptiis, teste Tacito, lib. XXI *Annal.*, qui ea arte sic desiccabant corpora defunctorum, ut eadem quasi ænea efficerent appellarentque lingua Ægyptia Gabbaras, ut tradit S. Augustinus, serm. 120 *De divers.*, cap. XII.

(1) Iis qui tantam aromatum copiam inutilem fuisse temere objiciunt, responderi potest : 1° Etiam cubile illud, in quod corpus Christi repositum est, ad suavem odorem excitandum, undique his aromatibus impletum fuisse, quod moris fuisse patet ex II *Paralip.* XVI, 14. 2° Aromata hæc etiam ad fragrantes suffitus ciendos, in ipso hoc sepeliendi actu ex parte comburi potuisse. Conf. Josephum, qui, lib. XVII *Antiq.*, VIII, 3, quingentos servos vel libertos ἀρωματοφόρους, *aromata portantes*, funus Herodis comitatos esse testatur.



41. ERAT AUTEM IN LOCO, UBI CRUCIFIXUS EST, HORTUS (ubi enim sepeliretur Jesus omnis viroris et vigoris auctor, nisi in horto? Causas dedi *Matth.* XXVII, 60), ET IN HORTO MONUMENTUM NOVUM, IN QUO NONDUM QUISQUAM POSITUS ERAT. — Audi S. Augustinum : « Sicut in Mariæ Virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est; ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est. »

42. IBI ERGO PROPTER PARASCEVEN JUDÆORUM (sabbati imminentis, quo nil operari, nec quem sepelire licebat. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius), QUIA JUXTA ERAT MONUMENTUM (quia scilicet monumentum hoc vicinum erat Golgothæ, ubi crucifixus fuerat Jesus), POSUERUNT JESUM. — « Volebant, ait Euthymius, Jesum in alio digniore monumento, quod longius a civitate distabat, collocare. » Sed noluit Deus, voluitque eum juxta Golgotha et Jerusalem sepeliri. Causam dat S. Chrysostomus : « Ut discipuli eo facile se conferre possent, et quæ fierent in propinquo intuerentur; et ut sepulturæ testes, non ipsi tantum, sed et inimici essent. Signaculum enim et custodes sepulcro impositi sepulturæ erant testimonio. Mortem non minus quam resurrectionem manifestari Christus voluit; nam mors, si tunc dubia fuisset, resurrectionis ratio non constaret. Neque horum tantum gratia prope voluit sepeliri, sed ne falso quispiam potuisset furatum insimulare.

# CAPUT VIGESIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus e sepulcro resurgens apparet primo, Magdalenæ specie hortulani; secundo, vers. 19, decem Apostolis, iisque insufflans dat Spiritum Sanctum et potestatem remittendi peccata; denique, vers. 26, iisdem rursus apparet et Thomæ, eique vulnera sua palpanda offert.*

1. Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum; et vidit lapidem sublatum a monumento. 2. Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum quem amabat Jesus, et dicit illis : Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. 3. Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. 4. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. 5. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit. 6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita, 7. et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. 8. Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, et vidit, et credidit : 9. nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. 10. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. 11. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum : 12. et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. 13. Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. 14. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem : et non sciebat quia Jesus est. 15. Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; et ego eum tollam. 16. Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa, dicit ei : Rabboni (quod dicitur Magister). 17. Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. 18. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis : Quia vidi Dominum, et hæc

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

diluat; produxit et sanguinem, qui condemnet incredulos. » Plura vide apud Suarez, III *part.*, *Quæst.* LI, disp. XLI, sect. 1, ubi tamen opinatur solum Christi latus sinistrum, in quo est cor, lancea fuisse transfixum, ac prius effluxisse sanguinem, deinde aquam, quæ pariter sunt probabilia.

35. ET QUI VIDIT. TESTIMONIUM PERHIBUIT, — puta ego ipse Joannes, qui vidi, testor ita esse. Loquitur de se in tertia persona modestiæ ergo.

36. FACTA SUNT ENIM HÆC, UT SCRIPTURA IMPLERETUR (in sensu allegorico, non litterali, nam litteralis est de agno paschali) : OS NON COMMINUETIS EX EO. — Jusserat Deus, *Exod.* XII, 46, ut in agno paschali comedendo ossa nulla comminuerent. Causa litteralis erat, quia festinantes eum comedere debebant, ut non haberent tempus ossa comminuendi et ex illis medullam exsugendi. Causa allegorica erat quod agnus ille erat typus Christi in cruce immolandi, cujus nullum os comminui voluit Deus; idque quia decebat corpus Christi sanctum et divinum mox resurrecturum, integrum permanere, uti jam dixi. Symbolica, ut per hoc significaretur *primo*, deitatem Christi (quæ erat quasi os sustentans carnem Christi) in passione integram illæsamque permansisse. Ita Rupertus in cap. XII *Exodi*.

*Secunda*, ossa, id est virtutem et robur (hujus enim symbolum et causa sunt ossa) Christi, qua homo, per passionem non fuisse imminutam, sed potius adauctam; nam et mens Christi in Deo jugiter fixa, ac voluntas ejus voluntati Dei fortiter et constanter unita permansit. Ita S. Hippolytus martyr apud Theodoretum, *Dialog.* III.

Allegorica causa fuit, ut significaretur ossa corporis Christi, hoc est, sanctos Apostolos non fore confringendos. Ita S. Augustinus, in *Psalm.* XXXIV; S. Hieronymus, in *Psalm.* XXI, et S. Gregorius, lib. XXIV *Moral.*, cap. XXX.

Huc pertinet S. Hilarius in *Psalm.* XL, cum ait : Non confracta Christi ossa, quia Ecclesia ex osse formata non debuit ossium fractione debilitari.

Tropologicam vide apud S. Bernardum, serm. *De cute, carne et ossibus animæ*, ubi docet animæ cutem esse bonas cogitationes, carnem esse pias affectiones, ossa esse sanctas intentiones et proposita; quæ intentiones deficientibus piis cogitationibus et affectionibus, integræ et solidæ servandæ sunt; si enim rumpantur, homo rumpitur et corruit.

37. ET ITERUM ALIA SCRIPTURA DICIT : VIDEBUNT IN QUEM TRANSFIXERUNT. — Syrus, *perfoderunt*. Citat Zachar. XII, 10, ubi illud explicui.

38. POST HÆC AUTEM ROGAVIT PILATUM JOSEPH AB ARIMATHÆA (EO QUOD ESSET DISCIPULUS JESU, OCCULTUS AUTEM PROPTER METUM JUDÆORUM), UT TOLLERET CORPUS JESU. ET PERMISIT PILATUS. VENIT ERGO, ET TULIT CORPUS JESU. — Hæc explicui *Matth.* XXVII, 58. « Tulit corpus Jesu » sepeliendum, ait Chrysostomus, non ut condemnatum, sed ut corpus Prophetæ magni et admirabilis. Nondum enim credebat Joseph eum esse Deum, et tertia die resurrecturum. Erat ergo in eo fides Jesu, sed imperfecta. Ita Chrysostomus. Vide hic ut Deus humiles exaltet. Quam enim ignominiosa fuit passio et mors Christi, tam gloriosa fuit ejus sepultura, juxta illud *Isaiæ* XI : « Et erit sepulcrum ejus gloriosum. » Vide ibi dicta.

39. VENIT AUTEM ET NICODEMUS, QUI VENERAT AD JESUM NOCTE PRIMUM. — Vox *primum*, ait S. Augustinus, cum *nocte* jungenda est; significatur autem non tunc solum venisse, sed tunc primum; venisse vero etiam postea, ut fieret audiendo discipulus.

FERENS MIXTURAM MYRRHÆ ET ALOES, QUASI LIBRAS CENTUM, — ut magnifice Jesum tantum Prophetam condiret et sepeliret. Magna enim fuit copia unguenti, quæ centum libras ponderabat; sed voluit Nicodemus totum corpus Jesu (quod procerum erat et magnum) non tantum circumcirca copiose perfundere et opplere, sed et in unguento hoc balsamando quasi immergere et sepelire, ut in eo non tam condi, quam innatare videretur. Forte etiam omnes hasce centum libras non insumpsit, sed ex eis quantum necessarium erat et utile, duntaxat deprompsit (1). Mercedem hujus officii, charitatis et sepulturæ Christi, amplam ab eodem recepit Nicodemus; nam per ejus gratiam non tantum Christianus, sed et confessor ac semimartyr evasit. Audi quid Gamaliel, apud Lucianum, in epist. *De Invent. corp. S. Stephani*, de eo narrat : « Cognoscentes Judæi illum esse Christianum, amoverunt eum a principatu suo, et anathematizaverunt eum, et de civitate exulaverunt. Tum ego Gamaliel quasi persecutionem pro Christo passum, sustuli eum in meum agrum, et alui, et vestivi usque ad finem vitæ ejus, et defunctum honorifice sepelivi juxta dominum Stephanum. » Hinc et Nicodemus, in Martyrologio, Sanctis ascriptus est cum S. Stephano, die 3 augusti.

ACCEPERUNT ERGO CORPUS JESU, ET LIGAVERUNT ILLUD LINTEIS (scilicet sindone, cui impressa sunt cicatricum Christi vestigia, quæ hodie Taurini in Pedemontio religiose servatur, de qua vide Palæotum) CUM AROMATIBUS, SICUT MOS EST JUDÆIS SEPELIRE. — Morem hunc recensui *Matth.* XXVII, 59.

Hanc Christi sepulturam imitati sunt primi Christiani, qui in sepeliendis mortuis et aromatibus condiendis effusas faciebant impensas, ut patet ex Tertulliano, in *Apologet.*; Prudentio, in *Cathemer.*, hymno *in Exequiis defunct.*; Nysseno, orat. *in funere Meletii*; Nazianzeno, *epist.* 18, et aliis. Porro Christiani hunc ritum accepere a Judæis, Judæi ab Ægyptiis, teste Tacito, lib. XXI *Annal.*, qui ea arte sic desiccabant corpora defunctorum, ut eadem quasi ænea efficerent appellarentque lingua Ægyptia Gabbaras, ut tradit S. Augustinus, serm. 120 *De divers.*, cap. XII.

41. ERAT AUTEM IN LOCO, UBI CRUCIFIXUS EST, HORTUS (ubi enim sepeliretur Jesus omnis viroris et vigoris auctor, nisi in horto? Causas dedi *Matth.* XXVII, 60), ET IN HORTO MONUMENTUM NOVUM, IN QUO NONDUM QUISQUAM POSITUS ERAT. — Audi S. Augustinum : « Sicut in Mariæ Virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est; ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est. »

42. IBI ERGO PROPTER PARASCEVEN JUDÆORUM (sabbati imminentis, quo nil operari, nec quem sepelire licebat. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius), QUIA JUXTA ERAT MONUMENTUM (quia scilicet monumentum hoc vicinum erat Golgothæ, ubi crucifixus fuerat Jesus), POSUERUNT JESUM. — « Volebant, ait Euthymius, Jesum in alio digniore monumento, quod longius a civitate distabat, collocare. » Sed noluit Deus, voluitque eum juxta Golgotha et Jerusalem sepeliri. Causam dat S. Chrysostomus : « Ut discipuli eo facile se conferre possent, et quæ fierent in propinquo intuerentur; et ut sepulturæ testes, non ipsi tantum, sed et inimici essent. Signaculum enim et custodes sepulcro impositi sepulturæ erant testimonio. Mortem non minus quam resurrectionem manifestari Christus voluit; nam mors, si tunc dubia fuisset, resurrectionis ratio non constaret. Neque horum tantum gratia prope voluit sepeliri, sed ne falso quispiam potuisset furatum insimulare.

(1) Iis qui tantam aromatum copiam inutilem fuisse temere objiciunt, responderi potest : 1° Etiam cubile illud, in quod corpus Christi repositum est, ad suavem odorem excitandum, undique his aromatibus impletum fuisse, quod moris fuisse patet ex II *Paralip.* XVI, 14. 2° Aromata hæc etiam ad fragrantes suffitus ciendos, in ipso hoc sepeliendi actu ex parte comburi potuisse. Conf. Josephum, qui, lib. XVII *Antiq.*, VIII, 3, quingentos servos vel libertos ἀρωματοφόρους, *aromata portantes*, funus Herodis comitatos esse testatur.



# CAPUT VIGESIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus e sepulcro resurgens apparet primo, Magdalenæ specie hortulani; secundo, vers. 19, decem Apostolis, iisque insufflans dat Spiritum Sanctum et potestatem remittendi peccata; denique, vers. 26, iisdem rursus apparet et Thomæ, eique vulnera sua palpanda offert.*

1. Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum; et vidit lapidem sublatum a monumento. 2. Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum quem amabat Jesus, et dicit illis : Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. 3. Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. 4. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. 5. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit. 6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita, 7. et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. 8. Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, et vidit, et credidit : 9. nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. 10. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. 11. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum : 12. et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. 13. Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. 14. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem : et non sciebat quia Jesus est. 15. Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; et ego eum tollam. 16. Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa, dicit ei : Rabboni (quod dicitur Magister). 17. Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. 18. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis : Quia vidi Dominum, et hæc

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dixit mihi. 19. Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi
erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et
dixit eis : Pax vobis. 20. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo
discipuli viso Domino. 21. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego
mitto vos. 22. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum :
23. Quorum remiseritis peccata, remittantur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.
24. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando
venit Jesus. 25. Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis :
Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavo-
rum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. 26. Et post dies octo, iterum
erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio,
et dixit : Pax vobis. 27. Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus
meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis.
28. Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus, et Deus meus. 29. Dixit ei Jesus :
Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt, et crediderunt. 30. Multa
quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta
in libro hoc. 31. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei; et
ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus

1. Una (id est prima die) sabbati, — id est post sabbatum; vel « sabbati, » id est hebdomadæ (hæc enim a potiore die sabbati vocatur sabbatum), puta die Dominica, sive die Paschatis, quo Christus resurrexit. Vide dicta *Matth.* xxviii, 1 (1).

Maria Magdalene venit — cum sociabus, quas nominant Matthæus, Marcus et Lucas; sed hic sola nominatur, quia ipsa cæterarum erat dux, omnibus ferventior et operosior.

Cum adhuc tenebræ essent — mixtæ luci orienti, puta in aurora, sive in « profundo diluculo, » ut ait Lucas. Nota hic diligentiam, vigilantiam, ardorem S. Magdalenæ. In aurora quærit Christum, hinc prima eum quasi solem orientem videre meretur. Audi S. Ambrosium in tit. Psalmi lx, *Pro susceptione matutina* : « Hanc, ait, matutinam susceptionem possumus ascribere Mariæ Magdalenæ, quæ mature ac diluculo ad monumentum vigilans, Salvatoris resurrectionem Domini prima suscepit; ut clarescente mundi sole, Solis justitiæ ortum præ omnibus sola cognovit, ac susceptione quidem matutina gavisa est diem redditum; sed magis gavisa Christum a mortuis suscitatum : atque in ipsa completa est prophetia : Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. »

Ad monumentum, — ut Jesum sepultum ungeret, ait Nonnus.

Et vidit lapidem sublatum — atque angelos dicentes Christum resurrexisse; sed Magdalena hoc non credidit, nec intellexit; unde festina, et anhela recurrens ad Petrum et Joannem, ait : « Tulerunt Dominum meum, » id est a sepulcro ablatum est corpus Jesu Domini mei, nescio a quo, et ubi collocatum sit. Vide ordinem et seriem totius rei gestæ, quem recensui *Matth.* xxviii, 8. Apposite S. Hieronymus, epist. 150 *ad Hedibiam* : « Error mulieris, ait, cum pietate sociatus est : pietas in eo quod desiderabat eum, cujus noverat majestatem; error in eo quod dicebat : Tulerunt, » etc.

2. Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum (tanquam Apostolorum primum, et jam a Christo designatum suum vicarium et successorem, *Matth.* xvi), et ad alium discipulum quem amabat Jesus, — ad Joannem, quem sciebat a Christo præ aliis diligi, ac proinde fore diligentiorem in exquirendo Christi corpore, quod jam e sepulcro sublatum deprehenderat, præsertim quia viderat Joannem secum assistere cruci, ac proinde magis curaturum et indagaturum corpus Christi.

4. Currebant autem duo simul. — Præ cæteris cucurrerunt, qui præ cæteris amaverunt, ait S. Gregorius.

Præcucurrit, — quia junior, agilior et cupidior videndi corpus Christi, quod paulo ante viderat ita deformatum in cruce

5. Et cum se inclinasset (ut prospiceret in sepulcrum), vidit posita linteamina (scilicet sindonem cui involutum fuerat Jesu corpus in sepulcro), non tamen introivit, — reverentiam deferens Petro, quasi seniori et digniori, ut is prior introiret, ait Lyranus; aut timore impeditus, et sacro quodam horrore corporis Christi ibidem sepulti correptus.

6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum. — Petrus, ait Chrysostomus, ut fervidus introit, et diligenter universa inspicit : jam enim milites sepulcri custodes, viso angelo et terræ motu, perculsi aufugerant et se absconderant. Ita S. Hieronymus, Quæst. VI *ad Hedib.*

7. Et vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus (vultum obtegens, uti mortuis fieri solet honestatis causa), non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. — « Signum hoc resurrectionis erat, ait Chrysostomus; non enim si transtulissent corpus, nudassent; nec si essent furati, de hoc fuissent solliciti, ut sudarium involverent et seorsum ponerent : ideo Joannes præmisit sepultum cum myrrha, quæ conglutinat corpori linteamina, ut ne decipereris a dicentibus furto sublatum; quis enim fur circa rem superfluam tantum laboraret? »

8. Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum. — Mystice S. Gregorius, *homil.* 22, per Petrum accipit Synagogam Judæorum, per Joannem Ecclesiam Christianorum, *q. d.* « Venit Synagoga prior ad monumentum, sed non intravit, quia legis quidem præcepta et prophetias de passione Dominica accepit, sed credere in mortuum noluit : secuta posterior Ecclesia Gentium mediatorem Dei et hominum Jesum Christum, et cognovit carne mortuum, et credidit viventem Deum. »

Tropologice Toletus : Per Joannem, ait, omnes Christiani; per Petrum, Pontifices Christi vicarii significantur : prior ingreditur Petrus, quia dignitate omnes antecellit Christianos Christi vicarius : at posterior pervenit Joannes, quia fieri potest, ut qui prior est dignitate, sit posterior merito et sanctitate.

Et vidit, et credidit — uterque, scilicet Petrus et Joannes; « credidit, » inquam, non Christum resurrexisse, sed Magdalenam verum dixisse, scilicet corpus Christi esse e monumento sublatum, ait S. Augustinus, Theophylactus et Jansenius. Addit Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius et Nyssenus, orat. *De Resurrect.*, utrumque credidisse, quod Christus resurrexerat. Planius et verius est, hæc verba ad solum Joannem, non ad Petrum spectare, *q. d.* Joannes, visis linteaminibus et sudario seorsim involuto, memor fuit Christum prædixisse se tertio die resurrecturum : quare prædictionem Christi cum his signis conferens, credidit eum resurrexisse : Petrus vero, ob resurrectionis novitatem et ingens Christi redivivi videndi desiderium, tardius idipsum credidit. Unde signanter angelus ait mulieribus : « Dicite discipulis ejus et Petro, » *Marci* xvi, 7.

9. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. — Refer hæc ad *credidit*, *q. d.* Tunc primum Joannes credidit Christum resurrexisse, cum antea nec ipse, nec alii Apostoli id credidissent, quia nondum intelligebant Scripturas, quæ eum resurrecturum prædixerant. Licet enim Christus iis asseverasset se resurrecturum, tamen ob rei novitatem et magnitudinem ipsi id non capiebant, sed putabant Christum loqui figurate et parabolice, uti facere solebat.

10. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. — Vers. 10 Arabicus et Syrus, *ad locum suum*, *q. d.* Petrus et Joannes, viso Christi sepulcro vacuo, redierunt domum, Petrus admirans, Joannes credens eum resurrexisse : sola Magdalena ad sepulcrum remanente, ut certius quid de Christi dilecti sui corpore cognosceret. Ita S. Augustinus, *tract.* 121. « Unde contigit ut eum tunc sola videret, qui remanserat ut quæreret; quia nimirum virtus boni operis perseverantia est, » ait S. Gregorius, *homil.* 25.

11. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans, — quia anxia quærebat undique corpus Jesu, cujus amore ardebat; eratque quasi ebria, nec inveniebat, ideoque mœsta plorabat. Addit S. Augustinus : « Oculi qui Dominum quæsierant et non invenerant, lacrymis vacabant, amplius dolentes quod ablatus de monumento, quam quod occisus in ligno : quia tanti magistri, cujus vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat. »

Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum. — Licet enim jam ante prospexisset et sepulcrum corpore sublato vacuum vidisset, tamen iterum iterumque prospexit. Nam, ut ait S. Gregorius, *hom.* 25 : « Amanti semel aspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis : perseveravit, ut quæreret; unde et contigit, ut inveniret : factumque est ut desideria dilata crescerent et crescentia caperent quod invenissent. »

12. Et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. — Omnia hæc, scilicet angeli, vestes albæ, sessio, symbola sunt resurrectionis et gloriæ Christi, ad eamque credendam præparant animum Magdalenæ. Porro unus sedet ad caput, alter ad pedes Christi, ut significent tam pedes quam caput et intermedia membra, id est totum Christi corpus resurrexisse, et angelorum habitum, immortalitatem et gloriam per resurrectionem induendo, ad angelorum consortium transisse, ideoque in sepulcro duos hos angelos quasi custodes reliquisse, qui idipsum Magdalenæ nuntiarent.

Mystice Origenes : Angelus ad pedes, ait, vitam activam; angelus ad caput, vitam contemplativam repræsentat. Utraque enim est ex Jesu, circa Jesum, per Jesum et propter Jesum.

13. Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras? — *q. d.* Non est plorandi jam locus, sed ridendi et gaudendi, quia nullum hic dilecti tui corpus mortuum vides; inde enim colligere debes Jesum tuum resurrexisse, ac jam non inter mor-

(1) Alii, quia legitur in Græc. σαββάτων in plurali numero, vertunt *prima die hebdomadum*, festum scil. Paschatis sequentium, et præcedentium festum Pentecostes, quod etiam appellatur *festum hebdomadum*, ἑορτὴ ἑβδομάδων, *Tob.* ii, 1; *Exod.* xxxiv, 22, etc.; sed eodem redit sensus.

tuos, sed inter vivos, imo inter gloriosos angelos, quales nos sumus, vitam beatam et cœlestem agere.

Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum, — q. d. Tres ob causas ploro : *primo*, ob tam indignam cædem et mortem Domini mei Jesu Christi; *secundo*, ob corpus ejus e sepulcro ablatum : hoc enim si viderem, oscularer, plorarem, ungerem, itaque nonnihil dolorem meum lenirem; *tertio*, quia nescio quo illud transtulerunt, nescio ubi illud requiram. Si enim id scirem, illico eo accurrerem illudque amplecterer et dissuaviarer. Vide hic ut Jesus animas diligentium se sinat ad tempus in tenebris ignorantiæ, ut sui desiderium in eis acuat et accendat, illudque acutum et accensum plena deinde sui revelatione consoletur et lætificet.

Vers. 14. 14. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem; et non sciebat quia Jesus est. — Nota : Christus apparuit a tergo Magdalenæ, ita ut angeli in eum inspicientes surgerent et caput illi inclinarent, aliaque reverentiæ et adorationis signa ei exhiberent; et hæc fuit occasio, vel causa, cur Magdalena converterit se retrorsum, ut videret quis ille esset, quem angeli tam reverenter salutabant. Ita S. Chrysostomus, *homil.* 85, et S. Athanasius, vel quisquis est auctor, Quæst. LXXVIII *ad Antiochum*. Alii putant Christum pedibus strepitum a tergo Magdalenæ excitasse, ut ipsa se retrorsum ad Christum strepitu convertere.

Christus apparet Magdalenæ.

Et vidit Jesum. — Nimirum « prima meretur gaudia, quæ plus ardebat cæteris. »

Et non sciebat quia Jesus est, — quia alia specie, scilicet hortulani, ei apparebat, uti euntibus in Emmaus specie peregrini. Gloriosa enim corpora possunt apparere ea specie et forma qua volunt, idque faciunt non mutando ipsam sui vultus figuram et formam, sed impediendo ne hæc vultus figura integras sui species, sed refractas, dimidiatas et distractas ad oculum intuentis jaciat. Egit hoc Christus, ne primo aspectu eam percelleret, ait Chrysostomus. Rursum, quia ipsa fervebat amore Jesu, hinc Jesus ei apparet; sed quia non credit Jesum vivere, uti angeli ei dixerant, hinc Jesus nonnihil se ei abscondit, et talis apparuit ei exterius, qualis erat in corde ipsius interius. Ita S. Gregorius, *hom.* 23, agens de discipulis euntibus in Emmaus, quibus Christus apparuit uti peregrinus.

Vers. 15. 15. Dicit ei Jesus : Mulier; quid ploras? quem quæris? — Audi S. Ambrosium, lib. III *De Virgin.*, enucleate singula expendentem : « Mulier, cur ploras? Qui non credit, mulier est : nam qui credit, in virum perfectum resurgit, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Mulier, inquit, non de sexu, sed de cunctatione convicium est; et bene mulier, quæ nutabat, quia virgo jam crediderat. Quid ploras? id est, tu tibi es causa plorandi, quæ es Christo incredula. Ploras, quia Christum non vides? crede ei, et videbis : adest Christus, nec unquam iis a quibus quæritur, deest; non lacrymis opus est, sed fide prompta et Deo digna : noli cogitare mortalia, et non plorabis; noli cogitare peritura, et flendi causam habere non poteris. Certe, inde ploras, unde alii gratulantur. Quem quæris? non vides quia Christus adest? »

Scripsit de Magdalena insignem piisque affectibus plenam Origenes *homiliam*, in qua inter cætera ait : « Amor faciebat eam stare et dolor cogebat eam plorare. Stabat et circumspiciebat si forte videret quem diligebat. Plorabat vero, quia sublatum existimabat, quem quærebat. Dolor renovatus erat, quia prius doluerat defunctum, et nunc dolebat sublatum. Et iste dolor major erat, quia nullam consolationem habebat. » Et nonnullis interjectis fontem doloris aperit, dicens : « Petrus et Joannes timuerunt, et ideo non steterunt. Maria autem non timebat, quia nihil suspicabatur sibi superesse quod timere deberet. Perdiderat enim magistrum suum, quem ita singulariter diligebat, ut præter ipsum nihil posset diligere, nihil posset sperare. Perdiderat vitam animæ suæ, et jam sibi melius arbitrabatur fore mori quam vivere, quia forsitan inveniret moriens, quem invenire non poterat vivens, sine quo tamen vivere non valebat. Fortis est ut mors dilectio. Quid enim aliud faceret mors in Maria? facta erat exanimis, facta insensibilis : sentiens non sentiebat, videns non videbat, audiens non audiebat; sed neque ibi erat ubi erat, quia tota ibi erat ubi magister erat : de quo tamen ubi esset nesciebat. Non quæro angelos, quia possunt dolorem meum augere, non delere, sed meum et angelorum Dominum. » Et post plura, quæ in hanc rem sanctis affectibus æstuantia interserit, subjicit : « Angustiæ mihi sunt undique, et quid eligam, ignoro. Si juxta monumentum maneo, ego illum non invenio; si a monumento recessero, nescio infelix quo vadam, nescio ubi eum quæram. Discedere a monumento, mors mihi est; stare ad monumentum, irremediabilis dolor est. Melius autem mihi sepulcrum Domini custodire, quam ab eo longius ire. Si enim longius abiero, forte cum rediero, ipsum sublatum inveniam et sepulcrum destructum. Stabo igitur et hic moriar, ut saltem juxta sepulcrum Domini mei sepeliar. Revertere, revertere, dilecte mi, revertere, dilecte votorum meorum. » Denique ista subjungit : « Dulcis magister, ad quid, quæso, provocas spiritum hujus mulieris? ad quid commoves animam ejus? Tota pendet in te, tota manet in te, tota sperat de te, et tota desperat de se. Ita quærit te, ut quærens nihil quærat, nihil cogitet præter te. Ideoque forsitan non cognoscit te, quia non est in sese, sed propter te est extra se. Cur ergo dicis : Quid ploras? Quem quæris? »

Illa existimans quia hortulanus esset (horti in quo erat sepulcrum Jesu), dicit ei. — Non quod



appareret Jesus ligonem aut sarculum manu tenens; sed, quod Theophylactus et Euthymius aiunt, « a communi et viliori habitu, et quia in horto erat, arbitrata est hortulanum esse (nam de militum absconsorum præsentia nihil scivisse videtur); » quodque sine pallio, ut verisimile est, appareret quasi domi esset. Sciebat Josephum Arimathæum, horti dominum, illic non habitare; putavit ergo eum esse cui colendi et custodiendi horti incumbebat cura. Ita Franciscus Lucas. Pergit Origenes : « O Maria, si quæris Jesum, cur non cognoscis Jesum? Et si cognoscis Jesum, quid quæris Jesum? Ecce Jesus venit ad te, et quem quæris, quærita te : Mulier, quid ploras? Et tu eum hortulanum existimas, ut ipsum non cognoscas. Etenim Jesus est et hortulanus, quia ipse seminat omne semen bonum in horto animæ tuæ et in cordibus fidelium servorum. » Unde S. Gregorius, *hom.* 25 : « An non, ait, ei hortulanus erat, qui in ejus pectore per amoris sui semina virtutum virentia plantabat. »

Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; et ego eum tollam. — « Eum. » Quem? nec enim eum nominat, sed Jesum, quo plena erat, intelligit. Ita S. Thomas et alii, qui dicunt hunc esse affectum vehementer amantium, ut de quo ipsi cogitant, putent alios etiam cogitare. Licet fieri potuerit, cum eum prope se videret, existimaret intellexisse quod ipsa angelis responderat : « Quia tulerunt Dominum meum, » quod videtur subindicare Chrysostomus. Audi Origenem : « Tantus dolor eam invaserat de morte tua, ut non posset cogitare de vita et resurrectione tua. Denique Joseph posuit in monumento corpus tuum : Maria sepelivit ibi pariter spiritum suum, et ita indissolubiliter junxit et quodammodo univit eum cum corpore tuo, ut facilius posset separare animam se vivificantem a vivificato corpore suo, quam spiritum suum te diligentem a defuncto corpore tuo. Spiritus enim Mariæ magis erat in corpore tuo, quam in corpore suo : cumque requirebat corpus tuum, requirebat pariter spiritum suum; et ubi perdidit corpus tuum, perdidit cum eo spiritum suum. Quid igitur mirum si sensum non habebat, quæ spiritum amiserat? Quid mirum si te nesciebat, quæ non habebat spiritum quo scire debebat? Redde ei itaque spiritum suum, quem habet in se corpus tuum, et mox recuperabit sensum suum et relinquet errorem suum. »

Et ego eum tollam. — Quid si sit in atrio principis sacerdotum? « Ego eum tollam. » Quid si in domo Pilati? « Ego eum tollam : » quia omnia vincit amor, qui omnia etiam impossibilia sibi possibilia, imo facilia reputat. Ita Origenes et Chrysostomus. Licet S. Hieronymus, Quæst. V *ad Hedibiam*, hæc verba ignorantiæ et inconsiderationis esse putet.

16. Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa, dicit ei : Rabboni (quod dicitur Magister). — Vocavit illam non tantum nomine proprio, sed etiam eo vocis sono, suavitate, gratia et efficacia, qua eam solebat in vita vocare; indeque ipsa statim Christum agnovit. Unde Christi dignationem admirans exclamat Origenes : « O mutatio dexteræ Excelsi. Conversus est dolor magnus in gaudium magnum, mutatæ sunt lacrymæ doloris in lacrymas amoris. Ubi Maria audivit : Maria (sic enim consueverat eam vocare magister suus), persensit in nomine quamdam singularem vocationis dulcedinem, et per eam cognovit ipsum a quo vocabatur esse magistrum suum. Tunc revixit spiritus ejus et reversus est sensus ejus. Cumque Jesus vellet adhuc adjungere, non potuit hæc Maria patienter exspectare, sed præ nimio gaudio interrupit ea, dicens : Rabboni; non enim arbitrabatur se indigere verbo, quæ invenerat Verbum, et longe utilius arbitrabatur tangere Verbum, quam audire quælibet verba. O amor fortis et impatiens! Non sufficiebat illi videre Jesum et loqui cum Jesu, nisi etiam tangeret Jesum; sciebat enim quia virtus de illo exibat et sanabat omnes. »

Conversa illa, dicit ei : Rabboni, quod dicitur (interpretatum) Magister. — « Conversa illa : » quia cum Jesus tardaret respondere, illa a Jesu averterat vultum ad angelos, quasi rogatura ab eis quis sit ille hortulanus secum loquens, et cur ei assurrexerint eumque tam reverenter salutarint; sed audiens a Jesu se compellari suo nomine « Maria, » ex voce agnoscens Jesum, illico gaudio rapta rursum ad eum faciem totamque se convertit. Vox ergo pastoris penetrans in aures animumque oviculæ, oculos ei mox aperit, sensus omnes occulta vi et solita dulcedine demulcet, excitat et abripit, ut ipsa insperato et inexplicabili gaudio ebria dicat : « Rabboni, » id est magister mi, en ego tua discipula, tua filia spiritualis me totam tibi dedo, in te redivivo rursus vivo, exulto et jubilo. Ita Cyrillus, Chrysostomus et alii. Quare provoluta in genua, voluit more suo reverenter non caput, sed pedes tangere, deosculari et cum iis dissuaviari : sicut Sunamitis tenuit pedes Elisæi prophetæ, IV *Reg.* IV, 27. Id liquet ex eo quod Christus id prohibens, subjicit.

Rabboni, — id est *magister mi*; sed τὸ *mi* non addidit Joannes, quia Græce addi non solet, sicut additur hebraice et syriace, ubi in eamdem cum *Rabboni*, id est *magister*, coalescit dictionem. Ita Franciscus Lucas. Unde tam Joannes, quam Latinus, Syrus et Arabicus vertunt *magister*, omisso τὸ *mi*. « Rabboni » ergo, et Chaldæus, *Ribboni*, idem est quod *Rab* et *Rabbi*, ubi ultimum *jod* accipi potest, vel ut heemanticum, vel ut pronomen affixum significans *mi*. Addit Caninius, in *Nomin. Hebr.*, cap. VI, *Rabboni* significare magistrum, dominum, principem, esseque nomen augustius quam sit Rabbi. Unde non nisi post resurrectionem a Magdalena Christo glorioso tributum fuisse, cum ante eam Christus vocaretur duntaxat Rabbi, *Joan.* I.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Vers. 17. 17. DICIT EI JESUS : NOLI ME TANGERE, NONDUM ENIM ASCENDI AD PATREM MEUM : VADE AUTEM AD FRATRES MEOS, ET DIC EIS : ASCENDO AD PATREM MEUM, ET PATREM VESTRUM; DEUM MEUM, ET DEUM VESTRUM. — Difficilis est hic locus, et difficilior connexio. Quæ enim causa hic significatur, dum ait : « Noli me tangere, quia nondum ascendi ad Patrem? »

*Quid : Noli me tangere?*

*Resp. Primo.*

*Primo*, S. Augustinus, *tract.* 121, sic explicat et connectit, *q. d.* Noli me tangere, quia necdum digna es mei contactu; nondum enim in corde tuo ascendi ad Patrem, quia necdum perfecte credis me esse Dei Filium, et ad Deum Patrem ascendere. Sic fere et S. Hieronymus, Quæst. V *ad Hedibiam.* Verum hoc mysticum potius videtur quam litterale; æque ac est illud S. Leonis, qui, serm. 2 *De Ascensione*, sic exponit : « Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum : hoc est, nolo ut ad me corporaliter venias, nec ut me sensu carnis agnoscas. Ad subliniora te differo, majora tibi præparo : cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectius veriusque palpabis, apprehensura quod non tangis et creditura quæ non cernis. »

*Secundo.*

*Secundo*, Cyrillus, lib. XII, cap. L : Vetrit, ait, sui contactum, significans neminem ad corpus suum gloriosum, jam etiam in sacramento Eucharistiæ tangendum et sumendum accedere debere, nisi prius accepto Spiritu Sancto, quem hic nondum miserat, sed 50 post dies misit in Pentecoste. Verum hac ratione nec aliæ mulieres, nec Thomas, nec cæteri post resurrectionem potuissent tangere Christum : quod tamen fecerunt.

*Tertio*, S. Chrysostomus, *hom.* 85, Theophylactus et Euthymius aiunt Christum prohibuisse Magdalenam a sui contactu, quia volebat magis reverenter quam ante ab ea tangi, utpote redivivus jam, immortalis, cœlestis et gloriosus, qui amplius cum hominibus non versaretur, sed cum Angelis et Beatis. Verum non apparet quomodo Magdalena, quæ summe erat Christi uti amans, sic et reverens, in hac ejus reverentia defecerit : verebatur enim eum non jam ut mortalem, sed immortalem et gloriosum. Deinde quid hoc facit ad illud : « Nondum enim ascendi ad Patrem? »

*Quarto*, Justinus, *Quæst. a Gentilus proposit.*, Quæst. XLVIII, et ex eo Toletus, Franciscus Lucas et alii sic exponunt, *q. d.* Noli me tangere : sum enim jam cœlestis, non terrestris : licet enim necdum ascenderim ad cœlum, brevi tamen eo ascendam; volo enim te et alios sensim abducere a solita mea præsentia et conversatione. » Sed audi Justinum : « Illud : Noli me tangere, Mariæ a Conservatore dictum est hoc sensu : Noli me sequi, ita ut mecum semper verseris ea ratione, qua antequam in crucem agerer. Volebat enim sensim ac pedetentim discipulos a consuetudine adspectus præsentiæque corporis sui abducere. Itaque nec semper visus est discipulis, in diebus quibus cum eis in terra post resurrectionem versatus est, nec omnino se inaspectabilem eis præbuit; sed utrumque intervallo spatioque adhibito faciebat, ut et videretur ipsis, et non videretur. » Verum hæc expositio obscura est, et multa supplere cogitur, ac invertit τὸ « nondum enim ascendi, » in τὸ *licet enim nondum ascenderim, brevi tamen ascendam.*

*Quinto primo.*

*Quinto* ergo, magis connexe et genuine exponas, ut τὸ « noli me tangere » explices in actu omnino perfecto. Magdalena enim tota Christo addicta, cum videret eum resurrexisse, ineffabili gaudio perfusa, accidit ad ejus pedes ibique hærere volebat, nec iis deosculandis exsatiari poterat. Quare Christus eam prohibet jubetque ne ibi hæreat, sed Apostolis mœstis suam resurrectionem annuntiet. Sensus ergo est, *q. d.* « Noli me tangere, » id est noli in hoc mei contactu diutius immorari, noli in osculis pedum meorum nimis diu dissuaviari; sæpius enim postea id tibi facere licebit, « nondum enim ascendi : » est hebraismus, hoc est, nondum enim ascendo, vel non ascendam tam cito ad cœlum, sed adhuc 40 dies in terra versabor, ac me vobis videndum tangendumque exhibebo. Idcirco propera ad alias mulieres, quæ e sepulcro sequentes Petrum et Joannem, in Jerusalem ad domos suas redeunt, ac cum iis illico perge ad fratres meos Apostolos, de mea morte tristes, atque dic illis me resurrexisse et brevi in cœlum ascensurum; sed prius ab eis videndum et consalutandum, ut eis tristitiam eximas, eosque summo gaudio perfundas : sæpe enim verba Hebræorum actum non inchoatum, sed continuatum et perfectum significant, uti alias ostendi. Ita hunc locum explicat Vatablus, Emmanuel Sa, Suarez, III *part.*, disp. XLIX, sect. 3; Dominicus Bannes, I *part.*, *Quæst.* I, art. 10, dub. 6, ubi ait hanc esse communem recentiorum sententiam. Sic et Ribera hic : Sciebat, ait, Magdalena Christum ascensurum in cœlum, nec postea se fruituram ejus conspectu, ideo occasionem datam tangendi Christum sibi elabi noluit. Sed Christus illi ait : « Noli me tangere, » *q. d.* Adhuc habebis tempus me tangendi et alloquendi; adhuc enim sum in terra, necdum ascendi in cœlum. Quare noli hic morari, sed gaudio quo frueris, fac ut eodem fruantur Apostoli mei. Neque enim fas est te in summo hoc resurrectionis meæ gaudio solam versari, et Apostolos meos mœstitia tabescere. Unde postea Christus permisit se ab ea et sociabus tangi, dicens : « Avete. Illæ autem accesserunt et tenuerunt pedes ejus, » *Matth.*, cap. XXVIII, vers. 9, quia jam erant in via, ut nuntiarent Apostolis Christum resurrexisse (1).

(1) Hodiernorum plerique hanc aliam hujus l. interpretationem afferunt : *Noli me tangere*, hoc est, noli, supplicum more, amplecti meos pedes aut genua, quasi jam e cœlo reversus essem. Nam nemini ignotum est antiquos, cum cœlicolas aut cœlestem quamdam apparitionem viderent, sacro horrore esse percussos : timebant nimirum ne quid eis accideret ob visum. Conf.



*Magdalenæ fronti Christus digitis suos impressit.*

Porro Christus dicens : « Noli me tangere, » digitis frontem Magdalenæ tetigit illique eorum vestigia impressit. Audi Sylvestrum Prieratem apud Surium in Vita S. Magdalenæ : Cum anno Domini 1497, devotionis gratia antrum, in quo pœnituit B. Maria Magdalena, et sacras ejus reliquias apud S. Maximinum visitassem, ostensum est mihi pluries sacrum et venerabile caput ejus, grande valde et totum undique usque ad os denudatum, excepta ea parte frontis, quam Salvatorem omnium diximus tetigisse : ibi enim pellis ad instar Æthiopissæ clare apparet, et in pelle duæ fossæ duarum extremitatum digitorum : quarum altera multo est reliqua evidentior atque profundior, et sub pelle caro ad albedinem declinans.

*Secundo*, moralem causam dat S. Epiphanius, *hæresi* 26, quod Christus, ut daret nobis exemplum purissimæ et perfectissimæ castitatis, noluit permittere ut Magdalena hic, utpote mulier, sola solum se tangeret; paulo vero post in præsentia aliarum mulierum id permisit. Unde hoc Christi exemplum secuti sunt S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Martinus, S. Chrysostomus, S. Borromæus plurimique alii, qui nunquam cum mulieribus nisi aliis præsentibus loqui voluerunt, ut testes haberent suæ integritatis.

*Tertio*, allegoricam causam dat Rupertus : Maria, ait, hic gessit typum Ecclesiæ e Gentibus vocandæ et congregandæ, quæ contactu non corporali, ut Judæi, sed spirituali, hoc est fide, ad Christum post ascensionem ejus erat perventura : qua de re multa habet Chrysologus, *serm.* 75 et sequent.

Denique valde probabile est quod docet S. Augustinus, lib. III *De Consensu Evang.*, cap. XXIV, Theophylactus et Euthymius, in cap. ult. *Matth.*, ac S. Hieronymus, epist. 150 *ad Hedibiam*, Quæst. V, scilicet Magdalenam viso hic Christo, post ejus alloquium eo disparente, festinasse gressumque accelerasse, ac assecutam fuisse mulieres socias, quæ Petrum et Joannem redeuntes secutæ domum revertebantur : ipsæ enim, quia mœstæ, dubiæ et fluctuantes, quid actum esset de corpore Christi, lente et tarde incedebant. Illas ergo festinans assecuta est Magdalena, ibique Christum omnibus apparentem rursum vidit, adoravit et tetigit pedes ejus; idque satis insinuat Matthæus, cap. ult., vers. 9, esto id neget Toletus.

Tropologice, hic disce gratius esse Christo, ut quis mœstis vel afflictis in gravi tristitia, angore, dolore et afflictione constitutis assistat, quam sibi, adeo ut concionem et Missam quoque in die festo postponat auxilio ægroti vel afflicti, cum necessitas et pietas, vel charitas illud exigit, juxta illud : « Misericordiam volo, et non sacrificium, » *Oseæ* VI, 6, et *Matth.* IX, 13. Vide ibi dicta.

Symbolice, S. Bernardus, serm. 5 *in festo omnium Sanctorum* : « Noli me tangere, ait, nondum enim ascendi ad Patrem meum : verbum gloriæ est. Nempe filius sapiens gloria patris. Noli ergo, ait gloria, noli me tangere. Noli interim quærere gloriam, fuge potius, et vide ne me omnino tetigeris, donec perveniamus ad Patrem, ubi sit gloriatio omnis jam secura. »

VADE AUTEM AD FRATRES MEOS. — Christus Apostolos vocat fratres ex mera miraque dignatione, cum eorum sit caput, dominus et princeps, non tantum qua Deus, sed etiam qua homo : quia scilicet omnes homines sunt fratres ratione naturæ humanæ, quam eamdem traxerunt ex primo parente Adamo, et quia filii sunt ejusdem Dei Patris per gratiam. Proprie vero, quia erant Apostoli : Apostoli enim inter se erant fratres; Christus autem erat Apostolus, id est legatus a Patre, in mundum missus ad prædicationem Evangelicam, in qua Petrum, Joannem et cæteros, quasi fratres sibi associavit. Sic Pontifex Cardinales et Episcopos vocat fratres, cum sit eorum Superior et Hierarcha. Dicit hoc Christus, ut Apostolos ob fugam pusillanimes animet et in spem erigat, *q. d.* Esto ipsi me in passione deseruerint, ego tamen eos non desero, sed amo ut fratres; imo propterea resurgendo carnem humanam resumpsi, ut me fratrem eorum ostendam, juxta illud : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, » *Eccli.* III.

ET DIC EIS : ASCENDO AD PATREM MEUM, ET PATREM VESTRUM; DEUM MEUM, ET DEUM VESTRUM, — *q. d.* Dicito Apostolis ut recordentur illius quod eis ante passionem dixi, scilicet me post paucos dies ascensurum in cœlum ad Deum Patrem.

Dicit autem, « Patrem meum, et Patrem vestrum : » « meum natura, ait S. Augustinus, vestrum gratia, » ut ostendat se esse fratrem eorum, utpote qui communem cum eis habeat Deum Patrem, sed hic naturalem, illi adoptivum. Ita S. Ambrosius, lib. III *De Virginitate.* Porro S. Hilarius, lib. XI *De Trinit.* : « Est ei Pater, ait, ut cæteris ex ea parte qua homo est, et Deus ei ut cunctis, ex ea natura qua servus est. Unde ait : Vade ad fratres meos; unigenitus enim Deus sine fratribus est. » Planius dicas Christum vocare « Patrem » et simul « Deum, » ut per « Patrem meum » suam naturam divinam, per « Deum meum » naturam humanam a se assumptam ostendat, quodque idem ipse verus Deus sit et verus homo. Ita S. Ambrosius loco citato, juxta illud *Hebr.* II : « Qui enim sanctificat et qui sanctificantur ex uno omnes : propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens : Narrabo nomen tuum fratribus meis. »

secum parall. *Matth.* XXVIII, 9 et 10 : « Illæ autem (mulieres) accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus : *Nolite timere.* » Vogelius, in *Dissert. de conjecturæ usu in crisi N. T.*, pro [illegible] legendum conjecit : [illegible], id est, *noli stupescere.* Hæ opiniones negari nequit quin ingeniose excogitentur; at merito objicitur priori, quod Christus, jam ante resurrectionem, pro Dei Filio mulieribus habebatur; posteriori vero, quod codicum omnium adversetur auctoritati.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Sensus ergo est, *q. d.* Dic Apostolis ut timorem et mœstitiam deponant : ego enim jam a morte resurrexi eosque ut fratres amo ideoque mox in cœlum ascendam, ut eis ibidem parem locum, ipsique me eo sequantur, utque inde mittam eis Spiritum Sanctum, qui eos faciat heroicos Evangelii mei præcones.

18. VENIT MARIA MAGDALENE ANNUNTIANS (Syrus, *evangelizavit*) DISCIPULIS : QUIA VIDI DOMINUM, ET HÆC DIXIT MIHI. — En Magdalena hic a Christo fit Apostolorum apostola et evangelista. Unde ipsa, post resurrectionem Christi, a Judæis pulsa in exilium, et Massiliam appulsa, ibidem incolarum fuit apostola. Meruit hoc incenso suo in Christum amore, fide, constantia, per quam ipsa sola, Apostolis remanentibus, ante solis ortum, ejus sepulcrum adiit et indefessa apud illum permansit, donec Jesum suum videret.

19. CUM ERGO SERO ESSET DIE ILLO, UNA SABBATORUM, ET FORES ESSENT CLAUSÆ, UBI ERANT DISCIPULI CONGREGATI PROPTER METUM JUDÆORUM : VENIT JESUS, ET STETIT IN MEDIO, ET DIXIT EIS : PAX VOBIS. — « Una sabbatorum, » id est prima die hebdomadæ, puta die Dominica, sive die Paschatis, qua Christus resurrexit. Vide dicta *Matth.* XXVIII, 1.

Apparitio Christi post resurrectionem, januis clausis. ET FORES ESSENT CLAUSÆ. — Calvinus ait Christum fores clausas aperuisse, vel certe per fenestram apertam ingressum esse, ne cogatur penetrationem dimensionum admittere, quodque duo corpora possint esse in eodem loco, uti in Eucharistia totum Christi corpus est in loci puncto. Idem de corpore Christi hic censet Durandus in IV, dist. 44, *Quæst.* VI; putat enim ne divina quidem potentia fieri posse, ut duo corpora se penetrent. Verum contrarium omnino hic significat Joannes : idcirco enim ait fores fuisse clausas, ut per illas Christum penetrasse significet, uti penetravit clausum matris uterum nascendo et lapidem sepulcri resurgendo, idque ut ostenderet omnipotentiam suæ divinitatis, ac dotes resurrectionis et corporis gloriosi. Ita omnes Patres et cæteri Interpretes Orthodoxi, quos fuse hic citat Adamus Contzen, Maldonatus, Bellarminus, controversia *De Eucharistia*, lib. III, cap. VI, et alii (1). Audi ex eis præcipuos : Ex Latinis S. Augustinus partim, serm. 158 et 160 *De Temp.*, partim epist. 3 *ad Volus.* : « Moli corporis, ait, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe eis non apertis intrare potuit, quo nascente virginitas Matris inviolata permansit. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile ; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur intelligere non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia creatoris. » S. Ambrosius, in cap. XXIV *Luc.* : « Clausis omnibus per invia septa corporibus, inoffensa compage corpus insertum est ; et ideo mirum quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, invisibili aditu, visibili conspectu, etc. Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem impervia usu, clausa penetravit. » S. Hilarius, post medium, lib. III *De Trinit.* : « Et cum eo clausam domum intelligentiæ tuæ visus introeat. Integra sunt omnia et obserata, sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam universa sunt pervia. »

Ex Græcis Justinus, in *Respons. ad quæstiones a Gentibus propositas*, resp. 117 : « Ut Dominus, ait, non corporis in spiritum mutatione in mari ambulavit : sed divina sua vi mare; quod ambulando trajici non potest, pervium fecit, non solum corpori suo, sed etiam Petri : sic divina sua vi, et ex monumento exiit, cum saxum in monumentum positum esset, et ad discipulos ingressus est occlusis foribus. » S. Epiphanius, *hæres.* 64 Origenis, longe post medium : « Quemadmodum, ait, Dominus noster resurrexit ex mortuis, non aliud corpus suscitans, sed ipsum quod erat, et non aliud ab eo quod erat, sed ipsum quod erat in spiritualem subtilitatem transmutans, et spirituale totum counicns, ingressus est per fores conclusas; id quod fieri nequit in nostris corporibus propter crassitudinem, et quod nondum in spiritualem subtilitatem sint counita. » S. Cyrillus in hunc locum : « Clausis foribus repente Dominus, omnipotentia sua natura rerum superata, ingressus ad discipulos est, etc. Nam cum Deus verus sit, rerum naturæ non subjacet. » Euthymius ex S. Chrysostomo : « Januas non pulsavit ne turbarentur, sed clausis iis introivit tanquam Deus. »

Tropologice : Christus apparet eis qui fores mentis mundo et carni occluserunt, eisque advenientis suavissimam, nec exspectatam, dat pacem. Ita S. Gregorius, lib. IV *in lib.* I *Reg.*, cap. V : « Clausas, ait, januas habent, qui contra humani lapsus negligentiam, officia corporis sub forti custodia stricta retinent. Intus etiam sunt, quia in interna dilectione supernæ vitæ requiescunt. Quibus profecto resurgens Dominus apparet : quia ejus gloriam tanto clarius aspiciunt, quanto per mundi contemptum passionis ejus mysterium strictius sequuntur. Hi etiam repleri Spiritu Sancto quasi in domo possunt, quia illi percipiunt abundanter gratiarum ejus dona, qui ad ea percipienda sese visibilia contemnendo paraverunt. »

ET STETIT, — repente se stitit et visibilis apparuit sine prævio adventus sui signo. Nonnus, « stetit, ut penna vel cogitatio, » id est ea velocitate qua volat avis vel cogitatio, se præsentem exhibuit.

(1) Illi tamen temeritatis haud immerito inureretur, qui negaret miraculum quod vocent *penetrationem dimensionum*, hoc versiculo positive et directe exprimi. Unum enim dicit Joannes, scil. fores fuisse clausas ; id autem dicere potuit sive ut notaret metum Apostolorum, sive potius *tempus* quo res accidit, quod Romanis dicebatur *prima face*, quo tempore foribus vectes opponebantur. Porro non, qui κεκλεισμένων θυρῶν venit, necesse est διὰ κεκλεισμένων θυρῶν veniat. Adde, miraculum hoc versu saltem innui, SS. Patrum autem traditione atque consensu omnino inconcussum evadere.



IN MEDIO, — id est inter Apostolos.

Tropologice S. Bernardus, serm. 6 *De Ascens.* : « Falleris, ait, Thoma sancte, falleris, si videre Dominum speras ab Apostolorum collegio separatus. Non amat veritas angulos, non ei diversoria placent. In medio stat, id est disciplina communi, communi vita, communibus studiis delectatur. »

ET DIXIT EIS : PAX VOBIS. — Est Hebræorum usitata salutatio, qua iis quos salutant, omne bonum apprecantur. Pax enim affert omne bonum, bellum vero omne malum, ut dixi *Coloss.* cap. III, vers. 15, et alibi.

Vers. 20. 20. ET CUM HOC DIXISSET, OSTENDIT EIS MANUS ET LATUS. — Nota : Ex hoc versu, et clarius ex vers. 27, liquet Christum post resurrectionem in corpore suo glorioso servasse quinque vulnerum suorum non solum cicatrices, sed etiam foramina, idque vere, non ficte, ut contra Porphyrium docet S. Augustinus, epist. 49 *ad Deogratias*. Quare vulnera hæc non implevit carne gloriosa, quæ speciem clavi haberet (uti factum esse in eorumdem stigmatibus impressis S. Francisco, narrat S. Bonaventura in ejus Vita), sed ea aperta servavit, ut patet ex vers. 27, ubi Thomas in ea jussu Christi suum digitum et manum immisit. Idque fecit *primo*, ut hæc irrefragabilia essent signa et argumenta veritatis corporis et resurrectionis ipsius, scilicet ipsum verum habere corpus, vereque a mortuis resurrexisse. Ita Cyrillus et Leontius. Audi S. Augustinum : « Clavi manus ejus fixerant, lancea latus ejus aperuerat : ubi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt servata vestigia. »

Christus servavit vulnerum foramina. Cur? Causa Prima.

*Secundo*, in signum et trophæum victoriæ de peccato, mundo, carne et diabolo per passionem suam partæ. Ita S. Augustinus et S. Ambrosius, in cap. ult. *Lucæ*.

*Tertio*, ad majorem in nobis fiduciam excitandam, eo quod Christus vulnera hæc Patri exhibens, per ea pro nobis interpellet et omnia impetret. Ita S. Anselmus, in cap. IX *ad Hebr.*, et Cyprianus, serm. *De Baptismo Christi*.

*Quarto*, ad accendendum nostrum amorem, ut Christum pro nobis vulneratum imitemur et redamemus, ac pro eo vicissim vulnera quælibet mortemque ipsam libenter suscipiamus. Ita S. Ambrosius loco citato, et S. Gregorius, *in Cant.* cap. II.

*Quinto*, ut iis Christus judex in die judicii Judæorum et reproborum impietatem et ingratitudinem redarguat, quod tantam neglexerint gratiam. Ita S. Augustinus. Passim enim Theologi cum S. Cyrillo, lib. XII, cap. LVIII, docent Christum vulnera hæc ascendendo in cœlum intulisse, ibique in æternum ea servaturum; idque colligitur ex *Zach.* XIII, 6, et *Joan.* XIX, 37.

Porro, speciali Dei miraculo factum est ut illa vulnerum foramina in Christo non impediant, quo minus nervi et arteriæ continuæ sint optimeque dispositæ, tum ad continendum sanguinem, tum ad omnes actiones et motus vitæ a Christo obeundos. Vide Suarez, III *part.*, *Quæst.* XLIV, disp. XLVII, art. 4, sect. 2.

Hinc consequenter S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. XX, opinatur in martyribus simili modo mansuras vulnerum, quæ acceperunt, cicatrices, quales cernimus in plagis jam sanatis (nec alia S. Augustinus ibidem videtur ponere in Christo); non enim iis quibus abscissum est caput aut alia membra, aliter manere possunt in corpore integro et glorioso, nisi per sui signa et cicatrices. Audi S. Augustinum : « Nescio autem quomodo sic afficimur amore Martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt? et fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, et quædam quamvis in corpore non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit; nec ideo tamen si aliqua Martyribus amputata et ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum : quibus dictum est : Capillus capitis vestri non peribit. » Additque : « Non sunt deputanda vitia virtutis indicia. »

Videtur hoc de Martyribus negare S. Cyrillus, lib. XII, cap. LVIII, sed vero non negat : quia non loquitur de Martyribus, sed de iis qui laborant aliquibus naturæ defectibus, ut claudis, cæcis, surdis ; hi enim non cæci et surdi, sed videntes et audientes resurgent.

GAVISI SUNT ERGO DISCIPULI, VISO (et ex cicatricibus agnito) DOMINO. — De quo audi S. Augustinum, lib. XXII *De Civit.*, cap. XIX : « Claritas qua justi fulgebunt sicut sol, in Christi corpore, cum resurrexit, abscondita fuisse potius, quam defuisse credenda est ; non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando a suis ita deberet attendi, ut posset agnosci.

GAVISI SUNT, — tum quia Christum de morte ob quam mœrebant, ad vitam resurrexisse videbant; tum quia ab eo omnia bona ab eo promissa, sibi reipsa jam danda sperabant.

21. DIXIT ERGO EIS JESUS ITERUM : PAX VOBIS. Vers. 21.
— Cur « iterum? » Audi varios, qui varias causas assignant. Interlinearis : « Iteratio confirmatio est, dat eis pacem super pacem, sicut promisit per Prophetam. » Beda : « Repetit, quia gemina est virtus charitatis, vel quia ipse est qui fecit utraque unum. » Glossa : « Pacem offert, qui propter pacem venerat ; iterat ut monstret per suum sanguinem pacificata, quæ in cœlis, et quæ in terra. » Chrysostomus : « Quia prælium implacabile habebant cum Judæis, rursus eis pacem annuntiat ut consoletur, simul demonstrans crucis efficaciam, per quam solvit omnia tristia, et contulit omnia bona, et hæc est pax. Mulieribus vero supra annuntiatum gaudium, susceperant

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

enim maledictionem hanc: In dolore paries; et erant in mœrore.

SICUT MISIT ME PATER, ET EGO MITTO VOS. — «Sicut,» id est simili potestate, auctoritate, fine, modo, amore.

Nota: Hac vocula «sicut,» Christus Apostolos quodammodo sibi æquat et pares efficit, scilicet proportionaliter, ut suos successores et vicarios.

*Sicut Pater misit Christum, ita Christus misit Apostolos: quo sensu?*

*Primo* ergo, τὸ «sicut» significat similitudinem in officio, *q. d.* Simili potestate et auctoritate speciali, qua Pater me misit ad instituendam et regendam Ecclesiam, ego pariter vos mitto, ut sitis ejus doctores et rectores sicut ego sum, ac potestatem habeatis etiam remittendi peccata, sicut ego habeo, ut sequitur. Ita Rupertus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, qui asserunt Christum hisce verbis Apostolos creasse suos vicarios, orbis doctores et pastores, eisque suum officium et auctoritatem, id est omnem potestatem Ecclesiasticam communicasse, ac consequenter eosdem creasse hic Episcopos: licet noster Franciscus Turrianus, ex Ammonio, Theophane, Damiano et aliis, velit Apostolos creatos esse Episcopos in Pentecoste: ita ipse scribens in S. Clementis, lib. VI *Constit. Apostol.*, cap. XI, pag. 227. Bellarminus vero, lib. I *De Romano Pontifice*, cap. XXIV, ex Turrecremata, censet solum Petrum ordinatum fuisse Episcopum a Christo, cæteros vero Apostolos ordinatos esse Episcopos a S. Petro. Verum probabilius Suarez opinatur omnes Apostolos ab ipso Christo ordinatos fuisse Episcopos, licet de locis et tempore dubitet. Ita ipse, tract. *De Fide*, disp. X, sect. 1, num. 8; favet S. Augustinus, in *Quæst. novi et veteris Testamenti*, Quæst. XCVII, dicens: «Ipse enim, priusquam in cœlos ascenderet, imponens nomen Apostolis, ordinavit in Episcopos.»

*Secundo*, τὸ «sicut» significat similitudinem principii, *q. d.* Sicut Deus Pater misit me, ita et ego illi par Deus, vos mitto: ita Theophylactus; principium ergo missionis tam Christi quam Apostolorum est a Deo, imo est ipse Deus.

*Tertio*, τὸ «sicut» significat similitudinem in fine: utrique enim missi sunt ad eumdem finem, scilicet ad fidem propagandam et ad salutem totius mundi. Ita Cyrillus et Leontius.

*Quarto*, in modo, ut scilicet miraculis vestra dogmata confirmetis, o Apostoli, sicut ego eadem confirmavi.

*Quinto*, in amore reciproco, *q. d.* Quo amore misit me Pater ad sanguinem ejus amore fundendum, eodem ego vos mitto. Summus enim Dei amor est, cum ipse quem suum testem et martyrem efficit. Ita Toletus.

Audi S. Gregorium: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, *q. d.* Ea charitate vos diligo, cum inter scandala persecutorum vos mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit.»

22. HÆC CUM DIXISSET, INSUFFLAVIT, ET DIXIT EIS: ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM. — Cur «insufflavit?» Respondeo *primo*, ut significaret naturam Spiritus Sancti illumque a se æque ac a Patre spirari et procedere. Sicut enim homo insufflando in aliquem, ex ore suo halitum sive spiritum suum corporeum alteri immittit; sic Pater et Filius spirando producunt Spiritum Sanctum eique suum spiritum et divinitatem communicant. Spiritus Sanctus ergo est quasi flatus divinus, procedens ex spiratione Patris et Filii. Ita S. Augustinus, *tract.* 121; Cyrillus, Beda et alii. Porro insufflatio hæc Christi non fuit ipse Spiritus Sanctus, *q. d.* Accipite hanc insufflationem, quæ est Spiritus Sanctus; sed fuit ejus signum, *q. d.* Accipite in hac insufflatione, sive per hanc insufflationem, ut per signum et causam instrumentalem, donum Spiritus Sancti.

*Christus insufflat. Cur? Resp. Primo.*

*Secundo*, ut significaret Spiritum Sanctum sibi et Patri esse ὁμοούσιον, hoc est, consubstantialem, perinde ac halitus insufflando emissus est consubstantialis spiritui illius qui eum emittit et exsufflat. Ita Cyrillus et Leontius. *Secundo.*

*Tertio*, ut ostenderet illum se esse qui primitus Adæ inspiravit spiraculum vitæ, juxta illud *Genes.* cap. II, vers. 7: «Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem,» id est factus est homo animal vivens: eo enim hic alludit, *q. d.* Sicut ego, qua Deus, olim insufflando Adæ indidi illi animam, quæ dedit ei vitam naturalem et animalem; sic nunc ego vobis insufflando do Spiritum Sanctum, qui dat vobis vitam supernaturalem et divinam. Idem ergo ego, qui fui olim creator hominum, jam sum eorum recreator et restaurator. Ita Cyrillus, lib. XII, cap. LVI; Leontius, Euthymius et S. Athanasius, *ad Antiochum*, Quæst. LXIV. *Tertio.*

*Quarto*, addit Cyrillus et S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XVI, et ex eo S. Ambrosius, serm. 20 *in Psal.* CXVIII, Christum hac insufflatione significasse se primitus insufflasse in Adamum non tantum animam, sed et gratiam; sed quia ipse illam peccando perdidit, hanc se insufflando eamdem Apostolis, et per eos cæteris hominibus restituere: se ergo gratiæ amissæ esse restauratorem, *q. d.* Accipite Spiritum Sanctum, quem peccando in Adamo perdidistis, eumque per sacramentum Pœnitentiæ pœnitentibus afflate, ac per eum peccata eorum remittite, eosque vitæ spirituali per gratiam restituite. Audi S. Cyrillum: «Primo, per Verbum Dei factus est homo, et inspiravit Deus in eum spiraculum vitæ, *Gen.* II, et sui spiritus participatione eum munivit: verum quoniam per inobedientiam decidit, et pristinum decus amisit, formavit eum rursus Deus Pater, et in novam reduxit vitam per Filium: ut ergo ipsum esse discamus, qui initio naturam nostram creavit et Spiritu Sancto signavit, rursus in initio renovandæ naturæ sufflatione Spiritum discipulis largitur, ut sicut creati ab initio sumus, sic etiam renovemur.» *Quarto.*



Symbolice: hæc insufflatio repræsentat peccatum esse quasi nubem atram. Sicut enim hæc flante vento dissipatur, sic sufflante Spiritu Sancto dissipatur omnis peccati nebula, juxta illud *Isaiæ* XLIV: «Delevi ut nubem iniquitatem tuam.» Rursum, flatus hic repræsentat potestatem judiciariam remittendi peccata, quam hic Christus dat Apostolis. Hæc enim exercetur flatu vocis dicentis: «Ego te absolvo.»

Tropologice: flatus hic notat sacerdotem, ut peccata remittat, debere ingenti spiritu, charitate et zelo pollere, quem pœnitentibus inhalet, ut eos ad veram pœnitentiam, dolorem et contritionem impellat, per quam eosdem ad remissionem peccatorum disponat. Ita videmus Confessarios magno spiritu præditos, multos magnosque peccatores spiritu oris sui compungere, convertere et sanctificare: uti legimus S. Ambrosium, audiendo peccata confitentium, illacrymari solitum, ac suis lacrymis eosdem ad lacrymas et contritionem commovisse.

*Spiritus Sanctus quomodo hic detur Apostolis?*

ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM. — Nota: Apostoli jam acceperant in baptismo et S. Synaxi Spiritum Sanctum, erantque justi et sancti; ejus vero plenitudinem ex Christi promissione accepturi erant in Pentecoste, ut per eam Gentes ad Christum converterent; tunc enim Spiritus Sanctus visibiliter in eos per linguas igneas descendens, eos omnibus donis, ac præsertim efficacia prædicandi, cumulavit. Hic ergo Christus Apostolis Spiritum Sanctum, quem jam habebant, dat ad alium usum et effectum, quem needum habebant, scilicet ad remittendum peccata. «Accipite ergo Spiritum Sanctum,» hoc est accipite potestatem remittendi per Spiritum Sanctum peccata: ita Theophylactus, Euthymius et Rupertus. Id facit ut significet se ad id venisse, juxta illud *Isaiæ* XXVII, 9: «Et iste omnis fructus ut auferatur peccatum;» ac se æque ac Patrem dare Spiritum Sanctum. Hinc patet Spiritum Sanctum dari non tantum per gratiam gratum facientem, sed etiam per gratiam gratis datam, qualis est potestas remittendi peccata, quæ datur sacerdotibus etiam in peccato mortali existentibus, dum ordinantur. Nam Spiritus Sanctus est primarius auctor qui in Sacramento operatur, et per illud peccata remittit, etiamsi ejus minister sit impius. Unde Cyrillus et Chrysostomus sic exponunt: «Accipite Spiritum Sanctum,» id est accipite potestatem remittendi peccata per Spiritum Sanctum, vobis in Sacramento cooperantem et peccata remittentem. Rursum per Spiritum Sanctum cum S. Augustino hic et S. Ambrosio, serm. 10 *in Psalm.* CXVIII, accipias ipsam Spiritus Sancti gratiam et charitatem; hæc enim hic a Christo major et auctior infusa fuit Apostolis, eademque sacerdotibus, dum ordinantur, infunditur vi sacramenti Ordinis (nisi ipsi obicem ponant velintque in peccatis suis perseverare, vel nolint de præteritis conteri), ut rite et sine peccato sacramentum Pœnitentiæ administrare possint et peccatores absolvere. Sacerdos enim qui alios absolvit, a peccato purus esse debet; alioquin peccat, sed tamen pœnitentem vere absolvit et justificat. Ex dictis liquet Spiritum Sanctum habere primam et summam potestatem remittendi peccata eamque communicare Apostolis, ac proinde ipsum vere esse Deum. Ita S. Basilius, lib. V *Contra Eunom.*; S. Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. XIX, et Chrysostomus, homil. 6 *in Epist.* II *ad Cor.* Porro eadem potestas communis est toti sanctæ Trinitati, sed appropriatur Spiritui Sancto, sicut et bonitas et amor, et omnia opera sanctificationis; Patri vero appropriatur potentia, Filio sapientia ejusque opera.

Nota *secundo*, Spiritum Sanctum ejusque potestatem remittendi peccata hic dari Apostolis, non tam propter ipsosmet, utpote futuros judices reorum in tribunali pœnitentiæ, quam propter reos pœnitentes: unde eadem datur etiam sacerdotibus malis, dum ordinantur, sicut potestas judicandi in foro sæculari dari potest judici impio; si tamen ipsi se per pœnitentiam ad Ordinationis sacramentum rite suscipiendum disponant, accipient in eo Spiritum Sanctum, etiam ad sui sanctificationem, ut aptiores sint ad alios, puta pœnitentes sanctificandos, sicut hic factum est Apostolis.

Notat *tertio* S. Cyrillus et ex eo Maldonatus, etiam Thomæ licet absenti, hic a Christo inspiratum fuisse Spiritum Sanctum eique collatam fuisse potestatem remittendi peccata; sicut olim spiritus prophetiæ per Mosen datus fuit Eldad et Medad, licet absentibus, *Num.* XI, 26. Verius tamen videtur contrarium. Nam Thomas tunc erat incredulus, ideoque incapax Spiritus Sancti; quare Spiritus Sanctus et potestas remittendi peccata Thomæ a Christo data fuit octavo die, cum ei Christus apparuit et vulnera sua ostendit, itaque eum convertit. Ita Toletus, Ribera et alii.

Denique nota hoc Christi exemplum pro cæremoniis Ecclesiasticis. Christus enim cæremonia insufflandi contulit Apostolis Spiritum Sanctum et potestatem remittendi peccata. Ergo cæremoniæ Ecclesiasticæ non sunt res otiosæ, frivolæ et superstitiosæ (uti volunt hæretici), sed decoræ, efficaces et religiosæ.

23. QUORUM REMISERITIS PECCATA, REMITTUNTUR EIS; ET QUORUM RETINUERITIS, RETENTA SUNT. — Calvinus hoc detorquet ad prædicationem Evangelii, *q. d.* Quibus prædicaveritis Evangelium, si ipsi ei credant, hoc ipso per fidem remittentur eis peccata. Verum nemo non videt hanc expositionem esse contortam, violentam, ineptam et ridiculam. Nam sic non Apostoli, sed ipsi credentes quasi judices credendo, per fidem suam sibi ipsis remitterent peccata, quod est absurdum; nemo enim seipso superior, aut sibi ipsi judex est, ut sibi peccata remittat.

*Secundo*, hæc duo, scilicet prædicare Evange-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lum et remittere peccata, sunt plane diversa et disparata; prius enim est opus Apostoli prædicantis, posterius vero est actus judicis judicantis: remittere enim peccata est actus judicialis.

*Tertio*, Evangelium omnibus est prædicandum; hæcque Calvini absolutio omnibus etiam impiis dari potest: Remittuntur tibi peccata, si credis Evangelio. Christus autem non omnibus vult peccata remitti, sed aliquorum peccata jubet retineri, scilicet quorum retinenda censuerint et judicarint Apostoli eorumque successores.

*Quarto*, quia Christus jam ante potestatem prædicandi clare dederat Apostolis eosque ad prædicandum miserat, *Luc.* X, 1; imo eis mandatum dederat prædicandi ubique, *Matth.* cap. ult., et *Marc.* cap. ult., 15: «Euntes, ait, in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.» Quorsum igitur hic illud verbis tam obscuris et inintelligibilibus repeteret?

Dico ergo: De fide est hunc locum intelligi debere de sacramento Pœnitentiæ, in quo sacerdos quasi judex vere remittit non tantum pœnas, sed et culpas peccatorum pœnitentium seseque per confessionem accusantium. Id patet ex ipsis verbis, quæ omnia sonant et significant potestatem judiciariam remittendi aut retinendi peccata pro suo judicio, hic a Christo dari Apostolis quasi judicibus in foro et tribunali conscientiæ. Ita hunc locum intellexere omnes Patres totaque Ecclesia quovis sæculo, uti definit Concilium Tridentinum, *sess.* XIV, can. 3: «Si quis dixerit, ait, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.» Christus ergo hoc loco sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii instituit, uti definit idem Concilium ibidem, can. 1: «Dominus, ait, sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.» Patrum testimonia citat Bellarminus, lib. III *De Pœnitentia*, cap. II, ac inter alios S. Gregorii, *homil.* 26, dicentis: «Principatum divini judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.»

Sensus ergo est, *q. d.* «Accipite Spiritum Sanctum,» per quem trado vobis potestatem ordinis, quam etiam qui est in peccato habere potest, et simul trado vobis gratiam et sanctificationem, ut digne et sancte hanc potestatem exerceatis, non in aliorum solum salutem, sed etiam in vestram. «Quorum remiseritis peccata:» vere enim remittetis ut ministri mei, et non tantum remissa esse ostendetis, etc.; «et quorum retinueritis,» vel non absolvendo eos, quia ad vos non veniunt, vel quia absolutione indignos putabitis, etc., «retenta sunt» in cœlo a Deo.

Objectio ex S. Cyrillo.

Dices: Cyrillus hic exponit hunc locum de prædicatione Evangelii. Respondeo: Cyrillus de ea non exponit τὸ «Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,» sed τὸ «sicut misit me Pater, et ego mitto vos,» scilicet ad prædicandum Evangelium. Instabis: Cyrillus explicans τὸ «Quorum remiseritis peccata,» ait dupliciter remitti peccata, scilicet baptismo et pœnitentia. Respondeo: Utrumque verum est, sed non utrumque non est ad mentem Christi hoc loco; Christus enim loquitur proprie de tribunali Pœnitentiæ, Cyrillus vero sententiam Christi extendit ulterius, scilicet ad baptismum. Nam Christus proprie agit de judiciaria remissione peccati, qualis non est in baptismo, sed in sacramento Pœnitentiæ duntaxat, uti exponunt cæteri Patres et Concilium Tridentinum locis jam citatis. Vide S. Chrysostomum hic, et lib. III et VI *De Sacerdotio*, ubi ostendit sacerdotes digniores esse non tantum regibus, sed et angelis, quibus potestas remittendi peccata non est concessa.

Porro, ex eo quod Christus hic instituit tribunal hoc Pœnitentiæ, consequenter hoc ipso confessionem Sacramentalem sanxit et jure divino præcipit; alioqui enim frustra erexisset hoc tribunal. Non enim possunt remitti peccata in hoc tribunali a sacerdote, nisi cognoscantur; cognosci autem non possunt, nisi pœnitens ea confiteatur, quia sæpe sunt occulta, imo in mente abscondita. Quare necesse est ut peccator pœnitens hic accusatoris sui personam subeat, idemque sit reus, accusator et testis contra se, ac a sacerdote quasi judice, peccatorum, de quibus se accusat et quorum ipsum pœnitet, veniam humiliter flagitet; qui si eum vere pœnitentem viderit, in eum sententiam absolutionis proferens, eum ab omnibus absolvet omniaque ei in nomine Christi, quasi ejus vicarius, condonabit; Christus enim ratam habet sententiam sacerdotis, et quod ille condonat, ipse quoque condonat; quod ille retinet, Christus quoque retinet. Jubet enim sæpe in Evangelio Christus ut omnes de peccatis pœnitentiam agam, sæpeque tota concionum ejus summa erat hæc: «Pœnitentiam agite,» *Matth.* III; hanc autem agere debent eo modo quo Christus instituit, nimirum suscipiendo sacramentum Pœnitentiæ, hoc est confitendo peccata sacerdoti in sacramento Pœnitentiæ et ab eo absolutionem flagitando. Ita Concilium Tridentinum, *sess.* XIV, cap. V: «Ex institutione, ait, sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper



intellexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere; quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.» Errat ergo Cajetanus dicens hic non tradi præceptum Confessionis. Error hic post Concilium Tridentinum est hæresis, sed Cajetanus Concilium hoc antecessit.

ET QUORUM RETINUERITIS, RETENTA SUNT. — Nota: Τὸ *retinueritis* non significat negationem duntaxat absolutionis, sed potestatem positivam. Sensus enim est: «Quorum retinueritis,» id est, quos indignos absolutione judicaveritis ob suam indispositionem, quos repulcritis, quos rejeceritis ab absolutione, quos judicaveritis peccati reos, ideoque gehenna dignos, hos pariter tales judicabit Deus, qui solus primario et propria auctoritate peccata condonat vel retinet. Solius enim Dei proprium est condonare offensam in se commissam; sed ipse hac in re loco suo quasi vicarios suos constituit Sacerdotes. Hoc est quod Christus ait *Matth.* XVIII, 18: «Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo,» v. g. Sacerdos, si videt pœnitentem non habere serium de peccatis dolorem, aut non habere serium propositum emendationis, quia non vult relinquere concubinam vel alias propinquas peccandi occasiones, aut non vult restituere famam, vel opes proximo surreptas, debet ei negare absolutionem et judicare ipsum absolutionis incapacem et in peccato suo manere una cum reatu gehennæ.

Denique nota: Licet Apostoli a Christo ordinati sint Sacerdotes ante passionem, in ultima cœna post institutam Eucharistiam illis verbis: «Hoc facite in meam commemorationem,» *Luc.* XXII, 19, tamen tunc acceperunt solam potestatem consecrandi Eucharistiam; hic vero, post resurrectionem Christi, ab eo accipiunt aliam potestatem, scilicet remittendi peccata: sunt enim hæ diversæ potestates, et dividi separarique possunt. Nam Christus habuit potestatem excellentiæ, qua potuit aliter instituere Sacerdotes, quam postea fuerunt in Ecclesia constituendi, quia jam in ordinatione Sacerdotum materia est calix et patena cum pane et vino; forma vero: «Accipe potestatem offerendi sacrificium:» quare cum ea Episcopus tradit cuipiam, et formam jam dictam pronuntiat, hoc ipso perfectum consecrat Sacerdotem, ac consequenter confert ei potestatem tam remittendi peccata, quam sacrificandi. Quocirca, cum postea dicit: «Accipe potestatem remittendi peccata,» hæc verba non sunt de essentia formæ, sed tantum declarant potestatem per prima verba illi traditam, uti *Contra Paludanum* docet D. Soto in IV, dist. 24, *Quæst.* I, art. 4, et ex eo Gregorius de Valentia, tract. *De Ordine*, disp. 9, *Quæst.* 1, punct. 5.

24. THOMAS AUTEM UNUS EX DUODECIM (Apostolis), QUI DICITUR DIDYMUS, NON ERAT CUM EIS QUANDO VENIT JESUS. — *Didymus*, id est gemellus, ob causas quas recensui cap. XI, vers. 16. Hic tamen dicitur *Didymus*, id est geminus, varius, anceps, dubius, duplex, quia nutabat et dubitabat in fide resurrectionis Christi. Quare infirmior quidem tunc fuit aliis Apostolis: sed a Christo rursus apparente conversus factus est omnibus fortior et fidelior, utpote qui solus totum pene orbem terrarum evangelizando percurrit. Vide Thomam Stapletonum, lib. *De tribus Thomis*, in Vita S. Thomæ apostoli, ubi ostendit eum prædicando obiisse orbem et pervenisse usque ad extremos Garamantas et Indos, nec tantum Parthis, Medis, Persis, Carmanis, Hyrcanis, Bactris, sed et Abyssinis ipsisque Sinis evangelizasse, imo in novum orbem, in Americam, inquam, penetrasse. Vers. 24.

NON ERAT CUM EIS, — quia, ut ait S. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius, Apostoli omnes in passione Christi fugientes dispersi fuere; sed die Dominico sensim se collegerunt, redieruntque ad cœnaculum, ubi cum Christo ultimam cœnam cœnarant: unde eodem die, sed sero Christus resurgens ibidem apparuit illis; Thomas vero necdum ex fuga redierat. Probabilius S. Augustinus, Beda, Lyranus, D. Thomas, Cajetanus, Toletus et Ribera respondent Thomam fuisse cum cæteris Apostolis, cum duo [illegible] ex Emmaus redeuntes narrarunt se vidisse Christum; sed quia hæc narratio videbatur Thomæ incredibilis et fictitia, hinc ipse offensus credulitate Apostolorum illi credentium, ipsos reliquit et abiit: sic enim abire solemus, cum sermo cujuspiam nobis displicet. Id innuit Lucas, cap. ult., cum ait mulieres e sepulcro redeuntes narrasse ea quæ viderant undecim Apostolis; ergo aderat tunc Thomas, et solus duodecimus Judas aberat, utpote jam suspensus. Quare, cum ait Lucas, cap. XXIV, 11: «Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista,» videtur notare Thomam.

25. DIXERUNT ERGO EI ALII DISCIPULI: VIDIMUS DOMINUM. ILLE AUTEM DIXIT EIS: NISI VIDERO IN MANIBUS EJUS FIXURAM CLAVORUM, ET MITTAM DIGITUM MEUM IN LOCUM CLAVORUM, ET MITTAM MANUM MEAM IN LATUS EJUS, NON CREDAM.

NISI VIDERO. — Peccavit hic Thomas: *primo*,

» incredulitate; *secundo*, pertinacia; *tertio*, superbia; *quarto*, irreverentia : cæteris enim omnibus Apostolis dicentibus Christum resurrexisse, obstinate restitit, nec fidem habere voluit; *quinto*, præsumptione, quia non aliter voluit credere, nisi manum et digitos in vulnera Christi inferret. Sane, o Thoma, præsumis leges Christo præscribere? *Sexto*, quod in hac incredulitate obstinate manserit per octo dies, forte etiam ipsa Christi matre contestante ut crederet. Quare fuit incredulus non circa modum resurrectionis, ut vult S. Ambrosius in cap. ult. *Luc.*; sed circa ipsam resurrectionis Christi veritatem, quasi alii Apostoli fuissent illusi et decepti, nec verum Christum, sed phantasma Christi specie larvatum vidissent, ut recte advertit Origenes, lib. II *Contra Celsum*. Sic et S. Augustinus, lib. XVI *Contra Faustum*, cap. XXXIII, et S. Gregorius, *hom.* 26.

Porro hæc Thomæ incredulitas orta fuit partim ex eo quod ipse non crederet Christum esse Deum; si enim credidisset, facile cognovisset Christum potuisse corpus suum e morte ad vitam suscitare : mirum est ergo Cyrillum dicere quod Thomas crediderit Christum esse Deum; partim ex nimia tristitia et dolore, præsertim quod cæteris Apostolis Christum videntibus, solus ipse eum non vidisset. Hoc enim pungebat et cruciabat cor ejus : unde in has voces acres doloris indices erupit. Ita Cyrillus, lib. XII, cap. LVII. Permisit id Deus, tum ut ipse Thomas, tum ut nos omnes in humilitate æque ac fide resurrectionis Christi per novam Christi apparitionem firmaremur. Ita S. Gregorius, *hom.* 26; S. Augustinus, serm. 161 *De Temp.*, et alii.

FIXURAM. — Græce τύπον, id est *figuram*, et sic legunt multi codices Latini : sed eodem redit sensus; figura enim hæc intelligitur figura relicta ex clavorum fixione. Unde Arabicus vertit, *vestigium*; Syrus, *locum clavorum*. Radix enim τυπόω idem est quod *signo, insculpo, imprimo, figuro*, uti fit in incisione æris, argenti vel auri : sic enim clavis et lancea incisa manibus et lateri Christi, insculpta et impressa fuere vulnera. Pulchre S. Augustinus, serm. 159 *De Temp.* : « Manus, ait, quærebat et latus, et dum curiosus existit in vulnere, mortem incurrit in fide : voluit Dominus ut videret, ne incredulitate animam perderet. »

Vers. 26. 26. ET POST DIES OCTO, — hoc est octavo die (non nono) a Dominica resurrectionis Christi jam finiente, et in vesperam noctemque vergente, puta Dominica in Albis, sive in octava Paschæ, quando hoc mysterium recolimus et in Missa hoc Evangelium legimus. Unde notat Cyrillus Apostolos jam tunc ex indiciis apparitionum Christi, cœpisse die Dominico conventus Ecclesiasticos agere, et quasi consecrare diem Dominicum, eo quod illo die Christus resurrexisset : quare Christum ad Dominicam sabbato substituendam sensim Apostolos direxisse.

ITERUM ERANT DISCIPULI EJUS INTUS, — in cœnaculo Hierosolymitano paulo ante dicto. Parum ergo probabile est quod ait S. Hieronymus in cap. ult. *Matth.*, vers. 16, item Rupertus et Ribera hic, Christum apparuisse Thomæ et Apostolis, non in Jerusalem, sed in Galilæa : ibi enim postea Christus apparuit non tantum Apostolis, sed et cæteris fidelibus.

ET THOMAS CUM EIS. VENIT JESUS JANUIS CLAUSIS, ET STETIT IN MEDIO, ET DIXIT : PAX VOBIS. — Nota hic miram Christi dignationem, qua ut Thomam infidelem et pertinacem convertat, iterum ei se non tantum videndum, sed et palpandum offert. Verum id fecit non ob Thomam solum, sed et propter cæteros Apostolos, ut eos nosque omnes in fide resurrectionis firmaret. Jesus iterum januis clausis apparet.

27. DEINDE DICIT THOMÆ : INFER DIGITUM TUUM HUC, ET VIDE MANUS MEAS, ET AFFER MANUM TUAM, ET MITTE IN LATUS MEUM (ecce clementiam Christi, qua per omnia ad ea quæ postularat Thomas, se demittit, ejusque votis per omnia obsecundat, ut eum convertat. En, ait Chrysostomus, ut Christus etiam pro una anima vulnera sua ostendat, et cum crassioris esset ingenii, a crassissimo sensuum fidem sibi quærat, id est a tactu), ET NOLI ESSE INCREDULUS, SED FIDELIS. — *q. d.* Putas, o Thoma, me non scire ea quæ de me absente dixisti; sed scito me ea scire, imo præsentem audivisse. Audivi te enim ex incredulitate dicentem : « Nisi mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. » Facito, sicut dixisti : en tibi offero perforatas manus latusque meum, ut ea contrectes, palpes, imo digito et manu tua metiaris ut deponas tuam incredulitatem, ac deinceps credas me resurrexisse : eumdem, inquam, numero, qui in cruce transfixus pependi, non alium. Hac ratione curat alterum Christus vulnus infidelitatis Thomæ; ostendit enim se omnia etiam secreta nosse, esseque cardiognosten, id est cordium cognitorem, ideoque Deum, quod Thomas non credebat. Sanat ergo Christus morbum a radice; ideo enim Thomas non credebat Christum resurrexisse, quia non credebat ipsum esse Deum.

Quæres, an vere Thomas tetigerit vulnera Christi? Glossa dubitat; Euthymius putat non tetigisse : sed contrarium sentit S. Augustinus, qui *tract.* 121 ait : « Videbat tangebatque hominem, et confitebatur Deum quem non videbat, neque tangebat; sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud jam remota dubitatione, credebat. » Idem ait S. Gregorius, Cyrillus, Theophylactus et Beda. Idem sentire videtur S. Chrysostomus, nec videtur dubitandum, quia cum Dominus dixerit : « Infer digitum tuum huc, » nisi factum esset, non præteriret Joannes eum sine tactu credidisse. Thomas tetigit vulnera Christi.

Adde, Christum præcipere hic Thomæ ut inferat digitum, cui præcepto sane Thomas obedivit. Certa ergo res est, ait Toletus, et in confesso apud omnes, Thomam secundum Domini præceptum vulnera Christi tetigisse : hoc enim jussit Christus, ut argumentum efficax resurrectionis suæ, non tantum Thomæ, sed et fidelibus sæculorum omnium relinqueret. Unde S. Augustinus, serm. 147 *De Temp.* : « Voluit, inquit, quibusdam dubitantibus exhibere in illa carne cicatrices vulneris, ut sanaret vulnus incredulitatis. » Et S. Ambrosius, in cap. ult. *Lucæ* : « Tactu, ait, suo debuit me docere, sicut docuit et Paulus. » Audi S. Gregorium, *hom.* 26 : « Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est. Egit enim miro modo superna clementia, ut discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur. » Rursum S. Augustinus, serm. 161 *De Temp.* : « Thomas ergo, cum esset sanctus, fidelis et justus, hæc omnia sollicite requisivit; non quod ipse aliquid dubitaret, sed ut omnem suspicionem incredulitatis excluderet. Nam sufficerat illi ad fidem propriam vidisse quem noverat, sed nobis operatus est ut tangeret quem videbat, ut, si forte diceremus delusos fuisse oculos, non possemus dicere manus illius fuisse frustratas. In resurrectionis enim manifestatione de aspectu ambigi potest, de tactu non potest dubitari. »

Dices : Christus ait : « Vide, non : Tange, manus meas. » Ergo Thomas eas vidit, sed non tetigit. Respondeo : « Vide, » id est tange, ut ipso tactu videas, id est certo cognoscas me crucifixum eumdem numero resurrexisse. Ita S. Augustinus, *tract.* 121. Visus enim, quia generalis et nobilissimus est sensus, hinc pro quolibet sensu, etiam tactu, capitur, uti ostendi *Exod.* xx, 18, ad illud : « Populus videbat, id est audiebat, voces. »

An corpus Christi gloriosum sit palpabile? Dices secundo : Corpus Christi gloriosum est subtile, ergo impalpabile. Respondent Cyrillus, Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, divina dispensatione fuisse palpatum a Thoma ad fidem resurrectionis faciendam : nimirum modus ille resistentiæ, qui est in corpore (quo scilicet unum corpus alteri resistit, ideoque ab eo est palpabile), quæ est passio et proprietas quantitatis, est in potestate Christi et cæterorum Beatorum, ut maneat vel tollatur a Deo ad libitum eorum. Idem est de visibilitate; unde Christus quando volebat, videbatur; quando nolebat, non videbatur. Vide dicta *Lucæ* cap. ult., vers. 39.

Porro, digitus hic S. Thomæ religiose asservatur Romæ in Basilica S. Crucis in Jerusalem (ubi cominus eum aspexi et deosculatus sum) una cum S. Cruce, titulo, clavo et spinis coronæ spineæ, quæ S. Helena e Jerusalem eodem transtulit. Ex eo vero quod ait Christus : « Affer manum tuam, et mitte in latus meum, » collige vulnus lateris Christi fuisse ingens et immane, utpote in quod totam manum suam, quæ magna et crassa erat, mittere potuerit Thomas : unde illud ipse pro se susceptum admirans, exclamavit : « Dominus meus et Deus meus, » ac in eo commorari, et per illud in cor Christi ingredi desiderabat, uti multi Sanctorum desiderarunt, ac inter alios S. Bernardus, S. Franciscus et S. Elzearius, comes Ariani. Vide S. Bernardum, serm. 61 *in Cant.*

28. RESPONDIT THOMAS, ET DIXIT EI : DOMINUS MEUS ET DEUS MEUS. — Dixit hoc Thomas, non ante, ut vult Euthymius, sed post contactum Christi, ut patebit vers. seq. Mansit ergo Thomas incredulus, donec tactu explorans vulnera Christi, ex iis reipsa cognovit ipsissimum esse Jesum, qui jam apparebat redivivus et qui in cruce vulnera jam dicta susceperat. Ita Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. XXVIII; S. Ambrosius, in *Psal.* XLIII; S. Hilarius, lib. III *De Trinit.*; Cyrillus, lib. XII, cap. LVIII; Gregorius, *hom.* 26. Vers. 28.

DOMINUS MEUS ET DEUS MEUS. — Supple : Tu es, o Christe; Græce est utrobique articulus ὁ, quo eum verum esse Deum significat, non participatione, sed natura, ait Cyrillus, scilicet ὁ Κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου; Syrus, *Domine mi, et Deus mi*. Agnoscit et damnat hic Thomas humilis et pœnitens priorem suam incredulitatem, idque facit magno fidei, spei, pœnitentiæ et charitatis affectu. Voce *Dominus* confitetur humanam Christi naturam; voce *Deus* divinam, *q. d.* Ego, quia non credebam te esse Deum, hinc non credebam te resurrexisse : jam quia resurrexisse te video, credo pariter te esse Deum, ideoque quod tu vi divinitatis tuæ corpus tuum a morte ad vitam suscitaris. Ita Hilarius, lib. VII *De Trinit.*, et S. Ambrosius, in *Psalm.* XLIII, qui et addit τὸ *Dominus* significare Christum esse redemptorem nostrum, utpote qui nos sanguine suo emerit, ideoque jure emptionis et redemptionis omnium sit Dominus. Hisce verbis ergo Thomas Christo adorationem latriæ exhibuit, ait Franciscus Suarez. Audi S. Augustinum : « Videbat tangebatque hominem, et confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat; sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud jam remota dubitatione credebat. » Hinc Concilium Constantinopolitanum Œcumenicum V, in *Constit.* Vigilii papæ, quæ pertinet ad collationem quintam, anathema dicit Theodoro Mopsuesteno, qui illud, « Dominus meus et Deus meus, » dictum volebat a Thoma, non Christum Deum confitente, sed ex miraculi stupore et admiratione Deum collaudante (1).

Nota τὸ *meus*, *q. d.* Licet Jesus omnium sit Dominus et Deus, meus tamen proprius est, quia ipse me ovem perditam quasi pastor bonus requisivit; quare vicissim eum intimis animæ me-

(1) Insuper huic interpretationi obstant et interjectum καί, *et*, et verba εἶπεν αὐτῷ, quæ nonnisi ad Christum referri possunt.

dullis diligo et veneror, quasi meum singularem Deum et Dominum. Tu ergo, o Jesu, mihi es Deus et Dominus, quia tuis hisce vulneribus, quæ jam palpavi et verissima cognovi, mihi meruisti et impetrasti hanc fidem, qua credo te vere resurrexisse; et hanc spem, qua spero per merita vulnerum tuorum obtinere gratiam et gloriam; et hunc charitatis fervorem, quo te ardentissime ut Deum et Dominum meum diligo, tibique me totum offero et consecro in servum perpetuum, ut nihil deinceps agere velim, nisi quod tibi placeat, nisi quod te laudet et glorificet. Utinam hunc cordis mei sensum toti mundo pandere et aspirare valerem! Utinam omnibus gentibus hanc tui fidem, spem et amorem deprædicare et communicare possem! Summa, tu mihi semper eris Dominus meus et Deus meus. Sic S. Franciscus crebro dicebat: « Deus meus et omnia. » Et regius Propheta: « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deficit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum, » *Psal.* LXXII, 26.

Vers. 29. 29. DIXIT EI JESUS: QUIA VIDISTI (id est tetigisti, et tangendo vidisti, id est certo cognovisti) ME, THOMA, CREDIDISTI: BEATI QUI NON VIDERUNT, ET CREDIDERUNT. — *q. d.* Beatus es, Thoma, qui me tetigisti, ideoque credidisti me resurrexisse esseque verum Deum, juxta illud: « Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, » *Luc.* X, 23. Verum magis beati sunt, qui me non viderunt, nec tetigerunt, et tamen in me crediderunt, quia ibi fides majus habet meritum, ubi humana ratio non præbet experimentum, ait S. Gregorius. Dicit: « crediderunt, » quia cæteri Apostoli, et per eos multi fideles jam crediderant Christum resurrexisse; sed sub præterito *crediderunt* intelligit præsens *credunt*, et futurum *credent*, *q. d.* Beatiores sunt et erunt, qui cum me non viderint, in me tamen credunt, vel credent, ob rationem jam dictam. Addit S. Augustinus eos qui credent, jam credidisse in Dei præscientia et prædestinatione, ideoque dici *crediderunt*; sed hoc subtilius et acutius est quam solidius.

Hinc S. Gregorius, *hom.* 26; S. Hilarius, lib. VII *De Trinit.*; et S. Augustinus, *tract.* 121, docent Thomam aliud vidisse, aliud credidisse: vidisse scilicet Christum jam resuscitatum, credidisse vero eum esse Deum, ac consequenter eum seipsum suscitasse; unde dixit: « Dominus meus et Deus meus, » *q. d.* Christus: Quia tu, o Thoma, vidisti et tetigisti humanitatem meam jam resuscitatam, idcirco credidisti divinitatem in ea latentem et resuscitantem. Resurrectio enim Christi confirmavit omnia ejus dogmata, inter quæ unum erat se esse Messiam Filium Dei, moriturum in cruce pro salute hominum, ac tertio die a morte surrecturum: quæ omnia hic credidit Thomas.

Rursum, id quoque quod sub sensum cadit, quodque videmus et tangimus, credere possumus fide divina, sed ob aliam rationem formalem. Videmus enim, quia oculis illud aspicimus; credimus vero, quia idipsum revelavit Deus, maxime si sensus errare possit, aut involvat aliquid quod non videtur, uti hic est resurrectio Christi jam præterita: de fide resurrectionis enim dubitavit et arguitur hic Thomas.

Dices: S. Augustinus, *tract.* 40, ait: « Fides est credere quod non vides. » Respondeo: Id verum est hoc sensu, quo præcipua objecta materialia fidei talia sint, ut non videantur, at non omnia: formale autem fidei objectum, scilicet revelatio Dei semper talis est, scilicet invisibilis.

Licet ergo Thomas, quatenus vidit Christum resuscitatum, eatenus formaliter id non credidit; tamen quia Christum, qua homo erat jam suscitatus, vidit et audivit idem asserere et revelare, hinc credidit Deo per os Christi et Apostolorum dicenti et revelanti illud, scilicet non phantasma in specie et forma Christi, uti antea putabat Thomas, sed ipsum Christum vere a mortuis resurrexisse et apparuisse Apostolis. Sic dicimus: Quia vidisti miracula, quia audisti prædicationem Evangelii, ideo credidisti; ubi vox *quia* non rationem, aut causam formalem credendi (hæc enim est unica Dei revelatio), sed disponentem et moventem ad credendum significat.

Potest tertio sic exponi: « Quia vidisti me, Thoma, credidisti: » credidisti, inquam, fide non divina, sed humana: sic credimus, id est assentimus iis quæ videmus et scimus. Credere ergo idem est quod assentiri. Ita Toletus. Audi S. Gregorium: « Tangebat hominem, et Deum confitebatur; » Theophylactum: « Qui prius fuerat infidelis, post lateris tactum optimum se Theologum ostendit, duplicem naturam et unam hypostasim Christi edisserens. Dicens enim Dominum, naturam humanam; dicens Deum, divinam confessus est in uno et eodem. »

30. MULTA QUIDEM ET ALIA SIGNA FECIT JESUS IN CONSPECTU DISCIPULORUM SUORUM, QUÆ NON SUNT SCRIPTA IN LIBRO HOC. — « Signa fecit, » tum per totam vitam, ait Euthymius et Ribera, tum proprie post resurrectionem suam, ait Chrysostomus et Theophylactus, quia de ea sermo proxime præcessit; et hæc signa Christus fecit coram solis Apostolis, cætera vero coram populo et turbis, *q. d.* Præter signa Apostolis et Thomæ exhibita, quæ jam recensui, Jesus multa alia edidit, quibus ilis sua dogmata, sed maxime suam resurrectionem confirmavit, quæ ego Joannes scribere nolo, ne prolixior sim, et quia multa ex illis jam ab aliis Evangelistis præscripta sunt. Ita S. Thomas, Lyranus, Cajetanus, Ribera, Toletus et alii.

Videtur enim Joannes hac clausula finire librum sui Evangelii de Christo Christique vita, morte et resurrectione, ait S. Augustinus, *tract.* 127; nam quæ sequuntur cap. ult., non tam ad fidem resurrectioni Christi conciliandam apud Apostolos, utpote qui jam illum credebant, quam ad mysteria Ecclesiæ et primatum Petri pertinent, ut An S. Joannes voluerit hic finire suum Evangelium?



scilicet ostendatur multiplicatio fidelium in Ecclesia, quibus Christus abiens in cœlum præfecit Petrum, eumque sui Vicarium in ea regenda constituit. Minus verisimile est quod censet Jansenius, cap. CXLVII, Joannem voluisse hic finire Evangelium; sed cum postea memoriæ ejus occurrerent, quæ cap. ult. narrantur, eadem addidisse. Videtur enim non tantum Spiritus Sanctus, sed et Joannes, non ex recordatione, sed destinato proposito illa addidisse.

31. HÆC AUTEM SCRIPTA SUNT, UT CREDATIS QUIA (quod) JESUS EST CHRISTUS (scilicet Messias redemptor mundi, a Deo olim Abrahæ et Davidi promissus, et nunc reipsa in carnem missus) FILIUS DEI: ET UT CREDENTES, VITAM (gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro æternam) HABEATIS IN NOMINE EJUS, — id est per nomen ejus, hoc est, per eum, ait Chrysostomus, scilicet per merita et satisfactionem Christi, quæ nobis per fidem et Sacramenta applicantur, si scilicet credamus in eum ejusque præceptis obediamus. Credere ergo oportet eum esse *primo*, Jesum, id est Salvatorem mundi; *secundo*, esse Christum, id est Messiam a tot sæculis exspectatum; *tertio*, esse Deum, Deique Filium; *quarto*, quod ipse credentibus in se sibique obedientibus dabit vitam æternam. « Ille enim vere credit, qui exercet operando quod credit, » ait S. Gregorius (1).

(1) Ultimum hujus Evangelii caput, non a Joanne ipso, sed ab ecclesia Ephesina, forte a Joanne presbytero Ephesino, Ecclesiæ consecratum, post Joannis obitum, eum in finem adjectum fuisse, ut ostenderetur impletum esse quod Christus de longævitate Joannis ac non violenta hujus morte prædixisset, Grotius contendit primus; atque hanc ejus sententiam plures secuti, hoc caput vel a Joanne presbytero, vel a Caio, Apostolorum hospite, additum fuisse putarunt. Examen diversarum sententiarum accuratissimum instituit Kuinoel in *Commentar.* ad h. l., qui ipse cap. XXI authentiam acriter defendit riteque probat.

# CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus apparet Petro et ceteris ejus sociis in captura piscium. Secundo, vers. 13, Petro plus cæteris se diligenti oves suas pascendas et fideles omnes regendos committit, eique mortem crucis prædicit. Hinc tertio, vers. 22, Petro roganti quid de Joanne futurum sit, Christus respondet:* Quid ad te? tu, me sequere.

1. Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic: 2. Erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat e Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. 3. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim; et illa nocte nihil prendiderunt. 4. Mane autem facto stetit Jesus in littore: non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. 5. Dixit ergo eis Jesus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. 6. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Miserunt ergo: et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. 7. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus, cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. 8. Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis), trahentes rete piscium. 9. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem. 10. Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. 11. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. 12. Dicit eis Jesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu, quis es? scientes quia Dominus est. 13. Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter. 14. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis. 15. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. 16. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dullis diligo et veneror, quasi meum singularem Deum et Dominum. Tu ergo, o Jesu, mihi es Deus et Dominus, quia tuis hisce vulneribus, quæ jam palpavi et verissima cognovi, mihi meruisti et impetrasti hanc fidem, qua credo te vere resurrexisse; et hanc spem, qua spero per merita vulnerum tuorum obtinere gratiam et gloriam; et hunc charitatis fervorem, quo te ardentissime ut Deum et Dominum meum diligo, tibique me totum offero et consecro in servum perpetuum, ut nihil deinceps agere velim, nisi quod tibi placeat, nisi quod te laudet et glorificet. Utinam hunc cordis mei sensum toti mundo pandere et aspirare valerem! Utinam omnibus gentibus hanc tui fidem, spem et amorem deprædicare et communicare possem! Summa, tu mihi semper eris Dominus meus et Deus meus. Sic S. Franciscus crebro dicebat : « Deus meus et omnia. » Et regius Propheta : « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deficit caro mea et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum, » *Psal.* LXXII, 26.

Vers. 29. 29. DIXIT EI JESUS : QUIA VIDISTI (id est tetigisti, et tangendo vidisti, id est certo cognovisti) ME, THOMA, CREDIDISTI : BEATI QUI NON VIDERUNT, ET CREDIDERUNT. — *q. d.* Beatus es, Thoma, qui me tetigisti, ideoque credidisti me resurrexisse esseque verum Deum, juxta illud : « Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, » *Luc.* X, 23. Verum magis beati sunt, qui me non viderunt, nec tetigerunt, et tamen in me crediderunt, quia ibi fides majus habet meritum, ubi humana ratio non præbet experimentum, ait S. Gregorius. Dicit: « crediderunt, » quia cæteri Apostoli, et per eos multi fideles jam crediderant Christum resurrexisse; sed sub præterito *crediderunt* intelligit præsens *credunt*, et futurum *credent*, *q. d.* Beatiores sunt et erunt, qui cum me non viderint, in me tamen credunt, vel credent, ob rationem jam dictam. Addit S. Augustinus eos qui credent, jam credidisse in Dei præscientia et prædestinatione, ideoque dici *crediderunt*; sed hoc subtilius et acutius est quam solidius.

Hinc S. Gregorius, *hom.* 26; S. Hilarius, lib. VII *De Trinit.*; et S. Augustinus, *tract.* 121, docent Thomam aliud vidisse, aliud credidisse : vidisse scilicet Christum jam resuscitatum, credidisse vero eum esse Deum, ac consequenter eum seipsum suscitasse; unde dixit : « Dominus meus et Deus meus, » *q. d.* Christus: Quia tu, o Thoma, vidisti et tetigisti humanitatem meam jam resuscitatam, idcirco credidisti divinitatem in ea latentem et resuscitantem. Resurrectio enim Christi confirmavit omnia ejus dogmata, inter quæ unum erat se esse Messiam Filium Dei, moriturum in cruce pro salute hominum, ac tertio die a morte surrecturum : quæ omnia hic credidit Thomas.

Hursum, id quoque quod sub sensum cadit, quodque videmus et tangimus, credere possumus fide divina, sed ob aliam rationem formalem. Videmus enim, quia oculis illud aspicimus; credimus vero, quia idipsum revelavit Deus, maxime si sensus errare possit, aut involvat aliquid quod non videtur, uti hic est resurrectio Christi jam præterita : de fide resurrectionis enim dubitavit et arguitur hic Thomas.

Dices : S. Augustinus, *tract.* 40, ait : « Fides est credere quod non vides. » Respondeo : Id verum est hoc sensu, quo præcipua objecta materialia fidei talia sint, ut non videantur, at non omnia : formale autem fidei objectum, scilicet revelatio Dei semper talis est, scilicet invisibilis.

Licet ergo Thomas, quatenus vidit Christum resuscitatum, eatenus formaliter id non credidit; tamen quia Christum, qua homo erat jam suscitatus, vidit et audivit idem asserere et revelare, hinc credidit Deo per os Christi et Apostolorum dicenti et revelanti illud, scilicet non phantasma in specie et forma Christi, uti antea putabat Thomas, sed ipsum Christum vere a mortuis resurrexisse et apparuisse Apostolis. Sic dicimus : Quia vidisti miracula, quia audisti prædicationem Evangelii, ideo credidisti; ubi vox *quia* non rationem, aut causam formalem credendi (hæc enim est unica Dei revelatio), sed disponentem et moventem ad credendum significat.

Potest tertio sic exponi : « Quia vidisti me, Thoma, credidisti : » credidisti, inquam, fide non divina, sed humana : sic credimus, id est assentimus iis quæ videmus et scimus. Credere ergo idem est quod assentiri. Ita Toletus. Audi S. Gregorium : « Tangebat hominem, et Deum confitebatur; » Theophylactum : « Qui prius fuerat infidelis, post lateris tactum optimum se Theologum ostendit, duplicem naturam et unam hypostasim Christi edisserens. Dicens enim Dominum, naturam humanam; dicens Deum, divinam confessus est in uno et eodem. »

30. MULTA QUIDEM ET ALIA SIGNA FECIT JESUS IN CONSPECTU DISCIPULORUM SUORUM, QUÆ NON SUNT SCRIPTA IN LIBRO HOC. — « Signa fecit, » tum per totam vitam, ait Euthymius et Ribera, tum proprie post resurrectionem suam, ait Chrysostomus et Theophylactus, quia de ea sermo proxime præcessit; et hæc signa Christus fecit coram solis Apostolis, cætera vero coram populo et turbis, *q. d.* Præter signa Apostolis et Thomæ exhibita, quæ jam recensui, Jesus multa alia edidit, quibus iis sua dogmata, sed maxime suam resurrectionem confirmavit, quæ ego Joannes scribere nolo, ne prolixior sim, et quia multa ex illis jam ab aliis Evangelistis præscripta sunt. Ita S. Thomas, Lyranus, Cajetanus, Ribera, Toletus et alii.

Videtur enim Joannes hac clausula finire librum sui Evangelii de Christo Christique vita, morte et resurrectione, ait S. Augustinus, *tract.* 127; nam quæ sequuntur cap. ult., non tam ad fidem resurrectioni Christi conciliandam apud Apostolos, utpote qui jam illum credebant, quam ad mysteria Ecclesiæ et primatum Petri pertinent, ut An S. Joannes voluerit hic finire suum Evangelium?



scilicet ostendatur multiplicatio fidelium in Ecclesia, quibus Christus abiens in cœlum præfecit Petrum, eumque sui Vicarium in ea regenda constituit. Minus verisimile est quod censet Jansenius, cap. CXLVII, Joannem voluisse hic finire Evangelium; sed cum postea memoriæ ejus occurrerent, quæ cap. ult. narrantur, eadem addidisse. Videtur enim non tantum Spiritus Sanctus, sed et Joannes, non ex recordatione, sed destinato proposito illa addidisse.

31. HÆC AUTEM SCRIPTA SUNT, UT CREDATIS QUIA (quod) JESUS EST CHRISTUS (scilicet Messias redemptor mundi, a Deo olim Abrahæ et Davidi promissus, et nunc reipsa in carnem missus) FILIUS DEI : ET UT CREDENTES, VITAM (gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro æternam) HABEATIS IN NOMINE EJUS, — id est per nomen ejus, hoc est, per eum, ait Chrysostomus, scilicet per merita et satisfactionem Christi, quæ nobis per fidem et Sacramenta applicantur, si scilicet credamus in eum ejusque præceptis obediamus. Credere ergo oportet eum esse *primo*, Jesum, id est Salvatorem mundi; *secundo*, esse Christum, id est Messiam a tot sæculis exspectatum; *tertio*, esse Deum, Deique Filium; *quarto*, quod ipse credentibus in se sibique obedientibus dabit vitam æternam. « Ille enim vere credit, qui exercet operando quod credit, » ait S. Gregorius (1).

(1) Ultimum hujus Evangelii caput, non a Joanne ipso, sed ab ecclesia Ephesina, forte a Joanne presbytero Ephesino, Ecclesiæ consessu, post Joannis obitum, eum in finem adjectum fuisse, ut ostenderetur impletum esse quod Christus de longævitate Joannis ac non violenta hujus morte prædixisset, Grotius contendit primus; atque hanc ejus sententiam plures secuti, hoc caput vel a Joanne presbytero, vel a Caio, Apostolorum hospite, additum fuisse putarunt. Examen diversarum sententiarum accuratissimum instituit Kuinoel in *Commentar.* ad h. l., qui ipse cap. XXI authentiam acriter defendit riteque probat.

# CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus apparet Petro et sex ejus sociis in captura piscium. Secundo, vers. 13, Petro plus cæteris se diligenti oves suas pascendas et fideles omnes regendos committit, eique mortem crucis prædicit. Hinc tertio, vers. 22, Petro roganti quid de Joanne futurum sit, Christus respondet :* Quid ad te? tu, me sequere.

1. Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic : 2. Erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat e Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. 3. Dicit eis Simon Petrus : Vado piscari. Dicunt ei : Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim; et illa nocte nihil prendiderunt. 4. Mane autem facto stetit Jesus in littore : non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. 5. Dixit ergo eis Jesus : Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei : Non. 6. Dicit eis : Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Miserunt ergo : et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. 7. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro : Dominus est. Simon Petrus, cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. 8. Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis), trahentes rete piscium. 9. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem. 10. Dicit eis Jesus : Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. 11. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. 12. Dicit eis Jesus : Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum : Tu, quis es? scientes quia Dominus est. 13. Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter. 14. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis. 15. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. 16. Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis me? Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

te. Dicit ei : Pasce agnos meos. 17. Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio : Amas me? et dixit ei : Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas. 18. Amen, amen dico tibi : cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. 19. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei : Sequere me. 20. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit : Domine, quis est qui tradet te? 21. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu : Domine, hic autem quid? 22. Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu, me sequere. 23. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus : Non moritur, sed : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? 24. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc; et scimus quia verum est testimonium ejus. 25. Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus : quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

Vers. 1. *Manifestatio Christi ad mare Tiberiadis.*

1. POSTEA MANIFESTAVIT SE ITERUM JESUS AD MARE TIBERIADIS, — quod et Galilææ dicebatur : in ea enim erat civitas Tiberias dicta, quia in honorem Tiberii Cæsaris ædificata ab Herode. Unde liquet Petrum cæterosque Apostolos ex Jerusalem et Judæa ivisse in Galilæam, uti jusserat Christus, *Matth.* XXVIII, 10; in Galilæa enim hæc Christi apparitio contigit, in qua Christus in cœlum iturus, ut gubernationi fidelium provideret, Petrum caput Ecclesiæ suumque in terris vicarium designavit, adeoque hæc subjungit Joannes, itaque suum concludit Evangelium.

ITERUM. — Fuit hæc Christi apparitio respectu Thomæ secunda, sed respectu aliorum Apostolorum tertia, qua per ingentem piscium capturam ingentem Gentium conversionem fore præmonstravit.

2. MANIFESTAVIT AUTEM SIC : ERANT SIMUL SIMON PETRUS, ET THOMAS, QUI DICITUR DIDYMUS, ET NATHANAEL, QUI ERAT A CANA GALILÆÆ, ET FILII ZEBEDÆI, ET ALII EX DISCIPULIS EJUS DUO. — Plures et honoratiores e discipulis congregari voluit Christus, ut eo gloriosior foret sua apparitio, utque coram iis quasi primariis Petrum in terris vicarium declararet, quem proinde ut talem cæteri Apostoli et fideles agnoscerent et colerent.

3. DICIT EIS SIMON PETRUS : VADO PISCARI (Syrus, *eo venatum pisces* : sicut enim venamur in terra lepores et in aere aves, sic et in mari pisces). DICUNT EI : VENIMUS ET NOS TECUM. ET EXIERUNT, ET ASCENDERUNT IN NAVIM : ET ILLA NOCTE NIHIL PRENDIDERUNT. — Varii varias piscationis hujus dant causas. S. Chrysostomus : « Quia Dominus, ait, non continuo cum eis erat, neque eis aliquid erat commissum, artem piscatoriam tractabant. » S. Gregorius, *hom.* 24 : « Negotium, quod ante conversionem sine peccato extitit, post conversionem repetere culpa non fuit. Itaque Petrus ad piscationem rediit; Matthæus ad telonium non rediit. Sunt enim pleraque, quæ sine peccato exhiberi, aut vix, aut nullatenus possunt, ad quæ post conversionem non est redeundum. » S. Augustinus : « Non fuerant prohibiti Apostoli ex parte sua licita victum necessarium quærere, si quando unde viverent aliud non haberent. Sic Paulus, ne Gentes offenderet, si potestate, quam cum cæteris prædicatoribus habebat, uteretur, artem quam non noverat didicit, ut dum suis manibus transigitur doctor, nullus gravaretur auditor. Quanto ergo magis B. Petrus, qui piscator fuerat, quod noverat fecit, si aliud unde viveret non invenit! Quod si quis dicat : Cur non Dominus, quod eis promisit, scilicet apponenda his omnia, si quærerent regnum Dei, implevit? Respondendum, implesse : quis enim alius pisces qui caperentur, apposuit? qui non ob aliud credendus eis ingessisse penuriam, qua cogerentur ire piscatum, nisi dispositum volens exhibere miraculum. » Adde hanc piscationem contigisse ante Pentecosten et ante adventum Spiritus Sancti, a quo jussi sunt evangelizare : quare cum Apostoli tunc necdum haberent quod evangelizando agerent, et pauperes essent arteque piscatores, recte ad suam piscandi artem redierunt, ut illa victum sibi pararent; post adventum vero Spiritus Sancti piscationem exercuisse non leguntur, quia toti erant in Evangelio prædicando, et fidelibus ad omnem perfectionem dirigendis, qui proinde paupertatis Evangelicæ studiosi, omnes suas facultates deferebant ad pedes Apostolorum, ut qui illas inter se cæterosque fideles distribuerent. In necessitate tamen et penuria licite potuissent ad suam piscationem redire, sicut Paulus rediit ad suam scenofactoriam, ne aliis in quærendo victu gravis foret. Hoc enim majoris perfectionis est, ideoque consilium Evangelicum, scilicet, ut quis gratis evangelizet et labore manuum sibi victum paret. Denique iverunt piscatum discipuli, ut otium fugerent et ad animi laxamentum. Huc facit quod scribit Cassianus, *Collat.* lib. XXIV, cap. XXI, venatorem quemdam videndi S. Joannis causa ipsum adiisse, eumque invenisse perdicem manu molliter demulcentem : quod cum ille miraretur, audiisse a Joanne : « Quid est quod manu tua gestas? » Cui ille : « Arcus, inquit. » « Et cur, ait, non eum tensum ubique semper circumfers? » Cui ille respondit : « Non oportet, ne jugi curvamine rigoris fortitudo laxata mollescat atque depereat, et cum oportuerit ut fortia in aliquam feram spicula dirigantur, rigore per nimietatem continuæ tensionis amisso, violentior ictus non possit emitti. » « Nec nostri, inquit B. Joannes, animi te offendat, o juvenis, tam parva hæc brevisque laxatio : qui, nisi remissione quadam rigorem intensionis suæ interdum relevet ac relaxet, irremisso vigore lentescens, virtuti spiritus, cum necessitas poscit, obsecundare non poterit. » Habet idem Hincmarus, Remensis Archiepiscopus, in Vita S. Remigii apud Surium, januar. 13.

[illegible] *(margin note)*

NOCTE. — Nox enim piscationi aptissima est, quia per diem pisces timidi aspectu strepituque hominum terrentur et fugiunt, ac in profundum sese abdunt. Mystice Theophylactus : Nocte, inquit, hoc est, ante solis Christi præsentiam, Prophetæ nihil ceperunt, quia, etsi unam nationem Israel corrigere conarentur, illa tamen frequentior in idololatriam labebatur.

NIHIL PRENDIDERUNT, — quia sine Jesu piscabantur, ut discerent omnem suæ piscationis animarum utilitatem (ad quam a Christo dirigebantur) et fructum a Christo pendere, ideoque illum ab eodem esse flagitandum, juxta illud *Ps.* CXXVI : « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. »

4. MANE AUTEM FACTO, STETIT JESUS IN LITTORE : NON TAMEN COGNOVERUNT DISCIPULI, QUIA (quod) JESUS EST, — ut ostenderet hanc piscium capturam fore gratiæ suæ, non industriæ ipsorum. Mane enim pisces fugiunt lucem et strepitum, seseque in ima demergunt.

NON COGNOVERUNT, — quia alia forma eis apparuit, æque ac Magdalenæ, cap. XX, vers. 14; nimirum volebat Christus potius ex opere et miraculo capturæ piscium, quam ex forma agnosci : hoc enim decebat Deum incarnatum.

Mystice, S. Gregorius, *hom.* 24 : « Mare, ait, præsens sæculum significat, quod se causarum tumultibus et undis vitæ corruptibilibus illidit; soliditas autem littoris perpetuitas est quietis æternæ. Discipuli ergo adhuc fluctibus mortalitatis vitæ inerant; Dominus autem jam littore stabat, ad quod Petrus, cui specialiter Ecclesia commissa est, pisces pertrahit, stabilitatem æternæ pacis fidelibus ostendens, quod egit verbis et epistolis agitque quotidie miraculorum signis.

5. DIXIT ERGO EIS JESUS : PUERI, NUMQUID PULMENTARIUM HABETIS? — *q. d.* O piscatores, habetisne pisces quos mihi vendatis? Christus enim hic discipulis ignota specie apparuit, quasi vir gravis et mercator, qui pisces ab eis emere vellet. Ita Chrysostomus. Unde eos quasi operarios et se inferiores *pueros* vocat phrasi Hebræa. Vel *pueros*, Græce παιδία, id est puerulos, nominat, quasi filios ad amoris blanditias : *puer* enim Hebræis nunc filium, nunc servum et operarium significat.

PULMENTARIUM. — Græce προσφάγιον, id est obsonium, puta cibum, qui ad panem adhibetur et cum pane comeditur. Sic enim Plinius, lib. XVIII, cap. VIII; Horatius, Persius et alii *pulmentum* usurpant pro omni cibo, qui ad pultem sive panem additur. Prisci enim Hebræi et Latini admodum frugales et temperantes, pulte pro pane utebantur, teste Plinio. Unde et Romani dicebantur pultiphagi. Ita Plautus, in *Mostell.* : « Non enim, ait, hæc pultiphagus opifex opera fecit barbarus, » *q. d.* Hæc non fecit Romanus vel Italus, qui pulte vescitur.

*Pulmentarium* ergo idem est quod obsonium, vel ὀψάριον, uti ait Joannes hic vers. 9 et 13. Quæ vox, ut vult Eustathius, in *Iliad.* λ, p. 814, dicitur ἀπὸ τοῦ ὀψὲ, id est a *sero*, vel quod sero veteres cibum hunc sumerent; vel potius quod, cum initio simplicioribus escis essent contenti, sero delicatis hujusmodi obsoniis voluptatis causa uti cœperint. Alii dictum putant ἀπὸ τοῦ ὀπτᾷν, id est assare, quod veteres assis magis carnibus et piscibus, quam elixis vescerentur : ὀπτᾷν autem dictum volunt quasi ὀπτᾷν, ab ὄπτομαι, vel ὄψις, id est visus, aspectus, intuitus; quia assatio crebram rei quæ assatur, inspectionem et experientiam requirit.

Porro, per « pulmentarium » vel opsarium Christus pisces intelligit, quia, ut ait Plutarchus, lib. IV *Sympos.*, cap. IV, cum multa sint obsonia, piscis tamen vel solus, vel præcipue obsonium dicitur, quia virtute, simplicitate et facilitate coquendi reliquis antecellit. Et quia prisci plerique, imo omnes ante diluvium non carnibus, sed piscibus vescebantur, uti ostendi *Gen.* IX. Quare Joannes hic, vers. 9 et 13, æque ac cap. VI, IX et XI, per obsonium, vel opsarium, non nisi pisces intelligit, uti et Athenæus, lib. IX *De Cœnis Sapientum*.

RESPONDERUNT EI : NON. — Interrogatione sua Christus cogit discipulos fateri suam penuriam et indigentiam, ut ejus opem et levamen ab ipso exspectent.

6. DICIT EIS : MITTITE IN DEXTERAM NAVIGII RETE, ET INVENIETIS, — quia scilicet Jesus occulta vi ad dexteram navigii multitudinem hanc piscium congregaverat, unde Apostoli ad sinistram piscantes tota nocte nil ceperant. Hinc moraliter discimus, quod sæpe frustra laboramus et fatigamur, quia ad sinistram sine Jesu, non ad dexteram cum Jesu piscamur et operamur.

Anagogice, per pisces ad dexteram significantur electi, ad dexteram Christi collocandi in die judicii; reprobi vero ad sinistram, *Matth.* XXV. Vide symbola dexteræ quæ recensui *Proverb.* III, 16, et IV, 27; *Eccles.* X, 2; *Cant.* II, 6.

Audi nunc S. Augustinum, *tract.* 122 : « In captura piscium commendatur Ecclesiæ Sacramentum, qualis futura est in ultima resurrectione : ad quod commendandum valet, quod tanquam finis est interpositus libri, quod esset secuturæ narrationis quasi prœmium; et septem discipuli suo numero finem significant temporis; universum enim tempus septem diebus volvitur; et littus finem sæculi significat : est enim finis maris; et sicut hic significata est Ecclesia, qualis in fine sæculi futura sit, ita alia piscatione significata est qualiter nunc sit. Itaque ibi non stabat Jesus in littore, sed ascendit in navim; illic non mittuntur retia in dexteram, ne soli significentur boni, nec in sinistram, ne soli mali; sed indifferenter, ut significentur permixti boni et mali; hic vero mittitur in dexteram rete, ut soli boni significentur, qui pertinent ad resurrectionem vitæ, et in littore, id est in fine sæculi, cum resurrexerint, apparebunt. Habet enim istos Ecclesia post finem vitæ hujus in somno pacis, velut in profundo latentes, donec ad littus rete perveniat; et quod in prima piscatione duabus naviculis, hoc isto loco centum et centum cubitis est figuratum, scilicet utriusque generis electi, circumcisionis et præputii. »

MISERUNT ERGO; ET JAM NON VALEBANT ILLUD TRAHERE PRÆ MULTITUDINE PISCIUM. — En merces et fructus promptæ obedientiæ, præsertim homini extero, ut videbatur, et incognito; sed Christus ad illam cor eorum interius inclinavit. Multitudo hæc piscium mystice repræsentabat multitudinem fidelium, quam Petrus et Apostoli reti prædicationis Evangelicæ postea ceperunt, et ad Christum converterunt. Ita S. Augustinus, S. Gregorius, S. Chrysostomus, Cyrillus et cæteri.

7. DIXIT ERGO DISCIPULUS ILLE, QUEM DILIGEBAT JESUS (Joannes, qui hoc titulo sese indicat eoque gloriatur, et merito), PETRO : DOMINUS (Jesus) EST. — Quæres, unde Joannes primo agnoverit Jesum? Cyrillus id tribuit Joannis acumini et celeritati ingenii. Sic et Chrysostomus : Petrus, ait, ferventior erat, sed Joannes perspicacior, et ideo primo cognovit Christum. Verum respondeo Joannem, dum Petrus occuparetur in attractione retis tot piscibus pleni, accuratius Jesum inspexisse, ac Jesum pristinam suam speciem primo objecisse S. Joanni, quia eum maxime diligebat et quia ipse purissimus erat. Unde recte S. Hieronymus, epist. *ad Pammachium contra errores Joannis Hierosolymitani* : « Prior, ait, virginitas (Joannis) virginale corpus (Christi) agnoscit : beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. »

Porro Beda : Cognovit, ait, Joannes primo Dominum, sive miraculo piscationis, sive sono præcognitæ vocis. Et solent similes, ideoque amantes se invicem ex quadam sympathia, et vultus gestuumque similitudine agnoscere. Hinc vulgo dicimus : Faber fabrum, fur furem, sanctus sanctum agnoscit. Joannes autem erat intimus Christo, unde et in cœna in ejus pectore recubuit; quare melius Christi mores gestusque perspexit quam cæteri.

Mystice : Quo quis Deo per orationem familiarior, intimior et similior est, eo magis Deum Deique attributa perspicit, penetrat, contemplatur, admiratur. Denique sicut Joannes ob virginitatem fuit dilectus a Christo, sic et ipse vicissim castos S. Joannes amat castos.
et virgines mire diligit. Audi quod scribit Adelredus Abbas in *Vita S. Eduardi regis*, apud Surium, jan. 5. S. Eduardus nulli petenti in nomine S. Joannis Evangelistæ, denegabat; hunc enim post Apostolorum principem arctius diligebat. Unde contigit quod quidam peregrinus, absente camerario, in nomine S. Joannis Evangelistæ importune a rege eleemosynam postularet. Cui rex pretiosum annulum, cum nihil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit post hæc duos Anglicos ad adorandum Salvatoris sepulcrum Hierosolymam proficisci. Qui die quadam a publica strata declinantes, devia quæque secuti sunt, et sole ruente nox obscura adducta est. Et cum nescirent quid agerent, quo se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus, qui eos ad civitatem reduxit. Susceptis autem hospitio mensa paratur, lautissimeque refecti dant membra quieti. Mane autem facto egressis illis de civitate, ait senex : « Viri fratres, cum summa prosperitate vos repatriaturos non dubitetis, quoniam prosperum iter faciet vobis Deus; et ego ob amorem regis vestri, in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Apostolus Christi Joannes, qui regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione complector. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrini apparenti tribuit, reportate, denuntiantes ei obitus sui diem instare; quem infra sex menses visitans visitabo, ut mecum sequatur Agnum quocunque ierit. » His dictis disparuit. Hac de causa virginitatis et castitatis studiosi solent sibi patronum adsciscere S. Joannem eumque invocare, præsertim dum tentatione carnis pulsantur, atque ejus opem experiuntur. Ut unum e multis referam, S. Coleta, virgo miræ austeritatis et sanctitatis, reformatrix Ordinis S. Claræ, ut virginitatem illibatam servaret, patronum sibi delegit S. Joannem, nec incassum; nam apparuit ei S. Joannes eamque annulo aureo quasi sponsam virginemque sibi despondit; quem annulum multi deinde castitatis studiosi ambiverunt, uti narrat auctor *Vitæ S. Coletæ*, cap. 20, apud Surium, tom. VII, ad diem 6 martii.

SIMON PETRUS CUM AUDISSET, QUIA (quod) DOMINUS EST, TUNICA SUCCINXIT SE : ERAT ENIM NUDUS. — Græce τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, id est *superindumentum indutus aut circumcinctus est*, puta tunicam induit. Ita Syrus et Arabicus : unde patet eum antea non fuisse omnino nudum (hoc enim indecens et insolitum est), sed eo modo quo solent operarii se nudare extimis vestibus, ut in interula vel indusio consistant. Ita Beda. Porro Theophylactus : Quod se præcinxit, ait, pudoris est signum; præcinxit vero se lineo amictu, quem Phœnices et Tyrii piscatores sibi circumvolvunt cum nudi sunt (1).

ET MISIT SE IN MARE, — ut natando, inquit Chrysostomus, Leontius, Theophylactus et Toletus, aut pedibus mare pervadendo, ait Beda et Maldonatus, pergeret ad Jesum; erant enim prope terram. Petrus ferventior erat, ideo promptius quam alii venit ad Christum, ait Chrysostomus. Quare improbabile est Petrum hic ambulasse super aquas. Hoc enim temerarium fuisset, cum a Christo non juberetur id facere, ut alias jussus fuit, *Matth.* XIV, 28.

8. ALII AUTEM DISCIPULI NAVIGIO VENERUNT (NON ENIM LONGE ERANT A TERRA, SED QUASI CUBITIS DUCENTIS), TRAHENTES RETE PISCIUM. — « Cubitis ducentis, » id est sexaginta passibus aut trecentis pedibus : cubitus enim est sesquipes, passus vero quinque pedes continet. Mystice Beda : Per ducentos cubitos, ait, gemina charitatis virtus exprimitur; per dilectionem enim Dei et proximi Christo appropinquamus.

9. UT ERGO DESCENDERUNT IN TERRAM, VIDERUNT PRUNAS POSITAS, ET PISCEM SUPERPOSITUM, ET PANEM. — Aliud fuit hoc Christi miraculum, quo ipse subito discipulis venientibus piscem assavit et paravit prandium. Putat Cyrillus piscem hunc a Christo e mari secreto et celerrime fuisse eductum; Chrysostomus vero censet e nihilo fuisse creatum. Verisimilius Leontius, Theophylactus, Euthymius, Toletus et Maldonatus asserunt quod Christus piscem, uti et prunas, ignem et panem subito ex aere vicino, aut alia materia, produxerit, sicut produxit panes, cum eos multiplicavit, *Joan.* VI, 11. Fecit id Christus *primo*, ut ostenderet capturam tantam piscium suum esse opus, seseque omnes illos pisces in dexteram navigii collegisse, ut ibi a Petro et sociis caperentur. *Secundo*, ut se iis non indigere, sed Apostolorum causa hoc quæsisse et fecisse demonstraret. Mystice, ex S. Augustino, Beda : Piscis assus, ait, est Christus passus; ipse latere dignatus est in aquis generis humani, capi voluit laqueo nostræ mortis, et qui nobis factus est piscis humanitate, extitit panis reficiens divinitate.

10. DICIT EIS JESUS : AFFERTE DE PISCIBUS, QUOS PRENDIDISTIS NUNC, — ut scilicet coram omnibus multitudinem piscium et magnitudinem miraculi a me patrati cernatis et æstimetis, ex eoque certius me agnoscatis, reverentius colatis et ardentius redametis.

Mystice, S. Augustinus, *tract.* 123 : « Piscis assus, ait, est Christus passus; ipse est panis, qui de cœlo descendit, huic incorporatur Ecclesia ad participandum beatitudinem sempiternam, propter quod dictum est : Afferte de piscibus, quos prendidistis, ut omnes qui hanc spem gerimus, per illum septenarium numerum discipulorum, per quem nostra universitas figuratur, nossemus tanto Sacramento nos communicare et eidem beatitudini sociari. »

11. ASCENDIT SIMON PETRUS (in navim, in qua erat rete cum piscibus), ET TRAXIT RETE IN TERRAM, PLENUM MAGNIS PISCIBUS CENTUM QUINQUAGINTA TRIBUS. — « Petrus, » ut dux, cæteris tamen sociatus, ut colligitur ex vers. 6; nec enim rete tanta piscium mole oneratum solus attrahere potuisset; licet S. Gregorius et Rupertus putent solum Petrum rete attraxisse, non suis viribus, sed ope divina. Ubique hic innuitur primatus Petri; nam primus vocat socios ad piscandum; primus venit ad Christum; ipse quoque rete attraxit, ut significaretur omnes pisces, id est omnes fideles ab eo trahendos et regendos fore. Joannes ergo fuit magis dilectus, sed Petrus magis honoratus a Christo cæterisque prælatus. Sic subinde subditi sunt sanctiores suis rectoribus, sed rectores subditis sunt digniores et auctoritate eminentiores.

PISCIBUS CENTUM QUINQUAGINTA TRIBUS. — Cur Cur centum quinquaginta tres pisces capti.
præcise centum quinquaginta tres? Causam litteralem dat S. Hieronymus in *Ezech.* XLVII, 9, quod totidem sint species piscium, nimirum 153, quasi ex singulis speciebus unum piscatus sit Petrus. Audi eum : « Aiunt qui de animantium scripsere naturis, de quibus Oppianus Cilix est poeta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab Apostolis, et nihil remansit incaptum; dum et nobiles et ignobiles, divites et pauperes, et omne genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur ad salutem. » Intellige hoc sic, quod primariæ et præcipuæ piscium species sint 153. Nam alioqui absolute longe recenset plures Guilielmus Rondeletius, lib. *De piscibus*. Hoc ergo numero, ceu symbolo, significavit Christus omnes gentes concludendas esse reti Ecclesiæ et Evangelicæ prædicationis, cujus caput et princeps est Petrus ejusque successor Pontifex Romanus.

Symbolice, Cyrillus, lib. XII, cap. LXIII : Centenarius, ait, significat plenitudinem Gentium intraturam in rete Petri et Ecclesiæ; quinquagenarius vero, pauciores e Judæis salvandos; tria denique repræsentant mysterium S. Trinitatis, in cujus fide et cultu tam hi quam illi congregantur et salvantur. S. Augustinus vero, *tract.* 122 : « Numerus centum quinquaginta trium, ait, ter habet quinquagenarium, et insuper ipsa tria, propter mysterium Trinitatis; quinquagenarius est jubileus, in quo cunctus populus ab omni operatione quiescebat. » Jubileus repræsentabat statum Evangelii et gratiæ.

(1) Est ἐπενδύτης tunica superior, togæ et pallio propior, atque adeo inter subuculam et exteriores vestes media, quam Attici χιτῶνα nominant, et differt a tunica altera, quæ cutem tegebat, et a Latinis *interula* dicebatur et *subucula*, etiam *indusium*, ab Atticis χιτωνίσκος, a reliquis Græcis ἐπενδύτης.

Addit S. Gregorius, *hom.* 14, denarium symbolum esse Decalogi legis veteris, septenarium vero septiformis spiritus et gratiæ in lege nova, ternarium symbolum esse S. Trinitatis ejusque fidei. Jam multiplica 17 per tria, habebis quinquaginta et unum; hæc rursum multiplica per tria, habebis 153, ut significetur omnes omnino fideles in rete Ecclesiæ per Petrum et Apostolos fore congregandos, per fidem unius trinique Dei, in quo solo est vera hominum requies. Addit Eusebius Emissenus, *hom.* in hoc Evangelium, feria quarta post resurrectionem: Tres sunt mundi partes, quæ per tres quinquagenas piscium significantur, scilicet Asia, Africa, Europa, quæ omnes in fide S. Trinitatis adunantur in Ecclesia.

Particularius et planius Rupertus et Maldonatus: Per tres hosce numeros, inquiunt, significatur triplex genus hominum, qui salvantur; per centenarium conjugati: horum enim maxima est multitudo; per quinquagenarium vidui et continentes, quorum minor est numerus; per ternarium virgines, quorum minimus. Plura habet Petrus Bongus, lib. *De Mysteriis numerorum*, ad num. 153.

Et cum tanti (numero et quantitate, id est tot et tam magni: ita S. Augustinus) essent, non est scissum rete. — Chrysostomus id miraculo tribuit, ita ut tria hic miracula fecerit Christus, quibus suam resurrectionem et omnipotentiam probavit. Primum enim fuit in captura tot piscium; secundum, in productione sui piscis, panis et prunarum; tertium hic, in retis integritate, quod significat unitatem et integritatem Ecclesiæ, quæ nullo schismate rumpi scindique potest; qui enim faciunt schisma, hoc ipso se separant ab Ecclesia, et consequenter Ecclesiam suæ unitati et integritati relinquunt.

12. Dicit eis Jesus: Venite, prandete.

Nota *primo*: Probabile est etiam ex piscibus quos ceperant Apostoli, aliquos cum pisce Christi (hic enim solus non suffecisset refectioni octo virorum) prunis fuisse impositos jussu Christi dicentis: « Afferte de piscibus quos prendidistis nunc, » ut scilicet e... fis aliquos assemus ad commune prandium. Id fecit Christus, tum ut veritas, æque ac usus et fructus tanti miraculi, puta multiplicationis piscium, certo omnibus constaret; tum ut omnibus sufficerent pisces ad commune prandium. Ita S. Augustinus, *tract.* 123, Euthymius et Maldonatus.

Nota *secundo*: Verisimile est iisdem de causis Christum cum discipulis hic prandisse, uti more suo facere solebat, ad veritatem resurrectionis suæ confirmandam. Ita Leontius et Theophylactus hic, ac S. Gregorius, *hom.* 24, idque colligitur ex vers. seq. Quomodo corpus gloriosum cibum comedat, quidque ex eo faciat, dixi *Luc.* XXIV, 43, et *Act.* I, 4.

Anagogice, Cyrillus: Simili modo, ait, post labores hujus vitæ, quibus animas Deo piscamur, Christus parabit prandium cœleste, in quo perpetim cum eo epulabimur in deliciis divinis, juxta illud: « Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, » *Luc.* XXII, 30.

Et nemo audebat discumbentium. — Græce μαθητῶν, id est *discipulorum*. Sic et Syrus ac Arabicus. Unde Jansenius et Emmanuel Sa putant hic legendum, *discentium*, id est discipulorum; sed Romani legunt *discumbentium*, idque melius congruit huic loco. Unde videtur quod Græca hic potius sint mendosa, quam Latina. Ita Toletus.

Interrogare eum: Tu, quis es? scientes, quia (quod) Dominus est. — Quia scilicet; ut advertit Chrysostomus, *homil.* 88, Christus necdum in propria specie et forma se eis objiciebat, sed augustiore, ex qua an vere esset ipse Jesus hæsitarent, cuperentque eum rogare: « Tu, quis es? » Verum ex lineamentis ... et factis agnoverunt ipsum esse Jesum, ut de eo jam non dubitarent. Quare partim ex reverentia Christi, partim ex certitudine agnitionis, non fuere ausi ipsum hac de re interrogare.

Minus genuine S. Augustinus, *tract.* 123, τὸ « interrogare » interpretatur « dubitare: » hæc enim differunt, sicut effectus et causa.

13. Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter. — *q. d.* Cum discipuli jussu Jesu mensæ accubuissent, venit quoque ipse eidemque accubuit, ac tam suum panem piscemque, quam pisces ab eis captos (ait S. Augustinus, *tract.* 123. Unde pro « piscem » græce est ὀψάριον, id est *obsonium*, scilicet piscium) jam assos inter eos distribuit, ipseque similiter ex eis manducavit, ut eis se vere resurrexisse ostenderet.

14. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis. — « Tertio, » scilicet computando eas apparitiones, quæ factæ sunt pluribus Apostolis simul, quas solas Joannes hic commemorat: sic enim hæc fuit ordine tertia; alioqui alias omnes, quas alii Evangelistæ narrant numerando, hæc ordine fuit septima, uti ostendi *Matth.* XXVIII, 10, ubi omnes suo ordine recensui.

15. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis (scilicet filí. Vide dicta cap. I, vers. 42; addit hoc ut distinguatur a Simone Chananæo), diligis me plus his? — Christus **Christus ter interrogat Petrum: Amas me?**
abiturus in cœlum hic suum in terra Vicarium designat, ac summum Pontificem creat Petrum, ut una Ecclesia ab uno pastore regatur. Promiserat Christus idipsum Petro *Matth.* XVI, 18, sed hoc loco idipsum præstat, eumque principem et rectorem totius Ecclesiæ constituit, ne quis propter trinam Petri negationem, Christum suam de eo sententiam mutasse autumet. Ita Cyrillus.

Mystice, Alcuinus hic: *Simon*, ait, hebr. idem est quod *obediens*; *Joannes* idem est quod *gratia*. Sic vocatur Petrus, utpote obediens gratiæ Dei: quod enim ardentiori charitate eum amplecti-



tur, non meriti humani, sed divini est muneris.

Diligis me plus his? — *Primo*, quia hoc munus pascendi et regendi omnes fideles, quod tibi imponere destino, maximum poscit Christi et fidelium amorem. « Interrogatur amor, ait S. Augustinus, et imperatur labor, » quia ubi est amor, non est labor.

*Secundo*, ut ostendat Christus quantopere oves suas diligat, utpote quas credere nolit, nisi ei qui se et consequenter oves suas summe diligat. Ita Chrysostomus, *hom.* 87. Audi eum: « Quod nobis maxime tribuit divinam benevolentiam, est proximorum curatio. Præteriens autem Dominus alios, Petro de talibus loquitur: erat enim Apostolorum eximius, et os discipulorum, et vertex collegii. Unde ei fratrum prælationem committit, *q. d.* Animam quam dixisti te positurum pro me, hanc da pro ovibus meis. »

*Tertio*, quia Petrus ter Christum paulo ante negaverat, ac triplex hæc negatio illi pœnitenti a Christo fuerat remissa; hinc jure ab eo, cui majorem contulerat indulgentiam, majorem poscit amorem: « cui enim minus dimittitur, minus diligit, » *Luc.* VII, 47. Ita Cyrillus.

Porro Jesus interrogat, sciens quod se plus omnibus diligeret Petrus, ait S. Augustinus; licet enim Joannes tenerius diligeret Jesum, tamen Petrus eumdem diligebat robustius et ardentius, ut patet ex omnibus ejus circa Jesum factis et dictis. Sic parentes tenerius diligunt filios parvulos, fortius autem et solidius eos qui jam juvenes vel viri sunt: unde eis majora donant quam parvulis. Audi S. Augustinum, serm. *De Passione*: « Cum moreretur Dominus, timuit et negavit: resurgens Dominus amorem inseruit, timorem fugavit. Negavit mori timens: resurgente Domino quid timeret, in quo mortem mortuam reperiret? »

Dicit ei (Petrus): Etiam, Domine, tu scis quia amo te. — Hinc patet, ait S. Augustinus, *amo* et *diligo* hic idem significare, etsi Latine plus significet amo, quam diligo. Non audet dicere Petrus: Amo te plus cæteris; sed, Amo te: tum quia corda cæterorum non noverat; tum quia casus suus fecerat modestiorem et cautiorem. Nam aliis se prætulerat dicendo, *Matth.* XXVI: « Domine, etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor; » et tamen paulo post turpius quam alii cecidit negavitque Christum, quod cæteri non fecerunt.

Dicit ei: Pasce agnos meos. — « Pasce, » sicut pastor pascit oves ducendo eas ad pascua, et pascendo regit dirigitque, ne a grege aberrent, ne noxia pascua adeant, nec a lupo rapiantur. Hinc pascere in Scriptura, significat regere, et principes vocantur pastores, quia si recte subditos suos regere velint, debent facere id quod faciunt pastores, dum suas oves pascunt. Unde *Psal.* XXII, 1, ubi Noster vertit: « Dominus regit me, » hebr. est יהוה רעי *Adonai roi*, id est *Dominus est pastor meus*, sive pascit me. Quocirca subdit: « In loco pascuæ ibi me collocavit. » Sic David ex pastore ovium factus est a Deo rex hominum, « pascere (id est *regere*) Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam, » *Ps.* LXXVII, 71. Sic Cyrus vocatur pastor, id est princeps et rex a Deo constitutus, *Isaiæ* XLIV, 28: « Qui dico Cyro: Pastor meus es. » Et *Psal.* II, 9: « Reges eos in virga ferrea, » Hebr. תרעם *tirem*, id est *pasces eos*. Et passim alibi Hebr. רעה *raa*, Græcum ποιμαίνειν, et Latinum *pasco* significat *regere*, ut videre est *Michææ* V, 2; *Matth.* II, 6; *Actor.* XX, 28; *Apoc.* II, 7; XII, 5; XIV, 15. Sic Homerus Agamemnonem, regem Græcorum, vocat ποιμένα λαῶν, id est *pastorem populorum*.

Agnos meos. — Christus quasi primus Ecclesiæ **Quinam agni, quinam oves?**
pastor, hic fideles suos nunc *oves*, nunc blandius *agnos* vocat; idque tum propter vitæ novitatem, baptismo enim regenerati facti sunt quasi agni novelli Dei; tum propter agninam innocentiam, quam baptismo adepti sunt; tum propter sequelam Christi, qui a Joanne Baptista vocatus est « Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, » *Joan.* I. Igitur vox *oves* significat Christum esse pastorem Christianorum, vox vero *agnos* significat Christum esse patrem, imo matrem eorumdem, utpote quos per baptismum genuit Deo, et in filios sibi adoptavit. Iidem ergo sunt agni et oves, ait Jansenius. Unde Æthiopicus pro *agnos* habet *oves*, ac τὸ *oves* tertio repetit. Addit Euthymius, Theophylactus et Ribera *agnos* vocari, ut nomen ipsum indicat, recens ad fidem conversos, et teneriores in fide, quorum magnus futurus erat numerus incipientibus Apostolis prædicare; atque hi majori cura indigebant, quoniam majori labore erant educandi et sustentandi: ideo Dominus dicit bis: « Pasce agnos meos, » ut hac repetitione ostenderet se optare ut Petrus maximam illorum curam haberet; oves autem vocat jam robustiores in fide, quos cur ita vocet, diximus cap. X. Rursum per agnos intelligit fideles simplices; per oves magistros, pastores, Episcopos et Apostolos, qui quasi matres sunt fidelium. Ita Bellarminus, lib. I *De Pont.*, cap. XVI.

Ex hoc ergo loco patet S. Petrum et ejus suc- **Petrus pastor totius Ecclesiæ. Prob. Primo.**
cessorem Romanum Pontificem esse caput et principem Ecclesiæ, omnesque fideles, etiam Episcopos, Patriarchas et Apostolos, illi subjici et ab eo pasci regique debere. Id *primo* colligitur ex eo quod Christus hic solum Petrum interrogat, idque tertio, quasi principem et os Apostolorum, ait S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Insuper tacite hic significat Christus Petrum se plus cæteris Apostolis amare, ac proinde eum dignum esse, qui sibi in amore et cura gregis, id est Ecclesiæ et fidelium, succedat. Ruit enim potestas, quam non fulcit charitas.

*Secundo*, id patet ex verbo *pasce*, id est *rege*, ut dixi, ac ex voce *agnos* et *oves*: hac enim voce

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Christus significat omnes fideles Ecclesiæ, sibi quasi primo Pastori subditos ; nullum enim excipit. Qui ergo sunt oves Christi, hi sunt et oves Petri ; illi enim eos pascendos et regendos committit hic Christus. Qui vero non sunt oves Petri, uti sunt hæretici, hi quoque non sunt oves Christi. Apostoli ergo cæteri, quia erant oves Christi, idcirco erant pariter oves Petri. Unde Petrus eos dirigere, et sicubi errarent corrigere, dissidia eorum componere, ac per omnia gubernare debebat : Christus enim instituit optimum regimen in Ecclesia, quod est monarchicum : tum ut una esset Ecclesia ; tum ad tollenda schismata, uti docet S. Cyprianus, lib. I *De Unitate Ecclesiæ* : « Primatus, ait, Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur. » Et S. Hieronymus, epist. 57 *Ad Damasum* : « Inter duodecim, ait, unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio. » Audi S. Leonem, serm. 3 *De Assumptione sua ad Pontificatum* : « De toto mundo unus Petrus eligitur, qui universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur : ut, quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, et si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit. »

Audi pariter S. Bernardum, lib. III *De Consid. ad Eugenium Pontificem*, versus finem : « Habent illi, id est Episcopi, sibi assignatos greges singuli singulos, tibi universi crediti sunt : uni unus, nec modo ovium, sed pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem quæris ? ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed Apostolorum sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves ? Si me amas, Petre, pasce oves meas ; quas ? illius vel illius populos civitatis aut regionis, aut certe regni ? Oves meas, inquit : cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes ? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. » Et Innocentius III, cap. *Solitæ*, de Majorit. et Obedientia, ait : « Nobis autem in beato Petro sunt oves Christi commissæ, dicente Domino : Pasce oves meas ; non distinguens inter has oves et alias, ut alienum a suo demonstraret ovili, qui Petrum et successores ipsius magistros non recognosceret et pastores. » Vide dicta *Matth.* XVI, 18. Vide et Bellarminum, lib. I *De Pontifice*, cap. XVI, 14, 15 et 16, ubi docet Christum hoc præcepto, quod dedit Petro, dicens : « Pasce oves meas, » hoc ipso simul instituisse Pontificatum quasi principatum Ecclesiasticum, illumque tradidisse S. Petro ejusque successoribus Romanis Pontificibus ; ac cap. XIV, probat hæc verba soli Petro a Christo esse dicta ; cap. XV, per verbum « pasce » significari regimen et potestatem regendi ; cap. XVI, per oves significari omnes fideles, etiam Apostolos totamque Ecclesiam : quæ omnia negant Calvinus, Lutherus et hæretici.

Ex hoc loco Theologi et Suarez, tract. *De Indulgentiis*, docent Petro et Pontificibus ei succedentibus a Christo datam esse potestatem dandi Indulgentias, idque probant. Nam sub illo verbo « pasce » includitur omnis actus jurisdictionis, qui ad claudendum vel aperiendum regnum cœlorum conferre potest, ut hoc modo donatio sit æqualis promissioni ; sed remissio pœnarum per Indulgentias est unus ex actibus quibus aperitur regnum cœlorum : ergo ille etiam comprehenditur sub universali munere pascendi oves Christi.

16. Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis me ? Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. —Audi Chrysostomum : « Rursum formidat priora, ne forte æstimans se diligere, si non diligat, corripiatur, sicut prius correptus est se existimans fortem, itaque ad ipsum Christum confugit. »

Dicit ei iterum : Pasce agnos meos. — Sic etiam habet Arabicus. Verum Græcus et Syrus pro *agnos* habent πρόβατα, id est *oves*, sed valde verisimile est Nostrum cum Arabico in Græco legisse προβάτια, inserto *iota*, id est *oviculas*, quales sunt agni : horum enim præcipue habenda est cura pastori, ideoque illam hic repetendo et geminando Christus inculcat, *q. d.* ait S. Augustinus : « Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, sicut fuit timoris indicium negare pastorem. »

Hinc S. Gregorius, I part. *Pastor.*, cap. V : « Qui, inquit, virtutibus pollens gregem Dei pascere renuit, pastorem suum convincitur non amare. »

17. Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me ? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me ? et dixit : Domine, tu omnia nosti ; tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves (Syrus, *oviculas*) meas. — Cur Christus ter Petrum interrogat de amore, et ter repetit : « Pasce oves meas ? » Respondeo : *Prima* causa est, ut Petrus triplicem Christi negationem triplici et constanti singularis amoris ejusdem professione expiet, commutet et adaugeat. Ita Cyrillus, Leontius, Theophylactus, Beda et S. Augustinus, *tract.* 123, quem audi : « Redditur trinæ negationi trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori, et plus vocis elicuisse videatur mors imminens quam vita præsens. Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, sicut fuit timoris indicium negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi et subveniendi et Deo placendi charitate ; contra hos ergo vigilat toties inculcata vox Christi, quos Apostolus gemit sua quærere, non quæ Jesu Christi. Nam quid est aliud : Si diligis me, pasce oves meas, quam si diceretur : Si me diligis, non te pascere cogita, sed oves meas ; sicut meas pasce, non sicut tuas : gloriam meam in eis quære, non tuam ; dominium meum, non tuum ? » Discant hic Episcopi et Prælati lapsos Sacerdotes cæterosque secundo et tertio examinare de emendatione, ut securi sint antequam eos officio suo restituant.



*Secunda* est, ut Christus ostenderet quanti oves suas faceret, quamque in die judicii pastores et Episcopos examinaturus sit de earum cura ac præsertim de amore. Quocirca S. Bernardus, serm. 18 *in Cantic.*, invehitur in eos, qui cum parum habeant charitatis, ambiunt tamen aliis præesse, sicque se et alios perdunt ; aut si subditos salvent, seipsos perdunt : « Tu, frater, inquit, cui firma satis propria salus nondum est, cui charitas adhuc nulla est, aut adeo tenera atque arundinea, ut omni statui cedat, omni credat spiritui, omni circumferatur vento doctrinæ : tu, inquam, ita in propriis te ipsum sentiens, quanam dementia, quæso, aliena curare, aut ambis, aut acquiescis. »

*Tertio*, ut indicet pastores triplici modo quasi pabulo oves pascere debere, scilicet veritatis verbo, vitæ exemplo et temporali subsidio, de quo vide S. Gregorium, hom. 14 *in Evang.* Et S. Bernardus, serm. 2 *De Resurr.*, ait ter a Christo repeti « pasce, » ut pastor oves pascat mente, lingua et manu : « Pasce, inquit, mente, pasce ore, pasce opere. Pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. » Idem, *epist.* 201 : « Pasce, ait, verbo, pasce exemplo, pasce sanctarum fructu orationum. » Hinc ille amor et zelus animarum in S. Petro, et consequenter in S. Joanne, qui in Evangelio et Epistolis suis passim spirat amorem et ignem divinum. Memorabile est exemplum in juvene illo a S. Joanne converso, et Episcopo cuidam commendato, sed ab eo neglecto indeque latronum principe facto, quem S. Joannes senex ad pœnitentiam et vitam sanctam reduxit. Rem gestam ex Clemente Alexandrino fuse describit Eusebius, lib. III *Hist.*, cap. XXIII, et S. Chrysostomus, epist. 5 *ad Theodorum lapsum.*

Contristatus est Petrus, — quia ex ter iterata interrogatione sibi videbatur Christo de amore suspectus ; aut certe timebat ne sibi contingeret quod in passione, et, sicut tum negavit, sic et aliquando non amaret Christum. Ita S. Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius. Unde Dominus eum mœstum consolatur, dicens Petrum, Christi amore et exemplo, quasi verum pastorem pro ovibus crucifigendum. Ita iidem.

Pasce oves meas, — ut meas, ait Glossa, non ut tuas : gloriam meam in eis quære, non tuam ; mea lucra, non tua. Audi S. Augustinum : « Non ergo nos, sed ipsum amemus, et in pascendis ovibus ejus, quæ sunt ejus, non nostra quæramus : qui se non Deum amat, non se amat : qui enim non potest vivere de se, moritur amando se : cum ille diligitur de quo vivitur, non se diligendo magis se diligit, qui propterea non se diligit, ut eum diligat de quo vivit. » Talis pastor erat S. Paulus, S. Petri collega, dicens : « Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, » *Rom.* IX, 7. Ubi D. Chrysostomus : « Omni, inquit, pelago latior, omni flamma vehementior erat hæc dilectio, ac nulla illam pro dignitate dictabit oratio. » In primis emphaticum est illud : « Ego ipse. Quid est, inquit Chrysostomus, Ego ipse ? Qui omnium magister sum effectus ; qui officia meritaque infinita coegi ; qui coronas infinitas exspecto. » Et nonnullis interjectis, optationem anathematis Pauli sic explicat, *q. d.* « A cœlorum regno libens exciderem, et ab illa arcana gloria, maximam omnium existimans consolationem mihi affore, si amplius non audiam conviciis illum affici, cujus amore tantopere ardeo. »

18. Amen, amen dico tibi : cum esses junior, cingebas te et ambulabas ubi volebas : cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget (Arabicus et Syrus, *cinget tibi lumbos tuos*), et ducet quo tu non vis, — scilicet per voluntatem naturæ et sensitivam : nam voluntate rationali Petrus summe id appetebat. Sensus est, *q. d.* Cum senueris, o Petre, Romæ a Nerone crucifigeris, ait S. Augustinus, quasi novæ Christianorum sectæ prædicator, et quasi Simonis Magi, qui Neronem suis magicis præstigiis dementabat, eversor et occisor. Unde S. Chrysostomus : Prædicit, inquit, illi martyrium, ostendens quomodo et quantum Christum et oves amare oporteat, scilicet usque ad crucem.

Cum esses junior. — Per hoc ostenditur, ait Chrysostomus, quod Petrus non erat juvenis, nec senex, sed vir perfectus. Talem enim decebat esse Pontificem et Apostolorum Principem, ut ætas auctoritatem ei conciliaret, et tamen ad labores Apostolicos apta foret et valida. Additque causam : « In sæcularibus juvenis quidem utilis, senex inutilis est ; at in divinis non ita : sed cum supervenit senectus, tunc virtus clarior : quia vero Petrus semper volebat pericula subire pro Christo, dicit se impleturum ejus desiderium, ut quæ juvenis non est passus, patiatur senex. »

Sensus est, *q. d.* Cum junior esses, et viribus corporis magis ad tolerandos labores valeres, ipse te cingebas, id est liber eras, et pro arbitrio tuo surgebas e lecto cum volebas, et vestiebas te, et ibas quo volebas ; cum autem senueris, eo tempore, quo homines otium et requiem quærunt, tu nequaquam quiesces, sed magis laborabis ; ligabunt enim te et agent in crucem, ubi manus extendes, id est crucifigeris.

Minus recte ergo Lyranus τὸ « alius cinget te, » sic explicat, *q. d.* Alius funibus te alligabit cruci, non clavis affiget. Nam τὸ *cinget* non ad crucem, sed ad lumbos, ut vertunt Arabicus et Syrus, —

ad brachia et manus Petri pertinet, *q. d.* « Alius, » scilicet lictor vel carnifex, fune ligabit tibi lumbos et brachia, ut te quasi reum ducat trahatque quo non vis, scilicet ad crucem. Porro S. Petrum non funibus, sed clavis cruci fuisse affixum diserte docet S. Chrysostomus, hom. *in principem Apost.* : « Gaudeas, inquit, Petre, qui ligno crucis fruitus es, et ad magistri similitudinem recta quidem figura, sicut Dominus noster, crucifigi noluisti : sed magis inverso capite, veluti e terra ad cœlum iter parans. O clavos illos beatos, qui membra illa sanctissima pertransierunt ! » Idem docet Prudentius, *Περὶ στεφ.*, hymno 12; S. Maximus, serm. 1 *in Natali Apost.*; Theodoretus, serm. *De Charitate.*

Præclare S. Augustinus, *tract.* 123 : « Ille, ait, negator et amator, præsumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus, hunc invenit exitum, ut pro ejus nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum perversa festinatione promiserat : facit ejus resurrectione firmatus, quod temere pollicebatur infirmus : jam non metuit vitæ hujus interitum, quia resurgente Domino, vitæ alterius præcessit exemplum. »

Vers. 19. 19. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. — Græce δοξάσει, id est *glorificaturus esset*. Sic et Syrus et Arabicus. Petrus ergo moriens in cruce glorificavit Deum, adeoque mors hæc in cruce non fuit ignominiosa, ut censebat Nero et Romani, sed laus et gloria tam Dei, quam Petri. *Primo,* quia Petrus crucifixus et mortuus est pro veritate fidei : hoc autem gloriosum est; hoc ipso enim factus est martyr, ac sua morte obsignavit et confirmavit fidem a se prædicatam.

Petro crux fuit gloria.

Primo.

Secundo. *Secundo*, glorificavit Deum ; quia pro Deo, Deique Filio Jesu Christo, quem prædicabat, crucifixus est; quid autem gloriosius, quam mori pro Deo ?

Tertio. *Tertio,* quia in morte crucis similis fuit Christo crucifixo, ut, cui similis fuerat in vita et pontificatu, similis quoque esset in cruce et morte : nam « gloria magna est sequi Dominum, » ait *Eccli.* XXIII, 38. Ita Chrysostomus : Non dixit *moriturus*, inquit, sed « clarificaturus, » quia pati pro Christo honor est et gloria. Hinc martyrium crucis nobilius est cæteris martyriis, unde et a multis crucifixis fuit exoptatum. Christus enim crucem in ea moriens nobilitavit; ideoque S. Andreas, frater S. Petri, adeo ambiebat crucem, ac moriens in ea exultabat et jubilabat. Hac de causa ipse S. Petrus noluit crucifigi eo modo quo Christus, ne Christo in gloria crucis æquaretur; sed inverso modo, scilicet capite deorsum, et pedibus in altum sublatis, uti docet S. Augustinus, serm. 28 *De Sanctis*. Et S. Maximus, serm. 1 *De Natali Apost.* : « Hic est, ait, Petrus, qui cum ad crucem tanquam Christi discipulus duceretur, verso se poscens corpore crucifigi, passionem non timuit, sed æqualitatem crucis Dominicæ declinavit, ut ostenderet universis admirandæ se humilitatis virtutem novique mysterii disciplinam et inter tormenta servasse. » Theodoretus aliam quoque affert causam, sic dicens : « Cum ad mortem crucis a Nerone damnatus esset, rogavit carnifices ne similiter atque Dominus trabi figeretur; sed contrario modo : veritus (quod est verisimile) ne eadem passio eumdem sibi ab insipientibus honorem conciliaret; ideo rogavit ut manus inferius, superius autem pedes affigerentur. » Ita quoque Theodoretus, orat. *De Charitate.*

*Quarto*, quia Petrus in cruce moriens pro Christo magnam ab eo gloriam consecutus est, tum in cœlo, tum in terra, qua glorificavit Deum, tanquam hujus gloriæ suæ fontem et auctorem. Hinc fideles toto orbe, quin et reges et principes Romam confluunt, ut locum crucis et sepulturæ B. Petri ejusque basilicam in Vaticano, quæ orbis est miraculum; visitent et venerentur. Ita S. Augustinus, serm. 28 *De Sanctis* : « Nunc, inquit, ad memoriam piscatoris flectuntur genua Imperatoris : ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia piscatoris. » Et alibi scribens ad Madaurenses : « Videtis et Imperii nobilissimi eminentissimum culmen, ad sepulcrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare. » Et Chrysostomus, hom. *quod Christus sit Deus* : « Relictis omnibus, inquit, ad sepulcra piscatoris et pellionis currunt et reges, et præsides, et milites. Et Constantinopoli reges nostri magnam gratiam putant, si non prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur fiantque piscatorum ostiarii reges. » Idem Chrysostomus in *Psalm.* XLVIII : « Quot reges urbes everterunt, portas extruxerunt et nominibus suis inscriptis decesserunt; nec tamen eis quidquam profuit, sed silentio et oblivioni mandati sunt. Piscator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est prosecutus et civitatem maxime regiam occupavit, etiam post mortem resplendet sole clarius. » Horum sepulcris urbem esse munitam alibi idem tradit, cum ait : « Hoc corpus plebem hanc munit, quod quavis turri innumerisque mœnibus ac vallis est tutius ; et cum ipso corpus etiam beati Petri, » etc. Vide eumdem Chrysostomum, hom. 32 *in epist. ad Romanos.* Merito ergo Prudentius loco jam citato, de morte S. Petri in cruce loquens, ait : « Vide superba morte laureatum. » Superba ergo est mors crucis, in qua pie superbiat Christianus, juxta illud *Isaiæ* LX, 15 : « Ponam te in superbiam sæculorum. » Et cap. LXI, 6 : « Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria eorum superbietis. »

Moraliter hic disce, cum SS. Petro et Paulo gloriari in cruce Domini nostri Jesu Christi tibique gratulari, cum Christus te ejus participem facit ac particulam aliquam crucis suæ tibi immittit, sive per morbum, sive per persecutionem, sive per vilipensionem, sive per aliam afflictionem.



Nulla enim re magis glorificatur Deus, quam martyrio et cruce, si patienter et hilariter toleretur. Crux ergo Christi et Christiani est decus et gloria, non dedecus et ignominia.

Et cum hoc dixisset, dicit ei : Sequere me. — Nota cum Cyrillo, Chrysostomo, Toleto, Jansenio, Maldonato, Ribera et aliis, Christum hic facto significare Petro idipsum quod verbo dixerat. Igitur ipse surgens et abiens e convivii loco, invitat Petrum ut se præeuntem pedibus eundo sequatur, idque ut significet eum se secuturum ut legitimum Vicarium, in his quæ jam ei prædixerat, scilicet in cura ovium pastorali et in supplicio crucis. Ait ergo : « Sequere me, » *primo*, *q. d.* « Sequere me, » uti eundo, sic et mihi succedendo in regimine Ecclesiæ : succede ergo mihi ut pastor et rector totius Ecclesiæ meæ (1).

*Secundo*, « Sequere me, » ut sicut ego præcessi ad crucem, sic tu me ad eamdem subsequaris. Nec tibi dura videatur crux pro me subeunda, quia ego primus illam pro te subivi et ad eam tibi cæterisque fidelibus præivi et viam complanavi. Decet enim ut me, sicut in vita et officio pastorali, sic et in morte cruceque sequaris, ut pro ovibus vitam ponas ac cæteris fidelibus sis dux ad crucem et martyrium. Unde Glossa : « Si pastor, ait, immolatus est ut ovis, qui de ovibus fiunt pastores, non metuant immolari. » Hinc Petro Romæ a Nerone in carcere Mamertino incluso, cum Christiani ei fugam suaderent et precibus suis illum ad eam pene cogerent, ille, ut eis satisfaceret, fugit; sed extra portam, quæ nunc S. Sebastiani dicitur, occurrit illi Christus, qui rogatus a Petro : « Domine, quo vadis? » Respondit : « Venio Romam iterum crucifigi. » Intellexit Petrus Christum non in suo, sed in Petri Vicarii sui corpore velle crucifigi. Protinus ergo ad carceram rediit et paulo post crucem subiit. Locus hic occursus et colloquii Christi cum Petro etiamnum hodie juxta Romam extat, et sacello decoratus religiose visitur vulgoque vocatur : « Domine quo vadis ? » Ita ex S. Ambrosio, S. Gregorio, Hegesippo et aliis, Baronius, tom 1, anno Christi 69, cap. VI.

*Tertio*, « Sequere me » in cura pastorali, et modo pascendi regendique fideles, ut eos pascas tam verbo quam exemplo, ac præsertim eximia charitate, sicut ego eos pavi, atque per omnia meæ doctrinæ et vitæ vestigia sequaris. Mea enim vita est idea et exemplar perfecti pastoris, quam proinde te tuosque successores semper præ oculis habere et imitari volo.

Audi Theophylactum : In hoc quod ait, « Sequere me, » cunctorum fidelium Prælatum eum instituit, simul et vult ut se sequatur in cunctis verbis et operibus. Denique ostendit affectionem ad ipsum : qui enim nobis astrictiores sunt, hos non sequi volumus.

Præclare S. Irenæus, lib. IV, cap. XXVIII : « Sequi Salvatorem, ait, est participare salutem, et sequi lumen est participare lumen : qui autem in lumine sunt, non ipsi lumen illuminant, sed illuminantur et illustrantur ab eo.

20. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit : Domine, quis est qui tradet te? 21. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu : Domine, hic autem quid? — Petrus obediens Christo incipiebat ipsum sequi; mox sequebatur et Joannes cæterique ejus socii. Petrus ergo sollicitus de Joanne et sociis, conversus retrospexit viditque eos sequentes; ac, cæteris omissis, rogat Christum quid de Joanne sit futurum; an videlicet Joannes simili modo Christum sit secuturus sicut ipse, et in cruce moriturus? Rogavit hoc Petrus, tum quia Joannem præ cæteris amabat; tum quia sciebat ipsum a Christo præ aliis diligi, ideoque in pectore ejus recubuisse. Mirabatur ergo quod Christus Joannem a se adeo dilectum hic prætermitteret; unde eum illi revocat in memoriam, *q. d.* Quid fiet de Joanne tibi adeo dilecto? Sane sicut illum in cœna mihi prætulisti, ita nunc in officio pastorali eum mihi jure præferre poteras, meque illi quasi pastori subjicere; sed quoniam aliter tibi visum est, saltem scire velim quæ illius futura sit sors et mors. Tum denique quia Petrus hic Joanni reddit vicem in rogando : sicut enim Joannes in cœna, urgente Petro, rogaverat Jesum, quis eum traditurus esset : sic hic vicissim Petrus rogat Jesum de Joanne, cogitans Joannem desiderare scire quid de se futurum foret, nec tamen audere id a Christo petere. Audi Chrysostomum : « Quia magna ei prædixerat Dominus, et orbem terrarum commiserat, et martyrium prænuntiaverat, et amorem testatus est ampliorem, volens et Joannem communicatorem accipere, dixit : Hic autem quid? *q. d.* Nonne eadem nobiscum veniet via : valde enim Joannem amabat Petrus, eumque putans velle interrogare de seipso, nec audere, pro eo suscepit interrogationem. »

Hinc discant prælati non sequi suos affectus, nec indulgere amori, sed sequi in omnibus rationem, ut eos pastores constituant, non qui sibi sunt chariores, sed qui ad illud officium sunt aptiores : sicut Christus hic non Joannem, licet sibi cognatum prædilectum, sed Petrum constituit suum Vicarium, successorem et Pontificem Ecclesiæ.

22. Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? — Est hic triplex lectio : *Prima*, Græcorum, indeque Syri, Arabici et Æthiopici : *Si eum volo manere*. *Secunda*, S. Hieronymi, lib. II Vers. 22. Triplex hic lectio

(1) « Sequere me. » Hoc ita intellexisse videtur Petrus, Jesum voluisse seorsim alia quædam ei dicere, non audientibus reliquis. Fortassis autem Jesus ambigue locutus est et voluit hoc : sequere me in mortis genere, imitare meum exemplum in supplicio sustinendo. Priori explicationi favent, quæ vers. 20 leguntur; posteriori verba *tu, me sequere,* vers. 22.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Contra Jovinian.*, et aliorum : *Si sic. Tertia,* Latinorum, præsertim Romanorum : *Sic eum volo manere*, itaque legunt S. Augustinus, Beda, Rupertus, Glossa, S. Thomas, Lyranus, Ribera et alii. Tertiam hanc lectionem multis statuere conatur Georgius Trapezuntius, licet Græcus, lib. *ad Papam,* hac de re edito : quamvis eum refellat Bessarion Cardinalis, qui primam statuit. Primæ enim favet, quod facile Latinum *si* verti potuerit in *sic,* addita littera *c*; Græcum autem ἐὰν, id est *si*, difficile verti potuerit in οὕτως, id est *sic*. Rursum, quod prima planum exhibeat sensum, *q. d.* Si velim Joannem manere in vita, nec crucifigi, uti te volo, quid ad te? tu, me sequere, et Joannis curam mihi relinque. Vult enim Christus reprimere duntaxat curiositatem Petri, ut sibi soli intentus non curet de Joanne, ejusque curam sibi permittat. Ita S. Cyrillus, Toletus, Maldonatus, Franciscus Lucas et alii.

Tertiæ vero lectioni favet : *primo,* quod Romana editio jussu Pontificis correcta eam sequatur, uti et plerique codices et interpretes Latini; *secundo,* quod juxta eam Christus magis satisfaciat interrogationi Petri; *tertio*, quod ex ea discipuli facilius conceperint opinionem de Joanne, quod non esset moriturus; *quarto*, quod Trapezuntius græce apprime peritus, ostendit Græcam vocem ἐὰν, et Latinam *si*, hanc habere vim, ut indicativo verbo conjuncta affirmative capiatur; cum subjunctivo vero, suspensive dubitativeque. Aliud enim est dicere : Si amo te, non detraho tibi; aliud vero : Si te amarem, non tibi detraherem. Nam in prima propositione amor affirmatur, in secunda non affirmatur, sed cum dubitatione ponitur. Probat hoc ex Prisciano, natione etiam Græco, in libro *De Constitutione.* Cum igitur Evangelista verbum indicativi ponat, affirmat. Propterea, inquit Trapezuntius, Patres non *si*, sed *sic* interpretati sunt, ne scilicet particula *si* Latinæ Græcæque linguæ sciolos propter duplicem potestatem turbaret. Latinum ergo *si* hic et alibi est affirmantis, non dubitantis. Unde Virgilius, lib. VI *Æneidos* : « Si te fata vocant, » ait, id est cum te fata vocent. Et lib. eodem :

> Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus.

Affirmat enim potuisse. Cicero, orat. 1 *in Catilinam* : « Si illustrantur, si erumpunt omnia, » id est quia illustrantur et erumpunt omnia tua machinamenta, o Catilina, muta mentem, resipisce et consule tibi ac Reipublicæ.

Nota : Ex τῷ « sic eum volo manere donec veniam, » multi censuerunt S. Joannem non esse mortuum, sed venturum cum Elia et Enoch, ut certet contra Antichristum. Id enim asserere videtur angelus, *Apoc.* x, 11, dicens Joanni : « Oportet te iterum prophetare Gentibus. » Ita censuit S. Hippolytus, tract. *De Consummat. sæculi*; Dorotheus et Metaphrastes, in Vita S. Joannis; Damascenus, orat. *De Transfiguratione,* idque confirmat ex illo *Lucæ* IX, 27 : « Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei. » Sic et S. Ambrosius idem intelligit, lib. VII *in Lucam,* in principio, ac Georgius Trapezuntius, *tract.* in τὸ « sic eum volo manere; » Catharinus, in cap. II *Gen.* Huc quoque inclinant Theophylactus, Salmeron et Barradius hic, et Euthymius cap. XLIII in *Matth.*

Alii vero, quos refert et refellit hic S. Augustinus, *tract.* 124, opinantur S. Joannem intra sepulcrum vivere, eo quod sepulcri ejus terra dicatur continuo ebullire, putentque id fieri S. Joannis respiratione et anhelitu.

Ex adverso Theophylactus vult S. Joannem occisum a Trajano Imperatore, idque probat illo *Matth.* XX, 23 : « Calicem meum bibetis. »

Verum dico : Longe verius est, et mihi certum, S. Joannem naturali morte esse defunctum. Id enim passim tradunt Patres, ut Irenæus, Tertullianus, Eusebius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Chrysostomus, S. Ambrosius, Beda et alii, ex quibus Baronius docet S. Joannem obiisse anno Christi 101, Clementis Pontificis 9, Trajani Imperatoris 2, ætatis suæ 93, a passione Christi 68 : obiisse, inquam, Ephesi, et juxta eam urbem esse sepultum, Onesimo, S. Pauli discipulo, in episcopatu Ephesino illi succedente. Idipsum confirmat Ecclesiæ traditio, quæ celebrat festum S. Joannis tanquam vita functi, ac jam beati, et cum Christo regnantis in cœlo. Hoc enim nulli nisi post mortem contingit. S. Joannes est mortuus.

Porro modum, quo mortuus est Joannes, describit Gregorius Turonensis, lib. 1 *Hist. Franc.*, cap. 26 : « Joannes, inquit, Evangelista senex et plenus dierum se deposuit in sepulcro; » et lib. 1 *De Gloria Martyrum*, cap. XXX : « Joannes vivus descendens in tumulum, operiri se humo præcepit. Cujus nunc sepulcrum manna in modum farinæ hodieque eructat, ex quo beatæ reliquiæ per universum delatæ mundum salutem morbidis præstant. » Petrus Damianus vero, serm. 2 *De S. Joanne Apostolo* : « Jam vero, ait, illa beatæ migrationis ejus novitas mirabilis quem non moveat? quis felicissimæ consummationis gloriam non obstupescat? Quia enim mirabiliter vixit, mirabiliter obiit; et quia non communem cum hominibus vitam duxit, non communi hominum morte transivit. Nam, ut historiæ continent, quadratam in ecclesia foveam fieri jussit, moxque in eam descendens, extensis manibus post prolixæ fusæ orationis verba migravit. » Subjungit deinde novum miraculum : « Mox autem tanta super eum lux cœlitus est immissa, ut nemo eam ferret aspectus. Postmodum vero inventa est fovea, nihil aliud in se continens nisi manna, quod videlicet, sicut dicitur, usque hodie scaturire non desinit. Sic nimirum, sic dilectum Auctori vitæ discipulum transire de sæculo dignum fuit, ut tam fieret a dolore mortis extraneus, quam a corruptione carnis fuerat alienus. »



Addit Nicephorus, lib. II, cap. XLII, corpus S. Joannis, uti et B. Virginis, post sepulturam non fuisse inventum; quare resurrexisse rursumque animatum et gloria donatum a Christo cœlis fuisse illatum. Cujus sententiæ meminit quoque S. Ambrosius, serm. 20 *in Psal.* CXVIII, et S. Hieronymus (vel quisquis est auctor), serm. *De Assumptione,* nec eam rejiciunt. Joannem resurrexisse, pie quoque opinatur D. Thomas hic, et B. Petrus Damianus, serm. 2 *De Joanne Apostolo.* Causam dat Damianus : « Pium, ait, est arbitrari, ut, sicut de beata genitrice Dei creditur, ita etiam beatus Joannes jam resurrexisse probabiliter asseratur : quatenus sicut in virginea fuerunt integritate participes, ita nihilominus in anticipata resurrectione merito videantur æquales; nec sit in resurrectione diversitas, quibus tanta fuerat unanimitas conversationis in vita. Si enim beatissimi virgines isti, videlicet Joannes et Maria, nullatenus surrexissent, cur in eorum tumulis sepulta cadavera non jacerent, cum scilicet beatorum Petri et Pauli, cæterorumque Apostolorum ac Martyrum corpora suis quæque noscantur mausoleis tumulata. »

Idem opinantur Dionysius Carthusianus, Hugo de S. Victore, Albertus Magnus, Ludovicus Gran., serm. 3 *De S. Joanne,* et multi recentiores; licet hæc opinio nec in Scriptura, nec in veterum traditione certum habeat fundamentum; imo et obstat quod in Concilio Ephesino jubentur coli reliquiæ Martyrum, ac præcipue S. Joannis. Et Cœlestinus Pontifex, in epist. *ad Concilium Ephesinum* : « Ante omnia, ait, vos præcipue considerare, iterum atque iterum recolere decet, quibus Joannes Apostolus prædicavit, cujus reliquias præsentes honoratis. » Idem fere habetur in *Synodo* VII generali, act. 5, sub finem. Si S. Joannis reliquiæ sunt Ephesi, ergo ipse necdum resurrexit; nisi quis dicat reliquias ibi, non corporis, sed vestium, librorum et similium utensilium, quibus usus est Joannes, intelligi; aut certe capillorum, barbæ, vel sanguinis in phlebotomia emissi. Unde jam reliquias aliquas corporis S. Joannis non est reperire. Vide Baronium et Suarez, III *p.*, *Quæst.* LIX, disp. LV, art. 6, sect. 3.

Dices : Quomodo igitur S. Joannes a Patribus et ab Ecclesia vocatur martyr, si naturali morte est defunctus? Respondeo cum S. Hieronymo, in cap. XX *Matth.*, S. Joannem esse martyrem, quia ipse in ferventis olei dolium missus est Romæ ante portam Latinam, a Domitiano Imperatore propter prædicationem Christi, ut docet Tertullianus, cap. XXXVI *De Præscript.*, et antiquissima Ecclesiæ Romanæ traditio confirmat, ubi in hujus rei memoriam ecclesia eodem loco erecta visitur : quin et res gesta quotannis ab Ecclesia recolitur 6 maii. Licet enim tunc S. Joannes non sit mortuus, sed illæsus exierit; tamen, quia ipse voluntarie se morti tam acerbæ pro Christo obtulit, et quia oleum illud bulliens sufficiens erat causa ad mortem illi inferendam; imo illam naturaliter et necessario illi intulisset, nisi miraculose a Deo S. Joannem illæsum conservante vimque bullientis olei inhibente, fuisset impedita : hinc Joannes jure suo martyr est, et martyr nuncupatur.

Porro hic locus (uti et ille *Lucæ* IX, 27, et alter *Apoc.* X, 11, uti ibidem ostendi) contrariæ sententiæ non patrocinatur. Sensus enim est *primo, q. d.* Ego te, o Petre, volo me sequi per crucem, Joannem autem volo manere *sic*, id est sine cruce et morte violenta, « donec veniam, » ut scilicet eum naturali morte defunctum ad me in cœlum assumam. Ita S. Augustinus, Beda, S. Thomas, Rupertus et Maldonatus.

*Secundo, q. d.* Volo Joannem in vita permanere, donec veniam ad publicum Hierosolymæ et Judææ, quæ me occidit, excidium. Veniam enim per Titum et Romanos ulturus mortem meam, id est Messiæ, cædem, communi totius gentis Judaicæ clade et strage. S. Petrus enim et cæteri Apostoli occisi sunt ante excidium Hierosolymæ, solus vero Joannes illi fuit superstes : adeoque duo hi fratres, Jacobus et Joannes, initium et finem dederunt martyrio Apostolorum : inter eos enim primus occubuit Jacobus, ultimus Joannes. Ita Theophylactus, Toletus, Ribera, Suarez et alii. Addunt nonnulli, apud Theophylactum, Joannem in Judæa mansisse usque ad ejus excidium, idque hic a Christo significari. Ita D. Thomas et Ribera, *q. d.* Volo Joannem manere in Judæa usque ad ejus excidium, et tunc eum educam ad prædicandum in Asia.

Voluit Christus Joannem tamdiu manere superstitem, quatuor de causis. *Prima* est, ut Joannes esset basis et columna Ecclesiæ contra hæreticos jam subnascentes, omnibusque testaretur dicta et gesta Christi ab Evangelistis, æque ac a se hic conscripta, esse verissima, imo se illa oculis suis vidisse et auribus audivisse. *Secunda*, ut hæc longævitas esset ei loco martyrii : valde enim Joannes desiderabat mori, ut frueretur Christo, dicens : « Veni, Domine Jesu, » *Apoc.* XXII. *Tertia*, ut imminente excidio Judææ, moneret Christianos ex ea egredi, ut eos egressos esse testatur Eusebius, lib. III *Hist.*, cap. IV. *Quarta*, ut omnibus testaretur excidium Judææ inferri ob occisum ab ea Christum, idque a Christo esse prædictum, *Matth.* XXIII, 37; atque hac ratione fideles in Christi fide firmaret, infideles autem Judæos ad eam converteret.

Denique sive legas *si*, sive *sic*, idem erit sensus, si dicas τὸ *si* subintelligi. Unde nonnulli legunt *si sic*, ut Christus loquatur per concessionem, *q. d.* « Sic eum volo manere, » hoc est concedo, vel esto ut velim Joannem sic manere; sive, si sic eum volo manere, quid ad te? Videtur enim Christus tantum retundere velle curiositatem Petri, uti superius ex Cyrillo et Chrysostomo dixi. Et hoc modo omnium trium lectionum idem erit sensus et consensus.

Porro, S. Cæsarius, frater S. Gregorii Nazian-

zeni, *Dialog.* 5, sic nove exponit : « Sic eum volo manere, » id est, inquit, volo Joannem manere apud mare Tiberiadis, in quo paulo ante cum Petro piscatus fuerat 153 pisces; ad illud enim stabant piscantes : te vero, o Petre, volo a mari recedere et me sequi. Hoc nimis litterale et grammaticum, ideoque frigidum videtur, nisi aliquem e sensibus jam datis adjungas, quasi significatum rei significanti. Unde addunt aliqui apud Theophylactum, « donec veniam, » id est, dum hunc volens dirigam ad prædicandum; te namque, o Petre, nunc dirigo ad orbis Pontificatum.

S. Joannes vitam contemplativam, S. Petrus vero activam refert.

Anagogice, repræsentatur hic in Joanne vita contemplativa et beata, et in cœlis triumphans, in Petro vero activa, laboriosa et in terra militans. Audi S. Augustinum, *tract.* 124 : « Cur Joannem plus dilexit Dominus, cum Dominum plus dilexerit Petrus? quantum intelligo, melior est, qui plus diligit Christum; felicior, quem plus diligit Christus. Puto ergo duas vitas hic significatas, unam quæ in fide est, per Apostolum Petrum, propter apostolatus sui primatum; itaque si dicitur : Sequere me, per imitationem scilicet perferendi temporalia mala. Alteram vero, quæ in spe per Joannem, de quo dicitur : Sic eum volo manere donec veniam; scilicet sempiterna bona redditurus, *q. d.* Perfecta me sequatur actio, informata meæ passionis exemplo, inchoata vero contemplatio maneat, id est exspectet perficienda cum venero. In activa vita quanto magis Christum diligimus, tanto facilius liberamur a malo; at ipse nos minus diligit quales sumus, et ideo liberat ne semper tales simus; illic nos amplius diligit, ubi quod ei displiceat, et quod a nobis auferat, non habebimus. Amet eum Petrus, ut ab ista mortalitate liberemur; ametur Joannes, ut in illa immortalitate servemur. Minus Joannes diligit, quia manet, id est exspectat, necdum habens illum amorem, qui tunc multo amplior erit. Hoc ergo significatum est per Petrum plus amantem, sed minus amatum; minus enim nos amat Christus miseros quam beatos. Minus vero veritatis contemplationem, qualis tunc futura est, amamus, quia nondum novimus nec habemus. »

Brevius utrumque complectitur Glossa, dum ait : « Quod magis diligat, est manifesta misericordia, sed occulta justitia; commendantur hic duæ Ecclesiæ vitæ; ad procellosæ gubernaculum dantur claves, ad liganda et solvenda peccata; propter illam quietam requiem super pectus Jesu discumbitur, unde veritas bibitur, et quod virgo est Joannes, convenit futuræ vitæ, ubi nec nubent nec nubentur. »

Tropologice, repræsentatur hic virginitatis et virginum incorruptio, integritas et immortalitas, ut semper in eodem statu vivi vegetique manere videantur, uti S. Joannes diutissime mansit. Unde ...ccus, IV, 1, exclamat : « O quam pulchra est ... generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius, etc., et in perpetuum coronata triumphat. » Rationem dat, cap. VI, dicens : « Incorruptio facit esse proximum Deo. » Vide ibi dicta. Quia enim casti imitantur castitatem et puritatem Dei, hinc Deo assimilantur, ideoque ab eo diliguntur hauriuntque miram sapientiam, sanctitatem et sanitatem longævam hic, in cœlis vero æternam, ut hausit S. Joannes. Has de causa B. Petrus Damianus, serm. *De Excellentia S. Joannis*, eum nuncupat « organum divinorum mysteriorum, jubar cœli, aquilam cœlestem, » etc.

Vers. 23. Rumor inter discipulos de Joanne non moriturо.

23. EXIIT ERGO SERMO ISTE INTER FRATRES, QUIA DISCIPULUS ILLE NON MORITUR. — *q. d.* Inde rumor sparsus fuit inter Apostolos et discipulos, quod Joannes non esset moriturus, sed in vita mansurus, donec veniret Christus ad diem judicii, ac tunc eum vivum secum duceret in cœlum. Nec mirum; nam, ut paulo ante dixi, multi e Patribus idem opinati sunt.

ET NON DIXIT EI JESUS : NON MORITUR; SED : SIC EUM VOLO MANERE DONEC VENIAM, QUID AD TE? — Est correctio : corrigit enim Joannes falsam suspicionem discipulorum de se, quod non esset moriturus. Unde colligitur alium fuisse sensum verborum Christi, ac Joannem vere esse mortuum, uti ostendi vers. 22.

24. HIC EST DISCIPULUS ILLE QUI TESTIMONIUM PERHIBET DE HIS, ET SCRIPSIT HÆC (puta Joannes, qui de se modestiæ causa loqui solet in tertia persona), ET SCIMUS QUIA (quod) VERUM EST TESTIMONIUM EJUS, — *q. d.* Non mei unius hoc est testimonium; sed ego et omnes qui cum Christo versati sumus, aut eorum auditores et discipuli fuimus, scimus illum discipulum vere testari et scribere. Ita Euthymius, Toletus, Ribera, Maldonatus. Pauci enim tunc erant superstites ex iis qui cum Christo versati fuerant, sed multi ab iis idipsum audierant. Scripsit enim Evangelium hoc Joannes contra Cerinthum, Menandrum; Ebionem aliosque hæreticos jam tum suborientes, qui negabant Christum esse Deum, ideoque detrahebant ejus prædicationi et Evangelio, quasi falso et ficto.

Dictum S. Joannis de Ebione hæretico.

Unde refert S. Irenæus, lib. III, cap. III, et S. Epiphanius, *hæresi* 30, S. Joannem ductu Spiritus Sancti ivisse ad balneum rogasseque quis in eo lavaretur, ac audito Ebionem in eo versari, flevisse et sociis dixisse : « Festinate, fratres, egrediamur hinc, ne cadat balneum, et pereamus cum Ebione, qui intus est in balneo, propter ipsius impietatem. »

25. SUNT AUTEM ET ALIA MULTA QUÆ FECIT JESUS : QUÆ SI SCRIBANTUR PER SINGULA, NEC IPSUM ARBITROR MUNDUM CAPERE POSSE EOS QUI SCRIBENDI SUNT (id est qui scribendi forent) LIBROS. — Syrus, *quæ si sigillatim scriberentur, ne ipse mundus quidem, ut puto, sufficeret iis qui scriberentur libris*; Arabicus, *mundus non caperet ea in scriptis libris*. *Primo*, S. Augustinus, *tract.* 124, Beda, Rupertus, S. Thomas, Lyranus et alii, τὸ « nec mundum capere posse libros » exponunt non de spatio locorum, sed de capacitate legentium, *q. d.* Totus mundus non caperet, id est non intelligeret, non penetraret mysteria doctrinæ et vitæ Christi, quia sunt profunda et divina. Sed hoc modo ne unam quidem Christi sententiam de mysterio SS. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, etc., capere, id est penetrare, quis potest.



*Secundo*, S. Hieronymus, in cap. XXI *Matthæi*; Nicephorus, lib. I *Histor.*, cap. XXIV, et Ribera hic, τὸ *capere* interpretantur per fidem, hoc est credere, *q. d.* Si tot tamque inaudita et stupenda miracula Christi narrarentur, homines mundani non possent ferre; sed putarent aut magicis artibus delusos esse oculos hominum, aut somnia esse aut fabulas, nec posse ab ullo tot et tanta fieri; ideo Evangelistæ de maxime mirabilibus pauca dicunt. Sed obstat quod mundus incredulus ne unum quidem signum Christi credit : fideles autem omnia credidissent. Adde, dici *libros*, non *signa*.

Hyperbole S. Joannis de libris scribendis de Christo.

*Tertio* ergo et genuine, est hyperbole, *q. d.* Si singula Christi acta dictaque scriberentur, tam multa et magna scribenda forent, ut mundus libris impleretur, ut plurimi et quasi innumerabiles libri scriberentur. Sic vulgo dicimus : In bibliotheca innumeri, id est plurimi, sunt libri; et : Totus mundus hoc dicit, id est plurimi hoc dicunt; « ecce totus mundus post ipsum abiit, » *Joann.* XII, 19, hoc est, plurimi sequuntur Jesum. Ita Cyrillus, Augustinus, Chrysostomus, Leontius, Beda, Theophylactus, Euthymius, Cajetanus, Jansenius, Toletus et alii. Hinc patet Evangelistas plurima dicta factaque Christi omisisse, et pauca tantum scripsisse, ut ex illis Christum Deum et hominem agnosceremus, et quasi ex ungue leonem æstimaremus (1).

Dices : Nimis magna videtur esse hæc hyperbole; nam totus mundus innumeras librorum myriades caperet. Respondeo, non esse nimis magnam, imo æquo esse minorem, si cum rerum scribendarum magnitudine, præstantia et majestate comparetur. Pro quo nota, in Christo duas fuisse naturas, divinam et humanam, indeque duplices, imo triplices actiones; scilicet *primo*, divinas, uti sunt omnia cognoscere et comprehendere, amare Patrem infinito amore, spirare Spiritum Sanctum, etc., de quibus si pro dignitate scribendum foret, infiniti scribendi essent libri, quos mundus non caperet; quotquot enim ab hominibus scriberentur, nunquam æquarent, multo minus exhaurirent vel unam Christi actionem, utpote divinam et per omnia infinitam.

Triplices Christi actiones : divinæ.

Sic Christus unico verbo et conceptu mentis suæ omnia cognoscit, comprehendit, dicit et loquitur; et tamen unicum hoc verbum tam fecundum est et sublime, tamque multa continet, ut omnes angeli et homines infinitis verbis et libris illud adæquare pleneque exprimere nequeant. Imo angelus unus Seraphinus plus cognoscit, dicit et facit uno actu, quam infimi angeli et homines plurimis actibus; multo magis idipsum facit Christus, qui longe omnes Seraphinos superat. *Secundæ* actiones Christi fuere humanæ, uti sunt loqui, fabricare, comedere, ambulare, etc.; hæ si nude considerentur, paucis libris scribi possent; sed si considerentur ut fiebant a Christo, ac dirigebantur ab interno spiritu prudentiæ, charitatis aliarumque virtutum, nullo hominis calamo digne describi possent, quia nullus scribendo valet assequi, et ex æquo exprimere spiritum et virtutes Christi; Christus enim faciebat omnia sua tam integre, tam heroice, tam angelice, cum omnibus suis circumstantiis, ut nulli scriptores ea pro dignitate scribere et oculis subjicere possent. Singulæ enim actiones Christi plurimas in se continebant virtutes, excellentias, perfectiones, ideoque nostris perpluribus adæquari nequeunt, sicut præstantiam adamantis nulla lapidum congeries et copia adæquare valet. *Tertiæ* actiones Christi fuere mixtæ, id est partim humanæ, partim divinæ, quæ idcirco a S. Dionysio theandricæ, id est Dei viriles, appellantur, uti sunt prædicare Evangelium, suscitare mortuos, facere miracula, instituere Eucharistiam cæteraque Sacramenta, etc., quæ Christus faciebat ut homo, sed directus a deitate sibi hypostatice unita. Hæ actiones multo minus pro dignitate ab omnibus mundi scriptoribus, qui sunt, fuerunt et erunt, explicari et repræsentari queunt, quia sunt actiones immediate manantes a Deo, ideoque divinam in se continentes vim et excellentiam, quæ omne hominum ingenium, omnem scriptorum calamum manumque longe superant et transcendunt, juxta illud *Job* XI, 7 : « Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus, et latior mari. » Denique veritas hujus hyperboles patet ex eventu et experientia. Videmus enim de vita et gestis Christi quotannis fieri tot conciones, lectiones, sermones; tot scribi libros, tot commentaria, ut eos numerare sit impossibile; adeoque si mundus duraret in æternum, idem quotannis semper fieret, quæ omnia si in unum colligas, mundus ea non caperet. Unde S. Leo, serm. 9 *De Nativ.* : « Excedit, inquit, humani eloquii facultatem divini operis magnitudo; et inde oritur difficultas fandi, unde adest ratio non tacendi, etc. Et ideo nunquam materia deficit laudis, quia nunquam sufficit copia laudatoris. »

(1) Similia habent Rabbinorum libri, v. g. : « Si fuerint omnia maria atramentum, et omnes junci calami et totum cœlum pergamentum, non sufficeret ad describendum profunditatem cordis principum, » *Schab.* f. 11, 1 Neque durior est hujus loci hyperbole ea qua usus est Cicero de rapacitate Antonii verba faciens : « Quæ Charybdis tam vorax? Charybdin dico? Oceanus, medius Fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse, » *Philipp.* II, cap. XXVII.

Tropologice, hinc a Christo disce illud : « Annos virtutibus imple, » ut scilicet multa magnaque et heroica virtutum opera assidue edas, easque de virtute in virtutem, donec videas Deum Deorum in Sion. Christus enim tribus annis et tribus mensibus quibus prædicavit, tot tantaque dixit et fecit, ut nullis libris pro dignitate conscribi possint. Dic ergo tibi illud Zeuxis pictoris eximii : « Pingo æternitati, vivo æternitati. » Pingo vitæ sanctæ imaginem, imo ideam, quam in cœlo Deo et angelis ostendam, ut jugiter eorum oculos feriat, ut beati per omnem æternitatem illam mirentur et celebrent. Imitare ergo Christum, sequere orthodoxam ejus fidem et vitam. Veritas cana est, fides prisca est, quam Christus Petro, Petrus suis successoribus Pontificibus et

*Romanæ Ecclesiæ fides commendatur.*

Ecclesiæ Romanæ quasi depositum inviolate servandum tradidit. Fuge ergo omnem fidem novam et novitiam; quam Novatores a se confictam obtrudunt; fides enim nova infida est, fallax et mendax est; non fides, sed perfidia est. Romanis scribens Paulus, cap. I, 8, hanc laudem, hoc decus assignat : « Fides vestra annuntiatur in universo mundo. » Romanam Ecclesiam S. Irenæus, S. Polycarpi indeque Joannis discipulus, lib. III, cap. III et IV, nuncupat « dives depositorium Ecclesiasticarum traditionum, eo quod Apostoli plenissime in eam contulerint omnia quæ sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. » S. Cyprianus, *epist.* 45, eamdem vocat matricem Ecclesiarum. « Ad hanc enim Ecclesiam, ait Irenæus, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt ubique fideles; in qua semper ab his, qui præsunt, undique conservata est ea quæ ab Apostolis est traditio. » Tertullianus, libr. *De Præscript. contra hæreticos*, cap. XXXVI : « Habes Romam, inquit, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur (crucifixus ut Christus), ubi Paulus Joannis (Baptistæ, qui gladio truncatus est) exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus, nil passus est, in insulam relegatur. » Hieronymus, præfat. in lib. II *Comment. in epist. ad Galat.* : « Vultis scire, ait, o Paula et Eustochium, quomodo Apostolus unamquamque provinciam suis proprietatibus denotarit? usque hodie eadem vel virtutum vestigia permanent, vel errorum. Romanæ plebis laudatur fides. Ubi aliquando tanto studio et frequentia ad ecclesias et ad martyrum sepulcra concurritur? ubi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat, et vacua idolorum templa quatiuntur? non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ, sed quod devotio in eis major sit et simplicitas ad credendum. »

Evangelium igitur fidemque Christi disce ab Ecclesia Romana, illamque vita et moribus exprime, atque in hoc ipso quotidie magnis virtutum passibus progredere et profice : ita Christum sequeris et consequeris in cœlesti gloria. Opus quod hic in momento operaris, in æternum manebit et te oblectabit; opus quod hic non operaris, in æternum tibi peribit, nec illud unquam recuperare poteris. Hoc a te ipse exiget in ultimo et decretorio mundi die, quando cum omnibus angelis judex sedebit judicabitque vivos et mortuos, ac te de fide vitaque Christiana sincere et severe examinabit, ut, si eam recto tramite secutus fueris, te cœlo; sin autem, inferno adjudicet, idque in æternum. Jacis hic aleam de tua æternitate; vide ut secure jacias : jactus enim est irrevocabilis.

CREDE, STUDE, VIVE, PINGE

ÆTERNITATI.

O quam longa, quam profunda, quam immensa, quam beata vel misera est seculorum omnium domina, interminna et vivens semper ÆTERNITAS!

O fragilitas humana, exiguum est quidquid agis propter spem æternorum!

(Eusebius Emissenus, hom. *de S. Maximo.*)

# INDEX
# LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
## QUI IN HOC COMMENTARIORUM VOLUMINE EXPLICANTUR.

*Prior numerus paginam, secundus columnam designat; si unicus tantum occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.*


### EX GENESI.

*Cap.* I, *vers.* 1. In principio creavit Deus cœlum et terram, 293, 1.
II, 7. Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem, 632, 2.
IV, 1. Possedi hominem per Deum, 299, 1.
— 20. Pater habitantium in tentoriis, 450, 2.
XIX, 24. Pluit Dominus a Domino, 570, 2.
XXII, 15. Postquam adoraverimus, revertemur ad vos, 869, 1.
XLI, 52. Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ, 506, 2.
XLIX, 10. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, 461, 1.
— 18. Salutare tuum exspectabo, Domine, 74, 2; 176, 2.

### EX EXODO.

*Cap.* V, *vers.* 10. Non do vobis paleas, 249, 1.
VII, 1. Constitui te Deum Pharaonis, 480, 1.
XIII, 2. Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, 70, 2; 71, 1.
XXI, 15. Qui percusserit patrem aut matrem, morte moriatur, 404, 2.
XXII, 28. Diis non maledices, 480, 1.

### EX LEVITICO.

*Cap.* XX, *vers.* 10. Populus videbat voces, 637, 1.

### EX NUMERIS.

*Cap.* XVIII, *vers.* 17. Adipes adolebis in suavissimum odorem Domini, 504, 2.
— 29. Omnia quæ offeretis ex decimis, et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt, 504, 2.
XXIV, 17. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, 49, 1.

### EX DEUTERONOMIO.

*Cap.* XV, *vers.* 4. Mendicus non erit inter vos, 82, 1.
XXVII, 26. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit, 429, 1.

### EX LIBRO JOSUE.

*Cap.* VII, *vers.* 19. Da gloriam Deo, 463, 1.

### EX LIBRO RUTH.

*Cap.* I, *vers.* 20. Ne me vocetis Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens, 118, 1.

### EX LIBRO II REGUM.

*Cap.* I, *vers.* 4. Quod est verbum quod factum est, 60, 2.

### EX LIBRO III REGUM.

*Cap.* XII, *vers.* 5. Quæ nobis pars in David, vel quæ hæreditas in filio Isai, 526, 1

### EX LIBRO TOBIÆ.

*Cap.* XII, *vers.* 19. Videbar quidem vobiscum manducare et bibere : sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor, 282, 2.

### EX LIBRO JUDITH.

*Cap.* VI, *vers.* 15. Respice ad nostram humilitatem, 86, 2

### EX LIBRO ESTHER.

*Cap.* XV, *vers.* 2. Memorare dierum humilitatis tuæ, 86, 2

### EX LIBRO JOB.

*Cap.* II, *vers.* 4. Pellem pro pelle dabit homo, 311, 2.
XXXIX, 1. Numquid parturientes cervas observasti, 553, 2.

### EX LIBRO PSALMORUM.

*Psalm.* II, *vers.* 9. Reges eos in virga ferrea, 645, 2.
V, 13. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, 66, 1.
VIII, 2. Elevata est magnificentia tua super cœlos, 33, 1.
— 6. Minuisti eum paulo minus ab angelis, 480, 1.
XV, 5. Dominus pars hæreditatis meæ, 138, 2.
XIX, 4. Holocaustum tuum pingue fiat, 504, 2.
XXI, 13. Tauri pingues obsederunt me, 272, 2.
XXII, 1. Dominus regit me, 645, 1.
XXXV, 10. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen, 461, 2.
— 9. Torrente voluptatis tuæ potabis eos, 358, 2.
XXXVIII, 14. Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, 163, 1.
XL, 10. Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem, 528, 2; 531, 2.
XLIV, 3. Diffusa est gratia in labiis tuis, 87, 2.
LXV, 15. Holocausta medullata offeram tibi, 504, 2.
LXVIII, 1. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam : infixus sum in limo profundi, et non est substantia, 606, 1.
— 10. Zelus domus tuæ comedit me, 832, 2.
LXXXI, 1. Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat, 480, 1.
— 6. Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes, 480, 1 et seq.
LXXXIV, 7. Deus tu conversus vivificabis nos, 263, 2.
CIX, 3. Ex utero ante luciferum genui te, 313, 2; 423, 2.
— 4. Tecum principium in die virtutis tuæ, 443, 1.
CXVIII, 18. Revela oculos meos, 74, 2.
— 96. Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis, 519, 2.
CXXXI, 11. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, 96, 1.


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Tropologice, hinc a Christo disce illud : « Annos virtutibus imple, » ut scilicet multa magnaque et heroica virtutum opera assidue edas, easque de virtute in virtutem, donec videas Deum Deorum in Sion. Christus enim tribus annis et tribus mensibus quibus prædicavit, tot tantaque dixit et fecit, ut nullis libris pro dignitate conscribi possint. Dic ergo tibi illud Zeuxis pictoris eximii : « Pingo æternitati, vivo æternitati. » Pingo vitæ sanctæ imaginem, imo ideam, quam in cœlo Deo et angelis ostendam, ut jugiter eorum oculos feriat, ut beati per omnem æternitatem illam mirentur et celebrent. Imitare ergo Christum, sequere orthodoxam ejus fidem et vitam. Veritas cana est, fides prisca est, quam Christus Petro, Petrus suis successoribus Pontificibus et

Romanæ Ecclesiæ fides commendatur.

Ecclesiæ Romanæ quasi depositum inviolate servandum tradidit. Fuge ergo omnem fidem novam et novitiam ; quam Novatores a se confictam obtrudunt; fides enim nova infida est, fallax et mendax est; non fides, sed perfidia est. Romanis scribens Paulus, cap. I, 8, hanc laudem, hoc decus assignat : « Fides vestra annuntiatur in universo mundo. » Romanam Ecclesiam S. Irenæus, S. Polycarpi indeque Joannis discipulus, lib. III, cap. III et IV, nuncupat « dives depositorium Ecclesiasticarum traditionum, eo quod Apostoli plenissime in eam contulerint omnia quæ sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. » S. Cyprianus, *epist.* 45, eamdem vocat matricem Ecclesiarum. « Ad hanc enim Ecclesiam, ait Irenæus, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt ubique fideles; in qua semper ab his, qui præsunt, undique conservata est ea quæ ab Apostolis est traditio. » Tertullianus, libr. *De Præscript. contra hæreticos*, cap. XXXVI : « Habes Romam, inquit, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur (crucifixus ut Christus), ubi Paulus Joannis (Baptistæ, qui gladio truncatus est) exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus, nil passus est, in insulam relegatur. » Hieronymus, præfat. in lib. II *Comment. in epist. ad Galat.* : « Vultis scire, ait, o Paula et Eustochium, quomodo Apostolus unamquamque provinciam suis proprietatibus denotarit? usque hodie eadem vel virtutum vestigia permanent, vel errorum. Romanæ plebis laudatur fides. Ubi aliquando tanto studio et frequentia ad ecclesias et ad martyrum sepulcra concurritur? ubi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat, et vacua idolorum templa quatiuntur? non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ, sed quod devotio in eis major sit et simplicitas ad credendum. »

Evangelium igitur fidemque Christi disce ab Ecclesia Romana, illamque vita et moribus exprime, atque in hoc ipso quotidie magnis virtutum passibus progredere et profice : ita Christum sequeris et consequeris in cœlesti gloria. Opus quod hic in momento operaris, in æternum manebit et te oblectabit; opus quod hic non operaris, in æternum tibi peribit, nec illud unquam recuperare poteris. Hoc a te ipse exiget in ultimo et decretorio mundi die, quando cum omnibus angelis judex sedebit judicabitque vivos et mortuos, ac te de fide vitaque Christiana sincere et severe examinabit, ut, si eam recto tramite secutus fueris, te cœlo; sin autem, inferno adjudicet, idque in æternum. Jacis hic aleam de tua æternitate; vide ut secure jacias : jactus enim est irrevocabilis.

CREDE, STUDE, VIVE, PINGE

ÆTERNITATI.

O quam longa, quam profunda, quam immensa, quam beata vel misera est seculorum omnium domina, interminia et vivens semper ÆTERNITAS !

O fragilitas humana, exiguum est quidquid agis propter spem æternorum!

(Eusebius Emissenus, hom. *de S. Maximo.*)

# INDEX
# LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
## QUI IN HOC COMMENTARIORUM VOLUMINE EXPLICANTUR.

*Prior numerus paginam, secundus columnam designat; si unicus tantum occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.*


EX GENESI.

*Cap.* I, *vers.* 1. In principio creavit Deus cœlum et terram, 293, 1.
II, 7. Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem, 632, 2.
IV, 1. Possedi hominem per Deum, 299, 1.
— 20. Pater habitantium in tentoriis, 450, 2.
XIX, 24. Pluit Dominus a Domino, 570, 2.
XXII, 15. Postquam adoraverimus, revertemur ad vos, 360, 1.
XLI, 52. Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ, 506, 2.
XLIX, 10. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, 461, 1.
— 18. Salutare tuum exspectabo, Domine, 74, 2; 176, 2.

EX EXODO.

*Cap.* V, *vers.* 10. Non do vobis paleas, 249, 1.
VII, 1. Constitui te Deum Pharaonis, 480, 1.
XIII, 2. Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, 70, 2; 71, 1.
XXI, 15. Qui percusserit patrem aut matrem, morte moriatur, 404, 2.
XXII, 28. Diis non maledices, 480, 1.

EX LEVITICO.

*Cap.* XX, *vers.* 10. Populus videbat voces, 637, 1.

EX NUMERIS.

*Cap.* XVIII, *vers.* 17. Adipes adolebis in suavissimum odorem Domini, 504, 2.
— 29. Omnia quæ offeretis ex decimis, et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt, 504, 2.
XXIV, 17. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, 49, 1.

EX DEUTERONOMIO.

*Cap.* XV, *vers.* 4. Mendicus non erit inter vos, 82, 1.
XXVII, 26. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit, 429, 1.

EX LIBRO JOSUE.

*Cap.* VII, *vers.* 19. Da gloriam Deo, 463, 1.

EX LIBRO RUTH.

*Cap.* I, *vers.* 20. Ne me vocetis Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens, 118, 1.

EX LIBRO II REGUM.

*Cap.* I, *vers.* 4. Quod est verbum quod factum est, 66, 2.

EX LIBRO III REGUM.

*Cap.* XII, *vers.* 5. Quæ nobis pars in David, vel quæ hæreditas in filio Isai, 526, 1

EX LIBRO TOBIÆ.

*Cap.* XII, *vers.* 19. Videbar quidem vobiscum manducare et bibere : sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor, 282, 2.

EX LIBRO JUDITH.

*Cap.* VI, *vers.* 15. Respice ad nostram humilitatem, 96, 2

EX LIBRO ESTHER.

*Cap.* XV, *vers.* 2. Memorare dierum humilitatis tuæ, 96, 2

EX LIBRO JOB.

*Cap.* II, *vers.* 4. Pellem pro pelle dabit homo, 311, 2.
XXXIX, 1. Numquid parturientes cervas observasti, 553, 2.

EX LIBRO PSALMORUM.

*Psalm.* II, *vers.* 9. Reges eos in virga ferrea, 645, 2.
V, 13. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, 66, 1.
VIII, 2. Elevata est magnificentia tua super cœlos, 33, 1.
— 6. Minuisti eum paulo minus ab angelis, 480, 1.
XV, 5. Dominus pars hæreditatis meæ, 138, 2.
XIX, 4. Holocaustum tuum pingue fiat, 504, 2.
XXI, 13. Tauri pingues obsederunt me, 272, 2.
XXII, 1. Dominus regit me, 645, 1.
XXXV, 10. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen, 461, 2.
— 9. Torrente voluptatis tuæ potabis eos, 358, 2.
XXXVIII, 14. Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, 163, 1.
XL, 10. Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem, 528, 2; 531, 2.
XLIV, 3. Diffusa est gratia in labiis tuis, 87, 2.
LXV, 15. Holocausta medullata offeram tibi, 504, 2.
LXVIII, 1. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam : infixus sum in limo profundi, et non est substantia, 606, 1.
— 10. Zelus domus tuæ comedit me, 538, 2.
LXXXI, 1. Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat, 480, 1.
— 6. Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes, 480, 1 et seq.
LXXXIV, 7. Deus tu conversus vivificabis nos, 263, 2.
CIX, 3. Ex utero ante luciferum genui te, 313, 2; 423, 2.
— 4. Tecum principium in die virtutis tuæ, 443, 1.
CXVIII, 18. Revela oculos meos, 74, 2.
— 96. Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis, 519, 2.
CXXXI, 11. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, 96, 1.


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CXXXII, 1. Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum, 118, 1.

EX PROVERBIIS SALOMONIS.

*Cap.* v, *vers.* 16. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide, 426, 1.
VIII, 15. Per me reges regnant, 299, 1.
— 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, 295, 1; 443, 1.
XXII, 11. Propter gratiam labiorum suorum amicum habebit regem, 87, 2.

EX ECCLESIASTE.

*Cap.* x, *vers.* 12. Verba oris sapientis, gratia, 87, 6.

EX CANTICO CANTICORUM.

*Cap.* II, *vers.* 4. Ordinavit in me charitatem, 132, 2.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

*Cap.* VI, *vers.* 8. Æqualiter est illi cura de omnibus, 186, 1.

EX ECCLESIASTICO.

*Cap.* XXIV, *vers.* 29. Qui bibent me, adhuc sitient, 355, 1.
XLVIII, 1. Et surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat, 182, 1.

EX ISAIA.

*Cap.* IV, *vers.* 2. In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, 49, 1.
VI, 10. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, ut videntes non videant, 516, 1.
XI, 10. In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, etc., 70, 2.
XXIX, 1. Væ Ariel, Ariel, civitas quam expugnavit David, etc. Et circumvallabo Ariel, et erit tristis et mærens, et erit mihi quasi Ariel, 254, 1.
XL, 3. Ego vox clamantis in deserto, 316, 1.
XLI, 18. Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum, 426, 2.
XLIV, 3. Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam, 426, 2.
— 28. Qui dico Cyro, Pastor meus es, 643, 2.
LIII, 1. Domine quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? 515, 2.
— 7. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum, 317, 2.
— 8. Generationem ejus quis enarrabit, 443, 1.
LIV, 13. Universos filios doctos a Domino, 309, 2.
LVIII, 11. Et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ, 426, 2.
LX, 15. Ponam te in superbiam sæculorum, 648, 2.
LXI, 1. Spiritus Domini super me, etc., ut consolarer omnes lugentes, 102, 2.
— 6. Fortitudinem Gentium comedetis, et in gloria earum superbietis, 648, 2.
LXVI, 19. Et ponam in eis signum, 284, 1.

EX JEREMIA.

*Cap.* I, *vers.* 5. Antequam exires de vulva, sanctificavi te, 481, 1.
XI, 19. Et ego quasi agnus qui portatur ad victimam, 317, 2.
XIV, 8. Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum, 273, 2.
XVII, 1. Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, 432, 2.
XVIII, 17. Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico: dorsum, et non faciem, ostendam eis in die perditionis eorum, 433, 1.

EX THRENIS.

*Cap.* III, *vers.* 24. Pars mea Dominus, propterea expectabo eum, 158, 2.

EX EZECHIELE.

*Cap.* I, *vers.* 12. Non revertebantur cum incedebant, sed unumquodque coram facie sua gradiebatur, 142, 2.
XXXIV, 23. Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem, etc. 472, 2.

EX JOELE.

*Cap.* II, *vers.* 28. Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, etc., 426, 2.

EX AMOS.

*Cap.* V, *vers.* 13. Ideo prudens in tempore illo tacebit, 126, 1.

EX MICHÆA.

*Cap.* V, *vers.* 2. Egressus ejus a diebus æternitatis, 443, 2.

EX ZACHARIA.

*Cap.* III, *vers.* 8. Ecce ego adducam servum meum Orientem, 49, 1.
VI, 12. Ecce vir, Oriens nomen ejus, 49, 1.

EX MALACHIA.

*Cap.* III, *vers.* 1. Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, 316, 1.
IV, 5. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, 316, 1.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

*Cap.* III, *vers.* 11. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni, 330, 1.
XVI, 17. Caro et sanguis non revelavit tibi, etc., 412, 1.
— 18. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, 421, 1.
XIX, 12. Qui potest capere, capiat, 449, 1.
— 28. Vos qui secuti estis me, etc., sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, 149, 2.
XXVI, 18. Apud te facio Pascha, 249, 1.

EX S. MARCO.

*Cap.* VIII, *vers.* 31. Oportet Filium hominis, etc., et post tres dies resurgere, 82, 2.
XV, 25. Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum, 613, 2.
XVI, 12. Post hæc autem duobus ex illis ambulantibus ostensus est in alia effigie euntibus in villam, 274, 2.

EX S. LUCA.

*Cap.* I, *vers.* 37. Non erit impossibile apud Deum omne verbum, 66, 2.
II, 21. Postquam consummati sunt dies octo, 82, 2.
III, 23. Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, 84, 2.
IV, 22. Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, 87, 2.
IX, 27. Sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei, 650, 2.
X, 36. Quis horum trium videtur tibi proximus? 130, 2.



XIII, 12. Mulier, dimissa es ab infirmitate, 103, 2.
XXII, 58. O homo, non sum, 168, 2.

EX S. JOANNE.

*Cap.* I, *vers.* 3. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, 290, 2.
— 14. Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti, 290, 2.
— 20. Et confessus est, et non negavit, et confessus est, quia non sum ego Christus, 290, 2.
II, 11. Et crediderunt in eum discipuli ejus, 290, 2.
IV, 53. Credidit ipse, et domus ejus tota, 290, 2.
VI, 36. Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et non creditis, 291, 2.
XI, 12. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, 120, 2.
— 15. Gaudeo propter vos ut credatis, 290, 2.
— 18. Magister adest et vocat te, 291, 1.
XII, 19. Ecce totus mundus post ipsum abiit, 653, 1.
— 38. Non credebant in eum, ut sermo Isaiæ impleretur, 290, 1.
— 39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, *ibid.*
— 50. Scio quia mandatum ejus vita æterna est, 593, 1.
XVI, 6. Domine, tu mihi lavas pedes, 290, 2.
XVII, 3. Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum, 852, 2.
XIX, 31. Erat enim magnus dies ille sabbati, 112, 1.
XX, 17. Noli me tangere, 290, 2.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

*Cap.* III, *vers.* 6. Argentum et aurum non est mihi, 404, 2.
VIII, 16. Eunuchus Candacis, etc., venerat adorare in Jerusalem, 356, 1.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

*Cap.* I, *vers.* 9. Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo, 351, 2.
IX, 7. Optabam ego ipse anathema esse a Christo, 647, 2.
— 13. Jacob dilexi, Esau autem odio habui, 300, 1.

EX EPIST. I AD CORINTHIOS.

*Cap.* I, *vers.* 9. Fidelis Deus per quem vocati estis, etc., 299, 1.
— 30. Qui factus est nobis justitia et sanctificatio et redemptio, 190, 1.
XV, 28. Tunc et Filius subjectus erit Patri, 84, *

EX EPIST. II AD CORINTHIOS.

*Cap.* III, *vers.* 6. Littera occidit, spiritus autem vivificat, 411, 2.
VII, 11. Quantam operatur in vobis sollicitudinem, sed defensionem, 573, 2.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

*Cap.* III, *vers.* 1. Reformabit corpus humilitatis nostræ, 26, 1; 175, 1.

EX EPIST. I AD TIMOTHEUM.

*Cap.* III, *vers.* 16. Et manifeste magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, 58, 2.

EX EPIST. CATHOLICA S. JACOBI.

*Cap.* I, *vers.* 27. Religio munda apud Deum et Patrem, hæc est: Visitare pupillos, 87, 2.

EX EPIST. II S. PETRI.

*Cap.* III, *vers.* 3. Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Ubi est promissio aut adventus ejus, 241, 1.

EX EPISTOLA I S. JOANNIS.

*Cap.* V, *vers.* 4. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra, 593, 1.

EX APOCALYPSI S. JOANNIS.

*Cap.* III, *vers.* 14. Hæc dicit Amen, testis fidelis et verus, 338, 2.
X, 11. Oportet te iterum prophetare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis, 564, 1.
XXI, 6. Ego sum alpha et omega, 183, 2.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# INDEX
# RERUM ET VERBORUM
## QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

## A.


Abeuntes, benedicamus iis a quibus abimus, 284, 1.

Ablæ classis erat octava inter sacerdotales, 7, 2; 9, 1.

Abilina regio unde dicta, et ejus situs, 91, 1.

Abraham fuit pater Israelitarum, eique facta promissio de Christo ex ejus semine nascituro, 42, 2; 47, 1. ejus hospitalitas, 222, 1. Epulonis compassione non movebatur, 295, 1. ejus stirpe gloriabantur Judæi, 446, 1 et seqq. eo major erat Christus, 453, 2 et seqq. optavit videre Christum incarnatum, et mundum per eum redemptum, 454, 2. quomodo ejus diem viderit, idque e limbo, 455, 1 corpore mortuus, vivebat anima, 453, 2. fuit ei revelatum mysterium SS. Trinitatis, 454, 1. ad diem natalem Christi per duo annorum millia anhelavit, 455, 1. Abrahæ sinus quis sit, 222, 1.

Abrahami Eremitæ mansuetudo barbaros cicurat, 473, 1.

Absolutio nequit impendi super materiam incertam, 71, 2. quomodo ea detur pœnitenti jam justificato per contritionem, 128, 1.

Abstinentia a poto remedium est hydropis, 194, 2.

Accumbebant prisci mensæ in lectis, 142, 2; 530, 2.

Actiones nostræ in se præcise spectatæ, inutiles sunt ad promerendam Dei gratiam et gloriam, 292, 1. omnem valoris dignitatem habent a gratia et promissione Dei, ibid. in iis cœlestia spectanda sunt, 315, 1. earum Deus principium et finis est, 443, 2. sunt agendæ duce Christo, et cum Christo, 391, 2. actiones sunt suppositorum et personarum, 306, 2; 451, 2. actiones Christi ut Dei et hominis erant triplices: aliæ divinæ, aliæ humanæ puri hominis, aliæ theandricæ, quæ erant Deiviriles, 83, 2 et seqq. eæ scribi non possent omnes, 653, 2 et seqq.

Activæ vitæ typus est S. Petrus, 652, 1. ea postponitur contemplativæ, 157, 1, 2. illius actus, 158, 2. sternit viam ad contemplativam, 159, 1.

Actus etiam minimi bene agendi, 523, 2.

Adam denotatur in homine qui descendit ex Jerusalem in Jericho, et vulneratus est, 153, 2. omnes parabolæ partes huic adaptantur, ibid. et seqq. per peccatum spoliatus est bonis gratuitis, et vulneratus in naturalibus, 153, 1. ex eo sunt omnes homines prognati, 345, 1. cur is Dei fuisse dicatur, 99, 1 et seqq. nominis ejus litteræ quatuor orbis climata symbolice denotant, 335, 2.

Administratores dicti sunt præsides Judææ, 99, 1

Adolescens in Jelus a Domino vitæ redditur, 149, 1.

Adolescentia libera, stulta, inconstans est, 206, 1.

Adommim vel Adammim erat locus inter Jerusalem et Jericho latrociniis infestus, 151, 1. ejus descriptio, ibid.

Adoratio significat omnem Dei cultum, 465, 1. quæ sit adoratio in spiritu et veritate, 561, 2 et seqq.

Adventum Christi ad judicium bonis operibus nos expectare oportet, 177, 1. et semper, 178, 1. erit hic instar fulguris, 236, 1 et seqq.

Adulteræ apud Judæos lapidabantur, 432, 1. adultera absolvitur a Christo tum in foro poli, tum in foro fori, 435, 1. inspiravit ei Christus contritionem de peccatis, ibid.

Adulterium multæ gentes morte plectebant, 432, 2.

Ægrotis potius serviendum subinde quam pietati, 629, 1, 2.

Ægyptii pingebant Deum quasi circulum, 602, 1. cadavera mira arte desiccabant, 623, 1.

Ægyptus lepræ est obnoxia ob calores ingentes, 232, 2. quo tempore Dominus in Ægyptum fugerit, 61, 1.

Ænnon oppidum ubi situm, unde dictum, 348, 1.

Æra Hispanica XXXVIII annis præcedit annos Christi, 307, 2.

Ætas quælibet ad Deo serviendum apta est, 188, 1.

Æternitati cur detur principium, 283, 2. est ipsa ab homine incomprehensibilis, ibid. est initium sine initio, 298, 1 ejus crebra meditatio stimulus est ad virtutem, 219, 2. æternitas suppliciorum infernalium, 236, 2. æternitas Dei, 455, 2.

Affectus inordinati erga terrena sunt mortificandi, 535, 1; 527, 1.

Afflictiones nos ad Deum confugere faciunt, 558, 2.

Ἀγαλλιάω dicitur quasi ἄγαν ἄλλω, id est admiror vehementer, 34, 1.

S. Agatha virgo in tormentis gavisa est, quia ea ambivit, 183, 2.

Ἅγιος, id est sanctus, dicitur ab ἅζω, id est colo, 39, 1. quis dicatur ἅγιος, 40, 1.

Agnus vocatur Christus, et cur, 317, 2. et quidem Agnus Dei, 319, 1. nuptiæ Agni perficientur in cœlo, 333, 1. agni significant fideles, 645, 2.

Agonia Christi in horto unde orta sit, 265, 2 et seq.

Ἀγραυλέω duplicis est significationis, 62, 2 et seq.

Ain hebr. tam fontem quam oculum significat, 461, 1.

Alapa Christo a ministro impingitur, 608, 1.

Alexidemi fastus, 195, 2.

Aliena quam propria diligentius curantur et custodiuntur, 319, 1, 2.

Alimentum debetur prædicatoribus, 147, 1.

Ἀλέγεσθαι derivari potest vel a λοχεία, vel a λόχια vel λοχεῖα: quid utrumque significet quoad purissimum Virginis partum, 19, 1.

Alphæus, qui et Cleophas, fuit pater SS. Judæ et Jacobi Minoris Apostolorum, et Salomes, per quam fuit avus S. Jacobi Majoris et Joannis Apostolorum, 276, 2. fuit Martyr, ibid. — Vide Cleophas.

Alphonsi Tostati error quoad derivationem nominis scenopegiæ, 417, 1.

Altare est velut præsepe, in quo per consecrationem Christus quasi nascitur et immolatur, 69, 2. olim altaria erigebantur super sepulcra Martyrum, 119, 1. altare thymiamatis non erat in Sancto sanctorum, sed in Sancto, 9, 1.

Amantes cito senescunt, 212, 1. amanti defectum amati vel verbo indicare satis est, 335, 2.

Ambitio dedecet in omni re, 195, 1. ambitio Pharisæorum, ibid.





Amen. amen cur Joannes ingeminet, 333, 1; et 259, 1. et seqq. amen quid significet: partim nomen, partim adverbium est, 338, 2.

Amico (pro) vitam ponere maximus est amicitiæ actus, 565, 1, 2. amicos Christus multos habet ob bona quæ ab eo accipiunt, 563, 1.

Amo et diligo qui different, 643, 1.

Amore (in) servandus est ordo charitatis, 151, 1. amoris emblema, 130, 2. amor in hominibus descendit, non ascendit, 642, 2. amor Dei perficietur in cœlo, 158, 1. hic docet amorem proximi, 536, 2. per eum unimur Deo arctissime, 600, 1. ejus emphasis, 344, 2 et seq. quomodo hic sit circularis et in orbem eat, 601, 2. amantem transfert in amatum, ibid. amor Patris erga Christum est causa cur ipse fideles diligat, et ipsi illum, 474, 2 et seq. amor vehemens Christi erga nos, 206, 1; 207, 2; 536, 1. amor Christi erga suos circa extremum erat summus, 592, 2. cur amor Deiparæ erga Filium major erat quam sit aliarum matrum erga suos, 67, 2. hic fuit velut gladius, quo anima ejus sauciata fuit, 78, 2. amor S. Petri erga Dominum, 645, 1; 646, 2. quomodo hic a Domino exploretur, 646, 2 et seqq. — Vide Charitas, Dilectio.

Amplexus signa sunt vestæ, amoris, gaudii, 210, 2.

Ἄν, aliquando vertitur forsitan, 356, 1.

Ἀνατολή tam ad solem quam ad germen refertur, 49, 1, 2.

S. Andreas crucem ardenter expetivit, 183, 2; 648, 1. quam ardenter Christum audierit, 320, 1. etiam fratrem suum Simonem ad eum adducit, 2. an fuerit eo senior, incertum, ibid. exarsit desiderio videndi Messiæ, ibid. maximæ inter reliquos Apostolos erat auctoritatis, 508, 2.

Angelus bonus apparens initio terret, deinde exhilarat; contra malus, 9, 2; 64, 2. angelus Joannis Baptistæ curam in deserto suscepit, 51, 1. angelus pastores nato Christo compellans, qualiter iis apparuerit, et quis fuerit, 63, 2. angelus Christo oranti in horto apparens, tantum in ultima oratione apparuit, confortans eum, 264, 2. quis fuerit hic angelus, ibid. quomodo eum confortarit, ibid. quis angelus certo tempore aquam piscinæ movens, 37, 2.

Angeli adstant sacrificio et orantibus, 9, 2. existentes in terra etiam adstant Deo, 12, 2. omnia corpora penetrant et pervadunt, 15, 2. Deum contemplantur admirantes, et admirando ejus dulcedine et bonitate perfruuntur, 34, 2. Christum recens natum adorarunt et mirati sunt, 56, 2. iique magno numero, 65, 1. gaudent de conversione peccatoris, 204, 1 et seqq.; 210, 2 et seqq. revera non edunt, etsi edere videantur, 282, 2. animas in cœlum conducunt, 222, 1. parent Christo ad nutum, 324, 1, 2. quia ipse eorum est Dominus, ibid. quomodo et quando visi ad eum descendisse et ascendisse, 325, 1. cur ea visio facta sit, ibid. solabantur animas patrum in limbo detentas, 455, 1. cur vocentur elohim, 480, 1. an didicerint a S. Joanne secreta Verbi incarnati, 335, 1, 2. angeli tres in Scriptura nominantur, eorumque munia, 14, 2.

Angliæ conversio S. Gregorio debetur, 512, 2.

Anima et spiritus in homine quomodo differant, 35, 1. anima non est corporea, 224, 2. nec habet simulacra membrorum, ibid. quomodo in corpus ingrediatur, et eo egrediatur: quæ vult corpora animat, 341, 1, 2. est Adamo indita per spiraculum, 633, 2. anima per viduam Naim ob illam denotatur, 120, 1. eam possidet patiens, 259, 1. animam perdens, amat eam: eam odiens, custodit, 368, 2 et seqq. eam pro amico ponere est maxima omnium charitas, 565, 1, 2. ejus conversio est partus difficilis, 583, 2. anima per virtutes templum sibi fabricat, 335, 2. vere animam humanam Christus habuit, 476, 1. eam moriens in manus Patris commendavit, 271, 2. quomodo eam pro ovibus posuerit, 475, 1. anima sancta fit Christi sponsa, 327, 2. quomodo a S. Trinitate inhabitetur, 550, 2. fit templum Dei et cœlum, 551, 1.

Animæ non fuerunt ante corpora, 418, 1; 461, 2. earum immortalitatem credebant Judæi, 490, 1. animæ damnatorum sentiunt in se in gehenna tormenta, quæ sentirent in corpore si illud haberent, 224, 2 et seqq. animæ ab angelis in cœlum deducuntur, 223, 1. animæ Sanctorum a morte sua vident Deum, 221, 2. animæ defunctorum quomodo viventibus appareant, 227, 2.

Animalium cornutorum robur situm in cornibus, 46, 1.

Anna idem est quod gratia, 79, 1, 2.

S. Anna socrus fuit S. Josephi et soror Jacob patris ejus, ergo ejus amita, 96, 1, 2 et seqq.

Anna vidua prophetissa erat et doctrix juvencularum, 79, 2. ejus elogium, 80, 1. ejus triplex castitas: frequentabat assidue templum, ibid. ejus jejunia et obsecrationes, ibid. de Christo honorifice loquebatur, 80, 2.

Annas pontifex summæ erat auctoritatis apud Judæos, 91, 2. cur ad eum Christus primum ductus sit, 608, 1.

Annulus aureus index est hominis liberi, 211, 1. quid mystice denotet, ibid.

Annus jubilæi est annus remissionis, 103, 2. quo anno Augusti natus sit Christus, 54, 2. anni Juliani quando incipiant, ibid. anni XLVI ædificationis templi quomodo sint computandi, 334, 2 et seqq. quo anno sint celebratæ nuptiæ in Cana Galilææ, 326, 2.

Ἄνωθεν significat et superne, et iterum, 338, 2.

S. Anselmus oculis corporis vidit, quæ trans murum agebantur, 425, 1.

Anselmus Laudunensis, auctor Glossæ interlinearis, quando floruerit, 292, 1.

Ἀεί Græcum quid significet, 311, 2; 317, 1.

Antichristus habebit dæmonem assessorem, 451, 1. eum Judæi avide accipient, 387, 2.

Antigonus, rex Macedonum, multum promittebat, nihil dabat, 146, 4.

S. Antonii ad suos ultima verba, 534, 2.

Aoratia Judæorum Christum in horto comprehendere volentium, 606, 2.

Apertio, vocatur cæcorum illuminatio, 102, 2.

Apocalypsis S. Joannis est continua prophetia, 579, 1.

Apollinaris docebat corpus Christi esse divinitati consubstantiale, 68, 1. et animam Christi esse ipsam Verbi divinitatem, 306, 1; 308, 1; 475, 2.

Aposiopesis Christi in sua deploratione super Jerusalem, 251, 1.

Apostoli erant piscatores, 105, 1. evangelizantes uno loco repulsam passi, jubentur silentes alium adire, 141, 1. et ire per orbem bini, et quare, 145, 1, 2. cur dicantur pusillus grex, 173, 1. cur timere non debeant ne quid ipsis desit, 2. gaudebant in tribulationibus, easque superabant accensi Dei amore, 181, 2. erant Galilæi, et proinde ignobiles, 321, 2. hinc et insimulati secta Galilæorum, 285, 2. eorum munia, 176, 1. sale doctrinæ et sanctitatis mundum salire debebant, 202, 2. eorum fides aucta est in Pentecoste misso in eos Spiritu Sancto, 259, 1. erunt primores regni Christi, 262, 2. cur instante passione jubeantur sumere sacculum, peram et gladium, 263, 1 et seq. an post resurrectionem tetigerint manus et pedes Christi perforatos, 281, 2. quomodo de ejus resurrectione dubitarint et eam crederent, ibid. eorum frugalitas, 282, 1 cur gauderent Christo in cœlos elevato, 284, 1 et seqq. quomodo semper essent in templo, ibid. 2 quando vocati et creati sint cum prius essent discipuli, 347, 1. sunt velut messores, 366, 2. unde cognoverint Christum esse Filium Dei vivi, 414, 1. fuerunt veri pastores fidelium, 473, 2. metuebant cum Christo in Judæam abire, 485, 2 et seqq. sed ipse eos animat, 486, 1. possidebant bona in communi, 308, 2. fuere a Christo baptizati ante ejus mortem, 337, 1. quo-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

modo non potuerint venire quo ipse abiret, 535, 1. quo-
modo iis electis sedes et mansio Christo præparanda dica-
tur, 540, 1. quomodo in eo Deum Patrem cognoverint,
543, 1. ipsi plures homines converterunt quam Christus,
545, 2. cur eos majora opera facere permiserit quam ipse
fecerit, ibid. et seqq. promittit se eos non relicturum
orphanos, 548, 2 et eos suo discessu mœstos solatur,
552, 1, 2 et seqq. quomodo sint per ejus verbo
purgati, 559, 1. quomodo eos dilexerit, 552, 2 pro
Evangelio vitam impenderunt, ibid. cur se invicem
amare deberent, 565, 1. quomodo non sint, et sint
Christi servi, sed amici, 566, 1. gratis præ aliis homi-
nibus a Christo sunt electi, 567, 1 et seqq. monentur
de eo instantis persecutionis, 568, 2; 573, 1 et seqq.
et odii mundanorum, 569, 1. dicuntur a Gentibus
mactandi ut victima, 574, 1. quomodo diabolum pro-
fligarint, 578, 1. quomodo non omnia a Christo di-
centa tunc potuerint portare, ibid. et seqq. etiam Pro-
phetæ fuerunt, 579, 1. cur eorum dolor, absente Christo,
comparetur dolori parturientis, 583, 1. erant a Deo præ-
destinati, 595, 2 et seq. pro iis solis oravit Christus ante
passionem, 596, 1. post adventum Spiritus Sancti fuere in
gratia confirmati, 597, 1. omnes fuere Martyres, 598, 2.
eorum sanctitas, 599. cur eos Christus a Judæis in horto
tangi noluerit, 607, 1. Christo vivo non intelligebant
Scripturas de ipsius resurrectione loquentes, 625, 1.
ab eo sic sunt missi, sicut ipse a Patre missus est, quo
sensu, 632, 1 et seqq. omnes ab eo sunt creati Episcopi,
et quando, ibid. data iis potestas remittendi peccata,
633, 1, 2 et seqq. in ejus passione fuere hinc inde dis-
persi, 635, 2. post ejus resurrectionem abiere in Gali-
læam, 640, 1. cur piscati ibi sint, ibid. post Pentecosten
amplius non sunt piscati, 2. cur Christum non sint ausi
interrogare quis esset, post eum agnitum in captura
piscium, 644, 2. cur vocet eos Dominus fratres, 263, 2;
629, 2. omnes fuere mortui ante excidium urbis, ex-
cepto Joanne, 651, 2. Apostoli cæteri fuere S. Petro
subjecti, ceu oves, 645, 2 et seqq.
Apostolici viri quomodo in hospitiis se gerant, 154, 1.
subeunt cruces et tormenta, 183, 2. strenue in vinea Do-
mini usque ad mortem laborent, 192, 1. miracula pa-
trantes iis non glorientur, 280, 1. possunt vivere ex
Evangelio, 147, 1. non sint de cibo solliciti, 365, 1. cibus
eorum est conversio animarum, ibid., 2. eos recipiens
et bene habens, Christum recipit, et in eo Deum Pa-
trem, 529, 1. — Vide Apostoli.
quæ etymon, 356, 2. variæ ejus proprietates et effectus,
ibid. ejus et gratiæ analogiæ, 356, 2; 358, 1. est ma-
teria baptismi, 339, 2. cur admisceatur vino in Missa,
621, 2. quomodo per tubos e fonte ascendat, 357, 1, 2.
aquæ in vinum mutatæ miraculum quotannis reno-
vatum ait Epiphanius, 326, 2. hæc mutatio an fue-
rit primum Christi miraculum, 332, 1. quæ ejus causa
litteralis, symbolica, allegorica, ibid. et tropologica, 2.
cur aqua tempore Paschali ex arido fonte lapideo in
nonnullis locis Occidentis prorumpat, 327, 1. quando
aqua piscinæ ab angelo moveretur, 373, 1. an ea haberet
vim sanandi, ibid. aquæ Jordanis et Siloe quam sint
salutares, ex quo Christus eas tetigit, 461, 2. quæ dican-
tur aquæ vivæ, quæ mortuæ, 357, 1 et seqq.; 373, 2
aqua viva spiritualis quintuplex est, 437, 1. aqua et san-
guis quomodo e Christi latere, et qua parte effluxerint,
620, 2 et seqq. et quidem simul, et non naturaliter, 621, 1.
Ara-Cœli quis Romæ locus sit, 54, 1.
Arbitrium (liberum) habet aliquam partem in opere bono, 233, 1 ipsum contra Calvinum in gratia admittenda, vel repudianda adstruitur, 305, 1, 2; 397, 1, 2; 560, 2 et seqq. ejus cooperatio est a gratia Dei, 560, 2. id non amittitur peccando, 561, 1.
Arbor in Ægypto juxta Hermopolim salubris describitur, 275, 1.
Archangelus mortuos omnes in fine mundi suscitaturus, voce magna inclamabit, 400, 1.
Ἀρχὴ tam principium quam principatum significat, 443, 1.
Archelaus quamdiu regnarit: cur ab illo sibi Christo metueret, 55, 2. cur ab Augusto tetrarchia sua dejectus et in exilium pulsus sit, et quando, 55, 2; 10, 2.
Archisynagogus invidia ductus, factum Christi in sabbato mulierem sanantis carpit, 183, 2.
Architriclini quod esset officium in conviviis, 331, 2. quomodo probarit vinum a Christo ex aqua conversum, 2.
Ariani negabant Verbum, id est Dei Filium, esse Deum, 228, 1, 2. cum docebant Patre esse minorem, 553, 1 et seq.; 558, 1. et ab eo in substantia differre, 580, 2; 593, 1.
Arundo Christo in manus tradita quid significet, 612, 2.
As, vel assarion, erat nummus æreus, decima denarii pars, 168, 1.
Ascensus Christi in cœlum ostendebat eum e cœlo descendisse, 410, 2 et seqq. hic fuit causa dandi Spiritus Sancti, 427, 2.
Aser tribus quieta, robusta, dives annona erat, 79, 2.
Aspectus Christi est efficax et operosus, 248, 1.
Assumptio cur vocetur Christi ascensio, 140, 2.
S. Athanasii Alexandrini Episcopi elogium, 383, 2.
Athletæ cur lumbos præcingant, 174, 2.
Atrium templi duplex erat, 9, 2. unum interius pro sacerdotibus, alterum extimum pro laicis, 477, 2. utrumque habebat circumquaque porticus superne tectas, ibid.
Attributa in Deo in re idem sunt cum essentia ejus divina, 382, 2.
Attritio et contritio qui differant, 138, 2.
Auctaria habebant miracula Christi, 375, 2.
Audire et videre in divinis est idem, 282, 1.
Auditores jure naturali et divino tenentur alere suos doctores, 147, 1.
Auditus pro prædicatione sumitur interdum, 515, 2.
S. Augustinus solus cum feminis agere nolebat, 145, 2. 629, 1. CXXIV tractatus in Joannem scripsit, 291, 2; sæpe sensu litterali leviter insinuato, inhæret mystico et spiritali, 401, 2.
S. Augustinus alius a S. Gregorio missus, Angliam convertit, 169, 1, 2.
Augustini Marlorati Catena in Joannem consarcinata est ex interpretibus hæreticis, 292, 2.
Augustus orbem pene totum sub suo habuit imperio, 41, 2 cur eum describi edixerit, 54, 1. unde dictus sit Augustus, ibid. an B. Virginem in Capitolio viderit, 2. Judææ tetrarchiam adjecit ad Syriæ præsidis provinciam, 90, 1.
Aurelianus Imp. quæ monita dederit vicario suo, 93, 1.
Aureus Romanus continet decem julios, 69, 1.
Auxiliatur Deus, rebus jam maxime afflictis, 459, 2.
Avaritia cavenda ut causa omnis mali, 169, 2.
Avarus quo plus habet, eo plus torquetur, 169, 2. est hydropicus, 194, 1.
Ave quid sit, et unde formetur, 16, 1 et seqq. erat olim matutina salutatio, 16, 1.
Azymo (in) consecravit Christus, non in fermentato, ut docent et faciunt Græci, 521, 1. dies Azymorum quando inciperet, ibid.

## B.

Bajuli ut fortes sint ad onera portanda lumbos præcingunt, 174, 2.
Baptismus cur dicatur illuminatio, 461, 1. eo Christus non eguit ut peccata expiaret, 318, 1. in eo spiritualiter renascimur, 339, 1. ejus materia est aqua, 2. ejus votum in defectu baptizantis vel aquæ sufficit, 340, 1. quando eum Christus instituerit, ibid. non obligavit nisi post mortem ejus in Pentecoste, ibid. ante eam tamen vim habebat expiandi peccata, 347, 1, 2. ejus forma quæ fuerit, 347, 2. jam omnes obligat, et est ad salutem necessarius, non tamen parvuli eo obligantur, 403, 2. ab hæretico collatus, est validus, 461, 2. non debet ei præmitti pedum ablutio, 524, 2 et seqq. est duplex, aquæ et sanguinis, 621, 2. baptismus Joannis disponebat ad baptismum Christi, 316, 2. cur Christus mortem suam vocet baptismum, 183, 1.
Baptizati soli capaces sunt Eucharistiæ, 527, 1.
Barchocabas impostor seduxit Judæos sub Imper. Adriano, 387, 2.
S. Bartholomæus idem videtur fuisse cum Nathanaele, 322, 1.
Basilica S. Petri Romæ quotidie renovatur et expolitur, 335, 2.
S. Basilius Athenis non noverat nisi duas plateas, unam ad templum, alteram ad scholam ducentem, 82, 2. ei cœlum patria erat, 105, 1. ejus vox erat tonitru, quia vita fulgur, 384, 1; 399, 1.
Batus quæ esset mensura, 216, 1; 330, 2.
Beatitudinem in quo Gentiles philosophi ponerent, 540, 2. beatitudo æterna pacis nomine denotatur, 50, 2. apte vocatur cœna, 197, 2. et quidem cœna magna, ibid. cur S. Lucas quatuor tantum beatitudines evangelicas ponat, Matthæus octo, 113, 1.
Beati fruentes Deo ejusque opibus, sunt divites Deo, 170, 2. semper vident damnatos in tormentis, 223, 2. tamen eos juvare nec possunt, nec volunt, 225, 1. similes sunt angelis, quia non nubunt nec generant, 256, 1. sunt filii Dei, ibid. quomodo sint filii resurrectionis, 2. sunt impeccabiles, 451, 1; 554, 2. possunt se subito reddere invisibiles, 456, 2. mutant se et sua corpora prout volunt, et prout necessitas exigit eorum quibus apparent, 637, 1. in Deum non transformabuntur, 595, 1. iis omnia bona et gaudia sunt communia, 213, 2. — Vide Sancti.
Beda (Ven.) Augustinum passim, et subinde ad verbum, consectatur, 292, 1.
Begardi docebant perfectos non obligari ad bona opera, 559, 1.
Belgæ osculo excipiunt hospites, 127, 2.
Benedicens Christus signum crucis formabat super eos quibus benedicebat, 284, 1.
Benedicta est B. Virgo in mulieribus, 18, 1.
Benedictio panis a Domino in Emmaus facta, fuit consecratio Eucharistiæ, 278, 2.
S. Benedicti in cœlum euntis via, 542, 2.
Beneficia ad ecclesiastica variis portis acceditur, 469, 1.
S. Bernardus dum de Verbo incarnato agit, totus melleus est, 59, 2. quid post mortem apparens dixerit, 542, 2.
Bethabaræ et Bethaniæ etymon: videtur unus et idem fuisse locus, vel vicinus unus alteri; alia est Bethania Marthæ et Lazari, 317, 1. cur in Bethabara Joannes baptizaret, ibid. et ibi multi crederent in Christum, 481, 2 et seqq.
Bethaniæ significata et etymo, 484, 1. erat Marthæ et Mariæ habitatio, ibid. quantum distaret a Jerusalem, 288, 2; 488, 2. cur illuc venerit Jesus paulo ante mortem, 503, 1 et seqq.
Bethleem, terra Judæ, quantum distaret a Nazareth et Jerusalem, 56, 2 et seqq. in ea nascitur Christus, ibid. 322, 2; 426, 1. unum tantum habebat diversorium, 62, 1.
Bethsaida urbs erat juxta mare Galilææ, vicina Capharnao: erat patria trium Apostolorum, 321, 1, 2. nominis ejus etymon, ibid. Bethsaida item dicta est piscina Probatica, vel Bethesda, vel Bethchesda, et singulorum etyma et significationes, 372, 1, 2.
Bini cur Apostoli per orbem ire jubeantur, 145, 1, 2 et seq. binarius numerus sæpe invenitur in factis Apostolorum, ibid. binarii figuræ, 146, 1.
Bissexti anni sunt omnes centesimi, 55, 1.
Blasphemi lapidibus obrui solent, vel in saxa præcipitari, 106, 2; 456, 1.



Boccale continet IV libras et IV uncias, 330, 2.
Bonum infinitum est Deus, 543, 1. bonum in nullo prohibendum, a quocumque fiat, 140, 1. bonis præsentibus et futuris frui, est perdifficile, 114, 1. bona in communi habere non derogat perfectioni religiosæ, 536, 1 et seqq.
Bonus, olim proprium epithetum erat regis, 252, 2.
Bos et asinus ad præsepe Domini fuere, 60, 1.
Botta Romana continet CCLVI boccales, 330, 2.
Brachium est symbolum potentiæ et roboris, 10, 2. cur brachium Domini vocetur Christus, 515, 2.
Brassica siti est inimica, 557, 1.
Buccella Judæ data an fuerit Eucharistia, et an post eam acceptam statim egressus sit, 530, 1; 532, 2.
Burgundiones dicti a burgis, id est turribus et arcibus, in quibus degebant, 200, 2.

## C.

Cachinni illiciti sunt, 114, 2.
Cadavera suspensorum ante solis occasum de cruce deponi debebant,
Cadus quæ esset mensura, 216, 1.
S. Cæcilia omnia mundi blandimenta Christi amore contempsit, 176, 1. sua oratione multa promeruit, 238, 2. gaudia futuræ vitæ præposuit præsentibus, 582, 1.
Cæcitas a nativitate ægre curatur, secus accidentaria, 457, 2.
Cæci cur dicantur vincti, seu clausi, 102, 2.
Cæcus natus et a Christo curatus, quomodo vocatus sit, 457, 2. cur ei cæcitas immissa, 458, est illuminatus per sputum, 459, 2. cur ad fontem Siloe missus sit, 460, 2. in eo ablutus vidit, 461 ejus fides et obedientia, 462, 2. unde sciverit nomen Christi esse Jesum, 462, 2. cur ad Pharisæos sit adductus, ibid. ejus parentes etiam examinantur, 463, 1. quam caute ipse respondeat Pharisæis, 2. ejus constantia in tuendo suo curatore, 464, 1. ejicitur domo et synagoga a Pharisæis, 463, 2. sed benigne suscipitur a Christo, et in mente illuminatur, 465, 1; 458, 2; 465, 1. ejus vita et mors, 465, 2.
Cœlestis gloria est epulum beatorum, 644, 2.
Cœlum stellarum quantum distet a terra, 174, 1; 226, 1. quomodo id aperiri dicatur, 263, 2; 324, 1, 2. cœlum fuit per Christi mortem reseratum, 622, 2. id pro patria fideles habeant, 105, 1. in eo est unio et concordia, 157, 2. per labores et humilitatem comparandum est, 262, 2. in id latro bonus non est admissus, sed in sinum Abrahæ, 271, 1. cœlum terræ Christus in cruce pendens, reconciliavit, 513, 2.
Cæremoniæ ecclesiasticæ in administratione Sacramentorum stabiliuntur, 362, 1. non sunt res otiosæ, 633, 2.
Cæremonialia præcepta cur vocentur justificationes, 8, 2.
Cainan an sit Christi genealogiæ inserendus, nec ne; inserendum censet jam auctor, etsi alias negarit, 95, 2 et seqq.
Caiphas quod habeat etymon, 499, 1. ejus impium de Christo necando judicium, quo deum mori expediret, ne tota gens pereat, 2 et seqq. an in eo fuerit Propheta, 500, 1. non erravit in eo contra fidem, sed contra justitiam et pietatem, ibid. 2. ejus domum Judas non videtur ingressus, 608, 1. fuit pontifex toto triennio gubernationis Pilati, ibid.
Caius Cæsar quo die natus sit, et imperii hæres ab Augusto institutus, et obierit, 53, 2 et seqq.
Calceamenta quid mystice denotent in parabola prodigi, 211, 1.
Calix laicis dari non debet, 404, 1. nec iis præceptus est, 2.
Calvinistæ falsum Deum adorant, quo sensu, 361, 1. dicunt Eucharistiam esse panem mysticum, non verum corpus Christi, 401, 1 et seqq.; 411, 1 et seqq.
Calvinus Damaram ait incredulam fuisse ad verba angeli,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

21, 1. et saltum Joannis in utero fuisse naturalem, 29, 1. negat Christum ex oculis discipulorum evanuisse, 279, 1. est in S. Philippum injurius, 322, 2. baptismo adimit vim justificandi, et simul ejus necessitatem, 330, 1. Christi exaltationem per crucem interpretatur ejus Evangelii prædicationem, 344, 2. adimit homini liberum arbitrium, 445, 2. — *Vide* Arbitrium. errat, docens aquam pericardio contineri, cum eo contineatur humor biliosus, 621, 1. negat Christum ad Apostolos januis clausis ingressum esse, 630, 1. et potestatem absolvendi a peccatis datam Apostolis, 633, 2.

P. Camillus Constantius Societ. Jesu tres horas in igne mansit immotus, ad cum ab infidelibus in Japonia damnatus, 182, 1.

Cana civitas Galilææ duplex erat, una in superiore, altera in inferiore, 327, 2. Cana quantum a Capharnao distaret, 368, 1 et seqq.

Candelæ ceræ accensæ in die Purificationis quid innuant, 74, 1, 2. dantur fidelibus morientibus in manus, cur, 175, 2.

Canes Lazari ulcera lingentes, sponte veniebant quasi ad spirans cadaver, 221, 1.

Canones Evangelio S. Joannis lucem afferentes, 289, 1 et seqq.

Canticum *Magnificat* exponitur, 32, 2 et seqq. respondet id cantico Annæ, matris Samuelis, 34, 2. canticum Zachariæ exponitur, 45, 1 et seqq. canticum Simeonis exponitur, 73, 2 et seqq. cur id quotidie sub vesperum Ecclesia canat, 74, 1.

Capharnaitæ putabant Christum agentem de Eucharistia dante vitam, loqui de pane corporali et carne cruda, 395, 1; 397, 2 et seqq.; 402, 2; 410, 1 et seqq.

Capilli sunt excrementa naturæ, simul ornamenta: ergo cum iis resurgemus, 258, 1. capillos suos Magdalena dedicat pœnitentiæ et Christo, 123, 2; 505, 1.

Caprificus alia est arbor a sycomoro, 247, 1.

Carlomanni, Austrasiæ et Sueviæ regis, monachi Cassinatis, humilitas, 203, 2.

Carnales porcorum more viventes in gehennam descendent, 135, 2.

Carnis humanæ vilitas, 307, 2. carnis edendæ usus non erat ante diluvium, 64', 2. caro accipitur in Scriptura subinde pro femina, 306, 1. et pro carnali sensu, 412, 1. et pro toto homine, 306, 2. caro Christi sacramentaliter in Eucharistia manducatur, 402, 1; 399, 1. et quidem eadem quæ in cruce oblata est, 409, 2 et seqq. ejus usum ut crudum abhorrebant Capharnaitæ, 395, 1; 397, 2 et seqq. *caro non prodest quidquam*, quid sit, 411, 1 et seqq.

S. Carolus Borromæus vitam suam pro ovibus tempore pestis exposuit, 478, 2. ejus humilitas, 529, 1, 2. cum femina etiam consanguinea non egit, nisi adement teste, 145, 2; 630, 1.

Carpere volens aliena, prius judicet sua, 334, 1.

Casti Deo assimilantur, 652, 1, 2.

Castigatio nonnullorum cæteris esse debet exemplo, 186, 1 et seqq.

Casus fortuitos Deus permittit ad emendationem aliorum, 186, 2.

S. Catharina Senensis spineam coronam elegit præ gemmea, 114, 1 et seqq.; 225 2. sola Eucharistia diu vixit, 398, 2. ob levem in oratione distractionem a Christo fuit reprehensa, 559, 1.

L. Catilina conjurationem sanxit haustu sanguinis, 413 1.

Cautio idem est quod syngrapha obligatoria, qua creditori cavetur de damno, 216, 1.

Cedron est vox Hebræa, non Græca, dicta ab obscuritate, 608, 1.

Centenarius numerus quid mystice innuat, 643, 2.

Centrum amoris est Deus, 586, 2.

Centurio, cujus servus infirmabatur Capharnai, alius fuit a regulo, 368, 1. ex hujus filio a Christo sanato tantam ille in eum fidem concepit, 369, 1. an prælerit ut Christus in domum suam veniret, 118, 1.

*Cephas* idem est quod petra, 321, 1.

Ceratium idem est cum siliqua Græca, 208, 1.

Chaos quid sit, et quale inter infernum et cœlos sit interjectum, 220, 1.

Charitas est amicitia inter Deum et homines, 686, 2. nos unit Deo, et per eam cum ipso unum sumus, 686, 1. est Pastori et Prælato summe necessaria, 473, 1. charitas etiam ad inimicos se extendit, 567, 2. charitas B. Virginis ardentissima fuit, ideoque meruit maternitatem de congruo, 20, 1; 21, 2.

Christiani dant infantibus nomina patrum vel cognatorum illustrium, 44 1. Deo serviant amore filiali, 47, 2. qualiter vivere debeant, 48, 1. quomodo affectum erga parentes et animam propriam relinquere debeant, 200, 1. vitæ sanctitate infidelibus sint exemplo, 202, 9. eorum vita debet esse expectatio Christi, 176, 2. sunt hic velut peregrini, 308, 2. adorant Deum in spiritu et veritate, 361, 2 et seqq. quare se invicem diligere debeant, 535, 2 et seq. masculo sint animo in patiendis adversis, 582, 2. quam sancti esse debeant, 599, 1. quam inter se uniti, 609, 1, 2. Christiani primi omnia sua vendebant, et pretium redactum ad Apostolorum pedes ponebant, 172, 2 et seqq. quia bona habebant in communi, 566, 1. vitæ suæ prodigi, veram et æternam expectabant in cœlis, 176, 1. quare a Gentilibus persecutione promerentur, 574, 1 et seqq. in sepeliendis mortuis effusas faciebant impensas, 622, 2. Christiani Romani primi in assidua vivebant persecutione, 261, 2. — *Vide* Credentes, Fideles.

Christianismus est opus arduum, et magna Dei gratia ad eum opus est, 201, 2. est professio sanctitatis Christi, 40, 1. et imitatio divinæ naturæ, 48, 1.

Christus idem est quod Messias, id est unctus, 64, 2; 326, 2.

*Christi Jesu incarnatio, conceptio, nativitas, infantia.*

Christus est incarnatus XXV Martii, eo die et crucifixus est, et mundus creatus, 16, 2. ejus genealogiæ conciliatio, 94, 2 et seqq. a patria dictus est Nazarenus, 13, 1; 548, 1. veram e B. Virgine carnem assumpsit, 20, 1. quia conceptus ex Spiritu Sancto, non habuit peccatum originale, 22, 2. cur ex ea sit conceptus, et de virgine natus, *ibid.* et seqq. quo temporis puncto sit conceptus, 26, 1. incarnatus statim voluit inchoare officium Salvatoris, 27, 2. ipse natus potentes omnes de sede deposuit, 41, 2. tunc venit in mundum cum res Israelis essent deploratæ, 42, 1. duplici titulo fuit filius David, et regni ejus hæres, 96, 1. descendit tam a pontificibus quam a regibus, 97, 2. ejus stemma fuit illustre, 99, 2. id deducitur usque ad Deum, *ibid.* ejus incarnatio fuit patribus a Deo promissa, 42, 1; 46, 2. ob tres causas fuit incarnatus, 47, 1. natus est cum bellis omnibus sopitis pax toto orbe esset, 54, 1. quo anno Augusti sit natus, 54, 2 et seqq.; 94, 1. descriptus et census Bethlehem ostendebat se esse Messiam ex tribu Juda et stirpe David ortum, 56, 1. cur census sit post circumcisionem, 1. natus est post solstitium hiemale XXV Decemb., cum crescere dies incipiunt, 57, 1; 63, 1. et quæ circa eum dicta fiunt, ei adaptantur, *ibid.* mox ut natus, ab angelis in brachia matris deponitur, vel sponte sua in ea venit, 58, 1. quare natus vagiit et lacrymatus est, 58, 2 lacrymas illas ac seipsum Deo pro nobis in holocaustum obtulit, *ibid.* quod fieri voluit homo, variæ dantur causæ, 59, 1, 2. ipse Sanctos permovit ut se incarnatum jugiter contemplarentur, 59, 2. cur fasciis sit involutus, causa tropologica, 60, 1. natus est in spelunca, *ibid.* ponitur in præsepio, varias ob causas, 60, 2. ejus concio e præsepio, 61, 2. quomodo se abscondens, a Deo sit manifestatus, 62, 2. cur natus sit post mediam noctem, 63, 1 eum inviserunt pastores, 64, 1, 2. cur sit circumcisus, 68, 1 et seqq. natus matris matricem non aperuit, ideo non obligabatur ut ex lege Domino sisteretur, 70, 2. ejus vita fuit prodigiosa, 75, 1, 2. recens natus tribus tripliciter apparet, 80, 2. interna sapientia ab origine sua plenus fuit, 81, 1. et ipsam etiam exterius prodebat cum ætate, nihil ostendens puerile, sed omnem modestiam et prudentiam, *ibid.* a Deo Patre in omnibus actibus dirigebatur, 81, 2. quoto ætatis anno templum adierit, *ibid.* quomodo se clam parentibus subduxerit, templum repetiturus, *ibid.* unde toto orbe triduo cibum acceperit, 82, 2. interrogavit doctores de Messiæ adventu, et quorsum, *ibid.* cur eos ipse interrogaret, 82, 2. omnes in stuporem rapiebat, 83. an parentes de ipso sollicitos reprehenderit, 83, 2. ejus erga eos obedientia, 84, 2. erat tamen exemptus ab omni obedientia, *ibid.* exercuit cum Josepho ad tempus artem fabrilem, 85, 2. quæ in adolescentia et juventute egerit incognita sunt, ipse interim privatus et incognitus vixit, *ibid.* an sapientia et gratia profecerit, 86, 2. erat a primo instanti conceptionis plenus utraque, *ibid.* quo sensu in utraque profecerit, *ibid.* et seqq. ejus gratiæ et nostræ quadruplex discrimen, 87, 2 et seqq.

*Ejus prædicatio, gesta, miracula, dicta, doctrina, itinera et disputationes cum Pharisæis.*

Christus quo anno cœperit doctoris officium exercere, 89, 1; 91, 1; 94 1. a Spiritu Sancto impulsus rediit in Galilæam, 101, 2 et seqq. se Messiam esse probavit, 103, 2; 106, 1. loquebatur lingua angelica, aut potius divina, 104, 1. cur se compararet Eliæ, 106, 1. quomodo manus Nazarenorum evaserit, 105, 2 et seqq. cur egerit ante electionem Apostolorum, 112, 2 et seqq. mortuos suscitat imperando, quasi dominus mortis, 119, 1. cur ad convivium Simonis Leprosi iverit, 122, 1. incedebat nudis superne pedibus, 122, 1. quam comiter Simonem Leprosum compellarit, 125, 1, 2 et seqq. quos sanabat, perfecte sanabat, 129, 2. adoratur a dæmoniaco, cur, 134, 1. cur permiserit dæmones ingredi in porcos, 135, 2. ejus gesta et prædicatio in Judæa, 130, 2. compescit discipulos vindictam spirantes, 141, 2. cur LXXII discipulos elegerit, et Apostolos apud se retinuerit, 145, 1. mulierem incurvatam per XVIII annos manu imposita sanitati restituit, 189, 1. peccatorum colloquia et mensas captabat, 202, 1. cur leprosos ad sacerdotes miserit, 238, 2. prædicit Apostolos suam præsentiam desideraturos in afflictionibus et persecutionibus, 235, 2 et seqq. nullus locus, nullum iter, nullum temporis momentum ei fuit otiosum, 246, 1. Zachæo se videndum et fruendum exhibuit, 248, 1. ejus aspectus est operosus et efficax, *ibid.* cur cum solis Judæis ageret, 248, 2. quid Zachæo ejusque domesticis proponeret, *ibid.* cur videns Jerusalem fleverit super illam, 253, 1. vehemens ejus tunc pathos, 2. diem dabat prædicationi, noctem orationi, 259, 2; 264, 2. pro Petro orans duo ei privilegia impetravit, 265, 1. quomodo non sit agnitus a discipulis euntibus in Emmaus, 275, 2. et qua de causa alia in forma iis appareat, 276, 1. quomodo se eorum sermoni insinuet, 2. eorum ruditatem et tarditatem credendi castigat, 277, 2. quomodo finxerit se longius ire, 278, 1. consecravit Eucharistiam apud eos, 2. ex oculis eorum evanuit subito, 279, 1 et seqq. quomodo habuerit corpus subtile simul et palpabile, 280, 2. cur ostenderit manus et pedes suos perforatos, 281, 1, 2. cur cibum petierit, 282, 1. vere manducavit, non tamen fuit cibo nutritus, 2. cur Apostolis dederit reliquias cibi, 282, 2. an bis iis dixerit esse jam perfecta quæ de ipso prædixerant Prophetæ, *ibid.* cur illis sensum aperuerit ad intelligendum Scripturas, 283, 1. promittit suis Spiritum Sanctum, 2. ascendens in cœlum, iis benedicit, 285, 2 et seqq. ejus baptismus et gesta post baptismum, 317, 1. baptizatus est non ut a peccato ablueretur, 318, 1. quomodo discipulos ad sui sequelam invitarit, 319, 2. zelus ejus in discipulis instruendis, 320, 1. novit Nathanaelem utpote cordis inspector, 323, 1, 2. cur ierit ad nuptias in Cana, 328, 2 et seqq. an matrem ibi reprehenderit, eam alloquens, 329, 1. ejus tamen voluntati morem gessit, 2. aquam mutat in vinum, 330, 2. quomodo in eo se gesserit, 332, 1. an id primum ejus fuerit miraculum, *ibid.* cur aquam in vinum converterit, 332, 1. venit cum matre et suis Capharnaum: cur in Nazareth prædicationis sedem non constituerit, 333, 1. bis Capharnaum descendit, *ibid.* vendentes e templo ejicit, 333, 2. cur Judæis non se fideret, etsi habentibus ipsum pro Messia, 336, 1. cordis intima Judæorum noverat, *ibid.* quid Nicodemo proposuerit, 342, 2. cur ierit Hierosolymis in reliquam Judæam, 346, 2. cur per discipulos baptizaret, 347, 1. remisit peccata tam per baptismum, quam sua voce, 2. eadem forma baptizavit, qua nos, *ibid.* matrem et D. Petrum baptizavit, *ibid.* prudenter ob odium Pharisæorum e Judæa iterum in Galilæam secessit, 354, 1 et seqq.; 369, 2. per discipulos baptizabat, et ipse prædicationi instabat, 354, 1. ejus defatigatio ex discursu, 355, 1 et seqq. quomodo Samaritanam converterit, 355, 2 et seqq. quam commodam cum ea agendi occasionem captarit, *ibid.* cur eam virum suum vocare jusserit, 359, 2. gratiose eam corripit, 360, 1. cur reguli in Capharnao fidem arguerit, 368, 2. ejus filium curat absens, *ibid.* et seqq. miracula duo in Cana fecit, 369, 2. ubi ejus gesta primi anni prædicationis finiantur, 371, 2. cur roget paralyticum an velit sanus fieri, 374, 1, 2. cur in miraculis suis semper quiddam addat ex quo eorum veritas et magnitudo perspiciatur, *ibid.* cur paralytico sanato declinarit de turba, 375, 1. cur ejus miracula essent eximia et diversa ab aliorum, 384, 2. an navi appulerit Genesareth vel Capharnaum, 391, 1. et hæc fuit ibi in momento, *ibid.* ambulat supra mare, 321, 2. docet se esse Moyse majorem, 394, 2. primo faciliora, dein difficiliora rudibus proponebat, 402, 1. in synagoga Capharnaensi egit de Sacramento Eucharistico, 419, 1. ex ascensu suo in cœlos futuro suam probat divinitatem, 2. cur quærat a Apostolis, num et ipsi eum vellent deserere, 413, 1. obibat omnia loca Galilææ, 417, 1. cur tertio anno prædicationis Hierosolymam, nec in Paschate, nec in Pentecoste adierit, *ibid.* cur ei fratres dixerint ut in Judæam transiret, 2 et seqq. cur clanculo Jerusalem iverit, 418, 1, 2. varia populi de eo opinio, 419, 2. an initio festi venerit Jerusalem, sed latuerit, et templum non adierit nisi die quarto festi, *ibid.* et seqq. convicium a Pharisæis illatum patienter dissimulavit, 421, 2; 432, 2. ipsius in respondendo iis magnanimitas, 425, 1. comprehensores suos majestate vultus sui terruit, 428, 1, 2. quam efficax ejus fuerit sermo, *ibid.* hortum in monte Oliveti quasi nocturnum hospitium et oratorium elegit sibi semestri ante mortem, 432, 1. cur digito scriberet in terra, 432, 2. et quid, 433, 1. adulteram absolvit et monet emendationis, 434, 2 et seqq. ejus benignitas erga peccantes, *ibid.* cur apud Pharisæos loqueretur obscure, 437, 1; 444, 1. eorum contumeliis nihili facit, 437, 2. provocat eos in testes suæ innocentiæ, 451, 1. vocatur ab iis Samaritanus, 452, 1. et dæmoniacus, 2. et seqq. reddidit se visibilem, 453, 1; 456, 2; 481, 2. cur sputo adhibito cæcum natum curarit, 459, 2. patrato miraculo inde se subduxit, 462, 2. eum etiam in mente illuminavit ultro quæsitum, 465, 1, 2. quomodo animam posuerit ut iterum sumeret eam, 475, 1 et seqq. quid dixerit Pharisæis petentibus ab ipso ut clare diceret, num ipse esset Messias, 478, 1, 2; 479, 2. lapidibus ab eis impetitur, 456, 1; 479, 2. cur



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

verit in Bethabaram, 481, 2; 483, 2. diligebat Martham et Mariam, 485, 1. serio cogitabat de Lazaro sanando, 485, 2; 486, 2 et seqq. cur iterum in Judæam se redire velle dixerit, 485, 2. mortem Lazari suis significavit, 486 2. quoto die ad eum suscitandum abierit, 488, 1. ejus fremitus et turbatio sui ipsius in ejus suscitatione, 492, 1. cur lacrymatus sit, 493, 2. ter lacrymatus legitur, 494, 1. cur lapidem a sepulcro Lazari amoveri jusserit, 494, 2. ejus desiderium Lazari suscitandi Deus audiit, 495, 2. eum suscitat clamans magna voce, ibid. et seq. declinavit periculum vitæ, quia nondum venerat hora ejus, 500, 2. cur instante morte prius venerit Bethaniam, 503, 1. cur Judas eorum elegerit, 503, 1. venit e Bethania Jerusalem, 507, 2. quomodo Pharisæis significet se brevi moriturum, 514, 2. abscondit se ab eis, 515, 1. cur laverit pedes discipulorum, 521, 2; 323, 1, 2; 527, 1. et cur primo Petri, 525, 1. turbatus est spiritu ob proditionem Judæ, 529, 2 et seqq. illo ad eam perficiendam egresso dicit se clarificatum, 533, 2. suis ultimum dicit vale, 534, 2. dicit eos non posse venire quo ipse vadit, 535, 1. prædicit Petro trinam negationem, 537, 2. solatur et corroborat suos turbatos, 538, 1, 2. dicit se abiturum in cœlos, 549, 1 et seqq. promittit se eos non relicturum orphanos, 548, 2. resurrectionem suam iis addidit, ibid.; 552, 2; 581, 1, 2 et seqq. abiens e mundo, multa iis revelavit, 566, 2. ejus in illos amor, 567, 1, 2. eos contra instantem persecutionem præmunit, 568, 2; 581, 2. promittit ipsis Spiritum Sanctum, 576, 1, 2. et brevi tempore ab iis se abfore, 580, 1. et si quid in nomine suo peterent, eos a Patre impetraturos, 584, 2 et seqq. 586, 2. apparet Magdalenæ specie hortulani, 626, 1 et seqq. cur ab eo tunc tangi nolit, 628, 1 et seqq. suis pacem apprecatur, et quidem iterato, 631, 1. apparet discipulis Thoma præsente, idque summa dignatione hujus, 636, 2. apparet suis ad mare Tiberiadis, 640, 1. et quomodo, 641, 1. parat discipulis in littore prandium, 643, 1. manducavit cum iis, et cur, 644, 2; 2. cur Petrum ter de amore interroget, ibid. 646, 2 et seqq. dicit ei ut se præeuntem sequatur, 649, 1.

*Ejus passio, mors, vulnera.*

Passionem Christus inchoavit a circumcisione, 68, 1. in cruce ostendit excessum omnium virtutum, 140, 1. mortem non exhorruit, sed generose ad illam properavit, 2; 101, 2 et seqq.; 252, 2; 605, 1. eam vocat baptismum, 183, 1. quomodo salutem nostram operari expetierit, ibid. mortem vocat consummationem, 191, 2. agoniam et horrorem vicit orando intensius et extensius, 265, 1. vere sanguinem in ea sudavit, et unde hoc factum, ibid., 2. a latrone malo passus est improperium in cruce, 268, 1. quomodo in manus Patris animam tradat, 271, 2 et seqq. et mox expiravit, 272, 2. prænovit diu ante proditionem Judæ, 412, 2; 414, 2. eum tamen nominare noluit, ibid. nonnisi certo tempore et die mori voluit, 424, 1, 2; 430, 2. ipsius obedientia in morte oppetenda, 25, 2; 475, 2 et seqq. poterat non pati et mori, 476, 1. expediebat eum mori pro mundi salute, 499, 2 et seqq. per mortem erat clarificandus, 508, 2; 510, 2. naturalem ejus horrorem habuit, 510, 1, 2. cur eam voluerit accelerari, 512, 1; 532, 2. ea erat a proditione Judæ inchoanda, 528, 1. prædicit suam mortem et Judæ proditionem, 2; 529, 2. quomodo dixerit ei, *Quod facis, fac citius*, 532, 1, 2. an poterat mandatum moriendi a Patre acceptum non implere, 534, 2. an in via versus hortum habuerit partem sermonis ad Apostolos habiti, 554, 2 et seqq. mortuus est pro inimicis suis, 565, 2. ejus ad passionem abeuntis cygnea oratio, 590, 2 et seqq. quam gloriam ante eam a Patre petat, ibid. et seqq. passus est pro omnibus, 6, 1. per torrentem Cedron ductus fuit, an in eumdem præcipitatus, 605, 2. ultro Judæis obviam processit, 606, 2. prosternit eos in terram, 607, 1. cur Apostolos ab iis tangi noluerit, ibid. cur ligari voluerit, 607, 1. cur percussus alteram maxillam non dederit, 608, 2. cur dixerit Pilato se natum ad veritatem testandam, 609, 2. matrem Joanni commendat, et hunc illi, 616, 2. ejus sitis, 618, 2. ei mortuo latus apertum, et ea apertione nobis multum meruit, 620, 2. cur servarit post mortem vulnerum suorum cicatrices, 631, 1 et seqq. idque non sine miraculo, ibid.

*Ejus dignitas, virtutes, officia, gloria, divinitas, judiciaria potestas, et alia.*

Christus magnus est, qua homo et qua Deus, 20, 2. regnum ejus est Ecclesia, ibid. fuit sanctus sanctitate perfecta et connaturali, 24, 2; 30, 1. est benedictus præ omnibus creaturis, 31, 1. duæ sunt in eo naturæ, divina et humana, at una persona, 2. fuit salvator B. Virginis peculiariter, quo sensu, 35, 2. est brachium Dei, 40, 2; 515, 2. qui per eum peculiariter afflictis populi sui rebus succurrit, 42, 1. est cornu salutis, 46, 1, 2. ejus nomen proprium est Oriens, 48, 2 et seq. est germen cœleste et terrestre, ibid. proprietates solis et germinis ei optime attribuuntur, ibid. est arbor vitæ, 49, 2. item sol et lux mundi, 50, 1. 74, 2; 308, 2 et seq. 383, 2; 435, 2; 515, 1; 517, 2. fuit civis Romanus, 56, 2. descriptus ostendebat se venisse ut nos a servitute diaboli liberaret, ibid. illius erga genus humanum amor, 58, 2; 83, 1; 536, 1; 565, 1 et seqq. hic debet nobis esse stimulus ad nos invicem amandos, 536, 1 et seqq. ipse se depressit, ut nos eveheret ad cœlum, 59, 2. est amor et stupor angelorum, 61, 1. tres habet nativitates, 62, 2. consolatur desolatos et derelictos, 64, 1; 72, 1. est pax nostra, 65, 2. ubique humilitatem cum majestate copulavit, 66, 2. propositus est omnibus in salutem, 74, 2. fuit Israelis gloria, 75, 1 et seqq. est positus in Ecclesia ceu lapis fundamentalis, cui omnes credentes inædificantur, 2. quomodo positus in ruinam et in resurrectionem, ibid. et in signum cui contradicetur, 76, 1. comparatur serpenti a Moyse in deserto erecto, 77, 1. redemptor est Israelis, 80, 2. quæ ignorantia experimentalis in eo possit concedi, 82, 1, 2. illius actiones erant duplices, aliæ puri hominis, aliæ Dei hominis, in prioribus erat parentibus subditus, in posterioribus soli Patri cælesti, 83, 2 et seqq. eum voluit Tiberius inter deos referre, 89, 2. qua ratione et quando unctus sit, 102, 2. omnia collapsa reparavit, 150, 1. Marthæ hospitalitatem rependit, et apparens morienti, 154, 1. ejus frugalitas, 155, 1 et seqq. habebat potestatem judiciariam, sed ea non est usus in tempore et loco, 158, 2. quomodo servos suos in cœlo honoret, 177, 2 et seqq. peccatores benigne habet ad se venientes, 203, 1; 250, 2. est pastor bonus ovem errantem reducens, et gaudet titulo pastoris, 63, 2; 203, 2; 472, 1, 2 et seqq. ejus vita est idea veri pastoris, 649, 1. gaudet de peccatoris conversione, 204, 1; 210, 2 et seqq. denotatur per vitulum saginatum, 211, 2. quomodo in Lazaro adumbretur, 226, 2. pro maleficio beneficium rependit, 232, 2. veniet ad judicium instar fulguris, 250, 1. nullum ejus iter fuit otiosum, 246, 1. habitat in templis per Ven. Eucharistiam, 250, 1. missus est in mundum ut peccatores salvos faceret, 2. ejus regnum inchoandum post crucem, 251, 1. est rex nobilis, ibid.; 253, 1. cur Apostolos vocet fratres, 263, 2; 629, 2. ipsius summa liberalitas, 271, 2. interest bonis colloquiis, 275, 2. ita loquitur exterius, ut interius corda moveat, 279, 2. symbolice per piscem assum denotatur, 282, 1. apud Joannem nunc inducitur loquens ut homo, nunc ut Deus, 289, 1. quomodo dicat se nihil dicere aut facere ex seipso, sed per Patrem, ibid. ex miraculis a se factis probat se esse Deum et Messiam, 289, 1; 342, 2; 379, 1; 420, 2. qua Deus, est lux formalis increata, qua homo, etiam lux causalis, 301, 2 et seqq. 435, 2. fuit lux post carnem assumptam, quin et ante eam a mundi exordio, 301, 2. est lux vera, 307, 1 et seqq. docuit nos cœlestia sectari, 308, 2. Moysi opponitur et anteponitur, 312, 1, 2. quomodo dicatur esse in sinu Patris, 313, 1, 2. aperuit nobis arcana Patris, 314, 1. est agnus, 317, 2; 319, 1. ejus proprium est, habere omnes gratias Spiritus Sancti, 309, 2 et seq.; 318, 2. qui eum Nathanael cognoverit esse Dei Filium, 323, 2. est Dei Filius, et rex Israel, 324, 1. non fuit sub fato, 329, 2. zelus ejus pro honore Dei, 333, 2. corpus suum vocat templum, 333, 1. est dominus hujus, uti et templi materialis, 334, 2. in eo per communicationem idiomatum dici potest Deus natus, passus et mortuus, 343, 1. sic dici potest esse in cœlo per divinitatem, 2. est sponsus Ecclesiæ, 349, 1. quomodo crescere ipsum oportuerit, Joannem minui, 350, 1 et seqq. ejus dignitas, 2. habuit spiritum et gratiam sine mensura, 351, 2. non tamen infinitam, ibid. qua in re major Jacobo fuerit, 358, 1. raro seorsum cum muliere loquebatur, 363, 2. erat dominus sabbati, 375, 1, 2; 377, 1. idem operatur quod Deus Pater, 377, 1, 2. ab eo accipit divinam essentiam, potentiam, scientiam, 377, 2. a Patre procedit ut Verbum, ibid.; 379, 1. est judex vivorum et mortuorum, 379, 2. quia se humiliavit, accepit a Deo potestatem judiciariam, 381, 1. erat avidus salutis Judæorum, 387, 1. a Moyse passim fuit præfiguratus, 388, 1, 2. quomodo sit a Patre signatus, 392, 1. ipse dat panem de cœlo verum, 394, 2. ab initio concentionis norat omnia futura, 412, 2. habebant verba ejus vitam æternam, 413, 2. est naturalis Filius Dei vivi, ibid. intrepidus in mediis periculis agit, 420, 1. est fons aquæ vivæ, 427, 1, 2. cur Spiritum non det post mortem suam et ascensum in cœlos, 427, 1 et seqq. est speculum morum et sanctitatis, 436, 2. quo sensu non judicet quemquam, 437, 1, 2. cur apud gazophylacium Judæorum avaritiam coarguit, 440, 1. erat de cœlo, et cœlestis, 441, 1. quomodo sit principium, 442, 2. erat impeccabilis, 451, 1. est custos generis humani, 452, 2. quot vixerit annis, 455, 2. fuit ab æterno qua Deus, ibid. ejus benignitas erga miseros, 457, 1. per Siloen repræsentatur, 460, 2. ejus lenitas, ibid. erat missus vel Siloach, 461, 1. quomodo dicat se ostium ovilis, 468, 1; 471, 1 et seqq. cognoscit oves suas, et ipsæ illum, 474, 2. et vitam æternam dat iis, 478, 2. ejus divinitas probatur, 11, 1; 343, 1; 379, 1; 388, 2; 420, 2; 479, 2; 491, 1; 495, 1; 511, 1, 2; 516, 1, 2; 534, 1; 544, 1; 593, 1, 2. qui hæretici eam negent, 295, 1. quomodo a Patre sanctificetur, 480, 2 et seqq. ipse est resurrectio et vita, 490, 1, 2. quomodo in se assumeret passiones, 493, 1. Romanorum regimen Hierosolymis non tangebat, sed augebat, 498, 2. ejus obedientia usque ad mortem, 503, 1. cur paupertatem sit professus, 505, 2 et seq. est velut granum frumenti cadens in terram, 508, 2. suos facit tonantes et fulminantes, 511, 1. trahit e cruce omnes ad se, 512, 2. quomodo maneat in æternum, 513, 2 et seqq. accepit a Patre mandatum dicendi et agendi omnia quæ dixit et egit, 519, 1. quo die pascha celebrarit, 521, 1. quomodo suos dilexerit in finem, 522, 1. ipse est finis legis, 2; est solus perfectus magister, 527, 1; 534, 2. tenere erga suos afficitur, ibid. est via, veritas et vita, 302, 2; 540, 2 et seqq.; 610, 1. qui ipsum videt, videt et Patrem, 543, 2 et seqq. ipse est in Patre et Pater in ipso, ibid.; 549, 1. cur voluerit suos majora opera facere, quam ipse fecit, 545, 2 et seq. audit preces se invocantium, 546, 2. nos sumus in ipso, et ipse in nobis, 549, 1 et seqq. diligit diligentes se, 549, 2. comparat se viti qua homo, 556, 1. et quare, 557, 2. cur dicatur vitis vera, 557, 2. cur a Gentilibus et Judæis sperneretur, 577, 1 et seq. orat pro nobis in cœlo oratione proprie dicta, 587, 1. quomodo Patrem clarificarit, 591, 2. quantum ex se est, vult omnes salvos fieri, 592, 2. triplicem apud Patrem habet claritatem, 594, 2. oravit pro Apostolis et mundanis diverso tempore, 596, 1, 2; 600, 1. ut homo triplicem habuit sanctitatem, 598, 2. oravit item pro fidelibus omnibus, 599, 2. novit secreta cordium, 357, 1; 588, 1; 636, 2. quomodo se aliquando ab animabus sponte subducat, 625, 1. est pater, mater et pastor fidelium, 645, 2.

Chronologia LXX interpretum est probabilis, 93, 2.

Cibum unde habuerit Christus triduo amissionis suæ, 82, 2. unum cibi genus salubre est, 154, 2 et seq. cibi communis et Eucharistici discrimen, 404, 1, 2. cibus animæ ante omnia quærendus, 392, 1, 2. quis sit cibus permanens in vitam æternam, operando nobis comparandus, ibid. et seqq. 392, 2.

Cingulum cilicinum gestarunt Sancti, 174, 2.

Circuli figura pingebant Ægyptii Deum, 602, 1.

Circumcelliones seipsos necabant cœlestis vitæ spe, 509, 1.

Circumcisio etiam domi peragi poterat, 43, 2. ejus effectus, ibid. est ab Abraham inducta: etiam sabbato peragi potest, 422, 1, 2. præcise octavo die peragitur, ibid. ejus lege Christus non obligabatur, 67, 2. ea erat instituta ad abolendum peccatum originale, ibid. in ea Christus summopere se humiliavit, 68, 1. circumcisio spiritualis quæ sit, ibid.

Circumcisus Christus fuit libere et sponte, non ex obligatione, 67, 2. idque novem de causis, 68, 1. atque in spelunca in qua natus: magnum sensit in ea dolorem, ibid.

Circumincessio in divinis personis quæ sit, 544, 2.

Cives cur civibus invideant, 104, 2.

Civitate in sua singuli censeri debebant in censu, 56, 1. quæ fuerit civitas in qua Magdalena dicitur fuisse peccatrix, 121, 2.

Clades publica nos movere debet ad pœnitentiam, 180, 1, 2.

Clamor magnus Christi in Lazari suscitatione quid innuat, 495, 2.

Clarificatio Christi facta est per mortem et crucem, 533, 2 et seqq. idque a Deo Patre, 534, 1.

Claritatem triplicem apud Patrem habet Christus, 594, 2.

Classes sacerdotales a Davide sorte distributæ sunt, 7, 1.

Clavis scientiæ, quam abstulere Pharisæi, quæ sit, 165, 2.

Cleophæ nominis etymon, 276, 2. Cleophas fuit unus e discipulis abeuntibus in Emmaus, 274, 2. fuit frater S. Josephi, et pater et avus Apostolorum quatuor: fuit Martyr, 97, 1; 276, 2.

Clerici devitent consortia feminarum, 363, 2.

Cœmeteriis (in) cur fideles sepeliantur, 134, 2.

Cœna magna, quam quidam paravit, quæ sit, 197, 1. cœnam triplicem cœnavit Christus, 522, 2.

Cœtus dies vocabatur octava Scenopegiæ, 426, 1.

Cogitationes aliæ descendunt in cor, aliæ ascendunt, 280, 1. quomodo eæ in Christo revelantur, 78, 2.

Cognoscere Deum, est vita æterna, 592, 2 et seq.

S. Coleta in virginitatis suæ custodem delegit S. Joannem, 642, 2.

Colloquia feminarum cavenda sunt, 363, 2. colloquiis bonis interest Christus, malis Lucifer, 275, 2.

Comestio an fuerit sufficiens signum resurrectionis Christi, 281, 1; 282, 1.

Commentatores S. Lucæ qui, 3, 2. qui S. Joannis, 291, 1.

Commiseratio Christi ob ploratum Marthæ et Mariæ, 492, 1 et seq.

Commodare et mutuare qui differant, 161, 1.

Communicatio idiomatum naturæ divinæ et humanæ facta est in Christo, 306, 2.

Communicaturus a peccato omni, quantum potest, per confessionem se expiet, 405, 2.
Communio indigna affert mortem, 409, 1.
Compunctionem (per) invenitur Deus amissus, 83, 1. hæc eum cogit ad miserendum, 210, 2.
Conceptio Filii Dei novo modo fieri debebat, 22, 2.
Concio Christi e præsepio, 61, 2 et seqq. conciones Christi celebriores Joannes fusius enarrat, 289, 1.
Concionator austeritate vitæ sibi auctoritatem paret, 51, 2. laudatus laudes ad Christum referat, 94, 1. magni fit dum placentia dicit; vitia taxans, vituperatur, 104, 1. docens placentia carni causa est ut populus multa scelera committat, 115, 2. qui vero ex concione plausum quærit, damnationi se exponit, *ibid.* publicis cladibus utatur ad salutem auditorum, 186, 1. sit potens in opere et in sermone, 277, 1. ita loquatur exterius, ut corda inflammet, 279, 2. fideles conquirat Christo, non sibi, 349, 2. prius ardeat charitate et zelo, quam aliis prædicet, 383, 2. studeat orationi, 590, 1.
Concordia nos unit Deo, 600, 1.
Concubinarum filii videbantur spurii, quia secundarii, 448, 1.
Concupiscentiæ per lepram adumbrantur, 223, 2. sæpe impediunt fidei acceptionem, 346, 1. eas domans animam suam invenit, 549, 1. harum mortificatio est via acquirendæ arctæ unionis cum Deo, 602, 2. concupiscentia carnali generatur homo, 806, 1.
Confessarius quid agere debeat in perditione pœnitentis sui, 420, 1.
Confessio peccatorum disponit ad ardentem charitatem, 210, 2. ea necessaria peccatori, 209, 2. hæc eum in Divorum numerum transscribit, 211, 1. confessio humilis plus potest quam cæteræ virtutes, 244, 2. est a Christo instituta, 684, 1, 2.
Confiteri defectus actuum suorum B. Virgo non potuit, quia omnes erant purissimi et perfectissimi, 71, 2. fidem suam confiteri palam oportet, 517, 1, 2.
Conjecturæ e sideribus quatenus hominibus sint necessariæ, 184, 1, 2.
Conjugium non reprehenditur, nisi quatenus animus per id a salute revocatur, 198, 2.
Conjunctio et unio communicantium cum Christo per Eucharistiam quomodo fiat, 407, 1. conjunctiones causales non semper causam aut finem intentum apud Joannem, sed sæpe consequentiam et eventum duntaxat significant, 290, 1; 466, 1.
Connubium Christi cum humana natura initum est in incarnatione ejus, 282, 2. item animæ cum Deo per gratiam et charitatem, *ibid.*
Conopeum quid sit, 417, 1.
Conscientiæ bonæ quies, securitas et gaudium, 157, 2. est fructus pœnitentiæ, 129, 2.
Consobrini Christi in primo gradu fuere Jacobus Minor, S. Judas et Simeon, Episc. Hierosol., Joannes et Jacobus Major in secundo gradu, 97, 1, 2.
Constantia B. Virginis in adstando cruci Domini, 615, 2 et seqq.
Constantinus Magnus cur in portico SS. Apostolorum sepeliri voluerit, 119, 1.
Consuetudo peccandi est quasi paralysis, 374, 1. et quasi lapis molaris, 494, 2.
Consummata sunt omnia, quæ de Christo sunt prædicta, 619, 1.
Contemplatio quid sit, 158, 2. acquiritur per activæ vitæ opera, 159, 1. ea est necessaria ad plenam sanctitatem et perfectionem, 155, 2.
Contemplativa vita præfertur activæ, 157, 2 et seq. in cœlo perficietur, 158, 1. ejus actus et effectus, 2; 159, 1. ejus typus est Joannes Apostolus, 652, 1. contemplativis revelat Deus arcana sua, 566, 2 et seqq. ei arctissime uniuntur, 600, 2.
Continentiæ cingulo lumbi sunt cingendi, id est luxuriæ motus refrænandi, 174, 2.
Contradictio Christo illata, velut gladius animam Deiparæ transfixit, 77, 2.
Contrarium contrarii oppositum magis elucescit, 505, 2.
Contritio perfecta de peccatis quomodo justificationem adducat, 128, 2. ea est omnibus necessaria, 583, 2.
Contumelia fit palam, detractio clam, 165, 1.
Conversio peccatoris omnes lætificat, 204, 1 et seq. maxime Deum, *ibid.* est omnium bonum, *ibid.* et seqq. quantam in eo mutationem inducat, 204, 1. conversio mundi per Apostolos fuit effectus et decus resurrectionis Christi, 546, 1. conversione infidelium glorificatur Deus, 550, 2. conversio animarum a Christo pendet, 442, 2.
Conversus, ex zelo etiam alios studet convertere, 364, 1.
Conviciaus aliis multa mala facit, 252, 2.
Convivis olim pedes lavabantur, 127, 1. et osculum dabatur, *ibid.* et manus et caput unguento perfundebantur, *ibid.*
Convivium instruere amicis quatenus laudabile, quatenus culpandum, 195, 1. convivia vix sine culpa celebrantur, 220, 2. præcepta in convivio servanda quoad loci electionem, 195, 2 et seq.
Coponius missus a Cyrino, præside Syriæ, in Judæam, confiscavit facultates Archelai, 90, 1.
Cor hominis solo Deo repleri potest, 543, 2. cordis intima Christus perspiciebat, 336, 2. cor Christi fuit lancea perforatum, 620, 2 et seq. cor bonum et optimum quod sit, 133, 1.
S. Cornelius Papa pingitur cum cornu, a quo nomen accepit, 46, 1. Pontificatum non ambivit, 190, 2.
Corn. Jansenius solide et exacte in Joannem est commentatus, 292, 1.
Cornu est symbolum roboris, potentiæ, victoriæ, gloriæ, regni, 46, 1. cornu salutis quod dicatur, *ibid.*
Corpus aliud non cedit, aliud sentitur, aliud palpatur, et quæ sint illa corpora, 280, 2. corpus suum vocat Christus templum, cur, 334, 1, 2. id non est ubique, 348, 1. id post resurrectionem potestatem habebat visum intuentium immutandi, idque diversimode, 275, 2. in Eucharistia continet sanguinem, proinde illud sumens, sumit et hunc, 405, 1, 2. corpore Deus caret, 362, 2. corpora gloriosa sunt subtilia simul, et palpabilia, 280, 1, 2 et seq.; 637, 1.
Correptio Christi gratiosa erat, 392, 2.
Corus quæ esset mensura, 216, 1.
Crapula proprie quid sit, 259, 1.
Crastinum sibi nemo polliceri potest, 459, 2.
Creati a Deo multum ei debemus, 231, 1, 2.
Creaturis in omnibus quomodo Deus sit, 17, 2. creaturæ omnes Christo moriente velut obstupuerunt, 313, 1, 2.
Credentes (non) condemnati sunt, 345, 2 et seq. credens in Christum quo sensu habeat vitam æternam, 332, 1. et opera majora faciet quam ipse fecit, 548, 1, 2 et quo credentes quatenus peccarent, 412, 2. credentes Christus benigne suscipit, nec ejicit foras, 396, 2. — *Vide* Christiani, Fideles.
Credere actu, datur a sola Dei gratia, 397, 1. credere quæ non videntur, vere fides est, 638, 1 et seqq. *credere Deo, et in Deum* Hebræis idem sunt, 386, 1. *credere Christo et in Christum* diversa sunt, 399, 2.
Crescere quomodo debuerit Christus, Joannes minui, 354, 1.
Crucifixus est Christus prima die azymorum, 612, 2. crucifixi ante solis occasum de cruce deponi debebant, 619, 2.
Cruca cur frangerentur crucifixis, 619, 2. ea Christo fracta non fuere, *ibid.*
Crux supplicium est regnum affectantium, 602, 1. crucis signum formatur in benedictione, 284, 1. crux Christi



quasi vexillum est, sub quo fideles omnes militant, 76, 2. ea per sycomorum denotatur, 247, 2; 250, 1. fuit adumbrata in æneo serpente, 344, 1. fuit velut arx Christi, e qua diabolum debellavit, 512, 2. ea fuit summa exaltatio, 444, 2; 533, 2. ei adstitit Deipara, 615, 1. ea multis visa probrosa, Gentibus stultitia, 139, 1. sed post Christum gloriosa facta est, 591, 2; 648, 1. in crucibus gaudendum Christiano, 2 et seqq.
Cubitus est sesquipes, 643, 1.
Cultus Deiparæ toto orbe varius est ac multiplex, 87, 2.
Cupiditas unde in homine nascatur, 194, 2. ejus remedium unde petendum, *ibid.* est insatiabilis, 358, 1.
Curæ hujus vitæ non sinunt hominem de salute animæ cogitare, 259, 1.
Curare alios volens prius seipsum curet, 104, 1.
Cygnus dicitur canere ante mortem, 73, 2.
S. Cyprianus e baptismo magnam sui mutationem sensit, 130, 1. unicuique hominum statui congruam dabat instructionem, 179, 2.
S. Cyrilla, filia Decii Imp., Christo virginitatem vovit, et pro ea martyr occubuit, 274, 1.
S. Cyrillus Alexandr. egregie in Joan. commentatus est, sed ejus libri quatuor interciderunt, quos supplevit Judocus Clictovæus, 291, 1.
Cyrinus, Syriæ præses, quis fuerit, 56, 2.
Cyrus quamdiu regnarit in Perside, et quamdiu ut monarcha, 334, 2.

D.

Dæmoniacus Evangelicus cur habitaret in sepulcris, 133, 2 et seq. cur coram Christo procideril, 134. cur ad ejus pedes sederit jam liberatus, 136, 2. prædicarit suis fidem in Christum, *ibid.* et seq.
Dæmonium habere Christum dicebant Pharisæi, 452, 2 et seq. unde id ipse neget, *ibid.* dæmonia septem e Magdalena ejecta an vera fuerint, an tantum mystica, id est peccata, 132, 2. dæmones sunt per Christum potentia et tyrannide sua spoliati, 103, 2. maxime invadunt melancholicos, 133, 1. eorum multi non sunt in inferno, 134, 2. quomodo e cœmeteriis arceantur, *ibid.* cur vocentur Legio, *ibid.* eorum multitudo et malignitas, 135, 2 et seq. illis gaudium est in infernum non relegari, *ibid.* etiam in terra agentes, igne gehennæ uruntur, 135, 1. cur ut in porcos ingredi permitterentur, rogarint, 135, 2. eorum infirmitas, *ibid.* quomodo porcos in mare egerint, 136, 1. — *Vide* Diabolus.
Damnati an subinde justos videant in gloria, 223, 2. eorum opem petere non possunt, nec audent, 225, 1. in æternum ab eorum consortio et consolatione omni privati, sunt compacti in inferno velut in ferreo carcere, 226, 2. nullum actum virtutis supernaturalis, vel naturalis elicere possunt, at bonum aliquod naturale velle, 227, 2. nunquam inferno liberabuntur, 513, 2.
Damnatur nemo nisi volens, 478, 2.
*Dare gloriam Deo* quid significet, 463, 1, 2. *date et dabitur* sunt sorores, 116, 2. danda petentibus honesta et non nocentia, 115, 1.
David rex distribuit sacerdotes in classes XXIV, 7, 2. fugiens trans torrentem Cedron, fuit typus Christi, 606, 1.
Debiles quinam ad convivium vocandi, 196, 2.
Debitum nostrum erga Deum multiplex est, 231, 1, 2 et seqq.
Dedicatio est quasi salus Ecclesiæ, 250, 1.
Defuncti cur jam in templis sepeliantur, 118, 2 et seq.
Deliciarum spiritualium et corporalium discrimen, 219, 1.
Deliquium animi an passa sit Deipara in filii sui passione, 615, 2 et seqq.
*Demonstrare* pro dare et exhibere sumitur aliquando, 378, 1, 2.
Denarius est numerus multitudinis et universitatis, 234, 2. et symbolum decalogi, 644, 1.
Denarius nummus idem est quod regalis Hispanicus, sive julius Romanus, 125, 2; 152, 2.
Descendere de cœlo quomodo Deus dicatur, 343, 1, 2.
Descriptio orbis cur ab Augusto indicta, et quando, 54, 1. quando prima descriptio facta sit, 55, 2. tres factæ sunt ab Augusto, *ibid.*
Deserens Deum, sensim ab eo deseritur, 532, 1.
Desideranti Christum ipse se mox ultro offerret, 258, 1. desiderans Deum, ipsum invenire meretur, 328, 2.
Desperandum non est de Dei ope in rebus afflictis, 489, 2.
Desperatio sæpe est causa spei, *ibid.*
Detractio clam fit, contumelia palam, 165, 1.
Deus quid sit, definitur, 362, 2 et seqq. singulari quodam modo cum B. Virgine erat, 17, 2. omnia ei sunt possibilia, 25, 1. voluit per Elisabetham patefacere filii sui incarnationem, 29, 1. quomodo magnificetur, 32, 2 et seq. ejus nomen est potens, 38, 1, 2. est sanctus perfectissime, 39, 1 et seq. quomodo ejus sanctitatem possimus imitari, 39, 2. est summe misericors in timentes eum, 40, 1. ejus potentia in veteri Testamento, 2. peculiariter erat Israelis curator et protector, 41, 2. quanta sit ejus magnitudo et majestas, 61, 1. per lucem gloriam suam manifestare solet, 64, 1. semper humiles exaltat, 66, 1; 68, 2. et maxime filium suum, 67, 2. dirigit iter Sanctorum, 73, 1. homines diversimode docet, 80, 2. solus potest peccata remittere, 129, 1, 2. est unum necessarium 155, 2. est omnium rerum, uti et nostrum, et actionum nostrarum initium et finis ultimus, 156, 2; 231, 2; 443, 1. providet suis in necessitate, 172, 1. veniet cum homines minime cogitant, 178, 2. est ignis et lux, 181, 2; 802, 2. sæpe castigat minus peccantes, ad exemplum cæterorum, 186, 1. nihil ei est fortuitum, 2. retribuet mercedem pauperes alentibus, 190, 2. gaudet de conversione peccatoris, 204, 1. an de uno peccatore pœnitente magis gaudeat quam de XCIX justis, 2. Deo carens caret omnibus, 207, 1. ejus mira erga pœnitentes clementia, 210, 2. sortes hominum distribuit, 228, 2. multa ei debemus, 231, 1, 2 et seqq. omnem vindicat injustitiam, 239, 2 et seq. pios ad se clamantes quantocius exaudit, *ibid.* 495, 2. requirit pluralitatem personarum, 297, 2. est essentiale, verum, æternum ens, 303, 1. ex mundi opificio cognosci potest esse unum in essentia, 304, 2. eum nemo videt vivens, nec audit, 312, 1; 385, 2. occurrit per gratiam animæ sese desideranti, 328, 2. ubique præsens omnia intuetur, 323, 2. in anima quæ vult occulte operatur, 341, 2. quomodo mundum dilexerit, 344, 2; 345, 2. quomodo sua dicta et oracula signet, 351, 1. est purissimus spiritus, non corporeus, 362, 1, 2. sua dona dat sedulis et diligentibus, 373, 1. habet vitam a sua essentia: est fons omnis vitæ, et vitæ Dominus, 380, 2. quam bene mentem intus doceat et illuminet, 399, 2 et seqq. ei omnia sunt possibilia, 411, 1. est principium omnium rerum, 418, 2 et seqq. est æternus et immutabilis, 293, 2; 455, 2. an peccatores orantes exaudiat, 484, 1. in rebus desperatis solet opitulari, 489, 2. peccatorem sua gratia prius movet, 497, 1. habet curam Ecclesiæ et Pontificis, 499, 2 et seqq. ei offerenda sunt optima, 504, 2. ipse homines non obdurat, nec excæcat, 510, 1, 2. est lux increata et immensa, 518, 1. quomodo in Christo sit clarificatus, 534, 1. est centrum dilectionis, 538, 2. sufficit suis, quia est ipsa sufficientia, 543, 1. ipse prior diligit nos, 549, 2. quomodo maneat in anima, 550, 2. sine eo nil facere possumus, 561, 1. sua secreta sanctis mentibus revelat, 566, 2. novitios initio vocationis leniter habet, 575, 2. vult orari, 587, 1, 2. Deus in incarnatione e cœlo in terram descendit, 343, 1. eum pingebant Ægyptii ut circulum, 602, 1.

Deus Pater posset gratiam Christo datam, utpote finitam, augere, et facere ut in ea quoad habitum proficeret, 87, 2. cur vocetur meus, 297, 1. non potest esse solus, 297, 1. quomodo mundum dilexerit, 344, 2 et seqq. cur ipse carnem non assumpserit, ad magis amorem suum exhibendum, 345, 1. quomodo dederit Filio omnia, 352, 1. quæ ipse operatur, eadem operatur et Filius, 377, 2 et seqq. omnia ei communicat, 378, 2. intelligendo producit Verbum, *ibid.* quomodo Filio etiam majora communicarit, 379, 1. ejus voluntas et Filii eadem est, *ibid.* Patrem negat, qui negat eum genuisse Filium, 380, 1. suam communicat Filio divinitatem, quæ vita est per essentiam, 408, 2 et seq.; 543, 2 et seq. dedit ei scientiam et doctrinam, 428, 2 et seq. cur ad eum se iturum dixerit Christus, 425, 1. quando ipse de Christo perhibuerit testimonium, 438, 1, 2. quomodo sit cum Filio, 445, 1. judicium universale illi commisit, 453, 1. at injurias illi et Sanctis irrogatas ipse judicat et vindicat, *ibid.* voluit et jussit Filium pati, et in cruce mori, 476, 2. ejus potentia, 479, 2. est unus cum Filio in essentia et deitate eadem numero, *ibid.*, 481, 1. quomodo eum sanctificarit, 480, 1 et seq. orantem Filium semper audit, 495, 2. quomodo eum clarificarit, et adhuc clarificaturus sit, 510, 2. dedit ei mandatum agendi et dicendi omnia quæ egit et dixit, 518, 2. quomodo eum signarit, 303, 2 et seqq. est vita beata, 541, 1, 2. quomodo sit viticola, 558, 1. quomodo palmitem in Filio non ferentem fructus tollet, et fructiferum purgabit, 2. est Filio major, et non major, 553, 1 et seqq.; 591, 1. quomodo per Filii humilitatem clarificetur, 591, 2. cur dicatur justus, 603, 2.

Diabolus idem est quod accusator, 215, 1; 414, 2. Christus Judam diabolum vocavit, et quare, *ibid.* et seqq. delectatur locis sparcis, et spurca assumit corpora, 134, 1; 185, 2. cognovit Christum fuisse Dei Filium et Messiam, sed odio et superbia excæcatus ægre id credebat, 134, 1. de cœlo deturbatus est sicut fulgur, subito, violenter, velociter, manifeste, 147, 2. ejus vis et potentia per Christum fracta est, 148, 2; 511, 2. vocatur serpens et scorpio, 149, 1. suos clientes sinit perire inopia, 207, 2. nec veras dat eis voluptates, 208, 1. moro repræsentatur, 230, 1. Sanctos afflictione vexat et agitat, ut triticum cribro agitatur, 263, 1. an singulis morientibus appareat, 272, 1. an etiam Christo morienti apparuerit, *ibid.* quo sensu esset pater Pharisæorum, 447, 2 et seqq.; 449, 1, 2 et seqq. gaudet exitio hominum, 449, 1. quomodo fuerit homicida ab initio, *ibid.* et modo est, 2. quomodo in veritate non steterit, *ibid.* et seqq. est mendax, 450, 1, 2. est in gratia creatus, sed in ea non stetit, *ibid.* ejus proprium est mentiri, 450, 2. est pater mendacii et hæresum, *ibid.* lupus est, 474, 1. Christus sua morte eum mundo pepulit, 511, 2. in Christo non habuit quidquam, 553, 1. est ab Apostolis e templis et idolis pulsus, 578, 1. — *Vide* Dæmon.

Diaconi Romanæ Ecclesiæ quatuor, servientes Martyribus, facti sunt Martyres, 521, 2.

Diaconissæ olim juxta templum habitabant, 80, 1.

*Dicere et loqui* quomodo differant, 519, 1.

Didymus, id est gemellus, cur dictus sit S. Thomas, 487, 1. sed incredulus, recte fuit Didymus, 635, 2.

Dies Azymorum prima quando inciperet, 521, 1. dies judicii cur vocetur nox, 236, 2. dies octava Scenopegiæ erat festa, dicebaturque dies cœtus vel collectæ, 426, 1. dies halcyonii vocantur dies sereni et placidi, 57, 1. dies actorum Christi initio vocationis Apostolorum digeruntur, 331, 1, 2; 356, 1. item ultimi vitæ ejus, 503, 1. quem diem Christi, et quomodo viderit Abraham, 454, 2 et seqq. dies quatuor peccatoris quinam sint, 488, 1. quo die nuptiæ sint celebratæ in Cana, 6, 2.

Digitus S. Thomæ, quo Christi vulnera tetigit, Romæ asservatur, 637, 1.

Dilectio prævia meretur peccatorum remissionem, 127, 2 et seqq. sola facit Christi discipulos, 536, 2. præcedit observationem præcepti, 563, 2. dilectio hominum provocat dilectionem Dei erga eos, 563, 1. hæc probatur ex observatione mandatorum, 549, 2. dilectionis ferventis Dei tria signa, sex effectus, 602, 1, 2. tria ejus consequendæ media, *ibid.* dilectio mutua est præceptum Christi antonomastice, 564, 2. cur id dicatur mandatum novum, 535, 1. cur dilectio Christianorum summa esse debeat, 2. erat olim Gentilibus admirationi, *ibid.* debet esse ut dilectio Christi erga nos, 536, 1. atque hæc nobis esse debet ceu stimulus ad invicem diligendum, 2. dilectio Christi erga Apostolos, 562, 2 et seqq. — *Vide* Amor, Charitas.

Diligentia opus est ad beneficia Dei percipienda, 373, 1 et seqq.

*Diligere in finem*, quid sit, 522, 1, 2. diligens Deum ex amore tantum naturali, minus diligit quam qui eum amat ex amore supernaturali, 128, 2.

*Dimittere* subinde in Script. accipitur pro liberare et sanare, 103, 1.

Dipondius erat duo asses, 168, 1.

Discipuli cur Christo permittente baptizarent, 347, 2. tunc necdum erant Apostoli, *ibid.* discipulorum LXXII nomina non sunt nota, 144, 2. figuræ eorum, 144, 2. eorum officium, *ibid.* iis respondent sacerdotes, *ibid.* cur tot sint electi, 145, 1. cur bini missi, *ibid.* ex discipulis Christi multi eum deserunt propter sermonem de carne ejus sumenda, et qui hi fuerint, 412, 2. an ex iis fuerit S. Marcus, 413, 1. qui discipuli Christi cum eo nuptiis interfuerint, 328, 1, 2. et hi in eum credere post visum primum miraculum perrexerunt, 332, 1. discipulorum duorum in Emmaus euntium historia, 274, 1. an in ea Lucas differat a Marco, 274, 2. quinam duo hi fuerint, *ibid.* et quare in Emmaus ierint, *ibid.* Emmaus etymon iis adaptatur, 275, 1. cur Christum non agnoverint, 2. cur iis alia in effigie appareat, 276, 1. cur tecte loquantur, 2 et seqq. eorum vana spes et diffidentia, 277, 1. discipulorum Joannis Christum audientium, in eo audiendo ardor, 320, 1. quare litem moverint cum discipulis Christi super baptismo, 348, 1, 2 et seqq. ab eo docentur Christum se esse majorem et digniorem, et se non nisi ejus esse judicem, 348, 2 et seqq. — *Vide* Apostoli.

Discordia dissolvit respublicas, 156, 2.

Dismas dictus est latro bonus, 271, 2.

Dispensator cuique suum pro meritis distribuat, 179, 1. dispensatores tantum sumus donorum Dei, 215, 1; 217, 1.

Dispersi cur vocarentur Gentiles a Judæis, 425, 2.

Diversorio (in) B. Virgini prægnanti non erat locus, 62, 2.

Divites cur non diu vivant, 170, 1; 284, 2. plus a paupere accipiunt quam ei dent, 218, 1. opes suas prudenter expendant ad peccatorum suorum expiationem, 216, 2. sunt plerumque duri et immites, 221, 1; 223, 2. divitiis cor non apponant, 228, 2. qui divites dici possint pauperes spiritu, 113, 2. quis dives in Deum dicatur, 170, 2 et seqq.

Divitias concervare quando sit peccatum mortale, 117, 2. qui in iis confidunt, et consolationem suam quærunt, in futuro plangent, *ibid.* eorum vanitas et pernicies, 170, 2. divitiæ cœlestes vere justæ sunt, et homini propriæ, 219, 2. — *Vide* Opes.

Divinitas Christi astruitur et probatur, 479, 2 et seqq. qui hæretici eam negarint, 295, 1. hæc in illius morte emicuit, 534, 1, 2. ipse eam cognosci petit, 591, 1; 594, 2. ipsa in Eucharistia est causa physica resurrectionis nostræ, 407, 2 et seqq. nobis assidue dat vitam gratiæ, 409, 2. hæc carni unita summa est claritas, 601, 1. in passione integra permansit, 622, 2. divinitas Patris et



Filii una et eadem est, 544, 1, 2 et seqq. hæc erat causa efficiens verborum et operum Christi, 544, 2 et seqq.

*Doceo* vox unde formetur, 519, 1.

Docibiles Dei, quid sit, et qui sint, 399, 1.

Doctrina Christo erat divinitus infusa, 429, 2 et seqq. doctrina ejus omnibus est sequenda, 436, 2. qualis esset, 440, 1. doctrina Christiana quam afferat libertatem, 445, 1 et seqq. deducit ad beatam immortalitatem, 445, 2. doctrina et veritas sacerdoti cuilibet necessaria sunt, 316, 1.

Documenta quædam Christus dedit pro solis Apostolis, quædam pro omnibus fidelibus, 478, 2.

Dolor B. Virginis ex filii passione et tormentis quam intensus fuerit, 75, 1, 2. maxime ejus cruci adstantis, 615, 1 et seqq.

Christiani omnes omni lingua B. Virginem vocant Dominam nostram, 15, 2.

Dominica dies dignior est sabbato, 112, 2. et ei fuit substituta, et quando, 636, 1. in ea Christus fuit natus, 57, 2.

S. Dominicus ex uno XV millia dæmonum pepulit, 134, 2. miraculose ejus fratribus providet Deus de cibo, 290, 2. ejus ultima verba, 534, 2.

Dominium pecuniarum datarum habuit Christus in communi, 506, 1, 2.

Domui Zachæi quomodo facta salus, Christo in eam ingresso, 249, 2 et seqq. domus Zachariæ in Emmaus describitur, 28, 2.

Dona spiritualia tempore Messiæ ubertim danda, prædixerunt Prophetæ, 426, 2 et seqq. dona Dei omnigena vocantur hominis substantia, 206, 1. donis a Deo acceptis quisque ad Dei voluntatem et honorem uti debet, 217, 1. quia eorum non domini, sed dispensatores sumus, 215, 1; 217, 1. ea dantur sedulis et vigilantibus, 373, 1.

Drachma idem est quod regalis Hispanicus, 205, 1; 251, 2. drachmæ perditæ parabola explicatur et applicatur, 205, 2.

Dualitas est mater omnis discordiæ et belli, 156, 2 et seq.

S. Dympna a patre rege obtruncata est, quod ejus nuptias fugeret, 327, 2.

## E.

Ebion negabat Christum fuisse ab æterno Deum, 295, 2. quid de eo dixerit S. Joannes, 652, 2.

Ebrietas quid sit, et quando peccatum mortale, 259, 1. sæpe capitur pro liberaliore potu mentem exhilarante, 331, 2.

Ebrii de sapore non recte dijudicant, 332, 1.

S. Eleutherius abbas sola Eucharistia diu vixit, 395, 2.

Ecce quid sibi velit in cantico Mariano, 37, 1.

Ecclesiæ est declarare quis liber sit canonicus, quis apocryphus, 1, 1. item quis genuinus Scripturæ sensus, 2. Ecclesia regnum est Christi, 29, 1. ejus fundamentum et lapis est Christus, 75, 2. navis est Petri, 119, 1. ei Christus semper de oraculo veræ fidei prospicit, 263, 1. successu temporis crevit ad perfectionem cognitionis mysteriorum fidei, 288, 1; 578, 2. est ovile Dei, 468, 1; 471, 1. habet in se varia pascua, 471, 2. quantam ejus curam habeat Deus, 500, 1. quam late se diffundat, 558, 2. non est schismate scindenda, 611, 2. ejus regimen est monarchicum, 646, 1. ejus luctus in perditione filiorum suorum, 119, 2. conflata est ex Judæis et Gentibus, 473, 2.

Ecclesiastici sæcularia non tractent, 168, 2.

S. Edvardus, rex Angliæ, nemini petenti eleemosynam in nomine S. Joannis, eam negabat; qui et ei mortem per alios prædixit, 642, 2.

Electi carent hic deliciis, ut habeant eas in cœlo, 225, 2.

Eleemosyna est fructus dignus pœnitentiæ, et ad omnem virtutem iter sternit, 92, 2. ditat, non depauperat, 116, 2. juvat dantem in altero sæculo, 217, 1, 2. est danda ex superfluo, 163, 2. a proprio, non ex alieno, 164, 1. ea late patet, *ibid.* omnia mundat, quo sensu, 165, 2. ejus alii effectus, *ibid.* sanat avaritiam et rapinam, *ibid.*

Elias veniet ante secundum adventum Christi, 316, 1. ei se comparat Christus, 105, 2. zelans pro honore Dei fuit typus Christi zelantis pro domo Dei, 334, 1.

S. Eligii Noviomens. Episcopi ultima verba, 563, 1.

Elisabeth quid hebraice sonet, 8, 1; 10, 2. sunt Elisabethæ variæ sanctæ, 8, 1.

Elisabeth, mater S. Joannis, fuit filia sacerdotis, 7, 2 et seq. fuit sancta et prophetissa, 8, 1. erat natura et complexione sterilis, 8, 2. erubuit uterum ferens, sed in secreto cordis gaudebat, 14, 1. quando a B. Virgine visitata fuerit, et qua de causa, 27, 2. quomodo et quare ab ea sit salutata, 29, 1. repleta est tunc gratia gratum faciente, et gratis data, 20, 2. accepit quoque tum donum prophetiæ, *ibid.* unde exclamavit voce magna, 31, 1. cognovit inspirante Spiritu Sancto B. Virginem concepisse Filium Dei, *ibid.* cognovit item eam credidisse angelo Christi conceptionem nuntianti, 31, 2. illius humilitas, 32, 1. trimestri apud eam Deipara egit: quæ ei obsequia impenderit, 42, 2. illi etiam adfuit post partum, 43, 1. a Spiritu sancto cognovit nomen filio imponendum, 43, 2. cum filio fugit in desertum, et ibi mortua est, 51, 1. fuit consobrina B. Virginis, et neptis S. Annæ, 67, 1.

S. Elisabetha Landgravia DCCCC pauperes quotidie convivas habuit, 196, 2. ejus humilitas et sui abjectio, 262, 2. lavit pauperum pedes, 527, 2.

Elisæus relictis Israelitis Naaman Gentilem a lepra mundavit, 106, 1.

*Elohim* tam Deum quam Deos hebr. significat, 480, 1.

Emmaus vocis etymon: vicus erat tempore Christi, postea a Romanis, devictis Judæis, aucta factaque trophæum, dicta est Nicopolis, 275, 1. in Emmaus videtur habitasse Zacharias, 28, 2 et seqq.

Encænia templi Hierosolymitani qua occasione sint instituta, 477, 1. mense Decembri celebrantur, *ibid.* et seq.

Encratitæ damnabant nuptias, quasi diaboli inventum, 328, 1.

Ephi tres modios continebat, 216, 1.

Ephrem et Ephraim quænam sit urbs, et ubi sita, 500, 1. quid vox hebraice sonet, 2. est typus Ecclesiæ Gentium et animæ sanctæ, *ibid.*

S. Ephrem docetur a meretrice, 73, 1. ejus ad suos ultima verba, 534, 2.

Epicureorum mores, 220, 2.

Epiphaniæ in festo tria miracula simul recolit Ecclesia a Christo facta, 326, 2.

Ἐπαυρῶν quid proprie sibi velit, 22, 1.

Episcopatus quantum sit onus, 180, 2.

Episcopi duodecim Apostolis successerunt, 144, 2. olim sæcularium fidelium lites dijudicabant, 168, 1. eorum munia et partes, 472, 2 et seqq. non sequantur suos affectus, nec indulgeant amori, 652, 1. — *Vide* Pastor, Prælati.

Epulari ex adjunctis sæpe est peccatum mortale, 223, 1.

Epulonis historia, vera est: ejus nomen quod sit, 220, 1. fuit Judæus: an Christi vixerit tempore: ejus fastus et mollities in vestitu, *ibid.* illius in epulis splendor et luxus, 220, 2. et immisericordia, 221, 1 et seqq. 226, 1. sepultus est in inferno, 222, 2. sortis ejus mutatio, *ibid.*; 224, 1. est damnatus, 223, 1. quodnam ejus peccatum sit, *ibid.* et seq. vidit e tormentis Lazarum in sinu Abrahæ jucunde quiescentem, et cur, 223, 2. cur invocet Abrahamum, 224, 1. Lazari opem exposcit, *ibid.*; 227, 1. ejus sitis in tormentis, 224, 1. quomodo ejus anima habere dicatur linguam, 2. quare ab Abrahamo vocetur filius, nec tamen ab eo exaudiatur, 225, 1

quare ei maneat cognitio et memoria, *ibid.* ejus cruciatus apud inferos 226, 1 et seqq. an ei ostensus locus Beatorum in cœlo, *ibid.* Judæos superbos designat, 227, 1. quomodo Lazarum ad fratres mitti roget, *ibid.* quomodo fratrum salutem optare possit, 2. et quare, *ibid.* cur mortuum aliquem ad eos mitti roget, *ibid.*
*Erat* apud Joannem de Verbo Dei loquentem quater repetitur, 295, 2. quid significet, 296, 1. id Deo proprium est, *ibid.*
*Ergo* sæpe est nota initii sermonis, 356, 1.
Erubescens Christum confiteri, vicissim ab eo non agnoscetur, 139, 1.
Essentia divina una et eadem est in Christo et Deo Patre, 381, 1; 543, 2 et seqq.
*Est* proprium est Dei, 296, 1.
Esurientes a Deo pascuntur et replentur, 41, 2.
Esuries spiritualis, cibi corporalis nauseam inducit, 365, 1.
*Et* Hebræis sæpe idem est quod *quia*, 283, 1. aliquando idem quod *sic*, 377, 1. Joannes sæpe id capit pro *sicut*, 289, 2. et pro *idcirco*, *ideo*, 307, 1.
Eucharistia pascit Christianos ad instar cibi, 41, 2. cur vocetur convivium, 197, 2. ejus effectus in oculis mentis aperiendis, 279, 1. est cibus permanens in vitam æternam, 392, 2. fides in ea maxime necessaria est, *ibid.* et seqq. ipsa excellentior est ipso manna, 394, 2. varii ejus effectus, et proprietates, *ibid.* quomodo in ea sit panis verus et cœlestis, 395, 1. quia de cœlo descendit, et dat vitam mundo, *ibid.* cur vocetur panis, 2. tamdiu in ea Christus jam sumptus in nobis est substantialiter, quamdiu species supersunt; iis consumptis calore stomachi, adest per gratiam, 406, 1, 2. vitam dat rite ipsam suscipientibus, 409, 1, 2. est velut lignum vitæ, 395, 2. etiam corpus nutrit et vegetat, *ibid.* debite sumpta, nauseam adducit aliarum voluptatum, 398, 1. durat in perpetuum, 400, 2. a morte liberat, *ibid.* se comedentes vivificat, 401, 1; 405, 2. de ea loquitur Christus, cum ait eos, qui ex pane quem ipse daturus est, manducant, victuros in æternum, 401, 1 et seqq. olim dabatur et infantibus, *ibid.* 403, 2 et seq. est symbolum societatis et unitatis, 401, 2; 404, 1; 509, 2; 601, 2. in ea vere caro Christi manducatur, et sanguis bibitur, 402, 2. ejus manducatio præceptum est, sed non nisi adultos spectat, 403, 2. laicis danda sub una specie, 404, 1, 2. sine ea vita spiritalis diu retineri nequit, 405, 1. ejus fructus et effectus ex panis et cibi effectibus sunt colligendi, *ibid.*; 407, 2 et seqq. sæpe morbos et mortis pericula depellit, 405, 2. ad vitam æternam conducit per gratiam quæ in ea datur, *ibid.* est causa resurrectionis, 406, 1 et seqq. quo sensu, 407, 2. in ea carni Christi realiter et substantialiter unimur, 406, 2. et quam intime, *ibid.* per eam quoque corpori semen morale immortalitatis inseritur, 407, 1. per eam fimus spiritales, sancti et divini, et in dies magis et magis, *ibid.* præstat omni cibo, 408, 1. mors est malis et indignis, 409, 1. Christi corpus in ea tangibiliter non editur, nec discerpitur, 410, 2. virtus illa vivificandi quam habet corpus Christi in Eucharistia, non tam manat a carne, quam a spiritu Verbi, 411, 2. ejus institutio an præcesserit prædictionem proditionis Judæ, 529, 2 et seq.; 530, 2 et seqq. eam Christus instituit paulo ante mortem, velut summi amoris tesseram, 522, 1, 2. præmitti ei debet pœnitentia, et munditiæ conscientiæ, *ibid.* 524, 1. vinum validissimum est, 557, 1. est summa charitas, 601, 1.
Euchitæ volebant semper orare, nec unquam manibus laborare, 288, 1; 892, 1, 2.
S. Eulalia virgo in tenera ætate agonem suum igne consummavit, 182, 2.
Eunomius negabat Spiritum Sanctum a Patre procedere, sed a solo Filio, 579, 2.
Eusebius Emissenus non est auctor homiliarum quæ sub ejus nomine circumferuntur, 270, 2.
Euthymius sua breviter ex aliis Patribus collegit, 201, 1.
Eutyches dicebat Verbum incarnatione transformatum esse in carnem, 308, 2 et seqq.
Evanescat cur Christus ex oculis discipulorum in Emmaus, 279, 1.
Evangelistarum inter se consensus, 1, 1, 2.
Evangelium primo pastoribus annuntiatum est, 64, 2.
Evangelium est veteris Testamenti supplementum, 295, 1. ejus et legis sex differentiæ, 447, 2.
Exaltatio Christi, de ejus cruce est intelligenda, 512, 2 et seq.; 513, 2.
Excæcationis suæ causa est ipse homo sua malitia, 516, 1. excæcatio Judæorum, *ibid.*
Excessus Christi, de quo loquuntur Elias et Moyses in monte Tabor quis sit, 139, 2 et seqq.
Excusatio invitatorum ad cœnam deducitur, 197, 2; 198, 2.
Exempla bona sunt velut lucernæ ardentes, 175, 1.
Exercitus Dei sunt angeli, 65, 1.
Ἔξοδος quid significet, 139, 2.
Exspectare Dominum quomodo debeamus, 175, 2; 176, 2 et seqq.
Exteri in censu et descriptione profitebantur subjectionem Cæsari, 58, 1. sæpe gratiores sunt indigenis, et quare, 231, 2. sæpe fidem avide excipiunt, quam domestici fastidiunt, 356, 1.
Exultatio animæ et mentis quid sit, 34, 1.

F.

Fabiolæ Rom. pœnitentia publica, 218, 1.
Fabrilem exercuit Christus adolescens et juvenis, 85, 2 et seq.
Facere nihil possumus sine Deo, 561, 1.
Familiaritas cum Deo parit donum prophetiæ, 566, 2. quo quis Deo familiarior, eo magis se despicit, 25, 2.
Fasciæ Christi mundæ fuerunt: in earum honorem festa dies instituta, 60, 1. fasciæ sepulcrales quænam essent, 490, 2.
Fato non fuit Christus subjectus, 440, 2.
Favus mellis est symbolum Christi, 282, 1.
Feminarum triplicis status bonum, in Maria fuit, 16, 2. ex sola femina natus sine opera viri, non contraheret peccatum originale, 23, 1. feminæ hæredes parentum, deficiente prole mascula, jubentur nubere in familia eadem et cognatione proxima, 95, 2. feminarum consortia vitanda, 363, 2. quomodo viro Apostolico curandæ sint, *ibid.* — *Vide* Mulier.
Feria VI Christus conceptus et mortuus est, 57, 2.
Fervor S. Petri se in mare mittentis, 642, 2 et seqq.
Festa bonis operibus impendenda sunt, 419, 1. quæ festa duplicia vocentur ab Ecclesia, 111, 2. festa Hebræi incipiebant a pridiana vespera, 521, 1.
Festinatione (cum) cur abierit B. Virgo ad cognatam, 28, 2.
Fictio Christi apud discipulos euntes in Emmaus, non fuit mendacium, 278, 1.
Ficus infrugifera aptum est symbolum Synagogæ Judaicæ, 187, 1. ficus arbor describitur, 2 et seqq. omnes ejus proprietates justis adaptantur, *ibid.* sæpe fert fructus demum tertio anno, 188, 1. fuit arbor vetita Adamo, 247, 2. ficus fatua et Ægyptia eadem arbor cum sycomoro, 247, 1.
Fideles Dei et Christi sanctitatem debent imitari, 48, 1. cur dicantur pusillus grex, 172, 1. ipsi soli salvantur, non tamen male viventes, 190, 2. an eorum plures salventur, an damnentur, problema est, *ibid.* omnem suam gratiam a Christo mutuantur, 310, 1 et seqq. eorum nemo salvari potest nisi per Christum et fidem in ipsum, 471, 1. quomodo in Ecclesia ingrediantur et egrediantur, 2. eos agnoscit Christus tum speculative, tum practice, 474, 2. et vicissim ipse ab iisdem cognoscitur, *ibid.* et seqq. quam ei sint cari, 647, 2.



ipse eorum singulos in essentia sua divina vidit, cum pro iis ante passionem oravit, 599, 2. quod eorum aliqui pereant, ipsis, non Deo est imputandum, 478, 2. sunt in manu Christi, 479. quomodo in eo vivant, 490, 2. in eo per fidem et charitatem non manentes, post mortem mittentur in ignem infernalem, 561, 2. sunt oves Christi, 465, 2 et seqq.; 473, 1; 478, 2. vocem ejus, ceu pastoris audiunt, 469, 2. eos ipse in S. Joanne B. Virgini commendavit, 617, 1, 2 et seq. sunt subditi Romano Pontifici, 645, 2. si sint infructuosi, exscinduntur, fructuosi excoluntur, 558, 2. — *Vide* Christiani, Credentes.
Fides nuda peccata non remittit, sed formata bonis operibus, 120, 2. et talis est velut lucerna accensa, 175, 1. sola non sufficit ad salutem, 155, 1. luci comparatur, 392, 1. est donum Dei, et tamen pendet ab arbitrio nostro, 305, 2; 396, 2 et seqq.; 463, 2. est velut sigillum quo obsignamus dicta Dei, 351, 1. et cibus permanens in vitam æternam, 392, 2 et seqq. est opus sanctum, 394, 1. credit quæ non videt, nec capit, 403, 2; 638, 1. est velut fax, 175, 1; 436, 1. cur sensim crescere debuerit, 545, 1. fides in Deum et Christum est via recta ducens ad vitam æternam, 593, 1, 2. talis est ceu ostium ovilis, 463, 1. fides perfecta est granum sinapis, 220, 2. cur eam apud Apostolos Dominus extollat, 2. fides S. Magdalenæ pœnitentis, 124, 1. fides humilis requiritur in credendo sacramento Eucharistiæ, 412, 1. quæ fides in miraculis necessaria sit, 234, 2. et in oratione, 584, 2 et seq. est ejus basis et fundamentum, 240, 2. ejus defectus est in terra, *ibid.* et seq. fides perfecta raro invenitur, 241, 1. ea deficiet maxime sub finem mundi, *ibid.* est fulcimentum in adversis, 539, 1. fides parva reguli a Christo arguitur, 368, 2.
Filiatio divina quantum sit bonum, 305, 1. est donum Dei, *ibid.* provenit illa ex Deo, 306, 1.
*Filius* cum additur genitivo præmii vel pœnæ apud Hebræos, significat dignum tali præmio vel pœna, 256, 2; 597, 2. filii parentum memoriam perpetuant, 582, 1, 2. habeant eorum parentum, 616, 2. filius Dei est, qui nascitur de Spiritu Sancto, 24, 1. filii Dei fiunt omnes per gratiam, 2. et omnes fideles, 305, 1. et quomodo nascantur ex Deo, 2. filii Abrahæ sunt qui ejus fidem imitantur, etsi Gentiles, 42, 2. filii prodigi parabola exponitur, 207, 1. filii duo, prodigus, et alter frugi murmurans, quos denotent, *ibid.*; 208, 1.
Filius Deo Patri æqualis est, non subditus ratione originis, 84, 2. is passim in Script. vocatur Verbum Patris, 296, 1. et quare, 2 et seqq. est alia persona a Patre, 297, 2. Filium Dei Christum esse, qualiter agnoverint Nathanael et Philippus, 322, 2. cur ipse sit incarnatus, non Deus Pater aut Spiritus Sanctus, 345, 1, 2. non potest a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quomodo, 377, 2 et seqq. a Patre exiit per exitum temporalem et æternum, 587, 2. sunt ambo unus et idem in essentia et divinitate: hinc qui Filium videt, videt et Patrem, 543, 2 et seq. hic est in illo, et ille in hoc, 543, 1.
Fixura clavorum in Christi corpore erat figura vulnerum acceptorum, 636, 1.
Flagellatio Christi [illegible], 612, 1.
S. Flavia D[illegible] neptis Domitiani Imper., ab eodem martyr[illegible], 274, 1.
Fletus C[illegible] Jerusalem quæ fuerit causa, 253, 1, 2.
Florentia [illegible] Apostolici, 106, 1.
Flumina aquæ [illegible] dicuntur, 436, 2. quando ea fluere in [illegible] st, 438, 1.
Fœnerator etiam [illegible] potest mutuator, sive creditor, 135, 2.
Fœtus sexto mense vitalis est et vegetus, 25, 1.
Folietta est quarta pars boccalis, 330, 2.
Fomitem concupiscentiæ habent omnes qui habent peccatum originale, 30, 1, 2. eo caruit B. Virgo, *ibid.*
Fontis etymon, 355, 1. fons Jacob idem est quod puteus Jacob, *ibid.* fontis et lucis affinitas, 461, 1. fons gratiarum est Christus, 460, 2. item fons aquæ vivæ, 427, 1. fons juxta Emmauntem salubris, 275, 1. fons olei Romæ fluxit tempore quo Christus natus, 54, 1. fons Siloe et Sabbaticus describitur, 460, 1, 2. fontes calidi, qui etiam faces accendant, 160, 1.
Forma deitatis Christi est character, quo signatus est a Patre, 395, 1.
Fornicatio mystica est idololatria, 449, 1.
*Forsitan* Joannes sæpe ponit pro *utique*, 289, 1; 387, 2.
Fractio panis vocatur Eucharistia, 276, 2 et seqq.
Franciscani profitentur summam paupertatem, 390, 2. iis multis collectis providit Deus de cibo per angelos, 390, 2.
S. Franciscus dulcissime cum Christo puero dissuaviabatur, 59, 2. mater eum in stabulo facili partu enixa est, 60, 2. ejus obedientia, 85, 1. vetuit suos in crastinum quid servare, sed in diem vivere jussit, 172, 1. ei humili sedes altissima in cœlo præparata, 262, 1. cur in Paschate ab ipsis Fratribus eleemosynam petierit, 276, 1. se apud Deum nihil esse opinabatur, 344, 2. divinam inspirationem percipiens, eam excepturus, subsistebat, 515, 1. ejus ad suos ultima verba, 534, 2. stigma habuit in latere dextro, non sinistro, 620, 2.
Franciscus Lucas in Joannem totus litteralis est, sed litteram ad pios trahit affectus, 292, 2.
S. Franciscus de Paula cur suos dici voluerit Minimos, 262, 1.
Franciscus Ribera Societ. Jesu in Joannem brevis est, sed rarus et eruditus, 292, 2.
R. D. Franciscus de Sales, Episc. Genevensis, instituit congregationem Religiosarum ægris inservientium, 23, 1.
Francisci Toleti commentarius in Joannem quo nomine laudetur, 292, 2.
S. Franc. Xaverius ubique etiam in navi, evangelizabat, 154, 1. ejus, etsi legati Apostolici, humilitas, 529, 1.
Christus cur Apostolos vocet fratres, 263, 2. fratres Christi vocantur ejus cognati et consobrini, 633, 2. hi ei dixerunt ut in Judæam transiret, 417, 2. quid eos moverit, *ibid.* non credebant in eum, 418, 1. an de fratribus suis vere sollicitus fuerit Epulo, 227, 2 et seqq. frater fratri sine liberis defuncto debebat suscitare semen ducta ejus uxore, 95, 1.
Fremitus Christi in Lazari suscitatione quis fuerit, 492, 1, 2.
Fructus pœnitentiæ, 120, 2. fructus mortis Christi, 503, 2.
Frugales erant Apostoli et prisci, 282, 1; 641, 1.
*Fuit* in genealogia Christi apud Lucam quid sonet, 95, 2.
Fulguris proprietates describuntur, 148, 1. est symbolum superbiæ et vanæ gloriæ, *ibid.* instar fulguris veniet Dominus ad judicium, 249, 1.
Fulmen et fulgur quomodo differant, 148, 2.
Fundatores Ordinum statuerunt ut sui exirent bini, 145, 1.
Fures ovium, id est fidelium, qui sint, 468, 2; 469, 1; 471, 1. veniunt hi ut mactent, 472, 1.
Futurum tempus recte convenit æternitati, 580, 1.

G.

Gabbatha quid sit: ad id multis gradibus ascendebatur, 613, 1.
Gabella dicta a voce *gabba*, 246, 2.
Gabriel proxime astat Deo, estque e septem primariis angelis, 12, 2. et ex ordine Seraphinorum, 13, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

præcsi bellis fidelium, 11, 2. quomodo ad Mariam sit ingressus, 15, 2. expectabat ejus consensum, 25, 1. quamdiu cum illa mansorit, 27, 2. eam flexis genibus salutavit, *ibid.* Gabriel fuisse videtur angelus, qui pastores ad Christum in præsepio jacentem adduxit, 63, 2. Gabriel idem est quod fortitudo Dei, 12, 1 et seq. 11, 2; 35, 2 et seqq. ejus quod sit etymon, et an ipse Christum in horto orantem confortarit, 264, 2.

Gadara alius est locus a Gerasa, 133, 2. data erat ad habitandum Syris a Cæsare, 135, 2.

Galilæa patria est Prophetarum, 429, 2.

Galilæorum secta docebat non debere Judæos subesse Cæsari Gentili, 185, 1. est hæc exorta sub tempora Christi, 2. Galilæi quinam a Pilato cæsi, et qua de causa, 185, 1. Galilæi erant ignobiles et pauperes præ Judæis, 321, 2.

Garizim mons urbi Sichem imminet, 360, 2. ejus celebritas, *ibid.* habuit nobile templum, quod stetit CC annis, *ibid.*

Gaudium e re inexspectata et nova ortum mentem adhuc reddit anxiam et dubiam, 281, 2. præ gaudio quidam mortui sunt, 35, 1. gaudium Christi e passione, 582, 2. quod gaudium Christus pro præmio discipulis afferat, 563, 2 et seqq. est id tam suum quam discipulorum, 564, 1. quomodo id impleri et perfici possit, 2. gaudium Spiritus Sancti est fructus pœnitentiæ, 129, 2. gaudia sæculi mutantur in luctum sempiternum, 581, 2.

Gazophylacium erat locus publicus et amplus: ipsum describitur, 499, 2.

Gemelli sæpe moribus et amoribus sunt invicem similes, 487, 2.

Genealogia Christi e Matthæo et Luca conciliatur, 94, 2 et seqq.; 96, 1, 2 et seqq. quam ea sit nobilis, 99, 2.

Generationis divinæ et humanæ antithesis, 105, 2 et seqq. generationem divinam et æternam Christi cur Joannes enarret ante humanam, 294, 1, 2 et seqq. quam ea alte petenda, *ibid.* generatio divina Christi fuit ab æterno, 423, 2 et seqq. generatio Christi divina est et humana, 418, 2. cur generationes omnes B. Virginem dicant beatam, 37, 1, 2. generationes omnes prætereunt, 100, 1, 2. terra Genesar est eadem cum Genesareth, 390, 2.

Gentiles in Lazaro repræsentantur, 227, 1. et in Zachæo, 256, 1. vocabantur a Judæis dispersi, 425, 2. eorum nonnulli etiam ad diem festum Paschæ ascendebant, 507, 2. cur per Philippum ad Christum aditum sibi parent, 508, 1. in tenebris errorum sedentes, a Christo illuminati sunt, 74, 2; 458, 1. non erant oves ejus, sed eos ipse oves fecit, 475, 1, 2. unde pro illis quoque mortuus est, 500, 1. hinc rejectis Judæis fidem amplexi sunt, 508, 2; 105, 2; 199, 2; 305, 2; 425, 2; 465, 2. quia majore vi prædicationis vocandi erant, hinc dicuntur compulsi intrare, 199, 2. prius indigni, postea se dignos fide et Evangelio reddiderunt, 213, 1. et tunc resurrexerunt quodammodo in novam vitam, 76, 1. eorum Ecclesia quam uberem attulerit fructum, 500, 2. eorum plurimi ad fidem convertendi erant, 648, 2. sed nondum omnes ad eam sunt vocati, 199, 1. sed tandem omnes convertentur, 430, 1.

Genus humanum est cæcum a primo ortu, 457, 1, 2. quomodo a Christo sit illuminatum, 459, 2. ejus lapsus Christo turbationem causavit in suscitatione Lazari, 493, 1.

Gerasa alius locus est a Gadara, 133, 2.

Geraseni cur rogarint Christum ut a finibus ipsorum recederet, 136, 2 et seqq.

Germen vox Hebræis late patet, 49, 1. germen cœleste et terrestre est Christus, *ibid.* et seqq.

Gesta Christi in Judæa fuere ultima vitæ ejus, 484, 1. ubi ea Lucas scribere incipiat, 140, 2. ubi gesta secundi prædicationis ejus Joannes finiat, 418, 1. gesta tertii anni quæ sint, 651, 2.

Gladius quis B. Virginis animam pertransiit, 77, 1 et seqq.

Gloria definitio, 590, 1. paratur ea per ignominiam, 2. est stimulus doctrinæ comparandæ, 421, 1. vana gloria discipulorum Christi quod dæmones ejicerent, 147, 2. gloriam infinitam et immensam habet Deus in, et apud semetipsum, 595, 1. quam gloriam Dei viderit Isaias, 516, 2. qualem gloriam dederit Deus Pater Filio suo, 309, 1. gloria Christi in quo sita sit, 277, 1. per crucem ad eam ipsum pervenire oportuit, 278 1, et seqq. gloria deitatis Christi per carnem assumptam quasi per velum apparuit, 309, 1. quam gloriam Christus a Patre ante mortem suam petat, 590, 2 et seq.; 591, 2. gloria cœlestis sæpe convivio a Script. exprimitur, 202, 2 et seqq. implet omne desiderium, 258, 2. quæ ad eam sint viæ, 541, 1 et seqq. ejus ad terrenam comparatio, 591, 2. ea unicuique erit in cœlo, sed pro meritis dispar, 53, 1, 2. — *Vide* Cœlum. *Gloria in excelsis Deo* diversimode exponitur, 65, 1.

Gloriandum in cruce et tribulatione, 648, 2.

Glorificatur Deus fidei promulgatione, 502, 1, 2. quæ sit glorificatio sui quam Christus a Patre petit, 589, 1; 590, 2; 594, 1, 2.

Glossa triplex est, Interlinearis, Ordinaria et Lyrani: qui singularum auctores, 292, 1.

S. Gorgonia a gravi paralysi per Eucharistiam liberata, 403, 2.

Græci dicunt Christum anticipando pascha celebrasse die XIII, ac proinde consecrasse in fermentato, 521, 1. eorum schisma de processione Spiritus Sancti a solo Patre, 570, 1. Græci Patres de gratia parce loquuntur, ut liberum hominis arbitrium extollant, 398, 2.

Gratia a Deo venit, 79, 2. quid nomine gratiæ intelligatur, 312, 1. gratiæ effectus in nobis et in Christo, 87, 2. ea peccato deperditur, 226, 1. est semen gloriæ, 230, 2. ab ea habet opus bonum omnem suam vim et virtutem, 252, 1. luci comparatur, 302, 1. ab ea est quod opus bonum operemur, 360, 1. reddit nos filios Dei adoptivos, 305, 1. ejus et aquæ analogiæ, 356, 1, 2. cur ea dicatur aqua viva, 357, 2 et seqq. est fons saliens in cœlum, 358, 2 et seqq. ejus varii effectus recensentur, *ibid.* et seq. ejus blanda vis et efficacia, 398, 2. ejus necessitas, *ibid.* quidam ei non cooperantur, 399, 1. conservatur ab Eucharistia, 406, 2. qui eam habet, non morietur in æternum, 491, 1. eam Adam amisit peccando, sed eam Christus per Spiritum Sanctum datum reparavit, 632, 1. gratia excitante opus est ut peccator convertatur, 399, 1; 406, 1. gratia et Spiritus Sanctus sunt correlativa, 664, 1, 2. sua gratia omnibus adest Christus, 559, 2. gratia efficax non omnibus datur, 3?5, 2. efficacem et congruam, et cooperantem habentes, a Deo complete trahuntur, 399, 1. talis est ad salutem necessaria ex hypothesi, *ibid.* hæc assidue nobis a Deo petenda, *ibid.* gratia habitualis in Christo augeri non poterat, utpote plene ei in primo instanti conceptionis infusa, 86, 2 et seqq. hæc affert secum aliquando auxilia prævenientia, 358, 1. gratia Christi fuit nostræ dispar quadrupliciter: fuit ei naturalis, 87, 2. quanta illa fuerit, 86, 1; 310, 1. 2. comitem habere debet veritatem, *ibid.* ex ejus gratia manavit omnium Sanctorum gratia, *ibid.*; 311, 2. gratia ejus ut hominis gratia non fuit infinita, 351, 2. gratia Deiparæ initio conceptionis superavit gratiam supremi angeli, et quomodo ea semper accreverit, 17, 1. gratiæ omnes aliorum Sanctorum in eam confluxere, 15, 2 et seqq. quomodo ipsa plena gratia, 16, 2. quæ gratiæ concessæ a Christo fuerint Magdalenæ, 129, 2. *gratia pro gratia*, quid sit, 311, 1 et seqq. 70, 2.

Gratia, Martyr Japonensis cum tota familia, 70, 2.

S. Gregorii Magni in Pontificatu indefessum studium, cura, labor, 179, 2. sæpe duodecim pauperes mensæ adhibebat, et inter eos semel Christum, 196, 2. legit se e religioso factum Pontificem, 201, 1. visis Angliæ juvenibus venustis, de Angliæ conversione cogitare cœpit, 512, 1. ea audita in spiritu exsultavit, 204, 2.

S. Gregorius Nazianzenus in solitudinem concessit, 32, 2. ejus pater per Eucharistiam a gravissima febri liberatus est, 403, 2.

S. Gregorius Thaumaturgus unicuique propria dabat documenta, 179, 1. ei datur S. Joannes in præceptorem a B. Virgine, 258, 2.

Greges tempore brumæ in Palæstina etiam noctu in pascuis sunt, 63, 1.

Grumus sanguineus quomodo sudarit Christus, 265, 2 et seq.

S. Gulielmi de humilitate sententia, 25, 2.

Gulosi in gehenna gravissima torquebantur fame, 144, 1.

# H.

Hæresiarchæ habuere dæmonem assessorem, 451, 1.

Hæresis per lepram denotatur, 132, 2. hæreses peperit gloriæ appetitus, 421, 1.

Hæreticus recte baptizans, valide baptizat, 461, 2. an recte Sacramentum administrans prohibendus sit, 148, 1. quo pacto facile convertatur, 340, 1. hæretici orthodoxorum sapientiam, sanctitatem et miracula mirantur, sed fidem et mores sequi nolunt, 379, 1. sunt pravi pastores, 468, 1. sunt velut lupi, 474, 1. Christum quodammodo lapidant, 479, 2. miracula, quæ etiam suis vident oculis, calumniantur, 497, 2. eorum commercia vitanda, 356, 1. qui hæretici Christi divinitatem negarint, 295, 1.

Halcyones ponunt ova circa mare in solstitio hiemali, 57, 2.

Hebdomas paschalis et pentecostalis erat Judæis festa et celebris, 111, 1, 2 et seqq.

Hebraicis phrasibus abundat S. Joannes, 289, 1.

Hebræi die sabbati Script. in synagoga legebant, 102, 1. agnum paschalem edebant accincti renes, 171, 1. sæpe subticent verba eorumque supposita, et ea ex præcedentibus vel sequentibus, vel circumstantiis intelligenda relinquunt, 47, 2; 218, 1. verba sumunt pro verborum adverbiis, 263, 2. dum quid asseverare volunt, ipsum assertive congeminant, et negative triplicant, 315, 2. salutantes, apprecantur pacem, et sub ea intelligunt omne bonum, 280, 1; 631, 1. — *Vide* Pax. *ab* usurpant pro gradu comparativo, 244, 1. — *Vide* Judæi.

Hebron erat civitas sacerdotalis in tribu Juda, sita in monte: an in ea habitarit Zacharias, 28, 2.

B. Hedwigis, Ducissa Poloniæ, mire erga pauperes fuit affecta, 196, 2. hinc eorum lavit pedes, 527, 2. ejus humilitas, 262, 2.

Heli idem qui Eliacim, sive Joachim: fuit socer S. Josephi, 96, 1.

S. Hermenigild. pro fide occisus, occasio fuit, ut tota gens Wisigothorum transierit ad rectam fidem, 508, 2.

Herodis etymon et significata, 7, 1.

Herodis Ascalonitæ brevis descriptio, *ibid.* Joann. Baptistam etiam ad necem quæsivit, 51, 1. ejus filii inter se de successione in regnum patris contenderunt, 90, 2. reædificavit templum Hierosolymitanum, et quo anno cœperit et absolverit, 335, 1. quot annos fabricæ impenderit, *ibid.* quid in eo struxerit, *ibid.*

Herodes Antipas non fuit Christo infensus, etsi id assererent Pharisæi, 190, 2. cur vocetur vulpes, 191, 1.

Heroum sepulcra erant in urbe quasi templa, 119, 1. heroes multi fuere parvæ staturæ, 247, 1.

Hiems mystica animorum, est torpor, 477, 1.

S. Hieronymus a Deo vapulavit, quod Ciceronem sacræ Scripturæ præponeret, 538, 2.

S. Hilarion Orionum a legione dæmonum obsessum liberavit, 185, 1.





Hillel fuitne auctor sectæ Pharisæorum, 73, 1.

Historia divitis Epulonis et Lazari vera est historia, 229, 1. historia duorum discipulorum euntium in Emmaus, 274, 1.

Homo recto corpore creatus debet semper ad cœlestia intendere, 188, 1. ejus generatio quo pacto fiat, 305, 2 et seq. homo quid sit, per omnia prædicamenta, 314, 2 et seq. est velut rex, 369, 2. homo factus bestia, agnoscat Christum collocatum in præsepio, 60, 2. homo omnis nobis est proximus, 150, 1; 153, 2. homines exaltati sunt cum Deum incarnatum habent pro fratre, 59, 1. homines pauci sunt, respectu angelorum, 178, 1. didicerunt a diabolo mentiri, 450, 2.

Honorem Dei oportet zelare, 333, 2.

Horas diei duodecim habebant Judæi, quas pro ratione temporis vel breviabant, vel producebant, 320, 1; 486, 1. hora Christi ad moriendum erat a Deo Patre decreta, 421, 1; 430, 2. quomodo ejus hora ad miraculum in Cana patrandum nondum venisse dicatur, et quæ, 329, 2. an sit hora sexta, an tertia crucifixus, 613, 1.

Hortulanum cur putarit Magdalena esse Christum, 625, 2.

Hortum ad montem Oliveti de nocte Christus adibat sex ante mortem mensibus, ut in eo oraret, 482, 1. cur in eo pati incipiat, 606, 2. cur in horto urbi vicino sepeliri voluerit, 623, 2.

Hospitalitas deducit ad Christi cognitionem, 270

Hospitibus olim lavabantur pedes, 127, 1. et osculo excipiebantur, 2.

Hospitium Christus in terra habuit, non domum propriam, 320, 1.

Humanitas Christi an sensim a Verbo majorem hauserit sapientiam, 86, 2 et seqq. quomodo crescere in gratia et sapientia possit, et quid per eam intelligatur, 87, 2. ejus divinitatem tegebat, 383, 2 et seqq. est ab ea velut sigillata, 393, 1. a Deo dirigebatur, 415, 1. nunquam peccavit, 451, 1, 2. unde esset impeccabilis, 476, 2; 554, 2. a divina Verbi unione omnino sanctificata est, 481, 1. ea in ipso non habet subsistentiam humanam, 534, 2. est velut vitis, 561, 1. cur eam glorificari a Patre petat Christus, 590, 2 et seqq.; 594, 1. ea in cœlo non est conversa in divinitatem, 595, 1.

Humiles in se virtutes ut Dei dona agnoscunt, 36, 2. et simul suum nihilum, *ibid.* a Deo exaltantur, depressis superbis, 41, 1. salutant non salutati, 29, 1.

Humiliatio Dei, dum factus est homo, 59, 1. humiliatio sui via est ad gloriam, 195, 2. humiliatio Christi lavantis pedes suorum discipulorum, 523, 1, 2.

Humiliati exaltantur a Deo, 444, 2.

Humilitas capitur subinde pro vilitate et abjectione, 36, 1. ejus, ut virtus est, elogia, 2; 244, 2; 523, 2. decus est majestatis, et ejus præmium exaltatio, 66, 2; 68, 2 et seqq. est clavis scientiæ, 160, 1. ea Deus delectatur, 66, 1, 2. est via ad sublimitatem, 262, 1. ejus officia etiam a Prælatis obeunda sunt, 529, 1. est orationi necessaria, 565, 2; 557, 1. humilitas B. Virginis Deo mire placuit, 19, 2; 21, 1

Hydriæ unde dictæ; cur eis sit usus Christus in faciendo miraculo in Cana, 330, 1. quid sex illæ mystice denotent, *ibid.* earum mensura, *ibid.* 2.

Hydropici cujusdam inexspectata curatio, 194, 2. hydropicus a Christo sanatus an fuerit a Pharisæo Christum invitante etiam invitatus, et quare, 193, 2. sanatus est contactu manus ejus, 194, 2. non audebat ab eo remedium petere propter sabbatum, *ibid.*

Hydrops qualis sit morbus, 193, 1, 2. ejus remedia, effectus, causa, 194, 1, 2. hydrops spiritualis quis sit, 194, 1.

Hymnus a Christo decantatus an fuerit ante ultimum sermonem, an post eum, 605, 1.

Hyperbole S. Joannis quoad libros scribendos de Christo, 653, 1. 2.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hyperduliæ cultus B. Virgini defertur, 37, 2.
Hypostasis divina Christi omni natura humana major et potentior est, 479, 1. ea humanitatem sanctificavit, 481, 1. — *Vide* Humanitas.

## I.

Idiomatum naturæ divinæ et humanæ communicatio facta est in persona Christi, 306, 1, 2.
Idiotismi S. Joannis. 289, 1 et seqq; 290, 2.
Idololatria est fornicatio mystica, 448, 1.
Iehova nomen suum Deus Mosi revelavit, 40, 1.
S. Ignatius de Loyola publice pueris catechismum tradebat, 546, 1.
Ignis Dei et angelorum aptissimum symbolum est, 181, 1. quis sit ignis, quem Christus venit mittere in terram, 181, 1. ignis divini exempla in fidelibus, 181, 2. an ignis sacer absconditus a Jeremia et a Nehemia, inventus eo loco, quo fuit piscina, 372, 1. ignis inferni quomodo animas adurat, 224, 2.
Ignominia via ad gloriam est, 391, 2.
Ignorantia alia invincibilis, alia vincibilis, alia crassa, alia affectata, 180, 1. quæ ignorantia peccatum excuset, 466, 2. ignorantia B. Virginis circa mysteria vitæ filii sui, 84, 1.
Illuminantur omnes a Christo, quantum in ipso est, 303, 2.
Imaginum usus licitus est, 353, 1.
Impatiens possidetur a diabolo, 258, 2.
Imperatores Romani dire Christianos sunt persecuti, 574, 1.
Impii, Deo protegente, in justos nihil poterunt, 146, 2, dum concionatores vitia, quorum sibi sunt conscii, taxant, censent sibi injuriam fieri, 165, 1. bona in hac vita recipiunt, et carent cœlestibus, 225, 1, 2. negant vel carpunt miracula, etiam mortuorum resuscitationem, 225, 1. etsi timore Dei non moveantur, moventur tamen pudore hominum, 238, 2. negant futurum judicium, 241, 1. suum hic habent diem, in eaque habent pacem, 253, 1. eorum cæcitas, 154, 1 lucem fidei et gratiæ nolunt admittere, 302, 1; 395, 1. magno cum labore pariunt iniquitatem, 583, 2. si ab iniquitate resiliant, pertinent ad filios Dei, 230, 1. eorum horrenda mors, 254, 2. eorum vita in gehenna mors potius dicenda, quam vita, 490, 1. — *Vide* Reprobi.
Incarnatio Christi facta est die XXV martii, 14, 2. per eam futurum dicitur Dominus esse cum B. Virgine, 17, 1. hanc omne meritum antecedit, 20, 1. eam tota SS. Trinitas operata est, Spiritui Sancto tamen proprie tribuitur, 22, 1. tunc est in B. Virgine facta, cum illa ad angeli verba consensum dedit, 26, 1. ipsa simul, non sensim, est a Spiritu Sancto peracta, *ibid.* et seqq. hæc omnium Dei operum fuit maximum, et summæ potentiæ, bonitatis, sapientiæ, 33, 1; 38, 1 et seq. 58, 2; fuit ea patribus promissa, 42, 1. ejus series, 306, 1. ejus effectus, *ibid.* 2.
Increduli fidei, sunt inimici Dei, 352, 2. hi a Christo in die judicii accusabuntur, 518, 2.
Incredulitas Judæorum causa fuit eorum reprobationis, 478, 2.
Increpationes internæ sunt velut falx qua fideles purgantur, 538, 2.
Indignatio Christi Lazarum suscitaturi erat in mortem et diabolum, et contra Judaicam perfidiam, 493, 1. causa ejus erat Lazari mors, et sororum et aliorum ploratus, 2.
Indulgentias dare potest Rom. Pontifex, 646, 2.
Inexistentia divinarum personarum, 544, 2 et seqq.
Infantes recens natos excipit terra, 68, 1. infantes baptizandi sunt, non adulti, 339, 1. nascuntur in peccato originali, 2. olim iis dabatur Eucharistia, 401, 2; 403, 2. id jam vetitum est *ibid.*
Infantia (de) Salvatoris liber, est apocryphus, ..., 1.
Infanticidium contigit statim post purificationem Virginis circa Pascha, 8, 2.
Infernus est in centro terræ, 226, 1. ejus supplicia describuntur, et desperatio de liberatione, *ibid.*
Infideles fidem et fideles persecuti sunt, 181, 1. omnes damnationem incurrunt, 190, 2. eorum opera omnia non sunt peccatum, 561, 1, 2. — *Vide* Gentiles.
Infirmitates proximi sunt ferendæ, 375, 1. infirmitates nostras in se suscepit Deus, ut eas curaret, 510, 1. quomodo infirmitas Lazari fuerit pro gloria Dei, 485, 1. — *Vide* Morbi.
Ingratitudinis turpitudo, 234, 2.
*Ingredi et egredi* significat Hebræis libere munere suo fungi, 471, 2.
Inimici etiam nostri proximi sunt, 153, 1, 2. ipsis benefacere apex est patientiæ et charitatis, 466, 1, 2. pro iis vitam exponere, summa est charitas, 565, 1. 2.
Innocens non se jactet de innocentia, nec aliis peccata exprobret, 125, 2.
Innocentia semel amissa irreparabilis est, 211, 1. innocentia Christi, 534, 1.
Inobedientia frustrat parte divina, 586, 1, 2.
Inspiratio Spiritus Sancti illico auscultanda, 515, 1.
Insitia proprie quid sit, 496, 2.
Insufflavit cur Christus in Apostolos, 632, 2 et seqq. quid hoc symbolice et tropolog. significet, 633, 1.
Intellectus est animæ potentia nobilissima, et ejus operationes, 378, 2.
Intelligentia spiritualis maxime requiritur in Ven. Eucharistia, 411, 2 et seqq.
Intentio est velut oculus, 168, 1.
Interpretum quod esset olim officium in Ecclesia, 283, 1. interpretes varii S. Joannis, 221, 1, 2. et S. Lucæ, 3, 2.
Interrogare sapienter tam docti est, quam sapienter respondere, 82, 1.
Intinctus panis Judæ porrectus, non fuit Eucharistia, sed panis residui buccella intincta jusculo, 531, 1.
Invitare amicos ad cœnam licitum est, imo meritorium, si fiat ex charitate, 196, 1.
Ira superborum humiliter declinanda est, 456, 2. iram excitant in se ipsis, qui res arduas aggrediuntur, 402, 1. quæ sit ira bona, *ibid.* 2. quatenus et quomodo sit assumenda, *ibid.*
Isaaci immolatio erat typus immolationis Christi, 455, 1.
Isaias precibus suis fontem Siloe fecit erumpere, et juxta eum est sepultus, 460, 1, 2. cognovit apertissime, et vidit SS. Trinitatis personas in visione Seraphim, 516, 2.
Israel quid hebraice sonet, 42, 1.
Israelis gloria est Christus ob sex causas, 75, 1.
Israelitas Deus sæpius defendit et juvit, 41, 2. ipsis proprie Christus fuit promissus, 42, 2; 46, 1.
Israeliticæ Ecclesiæ status veniente Christo erat afflictissimus, 72, 2.
Italia vinis excellit, 550, 1, 2.
Iter Sanctorum a Deo dirigitur, 73, 1.
Ituræa unde dicta: ejus situs, 90, 2.

## J.

Jacob typus fuit Christi, 324, 2 et seq. maxime ut pastor, 472, 2 et seq.
Jacobus Minor fuit avunculus Jacobi Majoris, 97, 2.
*Jam* capitur subinde pro *amplius*, 215, 1.
Jannæ idem est qui Jannæus secundus Hyrcanus, 97, 2.
Januis clausis Christus ad Apostolos ingressus est, 630, 1 et seqq.
Japonii Martyres lento igne tosti constantes in fide perstiterunt, 188, 1.
Jejunium est tam corporis mortificatio, quam Dei cultus, 80, 1.



Jeremias in utero matris videtur sanctificatus, 11, 1.
Jerusalem est eversa ob Christum a Judæis occisum, 76, 1. est Prophetarum necatrix, 192, 2. ideo et Christum in ea mori oportuit, *ibid.* in eum mire fuit ingrata, 253, 2. quomodo a Tito fuerit obsessa, 254, 1. ad quas redacta sit angustias, 2. quomodo funditus subversa, *ibid.* cur ab ea cœperit Evangelii prædicatio, 283, 2.
Jesus est salvator in actu perfecto, 68, 2. Jesus nomen sanctius est quam *Jehova*, 40, 1. nominis Ἰησοῦς anagramma, 317, 2. — *Vide* Christus.
Joachim idem est qui Heli: fuit socer S. Josephi, 96, 1, 2.
Joanna, uxor Chusæ, venit ad ungendum Christum, 274, 1.
Joannis quod sit etymon, 10, 1.
Joannes dictus est pater S. Petri Apost. 321, 1.
Joannis abbatis visio de debito suo spirituali, 215, 2. sola Eucharistia diu vixit, 395, 2.
S. Joannes Apostolus et Evangelista pro Christi honore maxime zelabatur, 140, 1. an fuerit discipulus Joannis Baptistæ, et illo Christum indicante, eum sit secutus, 319, 1, 2. non fuit sponsus in Cana, quia semper fuit virgo, 327, 2. quando, ubi, quare Evangelium scripserit, 287, 1, 2. idque præmisso communi Ecclesiæ jejunio, et tonitruis ac fulguribus præviis, *ibid.* cæteros Evangelistas sublimitate superat, 287, 1. ejus materia et argumentum est excellens, 288. inter Evangelistas est ultimus, 287, habet dotes omnium Sanctorum, 288. est Theologus, Propheta, Apostolus, virgo, *ibid.* ei Christus revelavit secreta divinitatis recumbenti in sinu ejus, 288, 1. est doctor angelorum, *ibid.* datus S. Gregorio Thaumaturgo in præceptorem a B. Virgine, *ibid.* apparet S. Chrysostomo, *ibid.* ejus stylus, *ibid.* fuit Christo simillimus, *ibid.* celebriores Christi conciones et disputationes fusius enarrat, 2. duorum priorum annorum prædicationis Christi historiam præcipue texit, 289, 1; 290, 1. res graves per affirmationem et negationem contrariï asserit, 290, 2. asserit Christum aliqua dixisse, quæ ipse Joannes non narravit brevitati studens, 291, 1. solus narrat multa ejus miracula, *ibid.* cur a Verbi divinitate incipiat, 294, 1, 2. cur *amen, amen* ingeminet, 338, 2. ejus auctoritas et revelationes, *ibid.* delectatur nomine veritatis, *ibid.* quæ scribit, cognovit duplici cognitione, naturali et divina, *ibid.* subinde utitur hysterologia, 608, 2. in sinu Christi recumbit, 530, 2. quomodo recubuerit in ejus sinu, 531, 1 et seqq. interrogat eum de proditore, *ibid.* cur B. Virgini commendetur, 616, 2. erat charissimus Christo, 617, 1. et cur, 531, 1. ejus est honor quod datus sit Deiparæ in filium, 618, 1. eam exinde suscepit in sua, *ibid.* Petro quidem citius cucurrit, sed Petro reverentiam detulit, ut is prior sepulcrum introiret, 624, 2. quid de animi relaxatione senserit, 641, 2. an ante ultimum caput Evangelium suum finire voluerit, 638, 2. unde primum agnoverit Christum post ingentem piscium capturam, 642, 1. diligit castos, 2. quo zelo animarum fuerit, 647, 1. an sit mortuus: est venturus cum Elia et Henoch, 650, 1. est vere mortuus morte naturali, et quomodo, 650, 2. an corpus ejus resurrexerit, et cœlo illatum sit, *ibid.* et seq. ejus reliquiæ quomodo Ephesi colantur, 651, 1. quomodo sit Martyr, *ibid.* 78, 1. fuit ultimus vivens inter Apostolos, 651, 2. cur tamdiu permissus vivere, *ibid.* est typus vitæ contemplativæ, 652, 1. scripsit Evangelium contra novos hæreticos, 2. cur ipse et Jacobus petant Samaritanos fulgure afflari, idque ex nimio zelo, 141, 1.
Joannes Baptista natus diebus Herodis Magni, 7, 1. est a Deo repletus multiplici gratia, 10, 2. quomodo magnus fuerit, *ibid.* per omnem vitam Nazaræus fuisse videtur, *ibid.* plenus fuit Spiritu Sancto ex utero matris, *ibid.* an sit sanctificatus in utero, 11, 1 et seqq. præcessit Christum sextupliciter, *ibid.* 2. habuit spiritum et virtutem Eliæ, *ibid.* convertit corda patrum in filios, 12, 1. conceptus est XXIV septemb. 13, 2. et cur in æquinoctio autumnali, 14, 1. eum Christus suo adventu sanctificavit, et ab originali peccato expiavit, 27, 2; 30, 1. ad eum potissimum salutatio B. Virginis dirigebatur, 29, 1. exultans in utero fecit et matrem exultare, *ibid.* subsiliit cum vero sensu et usu rationis, *ibid.* 2. an in utero prophetarit, 30, 1. donatus ibi fuit usu rationis, *ibid.* tum quoque accepit donum prophetiæ, et gratiam eximiam cum omnibus virtutibus infusis, *ibid.* peccavit venialiter per subreptionem, *ibid.* 2. repletus Spiritu Sancto, eodem et matrem replevit, *ibid.* suo saltu in utero prælusit suo martyrio, 31, 2. ejus nativitati adfuit Deipara, 43, 1. dictus est a gratia et misericordia, quam accepit in visitatione B. Virginis, 44, 1. jam natus patrem Spiritu Sancto replevit, *ibid.* 2. cur ejus nativitas omnes in admirationem rapuerit, *ibid.* manus Dei erat cum eo diversimode, *ibid.* præludia ejus sanctitatis, 45, 1. huic pater testimonium dat, 48, 1. an patris de se verba intellexerit, *ibid.* 2. paravit venturo Messiæ viam, quotidie in spiritu crescebat, 51, 1. a pueris concessit in desertum, et ibi continuo mansit usque ad annum XXX, *ibid.* in desertum abiit fugiens Herodis sævitiam, *ibid.* et seq. quin et ob alias causas, *ibid.* et seq. in deserto austere et angelice vixit, 51, 2. scientiam et prædicationem cœlitus accepit, *ibid.* ejus elogium, *ibid.* 52, 2. quo anno cœperit prædicare jussus cœlitus, 91, 2. prædicabat pœnitentiam, 92, 1. singulis hominum statibus commoda dabat præcepta, 2 et seq. putatus Messias negat se esse, 94, 1. missus est a Deo in mundum, 302, 1. venit ut Christum testaretur esse lumen mundi, *ibid.* non erat Christus, sed ejus tantum testis, 302, 2. ante eum cœpit prædicare, 310, 2. ejus humilitas et prudentia, 315, 2; 317, 1. quomodo sit Propheta, 316, 1. ejus mansuetudo, 2. ejus de Christo testimonium, 310 1, 2; 318, 2 et seq.; 383, 2. ex Dei revelatione cognovit Christum, 318, 2. non cogit discipulos ad eum sequendum, sed tantum eum iis indicat, 319, 1. totum corpus baptizabat, 348, 1. usque ad incarcerationem baptizavit, *ibid.* reprimit discipulorum ambitionem, et Christum sibi præponit, 348, 2 et seq. subinde baptismi sui locum mutabat, 348, 1; 451, 2. fuit Christi paranymphus, 349, 1. cur se vocet amicum ejus, *ibid.* 2. libenter locum ei cessit, 350, quomodo ob illum gavisus sit, 350, 1. quo sensu ipse minui, Christus vero crescere debeat, *ibid.* et seqq. ipse per se baptizabat, nec potestatem eam discipulis delegandi jus habebat, 354, 1. erat lucerna ardens et lucens, 383, 2. cur Judæi eum spreverint postea, ita ut eorum invidia sit in carcerem conjectus, 354, 1.
S. Joannes Chrysostomus, quam generose mundi terriculamenta vicerit, 589, 2. ei apparet S. Petrus porrigens illi claves, et S. Joannes tradens librum Evangelii, 380, 2. egregias in S. Joannem scripsit homilias, 291, 1, 2. verus suorum fuit pastor, 479, 1.
S. Joanni Damasceno manum amputatam B. Virgo restituit, 86, 1.
Joannes Fischerus Episcopatum suum tenuem noluit commutare cum honoratiore, 473, 1.
P. Joannes Maldonatus Societ. Jesu egregie et fuse in Joannem scripsit, 292, 2.
S. Joseph in voto virginitatis, quod B. Virgo voverat, observationem consensit, etiam ante connubium, 22, 1 non est eam ad Elisabeth euntem comitatus, sed ei ancillam associavit, 28, 1. quo pacto dicatur pater Christi, 75, 1. quomodo potuerit esse filius Jacob et Heli, 94, 2 et seqq. videtur mortuus ante Christi passionem, 323, 1; 617, 1; 618, 2.
Josephus Scaliger unde putet Christum natum mense septembri, 63, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hyperduliæ cultus B. Virgini defertur, 87, 2.
Hypostasis divina Christi omni natura humana major et potentior est, 479, 1. ea humanitatem sanctificavit, 481, 1. — *Vide* Humanitas.


## I.


Idiomatum naturæ divinæ et humanæ communicatio facta est in persona Christi, 306, 1, 2.
Idiotismi S. Joannis, 289, 1 et seqq; 290, 2.
Idololatria est fornicatio mystica, 448, 1.
Iehova nomen suum Deus Mosi revelavit, 40, 1.
S. Ignatius de Loyola publice pueris catechismum tradebat, 516, 1.
Ignis Dei et angelorum aptissimum symbolum est, 181, 1. quis sit ignis, quem Christus venit mittere in terram, 181, 1. ignis divini exempla in fidelibus, 181, 2. an ignis sacer absconditus a Jeremia et a Nehemia, inventus eo loco, quo fuit piscina, 372, 1. ignis inferni quomodo animas adurat, 224, 2.
Ignominia via ad gloriam est, 391, 2.
Ignorantia alia invincibilis, alia vincibilis, alia crassa, alia affectata, 180, 1. quæ ignorantia peccatum excuset, 466, 2. ignorantia B. Virginis circa mysteria vitæ filii sui, 84, 1.
Illuminantur omnes a Christo, quantum in ipso est, 303, 2.
Imaginum usus licitus est, 343, 1.
Impatiens possidetur a diabolo, 258, 2.
Imperatores Romani dire Christianos sunt persecuti, 574, 1.
Impii, Deo protegente, in justos nihil poterunt, 146, 2, dum concionatores vitia, quorum sibi sunt conscii, taxant, censent sibi injuriam fieri, 165, 1. bona in hac vita recipiunt, et carent cœlestibus, 225, 1, 2. negant vel corrupunt miracula, etiam mortuorum resuscitationem, 225, 1. etsi timore Dei non moveantur, moventur tamen pudore hominum, 233, 2. negant futurum judicium, 241, 1. suum hic habent diem, in eaque habent pacem, 233, 1. eorum cæcitas, 154, 1 lucem fidei et gratiæ nolunt admittere, 302, 1; 395, 1. magno cum labore pariunt iniquitatem, 583, 2. si ab iniquitate resiliant, pertinent ad filios Dei, 230, 1. eorum horrenda mors, 254, 2. eorum vita in gehenna mors potius dicenda, quam vita, 490, 1. — *Vide* Reprobi.
Incarnatio Christi facta est die XXV martii, 14, 2. per eam futurum dicitur Dominus esse cum B. Virgine, 17, 1. hanc omne meritum antecedit, 20, 1. eam tota SS. Trinitas operata est, Spiritui Sancto tamen proprie tribuitur, 22, 1. tunc est in B. Virgine facta, cum illa ad angeli verba consensum dedit, 26, 1. ipsa simul, non sensim, est a Spiritu Sancto peracta, *ibid.* et seqq. hæc omnium Dei operum fuit maximum, et summæ potentiæ, bonitatis, sapientiæ, 33, 1; 38, 1 et seq. 58, 2; fuit ea patribus promissa, 42, 1. ejus series, 306, 1. ejus effectus, *ibid.* 2.
Increduli fidei, sunt inimici Dei, 352, 2. hi a Christo in die judicii accusabuntur, 518, 2.
Incredulitas Judæorum causa fuit eorum reprobationis, 478, 2.
Increpationes internæ sunt velut falx qua fideles purgantur, 539, 2.
Indignatio Christi Lazarum suscitaturi erat in mortem et diabolum, et contra Judaicam perfidiam, 492, 1. causa ejus erat Lazari mors, et sororum et aliorum ploratus, 2.
Indulgentias dare potest Rom. Pontifex, 648, 2.
Inexistentia divinarum personarum, 514, 2 et seqq.
Infantes recens natos excipit terra, 68, 1. infantes baptizandi sunt, non adulti, 339, 1. nascuntur in peccato originali, 2. olim iis dabatur Eucharistia, 401, 2; 403, 2. id jam vetitum est *ibid.*
Infantia (de) Salvatoris liber, est apocryphus, [illegible], 1.
Infanticidium contigit statim post purificationem Virginis circa Pascha, 8, 2.
Infernus est in centro terræ, 228, 1. ejus supplicia describuntur, et desperatio de liberatione, *ibid.*
Infideles fidem et fideles persecuti sunt, 181, 1. omnes damnationem incurrunt, 190, 2. eorum opera omnia non sunt peccatum, 561, 1, 2. — *Vide* Gentiles.
Infirmitates proximi sunt ferendæ, 375, 1. infirmitates nostras in se suscepit Deus, ut eas curaret, 510, 1. quomodo infirmitas Lazari fuerit pro gloria Dei, 485, 1. — *Vide* Morbi.
Ingratitudinis turpitudo, 234, 2.
*Ingredi et egredi* significat Hebræis libere munere suo fungi, 471, 2.
Inimici etiam nostri proximi sunt, 153, 1, 2. ipsis benefacere apex est patientiæ et charitatis, 460, 1, 2. pro iis vitam exponere, summa est charitas, 565, 1. 2.
Innocens non se jactet de innocentia, nec aliis peccata exprobret, 125, 2.
Innocentia semel amissa irreparabilis est, 211, 1. innocentia Christi, 534, 1.
Inobedientia frustrat parte divina, 526, 1, 2.
Inspiratio Spiritus Sancti illico auscultanda, 515, 1.
Insitia proprie quid sit, 490, 2.
Insufflavit cur Christus in Apostolos, 632, 2 et seqq. quid hoc symbolice et tropolog. significet, 633, 1.
Intellectus est animæ potentia nobilissima, et ejus operationes, 378, 2.
Intelligentia spiritualis maxime requiritur in Ven. Eucharistia, 411, 2 et seqq.
Intentio est velut oculus, 163, 1.
Interpretum quod esset olim officium in Ecclesia, 283, 1. interpretes varii S. Joannis, 221, 1, 2. et S. Lucæ, 3, 2.
Interrogare sapienter tam docti est, quam sapienter respondere, 82, 2.
Intinctus panis Judæ porrectus, non fuit Eucharistia, sed panis residui buccella intincta jusculo, 531, 1.
Invitare amicos ad cœnam licitum est, imo meritorium, si fiat ex charitate, 196, 1.
Ira superborum humiliter declinanda est, 456, 2. iram excitant in se ipsis, qui res arduas aggrediuntur, 402, 1. quæ sit ira bona, *ibid.* 2. quatenus et quomodo sit assumenda, *ibid.*
Isaaci immolatio erat typus immolationis Christi, 455, 1.
Isaias precibus suis fontem Siloe fecit erumpere, et juxta eum est sepultus, 460, 1, 2. cognovit apertissime, et vidit SS. Trinitatis personas in visione Seraphim, 516, 2.
Israel quid hebraice sonet, 42, 1.
Israelis gloria est Christus ob sex causas, 75, 1.
Israelitas Deus sæpius defendit et juvit, 41, 2. ipsis proprie Christus fuit promissus, 42, 2; 46, 1.
Israeliticæ Ecclesiæ status veniente Christo erat afflictissimus, 72, 2.
Italia vinis excellit, 550, 1, 2.
Iter Sanctorum a Deo dirigitur, 73, 1.
Ituræa ante dicta: ejus situs, 90, 2.


## J.


Jacob typus fuit Christi, 324, 2 et seq. maxime ut pastor, 472, 2 et seq.
Jacobus Minor fuit avunculus Jacobi Majoris, 97, 2.
*Jam* capitur subinde pro *amplius*, 215, 1.
Jamne idem est qui Jamnæus secundus Hyrcanus, 97, 2.
Januis clausis Christus ad Apostolos ingressus est, 630, 1 et seqq.
Japonii Martyres lento igne tosti constantes in fide perstiterunt, 188, 2.
Jejunium est tam corporis mortificatio, quam Dei cultus, 80, 1.





Jeremias in utero matris videtur sanctificatus, 11, 1.
Jerusalem est eversa ob Christum a Judæis occisum, 76, 1. est Prophetarum necatrix, 192, 2. ideo et Christum in ea mori oportuit, *ibid.* in eum mire fuit ingrata, 253, 2. quomodo a Tito fuerit obsessa, 234, 1. ad quas redacta sit angustias, 2. quomodo funditus subversa, *ibid.* cur ab ea cœperit Evangelii prædicatio, 283, 2.
Jesus est salvator in actu perfecto, 68, 2. Jesus nomen sanctius est quam *Jehova*, 40, 1. nominis Ἰησοῦς anagramma, 317, 2. — *Vide* Christus.
Joachim idem est qui Heli: fuit socer S. Josephi, 96, 1, 2.
Joanna, uxor Chusæ, venit ad ungendum Christum, 274, 1.
Joannis quod sit etymon, 10, 1.
Joannes dictus est pater S. Petri Apost. 321, 1.
Joannis abbatis visio de debito suo spirituali, 215, 2. sola Eucharistia diu vixit, 395, 2.
S. Joannes Apostolus et Evangelista pro Christi honore maxime zelabatur, 140, 1. an fuerit discipulus Joannis Baptistæ, et illo Christum indicante, eum sit secutus, 319, 1, 2. non fuit sponsus in Cana, quia semper fuit virgo, 327, 2. quando, ubi, quare Evangelium scripserit, 287, 1, 2. idque præmisso communi Ecclesiæ jejunio, et tonitruis ac fulguribus prævis, *ibid.* cæteros Evangelistas sublimitate superat, 287, 1. ejus materia et argumentum est excellens, 288. inter Evangelistas est ultimus, 287, habet dotes omnium Sanctorum, 288. est Theologus, Propheta, Apostolus, virgo, *ibid.* ei Christus revelavit secreta divinitatis recumbenti in sinu ejus, 288, 1. est doctor angelorum, *ibid.* datus S. Gregorio Thaumaturgo in præceptorem a B. Virgine, *ibid.* apparet S. Chrysostomo, *ibid.* ejus stylus, *ibid.* fuit Christo simillimus, *ibid.* celebriores Christi conciones et disputationes fusius enarrat, 2. duorum priorum annorum prædicationis Christi historiam præcipue texit, 289, 1; 290, 1. res graves per affirmationem et negationem contrarii asserit, 290, 2. asserit Christum aliqua dixisse, quæ ipse Joannes non narravit brevitati studens, 291, 1. solus narrat multa ejus miracula, *ibid.* cur a Verbi divinitate incipiat, 294, 1, 2. cur *amen, amen* ingeminet, 338, 2. ejus auctoritas et revelationes, *ibid.* delectatur nomine veritatis, *ibid.* quæ scribit, cognovit duplici cognitione, naturali et divina, *ibid.* subinde utitur hysterologia, 608, 2. in sinu Christi recumbit, 530, 2. quomodo recubuerit in ejus sinu, 531, 1 et seqq. interrogat eum de proditore, *ibid.* cur B. Virgini commendetur, 616, 2. erat charissimus Christo, 617, 1. et cur, 531, 1. ejus est honor quod datus sit Deiparæ in filium, 618, 1. eam exinde suscepit in sua, *ibid.* Petro quidem citius cucurrit, sed Petro reverentiam detulit, ut is prior sepulcrum introiret, 624, 2. quid de animi relaxatione senserit, 641, 2. an ante ultimum caput Evangelium suum finire voluerit, 638, 2. unde primum agnoverit Christum post ingentem piscium capturam, 642, 1. diligit castos, 2. quo zelo animarum fuerit, 647, 1. an sit mortuus: est venturus cum Elia et Henoch, 650, 1. est vere mortuus morte naturali, et quomodo, 650, 2. an corpus ejus resurrexerit, et cœlo illatum sit, *ibid.* et seq. ejus reliquiæ quomodo Ephesi colantur, 651, 1. quomodo sit Martyr, *ibid.* 78, 1. fuit ultimus vivens inter Apostolos, 651, 2. cur tamdiu permissus vivere, *ibid.* est typus vitæ contemplativæ, 652, 1. scripsit Evangelium contra novos hæreticos, 2. cur ipse et Jacobus petant Samaritanos fulgure afflari, idque ex nimio zelo, 141, 1.
Joannes Baptista natus diebus Herodis Magni, 7, 1. est a Deo repletus multiplici gratia, 10, 2. quomodo magnus fuerit, *ibid.* per omnem vitam Nazaræus fuisse videtur, *ibid.* plenus fuit Spiritu Sancto ex utero matris, *ibid.* an sit sanctificatus in utero, 11, 1 et seqq. præcessit Christum sextupliciter, *ibid.* 2. habuit spiritum et virtutem Eliæ, *ibid.* convertit corda patrum in filios, 12, 1. conceptus est XXIV septemb. 13, 2. et cur in æquinoctio autumnali, 14, 1. eum Christus suo adventu sanctificavit, et ab originali peccato expiavit, 27, 2; 30, 1. ad eum potissimum salutatio B. Virginis dirigebatur, 29, 1. exultans in utero fecit et matrem exultare, *ibid.* subsiliit cum vero sensu et usu rationis, *ibid.* 2. an in utero prophetarit, 30, 1. donatus ibi fuit usu rationis, *ibid.* tum quoque accepit donum prophetiæ, et gratiam eximiam cum omnibus virtutibus infusis, *ibid.* peccavit venialiter per subreptionem, *ibid.* 2. repletus Spiritu Sancto, eodem et matrem replevit, *ibid.* suo saltu in utero prælusit suo martyrio, 31, 2. ejus nativitati adfuit Deipara, 43, 1. dictus est a gratia et misericordia, quam accepit in visitatione B. Virginis, 44, 1. jam natus patrem Spiritu Sancto replevit, *ibid.* 2. cur ejus nativitas omnes in admirationem rapuerit, *ibid.* manus Dei erat cum eo diversimode, *ibid.* præludia ejus sanctitatis, 45, 1. huic pater testimonium dat, 48, 1. an patris de se verba intellexerit, *ibid.* 2. paravit venturo Messiæ viam, quotidie in spiritu crescebat, 51, 1. a pueris concessit in desertum, et ibi continuo mansit usque ad annum XXX, *ibid.* in desertum abiit fugiens Herodis sævitiam, *ibid.* et seq. quin et ob alias causas, *ibid.* et seq. in deserto austere et angelice vixit, 51, 2. scientiam et prædicationem cœlitus accepit, *ibid.* ejus elogium, *ibid.* 52, 2. quo anno cœperit prædicare jussus cœlitus, 91. 2. prædicabat pœnitentiam, 92, 1. singulis hominum statibus commoda dabat præcepta, 2 et seq. putatus Messias negat se esse, 94, 1. missus est a Deo in mundum, 302, 1. venit ut Christum testaretur esse lumen mundi, *ibid.* non erat Christus, sed ejus tantum testis, 302, 2. ante eum cœpit prædicare, 310, 2. ejus humilitas et prudentia, 315, 2; 317, 1. quomodo sit Propheta, 316, 1. ejus mansuetudo, 2. ejus de Christo testimonium, 310 1, 2; 318, 2 et seq.; 383, 2. ex Dei revelatione cognovit Christum, 318, 2. non cogit discipulos ad eum sequendum, sed tantum eum iis indicat, 319, 1. totum corpus baptizabat, 348, 1. usque ad incarcerationem baptizavit, *ibid.* reprimit discipulorum ambitionem, et Christum sibi præponit, 348, 2 et seq. subinde baptismi sui locum mutabat, 348, 1; 481, 2. fuit Christi paranymphus, 349, 1. cur se vocet amicum ejus, *ibid.* 2. libenter locum ei cessit, 350 quomodo ob illum gavisus sit, 350, 1. quo sensu ipse minui, Christus vero crescere debeat, *ibid.* et seqq. ipse per se baptizabat, nec potestatem eam discipulis delegandi jus habebat, 354, 1. erat lucerna ardens et lucens, 383, 2. cur Judæi eum spreverint postea, ita ut eorum invidia sit in carcerem conjectus, 354, 1.
S. Joannes Chrysostomus, quam generose mundi terriculamenta vicerit, 589, 2. ei apparet S. Petrus porrigens illi claves, et S. Joannes tradens librum Evangelii, 360, 2. egregias in S. Joannem scripsit homilias, 291, 1, 2. verus suorum fuit pastor, 470, 1.
S. Joanni Damasceno manum amputatam B. Virgo restituit, 86, 1.
Joannes Fischerus Episcopatum suum tenuem noluit commutare cum honoratiore, 473, 1.
P. Joannes Maldonatus Societ. Jesu egregie et fuse in Joannem scripsit, 292, 2.
S. Joseph in voto virginitatis, quod B. Virgo voverat, observationem consensit, etiam ante connubium, 22, 1 non est eam ad Elisabeth euntem comitatus, sed ei ancillam associavit, 28, 1. quo pacto dicatur pater Christi, 75, 1. quomodo potuerit esse filius Jacob et Heli, 94, 2 et seqq. videtur mortuus ante Christi passionem, 323, 1; 617, 1; 618, 2.
Josephus Scaliger unde putet Christum natum mense septembri, 63, 1.


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Josue idem est quod Jesus, 63, 2.
Judas vendidit Christum feria IV, 261, 1. offensus sermonis de carne Christi comedenda concepit aversionem ab eo, 412, 2. apud eum tamen mansit, 414, 1. cum primo electus est, bonus erat, 505, 1; 526, 1. cur vocetur diabolus, 414, 2. Lucifero similis est, ibid. a Christo etiam lotus fuit, et an primus, 524, 1, 2. an S. Synaxin sumpserit, 527, 2; 530, 1. murmurat contra factum Magdalenæ, 505, 1. ex unguento ejus divendito, aliquid sibi surripere decreverat, ibid. ei datus panis intinctus, 531, 1. et quare, ibid. 2. eo accepto abiit ad proditionem perficiendam, ibid.; 533, 1. quomodo in eum post buccellam intrarit satanas, ibid. ejus ingratitudo, 532, 1 erat in malo obstinatus, 534, 2 et quia pudebat eum, desperans ad proditionem perficiendam continuo exivit, 532, 2 et seq. ob ejus proditionem summopere indoluit Christus, 532, 1, 2. fuit filius perditionis, 567, 2. post datum osculum ad cohortem reversus, cum ea ad terram prostratus est, et sibi timuit, 607, 1. pecuniam partam in domo Annæ accepit, 608, 1. non videtur domum Caiphæ ingressus, ibid.
Judas Galilæus fuit auctor sectæ Galilæorum, et quid illa doceret, 155, 1.
Judas Machabæus templum restauravit, et purgatum rursus dedicavit, 477, 1.
Judæi extra urbem defunctos sepeliebant, 118, 2; 133, 2. eorum politia ter mutata est, 188, 1. in templo orabant genuflexi, vel stantes, 241, 1. non coluerunt Bacchum in festo Scenopegiæ, 417, 2. quem censum Romanis penderent, 54, 1. an ab iis subacti jus necis amisissent, 609, 1. erant sub lege velut servi, 212, 2 jactabant se justos, et Dei mandata non præteriisse, sed falso, ibid. quæ privilegia præ Gentibus habuerint, 213, 1. gloriabantur libertate et ingenuitate ab Abraham accepta, 446, 1; 447, 2 et seq. quibus gentibus olim servierint, ibid. quomodo Romanis subessent, et tamen essent liberi, 446, 1 erant degeneres ab Abraham, 447, 1, 2. putabant tantum unum fore adventum Christi, scilicet gloriosum, quem præcedet Elias, 318, 1. gloriari Messia possunt, quasi contribuli et consanguineo, 75, 1. hic ipsis promissus erat, ejusque fides et gratia, 283, 2. credebant animæ immortalitatem et resurrectionem corporum, 490, 1.
Judæi quo sensu Deum non nossent, 454, 1, 2. vivebant impie et gentiliter, ibid. quosnam per Judæos Joannes intelligat, 290, 1. ipsi fuere primo ad fidem et doctrinam Evangelicam vocati, et per quos, 197, 2. qualem Messiam exspectarent, et qualem eum futurum fingerent, 423, 2. putabant eum non moriturum, sed mansurum in æternum, 513, 2 et seq. ejus mysteria fuerunt eis abscondita, 254, 1. hinc visis Christi signis ei credere noluerunt, 367, 2; 75, 2; 304, 2. tres causæ cur in Christum non crederent, 290, 1; 451, 1, 2; 515, 1, 2. per prædicationem ejus facti sunt pervicaciores, 187, 1. quare ad Joannem Baptistam legationem miserint sciscitantes de Messia, 314, 1 et seqq. Christum Dei Filium se facientem lapidare volunt, 479, 2. ipsorum in eum ingratitudo, 480, 1. erant ex mendacio, 610, 1. ob superbiam in divite Epulone denotantur, 227, 1 et seq. viso multiplicationis panum miraculo, quasi id contemnentes, aliud cœleste a Domino petunt, 394, 1. visa Lazari resuscitatione quo animo ad Pharisæos abierint, 497, 2. volunt et Lazarum interficere, et cur, 507, 1. ad Christum capiendum missi, etiam post signum a Juda datum, eum non agnovere, percussi cæcitate, 606, 2. sed mox resupini retrorsum in terram cecidere, 607, 1. cur eum urserint de cruce tolli, 619, 2. etiam matrem Domini afflixere, et cruce adstanti insultarunt, 78, 1. — Vide Pharisæi, Pontifices, Scribæ.
Judæi in Malcho auribus trunco denotantur, 604, 2. murmurarunt ob Gentiles ad fidem et gratiam Christi admissos, 206, 1; 212, 1. ob suam incredulitatem et superbiam ab Evangelio seclusi sunt, 466, 1, 2. Christum pauperem regnare super se noluere, dum ejus sectatores, illo mortuo, exterminare conati sunt, 252, 1. eorum incredulorum excidium et damnatio, 252, 2. eorum aliqui Christo credidere post ejus mortem in cruce, et visis prodigiis, 445, 1. et eorum pauci ad fidem sunt conversi, 613, 2. sunt a Tito oppressi in Paschæ festo, 158 1. in fine mundi ab Elia convertentur, 212, 2.
Judex judicat secundum allegata et probata, etsi sæpe falso, 438, 1. judex reus non bene alium reum ejusdem criminis damnat, 434, 1. judices quare Hebræis dicantur Elohim, id est dii, 480, 1, 2.
Judiciaria potestas a Patre data est Christo, 381, 1, 2.
Judico significat subinde omnes actus qui in judicio peraguntur, 345, 2; 437, 2. quomodo Christus non judicet quemquam, ibid.
Judicium varie apud Joannem significat, 295, 2. sæpe condemnationem significat, 345, 2; 511, 2. quomodo in judicium Christus in hunc mundum venerit, 379, 2 et seq. qualiter judicium mundi Spiritus Sanctus convincet esse falsum, 577, 2 et seqq.
Judicium ante extremum deficiet fides in multis 241, 1. an id de nocte futurum sit, 236, 2. erit subitum et inopinatum, 240, 2. laqueo comparatur, 259, 1, 2. ejus meditatio efficax est ad movendos homines, 382, 1. id commisit Deus Pater Filio, 453, 1. erit id æquissimum, 382, 1, 2.
Judocus Clictovæus S. Cyrilli libros intermedios, qui perierant, supplevit, 291, 1, 2; 424, 2; 519, 2.
Julius Cæsar inter percussores suos Brutum suum videns, quid dixerit, 253, 2. ejus anni quando incipiant, 54, 2.
Jungimur Christo quasi palmites viti, 561, 1, 2.
Jus humanum et divinum, cedit juri naturæ, 422, 2.
Justificare capitur subinde pro justum profiteri, 120, 2. et pro justum esse et justitiam diligere, 150, 2.
Justificatio optime per aquam denotatur, 339, 2. ea fit per Spiritum Sanctum, 340, 2. justificationes et mandata legis quomodo differant, 8, 1, 2. cur præcepta dicantur Justificationes, ibid.
Justitia est via ad pacem animæ consequendam, 50, 2. Justitiam imputativam fidelium docent hæretici, 16, 1. in quo justitiam Judæi et Gentiles collocarent, 577, 1.
Justi fico repræsentantur, 187, 2. eorum alii sunt mercenarii, alii servi, 209, 1. non invident peccatoribus gratiam et gloriam, imo mire de ea exultant, 212, 1. eorum natalis communis est lætitia, 43, 2. petunt in Dei gratia conservari, 562, 1. hic affliguntur, sed post mortem gaudebunt, 581, 2. qui sint justi coram Deo, 8, 1. — Vide Sancti.

## K.

Κολυμβήθρα dicta est piscina Probatica, quasi natatoria, 372, 1, 2.
Κώμη, id est vicus, aliquando civitatem significat, 141, 1.
Κωφὸς tam surdum quam mutum significat, 18, 1.

## L.

Lacedæmonii suos in urbe sepeliebant, 119, 2.
Lacrymæ addendæ orationi, 493, 2. lacrymæ pœnitentium vinum sunt angelorum, 122, 1. lacrymis copiosis Magdalena Christi pedes lavit, 123, 1
Lacrymatus cur Christus in morte Lazari, 493, 2. ter est lacrymatus in vita, 494, 1
Lætantes in mundi voluptatibus in futuro lugebunt, 114, 2
Laici sub una specie tantum communicent, 404, 2. olim subinde sub utraque communicabant, 403, 1. sub una specie etiam bibunt sanguinem Christi, 396, 1.
Lampades Gedeonis quid mystice denotent, 175, 1.
Lancea Christi latus aperiens qualis fuerit, 620, 2. transiit per partem dextram usque ad cor, ibid.
Lapidatio statuta in adulteros, 432, 1 et seqq.
Laqueus symbolum est diei judicii, 259, 1, 2.
Latriæ cultus soli Deo debitus, 47, 2; 89, 1; 533, 2.
Latrones cur viatores despoliatos vulnerent, 151, 2.
Latro bonus alterum blasphemantem Christo increpat, 268, 2 et seqq. tunc confitetur Deum, ibid. ejus contritio, confessio, pœnitentia: Christi innocentiam confitetur, ibid. verba ejus ad Christum quem sensum includant, ibid. conversio ejus plane admirabilis fuit, ibid. et seqq. an prius etiam Christum blasphemarit, ibid. conversus est motivo tum externo, tum interno, ibid. ejus fides, spes, charitas, 269, 1. an fuerit martyr, 2 et seqq. elogia ipsius e sanctis Patribus, 270, 1 et seqq. quem paradisum ei Dominus promiserit, 271, 1. descendit in limbum patrum, ibid. nomen ejus fuit Dismas, ibid. 2.
Latus fuit apertum Christo non vivo, sed mortuo, 620, 1. apertione ejus nobis multum meruit, ibid. ea apertura fuit magna, ibid. 2. et penetravit a dextra parte usque ad cor, ibid. quomodo ex ea sanguis et aqua fluxerit, 621, 1. et cur, ibid. 2 et seqq.
S. Laurentii generositas in igne ferendo, 182, 1. tormenta sitivit et mortem, 183, 2. abluendis pauperum pedibus se ad martyrium disposuit, 521, 2.
Lauretana domus ab angelis est Lauretum translata, 15, 2.
Laus sui ipsius vilipenditur, 453, 2.
Lazari etymon, 220, 2.
Lazarus mendicus ut sanctus colitur, 220, 2. illius paupertas et ulcera, 220, 2. erat omnium ope destitutus, ibid.; 221, 1. erat vere leprosus, ibid. canes præ infirmitate abigere a se non poterat, ibid. novem ejus cruces, ibid. et seqq. ab angelis in sinum Abrahæ deducitur, 223, 1, 2. videtur ibi ab Epulone, 223, 2. est typus Christi, 226, 2.
Lazarus frater Marthæ dives erat ac nobilis, 483, 1, 2. quomodo ejus morbus non esset ad mortem, sed pro gloria Dei, 485, 1. erat Christo charus, ibid. cum Dominus mori permisit et sepeliri, et omnia fieri antequam domum ejus veniret, ut evidentius esset miraculum, 485, 2 et seqq.; 487, 1, 2; 494, 1, 2; 496, 2. quomodo quatriduanus fuisset in monumento, Christo in Bethaniam appellente, 487, 2. cur a sororibus non sit servatus insepultus, 489, 1. ejus excitatio difficilis erat, 492, 1. quomodo ad eum resuscitandum se paulatim Dominus pararit, 493, 2. erat quatriduanus, ergo fœtebat, 494, 2. ejus resuscitatio erat pro gloria Dei, 495, 1. voce magna Christi excitus ad vitam resurgit, 495, 1, 2. non prius a Deo animatur, 495, 2 et seqq. cur ejus vincula Christus non solverit, 496, 2 et seqq. excitatus ingentes egit ei gratias, 497, 1. brevis vitæ ejus epitome, ibid. cum Christo comedit jam resuscitatus, 503, 1, 2. cur eum Judæi vellent interficere, 507, 1.
Legatio Judæorum cur ad Joannem de Messia sit instituta, 314, 1 et seqq.; 315, 2.
Legio sex continet millia: cur se dæmones vocent Legio, 154, 2
Legisperitus quærens a Christo quid ad salutem habendam eum facere oporteat, quo animo ad ipsum accesserit, 150, 1. cum primo animo tentandi accessisset, audito Domini responso hunc mutavit, ibid.
Lenitas miscenda cum acrimonia, 152, 2.
Lepra qualis sit morbus, 232, 2. ejus signa sexdecim æquivoca, alia sex univoca et propria, ibid. et seqq. inveterata et perfecta est incurabilis, 233, 1. erat apud Judæos summa immunditia, 234, 1. ei obnoxia est Judæa et Ægyptus, 232, 2. lepra spiritualis est hæresis et concupiscentia, ibid.
Leprosi urbes et castella ingredi vetabantur, 233, 2. cur leprosi decem Evangelici a Christo longe stant, ibid. cur alta voce clament, 233, 2. cur ad sacerdotes mittantur, ibid. inter eundum ad illos curati sunt, 234, 1. eorum ingratitudo, ibid. 2.
Leuca continet tria milliaria Italica, 275, 2.
Levitæ sacerdotibus ministrabant, 151, 2.
Lex Mosaica a Christo mutata in Evangelicam, 331, 1; 361, 2 et seq. ejus et novæ sex differentiæ, 47, 2; 535, 1, 2.
Liber vitæ idem est quod distincta Dei præscientia, memoria, prædestinatio, 149, 1. est duplex vitæ liber, unus perfectus et completus, alter conditionatus, 2. liber de infantia Salvatoris est ab hæreticis confictus, 332, 1. libri Hebræorum erant una longa membrana, 102, 1.
Libertas vitæ multis est causa hæreseos, 287, 1. quadruplex libertas allata a Christo, 445, 2.
Libra erat duplex, mensuralis et ponderalis, 503, 2.
S. Licinia, uxor Maximini Imper., quia Christiana, ab eo necari jussa, 275, 1.
Ligni vitæ effectus, 395, 2.
Limbus patrum idem est quod sinus Abrahæ, 222, 1. ubi situs esset, ibid. longe distat ab inferno, 226, 1.
Linguæ et gentes orbis sunt LXXII, 144, 2.
Linguam quomodo dicatur habere anima Epulonis a corpore separata, 221, 2.
Linteo cur se Dominus præcinxerit lavans pedes discipulorum, 523, 2.
Litteræ nominis Adam quatuor orbis partes symbolice denotant, 335, 2.
Locus non tuetur Sanctos, 148, 2. locus in conviviis accipiendus, quem herus assignavit, 195, 2. locus natalis homini suas qualitates affricat, 441, 2. quomodo locum Apostolis parare vadat Dominus, cum multæ sint mansiones, 540, 1. locus mortis auget ejus celebritatem, 118, 2.
Λόγος quam varia significet, et omnes ejus significationes Verbo, id est Dei Filio, adaptantur, 296, 1 et seqq.
Loquor et dico qui differant, 519, 1. quomodo loquatur Christus in nobis, et quam efficaciter, 279, 2. loqui a semetipso quid sit, 518, 1, 2 et seqq.
Lotiones crebræ Pharisæorum inter epulas, 530, 1. in iis suam ponebant sanctitatem, 163, 2. lotio pedum Apostolorum præmissa fuit cœnæ Eucharisticæ, et quid innuerit, 522, 1. omnes lotionis hujus actus, 523, 2 et seq. quæ in ea lateant mysteria, 524, 2. lotio pedum non est fidelibus omnibus necessaria ante baptismum, nec est sacramentalis, ibid. fuit illa olim in usu Mediolani, 525, 1, 2. quæ sit causa mystica hujus lotionis et litteralis, 524, 1. cur postea velita, 525, 2. et lotio hæc diversimode fiebat, ibid.
S. Lucas scripsit græce suum Evangelium Græcis, 1, 2. cur facies bovis ei tribuatur, ibid. scripsit id contra apocrypha aliorum Evangelia, ibid.; 3, 1. fuit antiquior Cerintho, 2, 1. scripsit id acceptum ex ore Pauli et Apostolorum, ibid. fuit medicus corporum et animarum, 2, 2. quo tempore scripserit, ibid. semel a Paulo alio amandatus, ab eo rursus assumptus est, 3, 1. ubi evangelizarit: Pataris martyrio est coronatus, 3, 1. alius est a Lucio Cyrenensi, 3, 1. quæ fuerit ei causa scribendi, ibid. quænam habeat in suo Evangelio peculiaria, quæ alii tres non habent, ibid. plusquam alii Dei misericordiam commendat, 3, 2. varia ejus privilegia, ibid. in gestis Christi narrandis aliquando non servat temporis ordinem, 129, 1; 219, 2 et seqq. non fuit e LXXII discipulis, 2, 1; 144, 1. subinde utitur recapitulatione, 190, 2. non videtur Christum in carne vidisse, 274, 2. Evangelium orsus a templo, in templi devotione concludit, 284, 2.
Lucernæ ardentes in manibus quid mystice designent, 175, 1.

Lucifer Adamum et posteros ejus ex invidia occidit, 449, 2. qui in veritate non steterit, 450, 1 et seqq. ejus lapsus e cœlo in abyssum describitur, 448, 1. quodnam ejus fuerit peccatum, *ibid.* ipse est fulgur, 448, 1 et seqq.

Ludovicus Pius Imp. XL dies jejunus transegit, sola vivens Eucharistia, 396, 1.

S. Ludovicus, Franciæ rex, plurimos pauperes suæ mensæ adhibebat, eisque ministrabat, 196, 2. et pedes lavit, 527, 2.

S. Ludovicus, Tolosanus Episc., pauperes plurimos mensæ suæ adhibuit, 196, 2.

Lumborum præcinctio quibus conveniat, et quomodo intelligatur, 173, 2 et seqq.

Lumen vitæ tam est lumen gloriæ, quam fidei et sapientiæ Christianæ, 436, 1.

Lupi mystici sunt hæretici, scelerati, et diabolus, 474, 1.

Lutherus habuit dæmonem familiarem, 451, 1. ait omnia fidelium opera esse peccata, et per quodlibet peccatum mortale fidem amitti, 350, 1.

Lucem (per) passim gloriam suam manifestat Deus, 64, 1. lux symbolum est gratiæ et fidei, 302, 1. ejus et fontis magna est affinitas, 461, 1. lux vera est Christus diversimode, 303, 1. lux supernaturalis est vita nostra, 301, 1.

Luxuriæ carnis mortificatio per continentiam, est mystica lumborum præcinctio, 173, 2; 174, 1. luxuria etiam quemlibet luxum significat, 207, 1. consumit opes, etiam maximas, hominemque ad extremam inopiam redigit, *ibid.*; 207, 2.

Lycanthropus nocia in pecudes et homines grassatur, 133, 2.

S. Lydwina speculum patientiæ in suis morbis, 221, 2.

Lysanias senior occisus ab Antonio triumviro: ejus filius Lysanias præfuit Abilinæ, 91, 1.


## M.


Macedoniani negabant Spiritum Sanctum esse Deum, 299, 1; 300, 1.

Machabæi templum Zorobabelis exornarunt, 335, 2.

Magdalenæ quatuor etyma, 132, 2.

B. Magdalena de Pazzi mira humilitas, 262, 2.

Magdalum castellum B. Mariæ Magdalenæ erat in Galilæa juxta Bethsaidam, 121, 1; 132, 1.

Magnalia duodecim B. Virginis, 38, 1.

*Magnificat* canticum exponitur, 32, 2 et seqq. est id omnium canticorum præstantissimum, 33, 1. tres ejus partes, *ibid.* magnificat aliter homo Deum, et Deus hominem, *ibid.*

*Magnus coram Domino*, quid sit, 10, 2. quæ magna Deus B. Virgini fecerit, 38, 1.

Maius erat in Judæa mensis messis, 366, 1.

Mala temporalia justi æstimant ut bona, 22', 2.

S. Malachias iræ suæ dominabatur, 492, 2.

Malchus idem est quod rex: typus est populi Judaici, 607, 2.

Maledictio Pharisæorum in cæcum natum cassa fuit, 463, 2.

Mali quomodo in Ecclesia tolerandi, 505, 1. — *Vide* Impii.

Malitia hominis est directa causa obdurationis ejus, 516, 1.

Mammonæ etymon, 217, 2. mammona iniquitatis, quid sit, *ibid.*; 218, 2.

Manasses, uxore ducta alienigena, exclusus a sacerdotibus e templo, confugit ad Samaritas, et ibi pontifex est constitutus, 360, 2.

Mancipia olim dimensum annonæ et victus singulis mensibus accipiebant, 179, 1.

Mandata Dei servari debent et possunt, 8, 2. quomodo sint vita æterna, 519, 1, 2. ea observans ostendit se diligere Deum, 549, 2. et diligetur a Deo Patre, *ibid.* et seqq. cur mandata sua servari jubeat Christus, 547, 1. cur mandatum dilectionis dicatur novum, 555, 1. mandatum a Deo Patre Christus accepit moriendi in cruce, 476, 2. an id voluntatem ejus physice determinarit, *ibid.* an id potuerit non implere, 554, 2. — *Vide* Præceptum.

Manducatio Christi post resurrectionem fuit vera, 282, 2. manducatio spiritualis Eucharistica Calvinistarum et aliorum nonnullorum, rejicitur ut erronea, 401, 1 et seq.; 402, 2. corporalis tamen fit modo spirituali, 412, 1.

Mane unde dicatur, atque inde dicitur manicare, 259, 2.

*Manere* quid Joanni significet, 405, 2. quomodo per Eucharistiam in Christo maneamus, 407, 1. manendum in fide et dilectione Christi, 559, 2 et seqq.; 560, 1, 2; 560, 1.

Manichæi negabant Christum verum e B. Virgine carnem assumpsisse, 20, 1; 68, 1. sed phantasticam, 368, 1. duo ponebant rerum principia, sive duos deos, 294, 2 et seqq. putarunt Christum esse solem, 433, 2. dicebant diabolum a malo Deo creatum malum, 450, 1. sic et homines malos, 451, 2.

Manna erat panis cœlestis, 394, 2. erat inferioris dignitatis quam Eucharistia, *ibid.* ejus proprietates, *ibid.* non duravit in terra promissionis, 400, 2. non obstat mortem, *ibid.* erat figura Eucharistiæ, 407, 2.

Mansiones multæ sunt in cœlo, 539, 1, 2.

Manus quid symbolice denotet, 44, 2. manum ad aratrum mittens non respiciat retro, 142, 1, 2. manus Christi erant potentes, 189, 1. *In manus tuas commendo spiritum meum*, dicere Deo solent moribundi: hoc multi Sancti morientes dixerunt, 272, 1. quæ ejus rei ratio, *ibid.*

S. Marcella S. Marthæ ancilla, an fuerit ea quæ uterum Deiparæ laudavit: a Judæis pulsa Massiliam appulit, 162, 1.

S. Marcus non vidit, nec audivit Christum, 413, 1.

Marcus, Arethusæ Episcopus, suspensus in alto, et a vespis punctus, suos tortores irridebat, 512, 1.

Mare (super) ambulabat Jesus, 391, 2. mare Galilææ et Tiberiadis idem est, 390, 1; 391, 1; 640, 1.

Margarita pœnitentiæ est symbolum, 122, 1.

S. Margarita, Hungariæ regis filia, angelicam Salutationem recitans, ante imaginem Deiparæ flectebat, 27, 2.

Mariæ nominis etymon, 15, 2.

Maria, soror Moysis, unde dicta: fuit typus Mariæ Deiparæ, *ibid.*

Maria, uxor Cleophæ, sex habuit proles, nec aliam fuisse dici potest quæ Simonem peperit, 97, 1. hæc et Salome fuere filiæ Cleophæ: alias dicuntur Esther et Thamar, 97, 2.

B. Maria Virgo verum contraxit matrimonium cum Josepho, 15, 1. est domina maris hujus sæculi: ea ab omni lingua vocatur domina nostra, *ibid.* 2. fuit plena gratia et mare gratiarum, *ibid.*; 16, 1 et seqq. quomodo ad eam angelus sit ingressus, *ibid.* quo sensu plena fuerit gratia, 16, 2 et seq. gratia ejus in primo conceptionis instanti superavit gratiam supremi angeli, eaque semper adaucta est, 17, 1. plus a Deo amatur quam tota Ecclesia, *ibid.* tota SS. Trinitas cum ea erat, 2. dominatur in cœlo, mundo, purgatorio, inferno, 18, 1. est benedicta in mulieribus, *ibid.* et seq.; 31, 1. turbata est ad speciem angeli et ejus salutationem, 18, 2. passiones ei non fuerunt dominatæ, 19, 1. prudenter cogitabat quid angelo esset responsura, *ibid.* 2. a Deo ab æterno in matrem fuit electa, et mox ut nata fuit, omni virtute et gratia exornata, *ibid.* placuit singulis personis SS. Trinitatis: parvus quidam mundus est, *ibid.* ob humilitatem, virginitatem et ardentem charitatem meruit fieri Dei mater, 19, 2 et seq. non tamen de condigno, sed congruo, *ibid.*; 21, 1. non dubitat de promissi angelici veritate, sed de modo duntaxat inquirit, *ibid.* quam de virginitate sua fuerit sollicita, *ibid.* 2. ante conceptum emisit votum virginitatis, 21, 2. idque prima, 22, 1. ejus humilis resignatio sui, 25, 1, 2. assensit angelo ad Verbi conceptionem: optabat ardentissime Messiæ incarnationem, *ibid.* quomodo ipsum conceperit, *ibid.* et seq. et quo temporis puncto, 26, 1 et seq. in filii conceptione perfectam accepit sanctificationem, *ibid.* 2. quantum suo consensu in incarnationem meruerit, 27, 1. an viderit tunc Dei essentiam, *ibid.* et acceperit claram revelationem suæ prædestinationis, et exaltationis super omnes angelorum choros, *ibid.* 2. quamdiu angelus apud eam manserit, *ibid.* 2. quando adierit Elisabetham, et qua de causa, *ibid.* et seq. cur abierit cum festinatione, 28, 2. prius adiit Jerusalem, et in templo se suumque conceptum Deo obtulit, *ibid.* cur et quomodo cognatam salutaret, 29, 1. cur Zachariam non salutarit, *ibid.* nunquam peccavit venialiter, 30, 2. habuit in utero usum rationis, *ibid.* vere Dei mater est, 31, 2. vere beata fuit, est et erit, 32, 1. laudes sibi a cognata datas retorquet in Deum, *ibid.* ejus in angelo credendo magnanimitas, 32, 2. tota anima Deum magnificavit, *ibid.*; 33, 2. erat domina animæ suæ, eamque totam tradiderat filio, 34, 1. Deum summopere diligebat, *ibid.* magnificabat SS. Trinitatem, *ibid.* ejus ob conceptionem Verbi summa exultatio, 34, 2 et seq. mortua est ex amore et desiderio videndi filium, 35, 1. ob assiduum possessionem exultationis in Deum vitam agebat plane angelicam, *ibid.* quomodo vocet Deum salvatorem suum, *ibid.* 2. est mundi gaudium, *ibid.* ejus humilitatem respexit Deus, 36, 1. agnoscit se per virtutes, maxime humilitatem, ad maternitatem Dei evectam esse, 36, 2 et seq. est beata tripliciter, 37, 1. maternitas Verbi summa est in ea dignitas, *ibid.* prædicit se ab omnibus sæculis beatam prædicandam et invocandam, 37, 2. ejus dignitas, *ibid.*; 39, 1. quomodo ad concipiendum Dei Filium fuerit a Deo disposita, *ibid.* quid egerit apud Elisabetham, 3, 2. an adfuerit nativitati S. Joannis, 43, 1. cognatæ suæ precibus suis felicem partum impetravit, *ibid.* 2. Augusto Cæsari Romæ visa est, 54, 1. an prægnans iverit pedes e Nazareth Bethleem, 56, 2. peperit naturaliter, peracta naturali temporis ad pariendum usitati periodo, 57, 1. fuit magis mater Christi, quam sint aliæ matres filiorum suorum, *ibid.* peperit virgo, sine dolore et sorde, die Dominica, *ibid.* 2. et summo cum gaudio, *ibid.* et seqq. quomodo natum exceperit, 58, 1. et adorarit, 58, 2. cum pannis involvit ipsa partu non debilitata, 59, 2. conservabat omnia quæ audiebat de filio, conferens in corde suo, 67, 1; 86, 2. an purificari debuerit ob impuritatem naturalem, 69, 1; 70, 1. ejus partus fuit purissimus sine ullo sanguinis fluxu, 69, 2. non habuit menstrua, *ibid.* an habuerit secundinas, *ibid.* et seqq. ex humilitatis tamen studio purificari voluit, 70, 1. non habuit peccata quæ confiteretur, *ibid.* 2 et seqq. Filium suum Deum summa devotione obtulit genuflexo, 70, 1. paupertatis erat studiosissima, 71, 1. quæ susceperit Sacramenta, *ibid.* 2. cur mirata sit super his quæ Simeon dicebat, 75, 1. quid ex Simeone audierit ad se spectans, *ibid.* 2. virgo est, et non est, diverso respectu, 76, 2. quis gladius ejus animam pertransierit, 77, 1. an in filii passione de ejus resurrectione dubitarit, *ibid.* martyrium materiale non subivit, *ibid.* 2. quantus fuerit ejus dolor in filii passione, *ibid.* fuit plusquam martyr, 78, 1. an statim post purificationem e Jerusalem in Ægyptum fugerit, an prius Nazareth reversa sit, 81, 1 et seqq. ex Ægypto reversa una cum Josepho templum adiit, filium secum ducens, 81, 2. quid illo amisso mœreret sollicita, *ibid.*; 82, 1. quomodo eum jam inventum sit allocuta, 83, 1. ipsius humilitas in se Josepho postponenda, *ibid.* non noverat quomodo filius opus redemptionis mundi esset peracturus, 84, 1. per matrem descendit e Salomone, per patrem ex Nathan, 95, 2. cur in ejus assumptione legatur Evangelium de ministerio





Marthæ, et contemplatione Mariæ, 159, 2. ejus uterus fuit thalamus, templum et thronus gloriæ Filii Dei, 162, 1 et seqq. varia ejus elogia, 35, 2; 37, 2; 162, 2. cur iverit ad nuptias in Cana, 328, 1. orat filium modeste in defectu vini ex affectu bono, *ibid.* 2 et seq. petiit id certa cum fiducia, *ibid.* cur ministro jusserit facere quodcumque dixisset filius, 329, 2 et seqq. in passione ejus maximopere doluit, 77, 2. hinc cruci adstans fuit plusquam martyr, 615, 1 et seqq. an passa sit spasmum, *ibid.* 2. a filio Joanni commendatur, et ipsi Joannes, 616, 1 et seqq. ipsa plus est passa quam Christus, 617, 2 et seqq. cur relicta in terris post ejus mortem, *ibid.* est refugium fidelium, 617, 2

S. Maria Ægyptia per XVII annos graves passa est tentationes carnis, quia totidem annis vixerat impudice, 575, 1. canens *Nunc dimittis, Domine*, percepta Eucharistia demortua est, 74, 1.

S. Maria Magdalena una tantum fuit, non plures, 120, 2 et seq. his duntaxat Christum unxit, 121, 1. ejus monumenti inscriptio, *ibid.* fuit Judæa natione, sed habitasse videtur in Galilæa, *ibid.* cur dicatur peccatrix, 121, 2. ipsa a Christo depurata, ostendit vim gratiæ, *ibid.* cur venerit in domum Pharisæi: ejus pia impudentia, 122, 1. fuit alta et procera, 122, 2; 132, 2. genibus nixa pedes Christi lavit, 122, 2. ejus verecundia, *ibid.* fuit a Christo sagittata telo amoris, 123, 1. lacrymarum copiam fudit, *ibid.* capillis Christi pedes tersit, 123, 2. et eos est osculata, *ibid.* ejus publica pœnitentia, 124, 2; 128, 1. quid ejus unguenta denotent, 124, 2 et seq. ejus heroicæ virtutes, *ibid.* ejus vita in deserto, 124, 2. placuit Christo præ reliquis Sanctis, *ibid.* magna ejus dilectio, 125, 2 et seqq.; 127, 1, 2; 128, 2 et seqq. non audebat coram Christi facie comparere, 127, 1. quando ei peccata remissa fuerint, *ibid.* 2 et seqq.; 129, 2. quæ gratiæ ei a Christo sint concessæ, *ibid.* 2 et seqq. conversa eum ubique secuta est, 130, 1. in deserto vitam plane angelicam vixit, *ibid.* unde nomen habuerit Magdalenæ, 132, 1. an fuerit conjugata, *ibid.* septem ejecit ex ea Dominus dæmonia, *ibid.* 2. ejus pœnitentis devotio, 124, 2. sedebat secus pedes Jesu, eum avidissime audiens, 151, 1. Marthæ præfertur, 157, 1. gerit typum vitæ contemplativæ, 158, 2. cognito Christum advenisse ad fratrem suum excitandum, illico ad eum venit, 491, 2 et seq. cecidit ad pedes ejus orans, *ibid.* unguentum pretiosum effudit super caput Christi, 503, 2. item super pedes, 504, 2. mulierum ad sepulcrum venientium fuit dux, 624, 2. ejus ardens studium, et Domini quærendi desiderium, *ibid.* et seqq.; 625, 1. videt eum, nec agnoscit, 626, 1. varii ejus quærentis affectus, *ibid.* 2 et seq. unde Dominum agnoverit, 627, 1, 2. cur is tunc ab ea tangi se noluerit, 628, 1 et seqq. in ejus capitis fronte adhuc remanent vestigia digitorum Christi, 629, 1. viso Christo in horto propere ad socias rediit, et rursus cum iis eumdem redivivum conspicit, *ibid.* 2 et seq. est Apostolorum apostola, *ibid.* Christi fidem in Gallia disseminavit, *ibid.*

S. Maria Oigniacensis flectebat ante imaginem B. Virginis toties, quoties Salutationem angelicam recitabat, 27, 2. assidue cum Christo, B. Virgine et diversis Sanctis agebat, ut singulos ex habitu et voce nosset, 359, 1. sola Eucharistia longo tempore vixit, 395, 2.

SS. Marius et Martha ob visitatos et alitos Martyres incarceratos martyrium adepti sunt, 521, 2. S. Marthæ hospitalitas, 153, 2. quæ quia Christum hospitio recepit, ab eo mercedem recipit, dum ei morienti apparet, 154, 1. ejus sollicitum ministerium, *ibid.* et turbatio, *ibid.* 2. postponitur Mariæ quoad sortem, 157, 1. gerit typum vitæ activæ, 158, 2. una cum sorore significavit per nuntium Christo fratris sui Lazari morbum, 484, 2. earum modesta petitio, *ibid.* cur ipsæ ad Dominum non ierint, *ibid.* erant ipsi charæ, *ibid.* cur multi Judæorum eas solatum venerint mœstas ob fratris

mortem, 458, 2. cur ipsa Christo occurrit, non Maria, ibid. cur expostulet cum eo de mora adventus, 489, 1. exigua ejus fides, 490, 1; 494, 2. modeste voluntatem suam in Christum resignat, 489, 1. cur fratris corpus non servarit insepultum, ibid. a Christo ejus fides excitatur, 491, 2; 495, 2. sororem silentio monet adesse Christum, 491, 1. habuit alternantes motus fidei et diffidentiæ, 495, 1.
Martii die XXV mundus creatus, Christus conceptus et mortuus est, 14, 2. ab eo die multi inchoant annos Christi, ibid.
Martyres divini amoris igne succensi ridebant tormenta, 152, 1. perfectam habuere patientiam, 258, 2. eorum mors parit novos Christianos, 502, 2. operibus præviis humilitatis se ad martyrium disponuerunt, 321, 2. cicatrices vulnerum suorum in cœlo retinebunt, 351, 1; 631, 1, 2. Martyres Lugdunenses a servis suis falso accusati, 574, 1.
Martyrius monachus Christum in leprosi specie humeris gestavit, 139, 2.
Masculus natus cur offerri debebat Domino: sed quinque siclis redimebatur, 69, 1.
Massaliani docebant semper orandum, non manibus laborandum, 392, 1, 2.
Maternitas Dei in Deipara est dignitas incomprehensibilis, 21, 1. et fons omnium benedictionum et gratiarum ei a Deo datarum, 31, 1.
Matrem an Christus in nuptiis Canensibus reprehenderit, 329, 1. quam matrum luctus in morte unigeniti acerbus sit, 119, 1. matres multæ filios ad martyrium sunt adhortatæ, 615, 1.
Mathan fuit communis avus tam Josephi, quam B. Virginis, 96, 2. tres habuit proles, ibid.
Matrimonium inter B. Virginem et Josephum verum fuit, 15, 1. matrimonium etiam septimum licitum est, etsi sit indecens, 260, 1.
Matronæ quæ olim Romæ Apostolos et sanctos Pontifices aluerunt, 137, 2.
S. Matthias fuit e discipulis electus ad apostolatum, 124, 2.
Maximianus, Syracus. Episcopus, per Ven. Eucharistiam periculum maris evasit, 405, 2.
Mechanici laborando sibi victum parent, 86, 1.
Melancholici maxime a dæmone occupantur, 134, 1.
Mendacii inventor est diabolus, 450, 2. et ipsum procudit, ibid.
Mendicarit (an) aliquando Christus, 82, 2.
Menelich an sit filius reginæ Saba e Salomone conceptus, 60, 1.
Mens dicitur quasi eminens, 41, 1. mens nostra rex est, hæc ægra a Christo sananda, 369, 2.
Mensa (in) tenendus novissimus locus, non primus occupandus, 195, 1, 2.
Menstrua quid sint: ea non habuit B. Virgo, 69, 2.
Mensura tritici vel hordei olim servis quolibet mense dabatur, 179, 1.
Mercenarius pastor quis sit, 473, 2. hic lupo veniente fugit, ibid. et seqq.
Meritum bonorum operum adstruitur, 230, 2. merita Christi sunt causa prædestinationis æternæ fidelium, 397, 1.
Messias idem est quod Christus, 320, 2. ejus nomen erat Siloach, id est missus vel mittendus a Deo, 461, 1, 2. hic venit tempore deploratissimo regni Israelitici, 4[illegible], 2 et seq. hunc se esse Christus sensim aperuit, 338, 1. hunc esse Joannem malebant Judæi, quam Christum, 314, 2. eum jam debere venire sciebant passim Judæi, 363, 1. qualem Messiam Judæi exspectarent, 513, 2; 514, 1, 2. ejus ortus, an incognitus esse debebat, 423, 2 et seq. eum putabant Judæi fore æternum, nec moriturum: sed sinistre Scripturas intelligebant, 517, 2 et seq.
Messis quo mense fieret in Judæa, 2[illegible]0, 1. quæ sit messis spiritualis, 266, 1 et seqq.
Metathesis in multis vocibus variarum linguarum locum habet, 5[illegible], 1, 2.
Metreta quæ sit mensura, et unde dicta, 330, 2.
S. Michael est supremus omnium angelorum, 14, 1. præest precibus fidelium, 14, 2. est primus inter Seraphinos, ibid. Christum in horto orantem confortavit, 261, 2.
Militare quando licitum sit, 93, 2.
Militum tria sunt vitia, quæ triplici remedio curantur, 93, 1. variis iis dantur præcepta, 2 et seqq. miles latus Christi lancea aperiens, quis fuerit, 628, 1. videtur fuisse unus ex iis qui latronum crura fregerant, 2.
Ministrantes præcingunt lumbos, 175, 2.
Ministri ad Christum capiendum a sacerdotibus missi quod de eo dederint testimonium, 428, 2. et hi ob hoc ab Apostolis converti dein meruerunt, ibid.
Miraculum est opus Dei, 289, 1; 328, 1. qualia miracula fecerit Christus, et qualia Sancti, 289, 1. in iis Dei gloria est spectanda, 546, 2. miracula Christi semper habebant adjunctum aliquod auctarium, 376, 2. iis evicit Christus se esse Messiam et Deum, 384, 2 et seqq.; 394, 2; 478, 1, 2; 481, 1. multa ejus miracula a solo Joanne referuntur, 291, 2. inter miracula ipsius et Prophetarum magnum erat discrimen, 384, 2. potestas horum patrandorum semper et ubique ei erat prompta, ibid. hæc in eo operabatur divinitas in ipso inhabitans, 545, 1, 2. cur potissimum circa pauperes fiant miracula, 462, 2. ea non faciet Deus ad confirmationem mendacii vel hypocrisis, 464, 1. miraculum primum Christi fuit conversio aquæ in vinum, 329, 1. et quare, 331, 1. quomodo id peractum, 2. et an vere id primum sit, 332, 1. quomodo miraculum quinque panum et duorum piscium sit peractum, 390, 1.
Missa est sacrificium juge, sed incruentum, 403, 1.
Missionis auctoritatem petunt Pharisæi a Christo postquam vendentes templo ejecit, 334, 1. quia ea ad novam fidem docendam requiritur, 449, 1.
Mna sive mina, unde dicta: erat una Attica, altera Hebræa: quid utraque valeret, 251, 2.
Modicum quid sit, post quod visuri essent Apostoli Dominum, 580, 2; 581, 2.
Modimperatoris partes in conviviis quæ, 331, 1, 2.
Moyses in toto Pentateucho Christum præfiguravit, 387, 2. huic Christus opponitur et anteponitur, 312, 1 et seqq. non vidit Dei essentiam, sed tantum corpus quoddam luminosum ab angelo assumptum, 313, 1.
Monasteriis (in) etiam occurrere possunt scandala, 505, 2.
S. Monica filium suum suis precibus et lacrymis ad vitam sanctam revocavit, 120, 2 et seqq.
Mons quid tropologice designet, 28, 1. montes symbolum sunt Prophetarum et Patriarcharum e quibus natus est Christus, 100, 1. in montium medio urbes ædificari solent, non in summo vel imo, 106, 1. in montem Oliveti ultimis vitæ diebus de nocte Christus secedebat, 515, 1; 517, 1.
Montana Judææ et Hebron quæ sint, 28, 2.
Montanus hæresiarcha dicebat se esse Paracletum a Christo promissum, 547, 2.
Mora in bono proposito nocet, in malo prodest, 533, 1.
Morbi sæpe a dæmonibus immittuntur Deo permittente, 188, 2. sæpe ob peccata ægrorum, 376, 1. at non semper, 458, 1. at Sanctis ad probandam eorum patientiam, 376, 1, 2.
Mors quid sit describitur, 459, 1. ejus bona, 74, 1. unde Christiano sit optanda, ibid. 2. ea cuilibet imminet, 170, 1, 2. ad eam tendimus mox ut nati sumus, 315, 2. vocatur nox, 459, 1. et somnus, 486, 2; 490, 2. ejus luctus toti naturæ nostræ est communis, 488, 2. ejus contemptus parit gloriam, 591, 2. mors infernalis pessima, quia erit vitalis, 380, 1. mors impiorum quam sit terribilis, 254, 2. mors Christi manifestavit, qui in Israele probi, qui improbi essent, 79, 2. cur ejus mentionem apud Apostolos fecerit, 236, 1. hæc fuit mundo velut nox, 458, 2. fuit ei voluntaria, non coacta, 475, 1; 476, 2. ea vicit diabolum, 511, 2 et seqq.
Mortificatio remedium est cupiditatis, 194, 2. mortificatio concupiscentiarum via ad salutem est, 509, 1, 2. est hæc præmittenda S. Synaxi, 523, 1; 527, 1.
Mortui sunt quidam ex nimia lætitia, 85, 1. mortuos Dominus suscitat imperando, 119, 2. eorum resuscitatio opus erit Filii Dei, 380, 2. quomodo audient vocem ejus, ibid. 2. resurgent ad vocem Archangeli, 381, 1. mortui tres a Christo suscitati quid et quos denotent, 120, 1. solus mortuus mundo et voluptatibus Deum videre potest, 313, 1.
Morus arbor sapientissima est: unde dicta sit, 230, 1. est symbolum Evangelii crucis, ibid. et seqq. item diaboli, ibid. 2. dicta est a Græco μῶρος, id est fatuus, 247, 2. est arbor prudentissima, ibid. 2.
Motio aquæ in piscina Probatica quando ab angelo fieret, 372, 2 et seqq. quomodo illa ægros sanaret, ibid.
Μυστηρίζω quid proprie sit, 219, 2.
Mulieres olim in conviviis unguenta spargebant, 124, 1. mulierum colloquia separata cavenda sunt, 629, 1. cur mulieres piæ Christum sequerentur, 132, 1. et quæ, ibid. 2. cur mulieris nomine, non matris, Deiparam Christus moriens appellarit, 617, 1, 2. mulier inclinata per XVIII annos, quos repræsentet, 169, 1. — Vide Femina.
Mundanus unus cur oderit alium, 569, 1. mundanorum hominum vanitas, 198, 1. hi solertiores sunt in temporalibus bonis sibi providendis, quam Sancti in spiritualibus, 216, 2. non sunt capaces Spiritus Sancti, 548, 2. nec Deum videbunt, ibid. 2.
Mundi ex opificio naturaliter nosci potest Deus unus in essentia, 304, 2. ipse non est æternus, 603, 2. mundus capitur subinde pro hominibus mundanis, 304, 2. hic Christum incarnatum non cognovit, ibid. cur oderit pios, 569, 1. quomodo a Spiritu Sancto redarguendus sit, 576, 2 et seq. hunc ejusque principem vincunt fideles, 598, 1. qui sint homines de hoc mundo, 442, 1.
Murmur fratris filii prodigi quid et quos denotet, 212, 1, 2.
Murmurare Hebræis fuit solemne, 397, 2.
Mutuare et commodare qui differant, 161, 2.
Mutuum vox unde derivetur, 115, 2. mutuum ita dandum, nulla ut compensatio inde speretur, ibid. qui id non reddunt, vel sunt pauperes, vel ingrati, ibid.
Muti nati sunt surdi, et vice versa, 13, 1.
Mysteria vitæ filii qualiter B. Virgo [illegible]aret, 84, 1.

## N.

Nahar hebraice tam lumen quam flumen significat, 461, 1, 2.
Naim civitas ubi sita, et unde sic dicta, 118, 1.
Nardus pistica, quæ sit, 503, 2 et seqq. facile adulteratur, ibid. habet spicas et folia, ibid.
Natalem unius Joannis Baptistæ celebrat Ecclesia, 48, 2. hic et natalis Christi in diverso contingens solstitio, quid symbolice innuat, 350, 1. de natali Messiæ inquirere Judæi neglexerant, variis alioqui signis ejus visis, de solo natali loco dubitantes, 428, 1.
Nathan, filius David ex Bersabee, alius est a Nathano propheta, 98, 1. ex eo descendit B. Virgo per matrem, 96, 1, 2.
Nathanael erat a Cana Galilææ: quomodo sit a Philippo ad Christum adductus, 322, 1. quis fuerit: est verisimile fuisse S. Bartholomæum, ibid. erat legis studiosus, non doctor, ibid. 2. ubi requiescat: nominis ejus etymon, ibid. audito Philippo, ad Jesum cum eo venit, eumque agnovit esse Christum, 322, 1, 2.
Nativitas hominis duplex, carnalis et spiritualis, 339, 1, 2. tres nativitates habet Christus, 62, 2.
Natura manet eadem in damnatis, 230, 1. naturæ duæ in Christo fuere impermixtæ, 306, 1. ejus natura humana ortum habuit in Bethleem, divina fuit ab æterno, 423, 2; 428, 1. ac divina rebus omnibus creatis est major, 479, 1.
Navem conscensuri olim Eucharistiam secum sumebant, 405, 1, 2. effecit Christus ut navis esset in portu Capharnai in momento, 391, 1, 2.
Nazareni in Christum acerbiores fuere, 104, 1, 2; 106, 1, 2. et ideo derelicti, 105, 2 et seqq.
Nazareth habita patria Christi, quia in ea conceptus, et ejus mater cum Josepho ibi habitabat, 15, 1. quantum a Jerusalem distet, 28, 2. erat vicina Canæ Galilææ, 322, 2. sed locus obscurus et ignobilis, ibid.
Nestorius negabat B. Virginem esse matrem Dei, 30, 1. docebat Christum non solum naturam hominis, sed et personam assumpsisse, 308, 1.
Nicodemus idem sonat quod victor populi: hinc ipse superans metum Pharisæorum, credidit in Christum: adscriptus est catalogo Sanctorum: erat vir primarius inter Judæos, 337, 1, 2 et seq. cur venerit ad Jesum nocte, ibid. petit a Christo viam ad regnum cœlorum, 338, 2. non intelligebat spiritualia ejus mysteria, 342, 1. fides ei deerat, ibid. hinc Christus eum docet, 342, 2. quomodo eum apud collegas suos tueatur, et inauditum condemnari vetet, 429, 2. ejus corpus copioso unguento perfudit, 622, 2. ob hoc pietatis officium factus est semimartyr, ibid.
Nicolaus Lyranus unde dictus: breve ejus elogium, 292, 2. plus æquo fabulis Judaicis consentit, ibid.
Nisi aliquando idem est quod sed tantum, 377, 2.
Nocturnarum vigiliarum divisio, 178, 1.
Nomen infanti dabatur in circumcisione, 43, 2. maxime cognatorum et patrum illustrium, 44, 1. nomina nonnullis indita ab eventu præsenti, vel futuro, ibid. nomina, ut ovibus, sic dantur fidelibus, 470, 1. quomodo in nomine Christi prædicata pœnitentia et remissio peccatorum, 283, 1. a Deo in nomine Christi petendum, quidquid petimus, 546, 2. quid sit in illo petere, 585, 1. est id apud Patrem magni ponderis, 584, 2. quomodo in nomine Filii Spiritus Sanctus mittatur, 551, 2. nominis sui claritatem a Patre petit Christus, 591, 1, 2; 594, 1, 2.
Nonnus Panopolitanus Joannem versibus heroicis elegantibus expressit, 291, 1.
Res notabiles asserit Joannes per affirmationem, et simul contrarii negationem, 290, 2.
Novitios in Religione a tentationibus præservat Deus, 575, 2.
Νοῦς, id est mens, vocatur Deus Pater, 297, 1.
Nox quid symbolice designet, 533, 2. est piscationi aptissima, 641, 1. nocte orandum, die laborandum esse docet exemplo suo Christus, et multi anachoretæ, 80, 2; 113, 1; 259, 2. cur de nocte Judas ad proditionem perficiendam exiverit, 533, 2.
Nubes gignit pluviam, 24, 1. cur nubes ab occasu imbrem nuntient in Judæa, 184, 1. secus in aliis locis, ibid.
Nuntii habent lumbos accinctos, 174, 7.
Nuptiæ unde dicantur, 327, 2. eas Christus sua præsentia honoravit, 328, 1. nuptiæ in Cana quo die et anno contigerint, 326, 2. nuptiæ spiritales animæ cum Deo habent aliquando defectum vini, id est gratiæ, 329, 1. quomodo eæ fiant, 332, 1. nuptiæ Christi cum Ecclesia quæ sint, et quomodo is ab iis dicatur reverti, 177, 1.

## O.

Obdurati, si velint, possunt se ad Deum convertere, 516, 1.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Obediens Superiori dirigitur a Deo recta ad portum salutis, 85, 1.
Obedientiæ præstantia, 84, 2 et seqq. ipsa nobilissimas hominis potentias Deo offert velut in holocaustum: omnia opera ex ea facta, facit meritoria, 85, 1. est mater virtutum, ibid. cæteris virtutibus est præferenda, 526, 2. Superiori quasi Deo exhibenda, 85, 1; 147, 1. obedientia Christi erga parentes erat quoad naturam humanam, non divinam, 84, 2. ejus obedientia in morte oppetenda, 478, 1, 2. obedientia Deiparæ cruci filii adstantis, 615, 1.
Obnubere antiquis quid esset, 327, 2.
Obstinatio sæpe impedit tractum Dei, 399, 1, 2.
Obumbratio Spiritus Sancti quomodo intelligenda, 23, 2 et seqq.
Octava dies Scenopegiæ erat tam solemnis ac prima, 426, 1.
Odia infidelium contra fideles, sunt velut ignis: ea Christus occasionaliter excitavit, 181, 2. odium mundanorum erga pios, 569, 1.
Odisse subinde idem est quod minus diligere, 209, 1.
Offensus offendenti reconcilietur, 139, 2.
Officia humilia exercere, ad humilitatem via est, 196, 1.
Olei usus in vulneribus, 132, 1. oleum symbolum est misericordiæ, 432, 1.
Operari bene omnes tenemur, 230, 2.
Operarii inter operandum lumbos præcingunt, 173, 2.
Opes veterum erant in pecoribus, 195, 1. opum nostrarum nonnisi dispensatores sumus a Deo constituti, quorum dispensationis exactam is a nobis rationem reposcet, 215, 1; 217, 1; 218, 2. earum affluentia est illecebra peccandi, 170, 1. unde vocentur iniquæ 217, 2. et cur alienæ, 218, 2 et seqq.
Opera naturalia possunt facere infideles, non ea quæ sunt gratiæ, 561, 1, 2. per opera bona meremur vitam æternam, 230, 2 et seqq. sunt ea cibus permanens in vitam æternam, 392, 2. eorum vis, necessitas, integritas, 559, 1. homo ex interna Christi gratia habet vim ea producendi, 560, 1, 2. opera heroica fortiter aggredienda sunt, 140, 2. opera SS. Trinitatis ad extra sunt tribus personis divinis communia, 544, 2. opera Dei perfecta sunt, 332, 1. quæ vocentur opera Dei necessaria ad comparandum panem permanentem in vitam æternam, 393, 2. opera theandrica Christus non sibi, sed Patri suo attribuit, 84, 1. in iis nihil juris habebant parentes ejus, 329, 1. opera Christus in dies excellentiora edebat, unde videbatur crescere in sapientia et gratia apud Deum et homines, 87, 1, 2. hæc de eo testimonium perhibebant, 384, 1. opera majora quam Christus, faciet credens in eum, 515, 1, 2. [illegible] quid sit, et unde dicatur, 611, 1, 2.
Optimus erat epithetum præsidum et magistratuum, 7, 1; 232, 2. optima Deo offeranda, 504, 2.
Orare semper quomodo nos oporteat, 238, 1. et cur, 201, 2. quis orandi modus sit, 195, 2. an orantes pro aliis etiam exaudiantur, 596, 1. pro quo oratur, debet cum orante collaborare, ibid. 2. orari vult Deus, nihil dat non oratus, 587, 1. ter oravit Christus in horto, 265, 2 et seqq. orabat plerumque de nocte, 432, 1, 2. oravit ante passionem pro Apostolis, 596, 1, 2. item pro omnibus fidelibus, 599, 2.
Orationem (per) invenitur Deus amissus, 83, 2. oratio assidua jungit nos Deo, 156, 1. in ea requiritur perseverantia, 161, 1; 235, 1. ejus elogia, ibid. ejus dignitas, necessitas et vis, 240, 1. condienda est lacrymis, 193, 2. quas habere debeat conditiones, 585, 2. quæ in ea virtutes exerceantur, 587, 2. ejus elogium, ibid. oratio humilis a Deo exauditur, superba rejicitur, 241, 2. oratio in Christi nomine ad Patrem facta, omnia impetrat, 554, 2. orationis Dominicæ tantum quinque petitiones assignat S. Lucas: an eam bis Dominus docuerit, 161, 1. oratio mentalis est hujus vitæ beatitudo, 157, 2. oratio publicani veniam peccatorum potentis, 243, 2. oratio nocturna commendatur, 80, 2. ea usurpata a Christo, 119, 2. oratio Christi ad passionem ituri, 590, 1 et seqq. orationem suorum exaudit Deus, 516, 2.
Oriens est nomen proprium Christi, 49, 1.
Origenes semina jecit arianismi, 228, 2; 229, 1.
Ortum (in) Christi plebs non inquirebat ex desidia, Scribæ ex invidia, ut ex eo discerent an ipse esset verus Messias, 429, 1.
Osculum symbolum est reconciliationis et amoris, 125, 2. osculo excipiuntur hospites et convivæ, 127, 2.
Ὅσιος et ἅγιος, id est sanctus, quomodo differant, 29, 2 et seqq.
Ossa quarum rerum sint symbolum, 622, 2 et seqq. cur ossa agni Paschalis frangi non licuerit, et Christi non debuerint, ibid. et seqq.
Ostii ovilis parabola explicatur, 468, 1.
Otiosus nemo in cœlum admittitur, 174, 1.
Ova valde nutriunt: ita sunt dicta quod sint uvida, 162, 2.
Oves pastoris vocem agnoscunt, 469, 2 et seqq. significant mystice fideles, 645, 2 et seqq. oves errantes symbolum sunt peccatorum, 203, 1. oves Christi sunt homines, sed maxime fideles, 478, 2. — Vide Fideles.
Ovile unum et unus pastor, quando factum vel futurum sit, 475, 1, 2.

## P.

S. Pachomius conversus est visa charitate Christianorum, 586, 1.
Pactum Dei cum patribus de Messia nascituro, 46, 2 et seqq.
Palæstina ob ingentes calores lepræ est obnoxia, 232, 2.
Palmitem infructuosum tolli, et fructuosum purgari a Deo Patre, quid sit, 558, 1, 2. quasi palmites jungimur omnes Christo, 561, 1, 2.
Palpatio corporis Christi an fuerit sufficiens argumentum resurrectionis ejus, 281, 1.
Panis Hebræis omnem escam significat, 193, 1. panis mensalis est signum pacis et amicitiæ, 581, 2. panum miraculum recensetur, 390, 1.
Panni quibus Christus recens natus involutus, fuerunt pauperes, sed mundi, 59, 2.
Parabolis gaudent Syri et Hebræi, 469, 2. parabola et proverbium sæpe idem sunt, 586, 1. parabolæ Evangelicæ non sunt per omnia accommodandæ, 558, 1; 560, 2. parabola ficus infrugiferæ exponitur, 188, 1, 2. turris ædificandæ, 200, 1. et regis bellum meditantis, 201, 1. et salis, 202, 1. ovis perditæ, 203, 2. drachmæ perditæ, 205, 1. et filii prodigi, ibid. 2. villici iniqui, 214, 1. ejus applicatio, 215, 2 et seqq.; 219, 1. servi de agro colendo regressi, 230, 1. judicis et viduæ importunæ, 238, 2. Pharisæi et publicani, 241, 2. exponitur, ibid. decem minarum servis creditarum, 251, 1. ostii ovilis, 468, 1. ea exponitur et applicatur, ibid.; 469, 1 et seq.; 470, 1 et seqq. et pastoris boni, 472, 1.
Paracletus tria significat, 547, 1, 2. paracletus nomen est Spiritus Sancti, 570, 1, 2.
Paradisus an supersit: est corporum, non animarum receptaculum, 271, 2. quem Paradisum latroni Christus addixerit, ibid.
Paralysis est morbus incurabilis: est symbolum peccati consuetudine roborati, 374, 1.
Paralytici ad piscinam jacentis curatio, 371, 1. quid hæc allegorice denotaret, 374, 1. cur interrogetur a Christo an velit sanus fieri, ibid. 2. ad ejus quæstionem non directe respondet, ibid. cur eum sabbato curarit, 375, 1. quomodo responderit ipse Judæis, 375, 2. adiit templum Deo gratias acturus, 376, 1. ob occultum peccatum longo afflictus fuit morbo, et a Christo monetur ut deinceps ab eo sibi caveat, ibid. excitatur ad contritionem, ibid. 2. ejus gratitudo, ibid. a Christo sanatur in anima et corpore, 422, 2.
Paranymphi qui dicerentur, quæ eorum partes, 349, 1, 2.
Parasceve erat dies pridie sabbati, 613, 1, 2.
Parati ad moriendum sæpe simus, 175, 1.
Parentibus filii obediant, 84, 2. habeant eorum curam, 616, 2. parentes solent impedire studium vitæ perfectioris in filiis, 142, 1. sæpe in iis puniuntur, 458, 1, 2. parentes cæci nati quam prudenter Pharisæis respondeant, 463, 1. parentes Christi quid metuerent illo amisso in Jerusalem, quomodo eum quærerent, 82, 1. quomodo eum docentem mirati sint, 83, 1. eos ipse non reprehendit, 2.
Parochi boni munia, 472, 2 et seqq.
Pars in Script. significat sortem hæreditariam, 157, 2. quam partem Petrum non habiturum nisi lavari sibi pedes sineret, Dominus insinuaret, 525, 1.
Particulæ adverbiales et conjunctivæ in S. Joanne valde sunt expendendæ, 290, 1.
Parturientium dolor, 583, 1.
Partus Deiparæ fuit purissimus sine ullo sanguinis profluvio, 69, 2. ipsa adfuit partui Elisabethæ cognatæ, 43, 1 et seqq.
Parvi solent esse magnanimi, 247, 1.
Pascere in Script. significat etiam regere, 645, 1, 2.
Pascha per sextiduum durabat, 81, 2. erat festum celeberrimum, 112, 1, 2; 371, 1. et festum hilaritatis, 591, 1. multi ad hoc rite celebrandum prius Jerusalem veniebant, ut sacrificiis præviis sese ad hoc præpararent, 2. qua occasione sit institutum, et quid significet, 521, 2. Pascha ultimum vitæ Christi incidebat tunc in feriam quintam, 503, 1; 521, 1. quatuor Paschata Christus tempore prædicationis suæ habuit, 371, 1.
Paschales victimæ vocantur etiam Pascha, 606, 2.
Passio Christi quantopere matrem ejus afflixerit, 77, 2. est velut balneum æstuans, 183, 1. quomodo ad eam anhelarit, 2. ea velut parturitio fuit, 582, 2. denotatur in piscina Probatica, 373, 2. fuit voluntaria, non coacta, 424, 1. vite denotatur, 557, 1. cessit Christo in gloriam, 590, 2.
Passiones multæ hominis excipiendæ sunt, 313, 2. an et quomodo passiones fuerint in Christo, 493, 1. eæ in ipso et B. Virg. fuerunt voluntariæ, 616, 1.
Pastores ad Christum in Bethleem visendum, ab angelo exciti, fuere tres, et eximii evaserunt Sancti, 63, 1. cur ii primi ad Christum vocati sint, variæ dantur causæ, 2; 64, 2. cur valde timuerint, ibid. quod ab angelo signum Christi accipiant, ibid. et seqq. interius ab angelo illuminati cognovere eum esse Deum ac mundi redemptorem, 66, 2. ibi fuere justificati, aut, si jam justi erant, magnum sanctitatis incrementum acceperunt: cur festinarint, ibid. quæ ab angelo de Christo acceperant, etiam aliis narrarunt, sed hi soli in eum crediderunt, ibid.
Pastores ovium, quid iis præstent, 470, 1. solent ovibus nomina quædam imponere, ibid. octo eorum munia, ibid. et seqq.; 472, 2. pastor est Christus, 469, 1, 2. et pastor bonus, 472, 1. et pastor unicus, et pastor pastorum, 472, 1, 2. pastor bonus vitam suam pro ovibus exponit, 473, 2; 475, 1. nec fugit veniente lupo, 474, 1. pastores spirituales qui sint, 468, 2. quid acturi in perditione subditorum, 120, 1. vita clarescant et moribus, 64, 1; 470, 1. quid subditis præstare debeant, 472, 2 et seqq. triplici modo eos pascere debent, 647, 1. ab iis plus Deus exiget, quam a subditis, 180, 1, 2. fideles a noxiis defendant, et iter in cœlum iis ostendant, 470, 1, 2. qui fuerint spurii pastores Judæorum, 468, 2. pastores constituendi sunt aptissimi, 649, 2.
Pastoritia ars est innocentissima, 63, 2.
Pater subinde est idem quod inventor, 450, 2. pater in divinis non est major Filio, 553, 2. quomodo Pater cœlestis operatur usque modo, 377, 1. patres in tenebris limbi agebant, 50, 1. ad Messiam ardentissime anhelarunt, 74, 1; 454, 2. patres morituri commendent filios Deo, 590, 1.
Pati Christus debuit ut in gloriam suam intraret, 278, 1.
Patientia est animæ possessio, 255, 1. videtur complexio omnium virtutum, 2. patientiæ speculum Christus est, 503, 2.
Patienter fructus boni operis est exspectandus, 133, 1, 2.
Patria viro fideli non curanda, sed ei orbis est, 105, 1. extra patriam homines optimi sunt quærendi, ibid.
Patriarchæ non cognovere Dei Filium, nisi ex peculiari Dei revelatione, 304, 1. omnes Messiæ adventum ardenter desiderarunt, 454, 2. fuerunt pastores ovium 472, 2.
Pauci e Judæis Christum receperunt, 305, 1.
Paucitas salvandorum, 190, 1, 2.
S. Paulinus pro viduæ filio se in servum vendidit, 252, 2.
S. Pauli conversio vera fuit, 130, 2. singulis propria dat præcepta, 179, 1. quam plenus fuerit Spiritu Sancto, 493, 2. fuit quasi tonitruum, 311, 1. zelum ardentem animarum habuit, 647, 1, 2.
Paulo Orosio omnis locus patria erat, 105, 1.
S. Pauli Simplicis visio de peccatore converso, 204, 1.
Pauperes cur vocentur esurientes, 41, 2. iis danda quæ abundant domi, 169, 2. sunt ad convivium invitandi, 196, 2. quod iis fit, Deus sibi fieri reputat, 197, 1. illi sæpe sunt sancti, ideoque divites potius ab iis accipiunt quam dent, 218, 1. sunt cœli janitores, ibid. facilius obediunt Evangelio quam divites, 199, 1. non sunt despiciendi a viro Apostolico, sed suscipiendi, 228, 2; 462, 1. sæpe non habent a quo adjuventur, 374, 2. cur præ divitibus miraculose et divinitus curentur, 462, 1. pauperes cœlo donati eleemosynarios cœlo recipiunt, 218, 1. pauperibus et plebeiis Evangelium annuntiatum est, Pharisæis et pontificibus id spernentibus, 199, 1.
Paupertatem coluit B. Virgo, 71, 1. paupertas Christi toto vitæ tempore, 62, 1, 2; 63, 2; 61, 1. qualem paupertatem rerum is professus sit, 505, 2. paupertatis Evangelicæ vis in quo consistat, 506. reddit longævos, 169, 1.
Pax toto orbe erat cum nasceretur Christus, 54, 1. pacem apprecantur Hebræi in salutatione, 631, 1. quia hæc iis omne bonum et prosperitatem significat, 56, 2; 65, 2; 73, 2; 253, 2; 250, 1. pax quam Simeon senex habuit, quæ et quotuplex fuerit, 73, 2. cur suis post resurrectionem pacem apprecetur Christus, 286, 1. eam suis reliquit ex hoc mundo abiturus, 552, 1. quid ea contineat, 2. cur eam iterum discipulis apprecetur, 631, 2.
Peccare in cœlum quid sit, 209, 2 et seqq.
Peccator inverecundus est, audens peccare in conspectu Dei viventis et videntis, 210, 1. agit in tenebris vitiorum et errorum, 50, 2. putat viros sanctos sibi esse damno, 138, 2. servus est peccati, 440, 2 et seqq. peccando longe abit a Deo et cœlo, 206, 2. prodigit Dei gratiam, charitatem et virtutes, aliaque sibi mala creat, ibid. laborat inopia rerum omnium naturalium et supernaturalium, 2; 207, 2. ejus vesania, 208, 2. peccatores rogantes an exaudiat Deus, 464, 1. in hac vita manent in Christo quasi in vite, sed post eam ab eo separantur, 582, 1. pudore jam protrito in malo obdurantur, 511, 1. eorum mors pessima, 494, 1, 2. eos convertere, Deo et angelis est gratissimum, 204, 2. si pœniteant, sæpe justos in operibus superant, 122, 1. tunc in eumdem quem prius habuerant, a Deo statum restituuntur, 211, 1. eis conversis non est invidendum, 213, 2. conversio iis ardua est, 583, 2. convertendi varios in anima motus sentiunt, 373, 2. jam conversi quodammodo veniunt foras, 496, 2. sed manent illigati carnis molestiis, 497, 1. debent a sacerdote absolvi, ibid. jam convertendi a Deo præveniri



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

debent gratia, 457, 2. peccator consuetudinarius, habituatus, obduratus, est velut paralyticus, 374, 1. et velut Lazarus quatriduo mortuus, 488, 1; 494, 2. peccatores manifesti denotantur in filio prodigo, 206, 1.

Peccatrix, id est meretrix, dicitur fuisse Magdalena, 121, 2.

Peccatum mundi tollit Christus, 318, 1. a peccato nemo est immunis, 433, 2. peccatum mortale est umbra mortis, 50, 2. ejus turpitudo, 123, 1. unum sine aliis remitti nequit, 123, 2. est debitum gravissimum, 125, 2. est nihil, quare, 299, 2. tenebris comparatur, 303, 1. inducit servitutem, 448, 2. est velut tyrannus et herus, ibid. id non præcipit Deus, 532, 1, 2. unum est alio gravius, 480, 1. peccata sacerdoti confitenda sunt, 634, 2. quomodo ea ab illo retineantur, 635, 1. peccato unicuique congruam Deus statuit pœnam, 135, 1. peccatum unum sæpius condonari potest, 123, 1. peccati arma fiant arma virtutis, 123, 2. peccata futura Deus non punit, sed præterita, 458, 1, 2. peccata remittendi potestas data per Spiritum Sanctum est Apostolis, et in illis omnibus sacerdotibus, 633, 1; 634, 1, 2. peccatum originale contrahitur per generationem opera viri, 23, 1. in eo omnes nascimur, 23 ibid. est causa omnium pœnarum et malorum, 458, 1. peccata venialia omnia in hac vita justus vitare nequit, 8, 2. ea expurgavit Christus in Apostolis, dum pedes eorum lavit, 525, 1. quomodo in peccato suo morituri sint Pharisæi, 440, 2.

Pectoris tunsio signum est pœnitentiæ, 243, 2. item symbolum satisfactionis et vindictæ, ibid.

Pecuniam in sudario ligare, est percepta dona sub torpore abscondere, 252, 2. eam tractare noxium est Religiosis, 505, 1.

Pelagius docebat omnes Christianos debere esse pauperes et præcepto Christi, 172, 2. gratiæ necessitatem negavit, 397, 1. astruens liberum arbitrium, id destruebat, 561, 1.

Pentecoste erat festum secundum a Paschate, 112, 2 et seqq. eam vocant Itali Pascha Spiritus Sancti, 112, 1. in Pentecoste obligare cœpit lex nova, et desiit vetus, 340, 1. in ea quoque datus est Spiritus Sanctus Apostolis abundantissime, 427, 1. in ea Constantinopolis a Turcis est expugnata ad punitionem schismatis Græcorum in Spiritum Sanctum blasphemorum, 570, 1.

*Per* præpositio quomodo tribuatur Deo Patri, 299, 1.

Peræa erat locus Judææ vicinus, 190, 2.

Peregrini ad hospitium etiam cogendi sunt, 278, 2. peregrini in hac vita sumus, ac tendimus ad patriam cœlestem, 276, 2; 432, 2 et seqq.

Pericardio non aqua continetur, sed biliosus humor, 621, 1.

Pericula declinanda sunt, 417, 1; 418, 2 et seqq. iis occurrendum timore superato, 555, 2.

Persecutionum instantium mentionem apud discipulos cur faciat Dominus, 235, 2. persecutio dulcoratur consideratione Christi eam passi, 568, 2. persecutionis in Apostolos excitatæ quæ fuerint causæ, 574, 1 et seqq.

Perseverantia in oratione necessaria est, non continuatio, 238, 1.

Persona Christi erat exempta ab omni obedientia, 84, 2. personam unam constituit Christus, et in ea est facta unio duarum naturarum et voluntatum reipsa distinctarum et diversarum, 31, 2; 306, 1, 2. persona nulla in S. Trinitate mittitur, nisi quæ procedit ab ea quæ mittit, 576, 1; 576, 2. quando una mitti dicatur ab alia, 570, 2. personæ distinctæ sunt in Deo, 543, 1. earum inter se conjunctio, 2.

Pedes lavabantur olim ante epulum, cur, 127, 1. pedes animæ quibus ad Deum venitur, sunt intellectus ab eo illustratus, et voluntas ab eo impulsa, 400, 1. pedes Christi Magdalena prius capillis suis abstersit, quam ungeret, 504, 2. pedes discipulorum lavit Christus immediate ante institutionem Eucharistiæ, 522, 1. idque tres ob causas, 2. pedes baptizandorum in Mediolanensi Ecclesia abluebantur, et quo ritu, 525, 2. id postea vetitum, et qua de causa, 525, 2. quin et Episcopus ibi quibusdam e Clero pedes lavabat die jovis sancto, ibid.

Pestis Romæ grassata olim ob indignam communionem, 409, 1.

Petenda quæ sint a Deo in oratione, 562, 1; 584, 1. et quomodo, ibid. quid sit *petere in nomine Christi*, 565, 2 et seqq.

S. Petrus dicitur futurus hominum piscator, 108, 2. fidem Christi, etsi eum ore negaret, corde tamen semper retinuit, 263, 2 et seqq. fuit præpositus cæteris Apostolis et Ecclesiæ universæ, 263, 2; 645, 2. ei ante cæteros Apostolos apparuit Christus a resurrectione, 280, 1. primo a fratre de Messia invento audiens, eum videre exoptavit, 320, 2. et seqq. ejus nomen a Christo mutatur, et e Simone dictus Cephas, 321, 1. omnium nomine respondet, quod apud Dominum manere vellent, 413, 2. cur Joannem de proditore interrogare jubeat, 531, 1. ejus de se nimia præsumptio, 537, 1, 2. cur ei primo lavare pedes Dominus voluerit, 524, 1. is autem id detractat e reverentia, 524, 1, 2; 526, 1. Malchum percussit e zelo erga Dominum, in eo tamen peccavit, 607, 2. an piscium, pisces 140 reti conclusos solus attraxerit, 643, 3. eum Dominus interrogat an se diligeret, 644, et seqq. 646, 2. ac tum eum constituit suæ rectorem Ecclesiæ, ibid. ardenter et robuste Dominum diligebat, 645, 1. jam factus cautior, non audet se de amore jactare, ibid. cur de amore Domini interrogatus, sit contristatus, 647, 2. crucifigendus prædicitur, ibid. et seqq. fuit clavis cruci affixus, 643, 1. et inverso modo, ibid. ei crux fuit gloriosa, ibid. et seqq. quam ejus sepulcrum sit celebre, 2. ei e carcere fugienti apparet Romæ Christus, 537, 1; 649, 1. cur de Joannis morte Dominum roget, 2. ejus curiositas a Domino reprimitur, 650, 1.

S. Petrus, primus Brocarensis Episcopus an fuerit filius Uriæ prophetæ occisi a rege Joakim, 139, 1.

P. Petrus Canisius Societatis Jesu usque ad mortem pro Ecclesia laboravit, 192, 1.

P. Petrus Faber Societatis Jesu salutare monitum dedit pro Religiosis ad hospitium divertentibus, 151, 1.

Petri Telonarii conversio admirabilis, 259, 2.

Phanuel idem est quod facies Dei, 79, 2.

Pharisæus quomodo ad orandum se composuerit, 241, 2. cur steterit : symbolum est populi Judaici, ibid. quare oraret apud se : ejus fastus et jactantia, 242, 1. quomodo orans Deo gratias ageret, ibid. reputat omnes sceleratos, se solum justum, ibid. quot peccata orans committat, 2. quas daret decimas, ibid. ejus superbia, 243, 1. ejus oratio cassa fuit, 244, 2.

Pharisæi in crebris magnisque lotionibus sanctitatem ponebant, 163, 2. legem Dei non recte interpretabantur, 165, 2 et seqq. eorum mendacium et æmulatio contra Christum, 190, 2. erant similes vulpi, 191, 1. prima accumbendi loca in conviviis ob superbiam aucupabantur et occupabant, 195, 1. ad Evangelium vocati, venire noluerunt ob avaritiam et voluptatem, 197, 2 et seqq. sed iis pauperes sunt surrogati, 199, 1. se justos reputantes, peccatores contemnebant, 203, 1. perperam murmurant quod Christus cum peccatoribus versetur, ibid; 204, 2; 205, 2. ideo denotantur in fratre filii prodigi, 206, 1; 212, 1, 2; 213, 2. infideles erant tam in operum administratione, quam in doctrina legis divinæ populo tradenda, 218, 2. eorum hypocrisis, 219. quare Joannem de baptismo interrogant, 315, 1, 2. inter epulas sæpe religionis causa lavabant manus, 330, 1. eorum potentia, 351, 1. et ambitio, 478, 2. et avaritia, 439, 2. urgent graviter paralyticum ad piscinam a Christo sanatum, 375, 2 et seqq. Christo gloriam invidebant, 377, 1. credebant animæ immortalitatem, non Sadducæi, 386, 2. ex odio et invidia Christum admittere noluerunt, 387, 1. eum initio Scenopegiæ quærebant, ut eum caperent et occiderent, 419, 1. eum dicebant insanire, quod ipsos diceret sibi mortem machinari, 421, 2. in eum insurgunt quod sabbato paralyticum curasset, ibid. et seqq. eorum iniquum judicium, 422, 2 et seqq. erant e magistratu, et apud pontifices Jesum accusarunt, 424, 2. quomodo cum essent quæsituri, et non inventuri, 425, 1, 2. eorum in ipsum odium et rancor, 370, 1. idque sine causa, 429, 1; 569, 1. quomodo sint maledicti, 429, 1. eorum negantium e Galilæa Prophetam unquam venisse, testimonium falsum, temerarium et stultum est, 429, 2 et seqq. eorum dolos in accusatione adulteræ, 432, 1. 431, 1. judicabant de Christo secundum carnem, 437, 1. cur de Patre ejus inquirant, 438, 2. quibus Christus respondet caute, ibid. et seqq. quomodo in peccato eos suo morituros dixerit Christus, 440, 2. ei mortem destinant jam a longo tempore, 441, 1. erant terrenis affixi, 2; 442, 1. erant infernales, ibid. erant in multis rebus culpabiles, 448, 2. eorum infidelitas in doctrina Christi rejicienda, ibid. cur eos Deus non sinit intelligere dicta a Christo, 444, 1, 2; 449, 1. patrem habebant diabolum, ejusque spiritum sequebantur, 447, 2 et seqq.; 449, 1; 451, 1, 2; 452, 1. Christum vocant Samaritanum, 451, 1. et dicunt eum habere dæmonium, 2. scire debebant eum nonnisi a Deo missum esse, 464, 2. erant ceu fures et latrones ovium, 468, 2. ex cæci nati curatione sumpserunt occasionem Christum calumniandi, 462, 2. cur cæcum iterum iterumque interrogent, ibid. cur aggrediantur parentes ejus, 463, 1. anxia eorum de hoc cæco disquisitio, ibid. ei maledixerunt, 2. confessionem ex ore Christi elicere volentes, quod ipse esset Messias, id faciunt ejus calumniandi causa, 478, 1. ipsorum incredulitas et obstinatio, 478, 2; 576, 2. de Christo necando consultant, 498, 1. cur sibi a Romanis ob illum indemnem metuant, ibid. 2. hunc metum prætexunt tantum suæ invidiæ et odio in Christum, ibid.; 499, 2. statuunt eum interficere, 500, 2. circa Pascha eum capere volunt, 501, 2. cur Lazarum redivivum interficere voluerint, 507, 1. Christum quamprimum de medio tollere satagunt, 2. eum cum venit, agnoscere noluerunt, quia humilem videbant, 569, 2; 574, 1, 2. in eo ignorantia crassa laborarunt, ibid. neminem ad mortem damnabant, 609, 1. — *Vide* Scribæ, Judæi, Pontifices.

Philanthropia Dei erga homines, 344, 2.

Philemon non fuit e LXXII discipulis, 144, 1.

S. Philippus vocatus fuit a Christo in Galilæa, 319, 1. primus Apostolorum vocatus est voce exteriore Christi, 321, 2. cur tam cito eum sit secutus, 322, 1. erat Nathanaeli amicus, ibid. quomodo huic Jesum describat, 2. e testimonio Joannis credidit eum esse Dei Filium, sed in confuso, 323, 2.

Photina dicta est Samaritana conversa, 364, 2; 365, 1.

Phrases aliquæ S. Joanni peculiares, 290, 2.

Pietas non tollit politiam, nec regnum temporale, 492, 1.

Pilatus quintus fuit Judææ præses datus a Tiberio Imp., 90, 1. vere Jesum dimittere volebat, 609, 2 et seqq.; 610, 2. qua hora Christum ad crucem damnarit, 615, 2 et seqq.

Piscatio ab Apostolis usurpata est a Christi resurrectione : et non post Pentecosten, 640, 2. ea recte fit de nocte, 641, 1.

Piscina quid esset, quare ea juxta templum a Salomone extructa : unde dicta Probatica, 371, 1. ejus origo fabulosa, ibid. cur dicta Bethsaida vel Betheseda, 2. erat plena ægris, ibid. ejus aqua quomodo ab angelo moveretur, 373, 1. ejus sanandi vis fuit supernaturalis et miraculosa, 2. quando illi ea vis accesserit et adempta sit, ibid. piscina Siloe derivabatur ex fonte Siloe, 460, 2

Piscis assus a Christo, paratus suis in littore, unde productus : quid mystice innuat, 643, 1 et seq. symbolum est Christi : et quare, 282, 1. pisces lucem fugiunt, hinc nocte optime capiuntur, 641, 1. piscibus vescebantur prisci, 282, 1. pisces sunt obsonium, 641, 2. piscium ad dexteram captorum captura miraculosa quid innuat, ibid.; 642, 1; 643, 2. pisces CL a Petro capti quid innuant, ibid.

Pistica nardus quæ sit, 503, 2 et seqq.

Pius V in Pontificem electus, quid de se dixerit, 180, 2.

Placere oportet Deo, simul et hominibus, 88, 2.

Platonici censebant solem vivere, 435, 2.

Plebeii, audita Joannis concione, ea moti sunt potius, quam Pharisæi, 92, 1; 93, 1. et magis ei favebant, 424, 2.

Plebis imperitæ de Messia falsæ opiniones, 423, 2. aliqui tamen ex ea Christo crediderunt, 15, 1, 2.

Πλησίος, id est proximus, derivatur a πλάω, id est accedo, 151, 1.

Pluisse (non) triennio et dimidio anno tempore Eliæ, Dominus declaravit, 105, 2.

Plutarchi error de Scenopegiis Judæorum, 417, 1.

Pœnitentis compunctio per turturem designatur, 71, 2. pœnitentes per gratiam Dei a lapsu velut resurgunt, 76, 1. solent esse ferventiores innocentibus, 205, 1. se Deo consecrantes quodammodo celebrant encænia, 477, 1, 2. pœnitentes publice olim non miscebantur cæteris fidelibus in Ecclesia, 210, 1.

Pœnitentia est animæ purificatio, 70, 2. pœnitentia fervens sæpe Deo gratior est quam torpens innocentia, 121, 2. peccatores in justorum numero ponit, 128, 1. ejus fructus, 129, 2. est agenda in hac vita, quia in morte sera est et coacta, 177, 1, 2; 178, 1. restituit Deo honorem ablatum per peccatum, 209, 2. ea præmitti debet Eucharistiæ, 524, 2; 526, 1. Pœnitentiæ sacramentum per modum judicii Christus instituit, 634, 1. publica pœnitentia Magdalenæ, 123, 3.

Politici politiam præferunt religioni, 498, 2.

Pontificatus apud Judæos arbitrio præsidum Rom. sæpe mutabatur, 499, 1. non tamen erat annuus, ibid.

Pontifex est summus hominum piscator, 109, 1. hinc debet et per se, et per legatos et sacerdotes a se missos infideles convertere, ibid. sic primi Pontifices fecerunt, ibid. ipse est oraculum veræ fidei, 253, 1. est pastor generalis omnium fidelium, 475, 2. quantam ejus curam habeat Deus, 499, 2. die jovis sancto duodecim pauperibus pedes lavat, et vestem donat, 525, 1. est caput totius Ecclesiæ et omnium fidelium, 645, 2. Pontifices Romani primi per trecentos annos ob fidem Christi necati sunt, 192, 2; 478, 2. nunquam publice a fide defecerunt, vel aliquem errorem contra fidem docuerunt, 253, 1.

Pontifex apud Judæos erat tantum unus, sed alii minores sacerdotes dicti quoque sunt Pontifices, 91, 2. pontifices hi a Rom. præsidibus facile mutabantur, 608, 1.

Porcorum grex unde fuerit apud Judæos, qui porcis non vescebantur, 135, 1. cur dæmones in porcos ingredi permiserit Christus, 2. quomodo porci hi se in mare præcipitarint, 136, 1.

Portis (in) olim erat forum rerum venalium, 119, 1.

Porticus proprie quid sit, 372, 2. porticus Salomonis quæ esset, 477, 2 et seqq.

Portentum fuit quidquid circa Christum actum est, et maxime ipsius vita, 76, 2.

*Posse* Scriptura sæpe accipit pro *velle*, 449, 1.

Possessio bonorum in communi non derogat perfectioni, 506, 1. quid ex ea boni sequatur, ibid. an perfectionem minuat, ibid.

*Possidere animam*, quid sit, 258, 2. eam possidet patiens, ibid.

Possibilia omnia sunt Deo, 25, 1.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Potentes de sede deponit Deus, 44, 1. et deposuit maxime sub tempus nativitatis Christi, *ibid.* 2.

Potentiæ tres animæ qui a S. Trinitate reformentur et perficiantur, 551, 1.

*Potest* accipitur subinde pro solet, 323, 1.

Potestas Christi in omnes homines, 592, 1. potestas judicandi omnes mortuos data Christo a Patre in incarnatione, 379, 2. hæc est propria Deo, *ibid.* potestas miracula patrandi Christo semper et ubique parata erat, 384, 1. potestas duplex Ordinis datur sacerdotibus, 633, 1, 2. potestas peccata remittendi datur Apostolis, et in iis omnibus sacerdotibus, 633, 1. ea non est Evangelii prædicatio, *ibid.* 2; 634, 2.

Potus intemperantia cavenda, quia noxia, 259, 1.

Præcepta legis Mosaicæ erant triplicia, 8, 1, 2. præcepta multa in Script. dantur universæ Ecclesiæ, sed implenda per aliquos, non per singulos, 405, 2. præceptum de carne Filii Dei comedenda multis videbatur durum et rigidum, 410, 1, 2.

Præceptor potest discipulos habetes acriter reprehendere, 277, 2. præceptor etiam dominum et herum sonat, 238, 2.

Prædestinationis (de) ad gloriam quomodo gaudendum sit, 149, 1. est ipsa liber vitæ, *ibid.* ipsa est duplex absoluta et conditionata, 2. signum ejus est audire libenter verba Dei, 452, 1. ea tribuitur Deo Patri, 567, 1. prædestinatio Christi est finis et exemplar nostræ, 563, 1.

Prædestinati soli non sunt oves Christi, 468, 2; 470, 1; 474, 1; 478, 2. omnes prædestinati ad gloriam, salvantur, *ibid.* pro iis solis Christus non est natus et passus, 596, 1.

Prædicare verbum Dei gratis, est majoris perfectionis quam sumere alimoniam ab auditoribus, 640, 2.

Prædicatio Evangelii velut ignis fuit, 181, 1, 2. cur ea cœperit a Jerusalem, 283, 2. ipsa non est potestas absolvendi a peccatis data Apostolis, 633, 2.

Prælati singulos propria doceant, 179, 1. quid a Prælatis exacturus sit Deus, 180, 2. eorum officia et munia, 478, 2 et seqq. rerum temporalium curam aliis confidant, sibi servent spiritualium dispensationem, 505, 1. præeant subditis in exemplum, 527, 2. etiam humilia officia obeant, 629, 1. sint senes, 647, 2. non indulgeant amori in constituendis Pastoribus, 649, 2.

Prælaturas fugerunt Sancti, 180, 2.

Præmium cœleste est ingens pro parvo labore et cura, 252, 1.

Præsepio (in) cur Christus reclinetur, 60, 2. ipsum Romæ asservatur et colitur, *ibid.*

Præsides Judææ dicti sunt procuratores, iique recensentur, 90, 1.

Prætor dictus a præeundo, quasi præitor, 608, 2.

Precatio Sanctorum est efficax, 30, 2.

Primatus Petri innuitur, 643, 2.

Primogenitus est qui primo gignitur, etsi nullus post eum gignatur, 59, 2.

Principes tam seculares quam Ecclesiasticos cur S. Lucas ita studiose recenseat, qui Christi prædicantis tempore fuere, 91, 1. principes sacerdotum etiam dicti sunt, qui non erant pontifices, 2. qui principes crediderunt in Christum, sed propter Pharisæos eum non confiterentur, 516, 2. idque ob gloriam hominum, *ibid.* principes multi die jovis sancto pedes lavant pauperibus, vel subditis, 527, 2.

Principium quomodo Christus se dicat, 442, 2. principium potius competit Filio Dei, quam Spiritui Sancto, respicitque ejus originem qua genitus est a Patre, *ibid.* principium apud Joannem dicit respectum ad omnia tempora, 295, 2. in quo principio fuerit Verbum, 295, 1, 2. cur principium dotur æternitati, *ibid.*

Prisci erant frugales, 641, 2.

Processio æterna Spiritus Sancti a Patre, 571, 1.

Prodigia et signa quomodo differant, quid utraque sint, 368, 2.

Prodigi filii ad patrem redeuntis oratio, 219, 2.

Proditio Judæ fuit opus diaboli, 523, 1. quando eam suis Christus prædixerit, 529, 2 et seqq. S. Joanni ea fuit indicata per panem intinctum, 531, 1.

Proficere semper in virtute debemus, 88, 1. quomodo profecerit Christus in gratia et sapientia apud Deum et homines, 86, 2.

Propheta accipitur in Script. pro viro sancto et eximio, 462, 2. Propheta eximius est Christus, nec eguit alio Propheta qui ejus sit præco, 315, 1; 320, 2. Prophetæ omnes de Christo prophetarunt, 46, 1. fuere velut satores, 366, 2. non ita possidebantur a Spiritu Sancto, quin multa possent agere et dicere ex proprio spiritu, 339, 1. fuerunt missi a Deo, et fuere Christi præcursores, 471, 1. eorum plerique in Jerusalem sunt occisi, 193, 2. omnes desiderarunt ardenter Messiæ adventum, 429, 2. Prophetæ et Prophetides variæ e Galilæa fuere, 453, 1. tempore Christi aliquot Prophetas Deus excitavit, 79, 2.

Prophetia Caiphæ de morte Christi, quatenus vera fuerit et a Spiritu Sancto profecta, 500, 1.

Proposito in bono non est cessandum, nec retro respiciendum, 142, 1. ipsum est illico mandandum executioni, 533, 1. propositum novæ vitæ est velut difficilis partus, 583, 2.

*Propterea* aliquando est illativum, non causale, 472, 2.

Prostratio Judæorum in horto ad terram, 607, 1.

Proverbium et parœmia sæpe idem sunt, 556, 2.

Providentiæ (a) Dei pendere in omnibus debemus, 171, 2. ipsa est fortuna fortunans, 186, 2.

Proximus est nomen correlativum, 153, 1. noster proximus sunt omnes homines, 150, 2. quomodo ii diligendi, 151, 1. proximo præstanda est misericordia, 126, 2. ei quod datur, Christo datur, 564, 2. proximum est quod nobis vicinissimum est, 151, 1.

Prudentia pueri Jesu in admirationem rapiebat audientes, 82, 1.

Pseudo-Messiæ apud Judæos varii fuerunt, 468, 2; 471, 1. hi venerunt, ut mactent, 472, 1.

Psittaco (de) apud exteros bene habito apologus, 105, 1.

Pubertatem (post) vulgo nubunt puellæ, 80, 1.

Publicanorum injustitia in quo consistat, 95, 1. erant apud Judæos infames, et a publicis magistratibus arcebantur, 241, 2. vocabantur latrones, *ibid.*; 240, 2. sæpe erant scelerati, 248, 2. Publicanus quomodo in templo orans se gesserit, 241, 2. ipse symbolum est populi Gentilis, 452, 1. dissimulat contumeliam sibi a Pharisæo illatam, imo agnoscit et veniam postulat, 243, 1. quomodo staret a longe: ejus humilis oculorum dejectio, *ibid.* 2. cur pectus tunderet, *ibid.* ejus brevi oratio, sed efficax et succulenta. *ibid.* descendit in domum suam justificatus, 244, 1, 2.

Puer Hebræis, et filium, et servum significat, 41, 2. puer Jesus non laboravit inscitia, nec scholas debuit frequentare, 85, 2. puer Judæus virtute Eucharistiæ ignes fornacis non sensit, 405, 2. pueri subdantur parentibus, 84, 2. vocantur agni, cur, 318, 1.

Puerpera masculi 40 diebus erat immunda, 65, 2 et seqq. quam offerret victimam, *ibid.*; 71, 1, 2. ejus impuritas erat duplex, naturalis et legalis, 69, 1. quomodo purificaretur, 71, 1, 2.

Pulmentarium est obsonium ad panem adhiberi solitum, 641, 2.

Puls cibus erat priscorum Hebræorum et Latinorum, *ibid.*

Purgatorium an interpositum sit inter limbum patrum et infernum, 236, 1. Purgatorium desiderii quod sit, 177, 1.

Purificationis tres erant leges, tam matrem, quam prolem et victimam spectantes, 68, 2. quis ejus esset ordo, 71, 1, 2.

Purpura regum erat vestis, 220, 1.

Pusillus grex cur dicantur fideles, 172, 1.

Putei quod sit etymon, 357, 2.

Pythagoras censuit animas ante corpora extitisse, 458, 1; 465, 2.


## Q.


Quadragenarius numerus symbolum est sanitatis et perfectionis, 374, 1.

Quadraginta sex anni ædificationis templi quomodo sint subducendi, 334, 2 et seq. numeri hujus mysteria, 335, 2.

Quærendus quomodo sit Deus amissus, 83, 1.

Qualitas hominis est mera miseria, 315, 1.

Quantitas hominis quam exigua sit, *ibid.*

*Quasi* et similes particulæ, non semper similitudinem, aliquando ipsam veritatem denotant, 290, 1; 309, 1.

Quatriduum mysticum mortis peccatoris, 488, 1.

Quatuor tempora (per) cur jejunium et orationem Ecclesia indicat, 113, 1.

Quinquagenarius quid mystice innuat, 643, 2.

*Quomodo* infidelium est interrogatio, 403, 2.


## R.


*Rabbi* tam magistrum, quam dominum significat, 237, 2; 319, 2 et seqq.

*Rabboni* quæ vox, et quid sonet, 627, 2. est quid augustius quam *Rabbi*, *ibid.*

Raphaelis etymon et munus, 14, 2.

Rapinæ sunt expiandæ liberali eleemosyna, 164, 1.

Raptum non potest dari in eleemosynam, *ibid.* 2.

Rationis usu Joannes in utero matris donatus fuit, 30, 1. et hic ei exinde mansit, *ibid.*; 51, 1. ratio donorum omnium acceptorum exigetur in die mortis, 215, 1; 217, 1.

Recidiva culpæ culpa est deterior, 376, 2.

Recipientium Christum merces, qua fieri merentur filii Dei, 305, 1.

Rector quid agere debeat in perditione subditi sui, 120, 1. — *Vide* Prælatus, Superior.

Redemptio mundi cur vocetur cœna, 197, 1. redemptio hominum erat Christo cibus suavissimus, 365, 2. ob eam totos nos Deo debemus, 231, 2.

Reformatio a capite et Superioribus inchoanda est, 524, 1.

Regeneratio spiritualis fit per baptismum, 339, 2. ejus necessitas, 340, 1.

Regnum Christi quod sit: non venit cum prævio apparatu et pompa, 235, 1 et seqq. quomodo id intra nos sit, *ibid.* 2. quale id futurum existimarent Apostoli, et quando illud inchoandum sperarent, 251, 1. id Christus adiit post crucem ascendens in cœlum: ex illo redibit in terram in die judicii, *ibid.* id in cœlo erit æternum, 513, 2 et seqq. regnum Christi est Ecclesia, et quando id cœpit, 21, 1. regnum cœlorum proprie spectat ad humiles, ut parvuli, 245, 2.

Regulus Capharnaita quis et qualis esset, 368, 1. an fuerit Judæus, an Gentilis, *ibid.* non fuit idem cum centurione, *ibid.* rogat Christum pro sanitate filii febrientis, *ibid.* minus in eum credidit, *ibid.* hinc parva ejus fides arguitur, *ibid.* ejus filius verbo sanatur, 2. cur ejus domum Christus non adierit, *ibid.* is in eum credidit et domus ejus tota, 369, 2.

Relaxatio animi utilissima est, 640, 2.

Religiones singulæ diversos habent et alios fines, eosque pios et sanctos, 506, 2.

Religiosus status, status est humilitatis, 196, 1. est velut turris, 200, 2.

Religiosæ ægris inservientes institutæ in Gallia a R. D. Francisco de Sales, 28, 1.





Religiosi affectum erga patriam et parentes exuant vel moderentur, 105, 1. non exeant soli et cur, 145, 1 et seqq. soli exeuntes sæpe tentationi luxuriæ succubuere, aut ejus calumniam sustinuere, *ibid.* feminas sine teste non alloquantur, *ibid.* et seqq. quid in hospitiis facere debeant, 154, 1. non eant ad convivia, nisi spiritualis fructus causa, 200, 1. sint potentes in opere et sermone, 277, 1. caveant sibi a pecunia, 503, 1. habere possunt bona in communi, 506, 1. per amorem cœlestium exaltantur a terra, quam sancti esse debeant, 599, 1.

Renuntiat (qui non) omnibus possessionibus, non potest Christi esse discipulus, 201, 2.

Repetere (non) ablata quando præceptum, quando consilium sit, 115, 1.

Reprobi post hanc vitam ad ignem infernalem damnabuntur, 382, 1.

Respiciendum non est retro in Dei vocatione et bono cœpto, 142, 1, 2.

Restitutio alieni debita est omni jure, 164, 2. restitutio in quadruplum non est lege naturæ vel Mosis præscripta, 249, 2.

Resurgemus cum quatuor humoribus, cum capillis, barba, unguibus, 258, 1.

Resurrectionem negabant Sadducæi, credebant Pharisæi, 197, 1; 499, 1. ejus symbolum et causa est Eucharistia, 394, 2; 406, 1 et seqq. ea Syris vocatur consolatio, 490, 1. Christus est quadruplex resurrectionis causa, *ibid.* de resurrectione Christi dubitabant discipuli profecti in Emmaus, 277, 1. ea in Script. stabilita est, 336, 1. variæ ejus argumenta et probationes, 281, 1, 2. hæc ei fuit summa gloria, 590, 2. hæc uti et nostra adfert beatitudinem et gaudium, 582, 2.

Resuscitatio Lazari summam et divinam exigebat potentiam, atque ideo Christus in ea clamavit magna voce, 495, 2.

Retia dicuntur quasi retinentia: retia piscationis Apostolicæ sunt instrumenta, 109, 1, 2. quid rete non fractum in captura multorum magnorum piscium, denotet, 644, 1.

Retinere peccata quid sit, 635, 1.

Retribuere quod homo pauper non potest, retribuet Deus ei qui in ipsum benignitatem exercet, 197, 1.

Retributio Dei et hominum qui different, 196, 1, 2.

Reus poterat damnari inauditus, a testibus convictus, 439, 2.

Rex unus esto, 157, 1. regum est pascere suos, 645, 2. reges Gentiles etiam templo Jerusalem donaria miserunt, 508, 1.

Risus moderatus non est illicitus, 114, 2

Robur brachio denotatur, 40, 2. robur spiritus prætendandum est ei qui se Evangelicæ perfectioni vult addicere, 200, 1; 201, 1.

Romani suos in campo Martio sepeliebant, 118, 2. an Judæis jus necis abstulerint, 609, 1. Christianorum Romanorum fervor initio Ecclesiæ, 176, 1. Romanæ Ecclesiæ fides commendatur, 654, 1.

S. Romula paralytica moriens ab angelis in cœlum fuit evecta, 228, 2.

Ros Hebræis idem quod flos, 314, 1.

Rusticani et barbari etiam ad salutem vocandi, 199, 1.


## S.


Sabbaticus fons quis sit in Palæstina, 460, 2.

Sabbatum unde derivetur, 617, 2. id aliquando hebdomadem significat, 242, 2. in sabbatis Judæi synagoges adibant ad audiendam legem, 102, 1. sabbatum non dedecoratur bono opere, et ægrorum curatione, sed sanctificatur, 112, 2; 100, 1; 194, 1; 375, 1. sic in eo Deus continuo benefacit, 377, 1; 379, 2 et seqq. ejus erat


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

summa religio apud Judæos, 375, 1, 2. et solum habebat præviam parascevem, 613, 1, 2; 619, 2. id magis violabant Pharisæi circumcidendo quam Christus ægros sanando, 422 2 et seqq. in eo hic paralyticum curavit, 422, 2. et cæcum natum, 462, 2. sabbatum in festa Paschæ incidens, erat cæterorum sabbatorum primum et celeberrimum, dictumque sabbatum primo primum, 112, 1, 2. sabbatum secundo primum quod dicatur, 110, 1 et seqq. fuit sabbatum proprie dictum, 111, 1. at quod et quale, ibid. et seqq. erat quod incidebat in festum Pentecostes, aut infra hebdomadem Pentecostes, 2.
Sabelliani dicebant Filium Dei esse eamdem personam cum Patre, 227, 2; 479, 2.
Sacculi non veterascentes sunt sinus pauperum vel memoria Dei, 178, 1.
Sacellum Romæ dictum, Domine quo vadis? 537, 2; 649, 1.
Sacerdotes Judaici ex alia tribu ducere uxorem poterant, 7, 2. eorum quatuor præcipua erant munia, 9, 1. hi tempore Christi erant inhumani in proximum, et tantum proprium commodum spectabant, 151, 2. eorum erat de lepra judicare, 233, 2; 234, 1. eos lucris inhiantes male habet quod Christus emptores templo ejiciat, 534, 1. templum ingredientes manus et pedes abluebant, 534, 2; 537, 1.
Sacerdotum ab ordinatione quantum dependeat, 113, 1. sacerdotes septuaginta duobus discipulis successerunt, 152, 1. sacerdotes legis novæ lepram purgant et expiant, 234, 1. sint potentes opere et sermone, 277, 1. utramque speciem consecrant et sumunt, 405, 1. eorum est peccatores absolvere, 497, 1. dum ordinantur, accipiunt potestatem remittendi peccata, 633, 1, 2; 635, 1. Sacramentum administrantes puri sint oportet a peccato; secus tamen, rite et vere id administrant, 633, 2. in quo digniores sint angelis, 634, 2.
Sacramenta quomodo e latere Christi aperto emanasse dicantur, 621, 2. quæ Sacramenta B. Virgo susceperit, 71, 2.
Sacrificium est externus cultus latriæ, 360, 2. sacrificia solum in templo Salomonico fieri poterant, non alibi, ibid.
Saddai est nomen Dei, id est abundans omnibus bonis, 40, 2.
Sadducæi negabant esse spiritus, 135, 2.
Salathiel Lucæ in Christi genealogia alius est a Salathiele Matthæi, 98, 1.
Salim erat locus baptismi Joannis, quod illic essent multæ aquæ, 348, 1 et seqq.
Saliva vox unde derivetur, ejus symbola, 459, 2. saliva quam sit medica, ibid.
Salome, uxor Zebedæi, duos habuit filios, Joannem et Jacobum Majorem, 97, 1. fuit soror S. Jacobi Minoris, ibid. 2.
Salomone (a) recta linea descendit Joseph, sponsus Deiparæ, 96, 1, 2. quam ille porticum templo adjecerit, 477, 2 et seqq.
Saltus Joannis in utero an fuerit naturalis, animalis, an rationalis, 29, 2. rationalem fuisse probatur, ibid. ille adumbrabat saltum filiæ Herodiadis, 31, 2. saltus Domini quis sit locus, juxta Nazareth, 106, 2 et seqq.
*Salutare Dei* idem est quod Salvator, 74, 1.
Salutare non salutantes laudabile est, et humilitatem spirat, 29, 1.
Salutatio B. Virg. ad Joannem potissimum dirigebatur, 29, 1. salutationem prolixam suis inhibet Dominus, 426, 2. salutatio angeli B. Virginem turbabat, 19, 1, 2. hæc dirigebatur ad incarnationis mysterium in ipsa peragendæ, ibid.
Salutem (ad) omnes vocandi sunt, etiam pauperes, 109, 1. de nullius salute, quamvis cæci et perversi, desperandum, ibid. salus cuilibet summe sitienda est, 426, 1. pro salute animæ inimici vitam Christianus exponat, 565, 2. salus peccatorum et hominum. Dei cibus est, 211, 2. salus quomodo sit ex Judæis, 361, 1. salus afferenda per Christum fuit a Deo olim patribus promissa, 42, 1.
Salvandi triplici motivo inducuntur ad bene agendum, 209, 1.
Samariæ situs : unde sic dicta, 354, 1, 2.
Samaritanæ historia a Christo juxta puteum conversæ, 354, 2. ipsa egreditur Sichem ad aquam hauriendam, 355, 2. quam aquam a Christo petat, 359, 1. vocare virum suum jubetur, 2. non erat conjugata, sed fornicaria duntaxat, ibid. correptionem modestam Christi benigne admittit, 360, 1. sciebat e communi fama instare tempus Messiæ, 363, 1. audit e Christo ipsum esse Messiam, ibid. cur properarit in oppidum relicta hydria, 364, 1. pœnitens facta est præco Christi, 2. ejus nomen Photina est; etc., ut sancta, Martyrologio Romano est ascripta, ibid. fuit Christi verbis conversa, et actum contritionis elicuit, ibid. in Africa Evangelium prædicavit : facta est martyr cum filiis et sororibus, 2 et seqq. se diffamat ut Christum celebret, 367, 1.
Samaritani itinerantis in vulneratum misericordia, 4, 2. Samaritanus leprosus a Christo curatus gratum se ei exhibuit, 234, 1. elicuit etiam actum contritionis, et factus est Christi discipulus, ibid. 2. cur Christus dictus sit Samaritanus a Pharisæis, 452, 1. et id ipse dissimulat, ibid. 2.
Samaritani erant Judæis exosi, et quasi schismatici et hæretici, 451, 1; 254, 2; 355, 2; 360, 2 et seqq.; 452, 2. cur fecerint schisma ab iis : ideo exexerunt templum in monte Garizim, 185, 2. in quo adorabant Deum, 141, 1. horum nonnulli rebellantes Romanis, a Pilato in eo monte inter sacrificandum sunt occisi, 165, 1, 2. eorum origo et religio, 357, 2. conversi sunt ad Christum, 367, 1, 2. cur eos adire suos Christus vetaret, 354, 1. erant partim Judæi, partim Gentiles, 452, 1. Samaritani Sichemenses statim ad Christum sunt conversi, 365, 1. et horum ipse salutem esuriebat, ibid. biduo apud eos mansit, 367, 1.
Samuelis etymon, 34, 2. ejus cum Christo comparatio, ibid.
Sanctorum intercessio et salutatio est efficax, 30, 2. semper Christum incarnatum præ oculis habuerunt, 59, 2; 61, 1. eorum iter a Deo dirigitur, unguntur gratia Spiritus Sancti, 102, 2. optant carne dissolvi et esse cum Deo, 156, 1. præfaturas fugerunt, 180, 2. tentatione probantur, 376 1. Sancti apparent ea in forma hominibus, quales hi sunt, 276, 1, et ea forma et specie qua volunt, 626, 1. dum apparent, statim possunt evanescere, 279, 1. omnem suam gratiam accipiunt a Christo, 310, 1, 2; 312, 1. gratiæ cooperantes, eamdem adaugent, 359, 1. saliunt animo in cœlum, ibid. morbis pulsantur ad probandam eorum patientiam, 376, 1, 2; 458, 1. caveant sibi a pecuniæ tractatione, 505, 1. Deum semper præ oculis habent, 602, 1. omnes Sancti sunt et dicuntur filii Abrahæ, 222, 2. omne suum lumen fidei et gratiæ a Christo hauserunt, 303, 1. eorum multi per miraculum geniti fuere, 8, 2. multi de nocte orarunt 113, 1. multi in vulneribus Christi habitare desiderarunt 637, 2. multi fuere parva statura, 247, 1. eorum diem fatalem recolit Ecclesia, non natalem, 43, 2. tres Sancti Christo præ reliquis placuerunt, 17, 1, 2; 44, 2; 124, 1.
Sanctificatus est Filius Dei a Patre, 481, 1. quomodo pro Apostolis se Christus sanctificarit, 599, 1, 2.
Sanctimonialis quædam dæmonem ex energumeno ejiciens, permisit ei in porcum intrare, 136, 1.
Sanctitas Christi quanta fuerit, 24, 1. sanctitas Christi, Judæorum, philosophorum quomodo differat, 598, 1. sanctitas triplex Christi nobis data est, ibid. sanctitas est



pro mensura charitatis, 531, 1. ea in mansuetudine consistit, 39, 2. Dei sanctitatem quomodo imitari possimus, ibid.; 40, 1. quanta Dei sanctitas, ibid. sanctitate et justitia significatur omne officium virtutis decalogo præscriptum, 48, 1.
Sanctuli presbyteri charitas se morti pro diacono exponentis, 566, 1.
*Sanctus* est nomen Dei, 39, 1; 40, 1. quid prisci Sanctum vocarent, 39, 2. *Sanctum* quare dicatur Christus, 24, 1, 2.
Sanctum in templo erat locus solorum sacerdotum : quid in eo agerent, 477, 2. id ingredi Christo non licuit, quia non erat Leviticus, ibid. Sanctum Sanctorum erat in altiore loco montis Sion, 243, 2.
Sanguis sudatur naturaliter in vehementi angore, maxime ab eo qui delicato, raro et poroso est corpore, 265, 2. quomodo eum sudarit Redemptor in horto, et qua ex causa, 266, 1. sanguis Christi quam sit efficax, ibid. sanguis e cadavere fluens præsente homicida est instar miraculi, non naturalis, 620, 1. sanguis et aqua e latere Christi fluens non fuit naturalis, sed miraculosus, 621, 1. quæ ejus fluxus fuerit causa, 2 et seqq. ex sanguinibus fit generatio humana, 305, 2.
Sapientia experimentalis in Christo in dies crevit : at non habitualis, nec beatifica, 86, 2. sapientia summa est amplecti quæ stulta sunt mundo, 247, 2.
Saraceni in honore habent aquam Siloe, et cur, 461, 2.
Satanas quomodo in Judam post buccellam acceptam intrarit, 531, 2; 532, 2.
S. Satyrus, S. Ambrosii frater, per Eucharistiam ad collum appensam naufragium evasit, 405, 2.
Saul invidia transversum actus ob Davidis victoriam de Goliath, 189, 2.
Scala Jacob fuit figura genealogiæ Christi, 99, 2.
Scandalum stultorum non est curandum in magna utilitate, 195, 1. scandala etiam in monasteriis possunt accidere, 505, 2.
Scenopegiæ festum qua occasione institutum sit, 417, 1. id per octiduum celebrabatur, 449, 2. erat typus resurrectionis et gaudii Beatorum, 426, 1.
Sceptro de Juda deficiente, instabat tempus adventus Messiæ Judæis promissi, 7, 1.
Schismata scindunt Ecclesiam, 644, 1.
Scientia triplex erat in anima Christi, 86, 2. scientia Sanctorum quid sit, 12, 2.
Scribæ in Christum linguas et tela virulenta conjecerunt, 76, 2. Christum avide exspectarunt, sed cum is jam venisset, quia pauper erat, eorumque mores sugillabat, de eo necando cogitare cœperunt, 79, 1. censebant Gentiles habendos odio, solos amandos Judæos, et quidem justos, 150, 2. variis interrogationibus Christum prementes, volebant aliquod ex eo elicere verbum, quod contra legem vel Cæsarem esset, 166, 1, 2. eorum erat judicare de fide, Prophetis, Messia, 417, 2; 418, 1. cur odissent Jesum, 2; 419, 1, 2; 424, 1, 2. mirantur ejus doctrinam et scientiam velut a Deo infusam, 420, 2. eorum peccata, 433, 1, 2. erant velut fures et latrones ovium, 468, 2. — *Vide* Judæi, Pontifices, Pharisæi.
Scripserit quid Dominus in terra in causa adulteræ, 438, 1, 2. scribenda de Christo infinita sunt, 653, 1 et seqq.
S. Scripturæ quis genuinus sit sensus, Ecclesiæ est definire, 1, 2. ipsa est ostium per quod in hanc intratur, 469, 1. Scriptura sæpe loquitur ex communi aliorum sensu et vulgi opinione, non ex rei veritate, 98, 2; 243, 1; 315, 2. sæpe ludit in significatione verborum, 412, 1. Scripturam die sabbati Hebræi in Synagoga legebant, 192, 1. ipsa magnæ est auctoritatis, 228, 1. ea non est omnibus legentibus clara et facilis, nec interpretanda ex proprio sensu, 283, 1. Scripturæ investigandæ et rimandæ sunt, 386, 2. ea omnes loquuntur de Christo, ibid.
P. Sebastiani Barradii Concordia Evangelica egregia est, 292, 2.
Secreta sua Sanctis Deus revelat, 565, 2.
Secundinæ membrana in prægnante quæ sit, et cui rei serviat, 69, 1. an eas habuerit B. Virgo, 2; 70, 1.
Secutus sit Dominum quomodo Petrus, 649, 1.
*Sed* capitur pro *quia*, *imo*, 570, 2.
Sedes nullæ erant in templo, 241, 2.
Seditiosorum supplicium erat crux, 609, 1.
Segetes in Judæa maturæ sunt circa Pentecosten, 360, 1.
Σημαίνει quid proprie significet, 76, 2.
Seniores Pharisæi quare primo exierint notati a Christo, in accusatione adulteræ, 434, 1.
Sensus genuinus Scripturæ est is, quem docet et tradit Ecclesia, 1, 2.
Sententiam sacerdotis absolventis vel retinentis peccata Christus ratam habet, 634, 2 et seqq.
Sentius Saturninus missus est ab Augusto ad Judææ descriptionem faciendam, 55, 2.
Sepeliebantur Judæi digniores in speluncis, 494, 1, 2.
Sepes, in quas servus jussus exire, quid significent, 199, 1, 2.
Septenarii numeri symbola, 369, 2. est symbolum universitatis, 133, 2. item gratiæ legis novæ, 644, 2.
Septuaginta duo discipuli quæ habuerint nomina, incertum est, 144, 1.
Septuaginta Interpretum codices, descriptorum incuria, olim valde fuerunt vitiosi, 98, 2. alibi multa addunt, et ab Hebræo sæpe evariant, 99, 1.
Septum altum tres pedes dirimebat atrium sacerdotum et laicorum, 71, 2.
Sepulcra Judæorum et Romanorum extra urbem erant, 118, 2; 605, 1. et quidem alta et lata, 133, 2. cur Christiani ea habeant in urbe, 118, 2 et seqq. quam sepulcra Apostolorum Petri et Pauli sint illustria, 648, 2. sepulcra Prophetarum exstruere laudabile est, sed non eo modo quo Pharisæi, 165, 2.
Sepultura Christi expenditur, 622, 2. cur ea facta in horto urbi vicino, 623, 1.
Serena, uxor Diocletiani, ab eo affecta est martyrio, 274, 1.
Sermo Christi erat ignitus, 279, 2. is sermonem ultimum habuit partim sedens, partim surgens, 555, 1. quam is fuerit efficax, 559, 2. an habitus is in cœnaculo, an in via ad hortum, 605, 2. sermo de Assumpt. B. Mariæ non est Hieronymi, nec Sophronii, sed alterius posterioris, 78, 1, 2.
Serpens æneus cur a Mose in deserto sit erectus, 343, 2. erat figura Christi, ibid. ejus cum eo analogia, 344, 1. fuit in hasta vexillari erectus, ibid. serpentes non nocent viris Apostolicis, 148, 2.
Serviendum aliis sedulo et accurate, 524, 1.
Servi raro fiunt secretorum herilium participes, 566, 2. cur servum inutilem se dicat, qui aliquid meruit, 231, 1; 232, 1. servi Dei omnes dæmones habent adversarios, 135, 1. quomodo a Christo in cœlo honorentur, 177, 2.
Servitus olim erat arcta, 179, 2. servitus quadruplex a Christo est ablata, 445, 2.
Sex menses intercessere inter conceptionem Joannis Baptistæ et Christi, 14, 1, 2.
Sextarius Romanus, Atticus, Hebræus, diversæ erant capacitatis, 330, 2.
Si junctum cum verbo indicativo capitur affirmative, cum subjunctivo vero dubitative, 650, 1.
Sic est aliquando vocula comparantis, 341, 1. aliquando capitur pro propterea, 335, 1.
Sicera significat omne quod inebriare potest, 10, 2.
Sichar quænam urbs : multa in ea gesta sunt, 354, 2. cur eo ossa sua transferri mandarit Joseph, ibid.
Siclus idem est quod florenus Brabanticus, 67, 2.

Signare sua dicta quomodo dicatur Deus, 351, 1. quomodo Christus sit a Patre signatus, 393, 1.

Signum quod nati Christi angelus dederit pastoribus, an id externum, an internum fuerit, 64, 2. quomodo sit Christus signum cui contradicetur, 76, 2 et seqq. signa in morte Christi facta, sunt facta eo mortuo, 209, 1. signa plurima fecit Christus post resurrectionem, 638, 2.

Siliqua quid sit, 208, 1. siliqua arbor etiam describitur, 2.

Siloe erat fons sive piscina juxta Jerusalem : et juxta hunc erat turris ab eo dicta Siloe, 186, 1. quomodo is fluat et primum eruperit, 460, 1; 461, 2. erat typus Christi, 460, 2 et seqq. item baptismi, 461, 1. erat ejus aqua salutaris, 2.

Similes norunt se invicem, 612, 1.

Similitudo morum causa est amoris, 559, 1.

Simeon senex fuit sanctitate et senio venerabilis : an sacerdos fuerit, 72, 1. et discipulus et filius Hillelis, ibid. ejus elogium, ibid. exspectabat adventum Messiæ, ibid. erat plenus Spiritu Sancto, ibid. 2. an fuerit cæcus, ibid. accepit promissum a Spiritu Sancto se ante mortem visurum Messiam, ibid.; 73, 2. eximiæ fuit sanctitatis, 73, 1. a Spiritu Sancto impulsus, venit in templum : quo signo Christum inter tot pueros cognoverit, ibid. accepit eum in ulnas, et prorupit in canticum, 2. voti sui factus compos paulo post mortuus videtur, 74, 1. fuit Propheta, ibid. parentibus benedixit, non puero, 75, 2. quid matri ejus dixerit, ibid. et seqq.

Simeon, frater SS. Jacobi et Judæ, fuit alius a Simone Chananæo, 97, 2.

S. Simeon Stylites aspero fune lumbos cinxit, ita ut caro subtus computresceret, 174, 2.

Simon et Simeon idem est nomen, 72, 1. Simon est diversus a Simeone fratre SS. Jacobi et Judæ, 97, 2.

Simon Chananæus non est idem cum Nathanaele, 274, 2. fuit sponsus in nuptiis Canensibus, 327, 1. et filius Cleophæ, et S. Josephi patruelis, 328, 1.

Simon leprosus murmurat de facto Magdalenæ, 124, 2. ejus pravum judicium de Christo et ipsa, 125, 1. octo ejus errores, ibid. qualis ipse fuerit, ibid. videtur a Christo conversus, 2. cur minus ei dimissum sit, 128 2 et seqq.

Sinus Abrahæ quid sit, cur sic dictus, et ubi situs, 222, 1 et seqq. quomodo in sinu Patris dicatur esse Dei Filius, 318, 1, 2.

Sitire et esurire, in spiritualibus idem est, 396, 1 404, 1.

Sitis Epulonis in flamma infernali, 224, 1. Sitis Christi in cruce qualis esset, 618, 2.

Sobe mater fuit S. Elisabethæ, 97, 1.

Sol nascente Christo clarior solito videtur eluxisse, 64, 1. eum vivere censebant Platonici, 435, 1.

Soldurii quales essent olim apud Gallos, 487, 2.

Solitudinis bona et elogium, 52, 1, 2.

Sollicitudo nimia de futuris cavenda, 172, 1.

Somnus Apostolorum in Tabor fuit verus et naturalis, 140, 1. somnus in ægrotis est rediturae sanitatis præsagium, 486, 2.

Sorec vitis quæ sit, talis est Christus, 55?, 2.

Sorte sua quisque sit contentus, 328, 1. sors Mariæ præfertur sorti Marthæ, 157, 1, 2.

B. Virgo an passa spasmum videns filium suum crucifixum 615, 1 et seqq.

Species una in Ven. Eucharistiæ laicis sufficit, 27?, 2; 404, 1. unam qui sumit, sumit et alteram, ibid.

Spelunca (in) natus est Christus, 60, 1. ex ea postea jugis scaturiit fons, ibid. 2.

Sperandum maxime est rebus afflictissimis, 486, 1.

Spicata nardus quæ sit, 303, 1 et seqq.

Spiridion furibus oves, quæ ei furati erant, donavit, 115, 2.

Spiritus virtutis Eliæ quid significet, 11, 2. spiritus et anima quomodo distinguantur, 35, 1. spiritus, utpote superior, trahit secum animam et corpus, ibid. spiritus sæpe capitur pro spirituali intellectu, 432, 1. spiritus veteris legis erat vindictæ; novæ, mansuetudinis et charitatis, 141, 2. spiritus in viro Apostolico requiritur, et is retineri debet, 202, 1. spiritus Christi peccatores complectitur, 203, 1. spiritum Deo commendare in morte debemus, 272, 1. et quare, ibid. et triplicem spiritum, ibid. 2.

Spiritui Sancto cur tribuatur opus incarnationis, 22, 1. cur ex eo Christus conceptus sit, 2. est virtus Altissimi, 23, 1. quomodo Virginem obumbrarit, ibid. 2. est in aliquo tam per gratiam gratum facientem, quam per gratiam gratis datam, 72, 2. ejus dona, maxime charitas et zelus, sunt ignis quem venit Christus mittere in terram, 181, 2. eum suis Christus promittit, ut ejus robore cœlesti roborentur, 283, 2. habitavit in Christo, et descendit super eum dum baptizaretur, 103, 1, 2; 318, 2 et seqq. quomodo in baptizatos transfundatur, 340, 2. vento comparatur, ibid. et seq. spirat ubi vult, 341, 1. ejus occultæ operationes et effectus, 341, 2; 548, 2; 551, 2. ejus instinctus ambiendi et sequendi sunt, 341, 2. ejus et aquæ analogiæ, 356, 2 et seqq. cur vocetur aqua viva, ibid. et seqq. est Patri et Filio intime unitus, 357, 1. ita mentem replet, ut præter ipsum nil aliud desideret, 358, 2. maxime in cœlo, ibid. quomodo corda immutet, 359, 1. est velut fons aquarum viventium, 427, 1. datus est Apostolis plene in Pentecoste, ibid. 2. cur post mortem Christi datus sit, variæ dantur causæ, ibid. et seqq. est ostiarius ovilis ovium, 468, 1. Ecclesiæ de bonis pastoribus prospicit, 469, 2. est advocatus, exhortator et consolator, 547, 1, 2; 571, 2. adest semper Ecclesiæ et fidelibus, 547, 2. cur dicatur spiritus veritatis, ibid.; 571, 2. quomodo sit missus in nomine Filii, 551, 2. quomodo docuerit fideles omnia, ibid. recte perhibet testimonium de Christo, 571, 1, 2. est persona distincta a Patre et Filio, ibid.; 579, 2. est Deus, ibid. procedit a Patre per spirationem, 571, 2. quomodo Apostolos informarit, 576, 2; 578, 1; 580, 1; 580, 2 et seq. et quidem sensim, 578, 1. eos fecit Prophetas, 579, 1. quid a Filio accipiat, ibid. 2; 580, 1. tam a Filio, quam a Patre procedit : id negant Græci recentiores, 570, 1, 2; 576, 2; 579, 1, 2 et seqq. 632, 1, 2. est utrique consubstantialis, ibid. quomodo a Patre cum se missurum dicat Christus, 570, 2. quomodo mundum arguet de peccato, justitia, judicio, 576, 1 et seqq. quomodo non loquetur a semetipso, 578, 2. remittit peccata in Sacramento confessionis, 633, 1.

Sponsi olim coronabantur, 849, 2. sponsus in Cana quis fuerit, 327, 1.

Stabulum capitur etiam pro hospitio, 152, 1. stabulum in quo Christus natus, factum est quasi cœlum, 61, 1.

Stadium est octava pars milliaris, 274, 2. unde dictum, 291, 1; 488, 2.

S. Stanislaus Episc. mortuum triennalem ad vitam revocavit, 228, 1.

Stanislai Hosii Cardinalis mors et elogium, 378, 1.

*Stare* Hebræis est esse præsentem, 123, 2.

Stemma nobile Christi per varios reges et patriarchas, 99, 2.

Stephanus Abbas quid in morte viderit, et ejus agonia, 215, 2. Stephani Abbatis alterius patientia, 258, 2.

Sterilitas olim magnum erat opprobrium, 14, 1.

Stola prima data prodigo reduci, quæ sit, 211, 1.

Strabus monachus Fuldensis auctor est Glossæ ordinariæ, 291, 1.

Stultitia bona quæ sit, 247, 2.

Stylus S. Joannis Evangelistæ, 259, 1, 2.

Sublime (in) tolli quid sit, 171, 2.



Substantia a prodigo dilapidata quid denotet, 206, 1.

Sudario cadaveris mortui facies ligabatur, 496, 2.

Sudor sanguineus Christi in horto qualis fuerit, 265, 2. vere sanguineus sudor fuit, unde is ortus, ibid. causæ ejus finales et morales, ibid. et seqq.

Sufficientia plena est in Deo, 543, 1.

Sugillare quid sit, 239, 1. unde vox dicatur, ibid. quid metaphorice significet, ibid.

Sumptio Eucharistica nullum includit horrorem, 410, 2; 412, 1.

Superbia fulgure denotatur, 148, 1, 2. ea retunditur consideratione vilitatis propriæ, 459. 2. ejus quatuor sunt species, 242, 1.

*Superbus* vox unde derivetur, 41, 1. superbi sua ipsorum superbia disperguntur, 40, 2 et seq. sunt in alios injurii et contumeliosi, 41, 1. superbiam suam obtegunt, specie externa se humiliantes, 195, 2.

Superior est vicarius Dei : ei ergo obediens, obedit Deo, 85, 1. is in Superiore considerandus est, 147, 1. Superiores multi in Religionibus die jovis sancto suorum pedes lavant, 52?, 1; 527, 2. præeant subditis in exemplum, ibid. sibi servent abjectiora, speciosiora relinquant subditis, 546, 1. — *Vide* Prælatus.

Supplantare proprie quid sit, 528, 2.

Susanna matrona Christum alens, fuit ejus discipula : quid hebraice Susanna significet, 138, 1.

*Suscipere* in Script. varia significat, 41, 2.

Sycomorus qualis sit arbor, 247, 1. est alia a caprifico, ibid. quid mystice et tropologice denotet, ibid. 2.

Symbolum fidei S. Gregorio Thaumaturgo a S. Joanne datum magnæ apud Orientales fuit auctoritatis, 288, 1; 298, 2.

Symphonia Ecclesiæ quæ sit, 212, 2.

Synagoga Judæorum apte ficui infrugiferæ comparatur, 187, 1. quando ea desierit esse Ecclesia Dei, 500, 1. ea erat cœtus fidelium Judeorum, 573, 2. sic item vocabatur locus orationis et legis audiendæ, ibid. tales erant in singulis urbibus Judææ, ac Hierosolymis plurimæ, ibid.

Syri gaudent parabolis, 169, 2.

## T.

Tabernaculorum festum apud Judæos quod esset, 417, 1. quid hoc significaret, 14, 1; 432, 1. in eo exstruebat quisque Judæus tabernacula vel in urbe, vel foris, 419, 2.

Tabula genealogiæ Christi e Matthæo et Luca, 96, 1. 2.

Tactus est visu solidior, 250, 1; 251, 2. tactus Christi mire erat efficax, 169, 1.

Talentum Hebræum cujus esset pretii, 251, 2.

Tangi cur se a Magdalena non permiserit Dominus, 628, 1 et seqq.

Ταπεινὸς dicitur quasi ἐδαφεινὸς, vel per metathesin, quasi πατηνὸς, id est conculcatus, 36, 2.

Τέλος diversa significat, 522, 1.

Templum locus et sedes est Dei incarnati, 82, 2. cur in templi dedicatione legatur Evangelium de Zachæo, 250, 1. juxta templum Hierosolymitanum erant habitacula feminarum religiosarum, 80, 1. id ter in anno viri adire debebant, 81, 2. nullæ in eo erant sedes ad sedendum, nisi soli regi ac pontifici, 241, 2. id ter ædificatum est, et a quibus, 334. 2. alii id ipsum ornarunt et expolierunt, 335, 2. templum Garizimitanum qua occasione exstructum, et quamdiu steterit, 360, 2.

Tempus vitæ est nobis datum ad merendum, estque velut dies, 459, 1. tempus totum prædicationis Christi et legis novæ est velut annus jubilei, 103, 2 et seq. quod sit tempus visitationis Jerusalem, 254, 2. quomodo tempus præsens verbi S. Joannes usurpet 290, 1. quod esset tempus aquæ in piscina movendæ, 473, 1. tempus mortis Christi erat a Deo Patre constitutum, 486, 1.

Tenebræ, errorum, vitiorum et tristitiæ sunt symbolum, 59, 2; 302, 1. item impiorum, ibid.

Tentatio recte cribrationi comparatur, 263, 1. ea crescente intendenda oratio est, 265, 1. tentationes carnis sæpe restant post conversionem peccatori ferendæ, 375, 1.

Tentatis graviter injicienda aliqua mora, ut conceptum facinus differant, 533, 1.

Ternarius symbolum est SS. Trinitatis, 643, 2.

Testari reipsa est judicare, 437, 2.

Teste (in) tria requiruntur, 571, 1. qui fuerint testes divinitatis Christi, 382, 2 et seqq.; 385, 1; 386, 2. cum tamen iis ipse non indiguerit, 385, 1.

Testimonium Christi de se verum est, et quomodo, 438, 1.

Tetrarcha est qui quartæ parti alicujus regni præest, 90, 1. tetrarchæ quatuor ab Augusto Palæstinæ præfecti sunt, 2. erant potentes seu reges, ibid. et seqq.

Theandricæ actiones Christi quæ dicerentur, 83, 2; 653, 2.

Theodosius Imp. Romæ in templo S. Petri voluit sepeliri, 119, 1.

Theophilus, ad quem Lucas Evangelium scripsit, fuit vir nobilis Antiochenus, 6, 2.

Thesaurus hominis est id quod charum habet, 172, 1.

Thomæ quod sit etymon, 487, 1. S. Thomas non fuit binomius : unde ergo dictus est Didymus, ibid. paratum se exhibet ad cum Christo moriendum, ibid. 2. ei absenti a cæteris Apostolis non fuit data potestas remittendi peccata, sed postea, 633, 2. quia incredulus, recte dicitur Didymus : prædicavit pene per totum orbem, 635, 2. quare a cæteris Apostolis abesset et esset incredulus, ibid. et seqq. ejus incredulitas gravis erat, ibid. unde ea orta esset, 634, 1. jubetur a Domino digitum mittere in vulnerum loca, 636, 2. vere vulnera tetigit, ibid. ejus verba post hunc tactum amorem spirant, 637, 2 et seqq.

Thomæ a Kempis libellus de Imitatione Christi commendatur, 456, 2.

Thus ritu omnium gentium Deo adoletur, 9, 2.

Thymiama bis in die Deo offerendum erat, 9, 1. componebatur id e quatuor odoramentis, ibid.

Tiberius Imp. quare Augusto in imperio successerit, 86, 2; 89, 2. quando cœperit imperare, ibid. voluit Christum inter deos referre, 83, 2.

Timor oritur a potentia operantis, 44, 2.

Tirones initio vocationis molliter a Deo habentur, 575, 2.

Tisri mensis respondet partim septembri, partim octobri, 13, 2.

Titulus Evangelio S. Lucæ ab Ecclesia additus est, 1, 1. titulus Evangelii S. Joannis, 293, 1, 2.

Titus Imp. Jerusalem totam muro cinxit, 254, 1.

Tonitru e cœlo Christi divinitatem testatur, 511, 1.

Tori mensales describuntur, 122, 2.

Tormenta Christi, animam B. Virginis velut gladius transfixerunt, 77, 2.

Torrens Cedron quis esset, et unde dictus : quid mystice denotet, 605, 2. dictus ab obscuritate, 606, 1. cur ejus Joannes meminerit, ibid.

Trachonitis quæ sit regio, et unde dicta, 90, 2.

Tractus Dei quomodo sit accipiendus, 398, 1 et seqq. obstinatio cordis hunc tractum impedit, 399, 1.

Traditiones incolarum terræ sanctæ parum habent fidei, 612, 1.

Trahit omnia Christus ad se blande, non violente, 513, 1. maxime in cruce pendens, ibid. 2. trahuntur alii inchoate, alii complete, 399, 1.

Trajanus Imp. viduæ cito jus dixit : an ob hanc pietatem sit salvatus, 229, 2.

Transitus ex hac vita fidelium et infidelium dispar est, 532, 1.

Signare sua dicta quomodo dicatur Deus, 351, 1. quomodo Christus sit a Patre signatus, 393, 1.
Signum quod nati Christi angelus dederit pastoribus, an id externum, an internum fuerit, 64, 2. quomodo sit Christus signum cui contradicetur, 76, 2 et seqq. signa in morte Christi facta, sunt facta eo mortuo, 209, 1. signa plurima fecit Christus post resurrectionem, 638, 2.
Siliqua quid sit, 208, 1. siliqua arbor etiam describitur, 2.
Siloe erat fons sive piscina juxta Jerusalem : et juxta hunc erat turris ab eo dicta Siloe, 186, 1. quomodo is fluat et primum eruperit, 460, 1 ; 461, 2. erat typus Christi, 460, 2 et seqq. item baptismi, 461, 1. erat ejus aqua salutaris, 2.
Similes norunt se invicem, 642, 1.
Similitudo morum causa est amoris, 359, 1.
Simeon senex fuit sanctitate et senio venerabilis : an sacerdos fuerit, 72, 1. et discipulus et filius Hillelis, ibid. ejus elogium, ibid. exspectabat adventum Messiæ, ibid. erat plenus Spiritu Sancto, ibid. 2. an fuerit cæcus, ibid. accepit promissum a Spiritu Sancto se ante mortem visurum Messiam, ibid.; 73, 2. eximiæ fuit sanctitatis, 73, 1. a Spiritu Sancto impulsus, venit in templum : quo signo Christum inter tot pueros cognoverit, ibid. accepit eum in ulnas, et prorupit in canticum, 2. voti sui factus compos paulo post mortuus videtur, 74, 1. fuit Propheta, ibid. parentibus benedixit, non puero, 75, 2. quid matri ejus dixerit, ibid. et seqq.
Simeon, frater SS. Jacobi et Judæ, fuit alius a Simone Chananæo, 97, 2.
S. Simeon Stylites aspero fune lumbos cinxit, ita ut caro subtus computresceret, 174, 2.
Simon et Simeon idem est nomen, 72, 1. Simon est diversus a Simeone fratre SS. Jacobi et Judæ, 97, 2.
Simon Chananæus non est idem cum Nathanaele, 274, 2. fuit sponsus in nuptiis Canensibus, 327, 1. et filius Cleophæ, et S. Josephi patruelis, 328, 1.
Simon leprosus murmurat de facto Magdalenæ, 124, 2. ejus pravum judicium de Christo et ipsa, 125, 1. octo ejus errores, ibid. qualis ipse fuerit, ibid. videtur a Christo conversus, 2. cur minus ei dimissum sit, 128 2 et seqq.
Sinus Abrahæ quid sit, cur sic dictus, et ubi situs, 222, 1 et seqq. quomodo in sinu Patris dicatur esse Dei Filius, 318, 1, 2
Sitire et esurire, in spiritualibus idem est, 396, 1 404, 1.
Sitis Epulonis in flamma infernali, 224, 1. Sitis Christi in cruce qualis esset, 618, 2
Sobe mater fuit S. Elisabethæ, 97, 1.
Sol nascente Christo clarior solito videtur eluxisse, 64, 1. eum vivere censebant Platonici, 435, 1.
Soldurii quales essent olim apud Gallos, 467, 2
Solitudinis bona et elogium, 52, 1, 2
Sollicitudo nimia de futuris cavenda, 172, 1.
Somnus Apostolorum in Tabor fuit verus et naturalis, 140, 1. somnus in ægrotis est rediturae sanitatis præsagium, 486, 2
Sorec vitis quæ sit, talis est Christus, 55[?], 2
Sorte sua quisque sit contentus, 328, 1. sors Mariæ præfertur sorti Marthæ, 157, 1, 2.
B. Virgo an passa spasmum videns filium suum crucifixum 615, 1 et seqq.
Species una in Ven. Eucharistiæ laicis sufficit, 27[?], 2; 404, 1. unam qui sumit, sumit et alteram, ibid.
Spelunca (in) natus est Christus, 60, 1. ex ea postea jugis scaturiit fons, ibid. 2.
Sperandum maxime est rebus afflictissimis, 486, 1.
Spicata nardus quæ sit, 503, 1 et seqq.
Spiridion furibus oves, quæ ei furati erant, donavit, 115, 2.
Spiritus virtutis Eliæ quid significet, 11, 2. spiritus et anima quomodo distinguantur, 35, 1. spiritus, utpote superior, trahit secum animam et corpus, ibid. spiritus sæpe capitur pro spirituali intellectu, 432, 1. spiritus veteris legis erat vindictæ ; novæ, mansuetudinis et charitatis, 141, 2. spiritus in viro Apostolico requiritur, et is retineri debet, 202, 1. spiritus Christi peccatores complectitur, 203, 1. spiritum Deo commendare in morte debemus, 272, 1. et quare, ibid. et triplicem spiritum, ibid. 2.
Spiritui Sancto cur tribuatur opus incarnationis, 22, 1. cur ex eo Christus conceptus sit, 2. est virtus Altissimi, 23, 1. quomodo Virginem obumbrarit, ibid. 2. est in aliquo tam per gratiam gratum facientem, quam per gratiam gratis datam, 72, 2. ejus dona, maxime charitas et zelus, sunt ignis quem venit Christus mittere in terram, 181, 2. eum suis Christus promittit, ut ejus robore cœlesti roborentur, 283, 2. habitavit in Christo, et descendit super eum dum baptizaretur, 103, 1, 2; 318, 2 et seqq. quomodo in baptizatos transfundatur, 340, 2. vento comparatur, ibid. et seq. spirat ubi vult, 341, 1. ejus occultæ operationes et effectus, 341, 2; 548, 2; 551, 2. ejus instinctus ambiendi et sequendi sunt, 341, 2. ejus et aquæ analogiæ, 356, 2 et seqq. cur vocetur aqua viva, ibid. et seqq. est Patri et Filio intime unitus, 357, 1. ita mentem replet, ut præter ipsum nil aliud desideret, 358, 2. maxime in cœlo, ibid. quomodo corda immutet, 359, 1. est velut fons aquarum viventium, 427, 1. datus est Apostolis plene in Pentecoste, ibid. 2. cur post mortem Christi datus sit, variæ dantur causæ, ibid. et seqq. est ostiarius ovilis ovium, 468, 1. Ecclesiæ de bonis pastoribus prospicit, 469, 2. est advocatus, exhortator et consolator, 547, 1, 2; 571, 2. adest semper Ecclesiæ et fidelibus, 547, 2. cur dicatur spiritus veritatis, ibid.; 571, 2. quomodo sit missus in nomine Filii, 551, 2. quomodo docuerit fideles omnia, ibid. recte perhibet testimonium de Christo, 571, 1, 2. est persona distincta a Patre et Filio, ibid.; 579, 2. est Deus, ibid. procedit a Patre per spirationem, 571, 2. quomodo Apostolos informarit, 576, 2; 578, 1; 580, 1; 580, 2 et seq. et quidem sensim, 578, 1. eos fecit Prophetas, 579, 1. quid a Filio accipiat, ibid. 2; 580, 1. tam a Filio, quam a Patre procedit : id negant Græci recentiores, 570, 1, 2; 576, 2; 579, 1, 2 et seqq. 632, 1, 2. est utrique consubstantialis, ibid. quomodo a Patre eum se missurum dicat Christus, 570, 2. quomodo mundum arguet de peccato, justitia, judicio, 576, 1 et seqq. quomodo non loquetur a semetipso, 578, 2. remittit peccata in Sacramento confessionis, 633, 1.
Sponsi olim coronabantur, 849, 2. sponsus in Cana quis fuerit, 327, 1.
Stabulum capitur etiam pro hospitio, 152, 1. stabulum in quo Christus natus, factum est quasi cœlum, 61, 1.
Stadium est octava pars milliaris, 274, 2. unde dictum, 291, 1; 488, 2.
S. Stanislaus Episc. mortuum triennalem ad vitam revocavit, 228, 1.
Stanislai Hosii Cardinalis mors et elogium, 378, 2.
Stare Hebræis est esse præsentem, 129, 2.
Stemma nobile Christi per varios reges et patriarchas, 99, 2.
Stephanus Abbas quid in morte viderit, et ejus agonia, 215, 2. Stephani Abbatis alterius patientia, 258, 2.
Sterilitas olim magnum erat opprobrium, 14, 1.
Stola prima data prodigo reduci, quæ sit, 211, 1.
Strabus monachus Fuldensis auctor est Glossæ ordinariæ, 292, 1.
Stultitia bona quæ sit, 247, 2.
Stylus S. Joannis Evangelistæ, 259, 1, 2.
Sublime (in) tolli quid sit, 171, 2.





Substantia a prodigo dilapidata quid denotet, 208, 1.
Sudario cadaveris mortui facies ligabatur, 490, 2.
Sudor sanguineus Christi in horto qualis fuerit, 265, 2. vere sanguineus sudor fuit, unde is ortus, ibid. causæ ejus finales et morales, ibid. et seqq.
Sufficientia plena est in Deo, 543, 1.
Sugillare quid sit, 239, 1. unde vox dicatur, ibid. quid metaphorice significet, ibid.
Sumptio Eucharistica nullum includit horrorem, 410, 2; 412, 1.
Superbia fulgure denotatur, 148, 1, 2. ea retunditur consideratione vilitatis propriæ, 459. 2. ejus quatuor sunt species, 242, 1.
Superbus vox unde derivetur, 41, 1. superbi sua ipsorum superbia disperguntur, 40, 2 et seq. sunt in alios injurii et contumeliosi, 41, 1. superbiam suam obtegunt, specie externa se humiliantes, 195, 2.
Superior est vicarius Dei : ei ergo obediens, obedit Deo, 85, 1. is in Superiore considerandus est, 147, 1. Superiores multi in Religionibus die jovis sancto suorum pedes lavant, 525, 1; 527, 2. præeant subditis in exemplum, ibid. sibi servent abjectiora, speciosiora relinquant subditis, 546, 1. — Vide Prælatus.
Supplantare proprie quid sit, 528, 2.
Susanna matrona Christum alens, fuit ejus discipula : quid hebraice Susanna significet, 138, 1.
Suscipere in Script. varia significat, 41, 2.
Sycomorus qualis sit arbor, 247, 1. est alia a caprifico, ibid. quid mystice et tropologice denotet, ibid. 2.
Symbolum fidei S. Gregorio Thaumaturgo a S. Joanne datum magnæ apud Orientales fuit auctoritatis, 288, 1; 298, 2.
Symphonia Ecclesiæ quæ sit, 212, 2.
Synagoga Judæorum apte ficui infrugiferæ comparatur, 187, 1. quando ea desierit esse Ecclesia Dei, 500, 1. ea erat cœtus fidelium Judæorum, 573, 2. sic item vocabatur locus orationis et legis audiendæ, ibid. tales erant in singulis urbibus Judææ, ac Hierosolymis plurimæ, ibid.
Syri gaudent parabolis, 169, 2.


## T.


Tabernaculorum festum apud Judæos quod esset, 417, 1. quid hoc significaret, 14, 1; 432, 1. in eo exstruebat quisque Judæus tabernacula vel in urbe, vel foris, 419, 2.
Tabula genealogiæ Christi e Matthæo et Luca, 96, 1, 2.
Tactus est visu solidior, 280, 1; 281, 2. tactus Christi mire erat efficax, 189, 1.
Talentum Hebræum cujus esset pretii, 251, 2.
Tangi cur se a Magdalena non permiserit Dominus, 628, 1 et seqq.
Ταπεινὸς dicitur quasi ἐδαφεινὸς, vel per metathesin, quasi πατεινὸς, id est conculcatus, 38, 2.
Τέλος diversa significat, 522, 1.
Templum locus et sedes est Dei incarnati, 82, 2. cur in templi dedicatione legatur Evangelium de Zachæo, 250, 1. juxta templum Hierosolymitanum erant habitacula feminarum religiosarum, 80, 1. id ter in anno viri adire debebant, 81, 2. nullæ in eo erant sedes ad sedendum, nisi soli regi ac pontifici, 241, 2. id ter ædificatum est, et a quibus, 334, 2. alii id ipsum ornarunt et expoliarunt, 335, 2. templum Garizimitanum qua occasione exstructum, et quamdiu steterit, 360, 2.
Tempus vitæ est nobis datum ad merendum, estque velut dies, 459, 1. tempus totum prædicationis Christi et legis novæ est velut annus jubilei, 103, 2 et seq. quod sit tempus visitationis Jerusalem, 254, 2. quomodo tempus præsens verbi S. Joannes usurpet, 290, 1. quod esset tempus aquæ in piscina movendæ, 473, 1. tempus mortis Christi erat a Deo Patre constitutum, 486, 1.
Tenebræ, errorum, vitiorum et tristitiæ sunt symbolum, 59, 2; 302, 1. item impiorum, ibid.
Tentatio recte cribrationi comparatur, 263, 1. ea crescente intendenda oratio est, 265, 1. tentationes carnis sæpe restant post conversionem peccatori ferendæ, 375, 1.
Tentatis graviter injicienda aliqua mora, ut conceptum facinus differant, 533, 1.
Ternarius symbolum est SS. Trinitatis, 643, 2.
Testari reipsa est judicare, 437, 2.
Teste (in) tria requiruntur, 571, 1. qui fuerint testes divinitatis Christi, 382, 2 et seqq.; 385, 1; 386, 2. cum tamen iis ipse non indiguerit, 385, 1.
Testimonium Christi de se verum est, et quomodo, 438, 1.
Tetrarcha est qui quartæ parti alicujus regni præest, 90, 1. tetrarchæ quatuor ab Augusto Palæstinæ præfecti sunt, 2. erant potentes seu reges, ibid. et seqq.
Theandricæ actiones Christi quæ dicerentur, 83, 2; 653, 2.
Theodosius Imp. Romæ in templo S. Petri voluit sepeliri, 119, 1.
Theophilus, ad quem Lucas Evangelium scripsit, fuit vir nobilis Antiochenus, 6, 2.
Thesaurus hominis est id quod charum habet, 172, 1.
Thomæ quod sit etymon, 487, 1. S. Thomas non fuit binomius : unde ergo dictus est Didymus, ibid. paratum se exhibet ad cum Christo moriendum, ibid. 2. ei absenti a cæteris Apostolis non fuit data potestas remittendi peccata, sed postea, 633, 2. quia incredulus, recte dicitur Didymus : prædicavit pene per totum orbem, 635, 2. quare a cæteris Apostolis abesset et esset incredulus, ibid. et seqq. ejus incredulitas gravis erat, ibid. unde ea orta esset, 634, 1. jubetur a Domino digitum mittere in vulnerum loca, 636, 2. vere vulnera tetigit, ibid. ejus verba post hunc tactum amorem spirant, 637, 2 et seqq.
Thomæ a Kempis libellus de Imitatione Christi commendatur, 456, 2.
Thus ritu omnium gentium Deo adoletur, 9, 2.
Thymiama bis in die Deo offerendum erat, 9, 1. componebatur id e quatuor odoramentis, ibid.
Tiberius Imp. quare Augusto in imperio successerit, 86, 2; 89, 2. quando cœperit imperare, ibid. voluit Christum inter deos referre, 85, 2.
Timor oritur a potentia operantis, 44, 2.
Tirones initio vocationis molliter a Deo habentur, 575, 2.
Tisri mensis respondet partim septembri, partim octobri, 13, 2.
Titulus Evangelio S. Lucæ ab Ecclesia additus est, 1, 1. titulus Evangelii S. Joannis, 293, 1, 2.
Titus Imp. Jerusalem totam muro cinxit, 254, 1.
Tonitru e cœlo Christi divinitatem testatur, 511, 1.
Tori mensales describuntur, 122, 2.
Tormenta Christi, animam B. Virginis velut gladius transfixerunt, 77, 2.
Torrens Cedron quis esset, et unde dictus : quid mystice denotet, 605, 2. dictus ab obscuritate, 606, 1. cur ejus Joannes meminerit, ibid.
Trachonitis quæ sit regio, et unde dicta, 90, 2.
Tractus Dei quomodo sit accipiendus, 398, 1 et seqq. obstinatio cordis hunc tractum impedit, 399, 1.
Traditiones incolarum terræ sanctæ parum habent fidei, 612, 1.
Trahit omnia Christus ad se blande, non violente, 513, 1. maxime in cruce pendens, ibid. 2. trahuntur alii inchoate, alii complete, 399, 1.
Trajanus Imp. viduæ cito jus dixit : an ob hanc pietatem sit salvatus, 229, 2.
Transitus ex hac vita fidelium et infidelium dispar est, 532, 1.

Transsubstantiatio Eucharistiæ probatur, 331, 1.
Tribulatione (in) non est de Dei ope desperandum, 452, 2. tribulatio præsens futurum parit gaudium, 581, 2. ea instante orandum est, 590, 1. et in ea gloriandum, 648, 2.
Triduum amissionis pueri Jesu quomodo computandum sit, 82, 2.
Trigamia non est peccatum, 360, 1.
Trigesimus annus statum erat tempus ad docendum, 94, 2.
SS. Trinitatis personæ tres unum in eadem deitate sunt, 157, 2. ipsa tota fuit causa efficiens incarnationis, 22, 1; 308, 1. habitat in anima sancta, 550, 2 et seqq. venit ad tres animæ potentias, 550, 2.
S. Triphonia, uxor Decii Imp., fuit martyr, 274, 1.
Tristitia cor contrahit, et somnum inducit, 266, 2. tristitia fidelium et Apostolorum in hac vita, 583, 1, 2.
Tunicas duas habens, quomodo alteram non habenti dare jubeatur, 92, 2. tunica Christi inconsutilis qualis esset, 614, 2. quid allegorice et tropologice indicet, *ibid.*
Tunsio pectoris signum est pœnitentiæ, 243, 2. et aliarum quoque rerum symbolum, *ibid.*
Turbatio Deiparæ ad aspectum et salutationem angeli, 18, 2 et seqq. ea fuit non passio, sed propassio, 19, 1. unde et qualis turbatio Christi fuerit Lazarum suscitaturi, 492, 1, 2; 493, 1.
Turcæ adorant Deum quem nesciunt, 361, 1.
Turris tria etyma, ipsa symbolum vitæ Religiosæ est, 200, 2. turris Eder quis locus juxta Bethleem, 62, 2. turris Siloe collapsa tempore Christi XVIII homines ruina oppressit, 186, 1, 2.
Tyranni cujusdam superbi superbia divinitus retusa, quomodo, 40, 2. tyranni multi filias suas et uxores in odium Christianæ fidei occidi jussere, 274, 1.

## U.

Ubiquetariorum hæresis, 343, 1.
Ultima dicta et scripta sapientum dulcissima sunt, 73, 1, 2.
Umbra Christi crucifixi an obumbrarit bonum latronem, itaque cum converterit, 269, 1. umbra mortis quid sit, et quid significet, 50, 2.
Unctio Christi a Spiritu Sancto quando et qua ratione sit facta, 102, 2.
Undecim vocantur Apostoli, etsi abesset Thomas, 279, 2.
Unguenta veteres conviviis adhibebant, 124, 1. quibus perfundebantur manus et caput convivarum, et quo cariores, eo pretiosioribus, 127, 2. quid sit unguentum nardi pisticum, 503, 2. quid unguentum spicatum et foliatum nardinum, 504, 1. unguentum mysticum quadruplex, 124, 1.
Unigeniti mors quam sit acerba, 119, 1.
Unio cum Deo via est ad sanctitatem, 155, 2. ejus sunt signa, 602, 1. et sex effectus, *ibid.* 2. tria ejus consequendæ media, *ibid.* unio amoris divini quam arcta sit, 600, 1. unionis animorum quanta sit vis, 565, 1. unio Christianorum inter se unde coalescat, 535, 2; 536, 2. quanta ea esse debeat, 600, 1, 2 et seqq. ejus potentia, 603, 1. unio hypostatica ad solum Filium terminata est, 379, 1.
Unitas est vestigium Dei, 155, 2. est rerum principium et finis, 156, 2. ejus bonum et commoda, *ibid.* et seqq. unitas personæ in Christo facta est in incarnatione, non confusio duarum naturarum, 306, 2.
Unum necessarium quod sit, 155, 1 et seqq.; 156, 2. ad unum tendunt omnia, 155, 2.
Urbes in medio montium commodius ædificantur, quam in summo vel imo, 106, 1.
Ursus pileatus Romæ fuit macellum Martyrum, 192, 2.
Utilitatis nihil afferre Deo possumus, 231, 2.
Uxor Lot respectans quid denotet 235, 2.

## V.

*Væ* in Scriptura Dei iram et damnationem æternam notat, 113, 2.
Valentiniani docebant Christum carnem e cœlo attulisse, non e B. Virgine sumpsisse, 20, 1; 68, 1; 345, 1.
Vallis Josaphat erat cœmeterium commune urbis, 118, 2; 605, 1. in ea fiet judicium extremum, *ibid.*
Vallum est munimentum castrorum ex vallis et palis constans, 254, 1.
Vanitas generationum, 100, 1, 2. vanitas hominum mundanorum, 198, 1.
Vendere sua ex amore Dei, non est præceptum, sed consilium duntaxat, 172, 2. vendentes e templo Christus bis ejecit, 333, 2.
Venia (de) criminum impetranda nemo desperet, 122, 1, 2.
Venire Dei quid sit, 118, 1.
Ventus spiritus vocatur: spirat ubi vult, 340, 1.
Verbalia in *bilis* desinentia in Script. sæpe pro participio passivo accipiuntur, 399, 2.
Verbum derivatur a vero, 303, 2. verbi et veritatis affinitas, *ibid.* verbum in Script. sæpe ponitur pro re per verbum significata, 66, 2. verbum Dei est gladius spiritus, 77, 1. ut id recte audiatur multa requiruntur, 183, 1. refert fructum pro quantitate bonitatis cordis audientium, *ibid.* id audire et custodire, in quo majus sit quam esse matrem Dei, 162, 1 et seqq. id libenter audire est signum prædestinationis, 452, 1. id servans non morietur in æternum, 453, 1. est velut falx Dei, 558, 2; 559, 1.
Verbum Dei est duplex: unum essentiale, alterum notionale, 297, 1. Verbi æterni generatio divina est, 294, 1, 2. quam ea alte petenda, *ibid.* in quo principio fuerit, *ibid.* fuit ab æterno apud Patrem, 295, 2 et seq. 298, 1, 2. per ipsum denotatur Dei Filius, 296, 1, 2. cur dicatur λόγος, et omnes significationes τοῦ λόγος ei adaptantur, *ibid.* et seqq. Verbum hoc est mens Patris æterni, *ibid.* est Verbum notionale, 297, 1; 298, 1. est forma omnium formarum superans omnia, 297, 1. est diversa persona a Patre: ejus cum eo conjunctio, et utriusque æqualitas, 297, 2 et seqq. 313, 1. ipsum est Deus, 298, 2; 299, 1; 311, 1. omnia per ipsum facta sunt, 298, 2 et seqq. et quomodo, 299, 1, 2. est idea rerum creatarum, 299, 2; 300, 2. est fons vitæ, 300, 2. et in ipso vita est, *ibid.* et seqq. est vita subsistens, et in ipso vita idealis, *ibid.* item causalis naturalis, 301, 1 et causalis supernaturalis, 301, 1. est lux, *ibid.* 2. et quidem prima, increata, naturalis et essentialis lux, 303, 1. ab initio mundi erat in eo per essentiam, præsentiam et potentiam, 304, 1. mundus per ipsum factus est, *ibid.* ipsum factum est caro, et quomodo, 306, 1; 307, 1; 308, 1. non est mutatum in carnem, 306, 2; 308, 1. cur dicatur factum caro, 308, 1. non assumpsit hominis subsistentiam, sed essentiam et existentiam, 307, 2 et seqq. carne vestitum fuit ut sol nube vestitus, aut ignitus carbo, etc., 308, 1. quorsum caro factum sit, 2. habitavit in carne inter nos, *ibid.* itaque factum est nobis quasi spectaculum, *ibid.* habuit gloriam deitatis quasi Dei Filius, 309, 1. fuit plenum gratia et veritate, *ibid.* et seqq.; *ibid.*
Verba Joannes nunc sumit in actu inchoato, nunc continuato, nunc perfecto, 290, 1. verba Hebræorum sæpe significant actum inchoatum, non perfectum, 67, 2. et sæpe actum continuatum, non inchoatum, 628, 2. verba septem Christus in cruce dixit, 619, 1. verba gratiæ proferebat Christus, et quæ hæc dicantur, 104, 1. ea erant ignita, 279, 2. sunt effectiva, 368, 2; 374, 2. quomodo is haberet verba vitæ æternæ, 413, 2.
Verecundiæ elogium, 122, 2.
Veritas quadruplex in Christo fuit, 303, 1, 2. veritatis etymon, *ibid.* veritas triplex est cordis, oris, operis,



449, 2. quomodo diabolus non steterit in veritate, *ibid.*; 450, 1. veritas non potest opprimi, 303, 1, 2. oppressa magis erumpit, 462, 2. qua via ad eam perveniatur, 578, 2. ipse Deus veritas est, 610, 1. tres ejus gradus, 2. aliæ ejus definitiones, *ibid.* et seqq. quomodo Christus sit veritas, 540, 2 et seqq. veritas Evangelica triplex est, 548, 1. ea sita in cognitione veri Dei, incarnationis Verbi et veræ beatitudinis, 609, 2. qui sunt ex veritate, audiunt vocem Christi, *ibid.* veritas et gratia simul in Christo fuere, 310, 1; 312, 1. cur Spiritus Sanctus dicatur spiritus veritatis, 548, 1. quomodo Deus in veritate adorandus sit, 361, 2 et seqq. quomodo in veritate Apostoli sanctificandi sint, 598, 1, 2. quid sit *facere veritatem*, 346, 2.
Vestes Hebræis erant longiores, ideo aliquid facturi eas præcingebant, 173, 1, 2. quatenus vestes subtiles et pretiosæ peccatum includant, 220, 2. quas vestes posuerit Christus pedes suorum abluturus, 523, 2.
Via recta et vera est Christus, 540, 2 et seqq.
Viatores iter agentes lumbos præcingunt, 174, 1.
Victoria de mundo Christianis promittitur, 588, 1.
Victorini monachi pœnitentia, 205, 1.
Victu (de) suos sollicitos esse vetat Christus, 146, 2.
Videntur (quæ), etiam credi possunt, estque illa etiam bona fides, 638, 1, 2. *videre* pro frui et possidere accipitur, 339, 1; 455, 1. *videre* et *audire* in divinis idem est, 350, 2.
Vidua lugens mortem unigeniti est Ecclesia, 119, 2. quid denotet vidua judicem importuno rogans, 239, 1. quid allegorice et tropologice, *ibid.* 2. cur viduæ uni Sareptanæ prospexerit Elias tempore famis, 105, 2. quos hæc vidua denotet, *ibid.*
Vigilare nos oportet, expectantes Dei adventum, exemplo famulorum exspectantium de nocte dominum facibus accensis, 175, 1; 178, 1.
Vigiliarum nocturnarum divisio, *ibid.*
Viles non sunt negligendi in operibus charitatis, 28, 1.
Vilitatis suæ consideratione homo curatur a superbia, 459, 2.
Villa dicta quasi vella, 214, 2. villæ emptores, quos designent, 197, 2.
Villicus aliquando capitur pro dispensatore et administratore, 214, 2.
S. Vincentius Martyr ad tormenta anhelavit, 183, 2.
Vindicare pro defendere capitur subinde, 238, 2.
Vindicta non est novæ legis, sed antiquæ, 141, 2.
Vini usus est in vulneribus, 152, 1. vinum potus nobilissimus, 332, 2. est symbolum gratiæ, devotionis, fervoris, *ibid.* aquam in vinum Christus in nuptiis convertit, 331, 1. et quidem in rubrum, 2. et optimum, *ibid.* vina in centum annos servantur, 356, 2.
Virginitas B. Virginis Deo cum primis placuit, 19, 2; 21, 1. ipsa hanc unice dilexit, *ibid.* ejus votum emisit ante connubium, 2. virginitatis immortalitas, 652, 1.
Virgo potest parere, 22, 1, 2. cur de virgine natus sit Christus, *ibid.*; 23, 1. virgo est quæ est corruptionis capax: hinc infantes proprie non sunt virgines, 80, 1.
Virtute (in) oportet nos proficere, non deficere, 88, 1; 521, 2; 542, 1; 634, 2 et seqq. ubi virtus, ibi est unitas, 156, 2. virtutis studium inchoandum a vita activa, inde pergendum ad contemplativam, 159, 2. virtutes sunt veræ divitiæ, 171, 1. et viæ ad cælestem gloriam, 541, 1. sunt rivuli derivati a fonte Spiritu Sancto, 427, 1. eæ sunt intendendæ sub vitæ finem, 521, 2. virtutes quatuor cardinales complectitur S. Lucas in suis quatuor beatitudinibus, 113, 1. quæ virtutes animam purificent, 230, 1.
Virtus Altissimi B. Virginem obumbrans quæ sit, 23, 1.
Vis nulla cuiquam inferre damnationem potest, 478, 2.
Viscera significant intimam Dei misericordiam, 48, 2.
Visus pro quolibet sensu capitur, etiam tactu, 637, 1.
Vita semper ad mortem tendit, 100, 1, 2. in motu consistit, 174, 1, 2. vita nostra debet continuum esse negotium, 231, 2. est velut dies et momentanea, 459, 1, 2. vita temporalis perdenda ut æterna inveniatur, 399, 1. vitam pro amico ponere, maximæ dilectionis est signum, 565, 1; 566, 1. eam dat bonus pastor pro ovibus suis, 473, 2 et seqq. vita Christiani qualis esse debeat, 48, 1. ea tota sit laus continua Christi et oratio, 238, 1; 284, 2. vita mixta perfectissima est: eam agit Christus et Apostoli, 158, 1. vita activa præmittenda contemplativæ, 157, 2 et seq. activæ typus est S. Petrus, contemplativæ S. Joannes, 652, 1 et seq. vita Christi merum fuit prodigium, 76, 2. ea omnibus est sequenda, 436, 2. quam vitam ovibus suis, id est fidelibus ipse det, 479, 1. vita originalis, quæ in Deo Patre est, per Filium et Eucharistiam nobis communicatur, 409, 1. vitæ Christi tempus dictum est dies, 459, 2. mandatum Dei Patris vita æterna est, quo sensu, 519, 1, 2 et seqq. et cognoscere Deum, 592, 2. vitæ Apostolicæ tria sunt munia, 176, 1. quomodo vita erat in Verbo, 300, 2 et seqq. id est vita subsistens, vita idealis, vita causalis naturalis, et causalis supernaturalis, et hæc duplex, 300, 1. et vita originalis, sextupliciter, *ibid.* quomodo Deus vitam habeat in semetipso, 380, 2. Christus est vita viventium, 490, 1.
Vitis et Christi analogiæ variæ, idque ostenditur per omnes illius proprietates, 556, 1 et seqq. vites assidue egent cultura, 2. cur Christus dicatur vitis vera, 557, et seqq.; 561, 2.
Vitulus saginatus mystice denotat Christum, 211, 2.
Vocatio Christi quam sit potens, 321, 2. vocationis divinæ effectus est et alios curare vocari, 320, 1.
Vocati a Christo ad sui sequelam ne sint soliciti de facultatum divisione, 142, 2.
Voluntas Christi et Patris eadem est, 387, 2. voluntates duas habuit Christus, uti et mentem duplicem, divinam et humanam, 306, 1. voluntas carnis quid vocetur, *ibid.* homines bonæ voluntatis donantur pace cœlesti, 66, 2. qui sint illi, *ibid.*
Voluptati servientes inferno sese mancipant, 114, 2. voluptates hominem non satiant, sed inflant et distendunt: per siliquas denotantur; et damna earum, 207, 2; 208, 1. de iis gnomæ, 2. eas in hoc et futuro sæculo habere difficile est, 114, 1.
Voluptuarii quo pacto ad cor a Deo reducantur, 208, 2.
Votum virginitatis fecit B. Virgo ante connubium, 21, 2. idque prima, 22, 1.
Vox Christi erat efficacissima, 189, 1. vox Filii hominis in die judicii audienda quæ sit, 381, 2. vocem homo facile immutare potest, 275, 1. vox de cœlo missa a Deo Patre ad glorificationem Christi, tanta fuit, ut putaretur esse tonitruum, 511, 1. vel angelica, 2.
Vulnus lateris Christi fuit ingens et in latere dextro, 620, 2 et seq.; 637, 2. vulnera quinque habuit Christus, 620, 2. cur eorum cicatrices in corpore suo glorioso retinuerit, 281, 1. ea in die judicii improbis ostendet, ut per ea eorum ingratitudinem coarguat, 631, 1. illa S. Thomas vere tetigit, 636, 2; 637, 2.
Vulpes symbolum sunt hæreticorum, 191, 1.
Vultures aulæ qui dicantur, 234, 1.
*Vulvam adaperire* quid sit, 79, 2.

## W.

Wolsæi Card. nimium politici justa depressio, 499, 1.

## Z.

Zachæi etymon: ipse erat princeps Publicanorum, 246, 1. erat dives, 2. cur cuperet Jesum videre, 246, 2 et seq. qui ei se videndum et fruendum obtulit, 248, 1. quomodo eum Dominus viderit, *ibid.* 2. prompta ejus obedientia, 248, 1. hospitio excipit Dominum, *ibid.* non fuit Gentilis, sed Judæus, 2; 250, 1. videtur plane ad

fidem, pœnitentiam ac opum mundique contemptum verbis Christi conversus, 248, 2. restituit injuste parta, et pauperibus dimidium bonorum distribuit, 249, 1. octavam tantum bonorum suorum partem fraude acquisierat, *ibid.* omnibus relictis amplexus est paupertatem Evangelicam, *ibid.* ex jactantia non refert sua opera, 2. ejus domui tunc facta est salus, *ibid.* omnes ejus domestici una cum ipso conversi sunt, *ibid.* postea fuit Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, *ibid.* quomodo sit filius Abrahæ, *ibid.* tota ejus historia tropologice et allegorice exponitur, 250, 1.

Zachariæ nominis etymon, 7, 2; 8, 1; 10, 2.

Zacharias pater Joannis, sacerdos, propheta ac martyr fuit : ejus caput Romæ asservatur, 7, 2. duxit uxorem sacerdotalis tribus, *ibid.* incensum adolere debebat sortitione inter vicis suæ sacerdotes facta, 9, 1. non fuit summus sacerdos, *ibid.* cur turbetur viso angelo, in quo ejus oratio exaudita sit, 9, 2. oravit prius pro prole habenda, sed non modo, 10, 1. promittitur ei filius, *ibid.* 2. dubitat de angeli promissis, 12, 2. hæc diffidentia fuit tantum venialis, *ibid.* cur factus sit mutus et surdus, 13, 1, 2. quo die obtulerit incensum, *ibid.* ejus domus in Emmaus describitur, 25, 2. cur a Deipara salutatus non sit, 29, 1 scribit filii sui Joannis nomen in pugillari, 44, 1. os ei apertum cœlitus, et cœpit laudare Deum, *ibid.* apertæ videntur ei et aures, 2. repletus Spiritu Sancto cœpit prophetare, 45, quid suo cantico spectet, *ibid.* interpretatur prophetias veteres de regno et salute Christi spirituali, 46, 2. in suo cantico a spiritu absorptus non spectat ad verba, 47, 1, 2. cur ab Herode occidi jussus, 7, 2; 51, 2.

Zelus animarum qualis fuerit in Apostolis, 647, 1. zelus Christi fuit justa ejus indignatio, 333, 2.

Ζυγμὸς duplicem habet derivationem, et proinde significationem duplicem, 108, 2.

Zorobabel ædificavit templum a Chaldæis destructum, 334, 2. Zorobabel Lucæ diversus est a Zorobabele Matthæi, 88, 2.

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UANL ®

# INDEX

# MATERIARUM MORALIUM

## QUÆ HOC COMMENTARII VOLUMINE UBERIUS DEDUCUNTUR,

VERBIS EVANGELII PER DOMINICAS, FESTOS DIES ET FERIAS NONNULLAS OCCURRENTIS ACCOMMODATARUM,
IN GRATIAM ET USUM CONCIONANTIUM

*Norint tamen singulorum se Evangeliorum explicationem tum litteralem, tum allegoricam ac symbolicam, suo quamque in capite posse invenire, ubi gustui suo quam abundantissime auctorem satisfacere comperient.*

### DOMINICA II ADVENTUS.

PAUPERES EVANGELIZANTUR. Pauperibus primo Evangelium annuntiatum esse, videre fuit in pastoribus Bethlehemiticis, 63, 2 et seq. quin et ipse Christus paupertatem est professus, 505, 2. evangelica paupertas in quo sita sit, 506, 1, 2. — *Consule Indicem Rerum,* v. Pauper, Paupertas, Religiosi, *et notata in Festo omnium Sanctorum.*

### DOMINICA III ADVENTUS.

MISERUNT JUDÆI. Quorsum Judæi aliquos suorum ad Joannem miserint sciscitantes num ipse Messias esset, 314, 1 et seqq.

TU QUIS ES ? Quid sit homo, per omnia prædicamenta Aristotelica demonstratur, 311, 2. et seqq.

CUJUS EGO NON SUM DIGNUS. Sic omnes nos servos inutiles dicere possumus, 331, 1 et seqq.

ELIAS ES TU ? Uti Joannes in virtute Eliæ venit, eique persimilis esse videbatur, ita etiam Christus se Eliæ comparavit, 105, 2. — *Vide Indicem Rerum,* v. Joannes Baptista.

### FERIA IV QUAT. TEMPORUM ADVENTUS

NOMEN VIRGINIS MARIA. Mariæ nominis variæ dantur derivationes, 15, 1.

AVE. Ave quid sit, et unde formetur, 16, 1. — *Vide notata in festo Annuntiationis B. Virginis, et Indicem Rerum,* v. Incarnatio, B. Maria Virgo.

SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE, ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT. Hæc Spiritus Sancti obumbratio quomodo sit intelligenda, 33, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum,* v. Spiritus Sanctus, *et notata in Dominica Pentecostes.*

ECCE ANCILLA DOMINI. Quo temporis puncto incarnatio Filii Dei in utero Virgineo peracta sit, 26, 1 et seqq. quas ipsa tunc gratias acceperit, et quantum per illam meritum suum adauxerit, 27, 1. Variæ dantur causæ cur Dei Filius factus sit homo, 59, 1.

GERMINET SALVATOREM. Christus vocatur germen tam cœleste, tum terrestre, et quare, 49, 1, 2.

### DOMINICA IV ADVENTUS.

TETRARCHA ITURÆÆ. Tetrarchiæ ratio et causa iste exponitur, nec non singulorum Tetrarcharum provinciæ ac limites, 96, 1 et seqq.

### IN FESTO S. THOMÆ

*Vide notata Dominica in Albis, est quippe idem Evangelium.*

### IN FESTO NATIVITATIS DOMINI

EXIIT EDICTUM A CÆSARE AUGUSTO. Quo anno Augusti Christus in mundum natus sit, 54, 2 et seqq.

PEPERIT FILIUM SUUM. Nativitas Salvatoris per omnes circumstantias enucleatur, 57, 1 et seqq.; 58, 2. cur natus sit in stabulo et collocatus in præsepio, 60 1, 2 et seqq. concio ejusdem e præsepio ad totum genus humanum, 61, 1.

ET PASTORES ERANT. Cur pastores præ aliis et primo ad Christum vocati sint, 63, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum,* v. Pastores.

GLORIA IN EXCELSIS DEO. Diversimode verba hæc exponuntur, 65, 1 et seqq.

IN PRINCIPIO ERAT VERBUM. In quo principio Verbum divinum esset, 295, 1, 2. — *Consule Indicem Rerum,* v. Verbum.

PLENUM GRATIÆ ET VERITATIS. Quomodo gratiæ et spiritus plenitudo in Christo fuerit, 301, 1, 2. non tamen habuit gratiam infinitam, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum,* v. Gratia.

### IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ

DISCIPULUM QUEM DILIGEBAT JESUS. S. Joannis elogium, dignitas : est aquila, 287, 1, 2. an fuerit sponsus in Cana Galilææ, 327, 1. ei Deipara Virgo sub cruce a filio fuit commendata ut mater, et Joannes vicissim ei datus in filium, 616, 1 et seqq. magnus hinc ei honor accessit, 618, 1. est revera mortuus, et quomodo, 651, 1. est vere Martyr, 2. est typus contemplativæ vitæ, 650, 1. putabatur inter discipulos non moriturus, 2. — *Vide Indicem Rerum,* v. Joannes.

### IN FESTO INNOCENTIUM.

SECESSIT IN ÆGYPTUM.— Omnis regio viro forti pro patria est, et natale solum non est magnopere curandum, 105, 1.

OMNES PUEROS. Ut hi teneri agnelli sunt, ita et Christus agnus est, 317, 2. — *Vide Indicem Rerum,* v. Pueri Innocens, Joseph.

fidem, pœnitentiam ac opum mundique contemptum verbis Christi conversus, 248, 2. restituit injuste parta, et pauperibus dimidium bonorum distribuit, 249, 1. octavam tantum bonorum suorum partem fraude acquisierat, *ibid.* omnibus relictis amplexus est paupertatem Evangelicam, *ibid.* ex jactantia non refert sua opera, 2. ejus domui tunc facta est salus, *ibid.* omnes ejus domestici una cum ipso conversi sunt, *ibid.* postea fuit Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, *ibid.* quomodo sit filius Abrahæ, *ibid.* tota ejus historia tropologice et allegorice exponitur, 250, 1.

Zachariæ nominis etymon, 7, 2; 8, 1; 10, 2.

Zacharias pater Joannis, sacerdos, propheta ac martyr fuit : ejus caput Romæ asservatur, 7, 2. duxit uxorem sacerdotalis tribus, *ibid.* incensum adolere debebat sortitione inter vicis suæ sacerdotes facta, 9, 1. non fuit summus sacerdos, *ibid.* cur turbetur viso angelo, in quo ejus oratio exaudita sit, 9, 2. oravit prius pro prole habenda, sed non modo, 10, 1. promittitur ei filius, *ibid.* 2. dubitat de angeli promissis, 12, 2. hæc diffidentia fuit tantum venialis, *ibid.* cur factus sit mutus et surdus, 13, 1, 2. quo die obtulerit incensum, *ibid.* ejus domus in Emmaus describitur, 25, 2. cur a Deipara salutatus non sit, 29, 1 scribit filii sui Joannis nomen in pugillari, 44, 1. os ei apertum cœlitus, et cœpit laudare Deum, *ibid.* apertæ videntur ei et aures, 2. repletus Spiritu Sancto cœpit prophetare, 45, quid suo cantico spectet, *ibid.* interpretatur prophetias veteres de regno et salute Christi spiritali, 46, 2. in suo cantico a spiritu absorptus non spectat ad verba, 47, 1, 2. cur ab Herode occidi jussus, 7, 2; 51, 2.

Zelus animarum qualis fuerit in Apostolis, 647, 1. zelus Christi fuit justa ejus indignatio, 333, 2.

Ζωγρῶν duplicem habet derivationem, et proinde significationem duplicem, 108, 2.

Zorobabel ædificavit templum a Chaldæis destructum, 334, 2. Zorobabel Lucæ diversus est a Zorobabele Matthæi, 96, 2.

# INDEX

# MATERIARUM MORALIUM

## QUÆ HOC COMMENTARII VOLUMINE UBERIUS DEDUCUNTUR,

VERBIS EVANGELII PER DOMINICAS, FESTOS DIES ET FERIAS NONNULLAS OCCURRENTIS ACCOMMODATARUM,
IN GRATIAM ET USUM CONCIONANTIUM

*Norint tamen singulorum se Evangeliorum explicationem tum litteralem, tum allegoricam ac symbolicam, suo quamque in capite posse invenire, ubi gustui suo quam abundantissime auctorem satisfacere comperient.*


### DOMINICA II ADVENTUS.

PAUPERES EVANGELIZANTUR. Pauperibus primo Evangelium annuntiatum esse, videre fuit in pastoribus Bethlehemiticis, 63, 2 et seq. quin et ipse Christus paupertatem est professus, 505, 2. evangelica paupertas in quo sita sit, 506, 1, 2. — *Consule Indicem Rerum*, v. Pauper, Paupertas, Religiosi, *et notata in Festo omnium Sanctorum.*

### DOMINICA III ADVENTUS.

MISERUNT JUDÆI. Quorsum Judæi aliquos suorum ad Joannem miserint sciscitantes num ipse Messias esset, 314, 1 et seqq.

TU QUIS ES ? Quid sit homo, per omnia prædicamenta Aristotelica demonstratur, 311, 2. et seqq.

CUJUS EGO NON SUM DIGNUS. Sic omnes nos servos inutiles dicere possumus, 331, 1 et seqq.

ELIAS ES TU ? Uti Joannes in virtute Eliæ venit, eique persimilis esse videbatur, ita etiam Christus se Eliæ comparavit, 105, 2. — *Vide Indicem Rerum*, v. Joannes Baptista.

### FERIA IV QUAT. TEMPORUM ADVENTUS

NOMEN VIRGINIS MARIA. Mariæ nominis variæ dantur derivationes, 15, 1.

AVE. Ave quid sit, et unde formetur, 16, 1. — *Vide notata in festo Annuntiationis B. Virginis, et Indicem Rerum*, v. Incarnatio, B. Maria Virgo.

SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE, ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT. Hæc Spiritus Sancti obumbratio quomodo sit intelligenda, 33, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum*, v. Spiritus Sanctus, *et notata in Dominica Pentecostes.*

ECCE ANCILLA DOMINI. Quo temporis puncto incarnatio Filii Dei in utero Virgineo peracta sit, 26, 1 et seqq. quas ipsa tunc gratias acceperit, et quantum per illam meritum suum adauxerit, 27, 1. Variæ dantur causæ cur Dei Filius factus sit homo, 59, 1.

GERMINET SALVATOREM. Christus vocatur germen tam cœleste, tum terrestre, et quare, 49, 1, 2.

### DOMINICA IV ADVENTUS.

TETRARCHA ITURÆÆ. Tetrarchiæ ratio et causa iste exponitur, nec non singulorum Tetrarcharum provinciæ ac limites, 96, 1 et seqq.

### IN FESTO S. THOMÆ

*Vide notata Dominica in Albis, est quippe idem Evangelium.*

### IN FESTO NATIVITATIS DOMINI

EXIIT EDICTUM A CÆSARE AUGUSTO. Quo anno Augusti Christus in mundum natus sit. 54, 2 et seqq.

PEPERIT FILIUM SUUM. Nativitas Salvatoris per omnes circumstantias enucleatur, 57, 1 et seqq.; 58, 2. cur natus sit in stabulo et collocatus in præsepio, 60 1, 2 et seqq. concio ejusdem e præsepio ad totum genus humanum, 61, 1.

ET PASTORES ERANT. Cur pastores præ aliis et primo ad Christum vocati sint, 63, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum*, v. Pastores.

GLORIA IN EXCELSIS DEO. Diversimode verba hæc exponuntur. 65, 1 et seqq.

IN PRINCIPIO ERAT VERBUM. In quo principio Verbum divinum esset, 295, 1, 2. — *Consule Indicem Rerum*, v. Verbum.

PLENUM GRATIÆ ET VERITATIS. Quomodo gratiæ et spiritus plenitudo in Christo fuerit, 301, 1, 2. non tamen habuit gratiam infinitam, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum*, v. Gratia.

### IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ

DISCIPULUM QUEM DILIGEBAT JESUS. S. Joannis elogium, dignitas : est aquila, 287, 1, 2. an fuerit sponsus in Cana Galilææ, 327, 1. ei Deipara Virgo sub cruce a filio fuit commendata ut mater, et Joannes vicissim ei datus in filium, 616, 1 et seqq. magnus hinc ei honor accessit, 618, 1. est revera mortuus, et quomodo, 651, 1. est vere Martyr, 2. est typus contemplativæ vitæ, 650, 1. putabatur inter discipulos non moriturus, 2. — *Vide Indicem Rerum*, v. Joannes.

### IN FESTO INNOCENTIUM.

SECESSIT IN ÆGYPTUM. — Omnis regio viro forti pro patria est, et natale solum non est magnopere curandum, 105, 1.

OMNES PUEROS. Ut hi teneri agnelli sunt, ita et Christus agnus est, 317, 2. — *Vide Indicem Rerum*, v. Pueri Innocens, Joseph.


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

CIRCUMCIDERETUR PUER. Cur Christus sit circumcisus, 68, 1 et seqq.

Nominis Jesu elogia. — *Vide Indicem Rerum, v.* Jesus.

### DOMINICA INFRA OCT. EPIPHANIÆ.

REQUIRENTES EUM. Quid Deipara, amisso filio suo, mœreret, 82, 1. et alia huc spectantia, *ibid.* et seqq.

INTERROGANTEM. Quare Christus doctores interrogaret, 82, 2.

INVENERUNT ILLUM. Deus amissus quomodo quærendus, 83, 1. 2.

ET ERAT SUBDITUS ILLIS. Quatenus Christus parentibus subditus esset, et non esset, 84, 2. alioquin ab omni erat obedientia exemptus, *ibid.* Obedientiæ hinc præstantiam colligere est, 85, 1 et seqq.

Subditus quoque patri suo Josepho fuit in juventute in arte fabrili, 85, 2 et seq.

GRATIA ET SAPIENTIA. An et quomodo Christus gratia et sapientia profecerit, quomodo utraque in eo ceperit incrementa, 86, 2 et seqq.

GRATIA. Gratia quam habeat cum aqua analogiam, 356, 2. ipsa est fons saliens in vitam æternam, 358, 2. — *Vide notata in festo Nativitatis Domini.*

### DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

NUPTIÆ FACTÆ SUNT. Quando et quo mense hæ nuptiæ factæ sint, et quis in eis fuerit sponsus, 327, 1. an S. Joannes, an Simon Chananæus, *ibid.* cur ad has nuptias ierit Christus, 328, 1.

NUPTIÆ. Anima sancta fit spiritualiter sponsa Christi, 327, 2. — *Vide Indicem Rerum, v.* Nuptiæ.

VINUM NON HABENT. Quam modeste vini defectum B. Virgo Christo indicarit, 328, 2.

QUID MIHI ET TIBI EST MULIER? An hoc responso in speciem acerbiore matrem Dominus reprehenderit, 329, 1.

### DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

HABENS SUB ME MILITES. Quæ præcepta Joannes militibus prædicans dederit, 93, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum, v.* Miles.

IN TENEBRAS EXTERIORES. Infernalia supplicia horrenda sunt, et quia damnati nunquam ab eis liberandos se norunt, hinc ad extremam desperationem adiguntur, 226, 1, 2. — *Consule Indicem Rerum, v.* Infernus.

### DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

QUID STATIS HIC TOTA DIE OTIOSI? Cur servos inutiles nos coram Deo dicere possimus, 230, 1 et seqq.

MULTI SUNT VOCATI. Sic Judas in vocatione et electione sua ad Apostolatum erat bonus, 414, 1.

PAUCI ELECTI. Quanta salvandorum sit paucitas, 190, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, v.* Prædestinatio.

### DOMINICA IN SEXAGESIMA.

IN PATIENTIA. Patiens est possessor animæ suæ, 258, 1 et seqq.

### FERIA IV CINERUM.

TU AUTEM CUM JEJUNAS. Jejunium et oratio indicitur per quatuor anni tempora pro ordinatione sacerdotum, 113, 1.

### FERIA VI POST CINERES.

DILIGITE INIMICOS VESTROS. Pro inimico vitam ponere, exemplo Christi, maximæ est charitatis indicium, 565, 1 et seqq.

ESTOTE ERGO VOS PERFECTI SICUT PATER VESTER. Deus est sanctus in summo gradu, 39, 1, 2. hanc Dei, uti et Christi, sanctitatem omnes imitari oportet fideles, 43, 1. — *Consule Indicem Rerum, v.* Perfecti. Sancti.

### DOMINICA I IN QUADRAGESIMA.

IN DESERTUM. Cur Joannes puer in desertum concesserit, 51, 2 et seqq.

ACCEDENS TENTATOR. Dæmonum multitudo et malignitas, 184, 2.

VADE, SATANA. Sic omnes Christiani et Martyres tentati a carne, dæmone et mundo, ejusque ministris, constanter obnitentes victoriam referunt, 588, 1. in Christo nullam partem habuit princeps hujus mundi, 534, 1.

ANGELI MINISTRABANT. Etiam alias post ad Christum angeli descenderunt et ascenderunt, 324, 2 et seqq. et quorsum, 325, 1.

### FERIA II.

ITE IN IGNEM ÆTERNUM. Quod ignis ille sit æternus et nunquam finiendus, ideo damnati præ rabie desperant, 226, 1, 2. — *Vide notata Dominica III post Epiphan.*

ITE. Æterna damnatorum a Deo, cœlo et angelis sequestratio gravissimum ipsis erit supplicium, 226, 2.

### FERIA VI.

PROBATICA. Hæc piscina pluribus describitur : ejus forma et origo, 372, 1 et seqq.

TRIGINTA OCTO ANNOS. Consuetudo peccandi gravissima quædam paralysis est, 374, 1.

### FERIA II POST DOMIN. II IN QUADRAG.

IN PECCATO VESTRO MORIEMINI. Pœnæ eorum qui in Christo non manent, sed ab eo se peccando sequestrant 561, 2 et seqq.

### FERIA III.

PRIMOS ACCUBITUS. Modestia in accubitus loco deligendo commendatur, 195, 2.

### FERIA V.

LAZARUS. Illius misera sors et morbi describuntur, 220, 2 et seqq.

IN SINUM ABRAHÆ. Quis sinus ille sit, 222, 1.

UT MORERETUR ET DIVES. Quam sors illius, quam hac in vita habuit, sit mutata, 2. quomodo ejus anima linguam habuisse dicatur, 224, 2 et seq.

QUINQUE FRATRES. An hic vere de fratrum salute fuerit sollicitus, 227, 2.

### SABBATO.

ADOLESCENTIOR. Hæc parabola exponitur et applicatur, 205, 2 et seqq.; 206, 2 et seqq.

### DOMINICA III IN QUADRAGESIMA.

OMNE REGNUM. Dæmonum multitudo et malignitas, 184, 2.

PER LOCA INAQUOSA. Qualia sunt plerumque sepulcra ossibus aridis plena, in quibus dæmones et dæmoniaci habitare gaudent, 133, 2.

### FERIA IV.

SINE INTELLECTU ESTIS. Intellectus est nobilissima animæ potentia, 378, 2.

### SABBATO.

PERREXIT IN MONTEM OLIVETI. Ad orandum videlicet de nocte, quia diluculo dicitur iterum in templum venisse : ad ostendendum noctem orationi commodam esse, 113, 1. — *Vide Indicem Rerum, v.* Oratio.

### FERIA III POST DOMINICAM IV IN QUADRAG.

JUSTUM JUDICIUM JUDICATE. Cur judices vocentur dii, 480, 1, 2.

### FERIA IV.

ET IN SABBATO. *Vide Indicem Rerum, v.* Sabbatum.

QUIS PECCAVIT? Peccando peccator servus fit peccati, 446, 2 et seqq.

VENIT NOX. Vita nostra velut dies est, mors vero nox, 69, 1.

LUX SUM MUNDI. Christus homo quorsum dicatur lux, 301, 2 et seqq. et cur lux vera, 303, 1 et seqq. ipse enim omnes homines illuminat, 2 et seqq.

EXPUIT IN TERRAM. Salivæ quæ sint symbola, 459, 2.

AD NATATORIAM SILOE. Siloe fons, ejusque origo describitur, 460, 1; 461, 2. Christus Dominus etiam Siloe est, quia missus est a Deo Patre, 460, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum*, v. Piscina, Siloe.

PECCATORES DEUS NON AUDIT. An eos vel pro se, vel pro aliis orantes Deus exaudiat, 464, 1 et seqq.

### FERIA VI.

LAZARUS. Quatriduanus hic peccatores habituatos repræsentat, 488, 1.

EGO SUM RESURRECTIO ET VITA. Quo sensu Dominus utrumque sit, 490, 1.

INFREMUIT SPIRITU. Quis fuerit hic Christi fremitus in Lazari resuscitatione, 492, 1. an in eo fuerint passiones, et quomodo, 493, 1.

LACRYMATUS EST JESUS. Quare Redemptor hic lacrymatus sit, 2 et seqq. cur Lazarum excitaturus clamarit voce magna, 495, 2 et seqq.

SOLVITE EUM. Cur ipse Dominus hæc vincula non solverit, 496, 2.

EGO SUM LUX MUNDI. *Vide notata in feria IV post Dominicam IV in Quadrag.*

### DOMINICA DE PASSIONE.

QUI EX DEO EST, VERBA DEI AUDIT. Prædestinationis enim signum est, verbum Dei libenti animo audire, 452, 1.

ABRAHAM EXULTAVIT UT VIDERET. Quo sensu et modo Abraham optarit videre adventum Christi in carnem, 454 2.

### FERIA II.

FLUMINA DE VENTRE EJUS FLUENT AQUÆ VIVÆ. *Vide notata in festo Pentecostes.*

### FERIA III.

SCENOPEGIA. *Vide Indicem Rerum, voce* Scenopegia.

### FERIA IV.

PORTICU SALOMONIS. Hæc porticus describitur, 477, 2.

ENCÆNIA. *Vide Indicem Rerum, v.* Encænia.

NON ESTIS EX OVIBUS MEIS. Parabola ostii ovilis et ovium exponitur, 468, 1 et seqq.

OVES MEÆ VOCEM MEAM AUDIUNT. Oves Christus duplices habet, prædestinatos solos, et fideles omnes, 478, 2.

FACIS TEIPSUM DEUM. Filii Dei divinitas probatur, 393, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, v.* Christi divinitas.

EGO DIXI, DII ESTIS. Quare judices vocentur dii, 480, 1, 2.

OPERIBUS CREDITE. Miracula et opera evincebant Jesum esse Messiam, 384, 2. ob duplicem ejus naturam erant in eo triplices actiones, 653, 1, 2 et seqq.

### FERIA V.

ET ECCE MULIER, QUÆ ERAT. *Vide notata in festo S. Mariæ Magdalenæ, est enim idem Evangelium.*

### FERIA VI.

EXPEDIT UT UNUS. Caiphæ pontificis de Christo necando consilium, an et quatenus fuerit prophetia, 499, 2 et seqq.

### SABBATO.

QUI AMAT ANIMAM SUAM, PERDET EAM. Quomodo animam perdens eam amet et simul inveniat, 509, 2 et seqq.

PATER, CLARIFICA ME. Quam sui clarificationem et glorificationem Christus a Patre suo petat, 590, 2 et seq.

### DOMINICA IN PALMIS.

Quia hodie passio Domini solet et in Missarum solemniis legi et pro concione exponi. — *Vide notata feria VI in Parasceve.*

LIBRAM UNGUENTI NARDI PISTICI. Nardus pistica et pretiosa quæ sit, et unde componatur, 503, 2 et seq.

### FERIA V IN CŒNA DOMINI.

Quo die Christus ultimum Pascha celebrarit, et Eucharistiam instituerit : quomodo in eo dissentiant Græci a Latinis, 521, 1. eam instituit velut argumentum extremi amoris, 522, 1, 2.

SI NON LAVERO TE. Quomodo hæc pedum Apostolicorum lotio fuerit peracta : in ea summa Christi humilitas elucet, 523, 1 et seqq. omnes ejus actus sigillatim excutiuntur, *ibid.* 2. hæc præmissa est ante Eucharistiæ institutionem, 523, 1. — *Vide Indicem Rerum, v.* Lotio, Eucharistia.

### FERIA VI IN PARASCEVE.

UNUS VESTRUM ME TRADET. Quando Judæ proditionem Dominus Apostolis prædixerit, 529, 2. quomodo ei dicat, *Quod facis, fac citius*, 532, 1, 2.

PROLIXIUS ORABAT. Idque sub noctem, docens noctem orationi instituendæ percommodam esse, 113, 1.

CONFORTANS EUM. Quis angelus afflictum et paventem Dominum hic confortarit, et quibus verbis, 264, 2.

SANGUINIS DECURRENTIS IN TERRAM. Vere Christus sanguinem toto corpore exsudavit, et quæ sudoris hujus sit causa, 265, 2.

Quare in horto a militum cohorte comprehensus et ligatus sit, 607, 2 et seqq.

Qua hora crucifixus sit, 613, 1, 2 et seq. Serpens æneus fuit figura ipsius in crucem acti, 343, 2. ipse e cruce omnes ad se trahit, 312, 2

MEMENTO MEI, DOMINE. Quam admirabilis fuerit hujus latronis conversio, et unde orta, 268, 2. an vere is fuerit martyr, 269. et seqq.

Dolor Beatissimæ Matris cruci adstantis, 77, 1; 614, 1. fuit ipsa plusquam martyr, 615, 1. an passa sit præ doloris amaritudine spasmum et animi deliquium, 2. cur Joanni a filio patiente commendetur, et ipsi Joannes, 616, 1, 2 et seq. passa plus ipsa videtur quam ipse Christus, 617, 1, 2 in Joanne omnes fideles ei tunc sunt commendati, 618, 1.

E latere Domini militis lancea aperto fluxit sanguis et aqua, 621, 1 et seqq. quam id vulnus patens fuerit, 620, 1 et seqq.

IN MONUMENTO NOVO. Sepultura Christi honorifica, ut et primorum olim Christianorum, 632, 1.




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Christus in passione ob summam mansuetudinem agnus fuit, 317, 2. — *Vide Indicem Rerum*, v. Christi Passio, B. Maria.

### DOMINICA RESURRECTIONIS.

Ad ostium monumenti. Quam honorifice primi Christiani sepelirentur, 622, 1. — *Vide Indicem Rerum*, v. Resurrectio, Christi Resurrectio.

### FERIA II POST PASCHA.

In Emmaus. Undenam discipuli hi Dominum secum euntem non agnoverint, 275, 1. cur ipsis in alia effigie appareat, itaque oculos eorum teneat, 276, 1. — *Vide Indicem Rerum*, v. Emmaus, Cleophas, Crux.

Nonne oportuit Christum pati? Oportuit Christum per crucem ad gloriam pervenire, 278, 1.

Finxit se longius ire. Hæc illius fictio non fuit mendacium, *ibid.*

### FERIA IV POST PASCHA.

Vado piscari. Apostoli a Christi resurrectione piscari debuerant ut victum sibi pararent, quia pauperes erant, et ut otium fugerent, 640, 1, 2.

Dominus est. Joannes unde agnoverit Christum e captura ingenti piscium, 642, 1.

Plenum magnis piscibus. Quid hæc captura piscium ad dexteram navigii innuat symbolice, 641, 1.

### FERIA V POST PASCHA.

Maria stabat. Mariæ ad monumentum plorantis varii affectus, 625, 1 et seqq. — *Vide Indicem Rerum*, v. Maria Magdalena.

Rabboni. Maria hoc verbo audito mirabiles in animo motus sensit, 627, 1 et seqq.

Noli me tangere. Cur a Maria se Dominus tangi nolit, quod nondum ad Patrem ascendisset, 628, 1 et seqq. quæ moralis ejus rei causa, *ibid.* 2.

Vade ad fratres meos. Cur Apostoli a Christo vocentur fratres, 629, 2 et seqq.

### DOMINICA IN ALBIS.

Januis clausis. Quomodo ad Apostolos sic ingredi potuerit, late contra Calvinum hoc negantem ostenditur, 630, 1. Ratio est, quia corpus gloriosum potest simul esse subtile et palpabile, 279, 1, 2.

Ostendit eis manus et latus. Vulnus lateri Christi inflictum quoad omnes circumstantias expenditur, 620, 2 et seqq.

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Apostoli quomodo a Christo sint missi eadem potestate qua ipse, 632, 1 et seqq.

Insufflavit. Quare in Apostolos Dominus insufflarit, et quid hæc insufflatio innuat, 2 et seqq.

Quorum remiseritis peccata. Potestas a peccatis absolvendi fideles data est Apostolis, 633, 1. hæc non est prædicatio Evangelii, ut vult Calvinus, 2. hanc potestatem eis dando, instituit Christus Confessionem sacramentalem, 634, 1, 2.

Thomas, qui dicitur Didymus. Thomæ quod sit etymon, cur dicatur Didymus, 487, 1. ejus absentia et incredulitas unde ortum haberat, 635, 2 et seqq. tangit et perspicit vulnera Christi, 636, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum*, v. Thomas.

Infer digitum tuum huc. Cur vulnerum suorum cicatrices Dominus post mortem retinuerit, 631, 1.

Dominus meus, et Deus meus. Quos amoris affectus hæc verba ejus spirent, 637, 2 et seqq.

### DOMINICA II POST PASCHA.

Ego sum pastor bonus. Octo boni pastoris munia, 470, 1 et seqq.

Ego sum pastor. Christus unicus est pastor, et bonus, 472, 1, 2 et seqq. Pastoris corporalis et spiritualis inter se collatio, *ibid.*

Mercenarius videt lupum venientem. Quis dicatur pastor mercenarius, et quinam sint lupi gregem discerpentes, 474, 1. — *Vide notata feria III Pentecostes, et Indicem Rerum*, v. Pastor.

### DOMINICA III POST PASCHA.

Plorabitis et flebitis. Pii hic assidue lugent, sed eorum luctus in cœlo in gaudium convertetur, 581, 2 et seqq.

Consolatio in hoc sæculo et simul in futuro haberi nequit, 114, 1. — *Vide Indicem Rerum*, v. Persecutio, Tribulatio.

Mulier cum parit. Puerperæ et parturientis dolori recte comparatur dolor discipulorum, 582, 1.

### DOMINICA IV POST PASCHA.

Ille arguet mundum de peccato. Quomodo Spiritus Sanctus mundum de peccato, justitia et judicio sit coarguturus, 578, 2 et seqq.

Non enim loquetur a semetipso. Quomodo hæc ejus locutio sit intelligenda, 578, 2 et seqq.

### DOMINICA V POST PASCHA.

In nomine meo Quid sit petere in nomine Christi, 585, 1 et seqq.

Usque modo non petistis quidquam. Quomodo semper orandum sit, 238, 1.

Quomodo Deus orandus sit: quia nil dat non rogatus, 587, 1, 2.

### IN LITANIIS MAJORIBUS.

Petite et accipietis Orationis necessitas et vis, 240, 1. quæ sint ejusdem conditiones, 585, 2 et seqq. an orantes pro aliis exaudiamur, 586, 1.

### DOMINICA INFRA OCT. ASCENSIONIS.

Paraclitus. Hæc vox tria significat, et triplex significatio Spiritui Sancto appropriatur, 547, 1, 2.

Spiritum veritatis. Quam ob causam dicatur spiritus veritatis, 548, 1. Quid sit veritas, ejus gradus et definitiones, 610, 1, 2 et seqq.

Absque synagogis facient Vos. Odium mundanorum erga pios, 569, 1.

### IN FESTO PENTECOSTES.

Tanquam ignis. Ignis Spiritus Sancti missus in Apostolos, quid operatus sit, 181, 2 et seqq.

Spiritus Sanctus tam a Patre, quam a Filio procedit, 370, 1, 2. in baptizatos infunditur, 340, 2. ab eo habet homo quod opera bona proferat, 560, 1 et seqq. quomodo ejus et gratiæ plenitudo in Christo fuerit, 351, 1, 2. non habuit tamen gratiam infinitam, *ibid.* gratiæ divinæ et aquæ analogia, 356, 2. cur ipse Spiritus Sanctus vocetur aqua, *ibid.* et quare aqua viva, 357, 1. ipse dat animæ intellectum, quæ est præstantissima animæ potentia, 378, 2. ejus charismata ubertim in fideles effundenda, prædixerunt Prophetæ, 426, 2. ea vocantur flumina aquæ vivæ, *ibid.* quando ea flumina ubertim effluere cœperint, 428, 1. quam ejus gratia sit efficax, quamque ejus vis blanda: et quomodo per illam trahamur, 398, 2 et seqq. cur ipse datus non nisi post mortem Christi, 427, 2 et seqq — *Vide Indicem Rerum*, v. Spiritus Sanctus.

Ad eum veniemus. Quomodo SS. Trinitas in anima habitet, 550, 2 et seqq. Tria signa unionis animæ cum Deo 602, 1. hujus sex sunt effectus, *ibid.* 2.

Suggeret vobis omnia. Spiritus Sanctus quo sensu suis suggerat omnia, 552, 2 et seqq.

Pacem relinquo vobis. Christus ex hoc mundo discessurus, Apostolis suis relinquit pacem, 55?

Quia Pater major me est. Quomodo Pater major sit Filio, secus ac Ariani censebant, ostenditur, 553, 1 et seqq.

In me non habet quidquam. Quomodo cacodæmon in Christo quidquam non habeat, 554, 1.

### FERIA II POST PENTECOST.

Sic Deus dilexit mundum. Amor Dei Patris in genus humanum, 344, 2 et seqq.

Ut Filium suum unigenitum daret. Cur ipse Deus Pater carnem humanam non assumpserit ad magis amorem suum declarandum, 345, 1.

Lux venit in mundum. Christus sol est, Joannes lucerna ardens et lucens, 383, 1, 2.

Ut manifestentur opera ejus. Miracula et opera evincebant Jesum esse Filium Dei, 384, 2. a gratia habet homo quod opus aliquod bonum faciat, 560, 1 et seqq. — *Vide Indicem Rerum*, v. Miraculum, Opus.

### FERIA III POST PENTECOST.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium. Parabola ostii ovilis et ovium pluribus exponitur, 468, 1 et seqq.

Ille fur est. Fures cupiunt oves laniare, perdere, mactare, 472, 1.

Ego sum ostium. Christus enim est via, per quam itur; veritas, in qua itur, et vita, ad quam itur, 540, 2 et seq.

Pascua inveniet. Qualia pascua in Ecclesia inveniantur, 471, 2. — *Vide notata Dominica II post Pascha.*

### DOMINICA I POST PENTECOST.

Si sit sicut magister. Triplex sanctitas Christi, ut magistri, nobis data est et præscripta, 598, 2.

### IN FESTO SS. TRINITATIS.

Baptizantes eos. Baptismus omnibus fidelibus necessarius est, 339, 1. Baptismus ante mortem Christi vim habuit expiandi peccata, 347, 1 et seqq. olim in nonnullis Ecclesiis baptizandis pedes abluebantur, 524, 2.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Deus est incorporeus, sed purus spiritus, 362, 1, 2. ejus descriptio et definitiones e veteribus philosophis, 362, 2 et seqq. Deus est velut circulus, 601, 2. — *Vide Indicem Rerum*, v. Deus, Trinitas.

### IN FESTO VEN. SACRAMENTI.

Caro mea vere est cibus. Eucharistia est dignior manna Mosaica, 394, 2. est panis verus, quomodo, 395, 1 et seqq. cur sit panis vivus et vivificus, 408, 2 et seqq. in ea verum Christi corpus manducamus, non mystice aut spiritualiter, 401, 1 et seqq. ejus effectus in anima per vim vivificantem et gratiam, 407, 2. præstat omni cibo, 408, 1, 2. per ejus sumptionem ipsa deitas in nos descendit, 407, 1, 2 et seqq. in ea manducatur Christus non crudo modo, ut aliæ carnes, 410, 2; 411, 1, 2. instituit hanc velut extremi amoris erga nos argumentum, 522, 2. magna ad eam requiritur puritas, 405, 1. laicis sub una specie eam sumere satis est, 404, 1 et seqq. quis sit cibus permanens in vitam æternam, 392, 2 et seqq.

In me manet, et ego in eo. Tria signa unionis animæ cum Deo, 602, 2 et seqq. unionis hujus sex sunt effectus, *ibid.*

### DOMINICA II POST PENTECOST.

Simul se excusare. Invitatorum horum excusatio excutitur, num admitti mereatur, 197, 2; 195, 2.

Cœnam magnam. Quæ sit hæc cœna magna, quam homo quidam paravit, 197, 1 et seqq. convivalis modestia in accubitus loco deligendo, 195, 2.

Villam emi. Avarus est velut hydropicus, 194, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum*, v. Avarus.

Pauperes introduc huc. Pauperes cur sint adhibendi mensæ præ divitibus, 196, 2.

### DOMINICA III POST PENTECOST.

Super uno peccatore pœnitentiam agente. Peccatoris conversio est ingens Deo et angelis gaudium, 204, 1.

Quam super nonagint. novem justis. An hoc verum sit, et Deus plus gaudeat de uno peccatore converso, quam de nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia, 2. — *Consule Indicem Rerum*, v. Justi, Sancti, Peccator.

### DOMINICA IV POST PENTECOST.

In navim quæ erat Simonis. Navis hæc, quia Petri, typus est Ecclesiæ Romanæ, quæ S. Petri velut navis est: Romanæ Ecclesiæ fides inviolata hactenus mansit, et ipsa commendatur ut talis, 654, 1. — *Vide Indicem Rerum*, v. Petrus, Ecclesia.

### DOMINICA VIII POST PENTECOST.

Facite vobis amicos de mammona. Dives in Deum quis dicatur, 119, 2 et seqq.

Iniquitatis. Cur opes vocentur iniquæ, 217, 2. item alienæ, 216, 2 et seqq.

In æterna tabernacula. Eleemosynarii ab iis quibus bene fecerunt, inter cœli palatia admittuntur, 216, 1.

### DOMINICA IX POST PENTECOST.

Vendentes ejecit. Fecit id Dominus e zelo pro Dei Patris honore, 333, 2.

### DOMINICA X POST PENTECOST.

Gratias ago tibi. Multa quippe sunt ob quæ Deo sumus obstricti, multaque ei debemus, 231, 1, 2 et seqq.

Publicanus autem. Tam hujus quam Pharisæi oratio examinatur, 241, 2 et seqq.; 243, 1, 2.

Qui se exaltat, humiliabitur. Quomodo superbi dispergantur mente cordis sui, 40, 2 et seqq. at humiles e contra a Deo semper exaltentur, 41, 1. — *Vide Indicem Rerum*, v. Humilis, Humilitas, Superbi.

### DOMINICA XII POST PENTECOST.

Samaritanus autem. Hujus pertranseuntis benignitas erga saucium viatorem expenditur et applicatur, 151, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum*, v. Samaritanus.

### DOMINICA XIII POST PENTECOST.

Viri leprosi. Lepræ spirituales variæ sunt, 232, 2 et seqq. Lepræ quædam signa æquivoca, et univoca recensentur, *ibid.* et seqq.

Ostendite vos sacerdotibus. Cur leprosos Dominus ad sacerdotes ablegarit, 233, 2 et seqq. — *Vide de Confessione Sacramentali notata in Domin. in Albis, et Indicem Rerum*, v. Confessio, Sacerdos.

### DOMINICA XV POST PENTECOST.

Defunctus efferebatur. Extra urbem Naim videlicet: etenim olim sepulcra erant extra urbem, at Christianorum jam intra eam sunt, et qua de causa, 118, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum*, v. Mors.

Filius unicus matris. Quos adolescens hic et mater tropologice et allegorice designent, 119, 2.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## DOMINICA XVI POST PENTECOST

SABBATO. *Vide in Indice Rerum* v. Sabbatum.

HYDROPICUS ERAT ANTE ILLUM. Hydrops apte denotat avaritiam.

NON DISCUMBAS IN PRIMO LOCO. Modestia in loco deligendo in conviviis commendatur, 195, 2 et seqq.

## DOMINICA XVII POST PENTECOST.

DILIGES PROXIMUM TUUM. Quomodo mandatum dilectionis sit novum, 476, 1 et seqq. pro proximo tam amico, quam inimico, vitam suam exponere, maximæ est charitatis indicium, 565, 1 et seqq. — *Vide Indicem Rerum,* v. Amor, Charitas, Dilectio.

## DOMINICA XXIV POST PENTECOST.

CUM VIDERITIS HÆC OMNIA, SCITOTE. Clades publicas Deus permittit ad correctionem aliorum, 188, 1, 2.

AB ARBORE FICI. Ficus infrugifera symbolum est Synagogæ Judaicæ, 187, 1. at fertilis justi, 2 et seqq. fici natura describitur, et moribus applicatur, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum*, v. Arbor, Ficus.

## IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

ZACHÆUS. Hujus conversio longe deducitur, 248, 2. cur hæc in festo Dedicationis Ecclesiæ recolatur, 250, 2.

SYCOMORUS. Quænam hæc sit arbor, 247, *Vide Indicem Rerum,* v. Ficus et Sycomorus, Templum, Zachæus.

## IN FESTO PURIFICATIONIS B. VIRGINIS.

POSTQUAM IMPLETI SUNT DIES. Purificationis puerperæ ritus et ordo, 68, 2 et seqq. an Deipara debuerit purificari, 69, 1. — *Vide Indicem Rerum,* v. Purificatio B. Mariæ, Virgo, Simeon.

UT SISTERENT EUM DOMINO. An Christus Deo sisti debuerit, et an ipse, lege docente, vulvam aperuerit, 70, 2 et seqq. sic ipsi nostras actiones Deo offerre debemus, maxime earum initium et finem, ut hic Christus puer Deo sistitur, 443, 1, 2.

AUT DUOS PULLOS COLUMBARUM. Victima et ritus purificationis, 71, 1. optima Deo sunt offerenda, 504, 2.

SIMEON. Quis pius hic senex fuerit, 72, 1. quomodo exspectaret redemptionem Israel, *ibid.* unde Christum puerum agnoverit, 73, 1.

EXSPECTANS. Vita Christiani est continua exspectatio Christi venturi, 176, 2.

ECCE POSITUS EST HIC IN RUINAM. Quomodo Christus sit positus in ruinam et resurrectionem multorum, 75, 2 et seq. quomodo in signum cui contradicetur, 76, 1 et seq.

DOLORIS GLADIUS ANIMAM TUAM PERTRANSIBIT. Quis gladius animam B. Virginis pertransierit, 77, 1 et seqq. B. Virgo vere fuit martyr, cur, 78, 1 et seqq. summus fuit ejus dolor in filii sui passione, 77, 2. — *Vide Indicem Rerum,* v. B. Maria Virgo, Christi Passio.

## IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

S. Petrus denotat vitam activam, ut Joannes contemplativam, 652, 1. — *Vide notata in festo SS. Apost. Petri et Pauli, et Indicem Rerum,* v. Petrus.

## IN FESTO S. MATTHIÆ APOST.

JUGUM MEUM SUAVE EST. Quadruplex libertas a Christo est mundo allata, 445, 2.

## IN FESTO ANNUNT. B. VIRGINIS.

MISSUS EST ANGELUS GABRIEL. Quo ex ordine angelorum sit Gabriel, 13, 1. quoto die mensis martii sit missus, et Christus incarnatus, 14, 2.

MARIA. Mariæ nominis quod sit etymon, 15, 1, 2.

AVE, GRATIA PLENA. Quid sit Ave, et unde formetur, 15, 2 et seqq. quomodo Maria fuerit plena gratia, *ibid.*

DOMINUS TECUM. Quomodo Deus et tota SS. Trinitas fuerit cum illa, 17, 2. et quomodo benedicta in mulieribus, 18, 1, 2.

TURBATA EST IN SERMONE EJUS. Quomodo sanctissima Virgo ad aspectum et salutationem angeli turbata sit 18, 2. meruit Mater Dei fieri ex congruo, ob humilitatem, virginitatem, et ardentem charitatem, 19, 2. emiserat votum virginitatis, hinc de ea tuenda sollicita sit, 21, 1, 2.

SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE. Quomodo Spiritui Sancto opus incarnationis attribuatur, 22, 1; 23, 1. obumbratio Spiritus Sancti quomodo intelligenda sit, 23, 2 et seqq. et illo obumbrante parere potest virgo, 22, 1, 2.

ECCE ANCILLA DOMINI. Quomodo Deipara angelo assenserit, 25, 1. atque tunc incarnatio in ea peracta sit, 2, et seqq. quas tunc ipsa gratias acceperit, et quantum merita sit, 27, 2 et seqq. ejus uterus fuit thalamus et thronus gloriæ Filii Dei, 162, 1. — *Vide Indicem Rerum,* v. Gabriel, Incarnatio, B. Maria Virgo.

## IN FESTO S. PHILIPPI APOSTOLI.

EGO SUM VIA, VERITAS ET VITA. Christus est via, veritas et vita, quo sensu, 540, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum,* v. Philippus.

## IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

SICUT MOYSES EXALTAVIT SERPENTEM. Serpens hic æneus qua in re fuerit figura Christi in crucem acti, 313, 2.

Quomodo Christus in cruce fixus omnes et omnia ad se traxerit, 313, 1. — *Consule Indicem Rerum,* v. Crux.

## IN FESTO NATIVIT. S. JOANNIS.

An Joannes fuerit materno in utero sanctificatus, 11, 1. fuit Eliæ persimilis, 2. sextupliciter Christum præcessit, *ibid.* erat lucerna ardens, ut Christus sol, 383, 1, 2.

Joannis nominis etymon, 10, 1. — *Vide Indicem Rerum,* v. Joannes Baptista, Elisabeth, Zacharias.

## IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI.

ALII AUTEM ELIAM. Cur Christus Eliæ assimiletur, 105, 2.

TU ES PETRUS. Duo eminentia S. Petri privilegia, 263, 1 et seqq. S. Petrus de amore interrogatur a Domino, et quidem ter, 644, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum,* v. Petrus, Pontifex, Ecclesia.

ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM. Petrus jussus pascere agnos et oves Christi, constitutus est ab eo ejus vicarius, et universalis fidelium pastor, 645, 2 et seqq.

Crucifigendum eum Dominus prædicit, et quidem clavis, quod et factum est, 647, 2. crux ei fuit gloriosa, 648, 1. qua ratione et modo sit ei affixus *ibid.* 2. ei e carcere Rom. fugienti apparet Dominus, 649, 1.

## IN FESTO VISITATIONIS B. VIRGINIS.

ABIIT IN MONTANA. Cur Deipara jam Dei Filium in utero habens ad Elisabeth cognatam suam abierit, 27, 2 et seqq. conjux ejus Joseph eam non est comitatus, sed ancillam ei comitem adjunxit, 28, 1. — *Vide Indicem Rerum,* v. Elisabeth, Joannes Baptista, Zacharias.

EXULTAVIT INFANS IN UTERO. An S. Joannes in utero matris sanctificatus fuerit, 11, 1. an ejusdem subsaltatio in utero fuerit rationalis, et ex vero rationis usu profecta, 29, 2 et seqq. hic fuit in eo acceleratus, 30, 1.

MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINUM. Canticum *Magnificat* exponitur, 38, 1 et seqq. multis.





Nativitas S. Joannis quam fuerit celebris, 43, 1, 2 et seq. videtur Deipara huic adfuisse, etsi non parienti Elisabethæ, 43, 1 et seqq. Cur Joannis bimulus in desertum concesserit, 51, 2 et seqq.

## IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Una tantum Maria Magdalena fuit, 120, 2.

IN CIVITATE PECCATRIX. Quæ fuerit illa civitas, et qualis ipsa fuerit peccatrix, 121, 1, 2.

LACRYMIS COEPIT RIGARE PEDES EJUS. Ipsius lacrymæ, quibus pedes Salvatoris rigavit, exponuntur, nec non extersio per capillos capitis sui, 122, 2 et seqq. Eosdem quoque pretioso unxit unguento, 123, 2. heroicæ ejus hoc in actu virtutes expenduntur, 125.

REMITTUNTUR EI PECCATA MULTA. Quando ei peccata remissa sint? num ante actus illos pœnitentiæ, an post illos, 127, 2 et seqq. quæ vero ei gratiæ sint a Christo concessæ, 129, 2. — *Vide Indicem Rerum,* v. Maria Magdalena, Peccator, Pœnitentia.

## IN FESTO S. LAURENTII.

S. Laurentius ignem tyranni ridebat, diviniore igne intus æstuans, 182, 1. quin imo ad omnia tormenta anhelabat, 183, 2. — *Vide Indicem Rerum,* v. Martyr.

## IN FESTO ASSUMPT. B. VIRGINIS.

SEDENS SECUS PEDES DOMINI. Contemplationis bonum et necessitas, 155, 1 et seqq. et præfertur illa vitæ activæ, 157, 2. perficietur autem in cœlo, 158, 1. contemplativis revelat Deus sua secreta, 366, 2 et seqq. hi fiunt unum cum Deo, 600, 1, 2 et seqq.

SEDENS. Oratio animam Deo quam maxime unit, et quietam reddit, 150, 1.

PORRO UNUM EST NECESSARIUM. Quid sit illud unum et necessarium, 155, 1 et seqq.

B. Virgo est protectrix et adjutrix omnium fidelium, utpote ipsi a Christo moriente commendatorum, 617, 1; 618, 1. — *Vide Indicem Rerum,* v. B. Maria Virgo.

## IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOST.

PERNOCTANS IN ORATIONE DEI. Nox enim ad orandum est aptissima, 119, 1. S. Bartholomæus idem esse videtur, qui Nathanael, cum quo Dominus aliquantum disseruit, 322, 1.

## IN FESTO NATIVIT. B. VIRGINIS.

Ejus genealogiam, uti et Christi, a regibus Davide et Salomone descendere ostenditur, 95, 1 et seqq. fuit in utero sanctificata, quia Joannes Baptista fuit, 11, 1. varia Deiparæ elogia, 35, 2. duodecim ejus magnalia, 38, 1. quomodo omnes nationes eam beatam prædicent, 37, 2.

## IN FESTO S. LUCÆ EVANGELIST.

DESIGNAVIT ET ALIOS. Cur septuaginta duo discipuli electi, 145, 1.

BINOS. Cur hi per orbem bini missi, *ibid.* et seqq. S. Lucæ Evangelistæ elogium, 1, 2. Fuit medicus animarum, 2, 2. passus est tandem martyrium, 3, 1. suo in Evangelio maxime Dei misericordiam commendat, 2. — *Vide Indicem Rerum,* v. Evangelistæ, Apostolici Viri, S. Lucas.

## IN FESTO SS. APOST. SIMONIS ET JUDÆ

UT DILIGATIS INVICEM. Dilectionis mandatum quomodo sit novum, 535, 1.

SCITOTE QUIA ME PRIOREM ODIO HABUIT. Persecutio et odium mundanorum facilius toleratur, si consideremus Christum pari modo a mundo exagitatum fuisse, 568, 1 et seqq. Quæ fuerit causa persecutionis in Apostolos excitatæ, 574, 1 et seqq.

## IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

BEATI PAUPERES SPIRITU. Talem paupertatem professus est Christus, 505, 2. paupertas Evangelica in quo sita sit, 506, 1, 2. — *Vide notata Dominica II Adventus, et Indicem Rerum,* v. Pauper, Paupertas, Religiosi.

BEATI QUI LUGENT. Pii in hac vita assidue lugent, sed in altera consolabuntur et gaudebunt, 581, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum,* v. Tristitia, Luctus.

QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR. Patiens injuriæ, possessor est animæ suæ, 258, 1 et seqq. persecutio dulcoratur consideratione Christi eamdem passi, 568, 2 et seqq. quam ob causam persecutionem fideles patiantur ab infidelibus, 574, 1 et seqq.

COPIOSA EST IN COELIS. Quem famulis suis honorem Christus in cœlo exhibeat, 177, 2. in cœlo plena erit gaudii satietas, 338, 2. singuli tamen dispari gloria donabuntur, 339, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum,* v. Cœlum, Gloria, Sancti.

## IN FESTO S. CATHARINÆ VIRG. ET MART.

ORNAVERUNT LAMPADES SUAS. Lucernæ ardentes in manibus habitæ quid denotent, 175, 1.

MORAM AUTEM FACIENTE SPONSO. Christiani vita est continua exspectatio sponsi Christi pulsantis ad januam, 176, 2.

## IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Quomodo Apostoli majora ediderint miracula quam ipse Christus, 545, 1. et quare id ipse sic fieri voluerit, 2 et seq. quare adversus eos sit excitata persecutio, 574, 1 et seqq.

Apostolicæ vitæ tria munia, 176, 1. — *Vide notata Domin. in Albis, et Indicem Rerum,* v. Apostoli.

## IN COMMUNI PONTIFICUM.

PROFERENS DE THESAURO SUO. Pastor et Prælatus singulis suorum propria det præcepta, 179, 1 et seqq. multum porro ab iis Deus exiget, 180, 1, 2. triplici autem modo oves suas pascere debent, 647, 1. — *Vide Indicem Rerum,* v. Pastor, Prælati, Petrus.

QUIS VOLENS TURRIM ÆDIFICARE. Vita pastoralis et religiosa velut turris est, et opus perarduum, 200, 1, 2.

## IN COMMUNI MARTYRUM.

NOLITE TIMERE, PUSILLUS GREX. Cur pusilli et parvi timere non debeant, 172 1 et seqq. quæ sit causa cur in primos Christianos sit excitata persecutio, 574, 1 et seqq.

Martyres tormenta ridebant igne divini amoris succensi, 182, 1. quinimo summopere ea desiderabant, 183, 1, 2. sunt animæ suæ possessores ob summam patientiam, 258, 1 et seqq. animam perdentes, eam invenerunt, 508, 2 et seqq. eorum victoria de mundo ejusque ministris, 588, 1. in cœlo retinebunt vulnerum suorum cicatrices, 631, 1, 2.

EGO SUM VITIS VERA. Christi et vitis analogiæ, 556, 1 et seqq. cur ipse dicatur vitis vera, 557, 2 et seqq.

OMNEM PALMITEM NON FERENT. Palmitem infructuosum Deus tollet, et fructus ferentem purgabit, idque diversimode, 558, 1, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum,* v. Martyr.

## IN COMMUNI CONFESSORUM.

In sacerdotum ordinatione indicitur jejunium et oratio pro


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

felici rei successu, idque per quatuor anni tempora, 115, 1.

Præcincti lumbos. Hæc lumborum præcinctio varia denotat, 173, 2. tria munia vitæ Apostolicæ, 176, 1.

Vita Religiosa velut turris est, et opus arduum, 500, 1; 501, 2. paupertas Religiosa et Evangelica in quo sita sit, 506, 1, 2.

Religiosi perfecti possunt habere bona in communi, 586, 1 et seqq. quam perfectionem sectari debeant, 590, 2. — *Vide Indicem, Rerum v.* Religio, Religiosi.

## IN COMMUNI VIRGINUM.

Virginitatis votum emisit Deipara; hinc audiens ex angelo se matrem fore, de ea sollicita fuit, 21, 1, 2. ejus immortalitas, 652, 1.

Virgo potest parere, 22, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, v.* Virgo, Virginitas.

Continentes mortificatione concupiscentiarum lumbos cingunt, 173, 2.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

BS1145
L3
v.16
1891 85404

AUTOR
LAPIDE, Cornelius A.
TITULO
Commetaria in scripturam sacram.

| FECHA DE VENCIMIENTO | NOMBRE DEL LECTOR |
| --- | --- |

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS